

JO. JACOBI
MANGETI,
MEDICINÆ DOCTORIS,
& Sereniſſimi ac Potentiſſ. REGIS PRUSSIÆ Archiatri,

BIBLIOTHECA
CHIRURGICA,
SIVE
Rerum ad ARTEM MACHAONICAM quoquô modô ſpectantium
THESAURUS
ABSOLUTISSIMUS;
QUO OMNES PRORSUS HUMANI CORPORIS AFFECTIONES, Chirurgi Manum, aut aliam aliquam ejuſdem Operam expoſcentes, *Ordine Alphabeticô* explicantur;

ET PER CURATIONES, OPERATIONES, CONSILIA, OBSERVATIONES, AC CADAVERUM Anatomicas inſpectiones, è variis, iiſque præſtantiſſimis Autoribus, Veteribus ac Recentioribus petitas, abundè; imò & curiosè tractatur. *Cum* FIGURIS *aneis neceſſariis.*

TOMUS SECUNDUS





GENEVÆ,
Sumptibus CRAMER, PERACHON & CRAMER FILII.
M. DCC. XXI.





JOH. JAC. MANGETI BIBLIOTHECÆ CHIRURGICÆ

LIBER QUARTUS

De Affectibus & Operationibus Chirurgicis à Litera D incipientibus.



ECUSSORIUM INSTRUMENTUM. *vid. in* Trepanò, *sub titulo* CRANII FRACTURÆ.

DEDOLATIO

Dedolatio apud Galenum significat Cranii excisionē cum amissione substantiæ de qua in Cranii Fracturis.

DELIGATIO *per Fascias vid. sub titulô.* FASCIATIO.

DEGLUTITIONIS VITIA.

LÆDITUR deglutitio quando 1. impeditur, sive imminuitur & abolctur, vel quando depravatur. 1. œsophagi ex parte: 2. stomachi seu orificii ventriculi superioris culpâ.

Oesophagi vitium est; (1.) quando musculorum 3. paria, fauces sui ampliatione efformantium, unà cum sphynctere paralysi resolvuntur, (2.) quando ipsa musculosa ejus tunica simili malo corripitur. De posteriori vid. VVillis. Pharm. rat. vol. I. pag 11. de priori Tulpius lib. 1. observat 42. (2.) quando angustatur nimis, sive hoc fiat (a) vel à tumoribus tam propriis, quàm partium vicinarum. Illud quando inflāmatur Synanchi, aut quando scirrhoso tumore obsidetur, aut quando à caruncula excrescente vitiatur. Exempla quorum vid. Rhod. observ. 46. 47 cent. 1. Hoc quando tonsillæ, aspera arteria, aut uvula intumescunt, inflammantur, &c. Sive hoc fiat (b) 2. ab arcta nimis clausura, & strictura fibrarum ejus, idq; nunc ex spasmo sive convulsione, quo pertinent hypochondriaci subinde, non secus ac mulieres hystericæ, gulę adstrictionem & contracturam per nervorum spasmos ob consensum patientes, quod alii ex vaporibus stypticis ex hypochondriis elatis fauces stringentibus male derivant, nempe pertinent hæ gulæ stricturæ ab utero; cujus mentionem facit Helmont. Tr. Asth. & Tussis §. 31. Hinc etiam in Epileptico paroxysmo difficillima aut nulla solet esse deglutitio. Nunc ex illarum nimia exsiccatione in febribus ardentibus continuis. Quo suo modo etiam pertinet defectus salivæ, deglutitionem plus minùs impediens, nunc ex illarum ab assumptis constrictione & corrugatione, quo Hochstetteri facit observat. decad. 3. cap. 5. adstrictio gulæ ex potû vini malvatici, in quo radix consolid. major. infusa fuit. Sive illud fiat (g) 3. ab obstructione; propter deglutita varia aut majora in faucium isthmo sive principio œsophagi hætentiā, ubi boli majores, nux Persica, ovum gallinaceum, &c. aut acuta gulæ infixa, ibique tam sui insolita præsentia, quàm propter dolorem, & hujus occasione inflammationem aut abscessum, deglutitionem impedientia, v. gr. officula, spinæ piscium, aciculæ gulæ infixæ.

Orificium superius ventriculi sive stomachus in culpa est quando rite licet, per œsophagi iter demissa, nihilominus admittere debita recusat, id quod fit imprimis, quando quacunq; occasione irritatus sive lacessitus, contumacius se stringit & claudit, adeoq; assumpta ulterius progredi impedit, id quod fit, (a) quando vel inflammatum, vel velut excoriatum; aut plus minus exulceratum, vel tumore quocunque, à priori nullo modo cognoscibili, obsessum fuerit, quo facit curiosa & notabilis observatio Willisii Pharm. rat. vol. 1. p. 45. (b) quando copiosiores, plus minus acriores, flatus in ejusdem angustiis inclusi fuerint, quorum inimica præsentia utrumque, speciatim superius, orificium ad pertinacem sui stricturam irritatur. Unde assumpta nonnisi difficulter admittit, aut admissa eadem copiosi flatus eructantes, insequuntur, eaque plus minus simul unà rejiciuntur, quo facit non ineleganś observat. Riverii tr. de morbis infrequent. Idem Plateri observat. l. 1. pag. 223. (g) Quando quacunque de causa nauseat, aut assumenda horret ventriculus, nam & sic orificium claudit, non assumpturus

ſibi hoſtilia. Hac ratione familiare eſt febricitantibus, quælibet liquida aut eſculenta fluida deglutire, ſed carnes, ova frixa, vel ſimilia pertinaciter reſpuere, & oblata nullo modo, aut non niſi difficulter admittere.

Pertinet huc Amat.Luſitan. cent.6. cur.49. ubi poſt ſereatum ſanguinis, & aſſumptorum vomitionem, deglutiendi omnimoda difficultas etiam aquæ, ſola vini aſſumptione ſalva. conf. *Hildan. cent 5. obſerv 34.*

Depravata tandem deglutitio eſt, 1. quando liquida difficulter, ſolida facilè, & contra degluciuntur, de quorum affectuum theoria in Philoſophicis, ubi de deglutitione pluries actum 2. quando in eodem aſſumptorum vel ſolidorum vel liquidorum genere, quædam facilè, quædam difficulter, quædam omnino non deglutiri poſſunt. De ejus ratione ex ſuperioribus, ſpeciatim ex nauſea ventriculi jam conſtat.

Quoad Prognoſin.

Igitur deglutitio quò magis vel minus tollitur, eò magis periculum vitæ imminet. A paralyſi muſculorum faucium nata difficilis deglutitio periculoſum & difficulter curabile malum eſt. Quod ſi ob ſpirituum moventium defectum, & adeò inſignem virium reſolutionem, prout in acutis interdum accidit, malum evenit peſſimum ſignum, & mortis futuræ indicium, ſi cum ſonitu, quaſi in lagenam vacuam decidat potus. In vulneribus ſi accidat ex convulſione deglutitio læſa, periculoſum, ficut aliàs convulſiones faucium in acutis periculoſius, in chronicis minus. Si à tumoribus per ſe quidem, & ex interna cauſa naturali oriatur malum pro tumorum vel facilè vel difficulter, vel omnino non curabilium naturâ, prognoſis facilis eſt. Sic v.gr ex ulcere œſophagi cancroſo omnimoda, adeoque lethalis degluciendi impotentia. Sic ob œſophagum cartilagineum factum deglutitio penitùs abolita: *Ann.3.M.C.pag.26.*adeoq; lethalis.

Deglutitæ res alienæ in faucium iſthmo vel hærent, vel extra hunc, vel ad ventrem tandem deſcendunt. Dum in faucibus hærent, præter inimicam ſui præſentiam interdum ſimul dolorem excitant, unde tumor, inflammatio, abſceſſus, iique vel lethales, de quo vid. *Hild. cent.1. obſerv.35.* Item *cent.5. obſerv.35.* ex oſſiculo œſophago infixo, tumor, dolor, febris, inflammatio, mors: Vel hoc rupto abſceſsû rei peregrinæ cum pure excretionem, aut deſcenſum faciunt. Confer item *Hld. cent.1. obſerv.35.* ubi mulier oſſiculum devoratum, quod pene ſuffocabatur, ſeptimo tandem die, excitata ſuppuratione, ejecerit: Vel per alia plus minus vicina loca, exitum ſibi quærunt. Quo facit exemplum notabile *Pareı lib.24. cap.29. Chirurgia,* de graminis ramulo deglutito, qui poſtea integer per intercoſtale ſpatium erupit. Item *Hild. cent.1. obſerv.33.* ubi ſpina piſcis gutturi biennium infixa, poſt, excitato abſceſsû, in extrema colli parte extracta. Dum verò ad ventriculum quocunq; modo deſcendunt, vel inferiùs per anum ſucceſſivè denuo excluduntur: dum v. gr. quidam metu, ne in itinere ſpoliaretur, 6. ducatus deglutivit, eoſq; poſt aliquot dies; injecto clyſtere abſtergente, ſine noxa rurſus reddidit, teſte *D. Michael.* Vel dum fiſtula deglutita tertio die ſine noxa per alvum fuit reddita, authore *Bartolino cent.1. hiſt. anat.59* Vel in ſtomacho pertinaciùs hærentes, varia mala inferunt, dum v. gr. pylorum obſtruunt. quæ obſtructio, ſi contumacior fuerit, mortem comitem trahit, authore *Kircking. in ſpecileg. Anatom. obſerv.1.* Confer etiam *Hildanum cent. 6. obſerv. 5.* Quò etiam pertinent aciculæ, quarum quædam ſine periculo, quædam cum ſummo periculo deglutitæ obſervantur, conſ. M.C. *Ann.4. pag. 77.* Vitri fruſtula aut annulus, cujus aſperitate excitatam dyſenteriam notat *Zacutus Luſitan. lib.2. Med. Princ. hiſt.84.* Cæterorum huc facientium affectuum prognoſis ex dictis facilis eſt.

Cura.

Pro cauſarum varietate, & mali inde nati diverſitate, etiam variat. Paralyſis partium deglutitioni inſervientium curatur per decoctum ſalviæ in vinô, & continendo in ore viſ. infuſionis thymi vel decoctum ſalviæ & erucæ gargarizatum, aut in ore contentum egregium eſt. Nux moſchata maſticata & deglutita eſt egregia ol. ſuccini deſtill. aut ol. deſtill. anisi ſalv. guttatim intra fauces aſſumpta, ſun: efficaciſſima. Eſſentia caſtorei, ſpir. ceraſorum nigrorum, liliorum convallium, ſpir theriacal. cum eſſentia caſtorei juncti; *Item* aqua anhaltina eſt egregia, illinatur collum ac nucha ol. lumbric. terreſtr. coſtin. ol. deſtill. ſuccin. aniſ. lavendul. & S. Tumores harum partium, ſiquidem cogniti fuerint, quales ſint, more talium tumorum curari debent. Clauſura faucium & Oeſophagi à ſpaſmo, aromaticis & nervinis, blandi opiatis additis, tam internis quàm externis curanda. Si à vitio hypochondriorum per acidum abſorbentia & opiata, item caſtoreata. Sin ab exſiccatione in febribus, interne mucilag. ſem. cydon. cum aq. ſperm. ran extracta eſt egregia. Externè unguent. Zacuti ad hunc affectum, compoſitum ex unguento filii Zach. unguento roſato, reſumptiv. ol. amygdal. dulc. violat. & mucilaginibus cum lacte mulicbri. Salivæ defectus potù præſertim vini, vel cereviſiæ ſecundariæ reſarcitur: Item *cryſtalli* fruſtula in ore circumacta, ſalivæ copiam nonnihil provocant. Aſſumpta externa pro ſua varietate oppoſitis curanda, ut in illo *Hochſtetteri* exemplo, propinato aceto ſtrangulatio & faucium anguſtia ſublata fuit.

Quoad res alienas deglutitias, ſed intra œſophagi ſuperiorem tractum adhuc hærentes, eę quanto ocyus iterum artificioſè eximendæ veniunt, vel ad ventriculum, ſi innocuæ ſunt; detrudendæ, cui fini inſervit, vel inſtrumentum *Williſ. Pharm. rat. vol. 1. pag.45. aut Hildani cap.1. obſerv.31.* Quòd ſi bis modis non ſuccedat negotium, inſtrumentis res tentanda, in quem finem vel forcipes roſtris longis, vel inſtrumentum *Hildani cent. obſerv.36.* aut hujus ſuccedanea *cent. 6. obſerv. 34.* Vel candela cerea, vel ſpongiola cum filo, it. pro aciculis *Hamulus Hildan. cent.6. obſerv.36.* Adhibetur ol. amygd. d. & ſaccharum in forma electuar. ante paſtum, ut dolor per oleum leniri, per ſaccharum verò ulcus fortè præſens abſtergi poſſit.

Quòd ſi aciculę, vitri fruſtula, ſpinæ piſcium, aliave acutiora per deglutitionem in ventriculum penetraverint, opera danda, ut hæc ſine noxa per inferiora tandem excludantur. In quem finem propinetur puls aliquanto ſpiſſior ex oryza, vel milio, vel panico, ita quidem, ut aliquandiu æger à potu abſtineat, ut ita per hujuſmodi ſpiſſiora involuta res deglutitæ acutiores ſenſim ex ventriculo per inteſtina ulteriùs promoveri queant.

In ſtomacho ſi fuerit vitium, priori ex cauſa, vel mala ejus methodicè curanda, vel inſtrumento *Williſ. Pharm. rat. vol.1. pag.45.* utendum. Si ex ſecunda cauſa carminantia interna & externa propinanda, infrà de inflammatione ſtomachi præſcribenda. Quoad tertiam cauſam ſtomacho gratis & acceptis inſiſtendum, ventriculus nondum cogendus.

Depravata deglutitio, cùm quædam curabilis, quædam non curabilis ſit, illa verò *nervorum ex vitio* ſpeciatim orietur, partim ex dictis vel ſuo loco dicendis curatio manifeſta erit. *Michael Ettmull. Colleg. Pract. lib.1.*

Con-

Consultationes.

De Læsa Deglutitione. Pro Adm. Reverend. Patiente.

Patiens Adm. Reverend. annorum 66. temperamenti à naturæ ortu calidi & humidi, habituſq; mediocriter carnoſi, duodecim abhinc annis hernia hydrocele laboravit, ex qua quotannis arte educebantur ſex circiter libræ aquæ. Anno præſenti ab hac liberatus, conqueri cœpit ſex ab hinc menſibus de læſa deglutitione cùm ſolidorum, tùm liquidorum; ſiquidem ubi primum duos vel tres bolos degluiverit, replentur ei fauces, & œſophagus pituita viſcida albicante, in quibus tantam anguſtiam parit, ut nil prorſus deglutire valeat. Quod ſi vim ſibi tunc inferat, dolor intenſiſſimus ſuboritur, cujus ratione aſſumpta evomuit, dum copia pituitoſæ materiæ, nec quicquam appetit; imo nec panem, nec cibos ex paſta deglutire poteſt, carnem verò pauciſſimâ copiâ, & minutiſſimè inciſam. Propterea extenuatus de agendis conſulit.

Ex hac hiſtoria conſtat, Adm. Reverend. Patientem læſam habere deglutitionem, ac proinde œſophagum eſſe partem principaliter læſam, à Latinis gulam, & ab Hippocr. fiſtulam vocatam à linguæ radice ad os ventriculi pertingentem, cùm ex omnium conſenſu deglutitionis munus œſophago à natura demandatum ſit. Tripliciter autem læſa eſt deglutitio, deperdita, ſcilicet, imminuta, & depravata eſt. Deperdita, ratione panis, & aliorum ſolidorum ciborum, quo nullo modo deglutire poteſt; imminuta, ratione carnis, & aliorum in minutiſſimas partes inciſorum; & depravata, ratione doloris intenſiſſimi provenientis ex violenta deglutitione. Cùm autem deglutitio dupliciter lædi poſſit, per eſſentialem ſcilicet affectionem, & per conſenſum cum aliis partibus. In caſu præſenti œſophagus utroq; modo afficitur; atq; eſſentialis ipſius affectus compertiſſimus eſt ex dolore, *Ubi enim dolor, ibi morbus*, Affici etiam per conſenſum patet ex inappetentia. Appetitus namque eſt actio oris ventriculi. Et cum œſophagi morbus triplex eſſe poſſit, intemperies ſcilicet, mala compoſitio, & ſoluta continuitas, ex enarratis ab ægro Adm. Rever. conſtat eſſe morbum in mala compoſitione, obſtructionem ſcilicet factam à materia pituitoſa, craſſa, viſcida, albicante, quæ ad inſtar globi, ubi deglutitionis canalem ita occludit, ut propterea uſum ciborum intermittere cogatur. Non tamen perfecta eſt ea obſtructio, alioquin neque liquida deglutirentur; cui tamen junctam eſſe cenſeo intemperiem humidam fibrarum tranſverſarum œſophagi, ob quam non poſſunt ita conſtringi, ut cibos ſolidiores detrudere poſſint ad ventriculum, concurrente laxitate oris ipſius ab eadem materia producta, cujus cauſâ non fit ipſius corrugatio, appetitum ciborum præcedens. Dolor autem fit à violenta ſolutione continui tunicarum ab eodem cibo facta.

Ac propterea cauſa præcipua, hujus affectus eſt copia pituitoſæ materiæ, cùm à capite fluentis, intemperie frigida, & humida laborante. hæc ætate in primis ultima ſenii, tam à ventriculo frigidiori quam par ſit, non ſine conſenſu imbecillioris jecoris, quod loco ſanguinis ſeroſam materiam generat, quæ antehac ad ſcrotum confluxit, & hydrocelen produxit; nunc verò ad partem affectam recurrens eam magis humectat, & relaxat. His ergo ſic conſtitutis, cùm neque in ventriculo chylus, neque in jecore ſanguis ſufficienti copia generari poſſit, nemini mirum videri debet, quod ſubſecuta ſit macies, & totius corporis imbecillitas.

Ex his cuilibet in arte verſato compertiſſimum eſſe poteſt, quàm difficile ſit præſentem affectum, hac ætate, & hoc virium languore, ſuperare: ut propterea metuendum ſit, ne in maraſmum ſenilem labatur æger, & fato cedat. Non tamen ſuperſedendum eſt medicis præſidiis, ut vita ſaltem longius protrahatur.

Quare materia fluens à capite derivanda; à ventriculo, & jecore revellenda ad infernas partes, fluxà ſenſibiliter, & inſenſibiliter evacuanda; viſcerum, intemperies corrigendæ contrariis; & viribus conſulendum. Quibus intentionibus ſatisfaciendum remediis Chirurgicis, Pharmaceuticis, & Diæteticis.

Ex Chirurgicis tres præſidiorum materiæ locum habent, cauteria, cucurbitulæ, & picationes. Sanguinis miſſioni nullus locus, cùm potius infundendus, quàm effundendus eſſet. Duos fonticulos inurendos cenſerem, alterum quidem ſiniſtro brachio, pro derivatione ſcil. alium verò ſiniſtro femori, pro revulſione à ventriculo, & jecore, & revocatione ſeroſitatis ad ſcrotum. Quam ob cauſam ſetaceum per illud tranſmiſſum profuturum cenſeo. Neque ex his emiſſariis majoris maciei imminet metus; evacuant enim materiam excrementitiam, non alimentalem. Rubificans applicatum ſuturæ coronali fluxionem revellet, & exſiccabit. Cucurbitulæ cum flamma infrà ventriculum, attractionem cibi ſollicitabunt. Picationes eidem ventriculo bis in die adminiſtratæ ſanguinem alliciendo, juvabunt coctionem: imò non præter rem cenſerem applicare veſicans infra ſcapulas, ad evocandam, & digerendam materiam in œſophago contentam.

Pharmaceutica ſint alvum ſubducentia, per clyſteres, qui admittant hieram picram Galeni, cum melle roſ. ſimpl. oleo rutaceo, & decoctione betæ, mercurialis, malvæ, & flor. chamæmeli; mox & validiores, paratos ex hiera Pachii, vel Logadii, cum decoctione ſymphyti, utriuſque centaurii, colocynthidis, nodulo incluſæ, addito electuar. de benedicta laxativa; alternis clyſteribus nutrientibus, ex vitellis ovorum, carne contuſa, & jure caponis. Licet enim clyſteres medicamentoſi non pertingant ad inteſtina tenuia, cùm ab ipſorum facultate non attrahantur; nutrientes tamen alimenti inopiâ attrahi poſſunt, atq; ita nutrire. Interim per os ex uſu erunt attenuantia, & incidentia; oxymel nempè ſimplex, ſcilliticum, ad attenuandam materiam, vomituque expurgandam, quibus addi poteſt modicum farinæ lupinorum vel fabarum, quò diutius hæreant, & magis detergant, vomitu provocato oxymelite ſimplici, & ſucco raphani cum mulſa. Mox exhibeatur mulſa, vel aqua Terutiana, pro majori deterſione; præſcriptis interim rotulis ex tribus piperibus, vel ex radice iridis in ore detinendi. Applicetur extrinſecus ſupra vertebras unguentum Agrippæ, vel Marciatum; vel fiat iunctio cum oleis de caſtoreo, rutaceo, & theriacâ antiquâ. Caput evacuandum per errhina, non per maſticatoria, ne majori cum impetu fluat materia ad œſophagum: ideò ſuccus betæ, radix cyclaminis, agaricus in lacte diſſolutus, vel etiam pulvis nicotianæ præſcribatur in curationis progreſſu. Quum verò œſophagus minori pituitæ copia redundabit, exhiberi poterit mel. roſ. ſolut. cum aqua Terutiana, tres vel quatuor dies; moxque reliqua materia inſenſibiliter digerenda, & partes affectæ erunt exſiccandæ decocto ex ligno Indico, ſalſa parilla, & modico ſaſſafras, cum jure columbæ, additis ſymphyto, betonica, ſtœchade, ſalvia,

& origano, cum spiritu terebinthinæ, vel spiritu vitrioli. Quod si deglutire poterit, patetur bolus ex ealiloreo, & trochiscis cypheos: pergatque in usu ipsius plures dies.

Victus sit attenuans, incidens, ac valde nutriens. Propterea fiat contusum ex pulpa caponis cum pistaciis, succo citri, & cinnamomo: fiat consummatum ex capone asso, adsperso succo citri, & caryophyllis intinctus item ex petroselino, pane assato, pistaciis, & pulpa perdicis, concedantur carnes, & pisces saliti minutim incisi, ferculaque nutrientia. Vinum sit generosum, sed pauca copia. Atque parum & sæpè nutriendus est patiens, & in cibis familiariter utatur melle Hispano, vel Cretico, quod in senibus non difficulter in sanguinem vertitur. Sic enim sperandum est fore, ut vita protrahatur & vires conserventur. *Bened. Silvatic. Consil. & Respons. Medic. Cent. 2.*

De Solidorum Deglutitione læsa, & Motu colli impedito. Pro Illustrissimo Comite.

Duo sunt Affectus Comitis Illustrissimi, tumor scilicet scirrhosus glandularum faucium, solidorum deglutitionem prohibens; & motus impeditus colli, & scapularum, cum aliquo dolore accedente, & recedente, magisque vel minùs intenso.

Quorum uterq; dependet à catarrho, qui à capite fluxit ad partes affectas, crassiori quidem ad glandulas, ubi in scirrhom conversus, tenuiori verò, & fluxiliori ad tendinosas, & musculosas partes colli, & scapularum. Quo sanè catarrho abundat Comes Illustrissimus, qui copiosus congeritur in ipsomet capite, cùm per modum generationis, ratione humiditatis excedentis, tum per modum receptionis; ab imbecillo ventriculo, & à venoso genere; tertiò, quia suppressus, ob antiquam narium angustiam, propria excrementa non expurgantium. Collectus autem in capite, liquefactus est à calore ex motu, & insolatu contracto, fluxitq; ad partes subcutaneas colli primò, deinde & scapularum, ubi ab ambientis frigiditate detentus, stipatis porositatibus cutis est, causa læsionis motus, & doloris prædictarum partium.

Affectus equidem non adeò facilis curationis in hac senili ætate, & hoc inæquali anni tempore: non tamen incurabilis, quoad motus impedimentum. Glandularum verò intumescentiam quod spectat, aliis utiq; remediis curari non poterit, quàm amputatione alterutrius ipsarum, quæ non difficulter fieri poterit, quoniam tumor est externus, & non amplus, ad radices linguæ hærens: tunc enim ligata radice glandulæ filo serico, amputari potest forfice: prout mihi non semel feliciter successit. Atq; tunc hæc operatio, fieri debebit, quando deglutitio, & respiratio erit graviter læsa.

Cæterum hoc affectu nunc prætermisso, si agitur de difficultate motus, hæc curabitur digerendo materiam fluxam, divertendo fluentem, atq; prohibendo regenerationem similis, per correctionem intemperiei, jam peracta universali totius corporis evacuatione, de qua propterea non est quod pluribus agamus.

De peculiari capitis evacuatione difficultas aliqua occurit: credimus tamen caput expurgandum esse etiam per os; siquidem tumor ille scirrhosus indicat nullam amplius fluxionem adesse. Tentanda quin etiam est expurgatio per nares, eas laxando oleo amygd. dulcium, & alliciendo materiam *tabaco pulverizato* attracto, & insufflato. Per suturas quoq; insensibiliter expurgabitur frictionibus, pectinationibus, & similibus. Hisque peractis, decoctum præscribetur ex medulla ligni sancti, & salsa, cum visco quercino. Opus est enim validò medicamento, attenuante, & ventriculum roborante: quod omnium maximè præstabit lignum Indicum, parato decocto cum carne, renutritionis cujusdam causâ. China enim debilium est virium, *santala* subadstringunt, & refrigerant, quibus non admodum opus in hac ætate: si permitteretur Terebinthina Cypria, esset accommodata. Sudor interim allicietur doliolis, vel cucurbitis repletis aqua fervida, alterata salvia, rore marino, stœchade, majorana, calamento, carduo sancto, & similibus. A quo inungatur occiput, & scapulæ oleo laurino, rutaceo, de castoreo, & chamæmelo, superposita lana succida, vel pelle agnina, quam continuò gestabit, excepto tempore sudoris.

His remediis speramus fore, ut Illustrissimus Patiens xx. dierum spatio circiter pristinam sanitatem recuperet, si præsertim jungatur congrua victus ratio. Circa quam notandum est, quod abstinentia à vino conferet: cujus loco in usu erit secunda illa aqua decocti, parata ex coriandris. Quoad purgantia, laudamus generosiora, putà pulverem hermodactylatum sæpè repetitum, vel jalappam, vel mechoacam, cùm pilulas non possit deglutire. Et hæc est nostra opinio de affectu præsenti. *Idem ibidem.*

De Sublata Panis Deglutitione. Ad Perillustrem Hieronymum Odasium Medicum Brixiensem.

Ex doctissima dissertatione constat, Nobilem Patientem quinquagenarium, mediocris constitutionis, habitus sanguinei, cum bilis subdominio, dum cum sodalibus cibum someret, atque panem attritum deglutiret, motum quendam circa os ventriculi persensisse, panemque ad fauces regestum fuisse, atque ejus frustulum, quod hæserat in faucibus rejectum, quod toties conrigit, quoties ipsum ingerere tentavit; ac proinde nunquam panem deglutire potuisse, hic solum, sive cum potulentis; hancque affectum sex menses perdurare; quamquam panem summopere apperat, cæteris alimentis cùm liquidis tum solidis deglutitis; ita tamen, ut solida gravitatem aliquam circa os ventriculi inferant, quæ levatur, dum liquidorum beneficio præcipitantur, solo pane etiam cum liquidis superbibitis vomitu rejecto, cibo aliquo suavi cùm liquido, tum solidiori aliquando deglutito. In ciborum assumptione observantur, à primo, vel secundo bolo deglutito eructationes nidorulentæ, quibus resolutis progreditur in assumptione cibi, quæ etiam extra illud tempus aliquando supervenirent. Quod si in deglutitione impedimentum aliquod observat, subsistit aliquantulum, atque tunc erumpunt fletus, materiamque catharrhalem aliquando expuit insipidam, ac deinde pergit in cibi usu: nunquam tamen panem deglutire potest. Persentit aliquando ardorem in ore ventriculi, nullo observato tumore in visceribus naturalibus Multa frustrà hactenus fuerunt administrata, lenientia, præparantia, purgantia, & alterantia, cùm interna, tum externa, sanguine misso ex jecoraria, & hæmorrhoidibus, stillicidium ventriculo ex oleis, frequentes clysteres: & tandem dejectorii usu, multa bilis copia fuit evacuata, vehementesque syncope supervenit; æstus causa aquam endiviæ quandoque cum juvamento sumpsit; quod nullum fuit in panis deglutitione. Propterea quæritur præsentis affectûs causa, & quibusnam medicis præsidiis superari possit.

Quod ut fiat, supponam tanquam verissimum cum Vito Præclarissimo, flatulentam materiam à ventriculo erumpentem, & pituitosam, quę à capite confluit,

fluxu, ciborum descensum remorari posse. A flatibus namque repelluntur, & à pituitæ crassitie retardatur solidorum descensus, quousque potulentorum usu fluxiliores fuerint redditi. Quam ob causam gravitatem inferunt in ore ventriculi. Suspicari quin etiam possumus, adesse humiditatem excedentem in œsophago; impedientem validam constrictionem fibrarum ejus transversatum, cibos ad ventriculum detrudentium. Verum cur panis neque solus, neque cum liquidis deglutiri possit, perobscurum censeo. Respondere quidem possemus cum Galeno, & Hippocrate, panem esse viscidioris, & magis glutinosæ substantiæ, quàm alia assumpta; hæc tamen visciditas, & lentor est qualitas, quæ in pane semper inest, & nihilominus antehac deglutiebatur absque impedimento. Verum quidem est, quod tunc non aderat ille renixus in passo, qui nunc apparet, quoniam neque tanta flatuum copia, neque adeò copiosa pituita observabatur: attamen flatus erumpunt, & pituita cùm sponte, tum medicamentorum beneficio sæpius fuit detersa, & expurgata, & nihilominus nunquam successit panis deglutitio, ac fortè alia assumpsit viscida & lenta ut oryzam, far, cibos ex pasta, limaces, & similia à quibus impedimentum nullum accidit. Ac proinde in eam concedo sententiam, quod hoc proveniat ab antipathia ventriculi, & aversione specifica ab ipso pane, non verò aliorum assumptorum. Plures etenim sunt, quibus à specificis quibusdam assumptis afficitur ita ventriculus ut non solùm ea revomant, sed etiam graviora superveniant ipsis accidentia. Aliqui enim abominantur Allium, teste Julio Alexandrino, Secundo de Tuenda sanitate, Cap. 13. qui scribit, novisse se, qui ita allium aversabatur, ut nunquam, illud comederit; quod & ego fide mea possum testari de Nob. nostro Paravino Anaxarte Pigna, cui propterea cum ab amicis invitato ad comedendum accipenserem piscem variis modis præparatum, & conditum, cum patinis allium affrictum esset, interdictum illi fuit ejus esu. Refert Amatus Lusitanus, Stephanum Surdastrum Hispanum à piscibus adeò abhorruisse, ut si cum aliis cibariis eo inscio ipsi exhibiti fuissent, in animi angustias, compressiones cordis cum vomitu, alviq; dejectione incideret. Petrus Aponensis, referente Matthæo de Gradi, lac ita abominatus, ut nec illud comedentes sine nausea videre posset. Brasavola in Lib. secundum Hipp. de Ratione Victus in Acutis, comm. 4. hæc scripsit: *vidimus Illustrissimam Iuliam Tarraconensem, Frederici Regis Neapolitani filiam natu minorem, quæ carnes edere non poterat, imò nec gustare. Si enim bolum in os immittebat, in gravissimam incidebat syncopen, ac vehementem clamorem edebat, in terram procidens volutabatur, idque horæ semis spatio contingebat, deinde ad se redibat.* Alii abhorrent à caseo, & eo quidem quocunque modo sumpto, alii seorsum ab aliis alimentis, atque alii eo veteri non recenti delectantur. Aliis acetum vomitum excitat; ut mulieri Burgundæ; aliis sedat. Nec solum in assumptis alterationes observantur, sed etiam absque iis. Scribit enim Autor v. Epidem. Hippoc. adscripti, historiam 79. affectionis Nicanoris, qui cùm ad portũ progrederetur, tibicinem sonantem cùm audiret horis nocturnis, præ timore vix se sustinere poterat, interdiu autem eundem audiens nihil commovebatur. Aliam jocosam sympathiam retulit Scaliger de Subtilitate ad Cardanum, Exerc. 344. Reguli Vasconis Equitis, qui dum viveret, audito phormyngis sono, urinam illico emittere cogebatur, qua quendam ex turma aspersit; qui ridiculam illi molitus est ultionem: pone accumbentem adduxit cæcum quendam cum phormynge, cujus ut solebat, sono permotus, ibi sub mensa in clarissimorum convivantium sodalitio quin pedes permejeret, continere sese non potuit. Quinimò nec defuerunt alii Vinum aversantes, alii panem ipsum raro comedentes: inter quos liceat mihi referre Patrem Cœtus Augustinianorum Excalceatorum, nunc Præfectum Cænobii Viennæ ex Nob. Familia de Ramersthal, olim S. Cæs. M. puerum nobilem, nunc verò ætatis annum 40. excedens, qui nunquam panem quocunque modo coctum degustare potuit nec in præsentia potest, & in primis à pane calido abhorret. A pane autem calido ventriculum quam maximè affici asseruit Hippoc. Secundo de Ratione Victus in Acutis text. 34. Cur autem facta sit hæc panis abominatio in casu præsenti, si quis quærat, respondere possum cum Scaligero Exerc. 274. de subtilitate ad Cardanum; *Harum rerum causas neque ego scio, neq; scire labores tu: sapientia vera est nolle nimis sapere.* Addam nihilominus duas causas ab Hippoc. assignatas, Secundo Acutorum citato; quarum prima est; repentina præter consuetudinem panis deglutitio; Secunda æstus ventriculi. Prima habetur ex morbi historia, dum referunt juxta Italici sermonis vim, quod in convivantium consuetudine, dum vellet comedere, assumpto pane, cum manducasset, & deglutiisse, sed cum sensisset quandam commotionem circa os stomachi, rejectum esse panem. Ex quibus colligitur, à pane confertim deglutito læsionem aliquam in ore ventriculi subsecutam esse, cujus sensus semper exquisitus primam renovat molestiam, ideoq; panis rejicitur. Secunda habetur illis verbis historiæ, quod eructationes sunt nidorulentæ, dejectiones biliosæ, & quod insignis æstus percipitur in ore ventriculi; atq; ita panis attritus, conversus in naturam recipientis rejicitur tanquam ventriculo infensus; cùm habeamus ex eodem Hippocr. Secundo Acutorum citato, quod panis calidus assumptus maximam turbationem facit in ventriculo, sitim infert, & repentinam plenitudinem inducit. Has ergo ob causas, præter occultas, panem deglutire non potest, quanquam ipsum apperat, ex memoria delectationis ab ipso perceptæ, quando ventriculus erat naturaliter constitutus. Plus enim potest præsentia objecti molestiam inferentis, quam memoriæ præteritæ oblectationis. Ita usu venit in aliis omnibus naturaliter abominabilibus, quod tunc tantum aversionem inducunt, quando sunt præsentia, & actualiter operantur.

Ex his apparet, difficillimam fore præsentis affectus curationem, non tamen impossibilem. Quoties enim cunque expurgatus fuerit ventriculus ab excrementis biliosis, discussique flatus, ac tandem æstuans ventriculi intemperies refrigerantibus contemperata, convalescet æger.

Purgatio propterea ex Viri Præclarissimi consilio instituenda. Atq; interea quæ proposita sunt, valde commendo fonticulum dextro femori inustum. Aquas Catasanianas tanquam detersorias quam maximè laudo, cum dejectoriis triduum potui datas ad libras tres circiter. A quarum usu aquas Villenses in agro Lucensi. vel nostras Beatæ Virginis, vel aquas Ficuncellæ in agro Senensi, vel etiam Nocerianas summoperè profuturas existimo. Copiosè bibantur quindecim dies circiter, cum diureticis non dulcibus puta emulsione sem. melonum, cremore tartari, & spiritu vitrioli, vel salis, incipiendo à libris sex, & singulis diebus addendo libram, ad tredecim usq;: mox singulis diebus libram subtrahendo, ad libras sex, præmissa parca cœna, quod facilius permeent. Quod si liberè fiat, ut spero. cùm hypochondria benè habeant, supersedebit quindecim dies ipsarum usu plus minus ad libitum; atque iterum ipsas assumet. Nil enim magis extinguet æstum ventriculi, sineque aliquando dejectoriæ, cum majori dosi cremoris tartari; ita namque excitabitur appetitus, juxta Hippocr. in Epidemiis: Aqua vorax, & vigiliæ voraces. Caput interim Errhinis purgetur: hepati

refrigerantia applicentur: alvus continuò lubrica servetur. Ventriculo nil extrinsecus apponendum: quoniam à jecoris refrigerio ventriculus roboratur. Panis interim siligineus variâ formâ aniso, fœniculo, & coriandro condiatur. Et hæc in medium quæ afferrem habuit, committendo omnia prudentiori alicujus judicio. Obiit autem sex mensibus à morbo, impedita deglutitione omnium solidorum, vel liquidis ipsis dissolutorum. *Idem ibidem.*

Rarissimus affectus, in quo æger cibum quamvis solidum & durum, absq; difficultate: Potum non sine suffocationis metu deglutiebat.

Soloduri cuidam sexagenario, Domino Urso Rouchti nomine, cujus etiam in aliis ad te literis mentionem feci, quùm catarrhus ad sinistrum latus delapsus esset, non tantùm paralysis istius lateris sequuta est; verùm etiam deglutitio adeò depravata fuit, ut liquida omnia, præsertim vinum non sine suffocationis metu deglutire posset: reliqua verò quamvis solidissima facillimè, ad ventriculum descendebant. Quùm itaque liquida sorbere non posset, & solidis non satis nutriretur, tandem ad summam imbecillitatem, lapsumque virium pervenit. Ego tertio Aprilis Anno 1620 ad ipsum vocatus, primò pilulis (quas facillimè deglutiebat) corpus leniter leviterque expurgavi: deindè omnia quæ ad vires instaurandas requirebantur, exhibui. Et quia, ut dictum est, liquida, inprimis vinum sine suffocationis metu sorbere non potuit, jufcula utcunque spissa præparavi, additis vitellis ovorum: pro potu lac amygdalarum dedi. Latus resolutum oleis convenientibus & aquis appropriatis inunxi. Collo sacculum ex radicibus, herbis, & floribus resolventibus & corroborantibus, in aquâ coctis, applicui. Hinc cùm Symptomata omnia multùm imminuta fuissent, & latus resolutum ferè restitutum esse videretur: liquida quinetiam facilius quàm antea sorberet: quæ supererant facienda, domesticis administranda reliqui. Verùm enimverò non diu post meum abitum, quùm catarrhus iterum inopinanter ad latus sinistrum & laryngem decidisset, omnia deteriora evaserunt: catarrhus enim denuò, maximo cum impetu ad latus sinistrum & laryngem delapsus est, & de novo paralysin induxit quapropter cùm nihil liquidi deglutire posset, nec solidis satis reficeretur corpus; vires quinetiam propter longitudinem morbi (antea enim femoris os sibi fregerat, quemadmodum aliàs ad te scripsi, neque penitùs à fracturâ restitutus fuerat, cùm paralysi corriperetur) prostratæ essent, brevi naturæ debitum persolvit.

Porrò Vir Amplissime, quænam hujus affectus tam rari tamque difficilis fuerit causa, pro summo ingenii tui acumine, nobis quæso expone. Ego sedem mali in Epiglottide, illamque simul & adjacentes partes in ipso quoque momento, cùm paralysi corriperetur, humore viscido imbutas fuisse, existimo. Hinc Epiglottide cùm laryngem asperamque arteriam exactè obtegere non posset, facilè fieri potuit, ut liquida, & inprimis vinum, quia tenuium est partium, ad ipsam arteriam asperam pervenerit, & suffocationis metum excitaverit; duriuscula verò ratione crassitiei & ponderis, operculum asperæ arteriæ depressérint, & proindè sine difficultate ad ventriculum pervenerint. Est & alia causa quæ mortem acceleravit, nimirùm aër frigidus, qui, non satis obturatâ asperâ arteriâ suo operculo, facilè ad pulmonem perveniebat, & calorem vitalem præter modum refrigerabat.

Quantum autem aër frigidus hoc modo, cum impetu & in copiâ ad pulmones delatus, facultatem vitalem prosternat, in morbo etiam meo expertus sum. Cùm enim propter vehementissimam tussim, epiglottis tandem quoque ita labefactata fuisset, ut asperam arteriam non satis promptè obtegeret; & tussiendo, aut etiam oscitando aër frigidus ad pulmonem perveniret, vires protinùs ad lipothymiam ferè usq; prostratæ fuerunt. Tandem necessitas me edocuit, ut tussiendo, linteo calido (quod continuò in promptu habebam) nonnunquam quoque volâ manus os obtegerem, tussiendoque auram calidam ex linteo attraherem. Hoc enim modo lipothymiæ multò minùs sequebantur. His vale, Vir Amplissime, & me, ut facis, amare perge. Raptim Bernæ, 30. Aprilis, 1621. *obs. 37. Guil. Fabricii Hildani.*

Anatomica inspectio.

Vir honestus 56. circiter annos natus in tantam incidit deglutiendi difficultatem, ut cùm aliquid in ventriculum exinanitum ingerendum pro vita conservanda veniret, non tantum solida viam sibi in medio œsophago præclusam invenirent, sed etiam liquidorum illàc transitus adeò impeditus foret, ut plures conatus qualibet vice per horæ ad minimum quadrantem essent impendendi, subsequentibus etiam ingestorum quæ à parte læsa ad fauces usque restagnabant vomitionibus, antequam guttula una aut altera sibi viam aperiret in ventriculi concavum, quò demùm peracto aliquid liquidi ulterius absumere imò pultem tenuiorem ex lacte & farina aut pane confectam vorare valebat. Nec aliquid in subsidium poterant vel instrumenta Chirurgica ordinaria, vel alia quæcunque à nobis excogitata, quin vitam sic miserrimam per annum & dimidium transegerit, tandemque marasmo, nulla tamen adveniente febre, præterquam ultimis diebus, confectus obierit. Cadavere in casus tam rari causam retegendam aperto, vidimus tuberculum in parte œsophagi media eo latere quo tracheæ arteriæ adjacet situm, non equidem admodum magnum, sed quod in cancrosum quid jam abierat, lividum enim atque etiam saniosum, varicosisque vasis refertum apparebat. Unde satis constitit non tantum tumoris corpore viam impeditam fuisse, sed etiam succo stiptico inde continuo quasi transudante œsophagum eâ parte constrictum non parum alimento transgressuro, obstitisse. Similem propè historiam proponit Clariss. Willis Pharmaceutices rationalis parte prima sect. 3. cap. 3. his verbis. Vir robustus & aliter satis sanus, à longo tempore vomitu crebro laborans, comesta quæque sæpius, etsi non semper, mox rejicere solebat: Tandem victis omnibus remediis morbus in eum statum devenit; ut valde esuriens comederet ille, donec œsophagus ad gulam usque impleretur, dein nihilo in ventriculum illabente, ingesta quæque cruda regereret; Cùm pharmacis nihil juvantibus præ fame summè elangueceret, & propediem interire periclitaretur, instrumentum ei instar virgulæ, è pinna cetacea, cum spongiæ fibula apici ejus affixa parabam; hoc ægrotans statim à cibo & potu assumptis gutturi, unaque œsophago immittens, alimenta secus restagnatura in ventriculum, orificio ejus reserato, detrudebat: atque hujus ope per sedecim annos pabulum quotidie sumsit: eademque adhuc machina utitur, & etiamnum vivit valetque, secus inedia periturus. Procul dubio in hoc casu os stomachi, sive à tumore, sive à paralysi semper occlusum, nihil, nisi violenter reseretur, in ventriculum admittit.

Deglutitio impedita à Broncocele Oesophagum utrinque constringente, & tumore atheromaticô ejusdem Oesophagi.

Lectissima Virgo, annos præter propter quadraginta nata, postquam variis morbis ac præcipuè affe-

ctibus

ctibus phthisicis, per plurium annorum decursum, conflictata fuisset. Eò tempore quô ab iis omnibus evasisse, & valetudine satis integrâ frui credebatur, in deglutiendi aliqualem difficultatem incidit, quæ per menses sensim aucta, cum adjunctâ febri de lentarum genere, eiq; subinde Intermittentium spuriarum paroxysmis intermistis; nihil prorsùs ad mali eradicationem facientibus selectioribus remediis intùs & extra adhibitis, tandem post annum & dimidium in absolutam impossibilitatem aliquid degluriendi incidit: unde necessarium fuit injectô per syphonem alimentô eam ad tempus enutrire, die 25. Julii anni 1717. inter loquendum, & dum ipsi injectio enutriens parabatur, subitò suffocata obiit. Die subsequente 58 horis matutinis, cùm morbi sedem attentius indagaremus sub musculis colli reperiebamus glandulas thyroidæas utrinq; non parum tumefactas ac induratas; imo Interius ita protensas, ut non tantùm œsophagi latera comprimerent, sed etiam subtus exporrectæ, eum undiq; circumcingerent; laryngem verò circa, nisi ad latera, omnino liberô. Oesophagum prætereà, vidimus quasi scirrhosum, & sex circiter lineas crassum, ab eâ ipsius parte qua tracheæ annulo quarto usq; ad annulum nonum subjiciebatur, & per totum hunc tractum à glandulis tumefactis indivisibilem. In ea œsophagi tumefacti extremitate quæ tracheæ annulo nono subjacebat, interiùs aderat tumor atheromaticus, magnitudinem ovi gallinacei minoris æquans, œsophagi canalem omnino obstruens, & è quô recenter disruptô effusa fuerat in ventriculum usq; materia quasi sebacea, seu potiùs cerebrum alicujus animalis excoctum referens, qualis etiam erat tota illa quæ in hôc inferiori tumore concludebatur. Ex eâ autem effusione procul dubio enata est subita suffocatio, & mors promptè advocata in debilissimô subjectô, ac innumeris affectionibus, imò & inediâ prægressâ, jam prorsùs attritô.

DENTALIS LAPIS. vid.

DENTIUM MORBI.

De quibus jam per

Curationes, Consultationes & Observationes ex variis.

De Variis Dentium Affectionibus ex Clariss. Antonio Nuck. ac Ju. *de Dolore Dentium.*

Inter alias corporis nostri partes, Intolerabili aliquando dolore affectas, primas sanè tenent Dentes, qui varias ob causas tantis non tarò afficiuntur cruciatibus, ut patiens (omnibus incassum adhibitis medicamentis) doloris acerbissimi impatiens, eundem ampliùs perferre non possit.

Huic incommodo, ut succurreret Ars Chirurgica, Instrumentum, quô dolor hic momento citiùs, & quasi incantamentô tolli posset, excogitatum Instrumentum hoc *Cauterium actuale* est, quod ignitum *Antitragum* leniter tangit, & cutim, unà cum subjacentibus nervulis, à secundo pari vertebrali oriundis, adurit.

Ut autem tutius hæc Operatio absolvatur, cannula sive vagina necessaria erat, quæ cauterium dictum transmittens, impedimento esse posset, ne latera auris viciniora lędantur.

De Dentium Extractione.

Dentium Extractio feliciter ut succedat, unusquisque Operationem hanc instituturus, exactam eorum ut & alveolorum habeat notitiam, per quam necessarium existimamus. Magna siquidem uti inter Dentes, sic & alveolos observatur differentia. *Dentium minimi* unicâq, tantùm radice donari *Incisores, Longissimi Oculares* & *Canini, Crassissimi Molares* appellantur, pro quibus etiam duo, tres vel quatuor radices, totidemque alveoli numerantur.

Gaudent quoq; dentes suis vasis sanguineis pariter & nervosis: Sanguinea vid. licet arteriosa à Carotide, Veniosa a Jugulari, Nervosa à nervis oculorum motoriis & gustatoriis accipiunt, quæ per peculiaria foramina illos ingrediuntur. *Minora* tamen vascula *Incisoribus, numerosiora Molaribus*, (quorum quęlibet radix ramum accipit) *majora Caninis, maxima* vero *Ocularibus* dentibus sunt destinata.

Quibus consideratis haud difficilè colligitur, cur quidam dentes facilius, quidam verò difficilius & cum periculo extrahantur.

Ad hanc autem Operationem debitè exercendam varia requiruntur instrumenta: Aliis enim dentes Canini & Incisores, aliis Oculares, aliis Molares & Sapientię, aliis deniq, dentium frusta & fragmenta evelluntur.

Instrumentorum huic scopo convenientium sequentia potissimum in usu sunt:

1. *Pedes Caprini.*
2. *Rostrum Corvinum.*
3. *Forcipes dentaria varia.*
4. *Pelicanus.*
5. *Dentiscalpium.*
6. *Trulla.*

Antequam verò Extractio instituatur, explorandum an vacillet dens, vel carie sit consumptus, imò an etiam possit aut debeat extrahi benè perpendendum. Dedecori namq; Chirurgo esset, nec parum ejus fama detrimenti caperet, si sine successu Operationem institueret, speciatim ubi ad Principes, Magnates & Matronas delicatiorea vocaretur.

Prætereà, quoniam Symptoma aliquod urgens, molesta scilicet hæmorrhagia dentium extractioni subinde supervenire solet, Stypticum medicamentum necessariò ad manus esse debet, *Linteum* v.g. *carptum* vel solum, vel *succo Citri* madefactum. Vel

℞. *Fungum (Belg. Bovist) ejusq; particulam extracti dentis alveolo immitte.* Vel

℞. *Linteum Ustum (Belg. Tintel.)* Vel

℞. *Pulv aut Caput mort. Vitriol.* Vel

℞. *Chartam Emporeticam oleo Vitrioli madidam; hanc sicca, siccatam iterum madefac, madefactam denuo exsicca, hocq. ter quaterve repete, tum charta hujus siccata & præparata portiunculam parti sanguinem fundenti admove.*

Si verò hisce non cedat hæmorrhagia, cauterium adhibendum.

Ut itaq; extractio feliciter procedat, gingiva ab ipso dente *separatorio* instromento prius separanda, (ni jam ante à Scorbuto consumpta fuerit) quia aliàs gingivæ firmiter aliquando dentibus adnatæ dilacerantur. Mox *Pede Caprino*, si ex *Incisoriis* fuerit ex alveolo dens expellitur. *Ocularis* aut *Caninus Forcipe Dentaria* vulgari extrahitur, quamvis aliquando (ubi cariei nota impressa conspicitur) hujus extractio *Pelicano* felicius peragatur.

Dentes verò *Molares anteriores* convenientius *Pellicano cum brachiis rectis*, *Molares posteriores Pelicano cum brachiis curvis* melius evelluntur. Ad Dentium denique frusta extrahenda *Rostrum Corvinum* potissimum convenit.

Gravidis aut nunquam aut rarissimé dentes sunt evellendi, præprimis Oculares, quòd fœtus oculorum vitio aliquando exinde fuerit affectus.

Subinde Dentes extra seriem prominentes, oblíquè versus interna aut externa nascuntur. Horum

prominentiæ tantillum limâ corrigendæ, non tamen eo usque auferendæ, ut dentis cavum in conspectum prodeat, ne intolerabilis Odontalgia exinde propullulans, patientem nimis excruciet. Idem malum facilè supervenire solet, si *Forcipe incisoria* Operatio hæc instituatur.

De Dentium mobilitate, Casu, & Dentibus Artificialibus.

Mobiles sæpe fiunt dentes, vel quòd gingiva laxior reddita, dentibus firmiter non adhærear, vel eâdem acri quodam humore ad alveolos usque consumptâ denudentur, minùsque stabiles reddantur. Quo in casu gingivæ blandioribus astringentibus Antiscorbuticis permixtis roborandæ, quale est medicamentum *Ettmulleri* sequens,

℞. *Radic. Bistort.* ℥ß.
Flor. Ros. rubr. ʒij.
Balaust. ℈iv.
Alum. Ust. ℈ijß.
M. cum S. q. Spirit. Cochlear. Vel
℞. *Herb. Scord. sicc.* p. j.
Myrrh opt. ʒß.
Alum. Ust. gr. vj.
Coq. leniter in Vini alb. Gall. ℥iij.
Colat. ℥ij. *add. Mell. alb. opt.* ʒiij.
Spir. Vin. Caphur. ʒijß.
Cochlear. ʒj.
M. F. oris & gingivarum collutio.

Hæc mixtura in plerisque oris vitiis à Scorbuto oriundis magnæ quoque est efficaciæ. Vel

℞. *Herb. Salv.*
Rorismarin.
Flor. Ros. rubr. aa. p. j.
Myrrh opt. ℈ij.
Alum. Ust. ℈j.
Carioph. N. vj.
Coq. in Vin. Gall. & aq. Chalybeat. aa. ℥ijß.
Colat. ℥iij. *add. Mell. Ros.* ʒvj.
Spir. Cochl. ʒj. *M.*

Ad corroborandas gingivas, dentésque dealbandos Matronæ quædam Parisienses sequenti pulvere, ut secreto utuntur.

℞. *Os. Sep.*
Corall.
Cremor. Tart.
Lapid. prun. aa. ʒijß.
Bol. Rubr.
Pulv. Rosar. rubr. aa. ℈j.
M. F. Pulvis, quo dentes quotidie fricentur.

Præter gingivam malè affectam duplici de causâ Dentes cadunt: vel quòd à semine (sive novo dente) dens alveolo expellatur, vel quòd ob vasa sanguinea malè affectâ, nutrimento destitutus, decidat.

In priori casu totum opus naturæ relinquendum; In posteriori verò (quum sermoni articulando Dentes multum auxilientur) *Artificiales* conficere, & in deperditi dentis locum substituere, sæpius necessarium.

Nihil quidem frequentius, quàm ex *Ebore* eosdem conficere, confectos alveolis immittere, filoque serico aureove vicinis dentibus adalligare. Verùm quum hi brevi temporis spatio & à saliva & à cibo potuve assumto notabili flavedine tingantur, rectius ex *Hyppopotami dente* conficiontur, præprimis si cortex ejus exterior in vero colore superbiat. Hæc enim si adfueri, ad aliquot annos ejusmodi dentes naturali albedine illibatâ semper remanentes, gestare possunt.

Si omnes maxillæ inferioris dentes nullô remanente decidant, integra dentium series ex frustô eburneô, vel Hyppopotami dente conficienda erit, atque intra labium ita disponenda, ut motâ maxillâ inferiore, eadem quoque moveatur, cibusque ore assumtus quodam modo adhuc comminui possit.

Dentium morbi ex Clariss. Michaele Ettmullero

Dentium vitia sunt si deficiant, si vacillent, si stupore aut dolore afficiantur.

Deficiunt dentes, vel proprio vel alieno, gingivarum vitio, infra, ubi de dentium vacillatione, prolixius explicando. Proprio vitio, dum evelluntur, aut excutiuntur à quavis causa externa, vel alterantur, ut tanquam minus viventes non amplius cum gingiva viva cohærere queant, sed sponte sua decidant. Ut enim mortificatum, v. gr. cariosum os, cum vicinis partibus, vita communi & propria pro ratione spiritus influi & insiti gaudentibus, uniri nequit, sed necesse est, ut excidatur & separetur, quo cum vivo esse partes subjacentes molles, viventes, consolidatione debita, nutrimento mediante uniri denuò queant: ita & dens minùs vitalis non jungitur ampliùs gingivæ, sed ab hac separatus excidit, idque.

1. Si mortuus fuerit propriæ ætatis, adeoque senili sui ratione, de quo videatur *Helm. alimenta Tartari insontia* §. 25.

2. Si ab externis nimis lædatur & vitietur ut sunt nimis frigida, aut copiosiùs assumpta dentibus inimicissima, & quæ senium eorum accelerant, item nimis calida, dentes & gingivas quasi amburendo alterantia, eaque vel crebrius assumpta, vel dentibus admota, à quibus successive ita penetrantur & arroduntur dentes, ut frustulatim tandem excidant. Quò facit perversa plurium consuetudo, dolores dentium vel aceto simplici vel per coctionem medicato curantium, à quibus stupefiunt non solum omninò dentes, & insensibiles sic fiunt subtiliores illorum intimæ fibrillæ, sed & ipsi dentes simul mortificantur & corroduntur.

3. Nimis viscida & glutinosa dentibus inimica sunt, ut sunt omnia dulcia, saccharum, ficus, uti & caseus &c. hæc ipsa enim, ut prompte & tenaciter dentibus adhærendo, transpirationem eorundem propter necessariam nutritionem impediunt, ita & successivè acorem attrahunt qui continuata sui adhæsione, successivè eosdem alterat, hinc & lac, & qualibet lacticinia, ob hanc rationem inimica dentibus observantur, eò usque ad sui corruptionem sive cariem & successivam deficientiam disponere. Hæc ipsa gingivas simul plus minus alterando, & laxiores flaccidiores reddendo, indeque nutrimentum pro dente, per gingivas transmittendum, corrumpendo, ipsos dentes insigniter lædere valent.

4. *Carie* denique plus minus exesi dentes à lapide dentali sive lichodonto obsessi seu sordibus variis inquinati, nigrique ac fœtidi redditi, minus firmiter gingiva cohærent sed successive decidunt. Quæ posteriora vitia non nisi ex vitiata dentium nutritione privata, undecunque primitius orta, originem ducunt. In quem finem noto, nutriri dentem, non solum per propria sua vascula, arteriolas & venulas, circa sui radicem implantatas, sed lateraliter etiam, ex adhærentibus ipsis gingivis, unde & tam firmiter eatum quoùsque sani sunt, est nexus, ut dens sive osseum concretum, ex se indolens, quousque gingivis investitur, acutissimi tamen fit sensus? adeo mutuæ vitæ & nutritionis dentes sunt participes.

Ac sanè particularis, ac præ aliis partibus, propria dentibus est nutriendi ac augmentandi ratio, adeo ut, cum continua attritione necessario imminuantur, nisi

nisi nova eaque continua augmentatione reparentur, brevi penitus absumerentur. Quod ulterius ex eo patet, quod uno evulso vel elapso, vicini utrinque se dilatare magis soleant, & ex opposito ipsi respondens oblongari nonnihil, & prioris spatium aliquantulum subintrare observetur.

Cariem igitur dentis quod attinet, hæc est *arrosio dentis, nunc major, nunc minor, qua insensibiliter substantia ejus absumitur, & nunc successivè excavatur, nunc altero latere pedetentim consumitur, donec successivè magis corrosus frustulatim excidat.* Inchoat malum ut plurimum in parvo puncto extrinsecus quod nigrescit primitus, hinc foraminulum aperitur, sicque ad interiora ejus penetrat, quæ quò teneriora ac molliora, indeque faciliùs dissolubilia, eò promptiùs absumuntur, & dentem cavum reddunt. Conjungitur tunc, ad interiora, ubi penetraverit corrosio, dolor, nunc major nunc minor, prout radicem dentis nerveam diversimodè simul arroserit. Ex corroso ita dente nata sanies, ubi per dentis foraminulum relictum, ceu per fistulam, liberum spatium effluendi haud nacta fuerit, sed interiora magis ac radicem dentis unum alterumve, speciatim in maxillaribus, vitiaverit, acrimonia sua nunc gingivam, nunc ipsam maxillam rodit & præsertim per illa hujus foramina, per quæ vasa in dentes [illegible]eunt, sensim extra effluit, & tubercula, nunc in gingivis, nunc sub maxillis, excitat, quæ tandem excisa saniosum acre liquamen fundunt. Et licet curetur tale tuberculum & excitatum ulcusculum, subinde tamen, quoties ex carioso dente sub nutritione vitiata nova sanies generatur, recidivat, & interdum in fistulam vel gingivæ, sive maxillæ, degenerat, adeo ut talia curari nequeant, nisi dens læsus evulsus fuerit. Fœtorem etiam subinde dentes cariosi inferunt, halitum oris inficientem præsertim si major fuerit eorum excavatio, ut alimenta carnosa retenta in eadem putredinem attrahere queant. Imò ex nutrimenti den is cariosi proprii corruptione, aut alimentorum masticatorum in iisdem retentorum putredine, vermes in eorum cavitatibus generantur, gravissimorum dolorum aliorumque malorum autores.

Causa cariei est læsa dentis quacunque occasione nutritio sive gingivarum vitiatarum, & à contiguo dente abscedentium, indeque ejus lateralem nutritionem impedientium, (unde scorbutici, gingivæ vitio, omnium frequentissimi cariem patiuntur) eveniat causa, sive ipse dens sub nutrimenti assimilatione, aut hujus successiva transpiratione frustratus ex illius corruptela, & in acidum corrosivum degeneratione, cariem pedetentim contrahat. Acidum itaque ex nutrimento dentis degenerato, tandem corrodens cariem inducit. Causæ remotæ rationem habent, tum omnia dentes alterantia supra allegata, quàm infra circa gingivas, alleganda.

Quoad lapidem dentalem sive lithodonton (ut vulgò ex varia, persuasione vocant Tartarum dentium;) hujus ortum & genesin optimè delineavit *Helmont. Tract. alimenta Tartari insontia* §. 22. nempe nutrimentum dentium laterale ex gingivis depravatum, sub sui perfecta cum dente assimilatione frustratum & vitiatum, sicque in excrementitiam plus minùs naturam degenerans, adhærescit saltem, superficie tenus denti, ibique quia jam ad duritiem dentalem ex aliquali sui pro nutriendo dente alteratione, determinatum fuit, ad indurescentiam quasi lapideam dentalem, coagulatur saltem, & talem, plus minùs tamen friabilem duritiem acquirit, simulque quicquid mucilaginis ciborum ac potuum imbiberit, simul secum fortiter indurat. Nunquam igitur sanæ gingivæ & quæ cuspiduli figura ad dentis medium assurgunt, hancque firmo complexû retinent, dentalem hunc lapidem generare solent, bene autem laxæ, flaccidæ, cruentæ, minusque aptè dentibus adhærentes, adeòque externis injuriis ad sensilem dentis partem aditum permittentes, nec commodum nutrimentum suppeditantes, sed potius etiam laudabile pervertentes, hoc malum inducunt. Par omnino est ratio sordidorum, nigrorum aliove modo male coloratorum dentium: quicquid enim hic subest vitii, nonnisi productum morbosum ex frustrata ac depravata privata dentium nutritione enatum, sive externa illa supra circa dentium casum, memorata speciatim viscida & dulcia primam occasionem suggesserint, sive gingivarum morbosus status, alterando nutrimentum dentium, & vitiando lateralem ejus nutritionem, in causa fuerit. Sanè ut scorbuticis nil æquè familiare est, ac gingivarum varias subire passiones, speciatim cruentam flacciditatem, ita & in talibus dentium nigrities & sordities frequentissima est. Nigrities sanè dentibus adhærens, quid nisi extravenati ex gingivis, plus minùs corrupti, & acore infecti cruoris dentibus adhærentis vestigium est; à cujus hostili præsentia, ut irritantur gingivæ, & inviscantur dentis pori, ita ex facili hinc acescentia erosio & cariei successivus progressus. Juxta læsionem gingivarum & dentium læsu, indeque sordium excrementitiarum pluralitas ac veritas æstimanda; Hinc & ab inunctione Mercuriali pro cura luis venereæ similive concitata salivatione, uti notabiliter vitiantur gingivæ, ita nigrescere subitò, & pluribus sordibus inquinari observantur dentes,

Quoad Curas.

Dentes excidentes aut deficientes reparare, solius naturæ est, quæ in junioribus, per recentium dentium subnascentiam priores alveolis suis extrudit, & defectum ita restituit. Quamdiu itaque dentium novorum primordia & quasi semina inter gingivas restitant recondita, novi dentes, post priorum defectum renasci facilè possunt; id quod non tantùm genuini sive sapientiæ dicti dentes comprobant, sed quod etiam interdum in senectute dentes renasci observati fuerint. Arti quod relictum est, saltim defectus illos naturæ nonnihil supplere, artificiales dentes, ex ebore, vel dente hyppopotami, fabricatos in istorum locum substituendo, pro loquelæ saltem gratia, non autem pro melioris masticationis beneficio. Equidem exempla quædam prostant dentium sanorum ex homine recenter revulsorum, in proprios vel alienos alveolos denuò insertorum firmiter cum gingiva coalitorum, tanquam si nunquam dens defuisset, ita ut etiam masticatio fortis hoc modo perfici potuerit. Sed quoniam adeò incerta res nondum confirmata est, eam in medio relinquo. Vid. observat. Schenchii pag. 202. ex Paræo l. 1. c. de dentib. Item Riverium in observ. comm. pag. 357. vel 615. Borell. lib. 2. observ. 10. p. 18.

Quoad cariosos dentes; equidem præsentissimum remedium est cariosi evulsio, interdum etiam necessarium, si longius processerit caries, cùm facilè aliàs contiguus dens contagio carioso inficı, & hinc idem malum contrahere possit. Ut taceam, confirmatam cariem, alia ratione quàm evulsione, curari non posse. Quamdiu verò vel nondum eousque processerit malum, vel propter pericula, sub dentium evulsione interdum observata, hæc nimis metuatur, remediis res tentanda est, cariei progressum ulteriorem inhibendo.

Evulsio

Evulsio appropriato peragitur instrumento ac succedit eo melius, quo minus firmiter dens hæserit, & quo magis idem vacillaverit. Quo autem disponatur ad facilem, magis & minus dolentem, evulsionem, remedia quædam à nonnullis adhiberi solent, verbi gratia, Tithymali succus denti inditus: aut si ex eo sale & ammoniaco formentur globuli, aut cum farina triticea fiat pasta, & cavitati dentis indatur.

Præter tithymali lac alia ex simili lactearum genere, pari virtute pollent: ut lac ficulneum farinæ admistum, vel ex lacte tithymali cum farina triticea subacta fiat pasta, quæ frixa in pinguedine ranæ facit dentes sine dolore cadere: vel farinæ siliginis misceatur cum lacte cataputiæ, instar pultis, indatur denti cavo, sicque aliquandiu permittatur, brevi sic cadere affirmant, Succus pariter chelidonii majoris, cavis dentibus inditus, eos frangit & ejicit. Pinguedo item ranarum viridium, dentibus affricata, aut iisdem indita, dentium casum promovet, nempe coquuntur ranæ in olla vitreara. affusa aqua communi, & pinguedo quædam innatabit, quæ dentis evulsionem promovet.

Vel ℞. Gumm. ammon. sem. hyoscyam, succi ejusdem an. ℥i ß. Mistis addatur Pinguedinis ranæ viridis ac ceræ parùm F. unguent. denti extrahendo applicandum vel indendum.

Cariei verò ulterior progressus per artem, & medicamenta inhibetur, efficacissimè imprimis per inustionem dentis cariosi in loco carioso cum cauterio actuali, sive ex ferro, sive ob subtilitatem commodiorem, ex argento vel auro facto, quo facto auro foliato dens cavus repleatur. præservatur enim sic à majori putredine & corruptione: vel ex cera cum myrrha probe subacta, vel potius ex cera viridi, propter admistam æruginem, impleatur dentis cariosi excavatio. Ipsa myrrha denti indita, egregia est in hoc casû. Confer hîc River. in observat. communic. pag. 309. ubi refertur, quod dentes terebinthina implentur, & cauterio actuali dens inuratur in carie. Loco actualis cauterii, ubi necessum visum fuerit, potentiale adhibeatur: Sic aqua fortis denti carioso admota vel spiritus vitrioli ad gutt. 1. vel 2. bombaci inditæ, ac denti adhibitæ, mire corrosionem juvare & præservare dicitur. Item Zingiber in oxymelite coctum, & in cavernam dentis immissum, præservat corruptionem coralliorum pulvis denti cavo inditus, vel ossa sepiæ, item camphora cariei ulteriorem progressum inhibent: vel ex pulvere coralliorum alborum cum melle rosato ad consistentiam linimenti crassioris redacto dentibus illitum cariem inhibet.

Fœtorem dentium ablata caries sponte curat: sin minus gallia moschata cum cypero & mastiche mista, denti cavo indatur. Tollitur & fœtor dentium, si abluuntur aqua in quâ sal armoniacum solutum, post prandium & cœnam.

Vermes ex dentibus elicere subinde necesse est. Præstat hoc optimè Sabina in vino decocta & in ore retenta, quæ copiosius vermes elicit. Fumus item seminis hyoscyami specificus est, per infundibulum susceptus ore, mirabiliter vermes expellit. Confer. Act Med. haff. volum. 1. pag. 209. Suffitus item sive fumus ex fructu halicacabi contuso, cum cera mixto, facta exinde pasta, & in laminam ferream ignitam injecta, fumum suggerit, quo ore excepto, catervatim vermes cum sputo copioso rejecti, & crudelissimi dolores sopiti, observati fuerunt. Spiritus sulphuris quoque dentibus cum bombace inditus vermes optimè necat, & dolorem inde oriundum placat, vel ex pulvere gallarum, cum succo rad. pyrethri impregnato paratur remedium, quod denti inditum vermes expurgat sevum cervinum quantum contra vermes dentium valeat. Vid. Bartholinus centur. 3. histur. 96.

Quoad Tophos (sive Lithodonton) dentium eorumque sorditiem & nigritiem, ne ab his dentium caries, crebrior dolor, aut præmaturus casus superveniat, cura instituenda venit, per ea, quæ sordes dictas abstergere, vitiosum earum acidum, gingivis & dentibus hostile, absorbere & hinc blanda adstrictoria vi gingivarum tonum roborare valent: quod si longius processerit malum, & tenacior mucus dentes vitiaverit, potenter incidentia & dissolventia, & quidquid heterogenei fuerit absumentia & quasi exedentia adhibenda erunt, habendo semper respectum ad scorbutum plus minus. Convenient igitur in leviori malo ossa sepiæ, CC. ust. mandibul. luc. pisc. testæ ovorum calcin. cinis majoran. rorismarin. urina calida, cum qua fricentur subinde dentes & gingivæ: Tartarus calcinatus aut parum salis tartar. ust. &c.

Duriora subjecta lapidea ex silicibus, pumice, &c. vitanda sunt, quia crebriori usû gingivas atterere & absumere valent, ut rectè monet *Zvvelferus* in Pharm. reg. pag. 101. nisi ubi fortius agendum: tunc enim paulo tamen rariùs adhibita, talia minus nocent. Exempli loco sit farina virginea Mynsich. egregie dentes dealbans, & à tartaro corrosivo purgans.

Hisce modò dictis convenienter radix Irid. Flor. additur, præsertim quod & ipsa conveniat propter odoris gratiam, propter quem ultimum finem non inepta. Paratis dentifriciis aliquot guttæ olei destill. caryoph. aut lign. Rhodii possunt addi. Quod si dictis pulveribus color purpurascens conciliandus, Coccionigliam in aqua aluminis solvamus, & soluto aspergamus pulverem, qui exinde rubescit, sed leni admotus igni idem purpurascit. Quod si pertinacius fuerit malum, sordes tenaciores, obstinata nigrities firmius dentibus impacta, ac firmius conglutinata lithodontes, optimum remedium est spiritus salis cum melle ad gratiam saporis, vel quantum placet mistus, & ita gingivis illitus. Spiritus vitrioli suspectus est, cujus loco oleum sulphuris in aqua communi dilutum, vel cum melle rosato subactum adhiberi potest. Pertinet huc opiata Borelli cent. 2. observ. 65. ad gravius malum præsertim conveniens. Non incommodum est, si recipiatur vinum, cui permisceatur spiritus sulphuris, ut acescat, huic immitte radiculam polypodii per 24. horas, hunc sicca & utere pro dentifricio, firmat, mundat, & candorem iisdem inducit. Et ea quæ de spiritu vitrioli refert Riverius in libro sexto pras. capite secundo, potius spiritui salis, quàm spiritui vitrioli applicanda veniunt. Quo etiam facit ejusdem liquor ex auro usto, hic egregiè conveniens citato loco.

Pulvis dentifric. Principissæ Altenburgensis.

℞. Oss. sæpiæ, CC. ust. pumic. præp. an. ℥iiß. moschi ℈j, M F. pulv. cui adspergatur spir. rosar. ℥ß. & sicca. Interim.

℞. Gran. cherm. Santal. rubr. an. spir. vini q. s. pro extrahendo Tinctura, qua irrota aliquoties prædictum pulverem, & sicca. Non incommodum est hujusmodi pulveribus dentifricis sal armoniacum subinde addere, dentibus, gingivæ, ac omnibus oris partibus imprimis conveniens.

Quod attinet dentes vacillantes sive minus firmiter gingivis connexos hoc vitii contrahunt propriâ vel alienâ, gingivarum culpâ. Propria eadem est, sed in minori saltem gradû, quæ & dentes decidere penitus & cadere facit, de quo superius sufficienter actum. Aliena gingivarum culpa consistit in eo, quod fibrosa illarum caro vel mollis, sive flaccida, vel

simul

simul tumida, vel etiam nonnihil exulcerata, adeoque omnibus his casibus plus minus cruenta simul evadat. Rarum est, quod in Schenckii collectis observat. libro primo capite de dentibus pag. 200. refertur, ex defluxione in dentium alveolos, hos gypseâ pituitâ interdum impleri, ut dentes extrudantur. Suspicor tamen non tam ex defluxione, quam lapidis sive tophi dentalis uberiori incremento, potius vitium hoc ortum traxisse. Ita verò mala gingivarum oriuntur frequentissimæ salivæ, vel in genere acrioris, vel in specie scorbutico sapore, sive vitioso acri sale inquinatæ culpa, à qua tenus fibrarum gingivarum resolvi & emolliri, penetrari easdem, & plus minus successivè, non raro sensili admodum cum pruritu erodi assolent, vasculis sanguinis unà per diæresin vitiatis, sanguinem paulatim fundentibus.

Postea & mercurii usus, tam in salivatione excitanda, & hinc acrioris & præternaturalis cujusque copiosioris salivæ profluvium, quàm sæpe etiam pro usu cosmetico applicatus, ordinariò gingivam valdopere laxare, & omnes dentes hinc mobiles quasi reddere solet.

Quòd si ulterius procedat negotium vitiari magis gingivæ, exulcerari profundius, absumi eædem, vel corrumpi etiam, & ad gangrænam disponi assoleot. Malum, quod in genere Scorbutus appellatur.

Quod si firmior paululum gingivarum fuerit textura relaxata, eadem nihilominus sanguinem uberius in se recipit, & spatia intumescit & excrescit carne laxa, flaccida, & sordida, & facilè ad tactum cruorem stillante in gingivarum hinc dicta excrescentia, sive dentium superincarnatione.

Ut igitur moveantur hæc mala, præmissâ debitâ radicis morbosæ internæ curatione, gingivæ flaccidæ, tumidæ, cruentæ adstringendæ, exulceratæ absorbentibus, & mundificantibus ac adstringentibus consolidandæ, corruptæ & plus minus gangrænosæ, ab ulteriori mali progressû præservandæ. Conveniunt igitur Flor. ros. rubr. flor. aquileg. & ex his paratum unguentum de aquil. ad scorbut. oris præsertim proficuum. Descriptio prostat in Tilemanni materia Medicin. CC. & ebur. ust. Lacca & Myrrha alumin. tam crudum quàm ustum lap. cancror. fol. quercus, ligustri, radix ireos, flor bistort. tormentill. flor. malvæ arborescent. nasturt. aqua ruta, salvia, Rosmarin. Ex his vel fiunt Pulver. dentrificil, cujus exemplum vide in Barthol. Centur 6. histor. 54. vel ex iisdem fit decoctum verbi gratia, Ruta in vino decocta, quo calidissimo os eluatur, egregia est contra hos affectus scorbuticos, Salvia. item Rosmarin. decocta in aqua cum pauco addito alumine, egregius est Gargarismus ad dicta dentium vitia vel.

℞. Herb. salv. Man. ij ß. flor. malv. hortens. rubr. Man. j. rad. polypod. unciam sem. Fiat decoctio in lib. j. aqua fontana colatur. adde mellis rosar. ℥ iß. alum. ust. ʒ j. lapid. prunell. ℥ iij. terr. sigillat. ʒ j M. F. Dentiluvium.

Pertinet huc *Gargarismus de Tormentilla Mynsicht. pag. 403. Decoctum ad gingivas roborandas Poterii in pharmac. pag. 313.* Si quoque aliud quid, certè Myrrha & lacca in istis gingivarum vitiis sunt præstantissima. Huic Tinctura laccæ associari solet. Nam sola Myrrha crebrius Masticata præservat egregiè contra scorbutum oris. Tinctura laccæ prostat, *pag.* 48 Armament. Mynf. & Conf. M. C. *Ann.* 6. *App.* 26. *B. D. Michaelis* tincturam laccæ ita parabat.

R. Phlegm. vitrioli q. v. in quo dissolve alumin. q. s. soluta & mista infunde laccæ pulverisatæ donec tingantur M. Porrò ulteriùs mel rosaceum cum spiritu salis tantillo usque ad gratum acorem impregnatum, omnia ulcera & putredinem partium in ore sanat, si præsertim ex scorbuto originem ducant. In specie si simul cum decocto salviæ subinde abluantur gingivæ. Egregium quoque est *linimentum Hartmanni* ad hos gingivarum affectus, quod describit in *prax. chymiatr. pag.* 123. Sed cui non incommode Myrrha addenda venit, ad imitationem *Senn. in prax. lib. 3. p. 5. s. 2. cap. 7. pag.* 635. Cui simile est elegans linimentum contra oris & gingivarum scorbutum, quod habet Deckerus *in comm. in prax. Barbett. pag.* 156. Cujus loco possit etiam recipi.

℞. Alum. crud ʒ iß. flor. aquileg. fol. salv. an. ʒ ij. Rad. ireos fl. ʒ iij. Myrrh. elect. ℈ ij. c. f. q. mell. ros. F. linimentum egregium ad vacillationem dentium scorbuticam. Vel.

℞. Rad. bistort. ʒ iß. flor. ros. rubr. ʒ iß. Balaust. ʒ j. Aluminis usti ℈ ii.

Impregnetur largiter spirit. cochlear. qui ad oris scorbutum est egregius. Hinc in excrescentia gingivarum scorbutica, succus cochlear. cum alumine usto mistus perquam egregius est. Sicuti ad hæc ipsa gingivarum vitia ex scorbuto nullo cedit vermicularis; cujus decoctum cum alumine & melle nobile experimentum est, gargarisando usurpatum. Vid. M. C. *Ann. 6. pag.* 50. In *Digbé Medic. Experiment. part. 2. pag.* 78. Itidem egregia est mistura pro his gingivarum malis ex aq. calc. viv. cum alumine crud. & ust. ac rad. ireos flor. quod in mentem revocat aliam non inconvenientem misturam, efficacissimam in scorbuto oris, nempe cremorem aquæ calcis vivæ supernatantem saliformem.

℞. Hujus cremor. ʒ iij. Gumm. lac. ʒ ij. Vitriol. Cypr. gr. vi. aq. rosar. salv. an. ℥ iß.

Solve calore leni, ut probè impregnetur à lacca, eo laventur gingivæ, probatum est. Ac meritò extollitur usus, laccæ: Nam *B. D. Michaël* aliquando putredinem gingivarum scorbuticam, tantam ut gangrænam minaretur, & propter insensissimum fœtorem nemo juxta ægrum commorari posset, per solam tincturam laccæ, præmissis internis universalibus, feliciter restituit. Juxta laccam hanc nobilissima est Myrrha, verbi gratia.

℞ Fol. salv. alumin. ust. maxill. lucii piscis calcinat. Myrrh. rubr. an. ʒ iß. Mell. q. s. pro linim. ad fricandos dentes.

Quòd si efficacius postuletur, aliquot gutt. spir. salis impregnetur.

In graviori malo ulterius procedendum est, atque sic, præter *linimentum Hartmanni*, supra laudatum, ad unguentum Ægyptiacum melle rosato probè permistum, deveniendum, pro graviori exulceratione, aut inde metuendis malis gingivarum curandis.

℞. Alum. usti, salis armoniaci, an. ℈ j. Mastic. thur. an. ʒ ß. M. F. Pulvis.

Affricandus gingivis, postea quàm ante & post decocto salviæ, tormentill. ac rol. rubr. os elotum fuerit. imò interdum aquâ forti gravior gingivarum luxuries sedanda. Confert item *Linim. Sennert. l. 2. prax. part. 1. cap. 16. pag.* 52. Aut denique aqua viridis ex viridi æris, pauco auripigm. alumine & quibusdam vulnerariis, addito melle in aquam infusis & decoctis, hic commodè adhiberi possunt, quo affrictæ gingivæ à luxurie, flacciditate & putredine detendantur, e.g. sit vel aqu. virid. *Hartm. Pr. pag.* 110. Vel aq. virid. *Plateri* cujus descriptio prostat in fine observationum ejus.

Stupore, tandem sive *Hæmodia* affici dicuntur dentes, sicque masticationem impedire, quando speciali doloris genere afficiuntur, post acida vel assumpta, vel vomitû rejecta.

Cui affine malum est *Alger Dentium*, dum frigoris attactû notabiliter alterantur dentes, nempe acidum & frigus inimicissima existunt dentibus, unde illorum nimia impressione afficiuntur fibræ illorum interiores, & quasi irritantur, ut à cujusvis objecti actione specialis quidam dolor in dentibus percipiatur, masticationis negotium insigniter impediens.

Curat stuporem dentium portulaca recens masticata, caseus tam recens quàm vetustus, adeoque alcali manifestiori dives. Siliqua caracea masticata, item, calidum ovi vitellum, ad duritiem coctum applicatum. Omnium optimum calida urina applicata; Algorem quod attinet spir. vini dentibus affrictus, vel panis calens masticatus, vel vitellum ovi assatum, calidè masticatum; item theriaca dentibus affricta huic malo medetur.

Dentium morbi ex Clariss. Ioh. Harthmannô

In stupore dentium fricentur dentes stupidi sale, vel masticetur pannus laneus vel pilosus pileus.

In nigredine dentium evitanda, præsertim evitetur acetum & cibi admodùm calidi.

Removeatur item sæpiùs adnatus Tartarus & impuritates dentium, colluendo os à sumpto cibo, cum vino.

Deinde nigredo & colores dentium fœdi hoc modo commodè auferuntur.

℞. Aq. fontanam, dilue in eadem spiritum Vitriol. vel aquam seu spiritum aluminis q. s. ne scilicet nimium acescat. Cum hoc lavamento quotidie manè & vesperi cum Lacinia lanea frica dentes diligenter, deinde eosdem frica cum magisterio Corallorum vel cum hoc pulvere.

℞. Mandibularum Lucii piscis, Corall. albi. CC. usti, aluminis ust. radicis ireos ʒß. sal. gemmæ ʒj. M. F. pulvis.

Nigredo dentium & linguæ, ex esu cerasorum vel myrtillorum extemplo tollitur fotu candelarum sulphurearum, *Schwefelstecken*, faucibus tamen propter fumos nocivos occlusis.

(Nota, fordes & nigredinem dentium statim ac facilè quidem spiritibus acidis detergi, sed, si sæpiùs iis utamor, facilè dentes ut alcali osseum erodi fragilesque factos postea tanto majori nigredine & squalore infici, propterea in his affectionibus dentium commendatum habeas saccharum aluminis, de quo paulò infrà, aut per se aut cum pumice corallisve rubris præp. commixtum ut dentifricium adhibitum.)

Mobilitatem dentium aufert peculiare & specificum remedium seq.

℞. Gland. ʒj, gallar. ʒß, aluminis usti, succi acaciæ an. ʒß, fol. rosarum rubrarum M ß. Coque cum vini rubri ℔ij, ad casum unius pollicis, postea cola. Cum hoc decocto sæpiùs quotidiè eluantur dentes, rursum figuntur & immobiles redduntur.

Odontalgiam ex quacunque causa ortam ex quadam specifica proprietate tollit radix lapathi acuti (sorte germinationem vere collecta præstat, mihi familiaris) exsiccata & denti dolenti applicata.

Idem præstat, sed remissiùs rad. lappæ quæ dolores subitò aufert, humoremque superfluum extrahit magis.

Si fiunt dolores ex destillationibus, decocto rad. urticæ majoris, alii decoctò cum pauxillo nucis moschatæ rasæ & croci in vino adusto & acet. ana parato & calidè in ore, locove dolente retento humores illapsos mirabiliter extrahunt: ab initio quidem videtur dolor augeri, sed paulò post mitigatur & desinit.

Idem præstat decoctum Guajaci cum vino & aqua paratum. In eodem casu præstat decoctum serpilli (in primis si ex destillatione) vel ejusdem aqua gargarisando nempe cum iisdem.

(Dolores dentium propediem sedat aspersum sequens. *Saccharum Aluminis.*

Rec. Aluminis crudi ℔ ij. vel iij. & per retortam in arena lento igne phlegma abstrahe, quo facto cessa, & refrigeratâ retortâ phlegma redde exsiccato alumini, cumque per 24. horas in digestione B. V. steterint, phlegma iterum abstrahe, qui labor cohobandi, digerendi & phlegma abstrahendi septies repetatur. Tum post ultimum phlegmatis egressum, illud quod in fundo retortæ remansit, in cella humidove & frigido aëri expositum in liquorem abeat, qui filtratus & per 12. dies in cineribus igne lento digestus demum per cucurbitam in cineribus ad siccitatem usque omni humiditate exuatur. Remanet in fundo saccharum Aluminis.)

Si dentes sunt cavi & dolent, vel etiam citra cavitatem in dentibus dolentibus præstans est ol. Caryophyllorum, in cujus scil. ʒj. Camphoræ ℈ß. solutus fuerit. Hujus compositi gut. j. vel altera in gossypio (præsertim quod cum mosco fuit) cavo denti immissa vel etiam dolenti alioquin applicata, omnem dolorem aufert.

Eatenum est laudanum opiatum in forma pilularum dentibus illitum vel inditum, vel externè (in genis) cum unguento alabastrino (gt. j. laudani ad ʒj. unguenti) dissolutum. It. cum Emplastro de mastice & cera.

(Subitaneum est remedium persicaria contrita & denti dolenti applicata, vel ut pilula efformata cavo dentis imposita.)

Dentes corrosos juvat suffumigium ex semine Hyoscyami per tubulum vel tritorium ad dentem dolentem factum.

Dentes cariosi evelluntur promptiùs, si duobus digitis madefactis, ac inspersis pulvere ex lacertis aquaticis excoriatis & in clibano calcinatis aliquandiu prehendantur. Lacertæ colliguntur Aprili & Majo.

Sic etiam dens ex maxilla mortui evulsus, & cum radice sua dentem cariosum sæpiùs tangens, tandem post aliquot dies frustulatim dentem cadere facit.

Laxitati, putredini & exesioni gingivarum à proprietate quadam Aquilegia mederi videtur. Potest autem indè tale compositum fieri:

℞. Pulveris fol. aquilegiæ, salviæ, menthæ crispæ, Nucis Moschatæ ana ʒ ß, Aluminis usti ℥j, mellis purissimi ℥iv. Mel incalescat ad ignem & leniter decoquendo despumetur, deinde pulveres prædicti cum melle adhuc calente sensim aspergendo misceantur & serventur ad usum. Hôc ungentô illinantur gingivæ bis quotidiè (NB. Decoctum summitatum rubi idæi etiam valet hîc) quòd si cibus capiendus est, eluatur os aquâ prunellæ vel infusô nasturtii aquatici in vino (in primis in scorbuto.)

Ad mundificationem autem gingivarum putrescentium maximè valet aqua illa viridis mea composita secunda, de qua suprà in Narium affectibus, ozæna nimirum.

Dolor dentium, quia plerumque fit à capitis defluxionibus, ideoque in curatione ipsius statim ad ea accedendum, quæ fluxionem inhibent. Unde statim temporibus applicandum Emplastrum de Gummi Elemi, vel etiam Mastiche factum, quod antequam applicetur, calefiat optimè.

Inter scapulas applicetur cucurbita magna sine scarificatione.

Hinc statim ad repellentia materiam fluxumque evacuantia confugiendum, qualia sunt galla matura in acet. cocta, ità ut acet. in ore supra dentem dolentem detineatur calidè per horam ß vel j.

Hinc ad topica, anodyna ex proprietate occulta dolorem tollentia progrediendum.

Quod

Quod ſi continuus ſit dolor hiſce non cedens, ſed ab aliqua intemperie vel capitis vel totius corporis, aut copia materiæ ad caput fluentis, & indè ad dentes, capiti ſimul providendum tum evacuantibus, tum alterantibus & confortantibus medicamentis, tum etiam toti corpori.

Topicorum quibus vel ſolis ſæpiùs dolor omnis aufertur ſequentia ſunt præſtantia.

Laudanum opiatum cujus gr. iij. cum gut. ij. ſpir. Vitrioli denti dolenti applicentur, ſimulque pil. j. in corpus aſſumatur: Dolor ſopitur, applicato etiam Emplaſtro ad tempora, &, ſi opus, cucurbitulis.

Similis planè effectus eſt oleum ex buxo deſtillatum.

♃. Serrati buxi q. ſ. & repleantur 3. partes retortæ vitreæ, retortam in cineres loca & deſtilla oleum & liquorem aqueum igne primum lenio, poſtremùm fortiori, & tandem ſummo, & deſtillabit oleum. Idem oleum rectiùs per deſcenſum aut per veſicam deſtillatur. Hujus olei (è buxo)

♃ Gr. iij. & cum vino, ſi affectus à frigida defluxione veniat, aut cum acet. ſi à calida. M. Contineat æger mixturam dictam in ore, poſt aliquid tempus exſpuat. Si dolor nondum ceſſabit, repetatur, donec ad ſextam vicem, tandem abluat os vino aut aceto, & ſedabitur dolor.

Idem pulvis gallarum in ſucco radicis pyrethri decies vel 12. imbibitus & exſiccatus cum fermento, M. F. globulus parvus qui denti dolenti impoſitus dolori medetur, dentes firmiores reddit, vermiculos in ipſorum cavernis genitos necat, fluxiones omnes ad gingivas delapſas extrahit.

Tandem optimum in omni & acerrimo dolore perfugium, applicare veſicatorium poſt aures & cervicē.

Exterius inungi poſſunt maxillæ oleo amygdalarum dulcium, & tumori applicetur emplaſtrum de meliloto. Si intus in ore ad apoſtema tendat dolor; fiat cataplaſma ex ficu aſſata cum farina tritici. Si aperiatur, diſſolvatur mel roſatum in aqua plantaginis, atque eo abluatur os.

Dentium Morbi ex Clariſſ. Lucâ Tozzi.

Dolent ſæpiſſimè Dentes in radicibus, ubi membranulæ, & nervuli diffunduntur, à ſanguine, vel lympha eas partes pertingente, acri, acida, ſalſa, aut aliter præter naturam affecta; unde interdum etiam tument mandibulæ, & gingivæ; quin & dentes cariei, ipſæ verò eroſione, ulcerationeque inficiuntur, & cùm ſcalpuntur, vel cibus manditur, nonnihil ſanguinis ſtillant. Tantus autem; ac talis dolor quibuſdam accidit, ut impatientes mortem ſibi adſciverint; quamobrem maximis tormentis annumerari poteſt ex Celſo.

Inter dolorem ſedantia, illiuſque cauſam corrigentia omnium præſtantiſſimum perhibetur à Roderico à Fonſeca oleum buxi, ſi in foramen dentis una vel altera gutta injiciatur: quod etiam à Samuele Formio confirmatur, & modus illud extrahendi deſcribitur, apud Riverium *in obſervationibus eidem ab illo communicatis.* Idem quoque præſtari dicitur ab oleo caphoræ pari modo in dentis foveam inſtillato. At Iulius Cæſar Claudinus extollit oleum Terebinthinæ chimicè paratum cum pulvere camphoræ. Camphoram ipſam in aceto modicùm elixam adhibet Montagnana; itemque opium: Thonerus ſolam camphoram: & Rulandus oleum camphoræ goſſipio exceptum; vel etiam oleum ligni heraclei, quo præterea humores ibidem ſtagnantes educi, vermes dentibus innatos necari, & cauſam quamcunque doloris adimi, ait. Alibi quoque laudat aquam ſolani, cum oleo vitrioli romani ad acidum ſaporem uſque permiſtam. Radices ſambuci in Aceto, & vino decoctas ſingulare experimentum inquit eſſe Raymundus Mindererus apud Gaullingium. Decoctum Nicotianæ, & florum chamæmeli tepidum ore detentum commendatur Io. Heurnio, & Riverio; & Cardilucio illud Sabinæ. Atque Foreſto radix laparbi acuti conciſa, & ſupra dentem dolentem appoſita: quam etiam magnifacit Hartmannus, qui præſentaneum quoque fatetur eſſe remedium oleum caryophyllorum cum quinta parte camphoræ. Eſſentiam ſimiliter ſaturejæ mirificè dolores dentium ſedare tradit P. Io. Faber ſi aliquot guttis dens dolens & gingiva perfricetur infuſâ, etiam in auribus guttulâ. Mirum eſt quod refert Helmontius ſe vidiſſe os brachii bufonis ſtatim primo contactu odontalgiam tollere: & contactu dentis hominis ſenio extincti, dolentem dentem excidere. At admirabilius, quod memoratur à Borello: allium contuſum cum momento ſalis pollici admotum veſicas excitando, aquam educere, & dolorem dentium fugare. Burſâ paſtoris pinſitâ, & inditâ auribus, ſicut & naſo betonica ejuſmodi dolorem aliquando deſiiſſe fertur ab eodem; itemque lapide imperiali dicto denti dolenti impoſito: conficitur autem is ex ſale petræ, & alumine fuſis cum aliqua portione ſulphuris; atque cerebro purgando, viſui acuendo, & nervis opticis detergendis plurimùm conferre dicitur. Sale fraxini arteriæ temporum applicito curatum dolorem dentium vidit D. leſeq. apud Riverium: & pice Burgundica cum pulvere nucis odoratæ, Borellus. Magnetem cœlo ſereno in pulverem redigit Tacchenius, deindeque in calcem, donec virideſcat; poſtmodùm miſcet cum farina, vino, & tragacantho in formam rotularum, & denti laboranti utiliter imponit ex Grulingio.

Ad extrahendos verò dentes dolentes abſque ulla Chirurgi opera, ſcribit Riverius efficaſſimum eſſe helleboraſtrum, ſi eo dens affectus confricetur. Et Franciſcus Ioël. diſſolvendum ait gummi ammoniacum, aut galbanum cum lacte eſulæ, vel hyoſcyami, ac decoquendum lento igne donec lac abſumatur; reſiduum verò in globulos redactum dentium foraminibus indendum per noctem: mox ſine dolore dentes eximi poſſe ſubdit. Idem & ego aliquando uſu gummi hederæ arboreæ factum vidi: cujus decoctum cum rore marino in poſca, tepidum ore detentum dolentibus dentibus mederi notat Heurnius.

Si verò ſtupeant dentes, ut ab acidis, creduntur prodeſſe portulaca manſa, cera, ſuccus glycyrrhizæ, amygdalæ, avellanæ. At quicquid calet, certò hæmodiam tollere experimur; unde panis calens, vinum calidum, præcipue ſi in eo ebullierit ſalvia, roſmarinus, piper, pyrethrum, aliudve ſimile; aqua etiam ardens optima obſervatur. Fehr. Academicus curioſus fumum abſinthii ſupra prunas injecti ore exceptum, dolorem, & ſtuporem dentium prohibere docet. Et Hartmannus eos ſale fricari jubet.

Ad dentes inſuper eroſos valde prodeſſe ſuum odontalgicum ſcribit Crollius ad granum unum denti admotum cum goſſipio. Et Fridericus Hofmannus ſpiritum ſalis adhibet. Olea etiam & eſſentiæ omnium aromatum aliis ſunt in uſu, ſed præſertim caryophyllorum; itemque ſpiritus vini cum modico camphoræ. Quod ſi præterea gingivæ ulcerentur, & ſanguinem ſtillent, commendantur antiſcorbutica medicamenta, infuſiones, pulveres, & ſpiritus Naſturtii; cochleariæ, beccabungæ, ſalviæ, menthæ, & aquilegiæ, quam cæteris præfert Hartmannus. In uſu præterea ſunt pulveres, & conditura baccarum myrti, roſarum rubrarum, Coralliorum. myrobalanorum. Sed alkalia acutiora præſtantiora exiſtimantur; Et ſi fortaſsè tumeant gingivæ, ficus aſſus intrinſecùs admotus præſentaneum remedium dicitur ab Hartmanno, & Borello.

Si dentium mobilitas accesserit sequens decoctum expertum, ait Hartmannus, quod habet: gland. ʒj. gallar. alum. usti, & succ. acac. singul. ʒß. fol. rosf. punic. m. is. decoq. in lib. ij vini rubr. & servetur ad usum. Eo autem sæpiùs dentes eluendos præcipit. Aliud commendat Zecchius, quod paratur ex mell. ℥ss. sandarachæ, seù vernic. ammon. alum. scissilis, & thur. singul. ʒss. bull. j. in aquæ vitæ ℥iij. acet. alb. ℥j. deindè col. & add. croc. g. ij. & cum gossipio eo dentes, & gingivæ fricentur. Non solùm, inquit hic Auctor, mobiles dentes confirmat, & roborat, verùm etiam congelatos in pristinum statum restituit, dolorem sedat, & rheuma desiccat, Tincturam eunloticam Curandi Frommanni describit Geulingius; cujus vires summas esse fatetur in dentium mobilitate, & gingivarum putredine. Hanc etiam opiatam efficacissimam testatur Borellus ad dentium radices carne obducendas; dentesque firmandos, & dealbandos. Conficit autem illam ex modico aluminis cum uncia una olei sulphuris, & conditutæ florum buglossi, vel rosarum unciis sex. Mox deterso dentium tartaro, ope scalpelli lignei opiatam prædictam admovet. Præstat itidem Aqua descriptione Portæ ad dentes confirmandus, quâ mobiles stabiliri, & exesos carne repleri ait. Firmandis quoque, & dealbandis dentibus optimum dicitur oleum vitrioli à Montano, & Foresto, si nimirùm eo dentes refricentur; sed aliquoties in usum relato, exitus acta non probavit.

Vermes denique dentium radicibus hærentes perimuntur decoctura corticum fraxini, & radicum urticæ, Auctore Jo. Cratone. Et Thomas Bartholinus sibi à Rustico quodam Empirico communicatum refert mirabile remedium ad vermes extrahendos: & dolores mitigandos: nempè sevum cervinum linteo exceptum, ad ignem liquatum, & gingivis impositum.

Dentium morbi ex Clariss. Theod. de Mayerne.

In dentium dolore primò videndum est quænam sit istius causa, & secundùm varia causarum genera varia & apposita remedia sunt adhibenda. Dentes dolere solent. 1. ab humorum in eos & partes adjunctas influxu, licet dentes ipsi non sint vitiosi. Hoc casu ante omnia purgetur patiens hydragogis fortioribus; hinc enim humores vel pituitosi, vel serosi, per sedem educti à dentibus derivantur, unde eorum dolor protinus cessat. Revulsio etiam per cucurb. vel vesic. prodest, Vel 2. à Catarrho in dentes cariosos; vel concavos delabente. Hic etiam purgatio imprimis utilis est; at topica sępè etiam sunt necessaria, eaque sæpiss. opiata. Ut.

℞ Olei Caryoph. still. ℥ss. dissolve camph. ʒj. adde tinct. opii cum optim. spir. vitr. priùs digesti, deinde cum vin. sp. extract. & ad mellag. reduct. ʒ ij. tinctur. croci ℥ss. Ambr. gris. ℈j. Mosch. gr. v. mf. serv. In pyxide argentea bene clausa, vel vitro latiusculi orificii vesicâ occluso. Urgente dolore intingatur gossypium & indatur concavo denti.

Aqua hæc Crollii magnæ est efficaciæ.

℞. Origan. serphyl. salv. mentastr. hydropiperis, seu persicar. rasur. guajac. ras. tamarisc. & buxi, ana m. j. affunde spiritum vini opiatum, id est à præparatione Laudani residuum, ad eminentiam quatuor digitorum. Extrahatur infusione tinctura. De hoc spiritu tincto tantillum in ore teneatur parte illâ ubi sunt dolentes dentes, postea iterum expuatur. Reiteretur si opus sit. Si dens sit concavus, gossypium intinctum imponatur.

Vel fistulæ tabaci circa tubi medium indatur filo ferreo aliquid gossygii aut linamenti carptis; caput tubi repleatur pulvere tabaci pro more, accendatur, & totus fumus exsugatur donec pulvis redigatur in cineres; frangatur tubus, & eximatur gossypium oleo tabaci madens, quod indatur denti cavo: illico cessat dolor.

Sic oleum stillatitium buxi denti cavo instillatum dolorem compescit certo experimento.

Remedium sequens non fallit.

℞. Lithanthracum pinguium partes tres, sulphuris vivi partem unam, pulverizentur simul in mortar. stann. & distillentur in retorta lento igne: primò exibit fuliginosa substantia nigra & pinguis; tunc auge ignem, & exibit aliquid unctuosum, quod seorsim clausum reservetur; postea separa oleum à liquore: oleum rectifica; serva; applica cum bombace.

Trochisci seq. cavis dentibus inditi mire dolorem sedant.

℞. Sem. opii ʒj. Sem. hyoscyam. ʒij. styrac. calamit. mastich. ana ℈ij. pyrethr. piperis longi ana ʒss. Castor. croci ana ℈j. camphor. gr. v. opii præparati ʒiss. mf. & cum balsamo Peruv. q. s. f. massa, ex qua trochisci.

Denique hæc aqua nulli secunda est.

℞. Succi allii ℔ij. opii ℥ij. caryophyll. ℥iij. vini Malvatici vel Canarini ℔j. macerentur per quatriduum, deinde f. distillatio ad siccitatem in B. vaporoso vel sicco. Aquæ stillatit. adde camphor. per vini spiritum solutæ ℥is. Mercur. anodyni in opt. vin. sp. soluti ʒvi. mf. serva vase optimo clauso, applic. denti eroso è gossyp. Mercurius anodynus hic est.

℞. Merc. sublimat. q. v. huic affunde aqu. fact. ex nitr. i. & vitriol. ij. q. s. & f. cohobatio decies aut duodecies, donec instar olei fluat, & in frigido crystallizetur: crystallos spir. vini solve exhala ad siccitatem; solve iterum, exhala ad pelliculam, & in cella ut a. e. crystalliza.

N. B. Ut fœtor ab opio removeatur (docente Saladino) pistetur ℥j. opii cum duobus capitibus allii: deinde distilletur hæc mixtura per alembicum: De istâ aquâ detur in potu secundùm discretionem, qui mirabiliter provocat somnum & erit sine fœtore. Quod pulchrum secretum non est omnibus revelandum.

℞. Opii ʒij. castor. ℥j. croci ʒß. addito pauco balsamo Peruviano nigro, f. massa, ex qua rotundæ, quæ involutæ syndone ratiss. induntur anri lateris dolentis.

℞. Mass. istius ʒij. mastich. cum vin. spir. emollit. ʒj. gum. elemi & tacamahac. ana. ʒß. mf. f. Emplastrum, cujus portio extendatur in holoserico, & applicetur arteriis temporalibus ad fluxionem inhibendam.

3. Dentes aliquando dolent à vermibus qui in iis geniti eos exedunt. Hi enecantur vel ab aquâ Mercuriali suprà præscriptâ, vel ab Aloë suprà laudatis medicamentis admixtâ.

Si dolor (undecunque oriatur) nullis remediis cedat, dens dolens ferro extrahendus est: quam operationem si præ metu refugiat æger, tentetur medicamentum empiricum sequens ad dentes sine dolore evellendos.

℞. Ranas virides arboreas quot voles, has in sufficienti roris Majalis quantitate probè obturato vase vitreo in cinere vel arenâ locato; tamdiu fac coquere donec liquentur & aquæ fiant: hanc in fimo equino vel balneo inter serraturam abiegnam putrefac, & supernatantem oleosam pinguedinem, quoties apparuerit, corneo cochleari, aut ligneo aufer; nulla ampliùs adveniente, reliquam ut inutile abjice. Hæc allecta pinguedo dentes à suis radicibus vellit, adeò ut si fænum hac illinatur bos aut equus hoc fænum vorans in ipso præsepi dentes amittat. Linitur l'gnellum hoc unguento, & circum dentem ducitur, qui statim à tali illitu postea facilè separatur.

Consultationes.

Dolor ille dentium, qui te tam immaniter exercet, à frigida destillatione originem habet, quæ à sinistra capitis parte in maxillam ejusdem

tem lateris, & dentis nervos, interdum usque ad omoplatas decumbit.

Ad hujus præcautionem primò cohibendus est catarrhus, causaque ejus penitùs circumcidenda. Id autem fiet his catapotiis semel in mense devoratis, vel hac potione, si æstas sit aut calida aëris constitutio. Sequenti die à prima purgatione tonsum caput his seminibus in duplicato linteo conclusis fricabitur, idque fiet spacio duodecim aut quindecim dierum, quibus elapsis purgabitur corpus ut prius. Dein postridie caput maximeque pars ejus sinistra, pauxillo aquæ vitæ singulis matutinis temporibus fovebitur, asperso pilis, post fotum, sequenti pulvere. Interea dentium ratio habenda: quibus detersis ter aut quater in die longè à cibo sumpto, retineatur in ore & manducetur hoc masticatorium, ad pituitam è toto cerebri corpore, maximè ex ejus ventriculis, per Infundibulum in os & palatum attrahendam. Deinde hoc decocto sæpissime in die gingivæ abluantur.

Interim cibis boni succi vescendum, sobriè vivendum: abstinendum ab humidis; vitandum frigus capitis, dentium & pedum.

Remedia infrà scripta diu ac diligenter continoanda, quia morbus est inveteratus.

℞. Mass. pilularum cochiarum & de agarico, Pilularum assaiereth. an. ℈j.

℞. Aquarum salviæ & betonicæ, vini albi an. ℥j. In quibus infunde rheubarbari electi, Agarici trochiscati an. ʒj. In expressione dissolve diaphænici ʒ ij. Syrupi capillaris ʒ ſ. Fiat potio purgans.

℞. Milii ℔j. Salis communis ℔ ſ. Seminis anisi & fœniculi an. ʒ ij. baccarum Lauri contusarum ℥ j. fiat pulvis tenuissimus. Inspergatur raso capiti.

℞. Pyrethri, Staphisagriæ, Gingiberis, Cardamomi, Caryophyllor. Styracis calamitæ ana ʒſ. Fiat pulvis subtilissimus ad usum dictum.

℞. Mastiches ʒj. Radicis Pyrethri ʒ ſ. Cubebarum ʒij. Incorporentur in forma solida cum melle anthosato: fiat masticatorium.

℞. Salviæ minoris man. j. foliorum myrti man. ſ. Mastiches conquassatæ ʒſ. Bulliant simul in vini albi & aquæ fontanæ an. ℔ ſ. Coletur & reservetur in phiala pro collutione oris. *Joh. Fernelius consilior. Medic. 5.*

Dn. Egidius Heidemann, Senator Colhergensis optimè meritus, compater & amicus meus honorandus dolore dentium punctorio ac profundo affligebatur, adeò vehementi, ut aliquot noctes insomnes duceret, sapor in ore salsus, acris & subamarus deprehendebatur cum aliquali totius corporis æstu & siti.

Resolutio.

Causam hujus odontalgiæ, humorem ex bile & sero mixtum esse, sapor indicat salsus, acris & subamarus, non minus ac ipse dolor punctorius, qui vehementior quidem est & profundus, quatenus materia circa nervulum in radicibus dentium & membranam eorundem internam nerveam hæret.

Humores itaque serosi & biliosi addentes confluentes revellendi & repellendi, qui verò jam influxere discutiendi & evacuandi, imprimis autem dolor, tanquam symptoma urgens, mitigandus.

Præscripsi hoc nomine anodyna quædam & narcotica, sotirellam scilicet parvam Mindereri, & laudanum opiatum cum spiritû vitrioli.

Revulsionis gratiâ cucurbitulas scarificatas scapulis & brachiis apposuit: à phlebotomiâ enim prorsùs abhorrebat.

Hinc vesicatorium Riverii post aures applicui; fronti & temporibus ad intercipiendam fluxionem emplastrum adstringens ex bolo, mastiche, & ovi albumine, induxi.

Interea & collutiones oris ex repellentibus & adstringentibus usurpatæ:

℞. Fol. myrth. plantag. acetos. ana m ß. Rad oxylapath. tormentil. ana ʒ ij. flor. rosar. rubr. balaust. ana p. j. Cort. granator. ʒiij. Incis. & conquassat. coq. ex aqu. plantag. & aceto q. s. & colent. pro collutione oris.

Ad evacuationem humoris serosi & biliosi præbui potiunculam:

℞. Rhabarb. opt. ʒ iij. Cinam. acut. ʒß. infund. per noct. in aqu. cichor. ℥iß. Endiv. ℥j. Manè colentur, add. syr. de cichor. c. Rhabarb. ʒvi. pulv. Gialapp. gr. ix. M. F. potiuncula.

Sub noctem magna ex parte remisit dolor, manè ad reliquias materiæ discutiendas & absumendas commendavi aquam rorismarini & salviæ cum tantillo aceti florum lavendulæ. Calorem totius & sitim restinxi Julapio quod sic componitur.

℞. Aq. cichorii acetos. Endiv. ana ℔ß. Syr. berber. ℥ iij. flor. pap. Rhead. ℥ij. spir. vitrioli q. s. ad grat. aciditat.

His methodicè adhibitis ab immani cruciatû liberatus est vir optimus, quem ut porrò salvum & superstitem divina præstet clementia devote precor. *Baldass. Timaus casuum Medicin. lib. 1.*

Adolescens 15. annorum, temperamento pituitoso præditus, cùm à validiore exercitio excalefactus, nudo capite se aëri frigido & ventoso diutiùs exposuisset in atrocissimum maxillæ sinistri lateris plurium dentium incidit dolorem, usque ad capitis interiora & superiora se extendentem, quo diu noctuque continuò infestatur. Nullus in gingivis aut maxilla exteriore tumor, nulla rubedo aut inflammatio apparent. Sentit è dente quodam molari excavato serosum, salsum, acrem, ac instar glaciei frigidum humorem in os exstillare.

1. Hujus ægri affectio Medicis *Odontalgia* & *Dentium dolor* appellatur.

2. Causa antecedens sunt humores pituitosi ac frigidi in toto corpore collecti, qui à majore calore exercitio conquisito in vapores attenuati, sicque copiosiores ad caput delati, à causa procatarctica, scilicet frigore externo, non tantùm ob pororum occlusionem intus detenti, verùm etiam in liquorem serosum, & ob cruditatem salsum atque acrem rursus condensati sunt, qui cùm ad vias excrementorum cerebri evacuationi dicatas non decurreret, sed ad sinistri lateris maxillares dentes deflueret, acerrimum ibi dolorem excitavit.

3. Frigidum, serosum, ac salsum esse hunc humorem ipse æger lingua satis percipit ex guttulis per excavatum dentem in os delabentibus.

4. Dolor autem inde fit, quòd nervulus cavitati cujusque dentis molaris insertus unà cum periostio, quo cavitas & radix investitur, ab acri humore eroditur, ab ejusque summo frigore (quod nervis maximè inimicum) malè afficitur.

5. Dolor autem sursum usque ad capitis interiora extenditur, quia nervuli dentium cavitatibus inserti, sunt propagines tertii & sexti paris; iis igitur male affectis, non est mirum totos illos nervos usque ad capitis interiora dolere: imò credibile est hunc frigidum & acrem humorem per cranii foramina, ex quibus nervi illi egrediuntur, secundùm nervorum istorum longitudinem usque ad dentes defluere; sicque non tantùm eas particulas, quæ radicibus dentium inseruntur, sed integros nervos secundùm longitudinem à cranio usque ad dentes à dicto humore affligi.

6. Nullus autem tumor est in exteriore maxilla, quia humor ille, unde fluxio procedit, non est copiosus, sed paucus & acer. Neq; etiam tumor fit in gingivis, quia humor in iis non diu subsistit aut colligitur, sed paulatim per excavati dentis foramen in os effluit.

7. Nulla etiam rubedo præter naturam aut inflammatio in gingivis aut maxilla apparet, quia licet humor defluens sit acer, est tamen actu & potentiâ frigidus, ita ut inflammatio aliave calida intempies ab eo produci nequeat.

8. Atrox hic dolor, licet in parte sit ignobili, atque hinc minoris momenti esse videatur, tamen contemnendus non est, cùm propter summam crudelitatem, & continuas quas inducit vigilias, humorumque & spirituum commotionem, facilè delirium, convulsionem periculosissimam, aut febrem validam inducere posset. Ac proinde illius curatio differenda non est.

9. In curatione primò imminuenda est causa antecendens, mox continens, ac procatarctica statim removenda, dolor sedandus, & caput corroborandum.

10. Corpus igitur purgetur cum pulveris diaturbith aut diacarthami drach. j. aut cum his pilulis:

Rec. Massæ pilul. cochiarum, aurearum, ana scrup. j. diagridii gr. IV. Cum pauxillo syrupi de stœchade, fiant pil. VII.

11. Ad humoris in cerebri ventriculis contenti evacuationem hoc errhinum in nares attrahatur:

Rec. Succi mercurialis, majoranæ, ana unc. ß betæ unc. j. ß Misce pro errhino. Hujus loco æger hoc pulvere sternutatorio subinde uti poterit:

Rec. Rad. pyrethri, hellebori albi, fol. majoranæ, ana scrup. j. piperis nigri gr. v. fiat pulvis.

12. Ad capitis corroborationem, pororum apertionem, & frigidi humoris dissipationem, præparetur hoc capitium:

Rec. Fol. rosmarini, majoranæ, salviæ, ana m. ß flor. lavendulæ, meliloti, rosarum rubr. ana p. j. nucis moschatæ, gariophyllorum, ana scrup. ij. thuris, mastichis, ana drach. j. fiat pulvis grossus, è quo in tenui serico consuatur s. art. capitium.

13. Temporibus utrique imponatur hoc emplastrum:

Rec. Thuris, mastichis, ana scrup. j sagapeni, tacamaccæ, ana scrup. j ß. Misceantur, & extendantur in serico nigro: fiantque duo emplastra rotunda.

Interea etiam exhibeantur condita & apozemata cephalica, ex majorana, rosmarino, salvia, betonica, conserva anthos, salviæ, aliisve similibus confecta. Tabaci etiam fumus per fistulam communi modo sumptus non erit inconveniens.

14. Æger os sæpe colluat hoc decocto calido:

Rec. Radic. oxylapathi unc. j. pæoniæ maris unc. ß. Herb. majoranæ, salviæ, hyssopi, thymi, betonicæ, rosmarini, ana m. j. Sem. fœnic. anisi, ana drach. ij. vini q. s. coquantur s. art. ad lib. j. pro collutione.

15. Post collutionem denti excavato cum petia ex gossypio immittatur guttula una olei origani, aut gariophyllorum. In summo dolore interdum etiam pauxillum spiritus vini in ore ad dentes affectos detineatur, quod tamen non est sæpe faciendum, ne gingivæ inde lædantur.

16. Interea etiam ad humorum diversionem summa cum utilitate vesicatorium post aurem, atque in cervice applicabitur, & locus diu apertus servabitur.

17. His omnibus non juvantibus, in summa doloris atrocitate exhibeatur sub vesperam pilula ex laudani opiati gr. iij. aut tres pilulæ ex massæ pilularum de cynoglossa gr. xiij. aut dentur philonii romani scrup. ij. vel iij.

18. In victu sit aër calidus & siccus, viteturque turbulentus, pluviosus, imprimis aquilonius. Cibi condiantur cum cephalicis calefacientibus; fugiantur autem omnia salsa, acria, acida, & ea quæ caput vaporibus replent, ut allium porrum, raphanus, &c. Potus sit cerevisia mediocris notæ, & vinum tenue. Somnus longior. Exercitium mediocre, & alvus facilis sit.

Observationes.

Vir quidam literatus gingivarum laxitate & dentium carie affectus, scripta quædam medica evolvens, forte incidit in Consilium Cratonis 72. ubi hæc habentur: Ad dentium putredinem & cariem vix ulla res melior est, quàm spiritus vitrioli: *paulo post & Horstii tractatum de Scorbuto relegens, ubi sectione. 2. Thesi 15. hæc existunt.* Dentibus vacillantibus optimum est remedium spiritus vitrioli cum melle rosato mixtus, quantum ad intensam aciditatem sufficit: Inungantur gingivæ & aliæ oris partes affectæ, singulis diebus ter. Remedio itaque huic à Medicis celeberrimis tantopere laudato confisus, singulis diebus spiritum vitrioli cum melle rosato gingivis & dentibus illinivit. Sed pœnitendo admodùm eventu: Brevi enim consumptis gingivarum carnibus & laxatis alveolis, dentes, quos primores appellamus, tam superiores quàm inferiores exciderunt, reliqui molares subsistere quidem, sed à medicamenti acrimonia adeò corrosi, ut ciborum masticationi parùm sufficerent.

Rectiùs olim hâc de re judicasse videtur Joël, cujus tomo sexto sect. 2. p. 137. hæc sunt verba: Parùm benè consulunt, qui spiritum vitrioli crebrius dentibus illinire docent. Etsi enim eos candidissimos efficiat, tamen crebrior ejusdem usus eos calcinat & friabiles reddit: *Baldass. Timæus casuum Medicin. lib. I.*

Dentium dolor ploratû solutus.

Nobilissimus Dn. Richardus Frorcieh, Hæreditarius in Czarny Damerovv, amicus meus specialis, ultra semestre dentium dolore interpolato & per intervalla recurrente miris modis vexabatur, tentata varia remediorum genera tam interna quàm externa, sed frustrà. subinde enim recruduit dolor, tandem inter acerbissimos cruciatus plorare cœpit, adeò effusè ut ultrà horam à fletu sibi temperare non posset. Exindè dolor penitùs remisit, absque ullâ in hunc usque diem recidiva.

Resolutio.

Dentium hunc dolorem ab humore tenui & seroso excitatum nullum est dubium, is fletû solutus & per lachrymas tam copiosè promanantes, effusus, doloris immunitatem, sublatâ scilicet causâ, dentibus attulit, secundum illud Poëtæ (ut inter lacrymas etiam jocari liceat.)

Expletur lachrymis, egeriturque dolor. *Idem. ibidem.*

Filia N. de intolerabili dentium dolore conquerebatur, qui per aliquot menses continuos duraverat, nec ullis topicis aliisque assumptis medicamentis dispelli potuerat. Consului ut per aliquot dies cubitum itura deglutiret duas pilulas, pisi magnitudinis, ex sola Aloë lucida confectas, nec quicquam superbiberet. Hoc cùm ter quaterve fecisset, dolor cessavit, neque deinceps rediit. *Isbrand. de Diemerbr. in Observ. & Curation. Medic.*

Cornelia Jacobi mulier robusta dentium dolore vehementissimo cum dimidii capitis dolore laborabat: Huic tale vomitorium exhibui.

℞. Vitr. antimon. pulver. gr. XII. vin. alb. ℥v. Fiat maceratio per noctem. Manè coletur vinum per chartam emporeticam & detur pro haustu. Hinc plurima biliosa, pituitosa, ac tenacia evomuit, aliquot etiam secessus habuit. Nocte sequenti bene dormivit, & cessavit dentium dolor, neque rediit. *Idem ibidem.*

Dens

Dens cancro affectus.

In Sacris Ægyptiorum literis si quid auditum, aut arcanum luci proditum ac revelatum ostendere quis vellet, inquit *Pier.* Hieroglyph. l. 28. de Cancro, Pagurum & ejus generis pisces. vel testacea; quæ latebris gaudent, face apposita figurabat. Ego hodie ubi obscurum infantis Hebræi casum, cancro non absimilem, ad illius causæ indaginem Naturæ curiosis propono, ab eorundem ingeniorum splendore, & toto orbi cognita eruditione illi facem adponi exopto. Erat hic puerulus unius anni, corporis emaciati, coloris ad lividum inclinantis, in quo anteriores aliquot dentes naturaliter albicantes erupere, mox prodeunte alio retuso in mandibula sinistra, qui totus quantus niger conspectui sese offerebat: hoc etiamsi intuentes parentes, ut inauditum, & nunquam visum admirati essent, cum tamen nullam molestiam puero inferret, per integrum fere annum nullo adhibito consilio tolerarunt. Sed ubi alios proximos mandibulæ sinistræ dentes pari atro colore inficere, tumor dolorosus parti accedere cœpisset, ad malum debellandum Chirurgum sollicitarunt: Is non cognito affectu varia adhibuit, etiam tumorem scarificavit, infelici sane successu, non tantum gingivam sed & totam genam sinistram exulcerando. Anxio Chirurgo, parentes me in consilium vocare coacti sunt, Examinatis examinandis Cancrum primo occultum, nunc per intempestive, & immoderate adhibita exulceratum, ulcus certe malignum, sordidum, livens, & cacoëthicum aspectu horrendum esse deprehendi: Facto prognostico de gravi & periculoso morbo, in quo est repugnantia in via Naturæ, & quod Cancri confirmati & exulcerati nulla fere curatio (maxime ubi commode exscindi vel exuri non valet) meliusque fuisse eum occultum non curasse; curati enim citius intereunt, non curati verò longiori tempore vivunt, teste Hippocr. *6.* Aphor. 30. nam cancri non exulcerati medicamentis resolventibus facile exulcerari possunt, quæ ulcera, ut ab atrabilario humore provenientia incurabilia esse dixit idem Hippocr. Nihilominus ne misellus infans omni auxilio destitueretur, præter Diætam modice humectantem & refrigerantem, (aderat enim socia lenta febricula) palliativa ordinavi, quæ ipsi cancro blandiri, eumque lenire possent, ut ita minori cum molestia vitam transigeret, ceu est Aqua ad Cancrum *Chalmetai.* Henrici III. Gall. Regis Chirurgi peritiss. quò ulcus foveretur & ablueretur, apposito deinde Emplastro Saturnino *Mynsichti*; Sed ulcus pertinax & rebelle, imò de sua natura insuperabile, superari non potuit, quod sensim serpendo musculum temporalem affecit, & convulsionem inducendo mortem accelleravit; Mirabilis certe hæc fuit observatio, & forte inaudita, Cancrum radices suas tanto temporis spatio in hoc solo dente sparsisse, nec alios statim dentes affecisse: quod factum puto ob nutrimentum dentis depravatum, quod provida natura, quamdiu potuit, retrictum servavit, abhorrens sui interitum.

Cancer hic à Dente oriundus, non fuit caries, nulla enim caries solido denti aderat, nec ista tumorem excitat, ut musculosas partes occupat: Neque fuit Gangræna, ea enim est imperfecta mortificatio ad necrosin, seu principium & via ad corruptionem, quæ ad plures menses absque vicinarum partium sphacelo & corruptione perdurare non potuisset. *Galenus l.* 2. de Arte curat. ad *Glauconem* cap. 5. *Celsus* l. 5. suæ Medic. c. 38. & alii. *Math. Franc. Hertold.*

Odontalgia à Verme excitata.

Quidam Odontalgia immani ac periodica vexatus sensit in dente quid saliens per temporum intervalla, cui remedia plura incassum adhibita: Abrasa demum carie dentis in vasculum subjectum vermem exspuit, qui capite ad caudam reflexo saltus varios iteravit, foramine insigni, per quod exierat vermis in dente conspicuo: Qui vermes suffitu hyoscyami, sevo cervino gingivis imposito, aliisque è dente elicitos pro fibrillis habent, ab experimento hoc sæpius laudati *Tyson* aliter erudientur. *Oliger Jacobæi.*

De Mirabili quadam Odontalgia, & Innoxia Opiatorum continuatione.

Nobilis & honesta fœmina, à longo tempore valetudinaria, ob suppressos menses & regurgitationem sanguinis ad superiora, hæmorrhagia narium, quandoque satis enormi; sæpius afflicta, cum duritie laterum, inflatione ventriculi, pedumque tumore, ante duos annos convenientibus tractata remediis, & imprimis ex *Acidularum Egranarum* usu, penitus convaluit, & per integrum annum optime se habuit. Præterita autem æstate ex mœstitia & fletu largiori, dentium acquisivit dolorem, quem uno vel altero medicamento adhibito suppressit. Non multò post tamen recruduit malum, miris stipatum symptomatibus. Nam quotidie circa vesperam redire dolores, quorum prodromus fuit materia quædam crassa, viscida, sanguinolenta inter dentem caninum primumque molarem in maxilla sinistra superiori effluens; hanc excipit limpidissima pituita, continuo stillans, adeò copiosa ut vasculum satis magnum impleverit, cum cruciatibus tota nocte durantibus. Observavi, quo sputum limpidius eò acriores fuisse dolores; illo cessante, remisisse etiam istos. Adhibui quæ concipere poteram, revellentia, repercutientia, appropriata, sed omnia frustra. Nihil magis conduxit quàm *Laudanum Opiatum*, quo dolores & fluxus istius pituitæ suppressi, somnusque procuratus optimus. Dum hæc ita fiunt, in oculo sinistro extrinsecus naturaliter constituto, omnia apparuere duplicata, sine quidem dolore, sed cum magna molestia: applicatis vesicatoriis restitutus visus in integrum, quem tamen elapsis aliquot septimanis penitus in eodem oculo amisit, itidemque exiguo temporis spatio elapso recuperavit, perseverantibus in eodem statu doloribus. Dentes quos inter hæc materia effluxit sine labe erant, alterum tamen eorum, quia vacillare videbatur, evelli curavi, absque ullo emolumento. Tandem omnium pertæsa, solis, me licet quàm maximè dissuadente, inhæsit opiatis, sumendo illa quotidie. Sic allevata Mense Decembri *Viennam* concessit, unde mihi ante sex vel septem septimanas scripsit, quod in illum usque diem quotidie, antequam cubitùm eat, bolo ex granis tribus *Laudani cum Confect. Alkerm.* parato utatur, quo vel una vice omisso, statim percipiat dolores majores. *Caroli Raygeri.*

De Vermibus Dentium.

Quemadmodum nulla ferè corporis humani pars, quàm nobilis etiam illa sit, existit, quam non aliquando à vermibus infestatam observarint Scriptores Medici; ita neque dentes ab iis immunes sunt, quippe qui, carie exesi excavatique, huic ex putredine enatæ suboli nidum sat commodum præbent,

Quales eos observaverit *Excell. Dn. D. Joh. Nicolaus Pechlinus, P. P. Kiloniensis, & Collega curiosus* honoratissimus. *Observatio* 24. superius exhibita ostendit. Nobis, ut paulò post dicemus, alia protius species sese obtulit, nosque dubios fecit, utra eorum *Sinensium* nomine, qui vermes dentium, *Bartao Syria monacho* olim ob nimiam inediam enatos, vocari docet *Jonstonus*; *Hist. Nat. de Insectis l.* 3. c. 2. *art.* 3. p. 184. appellanda sit.

Acutissimorum verò dolorum vermes hi omnes caussa existunt, adeò ut de necandis & tollendis iis meritò solliciti sint Practici: & præ reliquis varia commendat *Sennertus Med. Pract. lib. 1. cap. 10. pag. 26.* Quibus jure meritò annumerandum censeo mucum, seu chyli reliquias interiori tunicæ ventriculi suilli adhærentes, qui licet sordidum quadantenus, & delicatioribus fortassis abominabile sit remedium, vulgo tamen nostratibus crebris experimentis est commendatissimum.

His ipsis diebus Fœmina, intra lares meos habitans, doloribus acutis lancinantibus dentis maxillaris excavati vexabatur, qui, licet medicamentis sopirentur, subinde recrudescebant. Tandem suasu alterius fœminæ, ut est istud hominum genus in talibus consilii promptissimi, rotellæ foliola conglobata denti cavo, remissè tunc dolenti, indit. Malum! subito dolores in immensum exacerbantur adeò, ut ob eorum vehementiam salrim non ad insaniam redigeretur. Commodum autem accidit, ut in vicinia porcum culinæ destinatum eviscerari audiret: Auxilii ergo, quod alia vice in simili dolore senserat, adhuc memor, lanionem adit, & mucum, pyloro ventriculi adhærentem, calentem avide petit, eumque linteolo exceptum, formulâ noduli, dolenti denti imponit. Post breve tempus titillationem gingivæ percipiens, nodulum ex ore eximit, atque vermes plurimos linteolo adhærentes invenit, pluresque alios cum phlegmate viscido exspuit: dolore paullò post sopito.

Vermes hos aquâ ablutos mihi ostendebat, qui, lumbricorum more variè se contorquentes, aliquandiu adhuc vivebant. Latum pollicem longitudine ferè omnes æquabant, tenuissimum sericum filum crassitie vix superantes; coloris, dum vivebant, incarnati, mortui verò & arescentes magis rufescebant. Per microscopium inspecti egregiè intestinorum lumbricos referebant, utrinque in acutum rostrum desinentes, corpore ex annulis innumeris coagmentatò pellucido, tubello intestinulo per cutim transparente.

Cæterùm ut muco isto vermes dentium inescatos & ex cavernis suis elicitos vidimus, ita olim *D. Rœslerus*, vermem crus perforantem interna ventriculi suilli pellicula evocatum observavit *Observ.* 312. anni 3. Eph. Germ. dubio procul ob congenerem quendam putredinis odorem, quem tunica ista, multoque magis mucor ex dapibus, quibus præoptimis gaudet amica luto sus imbibit. *Gottofredi Schultzii.*

Vermis Odontalgicus.

Horrida olim morborum exempla nunc tandem suffragante experientiâ credibilia fieri compertum est. Vermes in solido durissimoque corpore generari res visa supra fidem: at postquam Lapidum quoque corruptelas & detrimenta à vermibus excitari innotuit, etiam de verminosâ Dentium carie observata narrantibus fides negari non poterit. Mirari autem usque subit, qui molliculum & penè invisibile vermiculi rostrum tam solidi durique corporis perforare substantiam possit: perforat tamen, & à basi ad radicem usque cylindrico foramine pertusum dentem solo doloris indicio commonstrat: neque enim ante demolitione animalculi constabit, quàm transmisso corpore sensiles nervorum fibras attigerit. Enim verò tam immanissimos cruciatus parere mobilis rostri petulantia solet, & in abdito latenti impune grassandi libertas est, non facilè alio quàm Dentis jacturâ coërcenda. Sed quod & quale illud rostrum? Sanè plusquam Corneum & ann[illegible] corporis impulsu vibratum vel ferro par; neque enim aliter tanta ossis duricies superari posse videtur. Major autem de origine & natalibus hujus animalculi difficultas. In Dentium cavernis, ubi ciborum reliquiæ hospitari solent, putredinem esse, quæ spiritu animata in vesiculas sese induat, ideâ aliqua operante, articulatas vermemque referat, mobile animal, tralaticium est. Sed unde prima vermiculi exordia, quando nulla adhuc caries in Dentibus conspicienda, aut quis ille in integro solidoque Dente foraminis cylindrici auctor? Nimirum obtectę sunt plerunque Dentium bases, qua alvearibus infiguntur, muco quodam albo, quem qui oris amant nitorem, aliquoties de die, imprimis autem manè, detergere solent, aptatis in hunc usum Radicis Altheæ fibris. Hic ipse mucus nuperis Leevvenhoekii, mirifici in explorandis minimis Mystagogi, Observationibus totus quantus verminosus deprehensus, & fortè ex hac classe aut tribu est, qui deinde obterrans rostri aliqua prærogativâ impulsus Dentem corripit, erodit, tandemque miserum os notis doloribus crudelissimè exercet. Cùm autem mihi quoque exemplum vermium ejusmodi objectum sit, operæ pretium me facturum esse existimo, si, quid mihi obtigerit, recenseam. Vetula erat tabifico & propemodum corrosivo Scorbuto affecta, quæ tandem inter alia Symptomata præter meam exspectationem in deploratam incidit Odontalgiam nullis planè remediis, neque optimis, cedentem. Solet nempe ludibrium Artis esse Dentium dolor, & magis sæpe anilibus, superstitiosis vulgaribusque subigi remediis, quàm exquisitis, delectis, &, ut alibi vocant, Canonicis. Adeò nihil hic conceptę furmulæ aut excogitatissima remedia juvare videbantur. Anicula autem, sive asperitate doloris seu casu adacta, Mel, quod fortè in propinquo erat, cujusque aliàs usum suspectum habebat, delibare audacius cœpit, & ne consilium temeritati deesse videretur, ruinosis dentium cavitatibus petulanti linguâ inferere. Hic ubi medicaminis inconsultò assumpti pœnam exspectabat, augmentum doloris, præter opinionem alia accidunt; nam vix horæ momentum, cum dolore se remittente notat intolerandam in summâ linguâ prurigines, quam ut à fluore acri salso oriri credidit, tentata manu medela, reperit tandem volubiles passim vermiculos numero quinque. Accersi me protinus jubet, tam exilium monstrorum sor uita domitrix; vixque intraveram ædes, cùm illa gaudio perfusa atque à doloribus libera tum lusum fortunæ mirabilem, tum vilis remedii successum operosè explicat. Postquam autem nudam oculorum aciem, tandem & armatam admovere cœpi; inveni eos pediculis planioribus, si seriem pedum annulatamque corporis formam exceperis, sanè quàm similes multò saltem concinniores, quàm quos in Ovium Hepate comperit experientia vulgusque Lanionum in Italia *Bisciolì* vocat, à Francisco Redi, Nobili Aretino, illo de Insectis libro, depictos. Illi autem Vermiculi onde nati, quo ovo, semine aut putredine educti? Figuratum ibi rotundulumque & oviforme corpus hæsisse, quod sese deinde accessu Archæi alicujus in Vermiculum refinxerit, nequidquam credas, jam verò etiam superstitis escæ ramenta seminio ante aliquo aut ovulo animata in planum tandem figuratumque animal excrevisse est cur dubitemus. An potius ex Scorbutico dentium Tartaro Spiritus, vel Ideę seminalis unde raptæ commercio vivaces & ampullatæ vermium vesiculæ, tandem etiam rostratæ pedatæque emerserint; penes alios judicium esto. Quomodo deinde tantum creaverint dolorem? Utrum sugendo trahendoque Hirudinum instar, nam dolorificæ suctionis speciem persensisse se ægra significabat? An verò mordendo & vellicando fibrillarum nervearum extrema, quæ excesæ cavitatis fornici impendent, si modò ulla dentium [illegible]olorum vis in tantâ exilitate fingi possit? Id verò constat, Vermes, qui in vultu sæpe nidum ponunt pustularum specie, ip-

sis sese

fis sese extis & glandulosi contextus poris insinuasse, subinde etiam fusco aut nigro capitulo emicare dolorémque si quem excitant, aut pruriginem, ad seri salsioris afflauxum inquieto articulorum motu efficere. Sed quod de Verme Odontalgico monui, utrum ad alios quoque dolores & Auris illos quos immanes sæpe notavimus, & Dentium istis vel pares aut majores, transferri possit, non antè dixerim, quàm in Ceruminibus quoque non aliter ac in Dentium illo muco, Vermes enasci experientiâ compertum sit. Memini tamen in corrupto utriusque auris Cerumine analogi quid vidisse; corpuscula certè erant ampullaria & figurata alia aliis incumbentia; sed quod vitali motu, attrita fortè & refrigerata, destituerentur, non statim temerario sensui accedere opinio debuit. At cum in Pipere, in Calce, & acerrimis quibusque rebus, nasci vermiculi possint; cerumininm illa materia, miris sæpe & purulenta, verminationem non abnuet, & sic etiam novis dissimilique dolotibus scenam parare poterit. *Nicol. Pechlin. in Observat. Physico-Medicis.*

A Dentium dolore Maxillæ Caries.

Neque ideo omnis dentium dolor à Verme repetendus; aut particulare contingens universali enunciatio æquiparandum; quando tot iterum aliæ causæ tragœdiæ huic incundæ materiam præbere possint. Est Sanguis, Serum, Pus, sunt alia, plerunque tamen corrosiva, quæ eundem illum dolorem creare queunt, quid quod flatuum ex hâc parte sit immunitas. Atque hinc adeo est, quod in nullo admodum morbo tanta sit medicamentorum varietas, tanta farrago, atque in ipso hoc, si pattem æstimes, exili sane morbo. In Fœmiois sæpe Sanguis sive ab Utero seu aliunde in caput inque dentem redundat sola sanguinis missione revocandus. Aliis Serum copiosè destillat, nerveisq; dentium filamentis acrimonia, eaque salsa aut acida, insultat; aliquando & frigore Ammoniacali, nunc & æstuolo calore aut vicina aut deflua lympha infestat. Aliquando etiam à sordibus & dentium mucilagine, cui ipsi vermes innasci non improbabile est & jam vidimus, orta aciditas atrocissimis doloribus ansam præbet. Hac ego mucilagine universos insterni atque incrustari dentes vidi, nec ante dolorum requiem fuisse, quàm acri adstringenteque Decocto comminuta visci lamellati aut membranæ instar recederet. Hic certe acor est putredine natus, & ut Ossium textutæ nihil est acido hostilius, ita Caries quoque ab uno illo nasci plerunque solet; atque ita feralis ille dolor ab importitate oris, ab ascendentibus ciborum reliquiis originem sæpe trahit. Sit Vermis, qui denti allapsus foramen sigat penetretque, sed in hoc deinde foramen abditæ ciborum reliquiæ putredinem & ex illa acrimoniam concipient adeò Nervorum filamentis Dentiumque radicibus infestam. Possit verò etiam lympham, illam glandulosæ Gingivarum carnis sobolem, tam intestecina subinde acrimonia imbui, ut omnem à Medicamentis temperiem recuset, & tandem cum tempore carnium rerurarum ipsorumque imprimis ossium terebret premolarque, nec ante desinat, quàm rodendo suam ipsos infregerit acrimoniam, Observationibus puto constare. Ostendit mihi Pharmacopœus & doctus & Artis suæ peritissimus spongiosas tubulatasq; maxillæ inferioris laminas complures, quas acrimonia lymphæ sæpius per aliquot hebdomadas sævientis fedibus suis excusserat exulcerata carne mox iterum sedata ferocia coëunte. Notus mihi aliàs, qui Fistulam aluerit in Gingiva inferiore prope dentem primum molarem; sundebat illa semper aliquid putidæ saniei, quâ sussiminata dici non potest, quantis doloribus excruciaretur; adeò nunquam de consolidando hoc vulnere fuit sollicitus. Sed quæ illa lymphæ ferocia, aut, si mavis, ἰχωρόφαγία [illegible] non carnes tantum sed & ossa, spongiosa illa & tubulata maxillarum, narium vicinæq; de depasci illæ: & dentibus, quod in atrocissima illa Scorbuti, Strumicæ specie; in Lue Venerea non sine horrore vidimus. *Idem ibidem.*

Alveoli dentium ob varias causas penitus consumti, unde dentium vacillatio & casus.

Affectui in Observatione 76. descripto; puta ossium diminutioni, jure merito annumeranda est talis alveorum dentium in nihilum redactio, in qua ne vestigium quidem eorum relinquitur, unusquisque tanquam ex tripode dictum, pro certo habet alveolos seu præsepiola dentium evulsionem aut casum spontaneum neutiquam manere aperta. Cui opinioni calculum quoque appono: Ast verò quid proprie in illa commutatione eveniat, non satis unanimiter eloquuntur Anatomicorum Coryphæi. Curiosus partium & structuræ corporis indagator Thomas Bartholinus hæc nobis reliquit in sua anatomia cap. 9. fol. 720. Aliquando *obliterantur & constringuntur* (de dentium dif. ferit alveolis) *dentibus cadentibus vel evulsis. In finio non rarò amissis dentibus alvei obliterantur, & circuitus acutiores fasti, duriq; ut in senibus ad manducandum dentium vices subeant.* Adrianus Spigelius super hac re ita inquit: *Tot sunt cava, quot dentes, cum quilibet primùm erumpens sibi proprium ac peculiare condat præsepiolum, concidens etiam secum unà alveolum suum perdat, ita ut ne vestigium quidem maneat.* Joannes Riolanus in sua Anthropographia hæc habet: *Dente evulso, nisi novus succedat, ita constringitur & occæcatur alveolus, ut ipsius nullum remaneat vestigium.*

Horum neminem refutare animus est, sed potiùs eorum observationibus illustrandis hæc addere; nempe non solùm alveolos in senio obliterari, & circuitus acutiores & duriores fieri ad manducandum, aut alveolos occœcari, aut concidere; sed præterea in multia ita in nihilum redigi, ut, mirum visu! maxilla tam superior quam inferior tantum spatii in profunditate amittat, quantum occupavere alveoli; ita ut ne quidem minimum digitum lata maneat inferior, superiorq; ad nasum ferè usque deficiat, Hinc foramina pertranseunti ramo nervi quarti paris, (ut cum antiquis loquar destinata,) non in antica & laterali maxillæ inferioris parte, sicuti in maxillis quæ dentibus alveolisque omnibus instructæ sunt, inveniuntur, verùm in summo maxillæ inferioris. Hinc etiam maxilla superior tantum amittit de sua altitudine, ut inter os & nasum latitudo calami scriptorii vix intercedat. Causam istius destructionis aut potiùs totalis annihilationis alveolorum, soli attritioni in masticandis cibis non possumus adscribere, sæpè enim videmus dente uno evulso alveolum ipsius ita aboleri, dentibus proximè adsitis alveoli attritionem cohibentibus. Imò non raro in nihilum rediguntur alveoli ante dentium casum aut evulsionem, unde vacillantes dentes maxillis solummodo cohærent gingivarum & membranarum beneficio; & gingivis quoque deficientibus eos soli membranæ adhærentes deprehendi. Frustra itaque in tali constitutione, dentium remedia ad firmiorem cohæsionem quæritant homines totum malum scorbuto attribuentes, & nil minus quàm defectum alveolorum suspicantes: Noli interim credere, Lector benevole, hoc malum nemini contingere, nisi ætate provectioribus; memini me hoc in trigintà solùm annos nato vidisse, qui aliquot ex anterioribus dentibus ita vacillantes aliquamdiu gestarat, donec nullis proficientibus remediis antisco buticis facillimè eos solis digitis evelleret. In aliquibus (ut dixi) etiam observavi, simul cum alveolis gingivas perire, & per solas tunc membranas

dentes maxillis adhærere, idque tum laxe, ut ne quidem libere comedere possint afflicti, imò à linguæ motû in locutione tanquam fluctuantes sese moveant dentes. Dixi superius, eorum alveolos in masticando cibo ab attritione sola non aboleri, neq; etiam puto eos semper pellicula ossea claudi, aut concidete, vel occæcari, verum in nonnullis senibus in totum aboleri & in nihilum redigi, quemadmodum atteriæ umbilicales, fœtu in lucem edito, sæpè in tenuem degenerant membranam, ac si nunquam arteriæ extitissent; sic & mammæ in senectute sæpenumero in totum evanescunt. Itaque si penquàm tenues sint à natura facti alveoli, evulsis aut elapsis dentibus non habent unde repleant cavitatem, & proptetea maxillæ ita diminuntur. Si vero aboleantur alveoli antequàm dentes exciderunt, nullam aliam agnosco causam, quàm scorbuticam affectionem, & tartaream materiam dentes obsidentem; unde non solùm gingivæ, verùm etiam alveoli sensim sensimque consumuntur. *Frideric. Ruysch. Observat. Anatomic. Chirurgic. Centur.*

DEPILATIO. *Vid.* PILORUM DEFLUVIUM.

DERBIA *vid.* IMPETIGO.

DIÆRESIS *vid. sub titulò* OPERATIONES CHIRURGICÆ.

DIGITORUM COALITUS, Contractio, & Digitus sextus.

Curationes.

NOstro consilio digitorum coalitûs cura à ferro tantùm, eoque à prudenti Artifice administrato, sequenti modo ex'pectari potest. Cùm unionis hujus inconvenientis vinculum sit tenue, nec multis vasis sanguineis majoribus aut tendinibus intermixtum, sed solà cute contextum sit, facilè cura succedit. Hoc enim in casu uno ictu, acuta forfice incidi potest cutis carnosæ paries integerrimus, excissis utrobique superfluis digitorum novorum quasi fundamentis. Non opus hic est ligno, triangulari, ad imitationem Plateri *Mantiss. Observation.* 43. Nec scalpello quò uti solet. *Hyeronimus ab. Aquapendente Parte secunda Chirurg. cap.* 101. Hic tamen asterisco notandum venit monitum *Celeberrim. Ronhuys Observ.* 10. p. 41. quòd deligentur digiti in novam cohæsionem proni, quod optimè, institutis ligaturis, ac medicamentis idoneis, præcaveri potest. Sic quoque cura coalitus digitorum fæliciter cessit, testantibus Ephem. ostt. Ann. 6. Observ. 58. *Joan. Dolæus Encyclop. Chirurg. ration. lib.* 7.

Sexti digiti cura, me arbitro, in ejus ablatione consistit, & optimè perficitur abscissione cum ferro, novaculâ scilicet, ligaturâ prius institutâ, & hoc potest fieri in infantibus. Legimus enim in *Ephem. German. Ann* 6. & 7. *Observ.* 118. Cùm infans tertiam septimanam tantùm complevisset, ligaturâ priùs institutâ; digitum firmiùs adhærentem novacula abscidetunt Chirurgi, mox alterâ die absque ligatura alium adhuc digitum amputarunt, quod sine magno dolore & sanguinis profusione factum, & vulnera facilè sanata sunt, ita ut vix vestigium relictum fuerit. Confer *Clar. Riedlini Observ. p. m.* 187. Sunt qui exemplo *Plateri* test. *Obs.* 42. *Mantiss.* à resectione abstinent, usque Infantes adultiores facti sint, sed non videmus ob quam rationem id omitti debeat, cùm digitus tantùm quasi petiolo pendeat, & exiguus sit, is instituto anabrochismo facilè curari potest, hoc est ligatura cum filo serico instituta; hinc enim digitus superfluus marcescit & decidit, postmodum facili negotio medicamentis congruis penitùs sanari potest. In adultioribus verò digitus sextus commodè cum ferro quod Germani *ein Meissel* dicunt, extirpari potest. *Idem ibidem.*

Observationes.

De Digitorum Contractione.

Anno 1596. Isaacus Gotteran de Petroy, adduxit ad me Lantannam filium suum Michaëlem, 14. menses natum. Is autem sexto mense ætatis manu dextrâ in prunas ceciderat: Hinc index, medius, annularis, & auricularis unà cum externa metacarpi parte, adeò combusti fuerunt, ut apices horum digitorum usque ad primam articulationem deciderint. At quia pater curationem imperitis commiserat, digiti omnes, (excepto pollice) cum cute metacarpi quasi in globum conglutinati fuerant. Septimò mense post absolutam curationem, adducunt ad me puerum parentes Lausannam, auxiliumq; meum implorant. Purgatò itaque corpore, manna ex jusculo exhibitâ, topica & Chirurgica sic institui. Primò sequenti decoctò emollienti, & unguento per dies aliquot usus sum.

℞. Rad. alth. cum toto, rad. bryoniæ, lilior. alb. an. ℥ j. flor. chamom. meliluti, hyperici, chamæpit. chamædr. an. m. j. s.m. fænigr. lini an. ℥j. coquant. in jusculo pedum & capitis vervecis, aut vituli pro fotu. Postea inunxi totam manum & brachium sequenti unguento.

℞. Unguenti dialth. ℥ j. axung. human. gallinar. ansct. ursi, an. ʒ ij. succi lumbricor. ʒß. M. F. unguentum. Tantem manum involvi emplastro de mucilaginibus. His nervi & callositas ex cortugata cute metacarpi & digitorum, in externâ manus parte concreta, satis emollita. Hinc callum inter digitos & metacarpum novacula excidi, digitos item separavi. Deinde inspersi pulverem nostrum ad sanguinem sistendum, & albumina ovorum mista cum aqua rosacea, & plantaginea oleoque rosaceo, applicui. Defensivum quoque ad carpum adhibui, & totum brachium oleo rosaceo, myrtillorum, & lumbricorum inunxi. Posteto die sequens digestivum filamentis suavibus supra incisiones posui, & brachium, ut antea, suprà dictis oleis inunxi.

℞. Terebinth. lotæ in aq. rosac. & plantag. ℥j. olei rosac. & de vitell. ovor. an. ℥ij. croci ℈ß. vitellum unius ovi. M. Quinto die apposui sequens instrumentum, ex ligno fabricatum, & incæpi paulatim attrahere digitos ad naturalem situm. Hoc instrumentum componitur ex ferulâ, latâ tribus digitis in latitudine positis, ejus longitudinis ut à carpo ad cubitum ferè usque pertingat. Secundò ex baculo rotundo pollicis crassitie, qui ferulæ firmiter affixus est: mediò autem hujus baculi exsurgunt 4. clavi rotundi ex ligno fabricati. Habet item ferula fibulas duas, & lora duo, quorum beneficio instrumentum brachio alligatur. Alligato itaque instrumento, & undique linteis, stupis, aut gossypio bene munito, babui in promptu digitalia ex pelle fabricata, quæ extremitatibus digitorum apposui; deinde filo ipsis appensô, digitos deorsum attraxi; & clavis baculo descripto affixis alligavi, atque singulis diebus magis magisque incurvavi. Id autem ut eô melius fieret, brachium & manum superiori unguento, quotiescunque vulnera tractabam inunxi.

junxi. Ne autem digiti denuò conglutinarentur, laminas plumbeas digitis interponebam. His paulatim digiti ad naturalem situm reducti fuerunt. Interim vulnere quoque consolidavi & cicatrizavi, non quidem iis quæ valde exsiccant, sed iis quæ simul emolliendi vim habent medicamentis. Atque sic Divinô favore manus in integrum restituta fuit. *Guilielm. Fabric. Hildanus Observat. Chirurg. Cent.* 1.

Post diu utnum colicum morbum, & resolutiones contractionesque securas in manibus & pedibus in Nobili quodam Sene remanserunt in utraque manu contracti digiti, internodiis duobus exterioribus adeo astrictis, ut incurvati in volam manus digiti nulla vi extendi amplius possent. Multis usus remediis, & thermis, nihil profecit, durante & jam per biennium perseverante malo, meo tandem utens consilio, hoc pacto curationem inchoavi, purgato prius decenter corpore per triduum vino cathartico nervis simul accommodato; dextræ manui sequens Emplastrum applicui.

℞. Gummi ammoniac. ℥ ij. galban. opoponac. bdell. an. ℥ j. dissolv. in aq. vitæ, adde Styrac. calamit. ʒ ß. axung. anser. medull. cruris vituli an. ℥ j. thuris ʒ ij. rad. Ireos. ʒ j hermodact. ʒ j. laric. & resinæ communis an q. s. f. Emplastrum, super alutam extendi & manus interiori sedi universæ applicetur, & in plicaturam astrictorum digitorum imprimatur. Fuit Emplastrum scissum in partes tot, quot digiti erant, chirothecæ instar, singulis digitis petiis obvolutis, ut exactè illis jungeretur. Postea pittacium ex panno duplicato formatum, firmiter impressum, & asserculum panno involutum transversim collocatum, & omnia fasciâ probè coercita sic ut Emplastrum undique se digitis incurvatis accommodaret, eosque nonnihil extrorsum premeret, totam noctem sic collocatum retinuit, aliquotque noctibus continuavit, manè verò hisce impedimentis, singulis digitis plumbeam massulam chorda plana appensam, quæ illos sensim extenderet, gestavit, fotu insuper manè usus est ex trochiscis sequentibus carbonibus ignitis impositis, parato,

℞. Marcas. ℥ i ß. myrrh. mastich. an. ʒ ij. Storac. benjoin. an ʒ j. rad. Ireos ʒ ß. cum laticea, F. trochisc. hisce vix dum octiduo usus est, cum digitos, premendo tamen eos, extendere posset. Emplastrum rursus sinistræ quoq; manui, tribus noctibus tantum apponens, eos etiam digitos jam cedere nonnihil sensit, quibus ad me scriptis, jussi ut articulorum roboris causâ, bis aut ter manum decocto Salviæ in lixivio, in quo chalybs extinctus esset, foveret, usuq; horum pergeret: & ut utramque manum digitosque ante Emplastri appositionem hoc unguento illiniret.

℞. Ol. Lumbric. Lilior. an. ℥ ij ß. ol. chirin. irin. an. ℥ ß. Lithargyr. ℥ j. coq. parùm, adde gummi ammoniac. in aq. vitæ solut. ℥ j. Styrac. ʒ ij. laric. ℥ ß. ceræ q. s. F. unguentum, Interea licet omnia in melius tenderent spesque esset integræ restitutionis, nolens amplius apud nos subsistere, thermas adiit Piperinas, Sed irrito conatu, nam earum usu, digiti amplius astringi potius quam relaxari cœperunt. *Felix Platerus, Observ. lib.* 1. *pag.* 147.

DIORTHOSIS. *vid. sub titulô* OPERATIONES CHIRURGICÆ.

DRACUNCULI.

D*Racunculi Vena Medinensis nomine ab Avicenna donati, propterea quòd Medinæ urbis Arabiæ incolas familiariùs afficiant, fusè describuntur à veteribus Medicis Paulô Aegineta, Aëtio, Actuariô de Nobis verò hic jam sufficiant quæ de illis accuratissime disseru Clariss. Hieron. Welschius.*

Dracunculus seu Vena Medinensis lumbricus quidam est, qui proprio suo seminio generatus, sive cum sanguine, sive latice & humore, ut vocant, secundariô, ad partem quandam subcutaneam delato, ejusque calore naturali, aut si quis ita velit, etiam putredinis socio, formam sive animam in ipso latentem excitante, unde primò exiguus, sensim in longitudinem illam insignem, quamdiu licet, auctus atque idcirco in sinus variè flexus, nihil aut parum molestiæ adfert, sed tandem seu alimenti copiosioris defectu, seu loci angustiâ, seu aliâ quâcunque de causâ, egressum meditatus cutem lacessit, in qua affluxu ichoris melancholici ichoroso sanguini permixti, pustula exoritur, quæ deinde intumescens, vesicam, seu phlyctænam contrahit, atque mox perforatâ, sive exulcerata, dracunculo viam aperit, qui tunc exerto capite paulatim prolabitur, neque cessat continuò protendi. Hæc ille; quibus sanè nihil adjicimus in morbo nobis prorsus ignoto, ac de quo magnum ipsum non puduit Galenum sic scribere: *In quodam Arabiæ loco (ut aiunt) in tibiis hominum dracunculi vocati nascuntur, nervosi natura, colore crassitud atque lumbricis similes. Multos sanè audivi qui se vidisse eos dicerent, ipse verò cùm nunquam viderim, neque de orta, neque de essentia ipsorum quicquam exactè conjicere possum.*

Pars affecta ab istis lumbricis, secundum Welschium, mentem Avicennæ explicantem, est musculosa caro; tum crurum, tum brachiorum, tum laterum, idque non tantùm in hominibus, sed etiam in equis &c.

Differunt à *Crinonibus* de quibus suo loco, quod illi crassitudinis sint tantum capillaris atque breviores, hi verò crassiores ac aliquando plus quàm ulnæ integræ longitudinis. A verme de quo in *Affectione Bovina* quod ille varias corporis partes peterret ac obambulet, hi verò in ea in qua creati sunt parte consistant, donec suo tempore caput exerendo è nido suo, retrahantur. Quomodo præterea ab aliis discriminentur vermibus, sive umbilicalib. quales ex Camerario suprà cap. de Crinonibus, descripsimus, sive intestinalibus &c. per se patet.

De *Causis* Dracunculorum hic quædam è præfato Welschio adducimus, scilicet è pituita viscosa & tenaci enasci, eo propè modo quo pili in viis generantur urinariis, unde morbus, enascitur *qui Trichiasis* vocatur, quæ pituita ab alimentis congeneribus; qualibus Arabiæ incolæ utuntur, crassis nimirum ac viscidis, sufficitur. De modô autem quô animetur in vermes viventes, ejusmodi materia, jam mentem suam aperuit in morbi descriptione idem Clar. Welschius.

Signa morbi *Diagnostica* ex eadem satis patent descriptione, si addamus ex Avicenna ab ipso Welschio explicatô. Si materia ex quâ generantur ac aluntur Dracunculi mitior, & præcipuè pituitosa fuerit, nullum ferè, aut valdè obtusum dolorem faciunt; si verò acrior sit illa materia, calidior, ichorosa & melancholica; exquisitum illi dolorem excitant. De *Prognosi* hæc habet Avicenna. *Etiamsi uno in corpore quadraginta ferè, aut quinquaginta locis obtingat* Dracunculus, *curatione tamen evadit.* Unde, ut concludit Welschius, apparet affectum nequaquam lethalem esse: Imò nec valdè periculosum, si modò dextrè & decenter tractentur. Nimirùm nisi aut violenta extensione in parte cui adhæret Dracunculus, dolor atque inflammatio excitetur, aut ipse etiam abrumpatur, nihil magni mali

minori solet, tum enim relicta in corpore particula, repentè, magnoque cum dolore atque periculo lumbrici in minorem, contorquebitur: mox etiam putrescens, ichorosq; aut humores acres in partes nervosas exstillans, gravissima symptomata, atq; imprimis convulsionem excitabit, quam ipsa tandem mors excipere consuevit.

Curatio Dranculorum seu Venæ Medinensis ex Avicenna ejusq. Commentatore Doctissimo welschio duplex est, *Præservatoria* una, *Curativa* altera. Pro præservatione vitanda est regio in qua generatur; cùm enim morbi endemii ea sit conditio, ut toto illius terræ tractu, quam occupat, causam suam omnibus communem faciat, ut non fore ullam certiorem præservationem quàm locum fugere clarum est. Sin autem id commodè fieri non possit, saltem à cibis abstinendum ea quibus gigni creditur. Quinam tamen illi sint non explicat Avicenna, Alzaravius omnia olera, omnesq; fructus illic vitare jubet, ubi vena exiens sive proserpens generetur: hæc enim esse ait, è quibus produci soleat. Ebn. Jezla autem pisces sigillatim enumerat, & lenticulas cum aceto, dactylis, aliisq; similibus indirect. morb. tabul. partic.7. §. 1. Nihil enim dactylis crudis, coctisque, recentibus pariter, passisque toto Oriente & Africæ Asiæque tractu universo frequentius in cibo. Joao. Colle Comin. in Aviecnnam, omnia cibaria potissque calidiores omnes commemorat, adustos, vitiosos, salsos, ut aquam salsam, carnem salitam, pisces, brassicam, betam, spinaciam, aliaque quæcunque chylum acrem, acidum, acutum & melancholicum gignunt. Vina item nimis potentia, vapida, crassa, & excrementitios humores generantia. Præterea vult Avicenna ut oppugnandæ causæ morbi antecedaneæ evacuetur vitiosus sanguis, secta vena basilica, aut saphena. Item intus ad expurgationem humoris adhibet syrupum myrobalanorum, decoctum epithymi, pilulas coccias, ac tryphæram cum sena & fumaria paratam: quibus omnibus addit humectationem corporis cibis humectantibus, balneis &c. Hæc de præservativa; Morbi præsentis expugnationem quod spectat illa sic instituetur. Cùm vestigium lumbrici, seu Dracuncoli apparuerit, membri refrigeratione uti convenier, per cataplasmata refrigerantia, qualia fieri possunt adhibitis succis frigidis expressis cum sandalis & caphora, imò post corporis purgationem, per hirudines quoque loco applicitas. Succos expressos frigidos sigillatim ceu vulgò notos oon enumerat Avicenna nec quisquam alius recenset præter unum Berta pileam, qui secum sempervivi, vermicularis, & herbæ apollinarum, quę faba crassa, seu crassula ac telephium est, nominat. Addi possunt, commentante Welschio, quoque alii, ut lactucæ, nymphææ, parietariæ, alsines, portulacæ, lenticulæ, polygoni, oxalidis, umbilici veneris, capreolorum vitis, & maximè tussilaginis, cujus virtutes omnibus inflammationibus planè singulares & eximiæ compertæ sunt. Cataplasma quoque Matthiæ Naldii ea farin. lupin. orob. leotium, myrrh. aloë, croco, & ol. absinth. nec non oleo ex fol. absinth. abroton. matric. sem. acetos. santon. & ol. laurin. compositum, satis commodum contemni oon debet, & si ipsum adfectum nunquam vidisse aut curasse ex scriptis illius satis appareat. Nimirum quæcunque vermibus inimica sunt etiam dracunculis adversantur. Sin autem istæc eludat, jamque prodierit, tunc convenit ei præparare aliquid, cui adligetur, & supra quod blande & paulatim convolvatur, ita ut sic usq; ad finem sui sine disruptione eaeat. Ad hoc autem optimum est plumbi bacillum quod præterquam quòd dracunculo convolvendo aptum sit, ejus ponderis fiat necesse est quod ei trahendo non abrumpendo sit satis. De pondere bacilli oihil amplius Avicenna, sed illud explicat Alzaravius dum ex barbaro interprete sic habet. Si de dracunculo jam aliquid exierit, noo valet ingeniatio, nisi ut attrahatur, si est parvus, quousque egrediatur totus, & si est longus ligetur in extremitate ipsius arundo plumbea cum pondere ʒj. & devolvatur io ipsum quicquid exierit de eo, & caveat ne vena detruncetur. Alii pondus illius faciunt à ʒj. ad ʒij. imo etiam alii ad ℥j. veniunt. Verùm pro diversa Veoæ Medinensis crassitie aut robore, pondus illud ex Medici solertiâ & ingenio variandum est. Figura debet esse cylindrica. Summa verò cura sit in exitu Dracunculi facili reddendo, quod sit fulciendo membri cui insidet imbecillitatem & rarefaciendo illud irrigationib. ex aqua calida, & mucilaginibus, refrigerantib. oleisq; emollientibus, frigiditate aut subtili calore præditis, & quæcunque ad egressum illis simili ratione facilem reddendum idonea sunt. Ac tandem si videatur apertione opus esse, ut integra prodeat Vena Medinensis, nihilque sit quod prohibeat, aperiatur, & extrahatur. Sin verò exitus ejus commemorata extractione non reddatur facilis, & apertio non sit possibilis, butyro putrefacies, tota enim putrefiet, atque egredietur. In hoc negotio Aëtius Cornario interprete ait. Quòd si Dracunculus sponte progrediens facilè extrahi poterit, nihil ampliùs faciendum est. Sin ad suppurationem vertetur, à cataplasmatis & aquæ mulsæ ac olei irrigatione non est discedendum. Nos verò & emplastrum è baccis lauri post cataplasmatum à farinis, mulso & oleo ablationem imponere solemus. Facta verò suppuratione, cutis per longitudinem secetur, & dracunculus denudatus auferatur, & cutis ligamentis inditis disparetur, & reliqua curatio suppuratoria adhibeatur, ita ut animali suppurato & extracto ulcus incarnetur, & ad cicatricem perducatur. Incisio, quæ aliquando necessaria, duplex est, una dracunculo integro extrahendo, altera quæ abrupto tantùm conveniat. De illa sic Avicenna: Maximè verò si secetur locus à Vena Medinensi longinquior, ibique immissò subtus specillô depellatur, & frictio dum egreditur cum sale paulatim & blandè continuetur. Ubi enim cum ipsa ita actum fuerit, tota egredietur. Posteriorem incisionem idem Avicenna his exponit verbis; Quod si rumpatur, sese occultet, nullum dubium esto quin aperiri debeat, ita ut denuò capiatur, deinde leniter extrahatur, & locus ut vulnera solent, percuretur.

Atque hæc de Dracunculo seu Vena Medinensi dicta sunto: in cujus ulteriorem explicationem Observationes demùm aliquot à Clariß. VVelschio in suô de Venâ Medinensi tractatû à variis adductas, adjungemus.

Observationes.

Æthyops maris præfecti servus, juvenis 28. annorum, cùm primùm ex Memphi Ægypti celebri civitate Thessalonicem advectus esset, illico de cruris dolore conquestus est, in quo juxta talum primò ulcus excitatum est, in quo venæ modo caput conspiciebatur, quod advertentes Turcæ morbum cognoverunt, periculosum esse in Ægypto & India, ac reliquis regionibus quibus innascitur, significarunt, quæ Arabes præcipuè Avicenna, Venam Medenam, fen. 3. lib.4. appellari tradit, veluti Avenzoar & cæteri hujus doctrinæ homines, quibus morbus hic satis cognitus & familiaris erat: Pro cujus curatione accersitus Medicus Parahyas linguæ Arabicę doctus, ita orsus est.

est. Primò deota victus ratione propolita, partem extremam venæ, aut veriùs nervosæ cujusdam substantiæ subtili ligno alligavit, quam paulatim ligno trahebat rotabatve, adeo ut ad ejus ultimam partem, h. e. ad trium cubitorum longitudinem post multos dies pervenerit. Unde Æthyops à doloribus & angustiis, morbove ipsu liberatus est, nullo suprapositò cataplasmate concoquendi vim habente, aut calida superfusione aliqua, quæ ex Sorano & Leonide ultimis verbis lib. 4. suæ Medicinæ huic morbo auxiliari tradit. *Amatus Lusit. Cent. 7. Curat. 64.*

Hollandus quidam è penuria Rupellam delatus, de dolore, inflammatione, & tumore in utroque malleolo conquerebatur, rem Chirurgo defert, monetque ut de vermibus cogitaret. Id factum. Inflammationi succurrebat cerato Galen: 14. Meth. med. 3. descripto, cui parum basilici miscebatur. En duos quasi vermes, aut nervos, ex utroque malleolo unum, prorumpentes. Hos Chirurgus sensim protraxit, usque dum æger de dolore conquereretur, tum in nodum, quod extractum erat, replicando concinnavit, de die in diem opus idem repetendo, usq; dum planè exciderit. Istud quicquid fuerit nervi, aut ligamenti, aut vermis, nunquam vitæ alicujus specimen exhibuit. Longum erat pedes quinq;: convaluit. *Antonius Guenotius Parisiensium Medicus & Chirurgus, referente Welschio è suis adversariis à schedis Verjungianis petitis.*

Montalbanum è Rupellæ penuria homo allatus jam descripto morbo laborans, sed non ita feliciter curatus: Dum enim rei istius p.n. extractioni nimiâ violentiâ operam dedit Chirurgus, eam disrupit, unde inflammatio, dolor, convulsio, & 24. horarum spatio ipsa mors sequuta. Aperto cadavere, periosteum inflammatum deprehensum est, cui planè adhærebat istud, quicquid fuerit, funiculi instar juxta malleolum in gyros quinq; vel sex contorquebatur, inde rectà ad genu porrigebatur, quo in loco iterum in circulos reflexum, tandem ad os Coccygis ferè, aut saltem Ischii protendebatur. *Idem, eodem referente VVelschio.*

Ad littus cui nomen Capocors, sive promontorium Corsicum, quidam correptus tanquam febri, primò horrore concussus est, calore succedente, totoque corpore pustulis erumpentibus, valdè exiguis, quæ tamen omnes, probè operto mox iterum discussæ evanuere. Delatus igitur in proximum pagum, cui nomen Agrata, haut procul à Castello Sancti Georgii, seu arce Nigritis Mina dicta, circa malleolum in tibia dextra duas pustulas erupisse advertit, quæ vesiculam contrahentes mox rumperentur, & vermis sive dracunculus ibidem latitans caput suum exereret, non majus quàm aciculæ, est, quod ideo à Chirurgo Batavo captum, pennæque medio parumper fissæ insertum, deinceps quotidie circumvolvendo eò usque extrahebatur, donec dolorem aliquem percepisset. Ita unius bidui spatio integer paulatim eductus, prodiit, alter verò abruptus tumorem cruris doloresque maximos excitavit. Qui integer prodierat longitudinem ulnæ nostratis superabat, tenuis erat ad instar chordæ testudinariæ, coloris dum recens erat albi, exsiccatus autem nonnihil flavescentis, qui tensus etiam ad instar fidium sonabat. Chirurgus morbi istius nondum satis peritus erat, ideoque unguentum basilicon & emplastrum palmeum applicuit, quibus tamen solis curationem feliciter absolvit. Nigri illius regni incolæ aliàs ligno utuntur exiguo ad extrahendum, & reliquum curant solo oleo palmarum, sive coccorum, quod habent copiosissimum. Triennium illic transegit, antequam morbum hunc contraxisset, qui toti regioni familiarissimus ex aquis præcipuè in cibos potumq; adsumtis oriri creditur. *Georg. Hieron. VVelschius. ex communicatione Joan. Abrah. Hrinzelii Patricii Augustani qui ultra decennium in Guinea regno vitam duxit.*

Qui in Guineam navigat, & in Castello S. Georgii de Mina habitant, cujus districtus ad aliquot milliaria extenditur, toto corpore vermibus adfligi solent, magis tamen Æthiopes incolę, quàm Germani advenę. Notatu autem dignum est, si quis tantùmmodò prætemaviget pruritum in cute sentire, maximè in brachiis & cruribus, frequentissimè verò in femore. Tunc oritur vesicula, unius, in quibusdam tamen trium pisorum magnitudine. Hæc autem nisi à verme ipso pertundatur, ubi Chirurgi satis maturam judicârint, (sunt autem ejus rei peritissimi) aperiri debet. Mox prodeunt pili gemini, albi, & capite adnati, qui ideò barba vermis dicuntur. Vesica ipsa aquâ distenta est: tum vermis quotidie mane & vesperi extrahitur. In partibus corporis musculosis, si articuli ferè longitudine promineat sæpe accidit ut unico tractu educatur. Longitudine ulnam, aut etiam sesqui cubitum, exæquant, nivei coloris & frigidissimi, quamvis ex carne calidâ exeant. Tenues ad instar fili, alii tamen ut funiculi. Crassiores venenosissimi & pessimi existunt, valdèque difficulter extrahuntur. Inferiori crurum parte sæpius nervis & venis circumvolvuntur, atque tum quidem educi nequeunt: sed abrumpuntur. Abruptis autem tumor ingens in pedibus, suppuratus, & copiosam materiam concludens, donec tandem fonticulus excitetur, aut scalpello foramen fiat, quo plures quandoque ἀκίνητοι redduntur, magnisque doloribus affliguntur. Ipse ego, cùm illic degerem, tribus ejusmodi laboravi, duobus scil. in dextro & uno in sinistro crure, Primus dextri pedis in ipsa planta enatus erat; quô 14. dies decubui, neque ambulare potui, donec tandem disruptus exarescerer. Alter infra malleolum ad digitos usque protensus, ideoque magnis cruciatibus & ulcerationibus curatus est. Tertius itidem sub talo sinistro, cùm ad dimidii cubiti longitudinem prodiisset, disruptus retrocessit in tibiam, quæ ideò insigniter intumuerat, ut 4. menses integros ægrotarem. Nec enim nisi sectione curari potuit, quô tempore nec stare, nec ambulare poteram, sed necesse habebam ab Æthiope perpetuò gestari, Scolarchæ nostri coquus 30. ejusmodi vermibus diutius excruciatus est, per semestre integrum decumbens, ut plerique de vita ejus desperarent, tribus enim aut quatuor curatis, mox alii exoriebantur. Quamquam verò pauci reperiantur, qui absque hoc morbo ex illis locis redeant, vicissim tamen pauci occurrent, qui tam multis, ac coquus ille adfligantur. Sanatus autem & ipse est, ut me discedente, etiam ulterius testiterit. Æthiopes se ipsos sic curant: Ubi vermem digiti longitudine extraxerint, abscindunt & oleo palmæ illinunt, folioque recens ejusdem arboris emplastri loco superimponunt: tumorem quoque, postquam apertione facta, materiam purulentam & ichorodem effluere permiserint, ita persanata solent: Postquam aquâ ex pipere aliisque herbis satis acri reddita eluerint, imponunt deinde oleum palmeum cum folio ad mitigationem. Atque hoc remediô ad omnia ulcera utuntur, *Michael Hemmersamius Noricus Itinerarii Guineens. vernaculâ linguâ conscripti cap. 13.*

Lata urbs magna est bene structa, murisque fortissimis cincta summo montis apice sita. In illa mercatus est, quo varia mercium genera venum comportantur, magnaque illic fructuum copia reperitur. Sed aqua prava & insalubris, putredinum & morborum graviorum ac lethalium causa exsistit. Ex hac aqua, ad Gomeron usque se extendente, ut scribunt, vermes quidam longissimi generantur, qui cruribus humerisque excrescunt, rotundi, congyrati, & in carne occulti. Quamprimùm animadverti concipiunt, aperitur locus, ut caput vermis

capi

capi possit. Tum ligneolo diffisso captus circumplicatur sive convolvitur, sex sæpe pedes longitudine excedens: parum tamen quotidie sic extrahitur, donec totus sensim prodierit. Caute tractandus est, si enim abrumperetur, portio in carne residua, nicus periculosum efficeret. Medicina contra hanc aquam vitiosam est vini providentia, vel saltem abstinentia à potu aquæ illius, antequam cum cura per pannum transcolata fuerit. *D. de Bourges in descriptione Gallica itineris ab Episcopo Berytensi in Sinas suscepti.*

Peregrini imprimis qui Guineam appellunt, corripiuntur vermibus in corpore genitis: imò & Æthiopes non tantum albi, sed etiam nigri prope Minam, locisque vicinis, tum tamen ii qui 25. milliaribus orientem versus habitant, huic malo non sint obnoxii. Vermes isti, quos linguâ vernaculâ *Icrion* vocant, non omnibus, qui eò tendunt sed quibusdam tantùm manifestantur. Sunt enim qui iis laborant, dum in litore aurifero degunt, alii in reditu demum, & iterum alii post iter peractum, etiam 4. 5. 6. imò & 12. mensibus, infestantur. Sunt vicissim, qui ter littus illnd adierunt, & tamen nunquam de his vermibus quidquam audiverunt. Nonnulli congressui causam adsignant, alii singularis cujusdam piscis esui, vermibus scatentis. Alii natationibus & balneationibus in aqua frigida adscribunt. Quidam à nimio vini palmei potu, vel esu panis miliacei, *Caudrarum*, originem trahere dicunt. Sed omnes istæ rationes parum vero consonæ videntur: quia, qui nec cum mulieribus rem habuerunt, nec pisces panesve illorum deguftarunt, nec vinom palmeum biberunt, nec frigidam marinam aquam ingressi sunt, verminm tamen hoc morbo adflicti fuerunt, cùm è contrario plures in terra illa, etiam cum meretricibus viventes, vinoque palmeo sæpius inebriati, nihil hujus mali pertulerint. Verosimilius idcirco fuerit, ex singulari quadam aëris malignitate, aut aquæ potu, nasci, quam Nigri illic ex quodam fonte petunt, Albisque vendunt. Verum quidem est peregrinos multos in litore aurifero aquæ plus nimis bibisse, qui nunquam morbo correpti: sed hi navibus suis infra Mouream appulerunt, non Acaræ, aut aliis locis, Qui enim Moureæ appellunt, vel aquam multam bibunt, citiùs vermibus laborant, quàm qui Acaræ, aut superioribus locis. Variis modis invadit hic adfectus: Alios scil. cum febri, vel horrore febrili, alios cum imbecillitate, lipothymia aut anxietate magna, quosdam etiam cum delirio. Primò se manifestat vesicula exigua, sive pustula, morsui pulicis similis, vel tumor, in quo vermis inter cutem & carnem sæpe etiam videri potest, vel efflorescentia quædam sanguinea cum symptomatibus similibus. In carnosa maximè parte crurom, brachiorum, genuum & natium, imò præcipuè in omnibus partibus carnosis, quandoque etiam in scroto, quo maximos dolores creat, quanquam etiam interdum hic loci non doleat. Sunt qui trimestri integro iis molestentur, alii è contrario, vix tribus septimanis. Alii etiam aliis plures. Quidam unum tantùm, nonnulli una vice etiam 10. habent. Variæ sunt longitudinis & magnitudinis. Alii duas ulnas exæquant, alii unam tantùm, alii denique unà etiam breviores sunt. Quidam crassi, ad instar fidium crassiorum, alii tenues, ut filum sericum. Multi non credunt vivere, sed pro nervis corruptis habent, nec vermes esse putant. Sed motu. quem exitu ostendunt, diversum comperitur. Curatio rarò instituitur, antequam vermis ipse exitum pateat; aut caput exserat. Tunc enim capitur, & tenetur, ne retrocedat. Sensim postea extrahitur tamdiu, donec ulteriùs prodire cesset. Ita parumper quiescere sinunt, donec denuò prodire incipiat. Quidquid extractum est, ligno cuidam exiguo circumvolvitur, ne in corpus retrò meet. Sic verò trahendo ex intervallis pergitur, donec totus omnino egressus fuerit. Si justò fortiùs trahatur, haut rarò abrumpi solet, & tum plerumque vulneris inflammatio subsequitur. Exeundo etiam plerumque multum saniei secum defert. Nigri manum non admovent, sed cicurari sinunt, vulnusque aquâ salsâ eluunt. Optima curatio est, corpus à putrida sanie mundare, & vulnus butyro recenti insulso inungere. Locus quò vermis se manifestat, ante omnia, semper caleat, necesse est, custodiendo illum diligentissime ab omni frigoris sensu. Nisi enim id probe observetur, intumescit plaga, & inflammatur. *O Dapperus in Africa descriptione ex Isaaci Vossii Manuscriptis.*

DROPAX *De eo vid. Bibliotheca nostra Pharmaceutica.*

DURÆ MATRIS VULNERA *Vid. sub titulo* VULNERA.

DYSURIA & ISCHURIA. *vid. sub titulo* URINARUM MORBI.

Finis Libri Quarti.

BIBLIOTHECÆ CHIRURGICÆ

Liber Quintus.

De Affectibus & Operationibus Chirurgicis a Litera E. incipientibus.

ECCHYMOMA *Vid.* CORNEÆ MORBI.

ECTROPIUM *Vid.* PALPEBRARUM VITIA.

ELEPHANTIASIS.

Elephantia totius substantiæ morbus est, contagiosus, occultus, venenatus, ferè elephantis corio ac tergori cutem haud absimilem reddens, unde & nomen accepit. Habet igitur corporis elephantici forma fere elephantis naturæ similia multa. Ut elephas nulli animali similis est, sic neque hic morbus, alii cuiquam. Ille omnia animalia magnitudine & crassitie superat: hic morbus non solum genere maximus est, sed laborantes etiam efficit seipsis majores & crassiores, totumque corpus in tumorem attollit. Qua ratione nonnulli bonc definiunt tumorem præter naturam, qui totum corpus in speciem elephantis immutat: non quod tumor unus in corpore sit, sed multiplex & inæqualis, & per universum corpus hinc illuc dispersus, inms à visceribus facto initio, & progressione usque ad extimam cutem continoata. Summa corporis elephantici pars crebras maculas, crebrosque tumores, & tubercula, verrucis persimilia habet, quorum rubor in lividum aut atrum colorem paulatim convertitur. Et omnes quidem elephantes maculis multis leviter exuberantibus aspersi notatique sunt, & livido cinereoque colore toto corpore obscurantur, nocti & morti pene similes. Ad hæc summa elephantici cutis inæqualiter crassa & dura, quasi squammis quibusdam exasperatur, ac interdum finditur, rimisq; dehiscit & elephas quidem corium habet asperum, crassissimum, duris exuberationibus inæquale, & scissuris multis, semita ac

ac fulcis prælongis intersectum atq; inaratum. Elephanticis capilli & supercilia & barbæ pili vel excidunt, vel in lanuginem extenuantur rarissimam. Et elephas rarissimam lanuginem, non pilos, aut setas toto corpore gerit, præter animalium morem. Denique frigoris impatientissimus est elephantiâ conflictatus, & elephantes quidem hyeme, aut regione frigida contremiscunt, horrent, & intermoriuntur, nisi tota hyeme calido in loco contineantur, & vino generoso reficiantur. Quæ causa est, ut in frigidis regionibus, nec nascantur, nec aliunde advecti diu vivere possint. Tument digiti in pedibus, ac pedes pene similes evadunt elephantum pedibus: unde nonnulli vitium elephantiasim appellatum volunt. Archigenes tamen à magnitudine morbi, sicut ante proposui.

Sunt & qui morbum hunc leonem aut leontiasim appellent, à buccis & superciliis, in his non minus quàm in leone protuberantibus, ac flexili mole præditis, seu ob tumidæ frontis dilatationem ad similitudinem rugosæ pellis superciliorum leonis. Aut denique quòd non minus horrendum & formidabilem, quàm leonis aspectum præ se ferant elephantiasi laborantes.

Satyriasis etiam nonnullis appellatur, quod iisdem malæ cum rubore attollantur, & musculis maxillaribus veluti convulsionem patientibus, mentum ipsum effictâ quadam ad satyrorum formam similitudine dilatetur, aut ob inexplebilem impudentemque coeundi, qua hi continenter jactantur libidinem. Hac enim fabulosi Poëtæ satyros exardescere memoriæ prodiderunt. Habent igitur faciem satyris persimilem, & concubitum vehementer appetunt atque concupiscunt. Dicitur & herculeus, quoniam eo nullus major est, neque contumacior: & magnus quidem est potestate morbus, quod ad mortem inferendam potentissimus sit atque omnium longe efficacissimus. Nempe à mortis causa ducit originem, quæ primigenii est humidi ab alieno calore depopulatio præpropera, quam terrena omnium partium siccitas consequitur.

Contagiosus vero morbus existit elephas, idque magis quàm lues venerea. Non enim, ut illa solo impuro vel concubitu, vel attactu, sed etiam inquinati aëris inspiratione contrahi vulgo fertur. Inquinatur autem aër quem inspirando trahimus, ulcerum virulentorum fœtore, & corrupta spiritus exhalatione. Quod si aliquando neque ex parentum semine, neque ex alterius inquinati contagione, sed ex proprio intimoque vitio generatur, non idcircò contagiosorum morborum numero expungenda est elephantiasis, non enim contagiosus morbus, ex solo ortu primo, sed ex invadendi serpendique modo & ratione spectatur.

Occultus autem morbus dicitur, quod diu intus delitescat, priusquam se prodat, nec ullam insignem sui conjecturam notamve ipsius principium exhibeat, ut qui à manifesta humorum intemperie, aut putredine oriuntur, & quod neque dolor, neque febris, ullave alia aperta atque inusitata affectio ante hominem incessat: neque in corporis summis partibus repræsentetur per initia, ut protinus eum videre quis possit, & venienti occurrere ac resistere. In visceribus namque abditus fomes succenditur, ibique sævit, dum interiorum victor, in superficie tandem exardescat. Non igitur ut rectè scripsit Archigenes, tum gigni morbum hunc existimandum est, quum ad cutem tumores prorumpunt, sed potius perfici. Prima enim mali labes in jecore & liene residet, atque inde vitium serpit, patea in internis visceribus tumores excitans, qui in externis postea apparent.

Venenatus quoque censetur elephas. Non enim terrenus & melancholicus humor, toto etiam corpore exuperans, vel bilis flava, vel ex iis genita atra, primùm hunc infligit, quàm venenatam quandam malignitatem ac perniciem asciverit, quæ tum universi corporis humores, tum partium solidarum substantiam polluat & labefactet. Hujus rei argumenta sunt, melancholia morbus & mania, in quibus atra bilis toto corpore diu redundare potest sine elephantiasi, & febris quartana, tum intermittens, tum continua, in qua melancholicum humorem putrescere fatemur nullo elephantiæ periculo.

Elephantiæ causæ, aliæ externæ & evidentes, aliæ antecedentes, aliæ proximæ continentesque dicuntur. In externis numerantur, diuturni & exurentes solis ardores, longa & perperam suscepta inedia, victus tenuis, siccans & excalfaciens, decocti guajacini usus diuturnus & intempestivus, vini generosioris & meracioris potus: esculenta ac potulenta, quæcunque vel bilem flavam exurunt & extorrent, aut crassum & melancholicum succum procreant, ut bubula, cervina, asininave caro, & reliqua ejus classis omnia, quæ alibi particulatim enumerata sunt. Deinde salsamenta omnia & pipere aut alio aromate condita. Postremò legumina plurima, ut lentes, fabæ. Hæc enim omnia crassi pravique sunt succi.

Secundum locum tenet alterius inquinati contagio, quæ sive concubitu, sive accubitu, sive assidua vitæ consuetudine comparetur, idcircò elephantiam infligit, quod ex elephantico corpore perniciosa quædam qualitas pariter cum humore, vapore aut spiritu transferatur in integrum corpus, cujus non solùm humores, sed partes etiam omnes sensim pervadat atque contaminet. In evidentibus primum ac præcipuum locum sibi vendicat vitiosa alterius aut utriusq; parentis elephantia laborantis constitutio. Nam si fortè parentum alter quum genuit elephantia tenebatur; fœtus profectò ei nascetur elephanticus, tanta est divinæ procreatricis facultatis energia, ut in semine intemperato ac prorsus impuro consistens, corporis partes vel ex impura materia fingat & efformet. Si nondum elephantiâ parens quum genuit, tenebatur, sed in eam duntaxat propensius erat atque proclivis, filius eadem ætate qua parens, elephantiâ prehendetur, eritque elephantia hæreditarius morbus elephantico parentum semine genitus. Fieri tamen posse arbitror, ut quemadmodum Aëtius scriptum reliquit, non omnino contagiosæ sint successione hujus affectionis in omnibus, quum videlicet alterius parentis integra valetudine præditi semen in conceptione vincit.

Mulierem quæ instantibus aut profluentibus mensibus conceperit, fœtum edere in elephantiam proclivem Avicennas literis prodidit, non admodum verisimili opinione. Multis namque orbis tractibus nunquam grassari deprehensa est elephantia, in quibus tamen sæpe profluentibus mensibus mulieres concipere verisimile est. Et in hac nostra Gallia, quæ parum mensibus repurgantur, vix alio quàm ipsius purgationis tempore concipiunt, citra ullam in elephantiam propensionem. Secundo loco sunt mensium & hæmorrhoidum diuturnarum suppressio, aut varicum, in quas natura sese exonerare consueverat, sectio, vel ustio. Deinde jecoris calida & sicca intemperies bilem flavam cumulans, quæ diu cohibita in atram facilè degenerat, & venenatam perniciem indipiscitur, quam toti impartitur, ac communicat. Animi mœrores, & perturbationes, quæ melancholicum & terrenum humorem adaugere possunt. Frequens iracundia, quæ bilem flavam in atram ustione commutat.

Antecedentes causæ putantur bilis flava, sanguis, melancholicus humor, & pituita salsa. Hi enim humores quum supra modum torrentur, in atram bilem degenerant, quæ diu coërcita sensim ac tempore venenata labe inficitur. Nam venenum in nobis sponte

gigni posse, Pelopis auctoritate confirmat Galenus, & experientia docet in epilepsia, suffocatione uterina, aliisq; ejus classis affectibus.

Proxima continensque elephantiæ causa terrenus & melancholicus est humor, virus perniciemque adeptus, quod pustulæ maxime demonstrant, duræ, siccæ, lividæ, purpureæ, inæqualis cutis durities ex rubro nigrescens. Hic autem humor malignam ac venenatam qualitatem ustione indipiscitur, quam tum visceribus, tum aliis partibus omnibus sensim impertitur, ac communicat. Illa vero semel inquinata, non nisi terrenum quendam & melancholicum succum, vel ex purissimis alimentis postea proferunt, ejusdem veneni participem: quo partes deinceps imbutæ ac enutritæ, tempore similem nanciscuntur naturam, fitque elephantia totius substantiæ morbus, & universi corporis velut cancer quidam. Totum igitur corpus in elephantia ita afficitur, ut ipsa quoque ossa vitiari dicantur, quod ipsa etiam impuro truantur succo. Verùm prima ac præcipua mali labes in jecore residet, è quo postea cum sanguine in totum spargi propagarique solet.

Quæ sponte proprioque vitio nulla alterius inquinati contagione invadit elephantia; viros quàm fœminas sæpius & crudelius exercet, atque inter illos, rursum frequentius, qui crassum, lentum & melancholicum sanguinem, aut salsam pituitam congerunt. Ac proinde qui victu ad hujusmodi procreandos humores idoneo utuntur, sæpius, quàm qui contrario.

Quamplurimos enim in Alexandria elephantia conspurcari propter victus rationem, & regionis fervorem, ex veterum monimentis accepimus. Illic enim elixata farina, & lentibus, & cochleis, & multis salsamentis, & nonnulli ex ipsis, à nimis carnibus & aliis quibusdam cibis, qui crassum & melancholicum succum generant, vescuntur At in Germania & Misina rarissima hæc affectio videtur. Et apud Scythas lactis potatores nunquam ferè apparuit. Deinde qui vel otio torpescunt, vel cibo & potu nimio sese ingurgitant, vel inedia, vel violenta exercitatione, quæ sæpe humores adurit, vel cibos in ventriculo corrumpit, præsertim in calida & sicca regione, utuntur, non raro in elephantiasim incidunt.

Nationum igitur aliæ familiarem agnoscunt morbum hunc, ut Ægyptus & Judæa. Aliæ vix novere, ut Germania & Scythia & olim Italia. Aliæ inter utrasque mediæ. In universum æstuosis regionibus, quàm temperatis, & frigidis, frequentior. Quanquam sunt qui extreme frigidis ac gelidis familiarem esse contendant, quod prohibita transpiratione, coercitoque calore humores exurantur.

Quod ad ætates pertinet, quum nec pueri, nec adolescentes, humorumque dixi vitiis pateant, elephantia vix eos, sponte sine seminis labe invadit, sed ætate florentes, vel etiam provectiores. Vix etiam ullus eunuchus hoc morbo tentatur. Qua ratione nonnullos legimus sibi testes execuisse, ne ea ignominię labe aspergerentur. Sed & qui elephantico parente progeniti sunt, raro in elephantiasim ante pubertatem incurrunt, si prudenter se gerant atque contineant. Eadem de mulieribus, quę singulis mensibus naturæ lege purgantur: deque viris, quibus statis temporibus hæmorrhoides fluunt, vel insignes varices, in tibiis sanguinem profundunt, sententia ferenda.

Antequam in extremis corporis partibus certæ elephantiæ notæ se prodant, ingens corporis segnities, & ignavia motusque difficultas, exercet, spiratio tarda & difficilis evadit, alvus sicca & adstricta est, urinæ jumentorum lotiis simillimæ, albæ, crassæ & turbidæ sunt. Expiratio gravis & fœtida, ructus continui, ipsi etiam ægroto non parum molesti, assidua cruditas. Appetitus nec integer est, nec omnino prostratus, digestio facilis, tanquam in suum ipsius alimentum morbo raptim attrahente, propterea inferioris ventula siccitare laborant. Impetus in venerem intensus, in somnum propensio. Insomnia metûs & mœstitiæ plena, velut & animi mores, qui subdoli quoque & vafri existunt. Vitii causæ foras emigrante, maloq; ad cutem progrediente, malæ crassiores fiunt, & pro illo idoneo ac vivido colore, livido rubore tinguntur, & tumores in facie extuberant. Plerumque enim in facie hæc lues erumpens, tanquam ignis de specula procul conspicuus effulget. Hinc humore multo perfusæ cutis sensim crassior, durior, asperior, decoloratiorq; redditur; & crebras maculas, crebrosque tumores habet: & aliis quidem nigricat aut livescit, quibus melancholicus succus, aliis flavescit, quibus bilis flava, aliis albicat, quibus pituita salsa, vel in atram bilem degeneravit, vel atræ bili permista est, aliis ex rubro livescit, quibus crassus sanguis ustione nigrescit, atque in atram bilem depravatur: unde quatuor elephantiæ differentiæ constitui possunt. Alia enim subrubicunda dicitur, quæ à sanguine melancholico & limoso profecta est, & mitior esse solet. Alia alba à melancholico humore pituitæ salsæ admisto, vel potius à pituita salsa nitrosa & acri, & hac minus deturpari ac dehonestari ægri solent.

Alia nigra ex vera atra bile (quæ omnium pessima & fœdissima existit: In hac enim corpus universum tandem ulceribus scatet, & extrema putredine consumpta plerumq; nullo sensu decidunt. Alia subflava, quæ à bile flava præassata, & in atram degenerante fit. Hæc per initia quidem mitis, tandem fervida & pessima evadit. Primum autem in facie, aut in manibus, aut in pedibus elephantiæ signa comparent, natura quoad licet vitia longissime à corde, & hepate propellente in corporis extrema, minime tamen expurgante, ob humoris crassitiem & cutis densitatem: deinde verò & in reliquo corpore pullulant. Eadem de causa in extremis corporis partibus sensus paulatim hebescens; tandem plane torpescit, inestq; frigus perpetuum, maxime vero in pedibus, & tibiis calore in præcordiis coercito, ubi noxiæ materiæ scaturigo & focus latitat. Motus verò semper per initia integer, in quibusdam etiam ad obitum usque servatur: in aliis tandem depravatur vel prorsus abolitur: maximè verò in pedibus & tibiis. At frigoris & stuporis sensus toto morbi decursu fatigat, sed magis eo ingravescente. Tum temporis depravatæ in omnibus partibus concoctiones & assimilationes fiunt, qua ratione tubercula plurima verrucarum instar, alia juxta alia increscunt, & tumores alii juxta alios exurgunt, melancholici humoris exuperantiam natura foras extrudente. quæ in cute concrescit. Primùm quidem, ut supra positum est, in fronte & reliqua facie, quoniam exhalatio omnis sursum facillime fertur, præsertim ad faciem, in qua venulæ multæ oblitetantur. Deinde etiam in manibus, & reliquo corpore. Pedes, suræ, manus & facies, elephanticis facilè intumescunt, interdum quoq; & reliquum corpus, quod intolerabilis gravitatis sensu semper premitur & torpescit. Labra sensim adeò crassescunt ac prominent; ut invertantur, eorum parte inferiore livescente. Nares resimę evadunt, & extrinsecus atris tuberculis scabræ: intus verò alarum crassitie obstruuntur, & rimis discerptæ, atq: ferè intus ulceratæ crustulas nigras atque cruentas excutiunt. Quibus ex causis olfactus ferè concidit. Venæ temporum distentæ sunt, & quæ sub lingua conspicuæ apparent, livido, nigro, & fæculento sanguine turgent. Lingua verò ipsa granandinosis variis extuberat, velut & palatum verrucosis

tuberculis,

tuberculis. Aures extenuantur rubentq; admixto nigrote, ulcera in earum basis sunt, è quibus sanies defluit, ac pruriunt, aut obstructæ sunt & elephantice, ut solito grandiores esse videantur. Oculi caliginosi, in orbem coguntur, alio atq; alio colore notantur, plerunque tamen candidum ex rubro flavescit, miraque crassitie quasi ungue obtegitor. Supercilia pilis nudantur, prominent, crassa, prædura, ac fere callosa evadunt, deorsum versus pondere vergunt. Color lividus aut ater est. Episcenium vehementer contrahitur, dum tandem oculos contegat, ut irascentibus leonibus accidit, unde & leonina hæc affectio forte vocitata est. Pili in toto corpore præmoriuntur, dein sensim defluunt. sed primum supercilia, & palpebræ, & mentum & pubes glabrescunt. Dein rara in capite evadit cæsaries, intempestivi cani, & calvitium subito ingruunt. Horrenda denique evadit partium omnium deformitas. Nam si qui pauci pili remanent, hi magis dedecent, quam qui defluxerunt. Totius corporis habitus sic commutatur, ut multi alarum instar, prominentes scapulas habeant, & mutato faciei colore, caracteri & mole auribus retortis satyros referant. Pedum plantæ & calnea rimis profundis & asperis intersecta sunt, manuum pedumque digiti siccitate dehiscunt, unguesque finduntur ac dilacerantur. Totius corporis cutis exarescit, atque fœda eaque sicca scabie exasperatur: sæpius cum pruritu, nonnunquam sine hoc. Malo ingravescente, alimento quidem privatur corpus, ipsaque musculorum caro absumitur, seorsimque liquescit, sed crassescens tamen cutis rugis asperis magis ac magis exaratur. Ad hæc quæ primum stupida cutis erat, sensu omnino destituitur, manente motu, ut ne infixa quidem acicula dolorem moveat, neque aspersa fervens aqua exurat. Observavi tamen in quibusdam pedum motum cum sensu periisse, & in quodam alterius brachii: qui tamen restitui sunt. In omnibus spontaneæ insunt lassitudines, & singula membra quamtumvis exigua, inusitata & intolerabili gravitate premuntur. Quinetiam corpus omnia gravatim fert, non illuvie delectatur, non cibo, non jejunio, non motu, non quiete. Ab omnibus enim morbus alienus est. Somnus exiguus & brevis est: vigilia pejor, mala sua cogitans, vox raucescit, crassefacta, exasperataque grandinosis variis arteria & gutture. Neque enim, ut recte scripsit Areteus, inopinabile est omne corpus talibus scatere tuberculis, quandoquidem & suillæ carnes, elephanticæ grandinis plenæ sunt. Spiratio difficilior multo quamdudum evadit, & nonnulli circa somnum sic afficiuntur, ut præfocari, strangulatique videantur. Spiritus totiusque corporis exhalatio fœtore molesta est. Pulsus exiguus, imbecillus, creber, tardus. Tumores malarum, menti, digitorum, aliarumque partium, in sordida & virulenta, eaque fœda ulcera degenerant, gravisque putredo omnia contaminat, dum aliis nasus, aliis manuum aut pedum digiti: nonnullis etiam pedes ac totæ manus de corpore excidant. Neque enim elephantia prius perimit à turpi vita, sævisque cruciatibus liberans, quam membratim dilaceratus homo sit, sed longeva est, quemadmodum & elephas animal. Aliter atque aliter in hisce habet appetentia, non obtusa, sed gustatus atq; qualitatis expers est, nullaque edendi aut bibendi delectatio. Angusto pusilloque animo fiunt, neque præ vitæ amore vitam relinquere & contemnere possunt, neque calamitatem generoso altoque animo perferre, verum seipsos condemnantes sese occultant, & hominum notorum consortia, conspectusque fugiunt. Non tamen omnia in omnibus, sed alia in aliis symptomata deprehenduntur, ut est peculiaris cujusq; corporis natura, vitæ lex, & grassantis veneni pernicies. Et quo graviora insunt, eo sævior elephas judicandus est. De elephantiæ signis plus satis, nam quæ ex urinis ac sanguine petuntur, incerta sunt omnia atque fallacia.

Quum morbis quo dissolvantur, vel paria, vel majora esse remedia oporteat (quod enim super lossiminique morbo est, hunc quidem minuere, eaq; ratione juvare, sed nec prorsus tollere, nec profligare potest) nemini mirum videri debet, si nulla remedia a veteribus excogitari potuerunt, quæ elephantem ingens malum expugnare, ac funditus excindere queant. Neque enim in parte una, aut viscere uno inhærescit, neque aut intus duntaxat labes occulitur, aut extra tantum prorumpit, neque humores solum, mollesque corporis partes leviter afficit, sed in penetralibus totum hominem occupat, & extrinsecus totum amplectitur, in solidas quasque partes, atque in ossa ipsa ita sese insinuans ac penetrans, ut propriam illarum substantiam prorsus immutet. Triste profecto & visu terribile spectaculum. Quod ubi ad summum malignitatis suæ fastigium conscendit, tum stabilem ac firmam in ipsis visceribus & solidis partibus sedem collocat, ut omnino dimoveri, divellique non possit. Hic igitur perniciem differre non auferre, vitam in longius tempus protrahere, & morbi fœditatem emendare, non funditus ejus causam excindere licet.

At si ad novam & adhuc orientem elephantiasim curandam, idonea victus ratio, & medicamenta quæ mox referam, conferantur, salutis spes tandem affulgebit, præsertim si ea improba victus ratione, vel ex alterius inquinati contagione, non ex parentum semine malum originem habet. Nam quum ex elephantico semine vitium contractum est, etiamsi adhuc oriatur, de ægri tamen salute spes omnis abjicienda, nostris tamen remediis morbus coerceri reprimique potest. Sunt autem ex iis, qui vitium ex prava victus ratione, vel inquinati alterius contagione, non ita pridem contraxerunt curatu faciliores, quibus à bile flava, aut à pituita salsa, aut à crasso sanguine superassatis, proxima mali causa orta est. Quæ à bile originem trahit, sævioribus quidem symptomatis urget, & neglecta citius premit, quam quæ à melancholico succo in atram bilem converso proficiscitur: ideoque majorem curandi rationem postulat, sed facilius remediis cedit & obsequitur. Quibus testes vel natura desunt, vel execti sunt, ii vix unquam elephantia tentantur, si Archigeni credamus. Sed nec jam prehensis aliunde præsentius remedium, quam ex testium excisione affulget. Quotquot enim execti sunt, tanti mali discrimen effugiunt, si modo temperatam eamque frigidam & humidam victus rationem in posterum tenuerint: hancque veterum complures, ut omnium tutissimam curandi rationem sequutos esse comperio. Legibus cautum est ne cum sanis versentur elephantiaci: nec injuria, mea quidem sententia. Licet enim ex iis, qui elephantia laborantibus perpetuo assiderent, neminem hactenus sola inspiratione eodem vitio contaminatum videre potuerim: observavi tamen halitus graveolentia, ulcerum fœtore, & tetra totius corporis expiratione illorum bonam constitutionem tandem labefactari.

Quanquam igitur elephantiæ perinde atque luis venereæ virus humore quodam non spiritu, pro vehiculo utitur, sine quo vix consistere, aut in alios commigrare, & parem affectum parere queat: ideoque vel concubitu, vel accubitu, vel osculo, vel alio impuro attrectatu opus est, ut contagionis seminaria celeriter in alios commigrent: quoniam tamen inspiratione sic aërem inficiunt elephantici, ut assidentibus omnibus gravis & morbidus sit, recte eos à reliquorum societate leges sejunxerunt.

Qui elephantiam curare aggreditur, humores præter naturam in corpore collectos primum educere debet, deinde contractam intemperiem & terrenam ſiccitatem veneni participem emendare. Quæ dum fiunt & in corpore jam genita tubera ferro excindenda, aut cauſtico medicamento exedenda & ulcera illinc relicta, vel ſponte nata, tergenda, implenda, atque cicatrice obducenda, & alia ſymptomata corrigenda ſunt.

Remedia ergo in genere ſunto, initio quidem, incremento, & quandiu humor effervescit, refrigerans & humectans vitæ lex: ubi vero deferbuerit, & calor elangueſcere cœperit, temperata, vel paulo calidior. Purgatio frequens, venæ ſectio ex intervallis repetita. Balneum aquæ dulcis, litus ex hydrargyro, aut certe catapotia ex eo ipſo & auro, alia alexipharmaca varia. Cornua ſeu cucurbitæ. Cauſtica & cutem detergentia, atq; faciem illuſtrantia: quorum omnium uſum particulatim expediam à victus ratione orſus.

Incipiente morbo victus ratio imperanda, quæ refrigerandi & humectandi facultatem habeat. Calida enim & ſicca eſt morbi cauſa, quæ per contraria profligari poſtulat: plus tamen aut minus, pro humoris morbum committentis, & corporum differentiâ. Convenient igitur frequentes ſorbitiones ex pullis gallinaceis, & vitulina carne, quibus ſub finem coctionis, acida & refrigerantia olera adjiciantur, oxalis, atriplex, portulaca, viola, bugloſſum, borrago, lactuca, ſcariola, plantago, uva acerba, oxyacantha, aliaq; ejuſdem claſſis, quæ atræ bilis calorem & ſiccitatem temperant, malignitatemque inſiænant. Ebur, & cornu cervinum ſiccitate quidem aliquantum obeſſe videri poſſunt, ſed veneni perniciem oppugnant & infringunt: maxime vero cervinum cornu, ideoque & ſorbitiotibus incoquitur, & cibia utiliter permiſcetur, qui illius ſiccitatem corrigant. Carnea boni ſucci & coctu faciles, elixæ optimæ ſunt, ſi ſuprapoſitis herbis condiantur. Conceduntur & aſſæ, ſi cum omphacio aut alio condimento acidulo earum fervor retundatur. In id primas tenent mali punici, aut citrii, vel medici ſucci. Sequitur oxalidis ſuccus, omphacium & acetum: quibus aqua roſ. aliquando commode adjicitur. Item ova ſorbilla & piſces euchymi. Cremor hordei amygdalino lacte exceptus, & cum ſaccharo roſaceo coctus, omne alimenti genus anteit profecto, ſeu bonitas ſucci, ſeu coctionis facilitas, ſeu calidæ & ſiccæ, uſtæq; bilis contemperatio quæritur. De lacte aſinino eadem ferè ſententia eſt. Vacuationibus igitur neceſſariis præparato corpore, invicem modò hordeatum, modò lac aſininum, pro jentaculo ſit, præſertim per æſtatis ardores, & in elephante quem atra bilis à flava genita procreavit, aut certe alternis menſibus uſurpentur. Quinetiam qui ex hordeo pania conficitur, utilis eſt, terget, refrigerat, alvum libetam efficit, & alimentum corpori præſtat non contemnendum.

Vitentur ſalſamenta omnia, & aromaticis condita, aliaque omnia potulenta & eſculenta, quæ bile ferventem ſanguinem procreant, veluti cœpe, allium, porrum, ſinapi: deinde bubulæ, cervinæ, aſininæ, ſuillæ, leporinæ carnes, caſeus vetus, aliique cibi omnes, qui terrenum ac melancholicum ſuccum progignunt. Item legumina omnia, & quæ difficile coquuntur, & flatus, quibus elephantici maxime premuntur, proferunt. Niſi forte per morbi initia quum fervidus calor omnia exurit. Tum enim & mala carpendula cruda & pira chriſtiana cum ſaccharo eſſe licet, & lactucam ac portulacam in acetariis, ut tantum fervorem reſtinguant, maximè verò melones & reliquos fructus horarios ejuſdem generis, vel ceraſa acida. Capparum uſum etiam veterea in acetariis concedunt.

Potus eſto non merum, quod invaleſcentem partium ſiccitatem foveat, & humores exurat, non cereviſia, quæ craſſi ſucci copiam aggerat, non aliud denique potulenti genus, quod ferocientem elephantiæ cauſam exaſperet: ſed vel pomaceum, limpidum, pellucidum, optime defæcatum, nec acidum, nec prædulce, pari etiam aquæ portiône dilutum, vel hordei & paſſatum decoctum, vel vulgaris ptiſana. Quod ſequitur, decoctum humorum fervórem reſtringuere & malignitatem occulta proprietate reprimere atque obtundere poteſt. Ideoque in hac curatione omnibus aliis antecellit, quandiu inſiti caloris vires frigida nullo negotio vincere, ac concoquere poſſunt. His enim langueſcentibus decocto frigida detrahere præſtat.

℞. Saniculæ, buglæ, plantaginis, pimpinell. calendul. ulmariæ, ſingul. p j. ſcobis eburneę, cornu cervini, utriuſque ʒ j. paſſarum purgat. glycyrrhizæ raſæ, utriuſque ℥ ij. hordei p. j. Coquito in aquæ ℔ v i i i. dum duæ deceſſerint. Decoctam percolatum, & ſyrupo violato conditum uſui repoſito. Eaſdem vires habet quod ſequitur.

Cichorii radicis tres quatuorve uncię, cum paſſarum pari pondere, aquæ ℔ v i i i. coquuntur, dum ſex ſolùm ſuperſint. Tum glycyrrhizæ purgatæ tuſæ ſeſcuncia, hordei pugillus, ſcobis eburneæ, cornu cervini & ſem. fœniculi, ſingul. ʒj. adjicitur. Ferveant omnia ruſum dum libra una abſumpta fuerit: dein olla ab igne remota, perfrigeratum decoctum colo trajiciatur, quod per ſe vel cum ſyrupi violacei momento in vicem vini uſurpetur. Plantago & lactuca recte inſeritur tum ſorbitionibus, tum decocto, modò deſcripto, dum fervet humor & exuritur. At inclinante ac fatiſcente natura frigida omnia marceſcentem inſitum calorem convellunt, & flatus gignunt, ſæpe etiam febrem movent. Pimpinella quòd venenatæ perniciei obluctetur, neque frigore aut calore obſit, omni morbi tempore tuto uſurpatur, velut & borrago, ſanicula, calendula & bugla, quod putredini adverſentur. Hordei ſolius decoctum (aqua hordei vulgo appellatur) & palato non ingratum, & retundendo incipienti morbo aptiſſimum exiſtit. Commode in eo mali punici acidi aut ſubdulcis granula imponuntur, & in vicem ſacchari glycyrrhiza ac uvæ paſſæ.

Bene faciet & potus divinus, qui pro aquæ coctę, vel decocti hordei libris ſingulis ſucci mali citrii unciam, & ſacchari unam habeat unciam cum cinnamomi pauxillo: ſed tandem ventriculo officit. Si fortè ingrata hæc diſplicebunt omnia: aqua ſimplex optima uſurpetur, quæ tamen affecta ætate & remiſſiore calore noxia putanda eſt, cujus loco aq. ſacch. & modico cinnamom. condita conceditur. Inedia quum bilioſaa materias imprimis commoveat & accendat, atque graſſantem clanculum partium ſiccitatem promoveat, jure inter res huic morbo infeſtiſſimas habeatur. Invaleſcente putredine ac calore fatiſcente potus deligendus, qui ſpiritus inſtauret, vires foveat, ſerpentem putredinem arceat, & vitam in quàm longiſſimum fieri poterit, tempus proferat: cujuſmodi eſt qui ſic habet.

Caput & fruſtum vituli aquæ libris decem coquitur, dum ſex ſuperſint: ſub finem adduntur veronicæ utriuſque, bugloſſ. borrag. aſclepiad. pimpinell. calendul. ſaniculæ, ſymphyti majoris & minoris, plantag. ſcariolæ ſingulorum M j. rad. pentaphyll. veronicæ coronatiæ, ſem. cardui, ſcobis eburneæ, & cornu cervi, ſingulorum ℥ß. Colatum jus in vitream ollam inditur, ut in duplici vaſe aqua proliciatur, quæ

faccharo

saccharo & santal citrini momento condita usui apta sit. Cibus igitur sit paulo plenior, sed euchymus & coctu facilis, isque bis die potius quam semel sumatur. Nova enim esca continenter corpori applicata spatio temporis antiquam vacuationibus jam minorem factam, obscurat atque infringit.

Vehemens omnis exercitatio, quæ sudorem elicit imprimis noxia est, ut & duræ corporis frictiones, & quæcunque vel corpus exiccant, vel humores inflammant & torrefaciunt. Adde & fomenta omnia sicca, & natationes in mari aut sulphureis & aluminosis aquis. Dein & unctiones omnes siccandi facultate præditas, & vinum absynthites (quod tamen à vomitione aliquando, & ubi cruditas urget tuto dari potest.) Hæc enim omnia aliaque ejus generis invalescentem partium solidarum siccitatem diuturno aut frequenti usu fovent, & mortem accelerant: quemadmodum & ira, & mœror, & reliqua omnia animi pathemata, quæ humores exurere, & calorem insitum labefactare, atque atterere possunt. Somnus diurnus elephanticis perniciosus est, nocturnus autem aptissimus post justum à cœna intervallum. Deambulatio lenta commoda, velut & frictio lenis, subductis alvi fæcibus redditaque urina. Hæc quidem refrigerans & humectans victus ratio, quandiu fervet humor, vigetque calor insitus, alieno tamen æstuante tenenda: maximè verò in eo elephante, qui ab atra bile quam flava procreavit, profectus est. Nam quum ita jam exusta ac retorrida sunt omnia, ut cinis duntaxat supersit frigidior, in calore & frigore temperata alimenta necessaria sunt, alioqui labascente calore insito ac pene jam extincto, quæ ab eo fiunt concoctiones frustrantur, aggeruntur que flatus & cruditates, quæ corpus mire lacessunt. Qui eo miseriæ jam præcipites acti sunt, sumpto potulento aut esculento refrigerante, febre tentari solent, donec nata inde cruditas evicta sit: qui tamen morbi initio calidis tum alimentis, tum medicamentis valde offendi viderentur. Itaque pro morbi progressione, ætatis & temperamenti differentia, aliaque medendi opportunitate prudenter immutanda victus ratio. Hoc tamen sciri velim, calidiore & sicciore victu, quam humidiore & frigidiore graviorem noxam ab elephanticis contrahi. Inclinante ergo natura, vini sed diluti usus concedendus, alimenta temperata, euchyma ac concoctu facillima deligenda, imperandaq; sunt, quæ à languidiore calore nullo negotio confici, concoquique possint. Fugienda etiam acida omnia, nisi saccharo aut cinnamomo condiantur. In iis nulla tentari debet curatio, quæ morbi causam excindat. Illic enim symptomatum impetum retundere, ac perniciem differre, non morbum radicitus evellere licet. Idonea victus ratione præscripta, in humorem qui naturæ molesti sunt & graves, præparationem & vacuationem incumbere oportebit. Sed quoniam tres omnino sunt corporis regiones, è quibus excrementa arte educuntur, priusquam crassus & fæculentus sanguis, venis majoribus coercitus agitetur, quæ in prima corporis regione coacervata sunt, eluenda, expurgandaq;, primum quidem clystere, deinde carhartico blandiore: cujusmodi sunt cassiæ atramentum, rhabarbarum, & senna, & quæ ex iis fiunt compositiones catharticæ. Si quis tamen, ubi plenitudo inest, ante usum catharticorum sanguinem mittat, nullam gravem noxam accersiverit. Avicennas Græcorum imitatione venæ sectionem quum ex usu est, purgationi præmittit, nec ante octavum ab ea diem purgare aggreditur. Purgat autem perhieram diacolynthidos, vel per apozemata, aut catapotia, quæ helleborum, scammonium, lapidem cyaneum, pulpam colocynthidos, & aloen habeant, à quibus in hujusce morbi initiis, ob cruditatem, lentorem & crassitiem humoris abstinendum censemus, ne magna sequatur perturbatio. Ille satis esse putat, si semel aut bis quoque anno validis hisce pharmacis purgentur elephantici: nos mitioribus sæpius repetitis, sensim cacochymiæ sentinam melius, rutiusque exhauriri didicimus: illorum tamen usum turgente materia haudquaquam repudiamus.

Archigenes primas purgationes molitur colocynthidis pulpa in catapotia redacta, qua tamen serosos humores, qui atræ bili, veluti frænum aliquod injiciunt, & pituitam potius detrahi comperimus melancholia retorrida intus restitante. Itaque primo curationis hujus die, alvus clystere proluenda, postridie vero, purgans medicamentum, quod nulla perturbatione ventriculum, primas venas & intestina sordibus exoneret, propinandum: tertio die vena incidenda in cubito dextro conspicua: postero die secunda & interna sinistra si vires valeat: sin minus, bidui interjectio iis recreandis aptior fuerit. Detrahendi autem sanguinis modum, vires & vasorum plenitudo præscribent. Oportebit & in malleolis, post aliquot dies venas tundere, deinde & in fronte. Ut semel dicam, sæpe & multum, & variis ex locis in hoc affectu sanguinem mittere operæ pretium est. Reviviscit namque elephanticorum calor detracto putri & fervente sanguine hacque quasi sarcina levatum, corpus multo alacrius evadit. Exigua quippe sanguinis pars, in elephanticis optima est, quæ naturæ in alimentum cedat, reliqua verò plurima. Hinc repetita evacuatione detrahere, illam familiari ac bono alimento adaugere oportebit. Habendus tamen modus in evacuando, dandaque erunt intervalla, quæ recreandis viribus satis sint, & quo magis progrediente morbo vires imminuuntur, eo minus sanguinis detrahendum. Interea dum sanguinis detractiones fiunt, si durior alvus diutius substiterit, alternis diebus solvenda, aut etiam ducenda, vel cassiæ attamento, vel jusculo purgatorio, vel clystere, aut vicissim modo hoc, modo illo. Sanguine quantum opus erit detracto, duo scopi supersunt, ad quos medici consilium omne, quotaque dirigitur, purgatio & commutatio. Purgatio quidem ejus quod sic vitium fecerit, ut pristinam integritatem recipere non possit. Commutatio vero, cum humorum, tum partium nostri corporis sic venenata labe inquinatarum, ut tamen in pristinam bonitatem revocari, reducique possint. Arte igitur sensim educenda quæcunque à naturali statu ita recesserunt, ut nullis remediis restitui queant. At vero immutandum quicquid emendari atque corrigi posse videbitur. Educetur autem secta vena, catharsi, cucurbitis, cornubus, balneis, unguentis, & emplastris digerentibus aut suppurantibus. Venæ sectio noxium quidem humorem demit & vacuat, sed una cum eo utiles spiritus & humores puros in sanis detrahit, eaque ratione vires dissolvit, & nativi caloris robur atterit: at in elephanticis, ubi fere totus sanguis venenatam putredinem concepit, si intervallis repetatur, nihil nocuerit quandiu vires valebunt. Purgans tamen medicamentum id duntaxat detrahit, quod naturæ prorsus ineptum atque inutile est, relicto utili alendo corpori idoneo, quod immutantibus emendetur, si quod substantiæ aut qualitatis exiguum vitium contraxerit. Qui circum viscera & in venis majoribus redundat crassus ac fæculentus humor, (ejusmodi esse solet, qui hujusce morbi materia censetur) nec per sudores evacuari, nec cæca transpiratione digeri, nec vomitione facile ac tuto excludi, sed sola alvi purgatione & venæ sectione detrahi potest. Porro horum remediorum usus multiplex ac varius existit; nam modo purgantibus &

immutantibus confusis atque permistis, eodem die purgatio & commutatio adhibentur, modo vicissim purgatio & immutatio tentatur. Noxios igitur humores eodem die præparare ac purgare possunt syrupi & apozemata, quæ præter semina, agaricum & elleborum, radices, herbas, semina, ac flores habeant, quibus attenuandi, incidendi, aperiendi, humectandi, refrigerandi, putredinem inhibendi, atq; atræ bilis perniciem edomandi, infringendique facultas insit. Sed his alternis duntaxat diluculis, aut quarto quoque die locus erit, ne quotidiano usu ventriculo ac visceribus (quorum robur ad morbi longitudinem tueri operæ pretium est) ulla vis & noxa inferatur. Diebus verò interjectis, præparantibus, & immutantibus pugnabimus. Immutant autem quod emendari potest, & præparant quod purgatione excludi postulat, cardiaca refrigerantia, humectantia, bilem utramque & crassam pituitam attenuantia, incidentia, & vias purgationis aperientia medicamenta, julapii, apozematis, syrupi, sorbitionis, opiatæ, tabellæ, pulverisve forma: quorum materia medico exercitato notissima est. Adde & unguěta & balnea, & alia quæcunq; in id usus comprobavit. Veteres ellebori nigri obolos tres cum scrupulo scammonii in sero lactis asinini dissolvebant, ac frequenter præbebant elephanticis. Purgato dein sæpius corpore vomitiones proritabant, primum quidem à cibo deinde etiam jejunis, idque interdum per raphanos, interdum per album veratrum. Sed effrænis nimis & periculosa, ac nihilominus parum efficax isthæc medendi ratio deprehensa est. Purgatio per elleborum ante balnearum usum, & exquisitam præparationem magna molestia minimum proficere compertum. Vomitio nec materiam crassam circum viscera, & in venis inhærescentem detrahere, nec genitam intemperiem emendare, nec malignam morbi perniciem infrænare potest: mucosam duntaxat ventriculi pituitam & bilem multis cruciatibus evellit. Multo igitur sit satius, si nigra & retorrida bilis cassia, rhabarbar. & senna haud satis strenue detrahi videatur, ellebori nigri momentum, apozematis, & syrupis purgantibus, quæ sennam & rhabarb. habeant incoquere, hisque semel aut bis in hebdomade alvum ducere. Est autem purgantium, & præparantium quæ modo proposui, usus vicissim repetendus, dum alimenti penuria morbus fatigetur, ipsæ vero corporis vires alacriores evadant. Nec negligenda etiam in cibis medicamentosa purgatio, quibus diebus validiora cathartica non porriguntur. In prunorum damascenorum decocto colo transfuso, aut in jure pingui sennæ semuncia rectè incoquitur, cum buglosso, borrag. oxalide, & hyssopi ac thymi pauxillo. Excolatum dein decoctum horis duabus cibis præmittitur. Hæc dum fiunt, si vel tubercula, vel latæ quædam maculæ livido rubore cutem deturpent, sive sensus in his jam perierit, sive integer adhuc & incolumis perstiterit, primum fotu & unguento emollienda, deinde discissa cute cornua suctoria identidem adhibenda, quæ parti tenacius impactum, & hærentem sanguinem exugant atque extrahant. Sic illa fronti, genis, cervici, brachiis, manibus, aliisque minutioribus partibus, commode infiguntur, atque exugitur, quicquid in parte redundat humoris alieni. Cornua suctoria quum desinunt, nec cognitus est admovendi modus, cucurbitulæ sufficiuntur, etiamsi multo imbecillius trahant. Post cornua altius rursum discindenda tubera, & catheretico medicamento, aut etiam caustico exterenda, absumendaque sunt. Latæ maculæ scalpelli cuspide discisæ, mercurio sublimato in populeo unguento dissoluto radicitus exeduntur. Idem sed imbecillius ac minore molestia præstat pulvis mercurii, vel solus vel unguento rosato exceptus, neque validioribus opus esse comperio ad omnes elephanticorum verrucosas pustulas, si quis prudenter uti noverit. Maculæ emplastro è cantharidibus, fermento & sapone nigro facile abolentur. Hoc enim vesicas latas tenui sero turgidas excitat, quibus ruptis effusoque humore, mortua epidermis à vera & crassiore cute divulsa, facile nulloque negotio vel excidit, vel eximitur. Tumque si locus nimium extuberat cathereticum unguentum imponitur, quod illam reliquis adæquare possit. Quo quum ventum est, cicatrix inducitur. Si non extuberat, contractus ardor ungento rosato demulcetur, dein cicatrix contrahitur. Jam vero quum primum istorum præsidiorum usu toti corpori provisum fuerit: balneum tepidum ex remollientium decocto apparandum, in quo bis die elephanticus insideat, mane quidem ante epulas horis duabus, & vesperi ante cœnam horis totidem. Hoc in biduum asservari potest integrum, & semel in hebdomade instaurari, donec remittant, aut prorsus evanescant omnia luis hujus symptomata. Ea cautione, ut neque in ipso balneo sudor cieatur, aut diffluat è corpore. Hic enim calidioris balnei nota est. Sit igitur justo tepore moderatum balneum, ne calidius morbi causam (quæ sudoribus, præ nimia crassitie tolli nequit) exasperet.

Vesperi post balnei egressum corpore resiccato, illitus ex hydrargyro adhibetur & postridie balnei, catharticum propinatur, quod fusum, liquefactumq; humorem in alvum rapiat. Singulis ergo hebdomadib. balneum innovari debet ad biduum, & semel quoq; die à balneo corpus unguento ex argento vivo in lecto perungi: dein sumpto cibo euchymo & eupepto, somnus si accedat excipiendus nulla sudoris profusione. Non enim partium solidarum substantiam hydrargyri illitu liquefacere, & in sudores, aut mucosum sputum depravare, sed earum siccitatem humectantibus emendare ac corrigere, & refrigerando fervorem retundere consilium est. Ideoque si bis inuncto corpore sputatio aut dysenteria imminere sentiatur, semel duntaxat in hebdomade postea inungatur, & impendens sputatio propinato cathartico coerceatur, ne corpus quod humefacere consilium est, nimio exiccet opere. His quæ dixi remediis, tribus mensibus continuatis, tametsi morbus in totum nondum erit abactus, fatigatæ tamen naturæ duorum triumve mensium remissionem concedere operæ pretium fuerit: ea lege ut interea octavo quoque die, & syrupo, aut alio cathartico, quicquid de quotidianis alimentis corrumpitur, detrahatur, & balneum singulis mensibus biduo saltem usurpetur citra hydrargyrum. Interim asinini, aut caprini, aut si ne hoc quidem suppetit, vaccini lactis quinq, sexve unciæ quoque diluculo exsorbendæ adjecto saccharo rosaceo, cujus usu atræ bilis pernicies coerceatur. Recreata natura, si nondum prorsus deleta erunt elephantica symptomata ad principium suprapositæ curationis reflectere oportebit, omniaque suo ordine facere, velut ante positum est, præterquam quod multo religiosius sanguis mittetur. Idque bis, ter, quaterve his, quæ dixi intervallis repetere operæ pretium fuerit, si ex descriptis præsidiis profectus evidens quæritur. Maligna hujus morbi natura, tenaciter adeo visceribus, aliisq; partibus solidis inhærescit, ut in plerisq, nisi sæpius repetito remediorum usu, funditus non excludatur. Aliis igitur annus unus ad curationem satis est, qui neque ex parentum semine vitium contraxerunt, neq; diu tentati sunt, aliis, quibus extrinsecus acceptum vitium jam diu inhæret, vix anni satisfaciunt: aliis, qui vel hæreditario hoc vitio, vel ascititio, sed inveterato tenentur, in totam vitam continuanda, quæ postea tradetur curatio.

Una etenim hæc præ aliis longis morbis remediorum varietate ac vicissitudine gaudet. Suntque in hoc affectu si quo in alio, ab omnibus fere remediis induciæ quædam & intermissiones sæpè ægro concedendæ, deinde & resumptio, & ad priora reditio, & novorum remediorum adjutorio adeo necessaria, ut eum vix unquam convaliturum credam, qui in unico remedio quamlibet generoso spem salutis collocarit.

Alia curandi ratio superiori affinis, sed facilior.

Præparato qua dixi ratione corpore, neglecto litu ex hydrargyro, catapotia usurpanda, quæ calidam & siccam viscerum ac solidarum partium intemperiem emendare, omnium humorem feruciam & perniciem reprimere, obstructiones viscerum solvere, & earum causam sensim expurgare, atque ideirco elephantiam profligare solent. Cujusmodi sunt, quæ sic habent.

℞. Argenti vivi ℥ß. cum panis adhuc calentis medulla, manibus diu subige, ut in eam plumbaginem deponat, purgatum dein hydrargyrum succi limonum momento, & olei é myrtha arte Chymica deprompti ℥ß. exacto misceto. adjectæ terebinthinæ venetæ aqua rosar. elotæ ʒj. tum adde auri purissimi, eodem artificio Chymico in tenuissimum pollinem redacti, vel si desit, foliorum auri ℥j. ambaris ℈j. pulveris electuarii, diamargar. frigidi & electarii trium santalor. simplicis, utriusque ʒij. fingito massam, cui sequentis magmatis ℥ i s. adjice.

℞. Foliorum sennæ electorum ℔ j. rhabarbari in frustula dissecti ℥iv. rad. arctictæ ellebori nigri nostratis ℥ i. diem unum œnostagmate maceta, quod dein exime ac sepone, atque aliud affunde, idque rursus exactis duodecim horis expressum cum prio e misceto, & vitreo vase exceptum in diplomate exhalare curato, atque reliquum magma ad usum servato. Hujus compositionis ʒß. dabitur quindecim alternis diluculis, tribus horis ante cibum: idque alternis mensibus, interjecto balneorum, & aliorum omnium præsidiorum descriptorum usu.

Recens orta elephantia quæ gentilitio jure comparata non sit, his remediis profligatur. At quæ vel hæreditario jure successit; vel inveterata est, nullo unquam remedio penitus excinditur. Hæreditaria quippe naturæ & seminis vitio, quod ars nulla emendare potest, committitur. Inveterata vero quoniam partium solidarum substantiam in sui naturam prorsus jam immutavit, nullo amplius remedio vincitur. Præstat tamen in rebus angustis, arctisque, vel etiam deploratis, aliquod experiri remedium, quam in certam desperationem, ægrum præcipitem dare. Humanum enim est, & plenum benevulentiæ signum, in summis etiam malis ad experimentum usq; progredi, ut difficilem affectum, si non omnino tollamus, certe leniamus & compescamus, sic tamen ne vulgo dedecore afficiantur præsidia, quæ multis fuere saluti. Itaque in utrisque tentetur modo tradita curatio, si caloris nativi robur superterit. Elephantiæ hæreditatiæ aut inveteratæ causam, si radicitus non tollit, eam saltem infringit ac debilitat, perniciem si prorsus non aufert. Illam certe differt, vitamque prorogat, plerumque in longissimum tempus, & morbi fœditatem obscurat. Sed ut erit nativi caloris robur, & corporis natura, hydrargyri modus in unguento, quod in egressu balnei aliquando adhibebitur, veniet decernendus, veluti & in cataporiis. In omnibus quidem naturis ac corporum generibus, idem remedium, sed non eodem modo usurpandum fuerit. Qui viribus valent, ac firmo corporis habitu præditi, neque ætatis florem egressi sunt, eis non raro multa & frequens hydrargyrosis quæ ad sputationes usque progrederetur, sed citra sudorum profusionem præsens auxilium, opemque attulit: qui vero senilem jam ætatem assequuti, viribusque fracti, rheumatismis afflictæ, oppressique sunt, nihil aut parum adjumenti ab hydrargyro percipiunt. Quum enim frigidus & humidus sit hydrargyrus, frigidum senum corpus calore nativo qui supererat extincto, morti celeriter addicit. Incipiente igitur, increscente & vigente elephanticorum calore, non vanis titulis famigeratum ex viperis remedium, non theriaca, non ferrum, non ignis, non aliud denique ullum præsidium hydrargyro secundum deprehenditur. Quod ne temere dictum videatur, meæ opinionis longo jam usu & experientia confirmatæ, rationem paucis, ut mos est, expediam.

Elephantia admodum siccus & terrenus morbus est: argentum vivum summo humore præditum, quum partium tenuitate omnia permeet, indurata omnia mollit, laxat & humectat. Acris, exustus & malignus humor est, qui elephantem parit, argentum vivum tum frigore, tum alia occulta proprietate & efficientia, acrium omnium humorum fervorem retundere, & maligni atrem, feritatemque infringere deprehenditur. Elephantia non externas tantum corporis partes attingit, sed solidarum etiam substantiam labefactat. Argentum vivum maxima partium tenuitate præditum, non in extima cute hæret, sed ad viscerum, & solidarum partium substantiam usque pervadit ac penetrat omnia ex æquo fere suis viribus afficiens, atque efficaciter immutans. Itaque prudenter, ut jam præmonui, corporum generibus, & nativi caloris robori, aptetur hydrargyri modus, & justis cancellis circumscribatur utendi ratio. Hic enim grassantem solidarum partium siccitatem remorari, atrabilarii humoris incendium restinguere, feritatem cohibere, & invalescentem putredinem arcere potest.

De venæ sectione idem esto judicium. Neque enim in deploratis, quorum languent jam vires, satisfitque calor insitus, tam sæpe mittendus sanguis fuerit, tamque copiose, quam in recens contaminatis, qui & virium robore valent, & sanguinis plenitudine tenentur. Mittendus tamen justo intervallo quum putredo nimium in venis invalescens, perniciem accelerabit, ut sublata putrentis sanguinis sarcina, reliquum languescens, calor facilius concoquat.

Cætera omnia quæ elephanticis convenire dixi remedia, vix unquam ulla noxa, maximo fere profectu semper à prudenti & rerum usu perito medico usurpantur. Tenendus tamen vel in his modus, quæ semper salutaria deprehenduntur, concedendaque naturæ intervalla, & veluti quædam remediorum induciæ, feriæque, quo reperita illam postea magis velut nova afficiant atque immutent. Itaque non modo semel in hebdomade melanagogo medicamento alvum ducant, sed etiam clysteribus sæpe illam solvant, atque etiam interdum sorbitione purgante quæ borraginis, buglossi, oxalidis, oxylapathique folia habeat cum sennæ semiuncia, & thymi atque hyssopi pauxillo. Sæpe laxantibus atque emollientibus balneis insideant. Sanguinem quoque mense; aut si ætas jam valde inclinat, tertio aut quarto quoque mense, aut saltem vere & autumno detrahant, plus minusve, ut feret plenitudinis, putredinis & virium ratio.

In loco habitent salubri, temperato, lucido, æstate media, solis ardoribus minime exposito, sed ad septentrionem aperto, nam hyeme meridianum solem habere præstat, frigidis hisce regionibus.

Cibis utantur boni succi & facilis concoctionis, iisque temperatis, si jam inclinat ætas ac restinctus est bilis atræ fervor: refrigerantibus vero & humectantibus, si nondum morbi calor deferbuit. Vino in omnem vitam abstineant, aut certe ad sexagesimum annum usque, eumque eo quam dilutissimo utantur. Calfacienda & siccantia alimenta, & medicamenta omnia declinent, nec se inedia conficiant, iracundiam cohibeant, mœrorem metumq; pellant, cupiditates, sollicitudinesque omnes detrahant, & perturbationes, concitatosque animi affectus coerceant, atque moderentur. Cardiaca quæ venenatæ labi obluctantur, frequenter usurpent, opiatæ, conditi, pulveris, electuarii, aquæve stillatitiæ forma, idque mane, & ante epulas, vel sub horam somni, interdum & cum epulis: quorum omnium compositiones postea trademus.

Qui elephantico semine progeniti sunt, non subito concidunt, sed sensim invalescente putredine corrumpuntur, membratim dilacerantur, tandemque intereunt. Hic varias humorum mutationes ac multiplices morbi & naturæ conflictus observare licet. In his primum faciei cutis crassescens vividum colorem amittit, atque ex rubro livescere incipit, quod symptoma antevertere, atque arcere expedit, alienæ materiæ, (quam è venis ac visceribus natura sese exonerans eo pepulit) vacuatione, balneis aquæ dulcis tepefactę. in quis emollientes, laxantes, ac tergentes stirpes decoctæ fuerint, victu humectante & refrigerante, fotu emolliente & rarefaciente, unguento molliente, rarefaciente & tergente, admotis cucurbitulis, aut cornu suctorio post scarificatum, unguento ex hydrargyro corpori post balnei egressum illito. Si malum nihilominus serpit, brevi tubera erumpunt, primum quidem in facie, dein in tibiis, manibus, aliisque partibus. Hæc scalpello discissa cathæretico medicamento radicitus exeduntur, deinde cicatrix inducitur. Progrediente tempore cutis quibusdam faciei locis mire crassescens, maxima deformitate in tumorem attollitur, cui color inest ex rubro nigrescens ac pellucens. Hæc scalpello vulnerata feculentum sanguinem fundit, qui etiam cucurbita, vel cornu suctorio, majore vi elicitur. Emplastro dein cathæretico quicquid inæqualiter intumuit ac supercrevit, exeditur, atque adæquatur, cicatrix tandem contrahitur. Neque enim verendum, vel supercilia, vel frontem, vel genæ particulam sic vulnerare, atque reliquis quæ non ita intumuerunt, æquare, quum relicta ex ulcere cicatrix, multo quam reliqua cutis venustior esse soleat. Ulcera quę sponte vel in tibiis, vel in aliis partibus nascuntur, sanguinis fæculenti & corrupti eò decumbentis soboles sunt. Ideoque purgato corpore à sanguinis missione, curatio ineunda. Mittitur autem primum quidem incisa vena, quæ fluxionis fontem exhauriat, dein quę ab ipsa parte derivet ac vacuet. Hinc pars incidenda satis altis plagis, ut multus ex ea sanguis extillet, adhibendęque cucurbitulæ: postremo ulcus aliorum more curandum.

Commune est in omnibus ulceribus, quæ in hoc morbo sponte emergunt, post vacuationes universales, & derivationem, ex affecta parte, aliis sectionibus, partem ipsam cædendam esse, ut adhibito cornu suctorio, aut cucurbita, sanguis ipsi impactus extrahatur, dein cathæretico medicamento quicquid vel occaluit, uel supercrevit, vel nimis intumuit, vel aliud inemendabile vitium contraxit, absumatur: postremo ulcus aliorum more & carne impleatur, & cicatrice obducatur quam elegantissima.

Morbo ingravescente sæviora symptomata emergunt. Primum igitur sensus in externis partibus hebescit, inestque frigus fere perpetuum. Quę symptomata etsi nullis auxiliis funditus tolluntur, leniri tamen solent, & periculum differri: primum quidem ea curatione quam supra retulimus: deinde topicis medicamentis, quæ frigidum & crassum humorem parti infertum digerere, crassescentem cutim emollire, laxare ac levigare, & insitum ipsius partis calorem fovere atque erigere possint. Cujusmodi est oleum quod sic habet.

Sigillum Mariæ, radix bryoniæ, & althææ, pusiis vino albo & oleo sensim incoquuntur, dum vinum absumptum sit, oleum dein exprimitur, quo pedes, tibiæ & manus, si stuporis & frigoris sensus inerit quoque vespere inunguntur. Benefaciet & fotus digerens, rarefaciens, & corroborans, ex malva, violaria, sem. lini, rad. althææ, origano, sampsucho, salvia, anagallide, ros. rub. omnibus sacculo conclusis, & aqua ac vino albo incoctis.

Quum jam eo miseriæ ventum est, ut putredo hominem membratim dilaceret, infœlia sed unicum solatium superest, quicquid sic vitiatum est, vel medicamentis exedere, vel ferro rescindere, vel urere. Exscinduntur, vel vicissim exuruntur minutulæ partes, quas putredo cadaverosa tabefacit, & ulcera illinc relicta aliorum more curantur: in corporis trunco catheretikis potius locus est.

Oculorum membranæ sensim crassescentes, visus obscuritatem inducunt: remedium est; fotus emolliens, rarefaciens & discutiens. Collyrium tergens, attenuans & siccans, aquæ, pulveris, syrupi unguentive specie. Fotus fiet ex malva, violaria, euphrasia, fœniculo, semine lini, sacculo conclusis, & aqua ac vino albo decoctis. Collyrium ejus qui ægrotabitur naturæ & vitii magnitudini aptum comparabitur ex myrrha & ærugine, ovi albumine coctione induraro, conclusis, & loco humido reconditis, dum aqua viridis extillaverit: cui syrupus de absynthio, aquæ stillatitiæ, euphrasiæ, fœniculi & plantaginis, ea temperatione miscebuntur, ut citra vehementiorem dolorem efficaciter attenuet crassescentes membranas, & sordes omnes abstergat. Acriori remedio opus est quum membranulæ ex majore oculi angulo enatæ pupillæ obtenduntur, aciemque perstringunt, qualia sunt quæ ad pterygium traduntur. Bufo vivus olla fictili exceptus exuritur: tenuissimus pulvis in oculum afflatus, pterygium concoquit, & in pus deducit. Sed quum adhiberur refrigerans remedium, ex rinsecus oculo superponendum, ne ejus acrimonia, dolorem & inflammationem pariat.

Malo invalescente, sic elanguescit insitus calor, ut in omnibus corporis partib. frustrentur concoctiones, multaque serosa excrementa colligantur, maxime vero in capite, quæ sæpe in thoracem tanto impetu decumbunt, ut asthma suffocationis periculo horrendum, sæpe etiam febrem accersant. Interdum in oculos irruunt, & disruptis eorum membranis, repentinam cæcitatem inducunt, aut inter eas intercepta, implacabiles dolores cient, ac prorsus obcęcant, oculis protuberantibus, ac pene exertis. Pręsentaneum auxilium affert sanguis celeriter missus, phlegmagogum atque hydragogum confestim datum atque repetitum, dein concoquentia & tenuis victus ratio.

Quum nares præ alarum crassitie, ac crustulis, quæ illic adnascuntur, obstruuntur, primum crustulas excutiet molliens, tergensque decoctum, dein siccitatem leniet, & crustas denuo adnasci prohibebit butyrum salis expers, aut certe oleum amygdal. dul. recens expressum rudicula & linteolo, vel calamo intromissum illitumque.

Concubitum elephantici maximopere concupiscent, nec eo interdici debent, quum & corpus refrigeret, & mœrentem illorum animum demulceat. Quoniam tamen nimis frequens vires solvit, pro ratione ætatis & naturæ ægrotantis in eo modus adhibendus.

Qui descriptorum remediorum efficacia integram valetudinem recuperaverit, ne recollectis in corpore noxiis excrementis, mali radix tandem aliquando revirescat, omni opera prohibeat. Itaque cibis euchymis uti conveniet, vel temperatis, vel paulo frigidioribus & humidioribus, vino omnino sibi interdicere, vel eo quàm dilutissimo uti, calidis & siccantibus alimentis omnibus vitatis, salsis quoque & aromaticis omnibus, porris, cœpis, alliis, sinapi, & reliquis omnibus, à quibus abstinendum esse in superiori curatione præcepimus. Loca incolant, æstate quidem frigida & humida, hyeme verò paulo sicciora & calidiora. Ad hæc aliis atque aliis medicamentis melanagogis, alvus intervallis ducenda. Habenda sæpe & medicamentosa in cibo ratio.

Vere ineunte & autumno vena secanda est, aut etiam sæpius, si quando ulla plenitudine corpus tenebitur. Sæpe & cardiaca, quæ venenatæ morbi malignitati resistant & obluctentur, usurpanda venient, opiatæ, conditi, pulveris, electuarii solidi, syrupi, aquæve stillatitiæ formà. Biduo etiam quoque mense, balneum comparandum æstate præsertim, & in eo bis die desidendum, qua methodo supra posuimus, adhibita in exitu, corpore tamen prius resiccato hydrargyrosi, velut ante præceptum est. Alioqui catapotiis ex Sole, & Mercurio supra descriptis, ex intervallis utendum.

Fama est elephanticum quendam vitæ pariter ac morbo finem imponere quærentem, viperam in musti dolium irrepsisse, conspicatum, extincta in eo vipera, sese musto ad satietatem, semel atque iterum ingurgitasse. Cujus vi post virulentas vomitiones, ebrietas, profundusque sopor morti haud dissimilis obrepsit. Quibus tandem discussis, imprimis pili defluxerunt omnes, & ungues exciderunt, dein omnia in ambitu membra corporis contabuerunt, denique certum exitium in propinquo videbatur, quum ex reliqua quadam virium scintilla, natura hominem redintegrans, alias carnes enutrivit, ungues novos, & nitidam formam instauravit, ac vetus corium, ceu serpentis senectam exuit. Ita habet fabula non admodum verisimilis quidem, sed cujus tamen imitatione, antiqui elephantiæ curationem ad occultam viperarum proprietatem retulerunt, de aliis remediis desperantes. Occultam proprietatem dixi, propterea, quod qualitatibus manifestis elephantiæ causam augeant potius quam infringant. Nam vel Galeni testimonio, manifestæ ac generales qualitates carnium viperarum sunt, exsiccare valenter, digerere mediocriter, & excalfacere. Atra autem bilis, quæ hujus luis causa est, calida & sicca quum sit, per contraria retundi postulat. Vere potissimum elephanticorum curationem aggrediuntur, primumque corpus in aliorum fere omnium diuturnorum morborum modum identidem purgant: deinde venam secant, si vires ferunt: hinc ad viperas se convertunt, quas alii aliter apparare solent. Omnes in hoc conveniunt, caput & caudam ut abscindant, dein intestanea omnia ac cutem etiam ipsam eximant, postremo corpus ipsarum exquisite eluant. Quidam, quod casu contigit imitatione confirmantes, in vini generosi dolium illas conjiciunt, ac sinunt dum suffocentur, dein vinum ægris nescientibus propinant. Alii medicinam ex viperis confectam, quam theriacam vocant, sæpius adhibent. Alii sale theriaco utuntur, quod vivis viperis cum quibusdam aliis medicamentis in fictili novo combustis comparatur. Alii viperas ipsas comedunt in pastillos redactas. Alii illas in anguillarum modum apparatas exhibent. Atque hoc omnibus commune est, viperis tandiu utendum esse, dum elephantia vel in lepram abeat, vel in totum desinat, in tenues auras difflante per cutem affectu. Galenus elephanticos aliquot ita se percurasse gloriatur: quin & incipientem morbum sola catharsi & phlebotomia, vere & autumno præscripta profligasse atque propulsasse se vendicat. Cujus auctoritatem tot seculis confirmatam, etsi non repudio, vix tamen quid de hoc remedii genere censuerit Fernelius, quidque partim dum is Lutetiæ floreret, partim post ejus obitum expertus sum, perpetuo silentio involvere possum. Elephanticos multos veterum imitatione quum viperarum usu restituere maxima methodo studuisset Fernelius, nemini in tota vita, ut erat in votis successit: quod cùm mihi indicasset, & à remediis omnibus siccantibus abstinendum non esse monuisset, veterum medicorum auctoritatem ejus opinioni anteponendam ratus, & illorum pollicitis nimium fortè addictus: theriacam elephanticis multis, qua methodo illi præcipiunt, præbui, sed nullo prorsus profectu: quæ res effecit, ut viperas ipsas aliter atque aliter apparatas experiri aggressus sim, quas tamen nihilo plus opis afferre comperi.

Paucos (fateor) post dies cutis extima squammas & furfures remittit, tanquam elephas in lepram degeneret, videturque juvare per initia hoc remedii genus, si solius cuticulæ rationem habeas, sed neque viscerum constitutio, hocce modo melior fieri, neque verrucosa tubera intermori, neque crassescentis cutis deformitas emendari solet: sed elephanticum virus, post viperarum usum, è visceribus multo majore quàm unquam impetu in cutim remeans, omnia symptomata sic exasperat, ut aucta putredine membratim dilacerentur ægri teterrimo fœtore. Neque enim pastilli theriaci, neque venenatæ viperarum carnes, quovis modo præparatæ, siccam & terrenam partium constitutionem corrigere possunt, sed omnia depravare, atque venenata pernicie inficere. Si quis tamen veterum auctoritati tantum tribuit, ut Fernelii & meam hanc experientiam universis medendi legibus consentaneam suspectam habeat, ei facile sit, qua ratione illi præcipiunt, viperarum usum experiri. Tutissimam utendi rationem hanc tradunt recentiores.

Viperas præparatas in aqua cum hordeo decoquito, quo postea gallinæ alantur dum implumes evadant. His ergo gallinis elephantici alendi sunt, donec comæ ac pili defluant omnes, & crassior cutis squammas ac sursures remittat.

De proximæ elephantiæ causæ temperamento multi inter se non parum dissentiunt. Galenus melancholicum quidem humorem elephantiam progignere passim confirmat: sed quum ampla significatione id nominis Latini usurpent (nam & de proprie dicta atra bile, acerrimo & ardentissimo humore, qui & corpus rodit, & terram fermentat, & de melancholico succo frigidiore, qui sanguinis veluti fœx & limus est, dici solet) haud facile assequi posse putant, quo in significatu, melancholici humoris nomen in procreatione elephantis accipiat. Sunt qui eum comment. in Aphor. 2. lib. 4. succum melancholicum frigidum, proximam elephantiæ causam his verbis facere existiment. *In atra, inquit, bile totius corporis color ad nigritiem tendit, pustulæ nigræ fiunt ex ejus colore. Et quicunq; morbi ex ejus fiunt exuperantia, multitudinem melancholici humoris manifesto indicant, quemadmodum cancer, elephas, quartanus circuitus ex melancholico humore generantur.* Si Galeni

sententia

sententia, inquiunt, quartanus circuitus & elephas ea eodem fiunt humore, quartanus autem circuitus non raro ea propria dicta atra bile perniciosissimo humore, sæpe vero ea melancholico succo frigidiore & terreno originem habet, & elephantem ab eodem sæpius fieri, oririque necesse fuerit. At libro de atra bile aliter sentire videtur hac sententia. Verum alia quoque plerisque non febricitantibus in cute crassescente, siccescenteque exanthemata provenire videmus, cum melancholici humoris redundantiam natura ad extimas partes pellis quo genere, is quem elphantem nuncupant, continetur. Ubi autem tale quidpiam simul cum febre excritur, humor melancholicus, qui in cutem abscessit, facit eum quem carbonem appellant. At si citra febrim decumbat, sitque cum sanguine conjunctus, gignere elephantem potest: si solus sit in principio quidem tumorem atrum producit, sed progressu temporis in cancrum desinit, cum utique corrosa cute acrior sit magisque malignus, cum mitior sine ulcere, latentem cancrum efficit. Evidens enim est hos affectus omnes, præcipue cancrum, ea humore melancholico gigni. Cancrum, inquiunt, carbunculum & elephantiam, ab uno & eodem humore fieri tradit Galenus: at carbunculus à maligna atra bile fieri, contrahique alibi dicitur, quare & elephas: Contra tamen, qui frigidus est humor melancholicus carbonem, qui non est ejusmodi, cancrum & elephantiam gignit ex Galeno. Eodem etiam libro eum affirmare tradunt, subrubros elephantes, ab atro humore qualitatibus mitioribus prædito, sanguinique admisto, procreari · & si inveterarint, nigriores reddi. Quod ut componatur dissidium, atram bilem ea humore melancholico nuper genitam, humoris melancholici nomen & appellationem idcirco veteribus etiamnum retinere crediderim, quod nondum plane incaluerit, nec pristinis qualitatibus omnino spoliata sit. Procedente vero tempore quum manifeste jam incaluit, sævioraque symptomata inveait. proprie tum atram bilem nuncupari; tametsi eadem utriusque forma, eademque fit species: sic enim videtur sentire libro de tumoribus præter naturam. Elephas, inquit, affectus melancholicus est, cujus prima origo ex melancholico sanguine est, spatio vero temporis copiosior, quam sanguis atra bilis redditur: quo tempore corpus jam male & graviter olet, turpeque & deformatum videtur, & aspectu horrendum, atque interdum etiam exulceratur. Hunc affectum, quum incipit, satyrialmum vocant, quod satyris aspectu similes elephantici evadant.

Atra igitur bilis proxima est omnis elephantiæ causa, sed quæ quum vel ex succo melancholico ac feculento sanguine, vel ea bile vitellina, vel ea nitrosa pituita exustis ac torrefactis, non ita pridem habuit originem, illorum etiamnum appellationem interdum retinet. Neque me judice, immerito, quod suæ procreationis initio nondum late ab humore à quo nuper genita est, dissideat. Frigida quidem videtur atra bilis Galeno, quia terrestris, non tamen caloris expers, quemadmodum nec cinis, nec etiam acetum. Jam Arabum de ea judicium ac sententiam inquiramus.

Avicennas auctor est elephantiasim partium solidarum substantiam, qualitatib. vitæ nostræ è diametro repugnantibus & infensis, continenter immutare ac pervertere. Quod si verum est, frigidam & siccam statuere oportet elephantis causam (calore namque & humore vita nostra fovetur, contineturque:) Quibus perspicuum est, frigidum & siccum è diametro opponi. Elephantia, Avicennæ est bilis atræ per universum corpus profusio, qua membrorum temperamentum, forma & compositio labefactatur · unde tandem continuitatis solutio, & partium casus & fœda ulceratio sequatur. Ad hæc melancholicum humorem ustum non prius elephantem parere tradit, quam refrixerit, & inveteratas, diuturnasque obstructiones non aliam ob causam elephantiam inurere, quam quod minime ventilatus calor nativus præfocetur, unde & refrigeratur & crassescit sanguis, eique gignendæ idoneus fit. Postremo in elephanticis sanguinem non raro circum articulos congelari, & pulsum imbecillum iis idcirco esse dicit, quod facultas sit imbecilla, & eaigua necessitas, frigido ut pote morbo fatigante. Principem hunc scholæ Arabicę sequuti recentiores fere omnes, elephantis causam frigidam & siccam esse prodiderunt, atram bilem non prius eam inferre dictitantes, quam absumpta omnino fluaili, liquidaque ejus substantia, calor tandem prorsus dissipetur atque divanescat, terreoa duntaxat eaque siccissima ejus parte cineri haud absimili superstite. Idque perinde esse atque quum succensus ignis absumpto prorsus ligni humore, quo ferrenæ ejus partes inter se junctæ cohærebant, evanescit, & extinguitur, siccissimum duntaxat cinerem pro ligno relinquens, quem accenso ligno, si conferas, frigidum existimes. His igitur auctoribus frigidus & siccus humor elephantiam progignit.

Ego vero (si de re tam contruversa meam dicere sententiam licet) facile efficiam, ut hoc composito dissidio inter veteres concordia coeat, vel si dogma eligendum est, Græcorum potius sententiæ subscribendum sit. Quanquam acerrima ac calidissima atra bilis, quæ corpus rodere, & terram fermentare creditur, à frigido & sicco melancholico succo, temperie ac specie recedit atque dissidet: sæpe tamen veteres illam melancholici humoris appellatione designant & insigniunt: sive quod illa metu & mœstitia, aliisque melancholicis perturbationibus animum mentemque percellat & exagitet, perinde atque melancholicus succus frigidior, sive quod suæ procreationis initio, dum nondum vehementer incaluit, accensaque est, haud multum à feculento sanguine discreper, ut nec quum siccescens de suo calore non parum deperdiderit. His ergo ea causis, veteres maximeque Galen. elephantiam quæ reipsa nunquam aliunde quam ab atrabilario humore undecumque genitus sit, proficiscitur, sæpe à melancholico succo aut humore nasci tradunt, & Avicennas frigidum morbum esse prodidit.

Quanquam autem elephantiæ omnis origo, ab atra bile ducitur, ea tamen pro affectorum corporum natura, & humoris è quo orta est, affectione, non parum & invadendi, serpendique modo, & symptomatia variat. Ut enim quæ elephante prehenduntur corpora, minime ante hanc, melancholica, ut ita loquar, erant omnia, sed alia sanguinea, alia biliosa, alia melancholica, alia pituita salsa perfusa, alia ea iis mista: sic certe neque atra illa bilia ex uno eodemque humore perpetuo nascitur, sed interdum à succo melancholico, frigido & sicco, interdum à bile flava in vitellinam versa, interdum à nigrosa pituita originem habet. Quæ igitur ex frigido & sicco, eoque melancholico succo exusto procreatur atra bilis, quoniam ejus humoris, à quo non ita pridem ustione genita est, naturam conditionemque etiamnum redolet, diutius occulitur, nec nisi sensim lenteque tandem in externas partes erumpit: quo quum ventum est, elephantem levioribus symptomatis conspicuum profert: quem nonnulli frigidam causam habere idcirco dixere, quod manifesta caloris symptomata nulla statim corpori intentet nec incutiat. Quæ vero ab adusta flava bile fit, causæ suæ naturam redolens, multo tenuioribus partibus quum sit, brevi contaminatis

viſceribus, in extremitate corporis ocius exardeſcit, ſæviſſimaque incendii ſymptomata, niſi occurritur, inducit, quæ ſui cauſam calidam eſſe manifeſto demonſtrent. Medio quodammodo ſe habet, quæ à ſalſa pituita proficiſcitur. Quæ vero à ſanguine fervidiore exuſto proxime ad eam, quæ à præfata fit flava bile accedere deprehenditur: ut quę à feculento & craſſiore, ad eam quam à melancholico humore fieri diximus. Quod autem proponunt nonnulli, quum jam eouſque ſerpendo proceſſit elephantia, ut exhauſta humida atræ bilis ſubſtantia, cui calor inſidebat, ſoli ejus cineres frigidiores ſuperſint, arduris, incendiique omnia ſymptomata tum remittere, morbumque frigidam cauſam habere, plane falſum eſt. Licet enim uſti ligni cineres minime eum retinent calorem, quem vel ejus flamma, vel carbones exhibebant: ſunt tamen integris rebus, à quibus demanarunt multo calidiores. Quod vini fæces demonſtrant, quæ uſtæ longe calidiores, acrioreſque evadunt. Tantumque abeſt, ut vel atra bilis, aut nonnullarum aliarum rerum cineres frigidi judicari poſſint, ut etiam frigidorum quorundam cineres, non parvam uſtione acrimoniam, caloremque conquirant, & aſſequantur, ſicut experientia nos docuit, qua compertum eſt frigidiſſimi ac humidiſſimi argenti vivi cineres, catheteticos, acres, urenteſque eſſe. Ad hæc ſi frigida & ſicca eſt elephantiæ cauſa, cur cedo non ſolum elephanticorum tubercula exedantur, & in profunda ulcera ſerpendo degenerent, ſed etiam partium ipſarum extrema, vel humoris acrimonia abſumpta pereant, vel corrupta, & putredine carieque confecta excidant? Non enim frigidus & ſiccus humor melancholicus, vel frigida & humida pituita, illorum poſſiot eſſe operum cauſa: niſi immutata ſpecie in alterius humoris naturam commigrarint. Quod igitur dictitant nonnulli, atram bilem per initia elephantiæ calidam, abſumpta tandem liquida & fluente ejus parte, frigidam evadere, minime permutata ſpecie, abſurdum plane cenſeri poteſt. Habent enim ſinguli humores proprium & peculiare temperamentum, quod ſuperſtite forma nunquam deperear. Calida enim ſemper bilis flava, calida & atra, ut pituita ſemper frigida, frigiduſque ſemper melancholicus humor. Hæc tamen bilis alia calidior, frigidiorque interdum hæc, quàm illa pituita cenſetur. Niſi forte putreſcens, per febres pituita, quoniam incaleſcit manente forma, iſtius axiomatis veritatem convellat, atque labefactet. Sed hanc impermiſtam, veterum nonnulli vix unquam putredine ſic incaleſcere cenſuerunt, ut febrem accerſat, febres omnes bilioſas arbitrati: quorum opinioni ſubſcripſit Fernelius. Nec ſi putreſcens incaleſcat, amplius pituitę nomine inſignitur, ſed ejus humoris, in quem putreſcens degenerat.

Elephantia itaque omnis calidam cauſam habet, quæ tamen caloris, ſiccitatiſque ratione, pro corporis affecti, & humoris, è quo profecta eſt, natura, proque morbi tempore, non parum varia eſt. Quod & veterum auctoritate doceri poteſt, qui non alia ratione caſtrandos cenſuerunt elephanticos, quàm quod teſtes vim maximam caloris, fervoremque in univerſum corpus effundant, qui elephantiæ cauſam exaſperet.

Pomaceum è ſucco malorum dulcium maturitatem aſſequutorum, ſatis defecatum, ſatiſque maturum, tenue, ſubflavum, & limpidiſſimum, quale in Neuſtria copioſum ferunt agri Conſtantini, elephanticis & melancholicis ab atrabilario humore adeo ſalubre eſt, ut omne potionis genus bonitate vincat. Quod me longo uſu, ratione duce competiiſſe profiteor, & complures melancholicos hypochondriaco, quibus jecur & meſenterium morbo cauſam dederant, ejus ope reſtituiſſe. Nam & tetros melancholiæ vapores, multò quàm ſyrupus è ſucco pomorum efficacius diſcutit, & cordi lætitiam adfert, & viſcerum atque humorum ſiccitatem, ferinamque qualitatem omnem demulcet ac contemperat, & alimentum copioſum corpori præſtat, & aſſuetis gratiſſimum exiſtit. At pyraceum omne & pomaceum, è malis acidulis expreſſum, vel vetuſtate coaceſcens, noxium exiſtit, perinde atque omnia cruda & acidula vina vulgo vidia appellata. Repudiandum & pomaceum, quod ex malis dulcibus expreſſum dulce quidem exiſtit, ſed nondum ſatis concoctum: multoque magis quod fecibus prorſus non depoſitis turbidum & craſſum perſiſtit, nec inclareſcit donec aceſcat, qualia fere ſunt in pingui Algiæ ſolo nata. Copioſius quidem alimentum corpori ſuppeditant, & agricolis ac foſſoribus experiuntur, ſed quia obſtructiones pariunt, craſſique ſucci copiam aggerunt, tum ſanis tum ægris noxia putanda ſunt. Curent igitur Medici, ut elephantici & hypochondriaci, quibus jecur & meſenterium (quod fere fit) vitiò cauſam præbent, tenue, ſubflavum, pellucidum, beneque maturum pomaceum, pro generoſiſſimo remedio veteribus quidem incognito, ſed nunquam ſatis laudando, in vicem vini uſurpent, quod tamen calidæ & ſiccæ naturæ, præſertim vero æſtate, aquæ quadrante diluent.

Aliud gratum & innoxium poculenti genus, temperatis, aut non ita calidis naturis ex uſu.

℞. Aquæ puriſſimæ ℔ vj. ſcobis ſantali citrini ℥ j. ſacchari alb. ʒ v. fervefacito horam dimidiam vaſe argenteo, aut in olla nova. Colo poſtea trajicito.

Aliud fervente magis humore commodius.

Habet aquæ puriſſimæ ℔ vi. ſacchari alb. ℥ iv. ſcobis ſantali citrini ʒ j. hordei integri P. j. ſucci mali medici acidodulcis ℥ ij. Conferveant aliquantiſper, dein percolato, & utitor. Vulgus priſanam vulgarem, vel hordei decoctum ſemine fœniculi conditum, uſurpet, vel certe (modo ventriculi & præcordiorum ratio toleret) puriſſimam & limpidiſſimam aquam.

Potus nonnullis divinus appellatus, calidis omnibus naturis, in calidis morbis omnibus utilis, ſi valet ventriculus.

℞. Aquæ optimę ℔ vi. ſacchar. ℥ v. ſucci limonum ℥ j ß. (plus minus pro ventriculi & caloris nativi robore, aut imbecillitate & ægrotantis palato) ſcobis ſantali citrini ʒ j. Bulliant horam dimidiam: tum adjicito cinnamomi ʒ ß. colato & utitor.

Alii ſacchari plus minuſve inſerunt, ſumpta indicatione ab ægrotantis natura, ætate, conſuetudine, anni tempore, & partium nutritioni dicatarum conſtitutione.

Alius in elephante bilioſo, fervente etiamnum circum viſcera humore, commodior, ſed inſuavior.

℞. Radicum cichorii agreſtis, uvarum paſſarum purgatarum, glycyrrhizę ſingulorum ʒ ij. hordei integri P. j. ſcobis eburneæ & corn. cervini, ſem. fœniculi, ſantali

ſantal. citrini, ſingul. ʒß. conferveant horam dimidiam in ℔ VIII. aquæ, dein decoctum transcoletur. In magno ardore plantago & lactuca recte interuntur.

Quum partium putredo invaleſcit, fervente etiamnum humore, profectu majore uſurpatur, quod hic habet poculentum.

♃. Radicum cichorii agreſtis, uvarum paſſarum purgatarum, glycyrrhizæ, ſingulorum ℥ij. hordei integri P.j. ſaniculæ, bugulæ, pimpinellæ, calendul. ulmariæ, plantag. lagopi, ſingulorum P.j. ſcobis eburneæ, & cornu cervini, ſantal. citrini, ſingulorum ʒj. ſacchari ℥vj. ſucci mali citrii ℥ij. Coquito in aquæ ℔ VIII. ad ℔ vj. decoctum, percolatum ſeponito, & utitor. Quum calor nativus elanguescere incipiet, frigida detrahentur.

Deſtillatum inſtaurans magnatibus extra epulas in vini vicem ex uſu affecta ætate & viribus labaſcentibus.

Vituli fruſtum & carnem capi in libris XVI. aquæ puriſſimæ, elixato dum VIII. duntaxat libræ ſuperſint: adde ſub finem veronicæ, utriuſq: bugloſſ. borragin. pimpin. ſaniculæ, calend. bugulæ utriuſq plantag. ſcrio-læ, ſingulorum Mj. rad. rumicis & tormentillæ, ſeminis cardui, ſcobis eburneæ, & cornu cervini, ſingulorum ʒij. in colato jure, rurſum adjicito conſervæ bugloſſi, borraginis, violarum, nympheæ, ana ℥iij. conſervæ ocellorum ceu caryophyllorum noſtrarium ℥.ij. omnia in ollam vitream indito, ut in duplici organo aqua proliciatur. quæ ſaccharo vel Syrupo è limonibus. aut violaceo & cinnamomi momento condita, uſui apta ſit.

Et his quidem, aliiſque ejus generis potionibus, quas ex tempore & pro re nata, prudens & exercitatus medicus inſtituere poterit, elephanticis occurretur. Jam purgationum formulæ deſcribendæ.

℞. Polypodii querni, ſeminis cartami, radicum cichorii & oxalidis. uvarum paſſarum purgatarum, foliorum ſennæ. ſingulorum ℥ s. coquito igne remiſſo horæ quadrantem, dein adde bugloſſ borrag. lupul. ſcolopendriæ. ceterach. adianti, fumariæ, epithymi, ſingulorum P. j. conſervar. bugloſſ. borrag. & viol. an. ʒ ij. ſeminis fœnicul. & melonum an. ʒ ß. conferveant rurſum aliquantiſper, dein in decocto percolato tepido, macera horis duabus rhabarb. optimi ʒ ij ſs. cinnamomi ʒſs. in eodem expreſſo diſſolve ſyrupi è fumaria ℥j. fiat potus mane ſumendus hora quinta.

Si hoc ægre movetur carthartico Elephanticus, Catholici deſcriptionis Fernelii ℥j. remiſcebitur.

Bolus ſi magis arridebit, eſto hujuſmodi.

℞. Atramenti caſſiæ recens extracti ℥ij. ſem. fœniculi pulveriſati gr. VI. Syrupi violati pauxillum.

Vel ſic.

♃. Medullę caſſiæ recenter extractæ, Catholici deſcriptionis Fernelii, utriuſque ℥j. ſyrupi violati ʒ j. miſce, præbeto mane tribus horis ante cibum.

Vel ſic.

℞. Caſſiæ recenter purgatæ ℥jſs. rhabarb. pulveriſati ʒjſs. ſem. melonum mundatorum & contuſorum ʒſs. ſem. fœniculi, gr. IV. Syrupi violar. modicum, fiat bolus.

Si undique tenues etiam humores detrahere expedit, confectionis Hamech. ʒ ij ſs. inſerentur, rhabarbaro quidem detracto, ſi effrenis purgatio metuitur, ſin minus eo etiam relicto.

Apozema primas corporis ſedes expurgans, venarum infarctus melius expedit.

℞. Rad. petroſelini, fœnicoli, & apii, in aceto horis VI. maceratarum, ſingulorum ℥jſs. rad. cichorii ℥ij. rad. oxylapathi, oxalidis, aſparag. & graminis, ſingulorum ʒſs foliorum ſennæ ℥ij. rad. hellebori noſtratis præparatæ ʒij. Coquito in aqua ad doſes tres, adde ſub finem pimpinellæ, bugloſſ. borrag endiviæ, ſcariol. lupulorum, omnium capillarium, fumariæ, ſingulorum manipulum ſs. florum cordi dicatorum, mentæ, epithymi, hyſſopi, ſingulorum p.j ſeminis fœniculi, coriandri præparati & melonum, ſingulorum ʒ j ſs. In colato decocto diſſolve, ſyrupi è chichorio ſimplicis ℥ IV. Clarificetur & condiatur ʒjſs. cinnamomi, & ʒj. ſantal. citrini.

Alius parandorum apozematum modus, quo nihil virium coctione deperit.

Omnia modò deſcripta ſimplicia medicamenta, in ollam argenteam aut terream induntur, cum eo aquæ modo quem ſupereſſe volumus, (ferè tamen apozema ad tres doſes aquæ ℥VII. habet) olla dein luto philoſophico obſignata, in caldarium ferventis aquæ collocetur, ut horas tres conferveant omnia; ubi olla à lebete ſummota refrixerit, decoctum collo trajicitur: & ſyrupus aut ſaccharum additur, ut in tres aut quatuor doſes alternis diluculis ſumendas dividatur apozema.

Detracto helleboro, ſtrenue quidem melancholiam detrahet, ſed nec à cerebro, nec à venis majoribus ſatis efficaciter.

Syrupus ſolemnis.

℞. Polypod. rad. oxylapathi, oxalidis, cichorii, bugloſſ & borrag. uvarum paſſarum, glycyrrhizæ, ſingulorum ℥j. quinque capillarium, bugloſſ. borraginis, ſcariolæ, endiviæ, chamædryos, ſingulorum M.j Coquito in aqua ad ℔j. Decoctum colo trajectum in ollam inditur, dein adjiciuntur foliorum ſennæ purgatorum ℥VI. rad. hellebori noſtratis præparati, ſeminis fœniculi, aniſi & melonum, ſingulorum ℥ ß. agarici albi, rhabarbari ſelecti, contuſ. ſingulorum ℥ſs. ſuccorum endiviæ, fumiterræ, malorum redolentium, bugloſſ. borrag. aquæ roſarum, ℥ ij. florum cordi amicorum, foliorum mentæ, hyſſopi, origani, meliſſæ, ſingulorum p.j. epithymi ℥ſs.

Olla luto philoſophico obſignata, in duplici organo (balneum mariæ vocant) fervere ſinitur horis quatuor. Decoctum denique colatum cum duplo ſacchari perpurgatum, in ſyrupum coquitur, in vaſe duplici, olla obſignata: doſis ℥ij. aut ℥ ij ſs. aut ℥iij. cum pari portione decocti borraginis & glycyrrhizæ, bis, ter, quaterve menſe.

Opiata.

♃. Uvarum paſſarum purgatarum, uvarum corinthiacarum, jujubarum, ſingulorum ℥ jß. polypodii querni, glycyrrhizę, utriuſque ℥ſs. foliorum ſennæ ℥IV. radicum bugloſſ. borraginis, & lupulorum, ſingulorum ℥j. coquito in aqua bugloſſ. igne remiſſo, ad ℔ j ſs. dein adde utriuſque bugloſſ. utriuſque aſplenii, adianti utriuſque, ſingulorum M. ſs. florum cordi amicorum

&

& nympheę, lingulorum p. j. sem. fœniculi, coriandri præparati, utriusque 3ij. in decocti libra colo trajecta, dissolve facchari optimi lbj. Coquito in syrupum, cui adde conservarum bugloss. borraginis & viol. exquisitè contritarum, singulorum ℥iij. conservę rosarum 3iß. conservæ ocellorum, qui & caryophil. ℥ij. sem. 4. frigidorum majorum mundatorum, sem. fœniculi, coriandri pręparati, singulorum pulverisatorum 3iß. santal. citrini, cinnamomi pul. utriusque 3ß. atramenti cassiæ ℥rv. fiat opiata mollis, ut ex cochleari vorari possit, cujus dosis erit ℥iß. aut ℥ij. mane duabus horis ante cibum. Actem ac ferinam omnium humorum qualitatem frequenti usu domat ac demulcet, viscerum & humorum siccitatem temperat: quicquid ventriculum & intestina oblidet, strenue detrahit, simulque primas venas & viscera ipsa, obstructione liberat, earumque partium impuritatem sensim ac blande in alvum deducit & expurgat.

Huc pertinet syrupus saporis purgatorius, à Mesue descriptus, & syrupus è cichorio compositus, cum ℥iv. rhabarb. pro libris singulis: hujus, aut illius, si tria cochlearia opiatæ superdentur, plenior, nec tamen molestior erit effectus. Dantur per se ab ℥ij. ad ℥iij. idque ex cochleari, cum aquis cardiacis. Catholicum à Fernelio descriptum invalescentibus cruditatibus, & crascentibus humoribus commodissimum.

Ius pulli purgatorium.

℞. Decocti pulli gallinacei, & vitulinæ carnis ℥viij. in quo macera per noctem foliorum sennæ mundatę ℥ß. mane bulliant horam dimidiam, igne valde remisso: dein in percolato decocto, rursum ferveat facito borraginis Mj. bugloss. oxalidis, an. p. j. origani, hyssopi, thymi, singulorum pauxillum; decoctum percolatum, & præbeto tribus horis ante epulas. Si radicis nostratis hellebori præpa atæ ℈j. inseretur, melancholicum humorem validius detrahit, nec nocuerit, modò ex longioribus intervallis repetatur. Simplex enim modò descriptum, semel aut bis quaque hebdomada tuto usurpatur, velut & opiata.

Præparantia melancholicum humorem, quibus inter purgationum vices utendum erit.

Accipe radicum apii, petroselini, & fœniculi, in acetum maceratarum horis vi. uvarum passarum purgatar. glycyrrhizæ, radicum bugloss. borraginis, lupulorum & cichorii, polypodii querni, visci querni, corticis radicum cappatis, & tamarisci, singulorum ℥ß. coquito horam integram in olla nova, dein infervco bugloss. borraginis, endiviæ, scariolæ, fumariæ hepaticæ, utriusque asplenii, adianti utriusque, singulorum M. j. conservæ florum violarum, borraginis, bugloss. nymphææ, epithymi, singulorum ℥ß. quatuor sem. frigidorum majorum, sem. endiviæ, lactucæ, fœniculi dulcis, singulorum 3ij. in decocti libra dissolve syrupi è succis descripti ℥iv. Syrupi Byzantini ℥ij. parato apozema clarum & condirum 3ß. santal. citrini, & 3j. cinnamomi. Præbeto ℥iv. ante singulos pastus, Idque in triduum ante singulas catharses. Convenit quum pars humorum fervet & exuritur, pars verò jam retorrida, contumaces obstructiones invexit, quas solvere retros vapores discutere, cordis arcem ab iis tueri, & incendium internum restinguere, consilium est.

Alind in elephante bilioso superiore, nisi obstructiones multæ insint aptius, incipiente, augescente & vigente bilis retorridæ fervore: Eo enim represso, alia præparatione opus est, quæ postea traditur.

℞. Rad. cichorii sylvestris ℥ij. radicum oxalidis, lupul. bugloss. borraginis, uvarum passarum, polypodii, singulorum ℥ß. glycyrrhizæ 3ij. coquito igne remisso horam unam: dein adde utriusque asplenii, utriusque bugloss. utriusque adianti, lupul. fumariæ, endiviæ, scariol. plantaginis, singulorum. M. j. conservæ, bugloss. borraginis, violarum, nympheę, epithymi, singulorum ℥ß. quatuor seminum frigidorum majorum, seminis fœniculi & endiviæ, coriandri præparati, scobis eboris, & cornu cervi singulorum 3ij. in libra decocti, percolati dilue syrupi de endivia, descriptione Fernelii ℥iv parentur apozema conditum, santali citrini 3j. & cinnamomi ℈iv.

Syrupus è succis, melancholicum humorem & bilem atram demulcens.

℞. Succorum depuratorum utriusque bugloss. & pomorum redolentium, singulorum lbß. succorum oxalidis, lupul. & endiviæ, singulorum ℥ij. sacchari albi lbß. Perpurgato ovorum albuminibus agitatis, atque in syrupum coquito, cinnamomi & santali citrini, utriusque 3j. f. conditum. In quem dein nodulum qui isthæc contineat, diu macerari sines.

℞. Croci 3ß. granorum tinctoriorum 3j. ambaris cinericii coloris gr. vj. ligni aloes ℈j. fiat nodulus.

Usus tempore, miro profectu inseritur tenuissimus pulvis auri præparati, pondo ℈j. mane præsertim duabus horis ante epulas: vorandus autem ex cochleari, ne quid auri pereat bis, terve in hebdomade.

Syrupus alius qui, dum tetros melancholici humoris vapores strenue discutit, cordi etiam jucunditatem atque hilaritatem, & incensis atque conflagrantibus humoribus refrigerium præstat.

℞. Succi cerasorum rotundorum, rubicundorum & acidulorum, bene maturorum lbiß. succorum bugloss. & borraginis, utriusque ℥vi. in quibus macera noctem integram florum ocellorum, seu caryophillorum nostratium ℥iß. Mane expressis & adjectis floribus, alios rursum indito, quos exactis horis 24. exprimas & abjicias eandemque operam tertiò aut quartò repetito: in expressis, tandem succis facchari par pondus diluito, ligni deinde aloes & santal. citrini momento adjecto perpurgatum præsidium in Syrupum coquito.

Si succi fumariæ ℥vij. inseratur, insuavius, sed adversus melancholicum humorem efficacius remedium fuerit.

Syrupus de endivia à Fernelio descriptus, locum habet in elephante bilioso, quamdiu incendio conflagrant viscera.

℞. Conservæ florum caryophillorum nostratium ℥vj. conservæ florum utriusque bugloss. ℥iij. conservæ rosarum, & nymphææ, utriusque ℥iß. conservæ florum viol. ℥ij. pulv. elect. diamarg. frigid. 3j. scobis cornu cervi, eboris, & coral. singulorum 3ß. anti præparati 3iß. ambar. gr. vt. syrupi è succis supra descriptis q. f. Conficito opiatam, utitor mane, & sub horam somni, quum tetros bilis atræ vapores discutere, & cordi lætitiam conciliate est animus.

Si propria ac peculiaris ægri natura, aut humorum exuperantium qualitas, aut anni tempus, præsidium, quod magis refrigeret, postulare videbitur, conserva florum cichorii rectè inseretur; sin contra, quod magis concoquat, ac flatus discutiat, conservę helenii, mentę, & florum rorismarini, singulorum semuncia.

℞. Radicis siccæ helenii, uvatum passarum, glycyrrhizæ singulorum ℥ij. polypod. quercini, corticis radicum capparis & tamaricis, singulorum, ℥ß. coquito igne remisso, in aqua purissima, ad ℔j. adde sub finem coctionis aipleoii, utriusque sicci p. ij. & quum ab igne summoventur, absynthii vulgaris succi p. 1. conservæ viol. bugloss. borraginis, nymphеæ, & epithymi, singulorum ℥ß. In colato decocto, dissolve syrupi de succis suprapositi ℥iv. Hoc apozemate ante pastus utendum fuerit ex intervallis, quum flatus & cruditates invalescent. Cruda mire concoquit, crassa enim attenuans, & serosa ac tenuia coctione incrassans, flatus discutit, viscera obstructionibus liberat & corrobotat, tetros melancholici humoris vapores discutit & mitificat: ut semel dicam, morbis omnibus à eruditate & frigida causa, aut viscerum imbecillitate natis, supra opinionem opitulatur, & tamen nihil calore nimio exurit; sed præparatus humor melanagogo medicamento ex intervallis repetito detrahendus.

Si fortè à jecoris siccitate & fervidioris bilis acervo metus est, ne repetito hujus apozematis usu insolescant, (quod tamen in senibus calore insito jam effœto & frustrata concoctiune minime pertimescendum esse comperi) sylvestris cichorii radicis ℥ij. commode inserentur, & opportune interjicietur purgatio. Huc pertinent Syrupus de Epithymo, Syrupus de asplenio, & Syrupus Byzantinus, & multo efficacior, qui sic habet.

℞. Rad. helenii siccę ℥iv. macera horis VI. in succis utriusque bugloss. dein adde omnium capill. epithymi, singulorum M. j. conservæ florum cariuphyl. bugloss. borraginis, rosarum, singulorum ℥ß. fervefacito igne valde remisso horam dimidiam, adjecta aqua sufficienti: tum imponito absynthii sicci vulgaris p. j. & ab igne summoveto: in expressione dissolve sacchari albi ℔j. Coquito in syrupum conditum, ʒ1ß. cinnamomi, & ʒj. santal. citrini.

Usus erit ante pastus ex cochleari ℥1ß. pro dosi, ad imminentem ex utriusque viceria obstructione & imbecillitate, hydropem, cruditatem, atque ad omnem insiti caloris à frigida causa languorem. Cruda enim & crassa omnia concoquit & attenuat, frigida & serosa coctione incrassat, flatus discutit, fuliginosos atræ bilis vapores dissipat, viscerum obstructiones expedit, ventriculi jecoris, cordis, & pulmonum robur tuetur, augetque.

Remediorum cardiacorum & alexiteriorum formæ.

℞. Conservæ caryophil. seu ocellorum, bugloss. borraginis, violarum, nympheæ, rosarum & cichorii, singulorum ʒij. auri in tenuissimum pollinem redacti, vel auri foliati, ʒj. scobis eboris, & cornu cervini, corall. unedonum, scobis cornu unicornis, singulorum ℈j. ambar. optimi grana VI. Syrupi è succis q. s. fiat opiata, utenda mane ante epulas ʒj. aut ʒ1ß. pondere.

℞. Conservę florum bugloss. borraginis, caryophil. nympheę & cichorii ana ℥j. mithridat. rhetiacis, utriusque ʒ1. scobis cornu cervini ʒj. Syrupi de nymphea q. s. fiat opiata. Præfertur in re tenui, quod minori constet, & facilè paretur, præsertim si calor jam deferbuit: nam æstuante etiamnum humore, quæ sic habet commodior erit.

℞. Conservæ florum cichorii ℥ij. conservę florum nympheæ, bugloss. borraginis, rosar. singulorum ℥j. rasuræ cornu cervi ʒj. conservæ ocellorum ℥j. seminum quatuor frigidorum majorum purgatorum, singulorum ʒij. Syrupi è succis descripti q. s. fiat opiata.

℞. Scobis cornu cervini & eboris, unedonum, ossis è corde cervi singulorum ʒ1ß. coral ʒß. auri præparati aut bracteolarum ipsius ʒ1ß. ambar. ℈ß. conservæ caryophyl. & boraginis ana ℥ß. sacchari rosat. sextuplum, fiat conditum.

Aliud in re tenui.

℞. Scobis cornu cervini ℥j. scobis eboris, coral. margaritarum spleodidarum, singulorum ʒj. conservæ bugloss. borraginis, nympheæ, ocellorum & cichorii, singulorum ʒij. sacchari ros. q. s fiat conditum. Inclinante calore, incalescentibus autem cruditatibus, mithridarii & theriaces utriusque ʒj. inferetur: usus erit ex cochleari ante pastus, atque etiam sub horam somni.

Detractis conservis ex utroque condito, pulvis fiet ex cochleari, ut conditum, ante pastus vorandus.

℞. Radicis tormentil. scobis cornu cervini & eboris, margarit. corall. singulorum ℈j. scobis cornu unicornis, ℈ß. pulv. elect. diamargarit. frigidi, & de gemmis utriusque ʒj. sacchari alb. dill. in aqua ros. ℥vi fiat elect. per tabellas pond. ʒiij. quarum usus erit ante pastus.

Aquæ stillatitiæ, quæ ad frænandam luis venereæ perniciem præscriptæ sunt, hîc etiam locum habere possunt: Alterutrius autem ℥ij. cum syrupi violacei ℥j. opiatæ, aut condito, aut tabellæ superdabuntur, quæ tamen sequitur peculiariter, elephanticum virus domat, ac serpentem putredinem inhibet, deploratis præcipuè ad protrahendam vitam frequenti usu commodissima.

℞. Utriusque veronicæ, bugloss. borraginis, betonicæ, plantaginis, saniculæ, buglæ, lagopi, ulmariæ, calendulæ, symphiti minoris, florum hyperici, & sambuci, cacuminum centaurii minoris, pimpinellæ, singulorum M j. Contundito omnia, dein in ollam novam indito permistis, quæ sequuntur.

℞. Scobis cornu cervini ℔ß. scobis eboris ℥ij. radicis tormentil. tunicis, dictamni, singulorum ℥j. Conservatum nympheæ, cichorii, ros. bugloss. borraginis, singulorum ℥iv. aquarum stillatitiarum cardui benedict. agrimonii, scabiosæ, succisæ, singulorum q. s. ut superemineant. Harum tamen loco præstantissima est aqua è sanguine humano, e plethoricis bene babentibus secta vena detracto, & à sero secreto elicita.

Omnia olla conclusa ac luto philosophico obsignata in balneo Mariæ triduum macerantur, dein in alembicum vitreum conjiciuntur, ut aqua eliciatur, dosis ℥iij. cum ℥j. Syrupi violacei. Aqua è fecibus humanis elicita multis profuisse creditur, cujus tamen nullum feci periculum. Sed pane hordaceo atque hordeatis vulgo appellatis eum vesci oportere tradunt, è cujus stercore elicietur: sacchato, aut syrupo accommodato, & santal. momento conditi debet, & mane ęgris nescientibus propinari.

Fotus emolliens & rarefaciens.

℞. Radicum altheæ & liliorum, sem. lini, rad. helenii recentis, singulorum ℥ij. malvæ violaris, parietariæ, acanthi, anagallidis, meliloti, chamæmeli, singulorum M. j. fiant duo saeculi, ferveant in æquis partibus aquę & vini albi, ad fotum partis.

Vnguentum emolliens, rarefaciens ac detergens cutem.

℞. Violariæ mucaginis, sem. lini, & radicum althææ extractæ in decocto meliloti & chamæmeli ℥iv. butyri salis expertis, ol. è sigillo Mariæ, & bryonia quod postea traditur, singulorum ℥iij. ol. è myrtha eliciti ℥ß. concinnetur linimentum, quo mox à fotu pars illinatur.

Fotus emolliens, rarefaciens, & discutiens oculis ex usu crassescentibus membranis.

℞. Fœniculi viridis, chelidoniæ, euphrasiæ, chamæmeli, meliloti, malvæ, violariæ singulorum M. j. sem. fœniculi & lini, rad. altheæ singulorum ℥ß. absynthii sicci p. j. Confice sacculos, quos in aqua & vino albo fervefacies ad fotus oculorum.

A fotu aqua instilletur hujusmodi.

℞. Chelidoniæ, euphrasiæ, fœniculi, symphiti minoris, saniculæ, singulorum M. vj. sem. fœniculi cum aqua euphrasiæ macetati ℥j. Contusa omnia cum mellis libra, fimo equino in olla nova obruantur dies vi. dein aqua arte chemica eliciatur.

℞. Tutiæ præparatæ ʒß. aluminis usti, vitrioli usti, utriusque grana xv. sacchari candi. ʒß. lapidis calaminaris sexies usti & extincti aceto, & postremo in aqua fœniculi ʒj. conficito pulverem tenuissim. tergendis & absumendis oculorum albuginibus, & attenuandis crassescentibus membranis commodissimum.

℞. Succorum chelidoniæ, euphrasiæ, & fœniculi, singulorum ℥ij. sacchari candefacti ℥iv. vitriol. usti grana vi. Coquantur in syrupum oculis instillandum ex intervallis.

℞. Unguenti de tutia ʒß. cui ad ie vitrioli usti, aluminis usti, utriusque grana ij. saponis alb. ʒj. conficito linimentum.

℞ Calcis vivæ ℔ß. fecis vini siccæ & calcinatæ ℥iv. diluito in lixivio claro cineris filicis & corticis fraxini, dein sæpius transcolato, ac tandem per feltrum lixivium elicito limpidum, denique vase æneo ad mellaginem coquito. Elephantica omnia tubercula exterit.

Aliud dolore molestius.

℞. Sublimati ʒj. pul. mercurii ʒß. unguenti rosat. descriptionis Mesnes paulum, ut fiat linimentum.

Discissa tubercula in crustam inducat, qua decidua adæquatę parti cicatrix inducitur.

Alius emplastri forma.

℞. Vitrioli calcinati, auripigmenti usti, utriusque ʒij. emplastri de cerussa ℥ß. malaxentur simul cum unguento rof. Mesue, fiat emplastrum, cujus portiuncula, discissis elephanticorum tuberibus, præmunita, refrigerant, & emplastico præsidio vicinia, ne medicamenti acrimoniam & fervorem sentiat, imponetur.

Emplastrum quod maculas Elephanticorum cutem deturpantes extirpat.

℞. Cantharidum pul. ʒß. saponis nigri q. s. ut unguenti fiat consistentia cum aceto modico, imponito ac finito dum vesica extuberet, superdato tamen emplastico remedio, quod vesicatorium contineat.

Simplicia ad balneum Elephanticorum.

℞. Malvę, violariæ, parietariæ, acanthi, singulorum M. xv. fumiterræ, morsus gall. utriusque M. iv. radicum altheę, sem. lini, utriusque ℔ij.

Vnguenta Elephanticis à balneo illinienda.

Succi fumiterrę ℔ß. aqua. rof. ℥v. rad. serpentariæ majoris ℥ij. Coquito dum radix contabuerit, & succus pene assumptus sit: terito, dein adde axungię porci butyri recentis, axungię capreoli, singulorum ℥iv. hydrargyri pręparati ℥iij ß. Caphurę ʒij. fingito linimentum.

Vel sic:

℞. Butyri recentis salis expertis, axungię porci purgatæ, utriusque ℥v. eluito sæpius in succo fumiterræ, vel si hyems est, in aqua rosarum, dein addito, ac diligenter permisceto argenti vivi perpurgati ℥ij. ß.

Catapotia ex hydrargyro quæ retorridæ bilis; & omnium acrium ac malignorum humorum ferociam domant & compescunt, eosque sensim expurgant, nullo ventriculi incommodo.

℞. Argenti vivi cum panis adhuc calentis mica, manibus ut plumbaginem deponat ac expurgetur, diu subacti ℥iß. longa agitatione exactè misceto cum succi limonum momento, & olei è myrrha deprompti, semuncia adjecta terebinthinæ Venetæ, aqua rof. elotæ ʒß. his postea adde auri purissimi præparati in tenuissimum pollinem, vel si id desit foliorum auri ʒß. ambaris ℈j. pulv. elect. Diamarg. frigidi & triasantalon simpl. utriusque ʒij. aloes ℥iß. fingito massam cum sequenti magmate.

℞. Foliorum sennæ integrorum ℔. j. rhabarb. in frustula dissecti ℥iv. rad. aresactæ & tusæ, hellebori nigri nostratis ℥j. diem unum macerato in œnostagmate, quod dein exprimito & vitreo vase exceptum adjecta sacchari pari portione in diplomate exhalare finito, dum magma mellaginem referat. Remedii hujus dosis fuerit ʒß. aut ℈ij. quindecim alternis diluculis, tribus horis ante cibum catapotiorum specie.

Calidis naturis commodius erit, quod sic habet.

℞. Hydrargyri à plumbagine repurgati ℥j. exactè misceto atque extinguito in æquis partibus syrupi de limonibus & de succo salviæ, adjecta terebinthinæ in aqua rof. elotæ ʒß. dein adde elect. Diamargariton frigidi & triasantalon utriusque ʒij. pul. elect. tragacanthi frigidi ʒiß. myrrhæ, croci, gentianæ, ana ℈j. rhabarb. pul. ʒiij. Aloës lotæ in aqua endiviæ ℥iß. auri præparati ʒj. fingito massam, addendo ambaris moschi optimi, utriusque grana vj. syrupi de stœchad. q. s.

In re tenui aurum detrahitur.

Omnium remediorum Elephanticorum vires superat catharticum nostrum metallicum, acrem omnem ac ferinam humorum omnium qualitatem ac malignitatem mirè obtundens, ac nihilominus blandè adeò alvum solvens, ut pueris & prægnantibus tuto dari possit. Constat ex hydrargyro & auro sic

sic perniftis atque immutatis longa maceratione, ut vim catharticam assequantur. Una autem & eadem opera & pituitam, ac crassos omnes humores expurgat, & calidam ac siccam viscerum constitutionem emendat, datur granorum sex pondere. Hoc remedium Cadomi præparat Petrus Philippus, olim nobilis Typographus. *Julius Palmarius de Morbis contagiosis lib. 4.*

Curationes, Consultationes, Observationes & Anatomicæ inspectiones ex variis.

Curationes.

Elephantiasis seu elephantica lues, etsi tantùm involucra corporis aliqua cutemque imprimis, eamque certis duntaxat in locis possideat, tamen ægertimè, licet primùm illa incipiat, præcaveri, multò minùs si confirmata sit, curari poterit, præsertimque si hæreditaria sit. Necdum qui eam curarint, hactenus inventi fuerunt, quamvis ii qui psoram, falsò, ab imperitis pro elephantiasi habitam, curarunt, se elephantiasim sanasse gloriëntur. Quæ licet ita sint, tamen non negligenda hæc lues, statimque ab initio huic, omnibus artibus occurrendum, & si penitùs impediri nequeat, saltem ut prottahatur quàm diutissimę fieri poterit, cura adhibenda. Atque ubi vitia erupetint, hisce delendis incumbendum, ne ægris si invalescant, tandem exitium pariant, cùm nisi id fieret diu sæpè possent supervivere. Dein & cùm deformitatem summam hæc vitia creent, ut minùs suspecti, diutiùs in hominum consortio versari queant, cura interdum palliativa illis quoque adhibetur. Quam magnates à Medicis sæpè magnis promissis efflagitant.

Curatio elephantiasis duplici morbo modo instituitur: Primùm generatim toti huic morbo accommodata, postea particulariter vitiis tantùm illius inde natis.

Generalis Curationis scopus in eo consistit, si fieri possit, ut causam huius luis, venenum scilicet illud evacuantibus educamus & qualitatem venenatam inde natam emendemus: Verùm cùm quæ peculiari quadam vi id efficiant, vel certis evacuationibus, ut in lue venerea, in hac non sint hactenus inventa, eoque modo in curatione illius procedere nequeamus; Curationis methodus plerumque vitiis hisce pravis, quæ nascuntur ex illis, accommodatur. Et proin cura non adeò absimilis huic, quæ in psora perversa, aliisque pravis maculis, pustulis ulceribusque malignis usurpari solet, in elephantiasi quoque instituitur, sequentibus modis.

Purgationes prout corpus humoribus superfluis, vel excrementis scatere cognoscimus, instituuntur, cùm eas causæ venenatę accommodare nequeamus, quam tamen ad melancholicum humorem educendum plerique dirigunt, præcipueque ea quæ illius excretionem moliuntur, seligunt, permiscendo, illius humoris acrimoniam suâ humiditate & frigiditate contemperantia, quæ cùm & aliis acribus salsis & biliosis pertinacibusque humoribus expurgandis competant, uti in cæteris vitiis externis inde genitis, in scabie perversâ & in lue venereâ, sic & in hac lue, in qua & hæc plerumque congeruntur, locum habebunt. Quibus corpora hæc præcautionis loco & ne augeatur malum, veris & Autumni tempore unâ vice vel pluribus purgamus: Interdum & intermediis temporibus, si impuritas cordis illud requirat.

Perficitur autem hoc ritè: Primùm levioribus communia excrementa eluendo: Ut injectione Clysmatis stimulantis, qualia passim describuntur, eaque quæ in melancholię verę cura descripta sunt, hic quoque possunt competere.

Vel datur eo nomine Cassia, Catholicon, Tryphera persica, vel Saracenica, Diasena dissoluta cum aquis convenientibus, vel decocto cicerum, aliove, vel cum Sero Caprino.

Vel ℞. Rhabarbari infusi in aqua Endivię, vel sero lactis ʒj. vel ℈iv. Syrupi rosarum solut. ʒß. Cassię, vel Catholici, vel Tryphere persicę ℥ß. aquarum Buglossi, fumarię q. s. fiat potio.

Horum loco vomitus aliquando, cùm, ut minùs excrementa coacerventur, juvet, in consuetis provocandus, tum levioribus sumptis, tum etiam fortioribus, Hellebori præsertim usu concitatus.

Præparatio ante purgationem humorum præmittitur, cum syrupis, ut violarum vel fumarię simplic Buglossi, Endiviæ; Vel etiam fumariæ composito, Nymphęæ, de Cucurbitis, dissolutis cum aquis fumarię, Lupulorum, Buglossi, Endivię, Cichorii, Acetosę, &c. Aromatis. pulvere Trionsant. vel santalis.

Vel hoc decocto: ℞. Buglossi ottiusque cum radicibus M. ij. rad. Graminis, Asparagi, Liquiritiæ ana ℥ij. cort. Capparum, Tamaricis ana ℥j Herb. Endivię, Cichorii, Lactucę, Capill. ana M. j. florum cordial. Cicerum rubr. ana P. j. quatuor semin. frigid Major ʒvi. Sem. anisi ʒi. Passul. mund. ℥ij. fiat decoctio & in ℔ijß. dissolve de syrupis prędictis, q. s. vel adde saccharum, aromatis. Trionsantalon: Pro 5. vel 6. vicibus.

Vel utatur Julepo pręparante in Melancholiæ cura exposito:

Qui ℞. Syrup. viol. borrag. &c.

Aut eo qui ℞. Succorum Buglossi utriusque de Pomis redolentibus.

Vel decocto quod ℞. Rad. Buglosś. utriusque.

Purgamus post præparationem prægressam sequentibus:

℞. Rhabarb. infus. in aqua Endivię ʒj. Agarici trochisc. infus. in syr. ros. sol. ℈ij. Confect. Hamech. vel Diasenæ sol. ʒiij. Syrupi viol. ℥iß. dissolv. cum aquâ fumarię, Lupulorum, &c.

Vel detur, Bolus: ℞. Catholici ʒß. Conf. Hamech ʒij. de succo Rosf. ʒj. cum saccharo, fiat Bolus.

Aut hęc potio: ℞. Herbarum cum radicibus Buglossi alterutrius, vel Cichorii aut Endivię, foliorum fumariæ, summitat. Lupuli ana Mß. seminum Endiviæ, Portulacę, Melonum, Citri ana ʒß. Anisi ʒj. Florum Cordial. P. j. passul. mund. ℥j. Prunorum num v. pulp. Tamarind. ʒß Radic. liquir Polypod. ana ℥j. Foliorum Sennæ mund. ʒvi. Epithymi ʒij. adde saccharì, q. s. fiat potio. Possunt infundi Myrobalani vel Rhab. vel electuaria in ea dissolvi.

Horum loco dari possunt purgantia in Melancholię cura descripta;

Ut potio quę ℞. Catholici ʒj &c.

Vel quę ℞. Sennæ, Polypodii, &c.

Vel Pilulæ ibidem proposite.

Pręparamus & purgamus interdum simul hoc Apozemate:

℞. Radic. Graminis, Asparagi, Rusci, cortic. Capparum, Fraxini, Tamaricis ana ℥ij. Temperentur in vino acidulo, vel addito pauco Aceto, radic. liquiritię ℥iij. Rad. Enulę ʒj. Herbarum cum radicibus Buglossi, utriusque Cichorii, Acetosæ, Lapathii ana Mj. Herbarum fumarię, Lupuli, Mercurialis, Scabiosę, Capillarium ana M. ij. Herb. Endivię, Dentis Leonis seu rostri porcini, lactucę, Hepaticæ, Lenticulæ

Lenticulæ aquat. ana M. j. Betonicæ, Thymi, summit. Rosmar, Chamæpit. Chamædr. ana M.ß Florum Cordialium, Genistæ, Tamaricis, Nenuphar. ana P.j. Semin. quatuor frigid. Majorum ℥j. quatuor seminum frigid. Minorum ℥ß. Sem. Acetosæ ʒij. Sem. anisi ʒiij. Sem. fœniculi ʒij. Cicerum rubr. p. j. Passularum enucleat. ℥ij ß. Prunorum n. a. Jujub. Sebesten. ana par. v. Tamarind. ℥j. Polypodii quern. ℥iv. Sennæ ℥iij. Seminis Carthami conquass. ℥iß. Epithymi ʒvi. Coquantur omnia in aqua cum radicibus, earumque infusione ut dictum, addendo sacchari q.s. aromatis. Santalo citrino, cinamom. vel pulvere Trionsantalon, vel Diamarg. frigid. Pro 5. vel 6. vicibus.

Per vices purgationes instituuntur, aliàs continuando per aliquot dies, alternis, ternis, quaternisve semel, vel bis usurpando, prout corpus excrementis redundare videmus.

Syrupi, in hanc rem parantur, qui ad usum diutiùs conservari possunt; Componiturque ea apozemate prędicto purgante & prępatante convenienter talis. Recipiendo radices, herbas, flores, fructus, semina uti illic demonstratum, atque addendo Tamarind. ℥ij. Polypodii ℥vi Foliorum Sennę quart. j. ß. Seminis Carthami conquass. ℥iij. Epithymi ℥j. Hellebori nigri ℔ß. factaque decoctione in s. q. colaturę, infundendo Myrobal. citrin. indarum confricat. oleo amygdal. dulc. ana ʒiij. Rhabarbari ℥ß. Spicę ʒß Cinamomi ʒj Agarici trochiscati ʒv. factaque expressione, miscendo syrupi rosatum solutivi ℥iv. Sacchari ℔ß. & decoquendo ad consistentiam syrupi; Cujus decens quantitas per se, vel cum jure Cicerum, aut sero lactis, vel decocto Mercurialis exhibeatur, vel cum aquis convenientibus.

Ex succis sic fiet; ℞. Rad. Polypod. liquiritię ana ℥iij. foliorum Sennę ℥iv. Seminis Carthami conquass. ℥ij ß. Epithymi ʒvi. Tamarind. ℥ij. passul. ℥j. Semin. Anisi ʒij. fiat decoctio in sero Caprino & in colaturæ ℔ij. adde succorum fumariæ, Lupulorum, Buglossi alterius, scabiosæ, Lapathii ana ℥iij. Iterum decoquantur & despumentur, addendo Sacchari ℔iß. coquatur ad consistentiam, aromatisetur Santalis & cinamomo ad usum. Si succus Mercurialis addatur, erit efficacior.

Hellebori dilutum seu decoctum, ut ipsius acrimonia minuatur, aliqui sic parant. Fit decoctum in aqua ex endivia, cichorio, Buglosso, utroque, atque in ℔vi. colaturæ infunditur Hellebori nigri radic. incisorum ℥iß. & post macerationem aliquam decoquitur ad consumpt. duarum partium. Et de tertia dantur ℥iv. cum syrupi viol. ʒß. continuando per aliquot vices.

Epithymi pulverem ad ʒij. cum sero Caprino per mensis spatium & ultrà propinant. Operabitur meliùs si pulveris & Epithymi, & Sennæ ana ʒj. Tartari ʒß. Sacchari Candidi ʒj. cum sero detur, aliquandiuque continuetur, quibus & alia ut Turbith addi possunt, & quæ grata sunt, pauca aromata. Quę rectius quàm pulvis Diasenæ, quem aliàs commendant, propinantur.

Electuarium gratum laxans: ℞. Pulpæ Cassiæ fistularis ℥iß. Pulpæ Tamarindorum ℥iß. Pulpæ passul. majorum & Prunorum dulc. rob. de Pomis redolentibus ana ℥j. Syrupi violac. & Ros. solutivi ana ℥iß. Diagrydii ʒij. Subtilissime triticum Sacchari Candi ℥ß. Turbith, ʒiij. Pulv. rad. Liquirit. & Cinamomi ana ʒiß. Misce in formam electuarii: Capiat ʒij. aperiundi primum gratia, postea plus minusve prout operatio successerit.

Medicamentosum saporem magis habebit, si omisso Diagrydio, & Turpeto, hisce pulpis Catholicon, Tryphetaro, syrupum rosarum solut. cum infus. Rhabarbari addas; Item pulv. Rhabarbari, Sennæ. Vel fortiora solutiva elect. ut de succo rosarum, Hamech, Diasenam, de Citro similiaque.

Conveniunt & in eosdem usus ejusmodi per vices usurpatæ purgationes, in melancholię cura expositę: ut apozema vel syrupus ex succis parata; vel vinum aut electuarium: Pulvis item.

Uti & alia aliqua, quę in cura scabiei perversę fuerunt, declarata ut serum lactis cum permistione aliorum; syrupi item usuales decoctaque purgantia. Ex succis paratus syrupus. dein & vina purgantia: In primisque Infusum vel decoctum Hellebori potionesque alię, electuaria & pilulę, quorum illic meminimus.

Multa quoque in lue venerea exposita purgantia, maximè quę in acrium humorum redundantiâ illic competere diximus hîc quoque usurpari poterunt.

Finitâ purgatione visceribus robur addetur, exhibitione conservarum rosarum, Buglossi utriusque Cichorii, Violarum, Capill. Nenuph. vel tabul. Diarthodon, Trionsantalon Diamargaritonis; vel Theriacæ, cum conserva Buglossi similibusve.

Sanguinis detractio per venam sectam, Veris & Autumni temporibus, cùm generales purgationes fiunt, ante horum usum institui solet, ad generalem totius corporis evacuationem faciendam, cùm alioquin per eam semina hujus luis, quibus sanguis in venis, uti ostendimus infectus non est, tolli nequeant, atque eo nomine minimè institui debeat. Fitque hęc in brachio atque in plethoricis mox quoque sequentibus diebus in manu vel pede: Vulgò si sępius phlebotomiâ utantur, hac malum prę-caveri posse creditur; Cùm tamen per eam corpore exhausto, lues citiùs & ampliùs invalescat. Temerè quoque ut vulgatæ opinioni satisfiat, sanguis, ut ex eo lues hęc cognoscatur, dum examini sistuntur, emittitur & censetur.

Scarificationem singulis mensibus repetitam, in scapulis, tibiis, adhibitis insuper cucurbitulis, convenire admodum credunt; vel etiam sanguisugas illic adhibitas.

Menses movere, si tardi vel omninò suppressi sint, valdè utile, venâ Malleoli sectâ, aliisve illud præstantibus.

Hæmorrhoides provocare in primis quoque conveniens, applicitis in podice sangolsugis, aliisve admotis.

Ustio per Cauteria actualia & potentialia, si fortè extremum hoc remedium aliquid efficere posset, aliquando tentatur, non solùm in brachiis aut tibiis, uti magis consuetum, sed & in capitis superficie quandoque facta.

Castratio in virili sexu à veteribus in desperatis interdum instituebatur; idque forte quòd per eam totius corporis temperamento immutato, in iis sic effæminatis redditis, atque aliam planè constitutionem adeptis, morbum hunc faciliùs cessurum crederent. Quo remedii genere eo minori cum difficultate sunt usi, quod elephantis alioquin ne alios inficiant, congressus interdictus sit, & illis sublata virilitas nullum afferat in ea functione ipsis non necessaria incommodum, utque etiam eo nomine à coitu arcerentur, quàm ut sic curarentur.

Alteramus ipsorum corpora, ut si fieri possit in meliorem statum ducantur: Verùm cùm intemperies, non manifesta, ratione hujus luis se patefaciat, non quæ certa qualitate contraria illi resistant, possunt illi opponi: Sed usurpantur plerumque quæ acrium humorum proventum impediunt, eosque contem-

contemperant. Dein & cùm observatur in ejusmodi corporibus siccitas, ariditasque & consumptio quædam; quæ humectando reficiendoque corpora ejusmodi, restaurent reficiantque, plerumque ipsis præscribuntur. Inter quæ multa ex illis quæ in hectica competere diximus, hîc quoque possunt convenite: uti & sequentia.

In Aëre puro, non valdè fervescente, sed temperatiore versentur, sintque procul ab illis qui hac lue infecti sunt, semoti.

Cibus euchymus ex carne juniorum animalium, jusculis, ovis, lacticiniis, oleribus, fructibusque humectantibus & temperatis: Ut in hecticis & consumptis convenit.

Ranarum uti & Astacorum fluviatilium & Testudinum aquaticarum & nemoralium carnes comestæ, uti in hecticis sic, & hîc probantur.

Potus sit aqua vel vinum non nimium potens vel dilutum: Interdum & lac caprinum bibant, aliaque decocta in hectica exposita.

Medicamenta varia quæ refrigerant & humectant seu temperata sunt, atque acres humores contemperant, hinc inde in aliis vitiis externis descripta, hîc quoque possunt competete. Uti & illa quæ in febre hectica describuntur: Julepi, Syrupi, Aquæ, Confectiones, Conditutæ.

Inter reliqua hoc electuarium maximè illis conveniet:

Quod ℞. Conf. florum Buglossi utriusque ℥iss. florum Cichorii, Violarum, Nympheæ & Rosarum ana ℥j. Capill. Vener. Rosmar. ana ℥ss. Rad. Buglossi condit. ℥j. specierum Trionsantalon vel Diarrhodon, Diamarg. frigid. ana ʒss. trochiscorum de Camphora ʒj. cum syrupo de Pomis redolentibus, misce.

Superbibat aquas Fumariæ, Lupul. Buglossi utriusque, Endiviæ, &c.

Alia multa quæ hepati conveniunt & lieni quorum vitio sanguinem immundum genitum loi huic occasionem præbere putant, propinant, & foris simul hisce visceribus applicant, passim in morbis ipsorum ab intemperie calida & obstructione progressis descripta. Quæ tamen nisi hæc viscera manifestè sic affecta cognoscamus, inutiliter plerumque usurpantur.

Antidota quędam quę peculiari vi elephantiasi contraria esse creduntur, præ cæteris commendantur, suntque sequentia.

Viperarum carnem quocuoque modo assumptam, in primia elephantiasi resistere, plerique statuunt. Alii etiam aliorum Serpentum cujuscunque generis, etiam cæcorum usu, cutem cum vitiis illi adnatis abscedere posse, ex eo colligunt, quod cum ejusmodi serpentes exuvium quotannis exuant, hoc ab innata illorum carni vi procedere, & proin etiam in homine idem operari posse, existimant.

Exhibetur autem hæc caro ipsis, præparata variis modis: Aliàs cocta in jure aliquo convenienti cum sale, uti anguillarum caro, pelle etiam, uti in illis, priùs detracta, aut alioquin per coctionem derasa, capiteque & caudâ amputatis, & exenteratis visceribus: sic enim, cum se anguillas comedere, illis persuadeatur, minùs à cibo hoc abhorrebunt. Licet & aliter sic coctam & dein incisam, aliove modo conditam, ut minùs eam agnoscant, præparatione possimus efficere. Cujus usû cutem squamarum, instar certis in locis vitiatis abscedere, alioqui prodiderunt.

Sufficit & jus interdum, in quo caro hæc coxerit, ut illud sorbeant, vel unà cum carne comedant. In quo præter sal, semen Anisi, Anethum decoqui possunt; alii etiam Mentham addunt vel Porrum.

Syrupus ex Jure prædicto Serpentum, addito Sacchato, Cinamomo, aliquando coquitur, ut ad usum diutiùs asservari possit: Eâque formâ sæpius exhibetur.

Alii, si Gallinæ carne serpentum tamdiu donec pennæ illis decidant, saginentur, & postea coctæ comedantur, idem præstare docent.

Sunt qui & Vinum in quo vipera extincta fuerit, propinatum præbent.

Exiccata quoque caro viperarum, ut diu ad usum servari, & cùm non passim viperæ inveniantur, etiam alio transmitti queat, in trochiscos redigitur. Ad quos parandos sumitur caro ipsarum tantum, abjectis uti dictum etiam extremitatibus & visceribus, atque cum Anetho & sale in aqua coquitur, postea tunditur, & cum panis triticei micis quarta parte in pastam cum jure subigitur, indeque in Pastillos formatur atque exiccatur: Talesque Pastilli, trochisci de Therio quo nomine viperas Græci appellant, vel de viperis nominantur. Licet è serpentibus aliis eodem modo paratos, æquè efficaces esse aliqui judicent.

Hi autem trochisci rariùs per se, sed cum conservis permisti usurpantur. Quales in electuario supradicto descriptæ fuerunt. Cui & si trochiscorum horum ʒj. vel plur addatur, efficacius redditur. Dein & cum hi trochisci Theriacam subeant, eam propter ipsos, vel quia aliàs venenis resistit, huic veneno adversatur, Elephanticis quoque exhibent.

Astacorum fluviatilium, cancrorum vulgò dictorum carnem, eâdem vi quâ & serpentum operari ex eò quòd uti illi exuvium sic & cancri testam quotannis mutant, colligunt, nec solum vi reficiente, quâ & prodesse diximus, sed & hac potissimum operari, putant.

Herinacei terrestris carnem exiccatam seu assam in cibis quoqoe exhibet Dioscorides & Salamandram aliis medicamentis miscet: Quæ si quid in hac lue possunt, proprietate quâdam illud molinntur.

Sanguinem humanum à recenter jugulato, bibitum, profuisse, historiæ aliquæ, si non potius fabulæ sint, testantur: Aquam inde destillatam similiter probant.

Cornu Cervi & Eboris rasuram elephantiasi, ut & aliis venenis resistere aliqui docent. Imprimisque magnatibus, unicornu, ut pretium augeatur, commendant, magni faciunt.

Smaragdi pulvis exhibitus aliquibus magni fit.

Lepræ perfectam curam Chymici pollicentur, per legitimum usum Auri potabilis, Tincturæ Antimonii exaltatæ, Tincturæ veræ & genuinæ Coralliorum, adhibitis specificis purgantibus, inter quæ extollunt, Arcanum Corallinum, Mercurium dulcem, pilulas Antimoniales per secessum tantùm purgantes; Clarissimus D. Hartmannus Viridelli, & Essentiæ sulphuris vitrioli dulcissimæ usum, in cura lepræ in sua praxi Chymiatrica docet & commendat.

Externa remedia, quibus in generali elephantiasi utimur, sunt Balnea, si fortè illorum continuo usû vis illa venenata & maligna cuti membranisque impressa, auferri atque extirpari posset, & si hæc lues maturè præcaveri, aut etiamsi jam invaluerit, curari; Vel saltem per hæc in delendis tuberculis, ulceribus & cutis scabritie, quousque hæc deformitas palliari. Suntque ejusmodi balnea vel naturalia vel artificialia.

Naturalia balnea sunt aquarum dulcium calefactarum, quæ certis temporibus corpore prius & postea quoque bene purgato, frequenter usurpata; Veris & Autumni temporibus, ante & post prandium; in iis sedendo,

sedendo, perseverando in usu horum per tot dies, donec cutis effloreſcat, tutiumque ſanetur, de hac cauſa maligna in ſuperficie cutis latente, multùm demere poſſunt.

Thermæ Naturâ calidæ validiùs id præſtant, Sulphureæ præſertim, quales ſunt in Helvetia noſtra, in Argovia Badenſes, in Valeſia Brigenſes, aliæve aliis in locis, quæ ad ſcabiem cujuſcumque generis, vi ſingulari, uti in ea dictum, ſanant, ſic & in lue hac eadem vel malignam illius vim abſumere, vel tantùm vitia inde nata, ſi non penitùs, ſaltem ex parte delere poſſunt; ſi diu illis, uti aliàs fieri ſolet, utantur. Eoque nomine ad has thermas non ſolùm cùm de hac lue conſtat, ſc. ut malum celare aliquandiu poſſint conferunt, ſed & cùm de ea adhuc dubii ſumus, poſt eamen, eò, an fortè aliqua inde ſequutura eſſet mutatio, illos ablegamus.

Artificialia balnea humida in quibus ſedeant, illiſque uti de naturalibus dictum, diu utantur, ex aqua fiunt, in qua varia, quę cutem rarefaciendo & detergendo pravos ſuccos abſumant, decoquuntur. Qualia ſunt ex radicibus cum foliis, Althęa, Lapathum, Ebulus, Enula: radices item Ari, Serpentariæ, Cucumer agr. Bryoniæ, Cyclaminis, Iridis, Raphani, Hellebori utriuſque, Liliorum; Item herbæ unà cum radicibus, Malva, Bugloſſum utrumque, Cichorium, Endivia, Sonchus, Beta; Item Abſinthium, folia item Sennæ, fumariæ, Lupuli, Scabioſæ, Saponariæ, Parietariæ, Violariæ, Hepaticæ, Lenticulæ aquaticæ Senecionis, Acetoſæ, Agrimoniæ, Artemiſiæ, Plantag, Polytrichi, Hederæ utriuſque Chelidonii utriuſque, Nymphææ, Tamariscis; Flores Chamomill. Meliloti, Sambuci Dein & fabæ aliave legumina. Furfur tritici, Semina Lini, Fœnugræci, & Cucurbitæ ci genitis.

Hiſce plerumque ſulphur, Alumen vel Sal addunt, maxime ubi jam aliquoties leviori decocto uſi fuerint.

Adduntur & alia, fortè aromatis causâ. Primulaveris, chamæpitys Item odoratæ plantæ, ut Calamintha, Roſmarinus, Lavendula; ſunt qui & quinque Aperitivas radices addant.

In ſcabie perverſa expoſita balnea humida non multùm ab hiſce differentia hic quoque locum habere poſſunt: Inprimiſque efficax illud quod Gypſum cum aliis recipit. Uti & decocta quædam, quibus maculas vitioſas ablui debere in illa oſtendimus, pro balneo hîc uſurpari poterunt.

In ſanguine humano ſi ſedeant, eoque balnei vice utantur, profuiſſe quibuſdam, hiſtoriæ aliquæ teſtantur.

Sicca balnea in aëre calefacto, cum nimiùm corpus accendant, & violenter ad ſuperficiem corporis, humores propellant, non ita probantur. Poſſumus tamen & illis, ex ſuffitû decoctionis balnei humidi, levitet calefactis & tepefactis, aliquando corpus, antequam balneum humidum intrent, ut hoc meliùs operetur, ſic diſponere.

Illitiones variæ quoque extrinsecùs pro generali etiam cura hujus luis fiunt, in corpore hinc indè ubi præſertim cutis puſtuloſa, ulceroſa & ſcabra tumidaque occurrit, ad vitia hæc tollenda, & ſi fieri poſſet, malignam illam impreſſam qualitatem aliquo pacto auferendam. Fiuntque ex illis quæ vi exiccante detergenteque illud agant, additis inſuper iis, quę proprietate quadam id efficere poſſe exiſtimantur, qualia à Serpentum genere deſumpta exiſtunt; ſic axungiam illorum innectam, idem quod carnem ipſorum aſſumptam, præſtare poſſe, putant, nimitum ut cutis inde cum vitiis illi adnatis abſcedat. Uti & oleum in quo caro Serpentum coxerit, vel ſerpens vivus ſuffocatus fuerit: Carnem ipſam coctam aliqui inunctionibus quoque miſcent,

Ex prędictis Itaque tale fiat Unguentum.

℞. Radic ſerpentar. utriuſque, Aſphodeli vel liliorum, Enulæ campanæ, Betæ, croci ſativi ana ℔j. piſtentur optimè oleo roſaceo omphacino, adde unguenti Citrini ℔ß. Axungiæ Serpentis ℥iij. Terebinth. ℥ß. Olei de frumento vel vitellis ovorum ℥iß. Olei de Tartaro ℥ij. Sulphuris vivi, Nitri ana ℥iij. Lithargyrii vel ceruſſæ ℥ß. Boracis uſt. ʒvi. Tutię prępar. Sarcocoll. nutrit. thuris ana ʒij. Mucilagin. ſem. lini ℥ij. Succi lapathii, fumariæ, limonum, ana ℥iij. Agitentur invicem in formam nutriti: Ungantur partes ſcabię, ulceroſę & puſtuloſę.

Vel fiat tale: ℞. Succorum Limonum, vel arant. vel citri, Lapathi, fumariæ, ſcabioſæ, enulæ camp. ad ℔j. Aceti ℥ij. Aquæ vitæ ʒj. Olei roſac. omphac. Myrtillorum vel Maſtichini ana quart, j. ß. coquantur ad ſuccorum conſumpt. addendo olei vitellorum ovorum ℥j. de Tartaro ℥iß. Saponis gallici ℥ij. Axungiæ ſerpentis ℥iv. Pomatæ ℥ij. Fellis tauri vel hirci ℥ß. Mucilagin. ſem. pſyllii vel lini ℥ij. Mellis ℥iß. Radic. Ari vel ſerpent. cucumer. agreſt. cyclaminis, Ireos, ana ʒiij. Hellebori utriuſque ʒij. ſeminis ſtaph. agr. Raphani ana ʒj Boracis & Tartari uſti ana ℥ß. Sulphuris vivi ʒiij. Oſſis ſepiæ ʒij. Cochlearum terreſtr. cineris ʒi. Camphoræ ʒiß. Lithargyr. tutiæ & ceruſſæ ana ʒiß. Agitentur diligenter & fiat linimentum: Pro partibus affectis in corpore.

Hiſce & alia addi poſſunt, veluti oleum de frumento, de ſemine raphani, oleum in quo coxerit ſerpens, ſuccus cyclaminis; item Nitrum.

Poſſet & argentum vivum hiſce unguentis addi, quod licet venenatam illam vim in elephantiaſi, uti in lue venerea, minimè extirpet, & proin non eam uti illam ſanet, tamen quia vitia hæc externa in cute, in utriuſque admodum emendare ſolet, ob eam cauſam illis quandoque miſceri poterit, non tamen eâ quantitate aut ea ratione, præſertim ſi generaliores fiant inunctiones, qua luis venereæ venenum expellit, non poſſit hoc in elephantiaſi præſtare, ſed ſaltem ad vitiorum ablationem opitulari, & proin in particularibus, quæ tantum ut puſtulis adhibentur remediis, rectius uſurpatur. Quòd ſi tamen generalibus etiam inunctionibus permiſcere velimus, poterimus prioribus unguentis primò præſertim, argenti vivi ℥j. addere.

Vel tale cum eo linimentum parare;

℞. Unguenti Citrini quartarium j. Olei ovorum ℥j. Olei de Tartaro ℥ß. Argenti vivi diſſoluti cum pauca terebinth. & unguento prædicto, ℥ß. Succi Limonum vel arantiorum ℥iiß. Boracis ʒij. Radic. ſerpentariæ vel ari, lapathi & aſphodeli vel liliorum, parùm toſtorum & contuſ. & cum prædictis miſtorum ana ʒij. Miſce.

Si prædictis linimentis & unguentis theriaca Andromachi & oleum Juniperi admiſceantur valde, augebitur ipſorum virtus & operatio.

Particulares applicationes, vitiis tantùm adhibentur, à lue hac prodire ſolitis, ut licet lues hæc ſanari nequeat, ſaltem vitia hæc minùs deforment aut noceant. Uſurpanturque tum in vitiis externis, ſi forte ea delere vel aliquo pacto imminuere aut obliterare, ut minùs appareant, poſſint, ut puſtulis & ulceribus internis, in Dyſpnæa, atque oculorum Pellicula.

In puſtulis externis, tuberculis, aliiſque tuberoſitatibus cutis, tum in facie ubi magis patent, tum aliis in locis, applicantur remedia; Fiuntque ex illis quæ exiccando, detergendoque potiſſimum illud agant,

vel vi potentiore & caustica. Quâ ratione & cutis nigredinem in cosmeticis & maculas & pustulas rubras aliasve pravas, ut vitiligines similesque deleri, in ejusmodi vitiis ostendimus. Quæ remedia externa iilic exposita, tam leviora, quàm fortiora, uti & interdum caustica illic enarrata, cum pustulæ delendæ sunt, hîc quoque locum in ejusmodi vitiis tolleodis habere possunt: Quæ variis modis & formis applicantur.

Ex illis quæ nondum erodunt, aquæ destillatæ ad faciem plerumque usurpantur. Qoalis hæc est.

℞. Sulphuris ℥vi. Tartari calcinati ℥ij salis nitri, vitri crystallini calcin. ana ℥j. Thuris, Myrrhæ, ana ʒij. Camphoræ ʒj. Succi Lapathi, ℥iv. Succi Limonum ℥ii. Aquæ rosarum, florum fabarum vel florum Nymphęæ aut Plantag. ad ℔j. destillentur.

Alia aqua: ℞. Tartari calcinati quartar. j. Boracis ℥ß. Thuris vel Mastiches ʒij. Sacchari candi ℥j. Camphoræ ʒj. pulveris, & subigantur cum mucilagin. Seminis psyllii vel infus. Gummi tragacanth. factis cum aqua flor. fabarum vel nenuphar. ℥vi. albumin. ovorum agitatis num. 3. succi Limonum vel Arantiorum ℥ij. vel iij. Destillentur in Alembico.

Aliæ aquæ quoque idem præstare possunt in discoloratione, inter cosmetica expositæ efficaciores, quæ urinam, tartarum, sublimatum cum cæteris recipiunt, vel ex pluribus componuntur & in pustulosa rubra facie, descriptæ aquæ, imprimisque illæ quæ Lithargyrium & tartarum cum aliis admittunt. Dein & in maculis aliis diversorum generum ibidem declaratæ aquæ ex variis compositæ & cum tartaro effectæ.

Liquor albus, quo instar lactis virginalis uti possuot, ad illiniendam faciem al ave tubercula:

℞. Lithargyr. ℥iß. Aceti albi ℥vi. Succi Limonum vel arant orum ℥ij. Aluminis vel salis gemmæ ʒij Tartari calcinati ʒß. Camphoræ ℈j. Macerentur & agitentur sæpè, ad usum, vel coquantur parum, si statim eo uti velimus.

Vel sulphuris, salis nitri & Crystalli seu vitri Crystallini tenuissimè triti æquæ portiones, parùm coquantur, io aceto forti albo: Et cum colatura facies illinatur.

Alii liquores in facie pustulosa in discolorationibus descripti cum sulphure, vel lactei ex lithargyrio parati, horum loco usurpari poterunt. Uti & lac virginale in maculis aliis ibidem declaratum.

Inunctiones privatis partibus adhibentur variç, quales io discolorationoe copiosè sunt expositæ, ut in cosmeticis, unguentum citrinum, quo facies illinitur potissimùm, paratum uti illic descriptum fuit. Dein & in pustulosa rubra facie, propositę ex variis concinnatæ: Uti & in aliis maculis illic descriptæ, ex succis plantarum, aliisque inde petitis, & ex oleo vitellorum ovorum & tartari, aliisve cum helleboro factæ; Item ex sangoine leporis & fellibus. Inter quæ Capræ sylvestr. fel in elephantiasi probat Dioscorides, oleum lacertæ etiam hic magni fit.

Aliud ad pustulas valdè efficax unguentum.

℞. Aloës ʒiij. Radic. Asari ʒj. Hellebori utriusque ana ʒß. Seminis Staphis. Agr. ℈j. Colocynthid. ℈ß. Fellis auri q. s. fiat linimentum.

Ex argento vivo, in discolorationem uti & in luis veneræ maculis & pustulis enarratæ illitiones, hisce quoque vitiis appositæ; admodum opitulantur, quæ inde peti possunt.

Aliqui hoc remedium extollunt: Ova duo vel tria macerentur in Aceto forti tamdiu, donec testa consumatur, postea contundantur, addendo quartam partem illius aceti; misceaturque pulvis Thuris, Pro facie inungenda. Si saponem nigrum vel aliud addas, efficacius erit.

Caustica quibus ad pustulas delendas utimur, in discolorationibus copiose fuerunt in macularum cura exposita, ex sublimato plerumque præparata. Uti & cauteria, quibus in elephanticorum vitiis delendis quoque oti possemus.

Vel fiat talis illitio. ℞. Unguenti Citrini, olei de Tartaro an. ℥ß. succi limonum ℥j. sublimati ʒß. axung. Serpentis vel gallinæ ℥ß. fiat linimentum: Pro facie.

Sunt qui vermes natos in serpente sub terra defosso colligunt, eosque siccatos cum Cantharidum aquo pondere & acri aceto subigunt, atque in unguentum redigunt.

Ablutiones faciei fiunt, ut unguenta aliaque abluamus, ex decocto furfuris macri, fabis conquassatis, illarumve Corticibus, cineribus, oryza, Hordeo, lupinis confractis saltem non in farinam redactis, ne passa cum decoquitur, fiat, sicuti & decoctum pro facie illustranda, in cosmeticis fieri diximus. Cui decocto & flores Fabarum, Nenupharis addi possunt, & Malum arantium in frusta dissectum priùs.

Vel lavetur facies aliis aquis, ut florum fabarum vel decoctis, in facie tuberosâ rubrâ, vel fuscâ, in cosmeticis & maculis expositis.

In ulceribus externis, serpentibus, callosis, multa ex illis remediis, quæ pustulis convenire diximus, juvare poterunt. Vel utimur illis quibus alia prava ejusmodi ulcera curari, in doloribus exposuimus:

In pilorum casu topicis præsidiis in pilorum defluvio in deformationibus prolixe expositis, illud quoque vitium avertere studebimus.

In pustulis internis & ulceribus inde natis, narium, palati, faucium, non alia remedia, quàm quæ in cæteris harum sedium ulceribus, in doloribus descripta sunt, quoque adhibentur. Uti & si columella excisa sit, raucedoque inde proveniat, sicuti in utroque hoc affectû quoque ostensum, procedendum.

In dyspnæa & raucedine, pulmonum affectorum causa, quæ in illis affectibus cura describitur, etiam hîc adhibebitur. Et si narium obstructarum causâ difficulter aërem attrahant, illic quoque, quid agendum, declaratum fuit.

In oculis enascens pellicula carnea rubra, ne pupillam obtegat, & cæcitatem pariat, mature quantum & quandiu fieri poterit, impediendum, idque non alia ratione, quàm ea, quæ in panniculi oculi cura, in visus læsionibus, tum si alias ob causas, tum ob hanc luem eveniat, fuit copiose descripta. Quod si palpebrarum accedat rubedo, xerophthalmia vel scabrities, eodem quoque modo in illis, uti in aliis illorum ejusmodi affectibus, procedendum. *Felix Platerus Praxeos Medic. T.3.*

Consultationes.

De Lepra. Pro Eleganti Muliere Cretensi.

Cum Juvenis Hebræa Cretensis, annorum 20 temperamenti calidi, & sicci, menstruis parcius fluentibus, totius corporis prutitu divexata fuisset; cum tuberculis, quę Essere vulgo; iidem prorsus subsistentibus biennio abhinc, universum illi corpus fœdatum est; cum ulcusculis in dies magis, magisque serpentibus, atque ichores acres; & mordaces jugiter effundentibus; quibus non rarò accedebant rigores, & febres; iique aliquando exsiccatis, squamosa excrementa emergunt; recrudescentibus tamen paulo post denuò majori molestia ulcusculis eodem

eodem ichore manantibus. Quæ affectio pluribus hactenus in Patria tentata remediis; sanguinis frequenti scil. eductione ex saphena; duobus fonticulis utrique interno femori inustis, ac seri lactis caprini usu, cùm impermixti, & copiosioris, tum addito rhabarbaro. Extrinsecus quit etiam succis refrigerantibus, & aliquando detergentibus applicitis, nec prætermisso balneo universali ex aqua dulci detergentibus alterata. Quæ cùm irrita fuerint, Medicam exposcit manum.

Primò itaque hujus affectus essentia, & causæ inquirendæ, atque cùm pruriginosarum cutis affectionum plures sint, species duplex tamen potissimum earum genus complectitur, universalium, & particularium, præsens affectus particularibus non est accensendus, ut pater ex ejus historia: proinde, nec herpes nuncupandus, quo laboravit Illustris illa patiens, à Gal. memorata 14 Meth. cùm eodem teste, malleolum obsederit. Universalis autem triplex cùm sit, Scables, Lepra, & Elephantiasis, de hac postrema omnis prorsus abest suspicio; quæ cancer est universalis, Galeno, in qua vatia in cute prominent tubercula, in fronte potissimum, aures sunt acutæ, resimæ nares, labra crassa, & tumida, cutisque subrubra, & dura torpescit, ex Gal. Lib. de Morb. Causis. a. ad Glauc. & Libro de Atra bile, quorum nullum in hac Patiente est conspicuum. Quamobrem statuendum censeo, affectum hunc vel esse scabiem feram, & confirmatam, vel Græcorum lepram incipientem, ab Avicenna Albatam nigam nuncupatam, cùm squammæ se prodant, lepræ iudicio luculento, Actuario teste, inter Græcos non obscuri nominis a. Method. Utcunque tamen, cùm utriusque affectus eadem sit causa, præter solum discrimen ejusdem gravioris & levioris, censendum est, præsentem ortunt ducere à sanguine melancholico exusto, in jecore fervidiori genito, nec per uterum stato circuitu ex temperamento patientis, ætate, vita præterita, & potissimùm ex regione ipsa; qui sua crassitie utcit venas prorsus obstruens, atque ad partes cutaneas refluens, tenuiori sui parte solum pruritum antehac induxit; crassiori verò sub illis coercita, altiùs eminem depascit; inusta quinetiam intemperie calida, & sicca, qua purum sanguinem, qui in earundem partium alimentum cedit, corrumpit; atque affectum præsentem fovet, juxta Pauli, & Aristotelis sententiam, quod scil. lepra non solam cutis superficiem sed & intima absumat.

Quæ cùm ita se habeant, quàm difficilis eurationis futuras sit hic affectus, patet luculentissimè cùm sit in habitu, à quo periculum insuper imminet elephantiasis, seu lepræ Arabum. Prout enim Elephantiasis Græcorum in lepram facessere potest, contemperato humore, & expurgato sanguine illo fæculento in visceribus, & venis redundante, & ab iis ad partes cutaneas transmisso, ita non difficili negotio lepra in elephantiasim descifeit, exuberante vicissim atra bile, atque viscera ipsa gravante.

Curatio itaque tentanda, atque humores corrupti cuti impacti detergendi, non sine aliqua adstrictione, & partis corroboratione, fluxio derivanda menses cientibus, & ad alias partes revocantibus, tum novus hujus humoris proventus prohibendus, jecur refrigerantibus, & humectantibus, atque pars affecta contemperanda. Tandem boni succi alimentis sanguis impurus reparandus, corroboratis visceribus, cum venoso genere, quo humores corruptos à se propulsent, & extrudant, ac partes ipsæ idoneo alimento nutriantur, præmissa universali corporis purgatione, quam hucusque accuratius institutam missam facimus.

Chirurgica itaque præsidia quod spectat, prout nobis commendatur repetita sæpius sanguinis missio ex partibus inferioribus præmisso uteri fotu, ex humectantibus, & modicè attenuantibus, quò sanguis fluidior fiat, adhibitis frequentibus pedum, & crurum frictionibus, ac lotionibus aqua alterata malva, althæa, floribus, chamæmeli, & meliloti: ita temporis progressu, sanguis corruptus in partibus sub cute conclusus, cucurbitulis scarificatis iisdem affixis, vel hirudinibus appositis educendus fuerit, reseratis quinetiam hæmorrhoidibus, derivationis causa; quanquam huic evacuationi naturam assuefaciendam non esse censeam, hoc potissimum ætatis flore, ne facta hac materiæ metastasi, in totum supprimatur menstrua purgatio, cum sterilitatis periculo; ut hanc ob causam nubere quàm maximè ipsi consultum censeam, licet non sine præsenti conjugis discrimine, cùm affectus sit contagiosus.

Pharmaceutica pluta quidem suppetunt interna, & externa, atque in internis duo, me judice, potissima. Primò quidem viperæ in cibi usum per multos dies, in modum anguillæ, abscisso capite, & interioribus rejectis, ob venenosam harum partium naturam, atque amputata cauda, velut nulli usui, per diem in aqua macerataæ, ademptis exuviis, mox cum oleo anethino in aqua, cum modico sale coctæ, summopere in hoc affectu commendatæ ab Avic. & Aëtio, atque propriâ experientiâ maximè ex usu compertę, longè quidem potiori ratione, quàm solum vinum, in quo eadem extinctæ fuerint elephantiasin sanat, ex Gal. Lib. de Subfigur. Empir. & Isagog. Cap. 12. ubi plures memorat hujusmodi historias; cujus propterea potum suaderem. Aliud remedium accommodatissimum erit lactis potus asinini in primis, velut magis detergentis, & tenuioris substantię: quotidie manè ad libras duas, cum saccharo, & cremore tartari, quo dejectorium fiat. A quibus, continuare poterit usum jusculorum ex cichorio, cum ejusdem succo, ad unc. 1. quotidie, non prætermissis aliis, aperientibus, & menses cientibus.

Externa remedia erunt primò valida detergentia; in quibus linimentum ex sulphure vivo, nitro, sale, lapatho, & lupinis exceptis oleo amygdal. in formam linimenti; quo illinendum totum corpus, immergendum primò in Aquis Thermalibus sulphureis; vel aqua marina moderatè calida, tertia qualibet nocte per horam ante cœnam, quintum, aut sextum; quę excipiant refrigerantia, & humectantia, & potissimum Balneum aquę dulcis, inuncto toto corpore oleo amygdalino, contempersndæ cutis siccitati.

Quibus accedat recta victus ratio; in qua abstineat ab omnibus carnibus, & piscibus salitis; quibusvis leguminibus, carne bubula, caprina, cervina; avibus palustribus, atque omnibus aliis melancholię feracibus; nec non à vinis generosis, & subastringentibus: quorum loco uti poterit piscibus petrosis, carnibus agniois, verveciuis, cucurbitis, melonibus, lactariis, hujus generis refrigerantibus, & humectantibus, ac vino item albo, tenuis substantiæ, oligophoro, & aliis hujusmodi. Quæ in præsenti affectu potiora duxi. Quæ ut ad vota succedant, faxit Deus salutis Author *Benedict. Silvatic. Consil. & Resp. Medic. Cent. 4.*

Elephantia incipiens.

Nobilis annos quinquaginta natus, carnosus quidem, sed tamen squalidus, & ad eum accedens habitum qualis est ictericorum, facie rubicnnda, seu ea rubro livescente, sauguine crasso nigroque perfusa, qua macul æ nigræ, aut lividæ, interdum exoriebantur, ut etiam in reliquo corpore, seosû nullo aut obtuso præditæ, sed sine siti, sine cibi fastidio, & aliis symptomatis gravioribus. Infinitas hic potiones hauserat medicas, & sudoribus corpus exsiccaverat In balneis calidioribus, non sine valetudinis jactura. Verebatur ne Elephantia corriperetur, cujus jam videbatur rudimentum.

Rescripsit D. Fernelius hæc remedia.

℞. Radicis acetosæ, lapati acuri, & Enulæ campanæ, Polypodii querciui. seminis Carthami, Passularum mundatatum an. ℥ß. Endiviæ, Cichotii, Plantaginis, Buglossi, Boraginis, lnpulorum. Fumariæ, Cuscuræ, Ceterach. Chamædryos, chamæpityos, an. m. j. florum violarum p.ij.Fiat decoctio ad ℥xvr. In colanira infunde per-noctem Epithymi ℥ß. Foliorum Sennæ mundatorum ʒv. agarici albi ℥ij. gingiberis ʒij. Manè bullfant parum, & fiat expressio in qua dissolve succorum depuratorum Fumirerræ & Plantaginis an. ℥iv. Sacchari albi lib. j. ß. Fiat syrupus perfectè coctos, dosi ℥ij. vel ℥ijß. cum sero lactis, quinto aut quoque sexto die.

℞. Cunsetvæ Buglossi, Boraginis an. ʒj. Rasuræ eboris, & cornu cervi, an. ℈j. Mithridatii veteris ʒij. Misce pro duabus dosibus post purgationem, horis iij. ante cibum.

Post tertiam ant quartam purgationem vena secetur interior brachii sinistri, detrahaturque sanguis ad ℥a. Deinde si qua ratione fieri potest, reserentur hæmorrhoides: primùm quidem fotibus emollientibus & alterantibus: deinde suppositoriis ex hiera simplici, cum succo Mercurialis, vel cum felle: aut si foris conspicuæ sint, & intumescant, affixis hirudinibus: ut his rationibus sanguis ater & melancholicus emanet. Quum ita corpus diligenter præparatum evacuatumque fuerit, perutilis erit balneatum usus ex aqua dulci potabili nsque ad multos dies continuatus, mane jejuoo stomacho: sed eâ ratione non admodum calidæ sint, verum duntaaat tepidæ, ut corpus tantum humectetur, non autem sudores eliciant.

Victus observandus refrigetans, & humectans: Cremor hordei jejuno maximè conducit, cum præsertim non est opus medicamentis. Juscula quoque ex pullis gallinaceis, carne vitulina aut vervecina, cum buglosso, boragine, oxalide, lactuca, & plantagine. Si vinum æstate circumcidatur, ejus vice saluberrima erit aqua hordei, vel alius potus in laborantis gratiam comparatus.

Si quæ partes in cute existunt nigricantes aut lividæ, nullo vel obtuso sensû præditæ, his affigantur cornua vel cucurbitæ exiguæ com scarificatu, eoque satis alto, ut sanguis promanet, sensusque revocetur.

De Elephantia.

Quum de his, quæ In facie Jo. Bocquirese produnt, non benè inter doctos Medicos conveniat aliique affirment aspectu illum esse horridum: & leoninos oculos, supercila glabra, rarescere barbam, nares humidas, multisque tuberculis tum intus, tum foris deformes cum incipiente ulcere. Hinc respirationem difficilem, ronsillas ulcerari, cum voce rauca & obscura: alii verò istorum quiddam deprehendi negent, & tubercula, si qua, sunt rubra apparere. Necesse est signa, de quibus inter celebres Medicos certatur, omninò obscura & infida latere neque ab his judicandum quenquam elephanticum, neqoe si, quæ dicta sunt, omnia compareant judicandum propterea est elephantiæ initium, cum præsertim probè corpus alatur, nullusque pedum aut manuum stupor aut refrigeratio subtit, qui elephantiam statim initio concomitari solet. Neque si elephantiæ inlrium adsit segregandus ideò est laborans ab hominum consortio, quum nondum corpus aut spiritus graveolens, nec putredo ea sit, cujus contagione vicinos labefactare possit. Ita igitur de re controversa & litigiosa nos subsignati doctores Medici censuimus Johannem Bocquiret etiam crasso aut melancholico sanguine suffusum, & tuberculis subrubris deformem oondum esse inter elephanticos numerandum, nec segregaodum ab hominum consortio.

At si posthac malum omnem medendi vivendique rationem aspernetur, nullisque cedens remediis ingravescat, & manifestiora de se indicia proferat, tum satis opportone quid agendum fuerit æquiore judicio decernetur. Curatio vere suscipienda. Victus refrigeret ac humectet. Purgetur singulis hebdomadis apozemate. Vino prorsus abstineat. Calida autem omnia, & venenata pharmaca tum purgantia, cum alexipharmaca decliner, cujusmodi sunt scammoniata, mithridatium, theriaca, & utquæ non modò non juvent affectum, sed etiam humores adurant, & morbum conduplicent. *Joh. Fernelius Consilior. Medicor.* 70.

Observationes.

Cuidam ad elephantiasin vergenti ita consultum est, jussus est in totum abstinere vino, aut eo dilutissimo uti, vescatur carnibus eliais, & pullis nutritis pastâ ea carne colubrorum factâ, Theriaca bis aut ter septimana utatur ad ʒj. cum aqua melissæ, bis mense catbolico cum ʒiij. confect. hamech.purgetur, aperiatur vena basilica sinistra, balneis aq.dulcis utatur. *Guil.Ballonius conf.61.lib.* 1.

Præmisso lenitivo aperiatur vena brachii sinistri, & extrahantur sanguinis circiter ℥x. plus minus, tota etiam hac æstate velim singulis menlibus circa novilunium hirudines applicari venis sedalibus, ut inde duæ aut tres sanguinem exugant, quoad sponte sua cadant, etenim ferè ea alio nullo remedio majus juvamentum sperare debet: quare ei Author sum, ne ullo modo hoc remedium post primam purgationem intermittatur, sed hac æstate & sequenti autumno etiam, singulis ut dictum est mensibus reiteretur. Postquam octo diebus ex ordine usa fuerit syrupo præparante & digestivo assumat hoc pharmacum.

℞. Confect. hamec. ℥ß. el. e succo rof. ʒrß. fol. sen. ʒj. polipod. q. ʒij. F. infusio In decocto liquir. flor.& fruct. cordial. cum pauco cinnam. q. s. syr. rof. solut. ℥j. F. potio quæ sæpius prout opus fuerit reiteretur, purgato corpore; volo utatur singolis diebus mane hoc electuario ad quantitatem nucis juglandis.

℞. Conserv.fl.borrag. rof. ana ℥1ß. diarrhod.abbat. theriac. opt. ana ℥j. cum syr. de pomis q.s. F. electuar. quo assumpto ingrediatur balneum aq. dulcis egelidæ

in quo incoxerint rad. acetos. vel lapath. maj. fumaria, lupini contusi furfuribus mixti, & in panno ligari, quo in balneo sordes abstergi velim; in balneo moretur per horæ spatium, post decumbat, post horam unam aut alteram, absterso sudore, crura & cæteras partes infectas inungat hoc linamento.

℞. Succ. solani, succ. scabios. acet. rosac. an. ℥j. succ. rad. lapath. succ. rad. enul. an. ℥vj. ol. ros. ℥iv. cortic. helleb. nigr. in petia ligat. ʒiij. coq. omnia ad succorum ferè consumptionem, deinde helleborus abjiciatur, adde butyr. rec. ʒiß. pingued. viper. si haberi possunt, si non loco ejus teriac. bonæ ℥j. plumb. ust. ℥ß. lithargyr. cerust. an. ʒij. thur. ʒiv. styrac. calam. sal. nitri an. ℥ij. omnia M. & cum succo limonum agitentur tamdiu in mortario plumbeo donec formam linimenti acceperint. Post balneum absolutum, placeret hoc remedium, quod apud quosdam pro experto secreto in hoc morbo conservatur, accipiunt milvum deplumatum, postea abscisso capite, pedibus, atque eo eviscerato, interiora omnia, caput & pedes in ollam rudem conjiciunt, quam tectam luto oblinunt, & in furnum calidum imponunt. Ubi omnia combusta sunt, extrahunt, quodque in ea inveniunt, pulverant, atque ex eo pulvere manè in aliquo liquore propinant, quod verò reliquum est avis, partiuntur in tres partes, & quomodocunque coctum edendum præbent ægroto, eo ordine, ut tertia die postremam partem avis absumat, quo remedio testantur quidam hunc morbum aliàs novem dierum spatio persanatum esse. A me verò aliàs in *Italia* hoc sequenti experimento curatus est hic affectus. Accipio duas vel tres viperas, si haberi nequeunt, totidem alios serpentes, conscindo vivos & adjecto multo hordeo decoquo in aqua quoad hordeum tumeat aut crepet, hordeo eo & ipsa serpentum carne pullos gallinaceos multos continuò alo, nec aliud alimentum suppedito; solent pulli postquam aliquot dies enutriti sunt, implumes evadere, & tandem rursus plumia vestiri: ubi igitur per multos dies ita aliti sunt, paulatim incipio ægrum horum carne, & carnium eorum jusculis alere, hoc remedium comprobatum est experientiâ. *Reinerus Selenander. consil. 25. sect. 1.*

Valescus de Taranta castrationem in hoc casu valde probat, nec ego eam improbandam censeo; testium enim amputatione evitantur homines in morbum proni, sicque in fœmineam naturam degenerant, & hepatis sanguinem assantis ardore restincto, humidi & frigidi evadunt: quæ temperies elephanticorum intemperiei calidæ & siccæ toto est genere contraria, adde quod sublatâ elephanticis gignendi facultate, tollitur ea hujus mali contagio quæ per prolis propagationem in humanum genus serpit & effunditur. *Paraus lib 20. Chirurgia cap. 13.*

Elephas lues, venerea & struma aliquid habent cognatum & συγγενὲς, tres has hydras unus alexicacos *Hercules* hydragyrosis vincit & opprimit. *Guil. Ballonius lib. 1. epid. & ephem. pag. 15.*

Lac asininum arcet elephantiasim, caro asinina proritat & advocat, unde hoc? an quia carnes crassum succum generant; lac autem serosum & tenue? hoc autem videtur absurdum. Nam *Hippocr. lib. 2. De Diæta*, ita scripsit: quorum animalium lac tenue est, & sanguis similiter, eorum etiam carnes sunt consimiles. *Idem lib. 2. epid pag. 186.*

Neapoli cùm subsisterem narravit mihi *Marius Schipanus* summus ibidem medicus, Principem *Neapolitanum Caraffam* pro curanda lepra vesci solitum carne alni pulli. *Thom. Bartolinus. Histor. 33. cent. 6.*

Multi, ut ait *Ætius*, castratione se ab hoc morbo vindicarunt, hac ratione juvenem hoc anno liberavimus, qui incipiebat, & ultra principium fuerat progressus, utatur carne erinacei terrestria, exsiccata in fumo, hæc non elephantiacis tantum, sed & cachecticis, nephriticis, convulsionibus obnoxiis, & iis qui aqua intercute laborant, convenit, ut testatur *Galenus*. Potest in locum carnis viperarum substitui, servetur igitur caro erinacei terrestris quæ si multa haberi potest, ad formam placentæ reducatur, comedat manè ante alia omnia, vel si velit; elixet cum salvia & borrag. & de ea comedat. *Guil. Rondeletius* consil. 53. lib. 7. consil. *Cratonis*, & aliorum medicorum à *Scholtzio* editorum.

Tanquam certum remedium ulmi usus in curanda recenti elephantiasi à *Jacobo Dejvineto, lib. 1. cap. 7.* prædicatur. Vidit enim adolescentem tali affectu laborantem, & decoctionis, ulmi usu (factis faciendis) convaluisse, ea quidem pro omni potu utebatur in quolibet pastu, cum pauco vino albo, & tanti sudores movebantur graveolentes, ut vix illos custodes ferre possent, ita viscera purgabantur, & magna urinæ copia excernebatur, quibus excretionibus sanus factus est. *Jul. Cæsar Baricellus*, in hortulo geniali pag. 306.

Anno 1637. tempore autumnali, Ulmensis lanio in medio fermè Viennensi itinere, à venefica quadam hospite, inque diversorio demortui cujusdam leprosi carnibus coctis mensæque appositis tractatus fuit, quarum esu tota ipsius sanguinea massa infecta brevi temporis interstitio, protradici instar, malignitas pustulas cum defœdatione capitis inprimis, ad superficiem corporis expulit, & percepto rubore, quod scelesta illa fœmina, ob plura alia & varia delicta, publicè flammis combusta fuerit, vultuosus patiens de sanitatis suæ restitutione desperare cœpit: Nihilominus tamen ne sibi ipsi deesse videatur, chirurgum aliàs exercitatum in consilium vocavit, qui re non satis ponderata, solis externis unguentis eundem, sed inani spe, restituere attentavit, usque dum, aliquoties in nostris observationibus citatum, Clarissimum Dominum meum Collegam, Doctorem Johannem Georgium Crockelium (ex cujus communicatione & hanc curationem habeo) summis precibus exoravit, ut hac in parte sibi gratificari, & extrema tentare velit.

Hic pro sua humanitate, & ægro & chirurgo solidis rationibus demonstrans: absque juge internorum remediorum usurpatione, sanguineæ massæ per præparantia, purgantia & venæ sectionem exacta depuratione; communicatæ malignitatis mediantibus sudoriferis discussione; hepatis corroboratione, &, vel tandem, externorum debita inunctione, huic, etsi nondum, radicato malo, occurri minimè posse. Quare carnario illi omnem in curando assiduitatem, & diligentiam promisit, modo patiens se in omnibus morigerum præstare velit, quod dum sanctè sponderet, curam sequenti methodo aggressus est.

1. Ordinatâ victus ratione, præscribendo videlicet cibos optimi nutrimenti ac omni acredine destitutos, ut in morbi gallici cura fieri debet, pro potu decoctum ligni guajaci & sassafras cum seminibus anisi & fœniculi debitè præparari curavit *Primo, ad sudorem movendum, reservato, altero verò tanquam debiliori ad sitim compescendam concesso.*

2. Cordus per biduum digestivo hoc ad expurgationem præparavit.

℞. Syrup.

♃. Syrup. de duab. radic. ℥j. mell. rof. col. ℥ß. crem. Tart. pulveris ℈j. aq. aspatag. fumat. ana ℥ij. M. pro dosi una.

3. Vitiosam ventriculi saburram, per sequens medicamentum, vivo assumptum, removit.

♃. Mercur. opt. dulcis ℈j. croc. metall gr. VI. Gutt. Gamand. gr. VII. M. F. Pulvis.

4. Hioc medianam dextri brachii primùm aperiri, detractis ℥v. sanguinis, jussit.

5. Per aliquot dies concessa quiete, rursùs ad corporis præparationem, quater in jusculo repetitam, accessit.

♃. Pulveris Tartari vitriol. ℈ß. dentur doses quatuor & quælibet ad singularem chartam.

6. Fœlicissimè sanguinis mundificationem molitus est per appositas pilulas.

♃. Panchymag. Croll. ℈ij. mercur. dulcis ℈j. Gutt. Gamand. gr. VII. cum aq. ceras. nigr. Form. pilulæ communes, pro una dosi.

7. Accessit ad sudorifera, ubi æger maxime obediens quotidie in prioris decocti sassafras haustu, dosin sequentis hydrotici accepit.

♃. Sulphur. aurat. diaphor. à gr. XII. usque ad grana XV. F. pulvis ad chartulam.

Quare ad quatuor septimanas, tempore matutino solùm, in lecto per binas horas commorando, largissimum sudorem movit, exceptos septimo quovis die in quo superius notatas pilulas reiterando assumpsit.

8. Sinistri hinc lateris vena tacta sanguis emanans prior longe purior inventus est. IX. Sordium recrementa laconico abstersa, & caput appropriatis, alterato lixivio, mundificatum fuit.

♃. Radic. bryon. ℥j. lapat. acut. ℥ß. herb. marrub. menth. crisp. origan. beton. ana M. ß. flor. chamomill. Rad. asar. cum toto ana p. ij. agaric. crud. ℥ß. Crassiuscule l. a. concisa coquantur lixivio communi.

9 Remanentes quædam pustulę in quibusdam corporis partibus & capite, depulsæ, & omnia externa inquinamenta sequenti unguento in fine sublata fuerunt.

♃. Unguent. alb. camphor. ℥j. Mercur. dulc. ℈j. Terendo probe, M. ad vasculum.

Sic divino favore, patiens amicis maxime notus, decem hebdomadibus felicissime restitutus, aliquandiu decoctum sassafras pro potu ordinario usurpavit, ita ut per dies vitę non amplius malum hoc repullulaverit. *Ioh. Scultetus in observationibus armamentario chirurgico adjunctis.*

De Elephantia Iavæ nova.

Ante 20. circiter annos incolę Javę horrendo quodam morbo affligi cœperunt, qui digitos manuum pedumque consumit, duris atque horrendis tumoribus, qui postea exulcerati in putrida atque cacoëthica ulcera cum carie ossium degenerant, facies defœdarut, neque ullis medicamentis vicinę partes ab hac infectione reddi possunt immunes, nisi membrum infectum extirpetur. Pus tam acre & corrosivum est, ut quando tubercula sponte non aperiuntur, postea fuerit animadversum, illud in ossa subjecta sæviisse: in initio morbi, aurium extremitates supra modum intumescunt, caleaneique omni sensu destituuntur, adeò ut sine dolore acus integra possit adigi, illæque partes utplurimum exulcerantur: in initio lividæ apparent maculę, omnia sensus expertes, capillitium, barba, & supercilia decidunt, quanquam aliquando id non contigisse observaverim. Inter procatarcticas causas est contagium, Malis, putridis, fœtidis & talibus conditis piscibus marinis, aliisque crassi chyli cibis & fructibus incolæ vescuntur, piperis Indici, Lada Chili dicti, integros devorant manipulos, cibos calidos & aromata hoc mensura adsumunt, atque àd libidinis pruritum excitandum Ato quotidie in cibis utuntur, hinc etiam integra terræ jugera herba ista sunt consita: lues venerea inquilina est, adeò ut febre quotidiana sit vulgatior: Utque eo melius morbus hic pateat, icon ex adverso postea inspicienda. Quæritur jam, ad quod morbi genus pertineat, quibusve medicamentis curari debeat, *Ex Arce Bataviæ Anno 1681. 25. Novembr. ad D. D. Christian. Mentzelium.*

Scholion.) Præter Observationem hanc, à curiosissimo nostro *Dioscoride*, ad Nobilissimum nostrum *Apollinem* præscriptam, ejusdem etiam dilucidatio, quam magni Parentis filius clarissimus, *Dn. Ioh. Christianus Mentzelius*; in Academia Francofurtensi cis Viadrum, Anno præterito, sub Excellentissimi *D. D. Bernhardi Albini*, &c. per modum Disputationis publicæ, non infeliciter in lucem dederat, digna fuit judicata, cujus præcipuæ partes hic recenseantur. Is itaque morbo huic Elephantialis, quæ Arabum Lepra est, nomen competere arbitratur, cùm taliter affectis digiti in manibus & pedibus; *Celso* teste, sub tumore condantur, præterea exedantur & livida ac fœtida stillent sanie, juxta *Cæsalpinum prax. univ. art. med lib. 4. cap. 13.* malo etiam increscente sordida ab humorum acrimonia &, malignitate plerisque locis excaventur ulcera, notante *Ant. Valetio exerc. 64.* ipsas partes, nasum, digitos, &c. sensum decidere, ex *Aëtio lib. 2. de diut. cap. 13.* ossa interdum fieri cerea; ex *Petri à Castro observ. MS. 40.* plerumque in facie hanc luem erumpere, *Jul. Palmario Consi. de morb. contur. lib. de elephant. cap. 3.* extuberationes fieri rotundas, & duras sub lingua, palpebris, auribus, *Jac. Hollerio de morb int. lib. 1. c. 64 in Schol.* aures exulcerari, Aretæo, aures extenuari tuberaque admixto nigrore, atque exulcerari, *cit. Palmario*, sensum petire extremitatum, & si acu altius pungantur, non sentire, *Hollerio & Francisco du Pont. de Sign. morb. l. 4. c. 25. §. 30.* neque aqua fervente exuri, *Palmario*, pilos passim decidere, ex *Platero tom. 3. cap. 4.* constet. Quæ omnia ceu maximè pathognomonica signa, dum hoc etiam in morbo, à viginti saltem annis in Java grassante; ideoque novi morbi nomen ibi pro merito, deprehenduntur, nomen quoque illud mereri, concludit. His ita statutis, fermentum istius morbi in Javam aliunde fuisse illatum inde ostendit, quod sine dubio & ante hæc tempora idem incolis fuerit victima, qui tamen elephantiaci non fuere, aut certè jam ad unum omnes sub hujus mali vexillo militare deberent, & ibidem licet loci, unde apportatum est, adeò non sæviat, fieri id sine dubio, quod massa sanguinea fermentanda hîc aliis, imprægnata sit particulis, unde & a'iis debeat esse effectus. Contagium autem hujus morbi in eo consistere, quod è corpore elephantiaci exspiret id, quod abundat, spirituosioribus videlicet partibus ex humoris peccantis fermentatione sursum ascendentibus, & de fermento elephantiaco participantibus. Cujus exigua portione totum inquinari hominem, non sit mirum, dum quotidie magnam massæ farinaceæ molem à pauco fermento, cerevisiæ quantitas à paucis floribus fermentari, integra regna ab uno peste infecto infici videmus; intestina nempe à fermento excitata lucta paulatim mixturam humorum turbante, tandemque ut in sui generis abeat fermentum cogente, adeò ut sanguis elephantiaci postea totus fiat fermentum, fomesque sit inexhaustus &

& lemi innumerarum infectionum. Favere huic morbo ipsum Insulæ situm, qui totus in Zona torrida est, magis directos excipit solis radios, multumque ab illius fervore aduritur; Piper Indicum, quod manipulatim adsumunt, cibos calidos cum aromatibus, quos sine modo devorant, Arum, quo quotidiè in cibis vescuntur, massam sanguineam omnino multis acribus salibus imprægnare, illámque valdè acrem reddere; pisces marinos, putridos & fœtidos, crassi chyli cibos, & fructus suo lentore, viscidis terrestribusque particulis, illam incrassare & viscidam facere; luem veneream utrumque indicare, quæ acres volatiles atque fixas particulas tenaci pituitæ junctas esse doceat; nimiam illam venerem, cui supra modum dediti, quidquid in massa sanguinea balsamicum est & spirituosum, omne exhaurire; adeò ut sanguis illorum sit crassus, terrestris, viscidus, & simul valde acris: si misceatur jam huic sanguini aliquod fermentum, quod acre è sanguine præcipitet, tunc lentorem stimulo illo orbatum causari obstructiones, acredinem verò stamen partium lædere, sicque Elephantiaseos causam adesse continentem. Lividas maculas nihil aliud docere, quam illas à reliqua cutis superficie superficies mutatas à fermenti admixtione habere & differentes, adeoque angulos incidentiæ & reflexionis utrobique non esse eosdem, unde mens id animadvertens discrimen, de utraque diversis habeat perceptiones, & sic variegata adpareat cutis. Intumescentiam extremitatis aurium & reliquorum membrorum oriri, quòd fermentum elephantiacum partium sibi alias mixtarum cohesionem turbet, quæque intestinis iis motibus adeò promptè non obsequuntur, eas ad peripheriam pellat, quæ ingressæ tubulos illos propter crassitiem obstruant, humores præsentes retineant, affluentium transitum impediant, partisque ita causentur tumorem, in primis in auribus, quorum substantia fibris rigidis constans, cartilaginosa, duriuscula & ita obstructionibus magis est obnoxia. Stupêre & insensiles esse calcaneos, quia humores viscidi, crassi, terrestres, in his corporibus abundantes, à tubulis nervorum recepti, illos tumere faciant, unde nervi comprimantur, regurgitantibus ita, à clausis hac ratione portis, spiritibus animalibus; hinc nervi illa potio fiat flaccida, & mota licet, motum non propaget, nec mens percipiat quid in illa parte rerum agatur, calcaneum verò & quidem in ipsis morbi principiis adfici, quod sanguis gravior crassiorque deorsum, naturæ legibus, tendat, maximumque illius propter lineæ rectitudinem impetum sustineat calcaneus, vel ipsa cutis duritie & ligamentorum copia commendabilis. Exulcerari istas partes, qui oppellulari tubuli ab humoribus à tergo prementibus, vel claudantur arctius, vel illas rigiditate sua perrumpat acre sal, quo sanguis abundat, perrumpant etiam propter subtilitatem & alii spirituosi humores, qui viribus fracti in ipso tumore nidulantur, unde calor totius corporis, usque affluens, subtiles illas particulas agitet, sal acre commoveat, atque sic impulsum elephantici fermenti juvet, concutiantur hinc fibræ tandemque disrumpantur, quarum pars in cincinnos resiliat, pars utrobique rupta humoribus innatet, & turbato sic fibrarum ordine fiat cavitas, in qua colligantur humores, sale acri & corrosivo, à pipere, aro, contagio, infecti. Quod acredo puris subjecta potius corrodat ossa, nisi tumor arte fuerit apertus, quam carnem, nihil esse insoliti, prout aqua fortis ferrum, non ceram vel picem adgreditur, stamen ossium carnoso solidius multo esse & rigidius, quiescere osseas particulas pertinaciter juxta se, & ita excipere ictus & impetus irruentium, cedere nescias; carnosas vero, molliores utpote & flaccidiores, licet percutiantur, cessione sua ictuum eliorbere vim quandam, retroagere aliam, diutiusque resistere, perinde ac pilæ immissæ vim absorbeat arena, quam efficaciter retroagit murus, & globus sclopetarius trajiciat asseres solidos, quem putre lignum cedendo & resistendo, viribus privat. Hoc modo fieri cacoëthica illa ulcera, ruptos esse nervos, ossa cariosa, carnes corrosas, humorem adesse causticum, unde pars illa non solùm moriatur, sed vicina membra paulatim patiantur eademque, serpatque id malum ulterius, denegato commeatu decidant membra, & sic miserrimum hominis fiat spectaculum. Quod si materia morbifica ad glandulas subcutaneas dejiciatur, radicibus pilorum, quibus hi sunt infixi, resectis, eos decidere, raramque fieri cæsariem, si minus, herere suo loco, utut hoc inter rariora numerari debere videatur. His prælibatis, & prognosi ex *Hollerio, Cæsalpino, Platero, Aretæo & Aetio* addita, ad secundæ Quæstionis solutionem progreditur, iteratam primò suadens venæsectionem, cùm enim sanguis terrestris & viscidus sit, abundetque multis acribus, volatilibus, & fixis salibus, corrigi eundem debere, innuit, quod quam arduum sit, ægrorum diuturnas testari querimonias, ut igitur felicius immutari regique possit, imminuendum esse, ita enim medicamenta hostem viribus fractum superare facilius, & sanguinem cor subire sæpius alterarique, nullo venarum habito delectu, si tamen is observandus, electa in eum finem pedis vena, si magna satis conspiciatur, crasso utpote sanguine magis in truncis artuum inferiorum repetiundo. Hæc dum fiunt, sanguinem corrigi debere internis medicamentis, & quæ incidant & attenuent, copiose adsumendis, ut omni, misceantur sanguini. Hinc Guajaci decoctum commendat, leve, nec nimis crebro, ob acredinem ejus, sumptum; cui ideo præfert Sarsaparillam in mucilaginem, qua acres particulas temperat, resolutam, aut hordei aquæ immaceratam, aliisque etiam, ut liquiritiæ radici, vel passulis permixtam, & mane ac vesperi inter stragula calide sumptam, aut interdiu urgente siti haustam. Decoctum etiam fieri posse ex cortic. tamarisci, fraxini, rad. cappar. chin. Sarsaparill. lign. sassafr. sant. omnium, antimonii crudi vel cinnabaris in petia ligatæ uncia una vel altera, cum tartaro crudo in aqua chalyb. vel sero lactis infusis, addito oxymelite scyllitico & succo limonum; quo per triduum quatriduumve usurpato, purgationem è mineralibus, quarum particulæ sunt solidiores & graviores, adeoque efficacius operantur, instituendam esse; addendo Pilulas de fumaria aut helleboro nigro, Mercurium dulcem, Arcanum corallin. &c. aut, si pituitæ in ventriculo mobilis suspicio foret, unum alterumve granum Mercurii vitæ, vel sulphuris aurati antimonii, vel Turbethi mineralis; quo facto, ad apozema per aliquot dies redeundum, deinde rursus purgandum, periodo illa toties reiterata donec sanguis videatur emendatus, corpusque satis præparatum, tunc enim exhibendum potens aliquod ex mineralibus sudoriferum, è Mercurio diaphoretico, Tinctura antimonii, Q. E. Antimonii Regulo antim. sine marte, Sulphure antim. Bezoartico minerali, additis, ut mineralia hæc eò citius in actum deducantur, sale viperarum volatili, croco, tinctura opii, &c. Ut verò sanguis mollior fiat, sal acre infringatur & educatur, præterea laborandum esse; ibi Emulsiones amygdal. dulc. &c. Seminis psyllii mucilaginem, &c. hîc Acidulas naturales, clyssum antimonii, scobem eboris, C. C. oculos cancri, corallia exhibenda. Nec usum, cautum tamen, millepedum vel asellorum spernendum, imò nec vermium majalium acri suo sale caustico spoliatorum atque in pilula redactorum, vel etiam simpliciter exhibitorum, ortam hinc stranguriam lactis

dulcis haustu statim sedante; copiosum enim sal ita cum urina educi. Viperas ab *Aëtio*, *Cæsalpino*, & *Galeno* dilaudatas, ab *Aretæo* & *Palmario* reprobari notat, ipse verò utrisque, habito diverso respectu, adsentitur, cum enim maxima viperarum efficacia à sale volatili veniat, si illud in copia ad massam sanguineam derivetur nondum correctam, inanes non solum facere impetus judicat, sed sali acri novum insuper addere stimulum, unde necessario exasperentur symptomata. Cum verò massa sanguinea satis præparata, eo deventum sit ut diaphoreticis uti concessum sit, maximo cum fructu mineralibus diaphoreticis, utpote in operando tardioribus, ea addi, neque tunc ullum ab eo sale metum esse posse, cum nullibi hæreat, sed libere transeat, & qua diaphoresi, qua diversi, sal copiosum secum educat. Castrationem à quibusdam, ut infallibile & præsentissimum remedium, magnopere commendatam rejicit, morbi enim causam ab ea non tolli, adiit licet, ab acrium spirituum influxu, inexpugnabile coëundi desiderium, illud tamen non causam, sed morbi effectum esse, unde neque illo remoto morbum curari. Inter externa remedia, ad humorem terrestrem fluidum teddendum obstructiones deobstruendas, sal acre educendum, partesque corporis emolliendas, balnea aquæ dulcis tepida reponit, quorum particulæ aqueæ in poros sese insinuando, illos aperiant, tenacem pituitam diluant, & sal educant; quæ ipsa tamen noceant, si illud sal morbosum sub densa nimis hæreat cute, ita ut educi nequeat, sed majorem concipiat ab aquæ spiritu motum; quo in casu satius sit aquæ salsæ balneum, quod aperiendo poros sali latenti viam exeundi paret, & efficacissimum fore sal, quod antimonio, sale communi & tartari igne potentissimo fusis regulo supernatat, vel scotias reguli antimonii cum nitro & tartaro facti. Thermas etiam sulphureas, mere adstringentibus, qualia sunt aluminosa, repudiaris, hic prodesse, quarum defectum suppleant artificialia Balnea, ex fol. & rad. alth. enul. bryon. cyclam. helleb. utriusque, lil. furfure macro, cort. sambuc. sem. lini & fœnugræci, sale ammoniaco, sulphure &c. parata, purgantia studio addendo, ut ab iis excitatis fermentationibus humores incipiant moveri, poris vim faciant, atque sic egrediantur. Tumores esse emolliendos Unguentis &c. notioribus, quæ inprimis Mercurius præcipitatus albus, vel Arcanum corallinum, vel Mercurius dulcis ingrediantur. Quibus non proficientibus, tumoribus vel maculis scarificatis cucurbitas vel cornua suctoria Palmarii superimponendas esse, pro crasso sanguine educendo, vel quod melius, alte discindi & medicamentis cathæreticis vel causticis, crystallis scil. argenti, Mercurio sublimato corros. Oleo mercurii, Oleo antimonii, Butyro antimonii, vel quod eo fortius, Butyro arsenici. Arsenico sublimato, aliisque exedi, ulcera verò furti guajaci decocto elui, cicatricemque superinduci; & his nihil proficientibus, ferro exstirpari membrum oportere. Tandem si ab ullo medicamento, certe à salivatione sperandum esse remedium, quæ omnibus indicationibus satisfaciat, glutinosamque pituitam, revera quandoque acerrimam, in copia educat. Denique brevi diætæ enarratione erudito discursui finem imponit. *D. Andrea Cleyeri.*

Hisce omnibus addamus jam quadam de Cute ejusdemque morbis è Clarissimi ac celeberrimi Carol. Drelincurtii Collegiis excerpta, & ab Excellentiss. D. Guyot. M. D. communicata.

1. Matronam, vidi quæ fluorem album astringentibus internis & suffumigio thuris sibi suppresserat, sed incidit in pruritum jugem, inque cuticulæ scabritiem tantam, ut per plures menses furfures largos atque numerosos interdiu, noctuque decorticaverit.

Jusculorum usu è carne vitulina cum chærefol. agrim. eupator. cannabin. cichor. atque fumar. nec non baln. aq. tepid. cum sul. vitis feliciter curata, intermediis V. S. & purgatione.

2. Virum autem quadragenarium frustrà curavi perplurimis volatibus, mistuxis & diæta tenui atque diaphot. quò cuticulam ejus emendarem universè scabram instar vel lebetidos vel elephantini corii, quæque per amplas & spissas squammas hinc & illinc passim decidebat, alia protinus succrescente, perinde scabra, spissa atque dura, sed pruritus omnis experte. In Italiam se contulit quo viperarum inungatur adipe, & viperinas carnes edat. Exitum ignoro.

3. Juvenem unum & alterum miratus sum quibus sub morbillorum declinationem salutarem, tota cuticula *manuum & pedum* abscessit chirothecarum veludonum instar. Id Ipsum tertia vice in viro deprehendi sub finem curatæ febris malignæ.

4. Præprimis autem in admirationem me traduxit decennis puer, cujus mater ideâ piscium, sub initia graviditatis commota, ipsum nonimeitem exelusit pedibus manibusque squamosis, cyprini more, squamis scil. latis, mobilibusque & mutuo ad digitorum motiones sese affricantibus. Imo squamis illis vel sponte, vel imprudenti quovis allisu deciduis, novæ continuò succrescunt.

Quævis autem squama pedunculo nervaceo atque sensili cohæret, sicut mihi patuit earum aliquot apicibus unguium sublatis, atque commotis vel etiam leviter inversis, puer enim, præ dolore nullius evulsionem admittit.

Ab Anno autem 1681. quo ipsius squamosis artubus studui nihil de ipso mihi suboluit.

5. Largissimam porro cuticulam, suis vel unguiculis vel unguibus instructam, & è cadaveribus revulsam meis *oculis* subjicio. Mirantur omnes quo artificio id præstem, nam tota illæsa & illacera una quæque portio digiti sui refert ideam, sed secretum meum singulos fugit. Extrema priùs macero tepida sæpiùs renovata, donec putredinis initia subodorer, & tunc certè levi industria tantas portiones & taliter figuratas extraho.

6. Coronidis vice cuticulam Æthiopum producam, à me quidem invisam, *sed fide Riol. Anthropogr. lib. 2. cap. 4. atque Pechlini, in tractatu de nigred. Æthiop. mihi inscripto*, nigricantem unice, cute verò subjacente candida.

Observatio circa leprosum falso sic reputatum.

Nun ita pridem ad cujusdam viri, de lepra non suspecti duntaxat, sed tertiùm jam à Chirurgis lepræ adjudicati, examen, Magistratus jussu vocatus, cùm videtem bonum virum nihil minùs quàm leprâ laborare; licèt octo jam annorum curriculis leprosis cohabitare fuerit coactus; jussi, ut prædicti illi Chirurgi suam de hoc leproso prolatam sententiam signis syllogisticis, & rationibus instructam in medium proferrent. Hi vultu quodam superciliosò, & fastu, ut ferè fit, plùs quàm ampulloso, illum leprâ laborare instabant, tum quòd nativus faciei color in lividum & fuscum desineret, tum quòd visus hebetudine & vocis raucitate laboraret, tum quòd maximò anhelitus fœtore & mephiti obvios quosque deterreret, tum quòd in crure fœdum aliquod ulcus habuerit; tum demum, quòd ante aliquot annos ejusdem filiam lepræ adjudicarint, quæ tandem leprosa mortua fuerit. Hisce machinis & argutiis tantùm apud Magistratum effecerant, ut bonus vir communi hominum

hominum societate exclusus, & leprosis adscriptus fuerit, quibus jam octo annis convixit, citra ullam tamen veræ lepræ signaturam.

Quæ cùm audivissem, ipsique Chirurgi nihil ulteriùs de lepræ naturâ, essentia, caulis, differentiis, signis syllogisticis seu pathognomonicis, in medium proferrent, statim intellexi, illos lepræ essentiam ignorare, nec inter lepram & non lepram distinguere, nec ullam differentiam inter lepram Græcorum, quam psoram perversam vocamus, & veram lepram Arabum, seu Elephantiasim, facere posse, unde nec mirum, si incautiores, & imperitiores isti Chirurgi in cæco hoc examine decepti, cæcam quoque tulerint sententiam.

Paucis igitur quæ sit inter lepram Græcorum, seu psoram, & lepram Arabum, seu morbum elephanticum, quem & elephantiasin, leontiasin, seu satyriasin & tyriasin vocant differentiam illis aperui, bonum hunc virum, nullis horum affectuum caracteristicis signis laborare, demonstravi.

Cùm enim hoc subjectum nulla feræ & siccæ scabiei species turpiter defœder, nullisque nec renuioribus squammis obducatur, sed universum corpus incolume, sanum & nitidum, pilosæ tum capitis, tum superciliorum partes puræ, firmiterque fixę hęreant, conclusi, bonum virum à Græcorum leprâ immunem & salvum esse.

Eundem quoque nec Arabum leprâ, seu vera elephantiasi laborare, ex absentia omnium signaturarum caracteristicarum, aut signorum pathognomonicorum convici. Cùm enim hic affectus sit contagiosus, sæpe hæreditarius malignâ & perniciosâ suâ qualitate, pluriumque vitiorum congerie corpus defœdans atque membranea solùm aliqua involucra, & cutem præsertim inficiens, si tali affectu laboraret bonus vir, haud dubiè octo jam evolutis annis, sese aliquod vitium in apertum dedisset, cùm tamen ex sex illis signis syllogisticis nullum hactenus fuerit observatum: Nec enim unquam in cute vel faciei, vel frontis vel genarum, cubiti, fœmorum, manuum, pedumve tubercula facilè mobilia, indolentia, & ex livore ad rubedinem rendentia, horridumque aspectum præbentia, epullularunt.

Nunquam in eo visa sunt oris tubercula, quæ ore hiante, Linguaque depressâ in palato, & faucibus circa linguæ radicem, nunc flavescentia, nunc sublivida, vel visa, vel reperta fuere. Nunquam item vel in pedum digitorum interstitiis, vel in plantis, in crassâ præsertim & durâ illius parte, vel in manibus, juxta cubiti articulum, præsertim in acutiore illius sede, aliisve artuum locis, ulcera effloruerunt. Cùm enim ejusmodi ulcera & fissuræ veram curem penetrent, lata sint, & rarenter ulteriùs serpant, labiis callosis, ac prætumidis constent, atque ipsa facilè cruentent, indolentia sint licèt, si talia vel adessent, vel adfuissent facilè quoque videri potuissent, & ex iis firmum aliquod judicium ferri. Nunquam insuper in eos visa sunt narium ulcera, earum septum, fungos & ossa, seu cartilaginem depascentia, nasô turpiter delabente, palatum columellamque depopulantia. Nunquam prӕterea in eo observati rumores, non tumidæ in aurium ambitu pinnæ, non crassescentes auriculę, non plus justo auctæ, aut dilataræ narium alæ, non palpebrę, non labia, non pedes, manusve inflatæ, aut tumidæ. Nunquam demum in oculis juxta majorem canthum nata pellicula, sensim accrescens, quę sane prӕdictis jam signatutis accederet, magnô argumentô habeteetur.

Cùm igitur pathognomonica hæc sex signa nunquam in hoc subjecto apparuerint, quis illud leprâ correptum dixerit? Cætera autem signa ab illis Chirurgis allata, quemadmodum & alia quæ addi possent, uti cutis scabrities in pilosâ capitis parte, cum squammis & furfuribus, fissuræ item cutis pedum, manuumque & unguium; pilorum item defluvia, sanguinis quoque detracti livoe, crassities, cum arenosis seu granulosis quibusdam arenulis; cachectica corporis constitutio, frons cornu instar splendescens, formicatio ac titillatio faciei, palati, linguę, totiusque corporis, sensuum stupor; Hæc, inquam, & similia, non moror, eò quòd aliis morbis consectaria atque communia esse possint, quamvis nec & ipsa in nostro hoc subjecto reperiantur, vel si quędam adsint, tanti tamen momenti non sunt, quin durissimos labores, noctuque dieque familię sustentandæ causâ, obire possit.

Filiam quod concernit, quam leprâ mortuam putabant Chirurgi, falsâ morbi specie decepti fuerunt. Dum enim rem ipsam diligenter investigarem, cognovi tandem, ipsam non leprâ, sed inveteratô morbô gallicô correptam obiisse. Et quod notatu dignum est, dum cum leprosis octo annis versaretur bonus vir, prolem ab uxore sana sanissimam accepit; Unde si infectus fuisset pater, haud dubiè jure contagii hæreditariô, vel prolem, vel matrem, vel utrumque infecisset. *Claudius Deodatus apud Guilielmum Fabric. Hild. Epistol. centuria.*

Anatomica Inspectio.

Lepra infecta Matrona cadaver exhibuit viscera, tum vitalia tum naturalia marcore confecta.

Illustris Matrona, Vasconię Proceribus proxima affinitate conjuncta, Burdegalam venit anno 1660. adiitque Dn. *Dezelis* seniorem, Chirurgum, apud quem tunc temporis artis tyrocinia ponebam Lepræ, qua infecta erat, curationem ab illo exposcens: Lepra fuit, eaque confirmata ex judicio Clariss. Medicorum D. D. *Mingelozeau* & *Emery*, Facultati Medicæ Burdegalensi adscriptorum: Magistrorum item *Dezelis* & *Cheves* Chirurgos peritiss. Illius quippe morbi vix ulla desiderabantur indicia: Capillitium omne deciduum tum sponte tum pectine, quod furfureas sordes fœtidas simul decussit: Torvus erat aspectus micantesque oculi, Vultum gutta rosacea fœdabat, & luridus color violaceo proximus; maximè nasum, & labia: Aurlbus tamen nativa servata conformatio, nec pone ullæ tumebant glandulæ: quę in parte colli sinistra, juxta claviculas, juglandis nucis magnitudine utrinque eminebant mobiles: Lingua tumebat, extrema parte & prope venas raninas pustulis obsita: admodum fœtebat anima: Thoracem anticum adhuc candidum nullæ squammę exasperabant, sed macies illic summa ut & totius corporis habitus: Mammarum nulla vestigia: Vox nequaquam rauca nisi sermonem protraxisset, fusca enim illico fiebat & adeo obscura ut aures vix feriret, subsequente mox potus desiderio ad inductum siccitatem leniendam: Posticibus sua constabat crassities, manus squammas aut furfures nullos dabant, at sensus tactus obtusus erat, ad punctionem tantum & fortem vellicationem sensiles: Respiratio qualis phthisicorum anhela; Abdomen, præsertim circa prӕcordium dextrum durum, & ἀντιτυπον: Lotia effundebat pauca cruda, sæpius & crebro cum fœtore turbida: Alvi fœces, quanquam ὑγρὰ ... tantum dejiceret, tetro odore nares feriebant: Cutis color ab imo pectore ad pedes usque fuscus erat, nigro proximus, ubique ea arida & scabra: Femora tibias, non secus ac Gallorum Indicorum, squammæ vestiebant, omni sensu destituta, acus quippe citra sensum alte adigebatur: Genitalibus ob importunum pruritum

pruritum manum perpetuo inferebat: Ea nudata pustulas pisi magnitudine exhibuerunt, è quibus nigricans sanies exsudavit: Tetricis erat moribus, in excandescentiam prona, maxime post scalptum: Narrabat Illustriss. Parentem similem morbum necasse, contagio in legatione ad Lusitanos contractum, imò in matrem, [ante natam Illustrem Aegram] transfusum, paulo post puerperium mortuam: Patrem xij. annos illi superstitem fuisse, sed à fœda illa lue tam male exceptum, ut non Aula solum sed & omni consortio se sub lucere necessum habuerit, quamquam celeberrimi *Garcia à Lopes* Medici Hebræi, opera usus fuerit toto biennio: *Affectus primordia* quatuor ab obitu Illustr. conjugis annis elucescere cœpisse, Ex eo duos liberos, utriusque sexus suscepisse, non diu superstites: Luis immunem fuisse at non scabiei levis, quem phthisis anno ætatis xlij. sustulerit: Consanguineis cæteris pepercisse: Curam Illustris Matronæ susceperunt supra dicti D. D. Medici & Chirurgi, ſtenuamque operam toto trimestri navarunt, quotum industria, Deum testor, pene salva & incolumis, castellum suum procul dissitum repetiit: pleraque enim recensita Lepræ indicia deliteuerunt: Novo & nativo capillitio ornatum caput, desiit fœtor, evanuerunt faciei pustulæ, nisi tamen apice suum servante livorem & crassitiem, imminutam tamen; deposuit & lingua sua tubercula: Sitis non amplius molesta, subsedere quæ circa claviculas glandulæ: Femoribus & tibiis cutis æqualitas restituta, solus pruritus ex intervallis redivivus molestus fuit: liberior fuit Respiratio, oculi non ut ante truces: At ab axillis virosus odor manabat: Si de venereis sermo incideret, recurrebat in os saliva: detumuit quoque abdomen, cessitque hypochondriorum durities: Vegetus ubique erat sensus Tactus, punctiones vel levissimas impatienter ferens: nec excrementorum alvi tantus fœtor comes fuit, liberiusque & liberalius efferebantur: Urinæ colore & consistentia naturalibus erant proximæ, aculeato sale exuræ qui ad crebriorem mictionem excitabat: Sibi tandem omnino dissimilis facta est, cunctis mirantibus qoi in ea tam insignem ad statum naturalem reditum, quo xiv. mensium intervallo frui licuit, à quo in priorem, & sex intra septimanas pejorem relapsa est, cui se febris continua adjunxit, quam sitis inextinguibilis consequuta est statim lethalis: Lethum præcessit vultus defœdatio horrorem omnibus incutiens: Cruta, quæ in priore morbo excarnia, insigni tumore conspicua erant.

Cadaver à dicto D. Dezelis, me præsente, prænominaris Medicis & Chirurgis dissectum fuit, cujus imæ & mediæ partes solum evolutæ: Pulmones scirrhosi omnino & aridi apparuerunt, obsessis illorum bronchiis mucoso, crasso & extreme viscido humore: Sanguis vasis thoracis conceptus crassus erat & adustus, sero omnino destitutus: Trachæa arteria adeò exsucca & arida ac si sub dio plures dies jacuisset: Cor minimum, parvumque serum in pericardio: Pulmonum lobi ab omni connexu liberi. Iecur scirrhosum lividumque apparuit; imo adacta in visceris interiora novacula, strepitus perceptus ab occursu corporum durorum, quasi lapilli oblati essent: admodum quoque parvum erat & aridum, cujus minor lobus vix latitudine duos digitos transversos æquabat, & longitudine tres: Major eam sequebatur proportionem: Cystis fellea magna, bile turgens: Splen summe parvus & durus: Pancreas succo quodam ad nigrum vergente turgebat, & ficco: Mesenterium duris glandulis, magnis & aridis obsitum, succo sebum unguento basilico remixtum, referente tumidis: Inania quoque & arida erant intestina quoad utramque tunicam: Renes calculis infarcti, sinapi instar seminis exiguis, duris, solidis, porri semina colore referentibus: quorum plurimi ureteres occupabant: pelvis & caruncule laceræ erant: In vesica plurimi etiam reperti calculi cum phlegmate; tres item lapilli phaseolum æquantes ad instar tophi molles vel indurati gypsi: Uteri quoque membranæ exsiccatæ erant, nec non illius substantia, coarctata etiam & vulva & rugosa, patentibus nihilominus admodum multis vasis spermaticis: Incisuris factis in habitus corporis musculis, præsertim artuum inferiorum, reperta pluribus in locis caro scirrhosa, præterquam in tibiis, in quibus paulo minus arida: Venam cruralem implebat sanguis niger & adustus, inanibus pene arteriis: absque vi è digitis pedum ungues abscessere, manuum pressius cohærebant: *Theophilus Bonetus, ex communicatione Ludovici Bailly Chirurgi Sepulchreti Tom. 2.*

EMBROCHA. vid. in Bibliothecâ Pharmaceuticâ.

EMPHYSEMA. Vid. sub titulô *Atheroma*.

EMPLASTRA varia vid. in Biblioth. nostra Pharmaceut.

EMPYEMA.

Antecedentia in Empyemate sunt.

Peripneumonia, pleuritis, pulmonis Vomica, derivario sanguinis, vel cujuslibet alius humoris, chyli, lymphę, &c. in pus mutabilis facta in cavitate pectoris a quacunque causa per erosionem, dilatationem, fractionem &c. Sic Hippocrates. *Si in ventrem sanguis præter naturam effusus fuerit, is suppuretur necesse est.* Et. *Destillationes in ventrem superiorem ad suppurationem perveniunt intra dies viginti.* [ventris autem superioris nomine pectus intelligendum esse, Author est Galenus in Comm.]

Conjuncta.

Pleuritide, vel peripneumonia non expurgata febris intensior, rigor, pondus, & sensus gravitatis in parte. Ita Hippocrates in Prognosticis, & Galeno teste, fluctuatio, ait enim. *Ubi quis affatim à decubitu transmutatur, idque maximè, si ab uno in alterum latus se convertens desiuere aliquid sentiat, puris multitudinem ibi contineri, haud dubia conjectura est.* Hactenùs ille. Auditur etiam aliquando fluctuatio, cum scilicet pus est tam liquidum, & copiosum, ut fluctuare, & sonum excitare possit. Respiratio difficilior, sputum aliquando purulentum. Empyema autem jam factum, & confirmatum comitantur febris mitior, & lenta, continuè infestans, quæ partim putrida, partim hectica videtur, interdiù mitior, noctu vehementior: sudores multi, sed inutiles, & noctu pręsertim supervenientes: tussis frequens, & molesta. Demum maxillæ rubent, oculi fiunt concavi, curvi ungues, tumidi pedes, pustulæ circa pectus, & ut plurimùm in latere affecto cutis inflatio, & tumor œdematosus. Ait Hippocrates in prognosticis. *Si Empyema in altera tantum parte existat, hoc convertere, ac discere oportet, doleantne in altero latere, & an alterum altero calidius sit, atque cubantem supra sanum latus interrogare, an videatur sibi onus aliquod desuper suspendi; si enim ita est, in quodcunque latus pondus insit, in altero suppuratio est, quemadmodum si utrinque calor, & pondus sentiatur, in tota thoracis cavitate pus continetur.* Et idem primo de Morb. *Applicetur linteum thoraci madefactum secundum utramque partem, dextram, & sinistram; citiùs enim exsiccabitur illud, quod supra partem pus continentem appositum est.*

Succedentia

Succedentia.

Hippocrates in Prognosticis. *Suppuratorum ii potissimum supersunt, quos febris eadem die dimiserit post ruptionem, ac cibum citius appetunt, & siti liberati sunt, & venter exigua, & consistentia rejicit, & pus album, leve, concolorque est, & vacans pituita, & absque labore, & valida tussi expurgatur. Itaque optimè quidem sic, ac celerrimè judicantur, sin minus quibus ad hæc proximè accedunt. Moriuntur verò ii, quos febris non deserit, aut cùm videtur deserere, denuò recalescens innotescit, & sitiunt, nec cibum appetunt, alvus humida est, pus viride, lividumve spuunt, vel pituitosum, spumosumque. Pereunt, si hæc adsint omnia. At quibus alia veniunt, alia non, horum quidam intereunt, quidam in multo tempore incolumes evadunt.* Hęc ille. Et idem. *Qui ex pleuritide empyi fiunt, si à ruptione intra dies quadraginta sursum purgentur, liberantur, alioqui transeunt in tabem.* Et. *Si empyi, cum uruntur, aut secantur, purum, & album pus effluat, evadunt: si verò subcruentum, fæculentumque, & fætidum, pereunt.* Et idem in Coacis. *Empyici meliùs habentes, & qui fere expurgari videntur, si sputum fætidum excernant, cum recidiva intereunt.* Et similiter. *Quibus specillum à pure velut ab igne coloratur, ii ferè moriuntur.* Et pariter. *Ex suppurationibus, quas pulmonum morbi excitarunt, ferè senes moriuntur, ex cæteris verò juvenes.* Et in Aphorismis. *Quicunque empyi, vel hydropici uruntur, aut secantur, si pus, aut aqua universim effluxerit, omnino moriuntur.* Galenus autem 4. de Loc. Aff. 7. *Quibus in magna puris copia intra thoracem, & pulmonem collecta thorax in respiratione attollitur, celerrime suffocantur.*

Cùm empyema sit collectio puris in cavitate pectoris, & in ejus cavitatem per membranas exsudare possit etiam ex Galeno, ut ostendimus in iis, quæ ad morbos particulares planè exponendos præmittimus; suppuratis igitur pleuritide, peripneumonia &c. vel humore quolibet in pus mutabili per canales quoslibet in cavitatem pectoris derivato, ita ut demùm in pus veniant, fiet inde empyema. Cur autem in peripneumonia etiam suppurata, & quomodò fieri possit, ut pus non per os reddatur, sed in cavitatem pectoris abeat, ex qua deindè rursus per os, ac sputum reddi possit, in peripneumonia expositum. Cur autem distillationes in ventrem superiorem intra dies viginti suppurentur, nulla peculiari à caosa pendet, sed per solam observationem, atque experientiam didicit Hippocrates, naturam ejusmodi distillationum talem esse, ut viginti dierum spatium exigant ad fermentescendum. Incipientis autem empyematis pathognomonicum signum non crediderim esse febrim intensiorem non repugnatis pleuritide, & peripneumonia, imò verò arguere posset pus nondum factum, cum, dum pus conficitur, dolores, & febres magis fiant, quàm jam confecto juxta Hippocratis aphorismum. Sed neque pondus, & sensus gravitatis in parte, cùm hæc omninò esse debeant conjuncta cum ipsis inflammationibus, & augeri, prout illæ augentur: augentur autem mole, dum pus conficitur. Fieri tamen potest, ut pus sibi viam aperiens ad cavitatem pectoris, neque adhuc multùm fluxile subeat vasa sanguinis, & per corpus derivetur, unde vel obstruendo propter crassitiem, vel agitando, & fermentando febrem intendat, atque interim ejus demum aliquid ad cavitatem pectoris è pulmonibus deveniat; in quam tamen cum deductum fuerit, difficillimum erit dijudicare pondus, & gravitatis sensum ab eadem derivata materia pendere, nisi fluctuatio audiatur, vel æger sentiat locum ponderis, & gravitationis non esse permanentem, sed hùc illùc dimoveri, & hoc esse poterit argumentum collecti puris certissimum. Rigor ab allapsu, & contactu puris, & membranarum erit vellicatio nervorum, seu motus eorum, qualis, dum obstupescunt dentes ob audito sono, ut in rigoris expositione. Quia verò intra cavitatem pectoris derivatur pus; prohibet igitur, ne pulmo dilatetur, quantum opus, & ne pectus constringatur similiter, quantum requiritur; dolor igitur, aut molestia, & difficultas major respirationis. Quod si pus possit per suam tenuitatem &c. intra pulmonem derivari, per sputum purulentum reddetur; nisi verò possit, pus non expuetur. Facto autem jam empyemate, vel suppurata prorsùs inflammatione admiscebitur sanguini solum pus concoctum, nempe satis fluxile, ac taxum, hoc est, minimè obstruens, & minimè fermentans: remittetur proinde febris, & cùm pus continuè exsudet in vase sanguinis, erit continua, lenta ex humoris placiditate vix intendens se, aut remittens, & ex hoc similis hecticæ: cum autem interdiù pateant magis pori corporis, perspirare poterit aliquid ejus humoris, & fiet febris mitior: noctu iisdem obstructis fiet intensior. Insuper cum cavitates pectoris, & humores totius corporis infarcti sint, validè autem nitetur pectus in humidum infarciens, validè exprimet tàm ipsum, quam humores totius corporis; qui proindè in sudorem abire poterunt; non erit tamen ille sudor ullius levaminis propter puris abundantiam semper remanentem: quia verò noctu pori constringuntur: partes igitur ejusdem puris, quæ interdiù expirare possunt propter exiguitatem, & raritatem invisibiles, noctu ad angustias pororum subsistant oportebit, quousque cum aliis succedentibus conjunctæ, & in molem majusculam collectæ resistentiam pori superent conjunctim erumpentes in formam aquæ, seu sudoris. Propter stimulum autem à pure intra pectus provenientem fiet tussis, ut ex iis, quæ de tussi scripsimus, & ex eo quidem molestior, quod pulmonem, & pleuram vellicat, & aliquandò quolibet etiam nisu molestia minimè minuitur. Invalescente morbo pulmo à pure magis comprimetur, sanguis influere non poterit, subsistet io ramis venæ cavę ad faciem, unde partes ejus rubescent. Quia verò ingravescente hoc morbo fit gradus ad tabem, nempe corruptionem, & absumptionem partium: igitur vel quia per corruptionem flaccescant, vel quia per absumptionem extenuentur, fiet minor ipsarum moles, & hoc decrementum iis in partibus erit magis observabile, quę duris, & immobilibus terminis circumscribuntur, cujusmodi sunt oculi dura atque immobili orbita ossea circumscripti, unde oculi fient concavi. Curvi ungues cur faciendi, ex iis, quæ de peripneumonia, intelliges. Tumidi pedes, vel quia eò devolvetur pus, humor nempe qui utpote minus mobilis facile ad eos subsistit propter minimam vim pressionis, vel quia corpore jam ad tabem vergente eæ partes similiter citiùs corrumpuntur, io quibus minor vis pus expellendi, unde tabescunt, hinc fermentescunt, & in tumorem attolluntur. Cum autem pus membranas subeat; per empyematis igitur protractionem poterit ad cutim usque penetrare, & quidem vel in insignem molem collectum, vel hùc illùc in minores massulas cumulatum: producet hoc ad cutim pectoris hic illic pustulas: illud tumorem œdematosum propter contentum pus, nisi & hoc contingat propter corruptionem partis, ut in secundo casu tumefactionis pedum exposuimus. Quæ autem recensuimus ex Hippocrate inter conjuncta ad dijudicandum, alterutra-ne, an utraque pars pectoris empyemate laboret, certa esse possunt, si aliunde constare supponatur, propositum ægrum empyemate laborare: si verò non constet, pondus, & suspensionis sensus, & calor, & exsiccatio simul esse poterunt quid necessariò conjunctum cum peripneumonia, aut pleuritide, ut patet ex superioribus, & eorum morborum

expositione: & cum eorundem ratio, ac necessitas itatim ex se ipsa pateat, nihil ejus explicationi immoramur. Quoniam verò febris ab admistione putris proveniens, vel ejus nimiam viscididatem, vel vim fermentandi, aut stimulandi arguit; si igitur in expositis pulmonum affectionibus, quorum suppuratione fit empyema, eadem die, qua empyema fit, seu tumor, in cavitatem pectoris rumpitur, febris cesset, argumento erit, pus esse optimæ qualitatis, non fermentans, non obstruens: ducitur autem in vasa sanguinis, & etiam per sputum excernitur, æger igitur evadet ab empyemate. Cum itaque pus non sit qoid summe viscidum, non ita multum resistet abstractioni ab interioribus membranis pulmonis, quibus allabitur, eaque de causa sine labore, aut valida tussi per sputum reddetur. Eadem de causa pus erit album, leve, concolor, nempe æquabiliter liquidum, & ex eadem materia æque liquata, unde concolor, album, cum hic sit puris perfecti color naturalis. Quia verò pituita est humor crudior, & qui ad empyematis constitutionem in pluribus casibus concurrere potuit, hinc si pus cum pituita mixtum reddatur, adhuc aliquid superesse concoquendum arguet: nihil, si absque eadem. Itaque cum hæc appatuerint omnia, evadet æger plus minus facilè, aut tutò, si eorum aliquor: ex quibus fiet, ut æger in melius evadens successive magis ad naturalem statum accedat, unde sitire desinet, cibum appetet, alvi fæces demittet, ac producet non multum absimiles naturalibus, nempe, consistentes, & propter cibi parvitatem, exiguas. Contra se habebunt omnia morituris, quæ recenset Hippocrates, ut ex his patet. Spumosum autem sputum arguet & lentorem humoris, & eundem nondum concoctum esse, & parvam quantitatem ejus, quæ difficilè subeat pulmonem, & difficilè ab ejus tunicis divellatur, unde magis per minimas partes permisceetur aëri, cujus eruptioni resistens lentore suo spumam producit. Quadragenarius dierum numerus est tempus, quod naturaliter requiri observavit Hippocrates ad hoc, ut per superpurgationem per sputum possit empyicus evadere, quo superato tabes fit corrumpente pure pulmonem, & impediente elaborationem sanguinis. Ratio, cur *si ab empys per paracentesin effluat pus bonum, evadant: moriantur, si secus*, patet ex superiùs dictis. Quod si empyi melius habere, & ferè expurgati videantur, sputum verò fœtidum excernant, venient in recidivam, & morientur; apparens enim ille transitus in melius arguet, expurgatam quidem esse quantitatem puris, sed sputum fœtidum ostendere poterit, genitum esse ulcus intra pectus, aut pulmones, ex quo & novum pus generabitur, unde in empyema relapsus, & mors propter partis corruptionem. Similiter speciilum à pure, ut ab igne coloratum arguet pus non coctum, lividum, & fortè cum ulcere partem corrumpente, unde mors. Senes verò præcipuè, & juvenes ab empyemate per pulmonum morbos producto moriuntur, cum in senibus propter partium siccitatem difficile coalescere possint villi rupti à ruptione tumoris, in juvenibus autem hunc ipsum coalitum impedit tenuitas, & vigor sanguinis: & ex iis adhuc difficilius evadent, qui temperamento sunt aliquanto humidiores; flaccescent enim partes magis, & facilius à sanguinis impetu, & motu respirationis in divulsione detineri poterunt. *Cur verò pure confertim effluente per paracentesin moriantur empyi*, vide in ejus aphorismi commento, quod seorsim morbis præmittimus. Textus autem Galeni ex se ipso patet, sicut etiam, quid sit Empyema. *Clariss. Laurentius Bellini Tractatu de Morbis pectoris.*

Sequitur jam Clariss. VVillisius.

Pleuritin, & Peripneumoniam morbos non tantum affines, sed invicem commutabiles, & alterutrinque successivos esse, ex superioribus manifeste liquet; porrò tum hæc, tum illa, & nonnunquam utræque simul non bene judicatæ, in Empyema transeunt. Si quando enim phlegmone circa pleuram excitata suppuratur, tandem Apostemate disrupto, pus in thoracis cavitatem decidens, hunc morbum producit. Pariter ex pulmone inflammato interdum succedit: nimirum ichor circa locum affectum aggestus, diutina coctione in humorem crassum & flavum abit, qui nisi per tussim ejicitur, aut pulmonis substantiam interiorem sensim labefactans, diathesin phthisicam infert, vel unitatem pulmonis totius solvendo, tandemque membranam extimam corrodendo in pectus dilabitur, adeoque empyema parit. Unusquisque pulmonis abscessu aut ulcere laborans, etsi pus copiosum & fœtidum, [uti in pulmonis vomica sæpè contingit] expuat, non ideo dicatur Empyematicus. Enimverò vocabuli hujus acceptione communi denotatur, puris intra cavitatem thoracis collectio, quâ scilicet respirationis organa opprimuntur: illuc vero pus istud confluere solet vel ex Pleuritide, vel Peripneumonia [& quandoque forsan ex Angina] suppuratis, & disruptis.

Quandoquidem igitur empyema nunquam primario & ex se incipit, sed aliorum morborum haud rite judicatorum, fere semper effectus sive productum est, circa causas ejus non opus erit multum inquirere. Ratio formalis sive causa conjuncta ejus satis innotescit. Ea scil. est materia purulenta, è pleura, aut pulmone, aut laryngé, in thoracis cavitatem effusa. Causę autem reliquæ affectuum præviorum proprię, ad cujusque istorum Ætiologias pertinent.

Circa materiam morbificam quædam disceptatio est; quippe alii hanc merum pus, aliique non hoc, sed materiam purulentam esse contendunt, in qua opinione est Joh. Heurnius, qui materiam purulentam pro Empyematis causa conjuncta statuens, inter hanc & merum purumque pus distinguit; asserens hoc fieri, *ab humore nutritio sanguineo, ipso sanguine aliquatenus corrupto, sed pepasmi capaci, materiam vero purulentam humorem excrementitium*, viz. *serum*, aut *ichorem* esse, qui a sanguine inter circulandum alicubi præpedito & obstructo provenit. Hinc observare est de abscessu qui pus verum & laudabile exhibet, eum plerumque compactum, undique conclusum, & vel cysti, vel privatis quasi mœniis obvolutum esse; dein postquam maturatus & disruptus humorem contentum effundit, cito ac facile sanari. Verum abscessus materiam purulentam præbens, nidum suum non ita constipatum & parietibus obseptum, sed plerumque inæqualem & sinuatum obtinet, atque disruptus saniem potius quam pus effundit, dein ob perennem humoris excrementitii scaturiginem ęgre sanatur.

Porro advertere est, utrumque humorem, scil. tum pus, tum materiem purulentam interdum insigniter fœtere, quandoque item odore quovis tetro prorsus immunem esse. Quædam apostemata maturata, & disrupta pus fœtidum, alia inodorum effundunt. Pulmonum vomicas, quin & partium aliarum phlegmonas, ita diversimodè habuisse sæpius notavi. Materies purulenta è pletisque ulceribus effluens grave olet; phthisicorum sputa, quæ multo magis periculosa existunt, ut plurimum inodora sunt. Usitatum est è latere propter Empyema perforato, materiem primo haud insuavem exundare, dein post duos, vel tres dies aëre orificium sępius subingresso, eam horrende putuisse, quæ tamen putiditas post injectionem spiritus cujusvis vinosi aut aromatici rursus brevi evanuit. Sed multi tędii res esset, singulorum hujusmodi accidentium & alterationum rationes particulares designare, in quantum perexigua tantum puris, aut materiæ purulentæ alteratio, ils fœtorem inducit adimitque. Cum particulę sulphureæ æqualiter

æquanter coctæ, & salinis subjugatæ in mixto continentur, graveolentia abest; quamprimum verò illæ solutæ avolare incipiunt, secumque salinas (è quibus aculeantur) auferunt, odorem valde tetrum quaquaversus dispergunt. Quod autem ulceri putido, aut Empyematis nido, lotio, vel injectio cum liquore vinoso aut aromatico aliquoties adhibita sæpe fœtorem tollit, in causa est, quoniam ulceris haud secus ac testæ putentis latera quodam quasi fermento liquorem contentum inquinant, adeoque fœtorem imprimunt: cumque adeo à liquore bene temperato & potente, illud vasis aut visceris fermentum eluitur aut subigitur, deinceps fœtoris propagatio ista cessat. Hinc sequitur indicium non semper malum, nec itaque valde bonum esse, siquando phthisicorum sputa, & empyematicorum abscessus cum, vel sine graveolentia excernuntur, quoniam utriusque generis casus quosdam salubres, aliosque funestos extitisse cognovi. Ad hæc non certius indicium inde sumitur, quod phthisicorum quorundam sputa aquæ injecta supernatant, aliorumque submerguntur.

Quamquam autem istam puris & materiæ purulentæ distinctionem haud multum improbamus, attamen nec solummodo hanc, nec semper istud Empyematis causam conjunctam esse statuimus. Quando hic morbus pleuritidi simplici succedens, ab apostemate in latere suppurato & disrupto oritur, sæpissime purum merumque pus est, quod in pectoris cavitatem decidens morbum istum parit. Sin verò empyema Peripneumoniæ soboles sit (nisi pulmonis vomica intercedat) materies ichorosa, circa phlegmones locum aggesta, & postea mera coctione crassescens, pulmonis unitatem solvit, tandem membranam investientem perforans, inque thoracem exundans, Empyema producit. Ista materia purulenta potius, quam merum pus dicatur.

Empyematis signa, vel ipsum dum in fieri est prænuntiant, vel plane factum indicant. Prioris generis habentur morbi alii, quorum hoc proles esse solet, prægressi; cujusmodi sunt Pleuritis, Peripneumonia, Angina, quandoque item pectoris plaga aut vulnus, quin & alii interdum ejus affectus, non bene judicati, aut soluti: è quibus empyematis secuturi major erit suspicio, si post unam aut alteram septimanam sine sputo copioso rigores & febris & spirituum languores superveniant. Dein post XIV. aut XX. dies empyematis plane facti signa erunt, respiratio difficilis, pectoris gravitas, materiæ fluctuatio, & molestię sensus è corporis situ mutato, sitis & febricula fere constans, genarum rubor, totius inquietudo & vigiliæ.

Empyema multifariam distingui solet, scil. imprimis juxta affectionem pręcedaneam cujus soboles est; item quoad sedem ejus in thoracis latere modo dextro, modo sinistro, modo in tota capacitate ejus; & denique quoad materiam morbificam, quæ vel merum & laudabile pus est, vel materia purulenta, atque hæc modo mitis & benigna, modo acris & fœtida.

Morbi hujus Prognosis tum ante, tum post sectionem instituitur; prior determinat utrum latus aperiri debeat nec ne; item prædicit, cujusmodi cum, vel sine apertione morbi eventus futurus sit. Si empyema tardius post primarium affectum, scil. non ante 30. aut 40. diem, quando vires plurimum attritæ, atque pulmones vitiati sunt, eorumque conformatio læsa, succedet; ac insimul si febris velut hectica persistet, respiratio brevis ac laboriosa, pulsus debilis & celer, cum sudore frigido, cumque diarrhea velut colliquativa, & crebris spirituum deliquiis tunc empyici status plane deploratus sectionem minime admittit, medicus eum sinat incruente mori, ne videatur occidere. Sin verò è contra, post manifesta empyematis maturius facti indicia, pulmonum, aut lateris molestia, nec non febris aliæque symptomata remittent, atque pulsus & spirituum robur constabunt, licebit tuto ad sectionem procedere, indeque successum felicem sperare. Sectione facta si pus album, verum bene coctum, aut alias laudabile cum euphoria exilit, & exinde pectoris gravitas, & dyspnœa remittit, & ægrotans quoad alia pathemata melius habet, de therapeia minime dubitandum erit: sin vero pus nullum aut malum, si tenue, subcruentum, aut fœtidum ex latere aperto effluet perexiguam exinde salutis spem concipere licebit.

Hippocrates inter signa empyematis funesti prænuncia recenset specillum à pure velut ab igne coloratum; sive quod sæpe advertimus & nonnunquam absque malo eventu, si specillum argenteum lateris aperti orificio inditum, statim colore tanquam aureo aut cupreo tingeretur: quod certe nihil aliud significat, nisi quod puris aut materiæ purulentæ particulæ sulphureæ adeo exaltantur, & à mixtionis vinculo laxantur, ut facile abscedentes, corpori cuilibet alteri, & imprimis argenteo, (cui affines sunt) affigantur. Vidi aliquando ferinam à longa & laboriosa venatione occisam statim ob epulas in clibano coctam, non modo tenerrimam ut cochlearibus eximi potuerit evasisse, sed etiam cochlear argenteum nitidum primo contactu deaurasse. Cujus ratio prorsus eadem ac prioris est; nempe carnes istas à nimio dum viveret animal exercitio adeo ad putredinem dispositas fuisse, ut sulphuris particulæ à concretione liberæ, & ad avolandum aptæ, subjecto statim alteri capaci adhęrent. Verum hæc in parergo.

Quod autem spectat ad Empyematis Therapeiam, imprimis considerare oportet, utrum morbi hujus, utpote jam facti, indicia certa sint vel dubia. In priori casu pharmacia haud multum opus erit, sed tantum corpore præparato, illico ad lateris, apertionem procedatur. Itaque si à pleuritide, aut Peripneumonia non ritè judicatis, aut à sanguine post plagam, casum, aut vulnus intus suffuso, puris, aut materiæ purulentæ, vel sanguineę intra thoracis cavitatem fluctuatio, cum sputo nullo, aut diminuto percipitur; non opus erit ut medicamentis maturantibus, aut expectorantibus amplius immoremur; verum alvo soluta, & sanguine ac humoribus per Julapia, Apozemata, & Anodyna rite contemperatis, aut nuda sectio instituatur; aut in teneris & meticulosis cauterium imprimis inter sextam & septimam vertebram applicetur; dein eschara excitata, scalpellus oblique posteriora ac superiora versus sensim, ac paulatim adigatur, donec in cavitatem thoracis penetret; dein cannula argentea indita, materies intus contenta per vices emittatur; ita tamen ut quantum vires ferent totius humoris evacuatio acceleretur; nam portio ejus intus relicta intra paucos dies (propter aërem prout supra dictum est sæpius intus admissum,) fœtorem horrendum contrahet, quod malum ut precaveatur aut cito tollatur, liquor traumaticus & abstersivus bis terve in die per syphonem injiciatur. Non opus erit reliqua ad operationem hanc, ejusque processum spectantia particulatim describere; quoniam hæc singula Chirurgis quibusque peritioribus plane innotescunt, & in praxi familiari habentur. Post sectionem, ejusque administrationem appendicem rite institutam, medico hanc multum præterea agendum superetit. Ratio victus idonea, crebra alvi (quoties opus erit) per enemata solutio, insuper & remedia vulgo dicta traumatica, quæ sanguinis dissolutionem, ejusque in serositates pectori injurias profusionem impediunt, præscribere oportebit.

Quod si morbi hujus indicia minus certa, ac (uti a Peripneumonia ac pulmonis vomica prævijs plerumque assolet) prorsus dubia sint, ad sectionem haud cito nimis, aut temere procedatur. Novi enim in aliquibus materiam purulentam, imò pus fœdidum cum insigni dyspnœa & pectoris gravitate expuentibus, thoracis paracentesin & frustra, & non prorsus innoxie celebratam fuisse. Itaque dum per signa pathognomonica de empyemate plane facto constabit, medicamentis (qualia pro Peripneumonia curanda supra præscribuntur) expectorantibus, necnon evacuationem per urinas & sudores blande moventibus, aliquandiu insistendum erit : quibus tandem nihil proficientibus, & empyemate adhuc manente, vel aucto (quia dummodo vires constabunt, præstat remedium anceps experiri, quàm nullum) ad paracentesin procedatur.

Quod spectat ad medicamentorum pro empyemate curando requisitorum formulas, ante sectionem eadem remedia quæ ad Peripneumoniam præscribuntur conveniunt; paracentesi autem facta, sequentia potissimum ex usu erunt.

Contra languores, & spirituum deliquia quæ in operatione ista, vel postea contingunt, Julapium sequens præsto sit, subinde ad 4. vel 5. cochlearia sumendum.

℞. Aq. Melissæ, Cerasorum nigrorum ana ℥vi. Aq. mirabilis ℥i, Margaritarum pulv. ʒi. Syrup. caryophyllorum ℥i. Misce, f. Julapium.

Decoctum sequens propinetur ter aut quater de die.

℞. Folior. linguæ cervinæ, veronicæ, eupatorii, tussilaginis, pilosellæ, saniculæ, ana M j. Radic. Rubiæ tinctor. chærefoli ana ℥i. hordei ℥ß. cicerum rubr. ℥ß. passul. solis ℥ i ß coquantur in aq. fontan. ℔ iv. ad medietatem, edulcoretur inter sumendum ad placitum cum melle depurato, vel cum syrupo de pilosella. Si absit febris pilulæ seq. sumantur vesperi, & primo manè ad ℈i. vel ʒß.

℞. Pulv. oculor. cancri ʒij. flor. sulphuris ʒi. salis prunellæ ʒi. spec. diarrhod. abbatis ℈i. Terebinth. venet. lotæ q. s. f. massa, formetur in pilulas exiguas : vel omissâ Terebinthina idem medicamentum sumatur in forma pulveris ʒß. ad ℈i. bis in die.

Empyematicorum exempla non ita passim & crebro prostant, atque ab eo morbo curatorum multo rarius. Novi duos, lateris sectionem à medicis omnimodo præscriptam admittere nolentes, fatum obiisse, eorumque cadavera dissecui. Item binis aliis operationem istam adhibitam vidi, quorum unus convaluit, alter tabidus interiit; cujus tamen ratio erat, quod pulmone insigniter vitiato, & viribus prostratis, lateris apertio serius facta nullum isti juvamen contulit; sed spiritus prius imbecilles depressit valde, eorumque copia absumpsit. Iste cujus latus aperiebatur, pulmonem satis firmum habuit; sed à lateris abscessu intus rupto, materies in thoracis cavitatem decidens septum adeò comprimebat, ut vix respirare potuerit. Chirurgus sine caustico, inter vertebram sextam & septimam scalpellum intrusit, & carne penitus perforata cannulam indidit. Ichor cruentus primo effluxit, & dein per vices in modica copia exemptus per triduum sine fœtore quovis effluxit; postea verò quoties foramen aperiretur, odor teterrimus, cloacæ cujusvis maxime putentis fœtorem superans expirabat, totamque cameram graveolentia intolerabili inficiebat : quinetiam adeò per plures dies persistebat, donec per injectiones ex myrrha, & herbis amaricantibus aqua & vino incoctis factas, & sæpius quotidie adhibitas, tandem extingueretur, quorum usu diuturno, materia morbifica, & sorditie omni demum ablutâ effluxus omnis cessavit; & denique foramine clauso patiens integrè convaluit. Illorum, qui, cum lateribus apertionem nullo medici aut amicorum suasu admittere vellent, interibant, cadavera dissecui. Unius alibi mentionem feci; cujus summa erat, quod pus ab Apostemate in pleura, & musculis intercostalibus excitato, intusque disrupto emanans, loci affecti & pulmonis contigui partem sphacelo affecerat, indeque diaphragma corrodens, & foramine in dextro ejus latere facto, in viscera imi ventris descenderat : ibidemque toto ductu ventriculi, & intestinorum tunicæ exteriores, in quas materies purulenta deciderat, corrosæ & discolores apparebant; & demum materies purulenta intestinum rectum corrodens, & perforans, unà cum excrementis per anum foras prodibat. D. Ægrotans robustus & medicinæ cujusque impatiens, morbi hujus Tyrannidem per duos circiter menses sustinuit; sed interim febriculâ, siti, inquietudine, ventriculi molestiâ, & crebrâ subversione & ἀσωδίᾳ ferè continua miserrime afflictus degebat. Cadavere post obitum aperto, odor fœtissimus cloacam omnem superans per totam cameram diffundebatur. Alterius ab Empyemate defuncti Anatome, non ita vastam materiæ purulentæ diffusionem exhibebat. Illa quidem in latere nidum habuerat, unde in thoracis cavitatem decidens, ibidemque in copia ingenti aggesta, & pulmones continue immersos polluens, febrem lentam & quasi hecticam, à qua ægrotans valde senex interiit, excitabat.

Hæc Thomas Willis Pharmaceutices rationalis parte 2. Supersunt jam quædam tum ex Thesibus Discipulorum tum ex ipsis Collegiis & Dictatis Clarissimi ac Celeleberrimi Viri D. Caroli Drelincurtii in ulteriorem hujusce materia illustrationem adjicienda.

Empyematis, Primarii & Genuini causa est sanguinis intra capacitatem thoracis effusio, ejusdemque inibi diuturnior mora, quam vasorum vel ἀναστόμωσις vel διαπήδησις vel ῥῆξις, vel διάβρωσις produxerunt, uti certè oignissimi observationum scriptores luculentam nobis quadruplicis illius causæ fidem faciunt, ac proin nullus omninò superest dubitandi locus de Divini Senis Oraculo *sect. 6. Aphor 20. Si sanguis in ventrem effusus fuerit præter naturam necesse est ut suppuretur*, cui Sententiæ subscribit & Hippocrates Latinus *lib. 2. cap. 7.*

Speciatim autem id *Empyematis Primarii* post vulnera in thoracis alveum penetrantia haud insolenter in Castris se vidisse profitetur *Clariss. necnon Celeberr. Vir D. D. Carolus Drelincurtius, Galliarum Regis olim Consiliarius ac Medicus Ordinarius, nunc verò Praxeos & Anatomes hâc in Academiâ Professor dignissimus*, Præceptor ac Præses meus æternùm colendus.

Empyema, quod Secundarii nomine indigitamus, pro causa *Pleuritidem* agnoscere elicitur ex hoc aureo *sect. 5. Aph. 8. Quicunque pleuritici facti expectorabilem materiam non excludunt intra dies quatuordecim, iis in Empyema degenerat*, quia nempe materia illa quæ inter pleuram musculosque huic incumbentes, maturescit, vel, *si magis placet*, purulenta fit, membranam pedetentim arrodit, atque sic gliscit in pectus; imò etiam aliquoties impetu facto, locum ampliorem sibi quærit & membranam illam confertim dirumpit; Utrò autem illorum modò accidat per μετάστασιν & quandam veluti μετοικίαν, *deportationem & commigrationem in verum & Legitimum Empyema* degenerat, uti *Heurnius* etiam comprobat in viro annorum 30. qui ex *pleuritico Empyicus* factus est, sed qui *tabidus* mortem obiit, *Comm. in sect. 5. Aphor. 8.*

Quanquam autem rariores sint *Empyici* à Pleuriticis rupta vomica, (*Luteria præsertim Parisiorum, ubi Medicorum Atlantes suis toties iteratis venæsect. necnon & aliis benè multis vel evidente, vel clanculum evacuantibus, Empyematis ortui sese opponunt & illum occupant*) nihilotecius Clariss. noster Præses Honorandus,

loci praxin numerosissimam exercens, Militum Ducem veteranum curavit, qui *Empyemate Pleuritidi succedaneo*, liberali puris expectoratione atque solius γαλακτοποσίας & aliquot bechicorum usu integre, *trimestri spatio*, defunctus est. Alteram itidem in practicis suis collegiis, conscriptam à se historiam nobis exhibuit, de Matrona constitentis ætatis, quæ propter ruptam & intrò latam pleuritidis vomicam, syncopen primùm perpessa est, *uti fert Aph.* 8. *sect.* 7. & tandem per alvum atque micturales ductus largiter profuso pure, dysenteriâ atque dysuriâ laborisissimis diveaxata fuit; sed ab illis, *uti ab Empyemate*, Artis Æsculapicæ subsidio, *paucos intra menses*, immunis evasit.

Virginem insuper vidi pulmone ulceroso, quæ per os & *alvum* unicè, citra *dysuriam*, pus suum profudit ad obitum usque.

Aperto cadavere totum pectus pure stagnatum, reperi à dextris & à sinistris, sed nusquam par fui detegendis viis à pectore in alvum purulentiam deducentibus, proximis ob festinationem rei, urgentibus defunctæ consanguineis.

Empyema dextrum periculosius esse sinistro.

Hippocr. lib. 3. de Morb. dextrum Empyema sinistro damnosius esse pronunciat, quia, de mente Præsidis mei, *vena impar* corrosioni magis obvia quàm Aorta durior atque compactior. At *Riverius* è contra Lib. Prax. 7. cap. 4. sinistrum Empyema pejus esse censet, quòd puris edacitate ventriculus cordis sinister periculosiùs attrodatur. Sed isthæc ratio apud nos ficulnea atque futilis. Cordi siquidem *pericardium* & *ejus aqua*, vice sunt *propugnaculi*, atque *fossæ*. Cor ergo puris mordacitati patet. Imò etsi cor puris injuriis obvium foret undique; annon sinister ejus ventriculus tot illas faciliùs eluderet? nam plurimis atque validissimis *fibris musculosis* donatus est. Cor siquidem universum ex *Hippocr.* sententia, *reclamante licet Galeno*, musculus est robustissimus non nervo sed carnis densitate atque compactione. Et profectò veritatem illam Hippocratem firmam & immotam stare adversum Galenicos impetus, Clariss. oculatissimusque Præses meus, partim libris, partim viva voce, partim *αὐτοψίᾳ* me docuit. Is enim nunquam satis laudandus Præceptor, in nuperis suis Collegiis frequentissimis, necnon in Amphitheatro majori, corda nobis cessit ovilla, vitulina, atque humana in fibras spirales à basi ad conum densè revoluta atque retorta. Imò fibras illas non solùm in orbem reflexas, sed & musculosas esse ad oculum probavit, & illas præterea à sinistris, quàm à dextris longè numerosiores atque crassiores replicuit atque retexuit. Rationem porrò discrepantis structuræ suis demonstrationibus attexuit, densiores scilicèt esse sinistri ventriculi fibras ut systole validiori sanguinem pellat ad extremos usque microcosmi fines; at ventriculo dextro parciores atque graciliores inesse, ut systole leviori in proximam & insertam sibi pulmonum arteriam sanguinem acceptum regerat.

Ex istis itaque liquet sinistrum cordis ventriculum dextrô validiorem, validiùs etiam dextrô omnes à se puris noxas amoliturum, atque adeò non ita periculosum extare sinistrum empyema, sed cassos penitus esse Riverianos in Hippocratem insultus.

De latere Empyico internoscendo, ubi memorabile recitatur exemplum de Empyemate inaudita methodo exteriùs purgato.

Riverius Prax. lib. 7. cap. 4. signum proponit, tanquam suum, quo latus Empyicum à latere sono distinguatur, tumorem scilicet œdematosum in latere corroso. Verùm diagnosim illam genninis suis observatoribus Præses meus restituit, Hipprocrati nimirum, *Guidoni*, *Pigrao* atque *Thevenino*. Videbis præsertim *Duret.* Coac. lib, 2. cap. 16. Coac. 68. Sed præterea Præses meus docet latus Empyicum non modò Oedematis more tumere, verùm etiam ichores quandoque emittere & sero quoquam sanioso atque glutinoso, fœtidoque stillare. Imò latus narrat *sudorum poris* tabo quodam purulento hic & illic maduisse, & cùm omnia symptomata insinuassent pus esse vel ferro vel igne potentiali educendum, ac interim ægerMartem & Vulcanum penitùs horreret, frustillum plumbi, instar festucæ, in pororum patentiorem unum, tabo crassiori fluxum, turundæ ritu solerter intrusum esse, atque sic in dies crassius illud atque longius plumbum inditum esse, donec tandem intimiùs adactum, pectus ipsum penetrasset, ut ex ejus penetralibus pure deinceps liberiùs manante & prolè deterso pristina salus redintegraretur.

In Empyematis operatione falsò doceri vasis intercostalibus parcere Chirurgos.

Lippis & tonsoribus notum est ad Empyici pectoris apertionem præcipi ut scalpelli dorsum obvertatur costarum crenis, ne vasa cædantur. Sed cautionem illam futilem & agyrticam esse nos in Amphitheatro docuit Clariss. Præses meus, Anatomiæ magnus Antistes; Nostris etenim oculis subjecit brevi duntaxat tractu crenari costas, & falsissimum esse intercostalia vasa costarum crenas longè decurrere. Imò vasa isthæc pleurâ suâ ita nudavit, ut luculenter viderimus *superiorem* ubique *venam*, *nervum infimum*, *arteriam* verò *intermediam* esse, idque tam alta à costarum crenis distantia ut nusquam secandus veniat musculus intercostalis interior, quin isthæc intermedia vasa sauciantur transversa. Quid igitur nobis obtrudunt, *suam industriam obtenturi Chirurgi*, sese vasa pleuritica longè declinaturos, si modò, inter Empyicum pectus aperiendum, scalpelli aciem in inferioris costæ dorsum obverterint. Apage nænias agyrtis unicè dignas, à Medicis verò genuinis atque cordatis longè abhorrentes. *Atque hæc ex Clariss. D. Drelincurtio. Sequuntur jam.*

Curationes, Consultationes, Observationes & Anatomicæ inspectiones ex variis.

Curationes.

Quoad curam empyematis, seu quando pus factum in cavitate fluctuat, & stagnat, 1. Est evacuandum, 2. Acrimonia ejus noxia corrigenda. 3. Læsio partis inducta restituenda.

Quoad *puris evacuationem*, hæc per convenientes vias instituenda venit. *Viæ convenientes* sunt vel *naturales* vel *artificiales*: *illa* quibus *natura* molitur evacuationes, & quæ sibinde per varia loca inimitabili arte purulentias evacuat, ut dum v. g. pleuriticorum, vel alias in thorace suppuratorum purulentias, nunc per *urinas*, nunc per *alvum*, nunc frequentissime per *sputum* evacuat, imò per *purulentam*, in toto corpore *scabiem*, quo de viro, M. A. N. C. *Ann.* 2. *pag.* 230, solvi observatum fuit. Sanè *pus empyici* per *urinam* excretum c. dolore quasi nephritico & stranguria refert *Horst. l.* 3. *observ.* 10. Simile *vid. ap. Panarolum*, item *Borellum cent.* 2. *observat.* 17. Ipsemet *curavi mulierem* gravi pleuritide correptam, suppuratam, cui supervenit fœtidissima materiæ purulentæ urina, quæ per 10. vel plures dies continuante cum sensibili alleviatione ipsa sanabatur. *Præcavebam simul phthisin ac tabem* per pulveres

pulveres & antihectic. Poterii, myrrh. ocul. cancror. antimon. diaph. balf. sulphuris therebinth. &c. Elix. Prop. rarò propinabam, quia hoc semper alvi fluxum sistebat, ut necesse esse, eam denuo provocare clysmate. Sicut jam suprà hujusmodi variæ excretiones *circa hepatis & lienis abscessus* insinuatæ fuerunt. Facit huc quod refert *Hildan. centur. 3. hist. 59.* Nempe ulcus diuturnum in brachio ex ictû. sclopeti, quod, quia *per urinam* pus excernebatur, ulcus siccabatur: Quamprimum verò ulcus recenter fluebat, tum patiens rursus urinas laudabiles nullo pure permistas reddebat. *Per quas vias materia empyematis in pectore*, v. gr. *deferatur ad urinam* aut alvum, *aut etiam ad os* pro expuitione, plures autores litigant. *Conf. Senn. lib. 2. prax. ubi* de pleurit. quæst. 3. Willis Pharm. rat. P. 2. *pag.* 150. 201. M.A. N. C. *Ann.* 3. *pag.* 393. & *Ann.* 6. *pag.* 75. His in casibus si moliatur aliquid natura, semper minister ejus est Medicus, dum, quò illam vergere videt, eò simul motum illius promoveat. *Si verò rupto abscessû & collecto* jam *empyemate* pectoris, eam nil moliri observat, pro copia puris dum vires adhuc constant, evacuanda, imprimis *vomiens* convenit, cujus insignes utilitates pluribus *Piso de colluvie serosa* declarat. Hinc *sputum* imprimis promovendum, ut hujus medio ceu per proximas vias, modumque magis ordinarium, puris fiat evacuatio. *Pro quo scopo Nicotiana* est egregia cujus usum suprà ex *Ferdinando* declaravimus.

In sputo hoc promovendo habenda simul ratio qualitatum materiæ purulentæ evacuandæ, quę *quò acrior* fuerit, ac tenuior, eò magis *temperantia* simul usurpanda sunt: *Quòd si verò non acre sed crassius* sit pus evacuandum, *incidentia & abstergentia* magis in usum vocanda. In specie *mel*, & ex eo paratum *hydromel* seu *aqu. mulsa*, *oxymel squilliticum* inter expectorantia primatum ducunt; in qua *mulsa hyssopus*, *scabiosa*, *parietaria*, *helenium*, *iris*, *marrubium*, *liquiritia*, *jujub. passula* pro indicantium varietate simul incoqui & propinari possunt. Vel fiat *mistura* expectorans.

℞. Aq. hysop. ℥iij. asthmat. ʒiij. oxymel. squillitic. ℥vi. syr. Nicotian. ℥ß. emet. ʒiß. M. capiatur pro lubitu.

Artificiales via pro evacuando pure sunt *paracentesi*, quæ ubi *priores*. illæ *naturales* vel non sufficerint, vel non sufficturas suspicio est, *in tempore* institui potest. *In tempore dico*, ut quando natura *empyema* non expurgit per *urinam* statim instituenda *Paracentesis*, ne pus in saniem convertatur, ne vires frangantur, ac pulmo à sanie corrumpatur.

2. *Acrimoniam puris & ejus noxam corrigunt*, hoc est, ut aliàs dicunt, ulcus *abstergunt & mundificant* optimè remedia *sulphurea*, quodcunque acre temperantia & *balsamica*, quasi vi ulteriorem progressum *apostematis* & *puris* inhibentia, uti sunt *sulphur* & *antimonialia fixa*, &c.

3. *Ea verò, quæ læsionem partis* post abscessum suppuratum *restituunt*, sunt *vulneraria*, præ cæteris *hedera terrestris*, *scabiosa*, *charefolium*, item *lignorum & radicum decoctum*, &c. Optimè hæc duo junguntur, sed semper habenda est ratio *Puris* ut hoc vel simul evacuetur. *Febris adjuncta*, ne hæc plus majus intensa augmentetur. Ad hoc *ut evacuetur pus* præter evacuationem per vomitum si est in thorace, vel in alio loco, convenientissima sunt omnia *antimonialia fixa*, v. gr. *antimonium diaphoretic.* quod ipsum *cum decocto charefolii*, vel cum *hedera terrestri*, vel quod meliùs cum *decocto radicis china* propinetur, propinando sępius cum haustu istius decocti ʒj. *Antimonii diaphoretis*. Hoc enim mirabiter suppurationes quascunque curat sanguinem congrumatum & empyema imprimis pectoris.

Et tunc cum *radice Chinæ* simul coquenda sunt *tussilago*, *hyssopus*, *consolida major*, *capill. veneris* & similes: Non opus est multa addere, simplex enim sufficiat decoctum cum quo propinetur *Antimonium diaphoreticum*.

Post Antimonium diaphoreticum imprimis est Balsamus sulphuris, qui quancunque suppurationem ac internarum partium & viscerum corruptionem, cito, tutò & jucundè curat. Vel simplex vulgaris, cum spiritu terebinthinæ, vel anisatus cum oleo anisi pectoralis, vel succinatus cum oleo anisi pectoralis, vel succinatus cum oleo succini; vel juniperinus cum oleo juniperino. Loco Balsami sulphuris simplicis sumatur Balsamus sulphuris auratus antimonii ex Polemanno, erit balsamus eo magis laudatus.

Denique Arcæus tract. de capitis vulneribus, Egregium modum docet curandi empyemata beneficiu decocti ligni Guajaci, cujus methodus est optima, & quâ abservatâ aliquot empyematici restituti fuere.

Nec incommodè ligna santala hic recipiuntur, verbi gratia.

℞. Rasur. ligni Guajaci ℥j. sassafr. ʒß. Macera per 11. horas in aquæ comm. ℔vii. coque ad consumptionem ℔iß. adde heder. terrestr. comar. flor. hyperici. herb. veronic. an. m j. ad mij. rad. glycyrrhiz. ℥ß. sem. fœnic. ʒvi. passul. minor. conquassatat. ℥iij. Coqu. ad remanentiam ℔. iv. M. S. decoctum de quo æger ad minimum ter in die capiat, subjungendo & alia remedia.

Hedera denique terrestris omnibus præferenda est speciebus simplicium quæ suppuratos ex fundamento, ut sic dicam, curat: Ejus decoctum seu essentia si assumatur, aut quod meliùs cum eodem antimonium diaphoret. propinatur, aut denique si ejus succus semper cum decocto Guajaci permisceatur.

Certum est quod hedera terrestris sit inæstimabilis in hoc casu.

Hinc sunt qoi maximè æstimant.

℞. Succ. hederæ terrestr. ℥iv. prassii (id est marrubii) ℥ij. thuris, myrrhæ an. ʒ j.

Sacchari parùm; redigantur ad consistentiam syrupi, & subinde usurpentur.

Denique decoctum brassicæ capitatæ rubrę, cum tantillo sacchari temperatum, est egregium, quia materiam purulentam educit per urinam. Potest etiam dari cum decocto Chinę, antimon. diaphoret. & similia.

Lac quoque caprillum cum saccharo rosato usurpatum, pro ultimo hoc scopo est egregium. vid. M. A. N. C. an. 1. p. 78.

Confert. cum his Willis. Pharm. ration. p. a. ubi de phthisi & empyem.

Balsami sulphuris fecit mentionem: si hujus igneus calor pertimesceatur, optimè permiscetur. saccharum Saturni vel Antihecticum Poterii, quę in his casibus sunt egregia.

Item Balsamus Peruvianus non incommodè potest substitui balsamo sulphuris. *Michael Ettmuller. Collegii Medici Part. 1.*

Quoniam curantur Empyici difficillimè, consueverunt veteres Thoracem incidere: ut indè purulenta materia promptiùs educeretur. Monet autem Hippocrates ne pus universim effluat, tunc enim languentes Mors certò excipit, ut experimentis pluries innotuit. Partem verò urendam, vel secandam nonnulli eligunt inter tertiam & quartam costam: alii inter quartam & quintam: & alii inter quintam, & sextam. De qua re legendi potissimùm Paulus Æginera, Fabritius ab Aquapendente, Fienus, Sculterus, Barbette, Marchetti. Hippocrates 2. de Morbis utroque

latere

latere pure affecto, finistrum potiùs aperiendum voluit: minùs etiam lethalem dicit factam ibi fectionem. Verùm Epiphanius Ferdinandus ex eodem Hippocrate de internis affectionibus tutius putat perforare costam ipsam. Idipsum approbat Martianus etiam in Hydrope Pulmonis ex eodem Hipp. de Natura mulieb.

At longè periculofiorem, quàm vulgò creditur, Paracentefim effe exiftimat Jo. Van-Horne, & Tulpius pluries infeliciter inftitutam ait. Quamobrem plerique ad alia remediorum genera confugiunt, quæ fi non magni juvaminis, faltem minoris funt periculi Fumo tabaci per fiftulam excepto, ejufdemque decocto calido cum faccharo bis tantùm fumpto, pus è cavo Thoracis per tuffim excretum memorat Epiphanius Ferdinandus: debet autem illud convenienti digeftione depurari, & caftigari. Alii communiùs diureticis infiftunt documento Galeni 6. de loc. affect. cap. 4. Nec denique defunt, qui etiam per alvum expurgatum empyema recenfeant: nam præterquam quod vifum id aliquandò fertur ab eodem Galeno c. 6. de loc.aff. cap. 4. confirmatur quoque à Velfchio, qui acceptum à Matthia Baccono refert, Empyicum ex pleuritide fanatum frequenti potione, ex fyr. Althææ, oxymelle, faccharo, mannâ, oleo amygdal. dulcium recenti, & aqua fcabiofæ, pure nimirùm, ut ipfe inquir, alvo procliviùs, quam ore, expurgato. At ductus ifti nondum fatis perfpecti funt, quamvis illos oftendere adnifus fit Bauhinus relatus ab Horftio, & à Sennerto; ac multò antea Galenus cap. 6. de loc. affect. 4. & 7. Aph. comm. 30.

Profuiffe nimiùm vidimus Empyicis decocta ex fcabiofa, pulmonaria, fanicula, tuffilagine, hyperico, hyffopo, carduo benedicto, betonica, iridis Florentinæ, & lappæ majoris radice, glycyrrhiza, confolida, C. C. C. & majori ex parte ligno guajaco, & lentifcino compofita, & exhibita ad plures dies cum balfamo fulphuris, anif. vel terebinth. ad guttas aliquot mane per quinq; faltem hôras ante cibum. Efficax quoque obfervatur elixir proprietatis elicitus cum aqua cinnamomi, cum quo commifceri poteft fyrupus de tuffilagine, de hedera terreftri, de hyffopo, de praffio, fi libuerit. Flores Antimonii fixi, & Antimonium diaphoreticum ritè præparatum, miram opem præftitere, ficut pariter illius ceruffa defcriptione Angeli Salæ, non neglectâ tamen in hanc rem obfervatione Friderici Hofmanni. Magna etiam vis ineft Terebinthinæ albæ Cypriæ, fi cum modico vitelli ovi diffolvatur, & cum aqua hederæ terreftris ftillatitia guttatim infufa tantifper fubigatur, quoufque cremorem lacteum æmuletur. Capi poteft ad unciam unam vel alteram jejuno ftomacho. Succus ejufdem hederæ utiliffimos memoratur à nonnullis, fi cum olibano diapenid. redigatur in formam Electuarii, & per vices allumatur, vel in ore detineatur.

Ad Pulmonis vomicam, refert Cardilucius fibi pro fecreto communicatum fpiritum è pulegio in fpiritu vini per octiduum infufo elicitum, vel infenfibiliter vel per fudorem, aut urinam illam diffolvere. At Morbus hic ficuti rariffimus, ita difficillimæ curationis; quinimò priùs hominem enecat, quàm internofcatur aut opportunis remediis tractetur, cùm repente è vivis ægros tollere foleat, nifi fponte fua rumpatur vomica & purulenta materia in Thoracis cavum deponatur, vel fenfim expuatur. *Lucas Tozzi de Medicin. Practic. part.* 1.

Signa Empyematis funt gravitas cum fluctuatione (præcipuè cùm ab uno latere in alterum decumbant) in thoracis cavitate, fi Pleuritis aut Peripneumonia præcefferunt, refpiratio difficilis, fputum purulentum & fœtens, febris hectica, & aliquando fudores nocturni frigidi.

Indicationes funt puris excretio per expectorationem, urinas, aut alio quocunque modo, ulceris detersio & confolidatio, & febris, hecticæ ablatio.

Primò injiciantur Clyfteres lenientes, emollientes, & carminativi, & repetantur, fi alvus non refpondeat. Purgetur æger potione fequenti.

♃. Rad. enul. ℥ʃ. glycyrrhiz. ʒij. fem. anif. fœnicul. dulc. ana ʒj. crem. tart. ʒß. fol. fen. mund. vin. alb. odorif. nutrit. ℥v. Coque, & Colaturæ ℥ v. aut vi. adde diaphœn. ʒj. fyr. rof. folut. cum agaric. ℥j. Mf. f. Potio mane fumenda cum regimine.

Si vires ferant & febris urgeat, inftituatur venæfectio in brachio.

Victus fit tenuis & ficcans, ex affatis potius quàm elixis. Sæpius comedat pinæolas, avellan. amygd. dulc. ficus, paffiul. &c.

Potus ordinarius fit hujufmodi.

♃. Sarfap. ℥vi. faffafr. ℥ij. lign. fanct. ℥ijß. glycyrrhiz. ℥iß. paffiul. ℥iij. aq. hord. ℔xxiv. Infund. & coq. ad tertiæ partis confumptionem. Coletur & aromatizetur ℥ʃ. pulv. coriand. ad ufum fervetur in lagenis lapideis.

Vel ♃. Ratur. lign. fanct. inter. nigerr. ℥iv. rad. fymphyti maj. ℥vi. rad. tuffilag. ℥v. fcabiof. veronic. caryophyllat. botry. an. m. j. glycyrrhiz. recent. ℥ij. Infund. in ℔ viii. aq. f. vafe probè occlufo, mox coq. in alembico fuperpofito capitell. ad ℔ ij. confumpt. Colatura fumatur bis terve in die ad ℥vi. vel viii. quàvis vice longè à paftibus.

♃. Rad. chin. ℥iʃ. enul. ℥ʃ. tuffilag. ℥iij. caryophyllat. totius, fcabiof. an. m. iʃ. fol. beton. pulmonar. pilofell. heder. terreft. eryfim. an. m. j. fummit. marrub. alb. hyffop. an. m. ß. paffiul. purgat. par. xx. jujub. par. x. dactylor. ficuum an. par. iv. Coq. in hydrom. dilut. lb. vj. ad lb ij. confumptionem. Colatur. adde fyr. capill. ven. ℥iv. ol. facch. ℥ij. M f. f. Apozema. Dof. ℥. vi. bis in die longè à paftibus per octiduum.

♃. Rad. enul. rec. ℥j. urtic. urent. ℥ʃ. glycyrrhiz. Hifpan. ʒ x. fol. veron. mar. cum toto, heder. terreft. botry. an. m. jß. eryfim. m. ij. fummit. hyffop. marrub. alb. an. m. j. Coq. in hydrom. vinof. defæcat. fiat Colatura, in qua clarificata macera paffiul. mundat. lbiß. ficuum ping. ℥viii. Bulliant, extrahe pulpam, quæ cum liquore refiduo lentè coquatur in Electuarium.

♃. Hujus Electuarii ℥v. mell. defpumat cum phlegmate, ex diftillatione olei anif. ℥ij. facch. cand. ℥v. vin. de Malaga ℥vi. Coq. lentè ad confiftentiam eclegmatis, inftilla ol. fulphuris per campanam, q. f. ad gratam aciditatem. M. ß. & lambatur inftar linctus.

Aliquando oleum facchari hujufmodi præfcribo.

♃. Rad. enul. ℥j. ireos Flor. ℥ß. glycyrrhiz. ʒvi. fol. ficc. marrub. alb. hyffop. fcabiof. heder. terreft. eryfim. an. ʒv. rad. caryophyl. ficc. ʒ. cort. rad. faffafr. ʒiij. fem. anif. fœnic. dulc. an. ʒvii. affund. aquæ vit. ad iv. digit. fupernatationem, infunde per quatriduum: Colaturæ ℔ij. adde facchar. cryftal. pulv. lb j. flor. fulph. ℥ʃ. accende liquorem in patopfide ftannea, & agita donec inflammatio ceffat, cola per linteum, & adde mellis paffiular. quartam partem, f. Eclegma.

Si fputa fint purulenta, & tuffis urgeat,

♃. Pulp. rad. alth. & paffiul. in aq. fcabiof. & hyffop. fimul. coct. pift. & traject. ℥ij. pulv. fubtiliff. fol. tuffilag. glycyrrhiz. Hifpan. an. ʒß. ireos Flor. ʒiʃ. lact. fulph. ʒiij. facch. cryftal. pulv. ʒviii. cum pauca aqua hyffopi f. Pafta pro trochifcis hypoglott;

Si opus

Si opus sit majori detersione, convenit Lohoch de thure.

℞. Thur. mascul. ʒ ij. facch. crystal. ℥ij. pulv. includ. cavitate majoris pomi dulcis, quod proprio operculo tectum torreatur, & pulpa bene cocta à superfluitatibus separetur, addendo pulp. rad. enul. in hydromel. ad putrilag. coct. pist. & traject. ℥j. pulp. passul. ℥ ij. pulv. hyssop. & fol. tussilag. an. ʒ iij. ireos Flor. ʒij. succ. glycyrrhiz. ℥ß. syr. de erysim. heder. terrest. roris solis an. ℥ iij. flor. vel lact. sulph. ℥ß. Mſ. f. Lohoch.

Potens admodum est remedium Saponea sequens magistralis.

℞. Rad. enul. rec. ℥ij. alth. ℥ iv. passul. maj. ℥iij. Coq. ad putrilaginem in hydrom. malvat. pistentur, trajiciantur per setaceum, de pulpa sume ℥ ij. suc. glycyrrhiz. ℥ß. ireos Flor. ʒij. sem. anis. fœnic. dulc. an. ʒiſs. sem. angel. cardam. an. ʒſs. mastich. olib. an. ʒj. cinam. inter. ʒij. croci ℈ij. Terantur terenda in alcohol, adde duplum saponis Venet. alb. & cum syrupo pectorali f. Electuarium, addend. ol. anis. ʒß. dos. quant. nuc. moscat. bis terve in die.

Mel Passulatum de quo sæpiùs suprà dictum est.

℞. Passul. ℔ iv. aq. f. ℔ xii. macera per hor. 24. dein coq. ad tertias. Colatura coquatur ad mellis consistentiam, & usui servetur.

Tabellæ de Althæa de quibus mentio supra facta est.

℞. Spec. diatrag. frig. pulv. glycyrrhiz. ana ℥ ivſs. sem. papav. alb. ℥ iij. ireos Flor. ʒijſs. sacch. alb. ℔ ſs. cum pulp. alth. q. s. f. Tabellæ.

Post detersionem, si opus sit validâ exsiccatione usurpetur suffitus talis.

℞. Auripigm. ex cineribus vitis vel cum flor. sulphur. sublimat. ℥ſs. Tabaci Indici opt. ʒ iij. tussilag. rad. enul. calam. aromat. ana ℈ iv. lign. aloës, benzoin. gum. guajac. naturalis ana ʒ i ſs. f. pulvis subtiliss. & cum tereb. Vener. q. s. vel balsam. Peruv. f. trochisci num. 12. pro suffitu, cujus fumus excipiatur cum infundibulo.

Sæpius Tabacum compositum sequens præscribo.

℞. Fol. tussilag. siccat. ʒ ſs. laur. salv. malabathr. an. ʒ ij. rad. enul. ʒ iß. cort. guajac. gum. ejusdem an. ʒiſs. tabac. Indic. ʒiijſs. succin. oliban. an. ℈ vii. auripigm. flaviss. scintillant. ℥ſs. Auripigmentum, succinum, oliban. cort. & gum. pulverizentur, & cum cæteris crassiusculè Incisis misceantur; & capiat fumum instar Tabaci vulgaris, idque paulò ante assumptionem apozematum pectoralium bis terve in die.

Si Empyema per latus alterutrum viam moliatur, latus affectum foveatur fotu seq.

℞. Rad. alth. lil. alb. an. ℥ ij. brion. ari ana ℥iſs. enul. ℥ iij. fol. malv. parietar. senecion. ana m. j. scabios. heder. terrestr. marrub. alb. ana m. ij. sem. fœnugræc. ʒx. sem. anis. fœnic. ana ℥ iij. Coq. in aq. f. part. xii. mell. part. ij. acer. scillit. part. j. Colaturæ adde ol. violat. ℔ j. chamæm. rut. ana ℔ ſs. Mſ. & cum spongiis eodem madidis f. Fotus mane & vesperi per horam integram.

Post fotum, optimè detersâ parte, applicetur Emplastrum sequens lateri affecto.

℞. Empl. diachyl. ireat. ℥iv. pic. Burgund. ℥iij. ladan. ℥ ij. gum. caran. tacamahac. an. ℥ j. pulv. flor. chamæm. melilot. trifol. odorat. ana ℥ ſs. pulv. cumin. rut. flor. sulphuris ana ʒvi. croc. ℥ ij. balſ. Peruv. terebinth. Venet. an. ʒvi. cer. flav. q. s. f. Emplastrum. Aut applicari potest Emplastrum Diasulphuris Rulandi.

Si adsit catarrhus, conveniunt fontanellæ, vel in sutura coronali, vel in homoplatis.

Aquæ Thermales sulphureæ hìc maximè conveniunt.

Paracentesis antequam vires sint nimis consumptæ semper fere feliciter succedit, aperto latere inter quintam & sextam costam (ab inferioribus numerando) eo in loco ubi sub infimo exortûs pectoralis musculi angulo musculus serratus major & epigastri obliquus externus dentatim junguntur, scalpello acuto panniculo obligato deorsum natante mucrone, servatâ rectitudine fibrarum intercostalis musculi, & cutem ipsam cum subjectis partibus audacter dividat Chirurgus, adactâ in superiorem costæ quintæ partem acie. N. B. Potiùs antrorsum aliquantulum quàm versus spinam secandi sunt omnes Empyematici, salvis diaphragmate & pulmonibus qui in ista parte vulnerari nequeunt, sumto inter secandum expirationis momento. Dein fiant injectiones vulnerariæ, detergentes, & postea exsiccantes, & consolidantes. *Theodor. de Mayerne Prax. Medic. lib. 2.*

Hic in Curatione Empyematis jam addamus quæ de Paracentesi thoracis, habet Thomas Fienus in suo de præcipuis artis Chirurgicæ controversiis libello: sic autem ille.

Paracentesis est sectio, per quam fit vulnus penetrans in corporis cavitatem. Etsi autem per paracentesin intelligatur proprie tantum sectio, quæ fit ferro frigido, tamen volo ego eam hic latius considerare, sic ut sub paracentesin non tantum sectio comprehendatur, sed etiam ustio, qua fit ulcus penetrans. Perforatio enim usque ad corporis cavitatem fit duobus modis, vel ustione, vel sectione. Quia autem utraque est ad eundem finem, ideo utramque sub generali nomine paracenteseos hic comprehendere volo. Dico, penetrans in corporis cavitatem. Corporis autem cavitates duæ sunt; una supra diaphragma, quæ est cavitas intra thoracem contenta: alia sub diaphragmate, quę est cavitas in abdomine contenta. Ideo duplex est paracentesis; alia pectoris seu thoracis, alia abdominis.

Usus, & finis utriusque paracenteseos unus est, ut nimirum per foramen sic arte factum aliquid, quod intra illas cavitates contra naturam continetur, & alia ratione à natura excludi non potest, educatur. Quod ibi continetur, vel est pus, vel aqua. Itaque omnis paracentesis est aut ad pus, aut aquam; & vel ex pectore, vel ex abdomine educendum. Pus in pectore colligitur, vel à præcedente anginâ, vel pleuritide, vel peripneumonia suppuratis, & ruptis, & sic affectus vocatur empyema. Vel etiam à vulnere, vel casu ab alto ruptis intra venis & sanguinem multum effundentibus, qui in pus convertitur. Pus intra abdomen colligitur aliqua phlegmone alicujus partis, intra ipsum contentæ, suppuratâ aut ruptâ, ut renum, hepatis, mesenterii, peritonei, aliusve. Aqua colligitur supra Diaphragma in cavitate pectoris, sic ut pulmo ei innatet, ex pulmonis nimia refrigeratione, pericardii fissura, aut seri ex osculis venarum diapedesi. Et is affectus vocatur hydrops pulmonis. Aliquando colligitur aqua in abdomine, & ille affectus vocatur Hydrops simplex, seu Ascites. In his omnibus affectibus convenit paracentesis. Puto ego, adhuc aliam causam esse, propter quam paracentesis fieri possit; nimirum, non tantum, ut aliquid ex cavitatibus corporis evacuetur, sed ut aliquid etiam in eas immittatur. Sic potest fieri hæc sectio ut decocta aliqua abstergentia, cum syringis injiciantur; interius scilic. ulceribus aliquot difficilibus existentibus, quæ curari non possunt, & ad quæ non possunt alia ratione medicamenta commode pervenire. Sic Harcerus insignis Chirurgus Hispanus docet, ulcera pulmonis, & Phthisim facile esse curatu, & sese sæpius ea curasse, & curę

modum

modum docet hunc; ut nempe in pectore sectio fiat, & per foramen decocta detergentia injiciantur, quibus ulcus eluatur, mundetur, & consolidetur.

Quæritur autem: an unquam paracentesis pectoris sit facienda? Videtur autem quod non, autoritate Pauli Æginetæ l. 6. c. 44. ubi dicit; *aliquos uti sectione, vel ustione thoracis penetrativa usque ad cavitatem Sed isti, inquit, statim mortem inferunt, vel faciunt, ut fistula remaneat.* Hollerius comment. Sect. 6. Aphor. 27. dicit; *se duos vidisse empyicos, sed unum eorum obiisse, alterum fistulosum ulcus reservasse.* Hisce ratio videtur suffragari. Quia si in thorace foramen fiat, per illud externus aër ingredietur, & calor, & spiritus interni egredientur, & cor, & pulmo, principes & calidissimæ partes, spirituque plenæ refrigerabuntur, & debilitabuntur, & mors sequetur. Secundò, quia est communis opinio Medicorum, quod pulmo moveatur fuga vacui, ad motum thoracis. At si in pectore fiat foramen, jam cessabit ratio illa fuga vacui, quia aër, qui potest de foris ingredi per foramen, faciet, ut tunc non sit amplius tale periculum vacui, & ideo debebit, motus pulmonis cessare, vel saltem valde minui; pulmonis verò motu vulnere imminuto & pure interius cavitatem opplente, & respirationem impediente, sequitur, quod fieri debet suffocatio, & mors. Saltem, cùm in cavitate utrinque thoracis pus continebitur, non poterit sectio talis ulla ratione fieri, quia illa sectio tunc fiet, vel in uno latere, vel in utroque: si fiat in uno tantum, fiet frustra, quia per illam tantum poterit evacuari pus, quod in illo latere est, quod autem est in opposito latere non poterit, & tunc illud poterit adhuc tàm bene mortem causare per se, quàm antea. Si fiat sectio in utroque latere tunc omnino sequitur, quod non poterit pulmo fuga vacui moveri, ergo necesse erit pulmonem à respiratione cessare, & ægrum mori.

Contra verò quod hæc sectio in empyicis, & hydrope thoracis aliquando fieri possit, docet, Hipp. variis in locis. Nam lib. 3. de morbis docet, quomodo empyemate laborantes sunt urendi, & secandi. lib. de intern. affect. docet costas ipsas perforare in hydrope pulmonis, quo per foramen aqua valeat exire, & Aphor 27. s. 6. dicit: quicunque empyici aut hydropici sunt, & secantur, vel uruntur si pus vel aqua confertim exeant, moriuntur. Ubi insinuat, quod illi quidem secari, & uri possint; sed hoc tantum sit cavendum ne aqua & pus confertim exeant. Porrò omnes ferè Practici docent in empyemate, si videamus, quod natura intra certum tempus pus ejicere non potest paracentesin esse faciendam. Etsi enim illa absque dubio non sit periculi expers, non est tamen certò lethalis, sed sæpissime potest curari, ut experientia docet. Præstat ægro remedium adhibere, à quo sit spes sanationis, etiamsi periculi aliquid habeat, quam certæ morti relinquere. Si enim sic relinquuntur vel mox moriuntur, multitudine puris suffocati, vel quia pulmones in eis inflammantur, & corrumpuntur: vel in phthisin abeunt, quæ omnia sunt mala lethalia. Quod autem hæc sectio non sit tàm periculosa, ex eo patet, quod omnes singulis diebus experimur, plurimos homines convalescere, qui vulnere thoracis penetrativo læsi fuere. Huic accedunt exempla eorum, qui passi talem paracentesin, tamen fuere curati. Scribit Plin lib. 7. cap. 50 quod Phalereus deploratus à medicis vomicâ laborabat. Et cum mortem in acie, inquit, quæreret, vulnerato pectore medicinam ab hoste invenit, & per vulnus erumpente pure fuit curatus. Idem scribit Val. Max. lib. 1. cap. 6. Hipp. in Coacis prænotionibus scribit, se compertum habere, ustione aut sectione quosdam evasisse in diutu nis thoracis ulceribus. Paschalius li. 1. c. 39. commendat hanc sectionem, & dicit, quendam nomine Lupum sic ab empyemate fuisse curatum. Vesalius in consilio pro vulnere Ducis Terræ novæ, dicit, se hac sectione sæpius usum fuisse, & alios uti se vidisse, & se nunquam advertisse ex ea aliquid sinistri, aut contra præcepta artis evenisse, & licet contigerit aliquando, aliquos sic sectos mori, non fuisse tamen mortuos ratione istius sectionis, sed magnitudinis primi mali propter quod sectio erat instituta: scribit Brasagonus in suis comment. in 6. Aphor. 27. se quendam suppuratum ussisse, & sanatum fuisse. Saxonia etiam se unum secuisse dicit, & adhuc vivere. Paræus, Harlæus, Guinimæus, aliique Chirurgi celebres hanc sectionem commendant, & faciendam docent. Quapropter ad argumenta, in contrarium allata sic debet responderi Ad autoritates; dubium non esse, quin aliquando secti moriantur, sed id sæpè accidit, ut ait Vesalius, ratione Empyematis, quod interna corrupit, & non sectionis, sæpe quod sectio mala sit facta, aliquando fortè etiam propter ipsam sectionem. Sed non sequitur, quod ideo remedium omnino sit omittendum, quod aliquando obfuit· sufficit, quod possit sæpius prodesse, & ad hoc ne in desperatis casibus adhibeatur. Ad rationes, atque ad primam: non propter foramen internas illas partes valde refrigerari, propterea quod parvum sit, & semper emplastris, & aliis linteis bene sit tectum, & clausum. Etsi videmus ventrem sæpe esse apertum, cerebrum esse denudatum, thoracem à vulneribus magnis pertusum, & nihilominus tamen adhuc ægros convalescere, nec exinde internas illas partes adeo refrigerari, ut inde mortem sequi sit necesse. Ad alteram dicitur. quod respiratio non fit fuga vacui, etsi communis schola medicorum ita teneriat. Scribit enim Felix Platerus, & alii, sese sæpe ægrotos habuisse, qui ab utroque thoracis latere penetranti vulnere affecti fuere, qui tamen non desierunt propterea commode respirare, quod tamen omnino necessum foret, si pulmo fugâ vacui, ad motum thoracis moveretur, ut asserunt Scribunt etiam Alex. Benedictus, Nicolaus Piso; & alii, quod cum ab utroque latere pus continetur, quod ab utroque latere sectio sit facienda: quod non facerent, si utrinque vulnerato thorace respirationem cessaturam, aut pulmonem fuga vacui non amplius motum iri crederent. Sed posito, quod ita foret, adhuc tamen posset sectio utrinque fieri, quando pus in utraque cavitate continetur, sed non simul, verùm una post aliam, scilicet pure unius lateris per sectionem ejusdem lateris evacuato, & vulnere iterum consolidato. Posset sectio denuo in altero seu opposito latere fieri.

Ut hæc paracentesis commodè fiat, ante omnia considerandum est, quis locus ei conveniens sit; Pro quo sciendum est, quod semper sectio fieri debet, in loco, in quo pus continetur, & in illa parte, per cujus foramen potest pus exire. Nam si sectio fieret in eam usque cavitatem, in qua non est pus, frustra facta esset, & frustra periculum tentatum, & Medicus ignominia affectus. In thorace autem duæ sunt cavitates distinctæ; una à dextro latere, à sinistro altera: propterea quòd membrana, mediastinum dicta, in medio thoracis sit constituta, & unam ejus medietatem ab altera separet: ex quo fit, quod pus, quod in una cavitate est collectum, non possit ad alteram cavitatem venire. Accidit autem, ut aliquando pus in una cavitate, aliquando in altera tantum, in utraque aliquando cavitate colligatur, quapropter multum refert, in quo latere sectio fiat. Colligitur pus in uno vel altero latere, prout phlegmone vel in uno vel in altero latere est generata.

Quæ in dexterâ parte facta est, in dexteram cavitatem pus deponit; quæ in sinistra, in sinistram. Per

pleuritidem semper in unum tantum latus pus deponi potest, per anginam & peripneumoniam, aliquando in unum tantum, aliquando in utrumque. Nam in angina pus quod effluit, & delabitur in tracheam, interdum potest dilabi in unum ramum tracheæ tantum, seu dexterum seu sinistrum: interdum in utrumque. Trachea enim, cum ad pulmonem pertingit, in duos ramos bifurcatur, quorum unus in dextram, in sinistram pulmonis partem alter fertur: & exinde in sinistram aut in dextram cavitatem thoracis vel in utramque. Peripneumonia etiam est aliquando in uno latere pulmonis tantum, aliquando in utroque, Cum est in utroque, potest in utramque cavitatem pus deponere, etsi non necessario: quia etsi in utraque parte sit, non tamen necessario abscessum facit in utraque parte, aut erumpit. In quo ergo latere pus continebitur, in eo erit secandum. Si autem in utroque latere contineatur, quid erit faciendum? Dicit Alex. Bened. lib. 10. cap. 25. & Nicolaus Piso ac alii, tum in utroque latere esse secandum, sed non eodem, alius die. Et certè, si in utroque latere pus continetur, vel non erit secandum, propter periculi magnitudinem, vel si secandum erit, secandum in utroque: nam alioqui, quod in opposita cavitate pus continetur, non poterit per oppositæ sectionem evacuari, & sic manebit idem periculum mortis à pure in uno adhuc latere contento, quod antea erat à contento in utroque.

Cognoscendum ergo imprimis exactè latus est, in quo pus continetur. Illius cognoscendi varia signa sunt, tumor, calor, dolor, pondus, & strepitus puris fluctuantis. Imprimis dico, tumor: quia tumet, & sublimius quodammodo est latus, ubi collectum pus est, cum cutis exterioris livore quodam, & calore, quem corrupta evaporatio inducit. Sed & naturæ beneficio pus aliquando extrorsum extruditur, atque in musculos externos erumpit. Calor etiam est signum, quia latus illud, in quo pus est, magis calet. Hinc Hippoc. l. 3. de morbis, ad sciendum, in quo latere pus contineatur, docet, totum thoracem creta liquida, vel terra eritica obducendum esse. & quæ pars primo fuerit exsiccata, in ea pus contineri. Tertium signum est pondus, quia cum æger in oppositum, ac sanum latus incumbit, illi pondus aliquod à superna parte pendere videtur, unde interdum angustia premitur, & tussi fatigatur, & majori dolore infestatur. Denique fluctuatio & strepitus manifestus puris auditur in affecto latere, cum æger convolvitur, nisi forsan puris crassities aut copia, totum spacium implens, impediat. Hinc Hippocrat. alibi docet, ægrum manibus esse tenendum, & toto corpore concutiendum, & Medicum oportere antes pectori dolenti adhibere, ut audiat, qua parte strepitus puris audiatur. Cognito latere in quo est secandum, locus præcisè est cognoscendus, illum locum aliquando monstrat natura. Itaque si aliqua parte thoracis tumor, aut calor major appareat, ibi est secandum. Extra illum casum artificio locus est inveniendus.

Aliqui dicunt, intra secundam vel tertiam Costam sectionem fieri debere. Aliqui, inter tertiam, & quartam. Alii inter quartam, & quintam. Alii (inter quos est Vidus Vidius.) Inter quintam, & sextam dicunt esse secandum. Plerique omnes, vel inter tertiam & quartam, vel inter quartam, & quintam statuunt. Ego noto famosiores assertere, inter quartam & quintam. Illæ autem costæ debent computari ab infra sursum, à costis nothis incipiendo: unde, cum dicitur, quod debet sectio intra quartam & quintam, non debetis tunc intelligere costas spurias, sed veras & legitimas. Verum adhuc multum refert, an versus pectus an versus spinam locus eligatur. Versus spinam periculosos est: Imo quia ibi pulmo pleuræ vicinior est. Secundo, quia ibi costæ sibi mutuo sunt viciniorea, ad latera autem costarum decurrunt magnæ venæ, quæ sunt venæ azygii propagines. Itaque illæ venæ ibi sibi mutuo sunt vicinissimæ, sic ut difficile sit secare inter costas, quin illæ venæ tangantur. At sursum versus pectus costæ, & venæ divaricantur, & paulatim fiunt tenuiores, & ideò illic minori periculo sectio fieri potest, debet ergo locus eligi, antrorsum, versus pectus, sex aut septem digitis transversis remotus à Spina. Hippoc. 1. de internis affect. advertens periculum in sectione esse, ne illæ venæ tangantur. Docet alium modum, qui videtur esse tutior, ut nimirum supra tertiam costam secetur, & tunc ipsæ costæ terebello perforentur, & inde pleura transpugatur. Illa sectio videtur minus periculi habere. Recentiores tamen Medici nunquam eam usurparunt: quapropter necesse est, ut illa magnum aliquod incommodum habeat. Illud imprimis est, quod aliqui habeant costas tam parvas, & angustas, ut eas perforare impossibile foret. Secundò, quia etsi habeant costas satis magnas, tamen nemo eas tam magnas habet, ut per eas magnum foramen fieri possit, sed tantum parvum: per parvum autem foramen non possit satis commodè pus & sæpè tam multum, & crassum evacuari, sed tantum aqua Et ideo in quibus propter aquam in thorace paracentesis fit, in iis hæc costarum perforatio locum habere posset: vel etiam in iis, qui costas habent valdè latas. At verò in iis, qui angustas, vel qui Empyemate laborant, non item, ut Libantius super Aphor. & Paræus in Chirurg. etiam attestantur. Realdus Columbus insignis Anatomicus, alium locum insinuat, & dicit, commodè, & satis tuto hanc perforationem in sterno fieri posse, quam alii quoque nonnulli sequuntur. Sed cum non habeant certam aliquam de illo loco doctrinam, vobis vulgatem intra costas sectionem commendo.

Quo ad modum perforationis. is duplex est: vel enim fit sectione, vel ustione. Alii sectionem, alii ustionem præferunt. Interdum fit utroque modo. Ustio autem dupliciter fieri potest, vel cauterio actuali, vel potentiali. Antiqui solebant ferro candenti urere, ut ex Hippocrate, & Paulo manifestum est. Paræus lib. 7. cap. 10. dicit, ustionem quæ cum ferro candente fit magis esse securam. Idem ait Leonus: Ratio, propter quam id dicant est, quia ubique inter costas sunt magnæ venæ, quæ facile tangi possunt, & si sectione tangerentur, periculum afferrent magnæ, & periculosæ hæmorrhagiæ: at si ferro candente tangantur non est illud periculum, propterea quod venæ à cauterio clauduntur. Vidus Vidius, dicit, debere fieri sectionem cum scalpello, postea ferro candenti locum esse inurendum absque dubio ad eandem hæmorrhagiam evitandam; Verum ego imprimis non probo, ut locus ferro candente usque ad cavitatem inuratur. Nam præterquam, quod hoc remedium sit horrendum, & crudele, non convenit etiam corporibus, jam à morbo tam debilibus; & attactu ignis febris augeri, & membrana succingens costas inflammari posset. Ideo Paulus, & Albucasis, cum de ustione usque ad cavitatem loquuntur, dicunt esse necesse; à quo statim mors sequatur. Quod si vero profectò fiat, & tum videatur sequi hæmorrhagia, equidem ut tum insuper ustio fiat, sicut Vidus dicit, esse necessarium. Restat ergo ut perforatio fieri debeat, vel sectione, vel cauterio potentiali; & vel alterutro solo, vel utroque simul. Cauterio potentiali solo inurere, nimis longæ moræ est: sunt enim decem dies, antequam eschara excidat, & interim à pure intus partes corrumpuntur. Hodie modemi Chirurgi utuntur vel sectione sola; vel cauterio potentiali, & postmodum sectione per escharam ab ipso cauterio inductam.

Utrumque

Uterque modus est bonus. Sed qui sola sectione fit habet interim periculum hæmorrhagiæ conjunctum. Qui verò cum prævio cauterio fit, non item: per escharam enim venæ clauduntur. Quapropter puto ego, hunc ultimum modum esse securissimum, uti etiam Guilimæus attestatur: non tantum, quod per hanc non fit periculum fluxionis sanguinis, sed etiam, quia, cum eschara excidit, magnum fit foramen, quod ultro diu apertum manet, per quod pus potest evacuari. Nam, si sola sectione perforatio fiat, debent ægri continuo cruciari impositis tentis ad foramen apertum retinendum, quod & calorem, & febrem, & inflammationem parit. Si simplex sectio fiat, illa debet fieri, cum novacula angusta, & acuta, non autem scalpello; quia instrumentum debet ab una parte esse obtusum. Scissio debet fieri superne deorsum, sic, ut obtusa pars cultri sit sursum: quia sic cavetur, ne vena quæ sub costa jacet, vulneretur. Et debet duci oblique secundum ductum fibrarum musculorum, nimirum versus deorsum ut sic facilius postea iterum vulnus conglutinetur. Cùm autem potentiale cauterium imponitor, tum post factam escharam sectio fieri debet: non cum novacula, sed lanceta, ad cavitatem usque: & tunc non necessarium est ductum fibrarum observare, sed præstat tectè transversaliter secundùm costas incidere. Sectio etiam facienda est, cùm æger expirat, propterea quod pulmo tunc contrahatur, & à costis recedat, & sic minus tunc tangi possit.

Sectione facta pus, aut aqua per foramen educenda sunt, sed paulatim. Nam si confestim educerentur, subitæ mortis periculum est, sicut Hippocrat. sect. 6. Aphorism. 27. & aliis libris, toties est attestatus. Tunc suppurantia, quæ crustam excidere faciant, sunt deforis adhibenda, intus verò per foramen, cum syringa, injicienda sunt medicamenta, quæ leniendi, & ad temperiem reducendi corruptas partes simul, & pus detergendi vires habent, ut sunt aqua hordei cum melle rosato, aliaque decocta detergentia. Fuit etiam alius veteribus empyicos curandi modus: scilicet ut multis crustis superficiariis, non autem in cavitatem penetrantibus, circumquaque thoracem urerent, quem docet Paulus l. 6. c. 46. Albucasl. l. 1. c. 3. & meminit Gal. l. 7. Aphor. 44. cum ex Platone Comico refert, Linesiam Evagoræ filium ab Euriphonte Medico, multis escharis inustum, fuisse curatum. Sed de illo modo nos hic non loquimur: sed tantum de tali ustione, quæ in capacitatem thoracis penetrat.

Quoad tempus paracenteseos faciendæ, illud vel est generale vel particulare. Quoad generale tempus, dicunt omnes eam in empyemate esse faciendam ante X. à puris eruptione diem: nam post illud tempus vitra ægri nimis debiles sunt, & partes thoracis corrumpi inceperunt. Unde etiam si tum paracentesis fiat, partibus sic corruptis, frustranea esset, & æque bene mors sequeretur. Monent insuper Medici ex præcepto Hipp. in Coacis prænotionibus, ut neque tum statim à puris eruptione etiam sectio fiat, sed usque ad XV diem post illam expectetur. Rationem dicunt, ut pus illud interim concoquatur, quod perpetuo post eruptionem crassescere, ac restigerati potest. Verùm puto ego & aliam rationem esse potiorem, ut interea ex propriis signis certius nobis constet, an ita pus erumpere possit, & an in thorace, & qua ejus parte sit collectum: simulque videatur, an non illud alia aliqua via à naturâ commodius sit expellendum.

Hæc generalis regula esse debet, ut nunquam paracentesis fiat, cum suspicio jam est, partes intra thoracem à pure corruptas esse. Secundò, ut nunquam fiat, nisi adhuc cum mediocriter vires ægrotantis constant: nam cùm illæ vehementer sunt prostratæ, non sunt tam magno remedio tolerando; sed æger succumbit, & moritur. *Hactenus Thomas Fienus de Paracentesi Thoracis: Plura rursus de ea videri possunt sub titulô Paracenthesis. Sequuntur jam pro Empyemate.*

Consultationes.

Pro quodam Illustri, & Nobili Iuvene Empyemate, seu suppuratione laborante.

Quisnam sit locus affectus in casu Illustris & Nobilis Juvenis apud omnes non ita constat, thoracem tamen ego secundùm cavitatem esse existimo; thoracem quidem, ut suadet spiratio valde difficilis; secundùm cavitatem, ut gravitas illa, quæ in profundo ejusdem præsentitur, necnon fluctuatio ibidem percepta, demonstrant.

Et quoniam cavitatis morbus proprius est angustia, & hæc multiplex esse solet, puto ego angustiam hanc esse constipationem factam à materia purulenta, quæ ex abscessu anginoso suppurato, atque disrupto in thoracem cecidit, nam cùm abscessus ille præcesserit, per os non fuerit expurgatus, & nunc pus cum tussi expuatur, satis apparet thoracis cavitatem dictam à pure constipari; Ex quibus, ni fallor, constat, quæ sit immediata causa constipationis, est enim pus illud, non quidem genitum in thorace, sed in partibus ipsi superioribus, occasione anginæ progressæ productum: Pus namque cum tussi rejectum thoracis actiones necessariò sequitur, expulsionem inquam, atque coctionem expulsionem quidem tantùm, quando pus in eodem thorace non generatur (sicuti in casu proposito contigit) coctionem verò simul, dum generatur in pectore, seu cavitate thoracis occasione materiæ à capite destillantis, quod in patiente nostro minimè locum habet.

Quibus ita breviter constitutis. Dico pus ut est quid à toto genere præter naturam esse eradicandum, ut crassum, & viscidum detergendum, ut acre attemperandum, ut lædit thoracem esse educendum per tussiculatia, & convenientia remedia, proportio tamen semper omnium viscerum thoracis est conservanda.

Quod autem in similibus casibus Medicus vix possit ad optatum finem pervenire, de se patet, quinimò nisi spatio 40 dierum materia hæc expuatur, actum erit; Accedit (& hoc in casu præsenti non levem timorem incutit) quod longè pejus est Empyema, ad Anginam, quàm ad destillationem subsequi; Quapropter nisi citò succurratur, imminet hectica imminetque phthisis: Quod tamen aliquid spei pollicetur, est ægri prudentia, & ætas juventutis, nec non & illud quod tota thoracis cavitas haud est repleta, sed tantum dextra ejusdem pars afficitur.

Accedens itaque ad curationem, venæ sectionem improbo, sed aliis non consentientibus judico ad thoracis perforationem in parte dextra inustione, vel sectione faciendam erit deveniendum.

Quoad medicamenta, quæ antequam chirurgus ad perforationem accedat, tentanda sunt, dico quod vel ad pus quiescens, vel motum diriguntur, si ad quiescens, jam oportet materiam attenuare, atque discutere emplastro ex radicibus altheæ, pulvere cimini, radicis ireos, & oleo liliaceo, vel ceteris convenientibus, uti est Diachylon gummatum, Diapirites, & sacrum.

At si idem pus moveatur, prout ad partes diversas movetur, diversa quoque sibi requirit medicamenta.

Si igitur ad cutim facta perforatione utendum est mulsa, & melle rosato simplici cum aqua hordei; At si ad pulmones inclinent, conveniunt oxymel simplex, scillinum, loch de pulmone Vulpis, sanum, & expectum, adjecto modico syrupi violati, vel de liquiritia, vel de farfara, propter puris mordacitatem. At si vias urinæ adeat, decoctum convenit Asparagi, fœniculi cum lacte sem. melonum, si verò ad alvum tendat, licebit uti mel. rof. sol. agarico, & clysteribus commodibus.

Quoad victum necesse est patientem cibis uti medicinalibus. Ideò pure quiescente, convenit amygdalatum, & pineatum, si moveatur ad cutim mel cum cibariis erit opportunum, si ad renes petroselinum, Asparagus, & lac sem. melonum probantur, si demum alvum petat, jua caulium, mercurialis, & pasfularum mirum in modum proderit. In materia quiescente convenit vinum odoratum, in materia verò, quæ ad Cutim movetur vinum cum melle potandum erit, in ea, quæ ad renes à vino medicato cum radicibus aperientibus non est recedendum, at tandem in materia, quæ ad alvum inclinationem habet, vinum alteratum cum feona, cum cartamo accommodatum existit. In reliquis autem quid sit agendum, unicuique ex medicis etiam trivialibus manifestum esse judico, atque ideò reliqua consultò prætermitto. Denique quàm maximè oro, ut sanitatem huic Illustri Juveni miserè laboranti concedere ne dedignetur. *Julius Cæsar Claudinus in Consultationib. Medicis.*

De Pleuritide in Empyema degenerante. Pro Reverendiss. Vestali Abbate.

Reverendissima & Religiosissima Vestalis Abbas, ætatis annorum 54. temperamenti calidi, ad humidum vergentis, destillationi obnoxia pituitosæ materiæ à capite ad varias corporis partes, cujus ratione antehac dolores articulares passa est, duobus abhinc mensibus febricitare cœpit, febrisque singulis diebus habebat annotationes quolibet tertio die sibi respondentes, eum levi quadam extremorum refrigeratione; ac deinde incalescentia, vigiliis, & capitis gravitate: cui quarta die supervenit dolor gravis in thorace respirationi molestus, eum difficili decubitu in utrumque latus, tussi, eum excretione materiæ pituitosæ & aliquando cruentæ, urinis crassis, & pulsu oppressione adeò gravis, ut vix percipi posset motus diastoles: quibus accesserunt animi pathemata, & palpitatio cordis. De agendis propterea consulit.

Quocirca in consultationem acciti, contrectatis visceribus naturalibus, exacerbatoque dolore ad compressionem partium utrinque sub costis mendosis, in eam sententiam deveni, quod laboraret inflammatione spuria septi transversi, cùm Ipsius Medici clinici, aliique contrarium tuerentur, febre scil. mali moris eam detineri; quæ causa fuit, cur tunc, & antea plurimis cardiacis usi fuerint, atque vesicantia infernis partibus applicuerint, lenita alvo, & præparatis humoribus, sanguineque misso ex salvatella. Ego verò obfirmatus in prima mea sententia, eclegmata præscribenda duxi ex syr. de farfara, acetoso simpl. syr. de hyssopo; atque in dies dolore utrinque invalescente, præscriptum fuit ol. amygd. dulc. ad ℥v. cum ℥ij. syr. acet. simplicis, à cujus usu, remittente dolore, cum sensu majoris gravitatis, & difficiliori decubitu in latus dextrum, suspicatus sui inflammationem in abscessum murari in sinistra parte pleuræ, qua pertingit ad costas mendosas: ac propterea præscripto acti clystere, quod ob virium imbecillitatem dejectoria per os sumpta ferre non posset, moxque fomento parti affectæ ex flor. chamæm. rad. alth. seminib. lini, & melilotο, in vino albo generoso manè, & vesperi, cum spongia calida applicato, dolor remisit hucusentius, ita ut decumbere posset in utrumq; latus, pulsus invaluerunt, cordis palpitatio, febrisque remisit, gravitate tameo in parte affecta persistente. Lambitivum propterea validius fuit præscriptum, ex oxymelite scillitico, ut & cardiacum, Mithridatica nempe confectio, quam bis sumpsit; ac tandem validiori tussi excitata, abscessuque disrupto, expuere cœpit materiam purulentam, cum quibusdam sanguinis notis: atque ita præsens affectus in empyema degenetavit. Quare tunc eò collimavit consilium nostrum, ut expurgaretur materia illa, prænunciato Hipp. prognostico 5. Aph. 15. quod *quicunque ex morbo laterali Empyi fiunt, si 40. diebus purgantur, à qua die fit disruptio, liberantur; alioquin ad tabem transeunt.*

Expurgari autem debet sensibiliter, vel per partem affectam, vel per urinam, vel per alvum, vel per os, & sputum. De evacuatione per partem affectam, thoracem, scil. locutus est Hippoc. 6. Aph 27. cum dicit: *Quicunque empyi uruntur, aut secantur, si totum pus confertim effluat, omnino moriuntur.* Ex quibus patet, quod educi potest, vel per ustionem, vel per sectionem. Ad alterutrum tamen tunc tantum deveniendum esse ait Gal. in commento, quando nulla est spes materiam evacuandi per oa, adestque maxima difficultas respirationis, cum periculo suffocationis, In hoc solo casu hæc operatio administranda. Verum in præsenti, quum levior sit spirandi difficultas, quam ante suppurationem, viresque sint robustiores, ideo ipsa supersedendum erit, quin potius procuranda esset prædictæ materiæ expurgatio; vel per vias urinę, ut non rarò fit, Galeni testimonio 6. de Loc. Aff. 4. cui subscripsit Paolus Æginera, & Ætius, cum Recentioribus, facta nempe ipsius transmissione per ramum venæ sine pari insertum sub diaphragmate in venam cavam propè emulgentes, per quam pus ad urinas permeare potest, ut inquit Fallopius; non verò per venam arteriosam ad dextrum cordis ventriculum, hincque in venam cavam, jecur, & renes, ut asseruit Mesue; valvulę namque venæ cavæ in corde admittunt quidem in ipsum materiam, non autem ejusdem ab eo effluxum ad jecur: per alvum itidem expurgari potest prædicta materia, vel per ramos venæ portæ diaphragma perreptantes à quibus per venam portæ ad intestina, & alvum patet via, ut asseruit Gal. 6. de Loc. Aff. 4. vel tandem per os, tanquam per locum omnium accommodatissimum, ut optimè observar Gal. 5. de Loc. Aff.; & sæpius expe iemia comprobatum est. prout contigit Reverendiss. nostrę Patienti, quę singulis diebus extussiit 8. libras, & quod excedit, purulentæ materiæ; cujus rei causa nos quoq; eclegmata præscripsimus parata, ex syr. de farfara, de liquiritia, looch de pulmone vulpis, de caulibus, radicibus Ireos & feminibus ervi pulverizatis, syr. acetoso simplici exceptis.

Præscripsimus in primis victum detergentem, & humectantem, cremorem hordei integro cortice. Potus loco mulsa fuit dilura aqua hordeacea, cum coriandris præparatis. Atque ita Divina juvante clementia spatio 40. dierum curata fuit. *Bened. Silvatic. Consil. & resp. Medic. Cent. 2.*

De Empyemate ex vulnere thoracis. Pro Notabili Cretensi.

Nobilis Cretensis annorum 30. temperamenti calidi quoad jecur, & totum corpus, frigidi & humidi quoad caput, sub cœlo nocturno sæpius moratus, compotationibus & comessationibus deditus, atque incompositissimè se gerens in omnibus sex rebus non naturalibus, tribus abhinc annis, & quod excedit, gravi dolore correptus fuit in regione mamillæ dextræ, gravitatemque sensit in occipite, cum aliqua

imbecillitate

aliqua imbecillitate motus corporis. His forceffit tuffis, fpirandi difficultas, & expuitio cum tuffi pituitofæ materiæ novem menfium fpatio: quo tempore pugione confoffus fuit in læva parte thoracis, inter quintam, & fextam coftas, à fuperioribus, vulnere fpirham in penetrante, inferiora verfus, & dorfum, cum aëris exfufflatione per foramen, fanguinifque excretione per fputum: cui paucis poft diebus obducto acceffit febris, cum ingenti æftu, magnaque fpirandi difficultate, & tuffi, atque excretione fanguinis grumofi, cum pure, & quidem fœnceri, graveolentis, 30. menfes continuos. Foramine deinde p refacto anno poft, ex eo valida exfufflatione, & tuffi excernitur pauca puris copia, perfeveratque ejufdem excretio fingulis diebus per tuffim; ad libram. Propterea P. tavium fe contulit, & de agendis confulit.

Tria itaque in cafu præfenti inquirenda veniunt, fuppofito, vulnus penetraffe ad cavitatem thoracis, p out patet ex præterita exfufflatione, & fputo cruento tunc apparente. Primum eft, quænam partes thoracis fint affectæ. Secundum, an pulmones fint exulcerati, cujus rei fufpicio eft Tertiò confiderandum de agendis, pro præfentis affectus curatione. Et non immeritò quæritur primò, quænam partes thoracis fint potiffimum affectæ, cùm in thorace contineantur pulmones, cor, cum pericardio, & feptum tranfverfum. De fingulis harum partium dubium effe poteft. Exiftimo tamen pulmones affectos quidem fuiffe antehac ex defluxu materiæ pituitofæ à capite, non folùm ad mufculos thoracis circa mamillam dextram, ubi dolorem; nec ad occiput tantum, & principium nervorum, ubi gravitatem, & motus imbecillitatem induxit; fed etiam ad pulmones, ubi fpirandi difficultatem, & tuffim excitavit, cum excretione materiæ per tuffim. *Morbum enim oftendit fanatio.* Verùm quod ex vulnere læfi fint pulmones, verifimile non eft. Tunc enim major fanguinis copia, & ipfius quidem fpumofi fuiffet excreta: qualis non apparuit, ex medici curantis fide. Secundò, facta fuiffet inflammatio in pulmonibus, indeque febris ftatim fe prodidiffet, eaque perfeverans. Tertiò fucceffiffet ulcus, ac deinde phthifis. quæ non apparent 30. menfium fpatio, quo robuftus permanet. Præterquam quod fitus loci affecti eft declivis, in quo non rarò fit paracentefis in empyemate, abfque ulla pulmonum offenfa. Minus fufpicandum eft de effentiali cordis labe. Succeffiffet namque procul omni dubio lipothymia, palpitatio & fyncope, nec tamdiu fuperftes fuiffet. *Cor namque vifcus omnium princeps diu tolerare non poteft graves affectus*, ut afferuit Ariftot. De fepto tranfverfo gravior incidit fufpicio, cum vulnus vergat ad inferiora, atque difficilior facta fit refpiratio. Verum tamen neque feptum tranfverfum vulneratum fuit. Inflammatio namque, delirium, major fpirandi difficultas, & motus aliqui convulfivi neceffario fupervenifient; quemadmodum contigit Theoni in obfidione circa Datum fagitta in pectore percuffo, ab Hippoc. defcripto 5. Epid. Hift 93. cui ftatim fucceffit rifus tumultuofus, five Sardonius, & tertià convulfus obiit: quorum neutrum apparuit. Quod fi febris acuta, fpirandi difficultas acceffit, hanc habet caufam: quia obducto vulnere & expurgata materia, decumbens hæ ad feptum & putrefcens prædicta induxit mala. Quare ftatuendum cenfeo, vulnus penetraffe in cavitatem thoracis, ibique fanguinis copiam fuiffe collectam, ob intempeftivam vulneris curationem, neque inde expurgari potuiffe, patefacto licet foramine, atque immiffa fiftula argentea perforata: quoniam foramen illud fuit altius quàm pæc erat, adeoque neque valida exfufflatione, & tuffi excerni potuit; Et proinde tranfmiffa ad pulmonea materia per fputum fuit excreta, jugiterque copiofa excernitur, ob confluxum humorum ad partem affectam, ubi putrefcunt, ideoque & patiens ipfe obfervat eandem materiam per tuffim inde expurgari, non fine continuo aliquo murmure. Cùm autem triginta menfes ferè continuos fluxerit hæc materia ad pulmones, non fine ratione dubitare licet, & de pulmonum erufione, & exulceratione. Si enim exulcerari poffunt à catarrho falfo, potiori ratione à pure corrupto, & fœtido id fieri poteft, cùm aliquando phthifis fiat ex purulenta materia, abfque fputo cruento, aut catarrho falfo, ut afferuit Galenus. & experientia fæpius comprobatum fuit. Exiftimo nihilominus in cafu præfenti non effe exulceratos pulmones. Febris namque continua effet, à qua tamen menfibus elapfis erat immunis; corpus effet extenuatum magis, viresque longè imbecilliores. Quare fum in ea fententia, quod fit potius empyematicus, ex collectione puris in thorace, quàm phthificus ex ulcere pulmonum.

His fic habentibus, quoad effentiam, & caufas præfentis affectus, non defperandum cenfeo de falute patientis; quamquam affectus fit antiquus nec dum fanatus. Virium enim robur Indicat calidum innatum validum effe, atque poffe materiam peccantem evacuari, ac deinde ulcus fanari.

Quod ut fiat, tria occurrunt agenda: primò materia in thorace ftagnans eft evacuanda, cùm per locum declivem magis affectæ partis, tum per vias urinæ, tum & infenfibiliter per digerentia. Secundò divertenda eft materia confluens ad partem affectam: & tertiò pars affecta exficcanda, confolidanda, & roboranda.

Primæ intentioni fatisfiet potiffimùm per foramen patefactum in loco declivi ejufdem partis; fecundò per aquas noftras Thermales Aponitan s, detergentes exficcantes, & materiam ad vias urinæ comportantes, fumptas ad ℔ vi. fingulis matutinis horis, cum fpiritu vitrioli; & tertiò potione vulneraria, à Pareo defcripta in fua magna Chirurgia. Secundam implebunt cauterium dextro brachio inuftum, pro majori diverfione à parte affecta. Frequentes item alvi fubductiones; Caputpurgia per os, & nares: & tandem decoctum paratum ex ligno Indico, falfaparilla, vifco quercino, & ligno rhodio, cum radicibus confolidæ, rubiæ, plantaginis, & betonicæ. Tertiò ex ufu erunt mulfa injecta cum fiphone, pro detersione; pulveres exficcantes injecti, & balfamica medicamenta. Quorum beneficio patiens Nobiliffimus priftinam fanitatem recuperavit, ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei. *Idem ibidem.*

Empyema à Pleuritide.

Reverendiffimus Canonicus annorum triginta feptem circiter, temperamenti totius calidi & ficci, fervidi jecoris, humidi capitis, gracilis habitus & proceræ ftaturæ, dum fanus tuti vitam agebat, menfe Octobris proxime præterito, fub nona die extemporaneo lateris finiftri dolore io regione coftarum legitimarum correptus fuit, prægreffa tantummodo eadem die in prandio inappetentia, fequutis vero horroribus inæqualibus, cum tuffi & difficili refpiratione acutaque febre. Et cum dolor ifte perfeveraverit, tertia die in curfu decumbens ad Urbem fe contulit, ubi ab Excellentiffimis Medicis languis ex brachio lateris affecti, præmiffo Clyftere, detractus fuit: & congrua præfcripta tenui victus ratione, pectorales unctionea & lambitiva, temperata prius & concoquentia, in ufum ducta fuere; Quibus tamen non fufficientibus, dolore perfeverante, iterum præmiffo Clyftere die fexta repetita fuit ex altero brachio fanguinis miffio: imo & die feptima hirudinibus ex venis fedalibus

fuit rursus sanguis extractus, cognita nimirum ab Excellentiss. Viris inflammatione interna: Die vero sequenti puris effusio à secuta intus in latere ruptione ab ipsomet Patiente percepta fuit, cum successerit in eodem latere fluctuatio, & materiæ graveolentis ac purulentæ per tussim excretio, non sine catarrhali copioso à capite defluxu. Quibus omnibus ita perdurantibus, tenui victu à Medicis multis diebus præscripto, Expectorantia plura & varia administrata sunt: quinimo & Exiccantia atque insensibiliter digerentia, necnon per urinam ducentia: parata namque fuerunt Julapia, decoctione prius facta radicis chinæ, salsæ, visci querc. & lentisci aliorumque pectoralium ingredientium, & Terebinthina exhibita: sic aliæ confectiones ac lambitiva. Verum hucusque, nempe ad vigesimam secundam usque Novembris jam administrata non satis profuerunt, cum perseverent sputa purulenta & fœtida, cum macie & insensibili febricula. Verum tamen est quod postquam paucis adhinc diebus paulo pleniorem victum Excell. Viri concesserunt, cum exigua quoque vini portione, Reverendissimus Patiens vires reassumpsisse visus est, ita ut & stare & per cubiculum parumper deambulare possit. Sed à fœtido sputo liberari cupiens de agendis consulit.

Affectum lateralem, eumque pleuriticum fuisse primum dolorem, propter inflammationem ejusdem Pleuræ, & forsan etiam internorum musculorum, ut à Viris Excellentiss. judicatum fuisse ex Curatione aptissime præstita conjicio, ita talem eundem & ego confirmo; Contigit tamen Reverendissimo Patienti quàm citissima suppuratio, octava die scilicet, forsan quia fervidissimus fuerit sanguis: calor uterque, naturalis scil. & præter naturam validus, nec forsan sputa (de quibus in relatione nulla mentio facta est) inflammationis minorativa apparuerunt. Supporatæ autem atque disruptæ inflammationis purulenta materia inter pulmones atque thoracem contenta, affectum empyematicum produxit, dum per sputum antea exporgata non fuit: cujus qualitas sicut abunde patet, dum purulenta apparet, & fœtida à Patiente percipitur, ita quantitas mihi non innotescit, cum de fluctuatione, de difficili decubitu in latus oppositum, nulla mentio fiat. Verum tamen est quod quantacumque fuerit, nisi in quadraginta diebus post eruptionem exporgata fuerit, in Tabem incidere Patientes pronunciavit Hippocrates, cum à pure ipso pulmones inficiantur, & aut erosione aut fraciditate afficiantur. Quare cum hodie quadragesima tertia dies à ruptione transiegerit, de Tabe incipiente dubitandum est. Et quamvis Supputari, sive Empyematici quandoque etiam à catarrhali materia à capite defluente fieri possint, hæc tamen causa in casu nostro locum non habet, tum quia præcessit dolor lateris inflammatorius, tum quia eo modo nonnisi diuturno tempore fit, & tandem quia catarrhalis à capite destillatio octava tantùm die successit. Et ideo verum atque legitimum pus quod ab inflammatione emanavit, in thorace contineri credendum, cui tamen aliquam catarrhi portionem associati posse non est prorsus negandum. Et quamvis Patiens Reverend. infebricitantem seipsum existimet, hoc tamen impossibile censeo.

Medica intentio potissima in hoc statu debet esse, puris quàm celerrima evacuatio, quæ tanquam per viam regiam, per tussim & per sputa perfici solet: quamvis enim Galenus asserat se vidisse pulmonis vomicas per urinam expurgatas, rejecto nempe pure à pulmone quidem per lævam arteriam ad sinistrum cordis ventriculum: à corde autem per arteriam magnam ad renes: atque illinc tandem per ureteres ad vesicam; tali tamen censendi sunt hujusmodi casus, sicut impossibiles apud Matthiolum atque Fernelium: Ille enim contra Galenum affert, quod ex materia purulenta & fœtida cor ad Syncopen duceretur: iste verò ait, quod unà cum pure sanguis quoque per urinam educeretur. Verum neutra objectio tenet: non prima, quia syncope sequeretur, si in corde materia ipsa diu hæreret: nec secunda, quoniam expultrix facultas pus expellit, & retentrix sanguinem retinet. Sed revera modicæ materiæ in thorace existentis per sputum expurgatio tentanda: sicut copiosa, sectione aut ustione educenda, ut monet Hippocrates: coque audentius, cùm affecta pars sit sinistra, in qua sectio minus periculosa evadit. Sed pro hac operatione observandum Hippocratis monitum, dicentis quod Hydropicos citius secare oportet. Tabescentes verò statim urere. Quartus quoque modus pro materia purulenta absumenda à nonnullis tentatur, Decoctis nimirum insensibiliter digerentibus & exiccantibus, sed incassum semper, si materia copiosa: & frequenter, si etiam exigua fuerit.

Quibus intentionibus propositis & consideratis, exigua existente materia, per regiam viam, nimirum per sputum erit educenda; At si fluctuatio in latere manifesta percipiatur, & decubitus super latus oppositum difficilis Patienti evadat (copiosæ materiæ indicium) tunc satius erit anceps remedium experiri, quàm Ægrum ipsum certæ Morti relinquere. Interim totis viribus materia per sputum evocanda Lambitivis jam præscriptis: quibus addi poterit oleum sacchari & grana butyri, sive guttulæ aquæ sulphuris. Oxymel quoque parabitur, facta maceratione hyssopi, prassii, enulæ camp. & ireos. Efficacissimum quoque expertum Lambitivum hujusmodi.

℞. Hyssopi, prassii, pulegii, calamenthi an. pug. j. liquiritiæ, iridis, scillæ, helenii, nucleorum pineorum ao. ℥ ß. biduo macerentur in aqua tussilaginis & aceto, mox expressioni addatur mellis opt. q. s. ad oxymel. consistentiam. Extrinsecus quoque Discussorium optimum parabitur ex farina lolii, bitumine, addito pulvere iridis, & baccarum lauri, omnibus lixivio dulci reformatis.

Quod si placeat materiam ipsam ad vias urinarias ducere, usus Terebinthinæ aptissimus erit cum succo liquiritiæ condensato; cui potio superpræbeatur ex decoctione chinæ, salsæ, exiguo sassafras, radice fœniculi & apii parata: ita enim unum facere, & alterum non omittere, non inutile erit. Et si dabit Deus, ut materia purulenta tota aliquo ex jam dictis modis excernatur, & Reverendissimus à Tabe præservetur, Vere vertuto pulmonem laxitas corrigi poterit potu aquæ nostræ sulphureæ Aponitanæ.

Præscriptis autem omnibus congrua erit addenda vivendi ratio: cibos acres & salitos concedendo: Vini albi tenuis & subdulcis potum in mensa permittendo: & mulsam iteratam pro frequenti oris collutione parando: cæteraque omnia præscribendo, Viris Excellentissimis perquam nota: quibus notissimam quoque hujus casus angustiam esse existimo. *Raym. Joan. Fortis Consult. & Respons. Medicin. T. 2. Cent. 1.*

Empyema & Phthisis.

Admodum Rev. Pater annorum quadraginta quinque, temperamenti totius biliosi & subsanguinei, capitis calidi & humidi, destillationibus obnoxii; duobus jam mensibus ex improviso sanguinis copiam, non sine aliqua purulentia, tussi excernere cœpit, prægressa multo tempore tenui & salsa à capite destillatione cum perenni faucium siccitate. Accersitus Medicus statim missionem sanguinis jussit, victusque rationem refrigerantem & humectantem instituit, ptisanam scil.

scil. hordeaceam, & Malvæ succum depur. pro syrupo alterante. Et cum sanguinea & purulenta excretio perseveraverit, quamvis minori copia, unà cum febrili alteratione à Patiente non percepta, & insigni macie totius corporis, decrevit Excellent. Medicus usum lactis instituere: cujus tamen usus potius molestus erat, ut ideo lacti substitutum fuerit Decoctum in jure pulli paratum radicibus graminis, foliis malvarum, cich. borag. violarum, seminibus melonum, addito cochleari tart. albi; quibus parum aut nihil cessit affectus: quotidie namque purulenta atque cruenta materia excerni non desiit. Quare in eadem victus ratione insistendo, Balneum aquæ dulcis aliquot diebus administratum fuit, sine tamen Patientis tolerantia, imo cum virium diminutione; & idcirco hoc quoque remedium genere omisso, & victus ratione refrigerante & substantifice humectante præscripta, ab eodem Excellentissimo Medico quid agendum quæritur, & à Patiente Admodum Rev. enixè expetitur.

Empyema duorum mensium ab Excellentiss. Viro in relatione descriptum, sanationem admittere non potest, si Gal. & Hippoc credimus: etenim sicut Pleuritici non expurgati, suppurantur: suppurati verò, si quadraginta dierum spatio post erupt onem non expurgentur, ad Tabem transeunt, cum post jam statutum tempus pulmonum substantia non amplius illæsa servari possit, ut propterea febricula non hectica tantum, sed phthisica quoque necessario supervenìat; ita cum jam sexagesimus dies præterierit, quo sanguis unà cum purulenta materia per tussim à pectore excretus fuerit, & quotidie usq; in hunc diem excerni perseveraverit, idcirco Tabem sive Phthoem jam subsecutam esse credendum. Sed præterea cunsideranda sanguinis excretio post diuturnam tenuem, & saltam à capite in pulmones destillationem, quæ non solam flacciditatem & frigiditatem pulmonum, sed erosionem quoque, diæresim & ulcus excitare potuit, sicq, non tantum Phthisim secundam ab Hipp. descriptam, sed primam quoq; Phthisim ab eodem recensitam constituit, præter Empyema quod à catarrhali destillatione in thorace paulatim collectum fuit, ab Hippocrate ipso descriptum.

Quibus ita se habentibus, cum Admodum Reverendi Patris affectiones præter naturam longè superent Artem ipsam, remedia nonnisi ad vitam producendam, nullo modo ad salutem recuperandam proponi possunt. Et quoniam ex una parte purulentia, necnon catarrhalis materia medicamenta exiccantia exigunt: ex altera verò febris & totius corporis gracilitas expetunt humectatoria; idcirco unum facere, & alterum non omittere oportet, ut vitam protrahamus, urgentiori semper incumbendo. Et ideo usum lactis Asellæ bene nutritæ confirmo; & præterea Emulsiones in eandem intentionem, seminum melonum mundat. amygdalarum dulc. nucleorum pineorum, in jure cum saccharo; Item cames pullæ junioris; imo parentur Morselli ex eadem carne nucleis pineis, pistaciis, cum saccharo & exigua aqua flor. citri. Pro potu verò vinum album dulce, tenue & oligophorum: non omittendo quotidianas universi corporis inunctiones oleo amydalino recenti. Pro altera verò intentione, in usum ducenda erit radix Chinæ, ita ut quatuor aut quinq; ejusdem incisæ taleolæ unà cum carne semper ebulliant: imo & in vino quoq; pro potu infusæ detineantur. In cœoa præbeatur ferculum Saxoniæ, cui addatur China ipsa in pollinem redacta. Interim materiæ purulentæ expectoratio semper adjuvanda Lambitivis paratis ex Oxymelite, æqua portione sacchari & mellis Hispanici, cum aqua farfaræ & globulo pulveris ireos composito. Aptissimum quoque erit Lambitivum ita paratum.

℞. Julap. acet. syr. de Ibisco, olei de saccharo an. ℥j. m. Nec omittendæ pectorales inunctiones.

Ut ℞. Unguenti malvini, adipis Anseris, an. ℥j. ol. lil. alb. amygdalarum dulc. an. ℥ß. pulv. ireos Florent. ʒ ij. m. reformetur. Et hæc sunt quæ in hujus status angustia adducere potui, cum efficaciora ut essent, Decocta exiccantia, Terebinthi usus, & sulphurata alia medicamenta nec admitti, nec tolerari possint: ut propterea nec à Viro Excellent. Aditanti administrata, minusque proposita fuerint. *Idem ibidem.*

Juvenis 26. annorum, post vulnus, in pectoris cavitatem penetrans, consolidatum, jam ab aliquot mensibus ad summam maciem redactus, pus quotidie expuit; magnumque dolorem in illo pectoris latere, ubi vulnus fuit inflictum, sentit. Tumor etiam, quatuor digitis à vulneris cicatrice distans, ibidem inter costas observatur, liquorisque alicujus fluctuatio ibi digitis percipitur. Vigiliæ ipsum magnopere affligunt. Febris adest, quæ hecticam refert. Nec in lecto erectus sedeat, præ respirandi difficultate suffocari metuit.

Afficitur in hoc ægro totum corpus, quod ex ejus summa macie: item pulmo, quod ex puris sputo & respirandi difficultate: nec non pleura & musculi intercostales, quod ex dolore lateris, ejusque tumore: præterea etiam cerebrum, quod ex vigiliis: ad hæc quoque cor, quod ex febri est manifestum.

Morbus, qui ipsum affligit, est cavitatis thoracis; à pure, in ea collecto, nimia angustatio; quæ è puris illa collectione, angustiam cavitatis thoracis faciente, Empyema vulgo appellatur.

Causa prima hujus morbi fuit vulneris, in pectoris cavitatem usque penetrantis, inflictio; vulneris verò consolidatio, ante justam sanguinis è pectore evacuationem, & vasorum vel pororum, sanguinem in cavitatem thoracis emittentium, justam conglutinationem facta, pro secunda ejus causa, est habenda; sanguis autem post intempestivam vulneris consolidationem in pectore retentus, & per vasa pectoris læsa in cavitatem ejus descendens, eamque replens, ibique in pus conversus, partes ue vicinas vitians, tertiam & continentem, proximamque hujus morbi, ejusque symptomatum constituit causam.

A copia enim ipsius sanguinis, in pus conversi, in cavitate thoracis collectione, facta fuit magna cavitatis thoracis angustia, justam pulmonum expansionem impediens; *respirationemque tam difficilem inducens, ut jam æger, nisi erectus sedeat, suffocari*, à magnâ copiâ puris, (jacentes pulmones magis, dum illud sursum attollitur, quàm eos ex aspera arteria, in erecto corporis situ, pus deorsum pellente, recta sive perpendiculariter dependentes, prementis & gravantis,) metuat.

Qua autem jam, ab aliquot mensibus, pus illud pulmonum sanguinisque, per os perpetuò transeuntis, temperiem vitiavit, eumque ad corpus nutriendum ineptum reddidit, & pulmonum poros, imo ipsa eorum bronchia, ingressum est, ac cordis ventriculis sese insinuavit, temperiemque malignam Ipsius parenchymati impressit, ac membranam pleuram & musculos intercostales suâ actimoniâ pungit, & jam ab aliquo tempore corrosit, hinc, *summa ægri macies cum hectica febri & magnis vigiliis conjuncta; dolorque in pectoris latere molestus; item puris sputum, tumor etiam inter costas, circa vulneris cicatricem, cum liquoris fluctuatione perceptibilis, originem duxerunt.*

Morbus hic periculosissimus est, propter febrim hecticam referentem, puris sputum, & summam maciem, quæ summam pulmonum & cordis arguunt

corruptelam. Quia tamen experientia docet, nonnullos, ita affectos, fuisse sanatos, ideoque Curationem etiam tentandam censeo.

Eaque in poris evacuatione, per apertum thoracem facienda; ulceris mundatione, & consolidatione, & intemperiei pulmonum, per contraria, correctione, consistet.

Quàm primum itaque pectus, circa locum tumoris, scalpello aperiatur, & pus ad quantitatem libræ vel sesquilibræ, pro ratione virium, & sequentibus diebus quotidie paulò minus, educatur, donec totum pus evacuatum fuerit. Partitis autem vicibus educendum pus, ne conferta ejus evacuatio spiritus subito effundat, & ita ægrum valde debilitet, vel enecet.

Pure evacuato, & ulcere mundato, ejus consolidatio erit, more solito, procuranda: quæ ut felicius procedat, tali æger ab aperto thorace, utatur decocto vulnerario, sanguinem purgante, ulcera detergente, & putredinem inhibente.

℞. Herb. saniculæ, bugulæ, Scabiosæ, betonicæ, Hyperici, card. bened. pilosellæ, pimpinellæ, vincæ pervincæ, agrim. plantag. an.m.j. flor. cord.p.j. coq. in hydromelite ad ℔ j. f. & colentur pro apozemate, de quo sumat æger ℥ vj. bis in die.

Ex hoc eodem decocto poterunt fieri injectiones, in cavum thoracis injiciendæ, ad puris evacuationem, & detersionem, & ulceris consolidationem, promovendam.

Victus ratio sit siccans, attenuans, & abstergens. Ideoque cibi condiendi hyssopo, fœniculo: utiles amygdalæ dulces, pineæ, &c. Abstineat æger à leguminibus. Potus conveniens est hydromel, præcipuè hyssopo conditum, item aqua hordei, vel cerevisia saccharata. Vinum obligopborum etiam concedi potest; nisi febris sit magna. *Henric. Regius apud Theodor. Craanen. Medica tionum lib.* 2.

Pro Empyemate Consultatio.

Viro quadragenario, gravi sinistri lateris pleuritide detento, remedia non ante tertium diem fuerunt adhibita, quibus postea morbus imminutus non est, sed ultra decimum quartum diem excurrit, febre aliisq; magnis symptomatibus comitatus. Ab eo tempore dolor multum imminui, febris mitior fieri, & ponderosa gravitas in latere affecto ad costas sentiri cœpit. Circa vigesimumquintum diem, febre jam valdè parva existente, cum exiguo dolore, molestam gravitatem, ad sinistrum maximè latus diaphragmati incumbentem percepit æger, & si ab uno in alterum latus se repente devolveret, humorem aliquem defluere sentiit, cujus etiam fluctuatio in motu corporis antrorsum manifestè obaudiitur. Adjungitur tussicula sicca, qua nihil effatu dignum exspuitur, respiratio difficilis est, imprimis si in latere dextro decubitus fiat. Æger anxius & debilis est, facilè & sæpe sudat sine levamine ciborum fastidio tenetur, & magis potum quàm cibum desiderat.

1. Affligitur Æger *Empyemate, quod est puris in thoracis cavitate collectio.*

2. Dignoscitur hic affectus, partim ex signis præcedentibus, partim ex præsentibus. Præcedentia signa sunt, quod pleuritis præcesserit, quæ ante decimumquartum diem non est imminuta: quod postea dolor cum febre imminui cœperit sine manifesta aliqua evacuatione per sputa, atque hinc gravitas ponderosa ad costas in latere affecto percepta fuerit. Præsentia sunt, quod molesta gravitas diaphragmati incumbat, & in devolutione corporis fluctuatio humoris in pectore sentiatur & obaudiatur: quod irrita tussis adsit, cum difficili respiratione, anxietate, debilitate, & ciborum fastidio.

3. Causa collectionis hujus puris fuit, membranæ pleuræ & musculorum mesopleuriorum inflammatio mutata in abscessum, è quo rupto, pus illud in thoracis capacitatem delapsum est, cumq, per diaphragma nullus ei daretur transitus, nec per pulmonem commodè evacuaretur, ibi detentum & cumulatum est.

4. Quod per sputa pus non fuerit evacuatum, factum est 1. Quia procul dubio hujus ægri pulmo lateri affecto firmiter non adhæsit, ut in multis contingit, in quibus è rupto abscessu pus facilè in pulmonem annexum eructatur. 2. Quia pus in cavitate thoracis contentum, ob suam crassitiem, poros membranæ pulmonem investientis subire sicque pulmonem ingredi non potuit. 3. Quia fortè pori hujus ægri pulmone angustiores sunt, ita ut hujusmodi crassiores humores non admittant.

5. Dolor cum febre imminutus est, inflammationis acri materia jam in pus conversa, & sic mitiore reddita: cujus puris magna quantitas membrana adhuc conclusa, ad affecti lateris costas ponderosa gravitate molestiam exhibuit. Tandem circa vigesimumquintum diem, rupto apostemate in thoracis cavitatem effluens, molesto pondere diaphragmati incubuit, ejusque in corporis commotione, manifesta fluctuatio percepta est. Ejusdem etiam pondere depressum diaphragma non satis liberè movetur, hinc difficilior fit respiratio, imprimis si lateri sano incumbat æger, tum quippe, præter diaphragma, etiam dexter pulmonis lobus à puris cum mediastino incumbentis pondere comprimitur.

6. Tussicula procedit à vellicatione, pulmonis exteriori tunicæ ab acrimonia puris illata. Hacq; nihil ferè exspuitur, quia materia irritans extrinsecus pulmonem attingit, nec ejus quicquam bronchia ingreditur.

7. Æger anxius est ob impeditam respirationem. Etiam debilis, quia ab acuto præcedente morbo vires admodum sunt prostratæ, unde quoque facilè & sæpe sudat sudorem symptomaticum. Ventriculo autem eandem ob causam, unà cum hepate, valde debilitato, ejus coctio imbecillis, & appetitus dejectus evasit, hincque cibi fastidium processit: adde quod etiam pus diaphragmati incumbens, stomachum ei annexum languidum faciat. Potus tamen magis desideratur quàm cibus, ob aliquam sitim à permanente febricula excitatam.

8. Affectus hic periculosus est. 1. Quia respiratio læditur. 2. Quia subsequitur acutum morbum qui vires admodum imminuit. 3. Quia pus in thoracis cavitate conclusum sponte nusquam commodè evacuari potest, nam quæ per sputa, vel utinas nonnunquam fit excretio, illa adeò rara est, ut ex sexcentis vix uni contingat. 4. Quia si pus dicto loco diutius subsistat, putrescet, hicq; pulmonem ei innatantem corrumpet, febresq; augebit. 5. Si curatio per medicamenta exhibita instituatur, incertum erit de felici eventu, quia pus è thoracis cavitate per purgantia non potest educi, & per alterantia difficulter in pulmonem impellitur. 6. Si ad chirurgiam deveniendum sit, illa etiam non vacabit periculo. Interim tamen quia febris exigua est, vires adhuc mediocriter constant, atque conveniens adhibita medela multos hujusmodi ægros servavit, non est omnino desperandum, sed curatio quamprimum instituenda, quippe quo diutius malum protrahitur, eò magis vires collabuntur, & affectus periculosior evadit, nam corrupto tandem pulmone facilis fieret in phthisin transitus, juxta 5. *Aphoris.* 15.

9. Præmissa igitur clementi evacuatione alvi, mox ad expectorantia devenire suadet tussicula. Sic enim tentandum anne pus per illam viam possit educi, ope talium medicamentorum, quæ partim pulmonis poros laxant & dilatant, partim pus ad faciliorem in istos poros ingressum præparant.

10. Hunc

10. Hunc iu finem præscribendum tale apozema.

℞. Radicum helenii unc. j. iridis florent. drach. ij. glycyrrizæ rasæ, unc. ſ. herb. hyſſopi, praſſii albi, capilli Veneris, violariæ, ana m.j. braſſicæ rubræ m.ij. sem. anisi drach.ij. ſ.4.frig. maj. ana drachm. j.ſ. passularum mund. unc. iij Aquæ q.ſ. fiat ſart. apozema ad lib.j ſ. cui admiſce, ſyrupi de praſſio, de hyſſopo, oxymelis, ana unc.j. dentur tres quatuorve doses de die.

Per intervalla lambat æger hunc linctum.

℞. Syrupi de praſſio, de hyſſopo, de jujubis, ana unc.j. croci pulveriſati ſcrup.j. miſce, fiat linctus.

Terebinthina cum vitello ovi in aqua hordei ad cremorem redacta & ſaccharo dulcorata, plurimùm quoque proderit. Neque horum medicamentorum aliqualis calor propter febrem valde extimeſcendus eſt, quia febris exigua eſt, & cauſæ ejus major ratio habenda eſt, utpote qua ſublata, facilè evaneſcet febris.

11. Si his & ſimilibus medicamentis æger ſpatio duarum ſeptimanarum ad puris excretionem non deveniat, ab eorum uſu vix quicquam ſperandum eſt, ac proinde, antequam longiore mora vires magis concidant, & pus corruptelam contrahat, eamque pulmoni imprimat, citior illius evacuatio molienda eſt per Chirurgiam.

12. Igitur in latere affecto, infra axillam, inter quintam & ſextam coſtam, thorax uſque ad interiorem cavitatem cultello perforandus eſt (cavendo læſionem pulmonis, ut & arteriæ, venæ ac nervi intercoſtalis) foramini non valde lato, ſed tali tamen quod tubulum argenteum cavum admittere poteſt, qui facta inciſione ſtatim immittendus eſt, & ita ligandus ut ſponte excidere non poſſit; anteriore autem parte ſit turunda linea obturatus, ut pus præter voluntatem Medici illum effluere nequeat. Per hunc tubulum bis de die, extracta turundâ puris lib. ſ. vel lib j. (plus minus, pro puris quantitate & ſuſtolerantia ægri) extrahenda eſt, hincque ejuſdem effluxus immiſsâ turundâ rurſus ſiſtendus.

13. Ubi tandem pus totum evacuatum videtur, & nihil ampliùs effluit, pulmo & interior cavitas aliquoties abluatur hac mixtura per vulnus injecta.

℞. Decocti hordei unc. v. ſpiritus vini unc. iv, mellis roſacei,ſyrupi de praſſio, ana unc.j. miſce pro injectione, quæ per aliquot horas intus relinquenda eſt,& poſtea per dictum tubulum rurſus educenda.

14. Si continua & diuturna puris effluxio indicet ulcus interius nondum eſſe perſanatum, præſcribenda erunt decocta abſtergentia & vulneraria, necnon injectiones modicè ſiccantes & abſtergentes. Tubulus verò argenteus in dicto vulnere detinendus eſt quouſque nihil puris ampliùs effluit, tunc demum eximendus, & vulnus ſecundum artem conſolidandum.

15. Victûs ratio ſiccior attenuans & abſtergens inſtituatur, cibique condiantur cum cherefolio, hyſſopo, braſſica rubra, beta, fœniculo, paſſulis, amygdalis, &c. Potus ſit ptiſana ſaccharo vel melle dulcorata, aut hydromel. Somnus mediocris ſit, & alvus facilis. Ira & triſtia, animi pathemata fugiantur. *Isbrand. de Diemerbr. Medicationum parte 2. de morbis Thoracis.*

Obſervationes.

Senem curavi qui ex pleuritide empyema eſt paſſus, febre aſſidua, tuſſi ſicca, ſputo ſaniei copioſæ, difficultate ſpirandi laborabat, & tabidus prorſus factus erat. Medicis jam deploratus videbatur, & mirum erat, ex quo loco tanta puris copia emanabat, nam quotidie libras duas excernebat. Huic præter alia quamplurima auxilia, lactis aſinini potus per tres menſes exhibitus miro fuit auxilio, hujus enim ope, puris copia omnino eſt imminuta, refectum corpus, febricula evanuit, tuſſis nulla. *Zacutus Luſitanus, obſerv. 119. lib. 1. prax. admirand.*

Apud nos Juvenis quidam à me fuit liberatus, qui per annum pus in thorace collectum poſt pleuriſin geſtavit, & quaſi abſumptus erat, uſtus fuit, & per vulnus purgatum pus. Multos hoc modo curavi, quorum nomina ſupprimo. *Guil. Rondeletius, prax. med. cap. 15. lib. 2.*

Puer quidam quinque annorum febre continua laborabat, per duos ferè menſes perſeverante, cum tuſſi frequenti ac moleſta, ita ut ad tabem vergere crederetur. Tandem vocatis in conſilium Medicis, relatum fuit illum conqueri de dolore lateris ſiniſtri, præcipuè cùm manu contrectaretur, tum etiam relatum fuit, illum in febris principio perſenſiſſe aliquem dolorem in illo latere, qui tamen intra paucos dies delituerat, idcircò pleuriticus non fuit judicatus à Medico ordinario. Suſpicio fuit Empyema aliquod ibi latère, atque ut res clarior evaderet, decretum fuit, admovendum eſſe per aliquot dies Cataplaſma emolliens & attrahens, quo per triduum admoto, apparuit elevatio quædam in parte, & in ea fluctuatio ſubobſcura percipiebatur, convocato iterum conſilio, de Empyemate nemo amplius dubitavit. Apertione facta pus copioſum effluxit, ejuſque vacuatio per duos menſes continuata eſt, donec tota materia evacuata, æger tandem priſtinæ ſanitati reſtitutus fuerit. *Lazarus Riverius, obſ. 75. cent. 2.*

Servus quidam ex curru decidit, læſus eſt thorace, præſertim dextra in parte. Dolores remediis non ceſſerunt, cogitabant de ſectione inter quintam & ſextam coſtam. Diviſæ ſunt ſententiæ, tandem vicit pars minor, & periclitandi occaſionem captans ex deſperatis penè rebus, applicatum cauterium, fluxit per dies plus minus viginti aut viginti quinque materia ſanioſa ferè ad pintas 15. ut retulerunt Chirurgi, convaluit. *Guil. Ballonius, lib. 2. Epidem.*

Cum ſummus *Hippocrates* paſſim hoc remedium uſurpet, nunquid ſatius eſt aliquo remedio cruento & ancipiti certam mortem (ſi aliter facias, & id remedii genus omittas) redimere? Humanum eſt, & officii plenum aliqua ratione miſerorum ægrotorum dolores levare, atq; id magis ſi cum aliqua ſalutis ſpe. *Guil. Ballonius, conſil. 6. lib. 2.*

Enatum ex pleuritide Empyema, cùm alia non profuiſſent, frequenti potione ex ſyrupo altheæ, oxymelite ſaccharino & manna cum oleo amygd. d. rec. & aq. ſcabioſ. feliciter curatum *Romæ* accepimus à *Matthia Baccono* Anglo, pure nimirum alvo proclivius quam ore, expurgato, *Geor. Hieronymus Velſchius; obſerv. 29.*

Empyema ex pleuritide, ſectione inter quintam & ſextam coſtam, felici ſucceſsû ſanatum, fruſtrà adhibitis ex conſilio Medicorum magni nominis, externis medicamentis.

Quæ verò obſervavi in Empyematicis, nunc in medium producenda, Nobilis Patavinus, ex pleuritide non expurgata, incidit in Empyema, tanta puris copia in cavitate Thoracis concluſa, ut iterum & tertiò per diem incideret in Lipothymiam, Syncopi proximam: quem propterea cum decreviſſem perforare, neque ejus parens hoc admitteret, vocavit Medicos hujus Civitatis primarios, & potiſſimum Joh. Veslingium,

gium, meum olim in praxi discipulum, præter alios, quorum nomina non refero, quoniam Patavii res est notissima, cum quibus habita consultatione, proposui sectionem inter quintam & sextam costam, ab omnibus Auctoribus laudatam, atq; propriâ experientiâ sæpissimè felici successû administratam; quam cum Medicus quidam in primis improbaret, hujus loco præscripsit cataplasma, apponendum Thoraci, cujus præsidio materia purulenta discuteretur; quem secutus quinetiam Veslingius, quo tamen præsente sæpissimè hanc operationem feliciter peregeram, eam & ipse damnavit, metu scilicet læsionis vasorum intercostalium; quorum opinionem miratus, qui hæc in medium afferre ausi, sequenti die mane Thoracem secui inter quintam & sextam costam, immissâ turunda crassa satis, quæ foramen patens servaret, quam sub vesperam eduxi, ac simul tres, & quod excedit, puris libras; à quibus Nobiliss. Juvenis à Lipothymia convaluit, quem postmodum curavi, prout alioqui vulnera Thoracis, eductâ scilicet quotidie materia purulenta, atque immissâ in vulnus paucis post diebus, cannula plumbea, per quam tota sanies penitùs exhausta: qua demum eductâ, ad cicatricem tandem vulnus spatio viginti octo dierum adduxi. *Petrus de Marchettis observat. Medico-Chirurgic. Sylloge.*

Ex vulnere thoracis superiùs, magna puris copia in ejusdem cavo congesta, sectione inter quintam & sextam costam expurgata; necnon per os, & urinam, diei spatiô.

Cujusdam scribæ filius, ex Agiaciorum familiâ, vulneratus parte superiori thoracis, ad ejus usque cavum, ex quô cùm pus ægrè expurgaretur, multâ copiâ in eundem congestum, decrevi ipsum secare inter quintam & sextam costam ejusdem lateris, impositâ postmodum turunda, ut superiùs dixi, sequenti die, quâ eductâ, duę puris libræ effluxerunt. Observatione verò dignum, non solùm vulneris orificio pus emanasse, sed & per os quinetiam magnâ copiâ, necnon per urinam quoque ad libram unam, & quod excedit, per diem; quæ viæ licet omnibus pateant, non tamen naturæ consuetæ, factâ potissimùm sectione, quæ materiam copiosam effudit; cùm tamen patiens esset juvenis 18. annorum, ac robustus, natura propterea has vias communes sibi paravit, ægrô spatio mensis omnino sanato, & adhucnum incolumi ob rationem superiùs propositam.

Dubium verò nonnullis quâ ratione materia purulenta, supra diaphragma hærens, non impediat respirationem, cùm tamen hoc Galeno instrumentum sit proprium respirationis; quòd scilicet experientia sit ipsis compertum, quendam Nobilem Bellunensem fistulâ laborantem Thoracis, inter sextam & septimam costam, nullâ respirandi difficultate laborasse, cujus morbi causâ consultatione habitâ cum viris hujus urbis præclarissimis, negantibus multam adesse puris copiam in cavitate Thoracis, nullâ potissimum respirationis difficultate ipsi molestâ; illorum tamen opinionem mordicùs oppugnavi, materiam scil. purulentam intus concludi affirmans, cujus ratione immisi turundam crassam satis & longam circa horas vespertinas, vocatis sequenti mane multis studiosis, qui consultationi interfuerant, quibus præsentibus, cùm turundam educerem erupit ex Thoracis cavo libra, & quod excedit, puris fœtentia adeò, ut adstantes præ odoris gravitate excedere coacti fuerint, quod pus eò confluxerat ex tumore thoracis, quô sex ante mensibus laboraverat patiens, superstite postmodum fistulâ prædictâ. Ex quibus patet, quòd quotiescunq; pulmones pus non contingunt, vel motô quinetiam ipsò diaphragmate, tunc respiratio illæsa est. Quòd verò aliquis objicere posset, quâ ratione scil. innotescere possit pus in ipsâ cavitate conclusum, nullâ præsente respirandi difficultate? Respondeo observandum esse, quòd quando adest minima portio puris in Thorace, id non sit fine febre, quod est signum illius pathognomonicum, præter alia ab Autoribus proposita; ut propterea superiùs admonuerim vulnera Thoracis non esse ad cicatricem ducenda, nisi patientes immunes fuerint ab ipsa aliquot dies: quinimò advertendum quinetiam, quòd quando purulenta materia in cavitate Thoracis supra diaphragma decumbens, non superat pulmonum alas, tunc per tussim non expurgatur; quia admittere non possunt, eandem non contingentes. Nobilis verò hic patiens non solùm laboravit fistulâ simplici Thoracis, sed & præterea duabus costis corruptis, quas proinde abradere opus fuit, non sine quibusdam aliis remediis; qui tamen cùm per negotia hìc morari diutius non posset, non integrâ valetudine discessit, illi tantùm præscriptis brevi eo temporis spatio, injectionibus ex vino mulso, & aquis thermalibus sulphuris; in quarum usu mirum occurrit, quòd statim infusæ tussi excernebantur, ex vino verò injectô, medicamentis potissimum imbutô, illicò nullâ morâ, maximô impetû rejiciebantur majori copiâ; ut propterea observandum sit, non solùm pulmones, raræ utpote substantiæ, sed etiam omnes partes nostri corporis suis poris patere, per quos non solùm excrementa communia, sed etiam materiæ saniosæ extruduntur ad communia loca; sicuti contingit in vulnetibus thoracis, quibus non solùm ex locis omnibus noris materia purulenta fluit, sed etiam per intestina. *Idem ibidem.*

De Empyemate à parotidibus, & Phthisi à Quartana.

Juvenis quidam 22. annorum incidit in febrem continuam; 14. die fit translatio materię morbificæ, & fiunt parotides ex utraque parte valdè magnæ, & cessat febris; factis faciendis parotides copiosissimè fluxerunt, ita ut ex una ultra ℔. pro una vice effluxerit, & cùm propter copiam materiæ Chirurgus illas sæpius ligare & aperire debuisset, nescio an ex negligentia id de die vix semel aut bis fecit, materia hæc satis copiosa & acris partem ipsam etiam glandulosam & mollem usque ad asperam arteriam corrosit, & factô ibi ulcere ad pulmones & thoracis cavitatem ruit, & in momento loquelam amisit, disparet tumor parotidis sinistræ, nullum amplius ibi pus apparet, tussit potenter, & propter dejectas vires à priori morbo ejicere non potest, & 40. die post moritur. Vir quidam 43. annorum incidit in quartanam, vadit ad aliquem circumforaneum, qui sexies consequenter illi dedit vinum antimoniatum, emansit quidem febris, sed ob tot vehementes vomitus fit phthisicus, partim ex translata materia, partim ex rupto aliquo vase ob potentissimos & toties repetitos vomitus, hic ad exemplum sui Domini, cui Phthisico & Hectico cum optimo successu diætam lacteam præscripsi, absq; ulteriori consilio, eâ etiam uti incepit, adhuc continuat, & in tantum se sustentat, ut tamen adhuc sua perficere possit absq; magna molestia. *Joh. Georg. Greiselii.*

Puris sputum Menstruum sine Phthisi.

Nota mihi est matrona quædam Nobilis, quæ singulis *mensibus semel puris sputo* laborat, adeò, ut sæpissime ad

interim se habet, & formosa est neque etiam tussi vexatur, nisi quando periodicum hoc imminet *sanguinis sputum*; menses tamen parce fluunt. Judicent nunc eruditi an semper sputum signum phthiseos pathognomonicon existat. Ego sanè in ea sum sententia, ulcus pulmonis tabem non esse, nisi longo temporis tractu degeneraverit, vel in vomicam vel in empyema. Inspectio variorum hoc morb mortuorum & dissectorum Cadaverum aliud me docuit. *Alnardi Hermanni Cummii.*

Lactis usus in Empyemate.

Si Aquilonia tempestas, tusses vigent, faucium asperitates, alvi duræ, horrores, costarum dolores & pectoris aperuit *Hippocrat. sect.3. §.5.* Expertus idipsum Parochus Kosselezensis in Moravia, habitus crassioris, annorum 30. pleuritide exquisita ascendente sinistræ partis ex inflammatione pleuræ laborans, cum dolore punctorio, febre acuta, difficili respiratione, tussi ac pulsu duriusculo, quæ inseparabilia exquisitissimæ pleuritidis signa proposuit *Galen. lib.3. de Loc. Affect.cap. 3. & lib.2. de Cris. cap.*10. & *l. de constit. art. med. cap.* 15. Is septimo die præmissis Universalibus, partim per resolutionem judicatus est.

Patitur post 5. dies ob causam externam, recidivam, & non aderat magnifica intentio adhuc ut sputum facilè fiat, quemadmodum loquitur *Avicen.*10. 3. *tract* 5. *cap.*2. adeoque spatio dierum 14. materia plurima, quæ præ virium imbecillitate resolvi non potuit, retenta in suppurationem abiit, est enim his terminus acutorum Hipp. s.5. §.8. quicunque igitur morbo laterali laborantes in 14 diebus non repurgantur, ii ad suppurationem vertuntur. Rupto abscessu Empyicus noster magnam puris diversicoloris copiam exspuit, quæ sputiones ad septimanas 5. perdurabant, ea quantitate, ut die noctuque pelvim ℥. & ultra libris puris impleret. Innuimus cum Hippocr. s.5. §.15. Empyici qui ex morbo laterali suppurantur, si in 40. diebus purgatur à die, qua fit ruptio, liberantur, si verò non, ad tabem transeunt.

Sumpta itaque prima & potissima indicatione à suppuratione, & instituto commodo victus & 6. rerum non naturalium ordine, ea adhibuimus quæ clementer & securè pus educerent, & detergerent, non neglectis quæ febriculam comitantem respicerent, & vires hic apprimè necessarias roborarent.

Sed ob plurimum pus, & sputiones copiosas patiens multum delassatus, somnoque privatus, viribus destitui, & ad Tabem transire cœpit. De salute vix non desperantes venit in mentem quod habet *Galen.* 6. §.27. Ustione igitur indigent qui plurimum habent pus, ut qui desperent per sputiones posse expurgari, &c. meliusq; esse nos in via salutis dubia aliquid agentes periclitari, quam ægrum omni spe adempta certo perire; Sed vires enormiter fractæ ab hoc præsidio generoso avocabant.

Exacto die 49. Patienti Empyico *Lac Caprillum*; cum saccharo rosacco mistum (deerat enim asininum) proposuimus quod cum per alias septimanas mane calidum, & recens à capra, etiam in majore quantitate quam à nobis præscripta esset. videlicet ab ℔ ij. hausisset, expurgato ulcere, omnique putrilagine, coque glutinato perfecte convaluit, & crassior quam ante evasit, prout in hodiernum diem incolumis vivit. *Matthæi Francisci Hertodi.*

De Metastasi humoris per vias occultas; seu, de empyemate post pleuritidem notham per foramen cutaneum, à vena mediana incisa, salutariter soluto.

Rectè sanè *Stephanus Rodericus Castrensis in eruditissimo tractatu, quæ ex quibus, inscripto lib.3. cap.* 2. scribit: Metastasis, seu humoris in morbis transmissio, non solùm per vias manifestas, sed per occultas etiam fit. Nam præter vias unicuique cognitas, per quas quicquid fluxibile in corpore est, fertur, sunt aliæ incognitæ, quarum nos contemplatio in admirationem deducit. Et *libro eodem cap.* 3 ita pergit. Cùm Metastasin per vias incognitas fieri audis, intelligito incognitas nobis, naturæ verò, quæ licet cognitione non utatur, dirigitur tamen à cognoscente, cognitas: unde *Hippocrates 6. Epidem. sect.5. text.2. è versione Foësii,* Natura, *inquit,* ipsa sibi per se, non ex consilio motiones ad actiones obeundas invenit, partim quidem ut nictare, partim verò etiam quibus lingua subservit, & quæcunque alia id genus. A nullo quidem edocta natura citraque disciplinam ea quæ conveniunt efficit. *Galenus* accessus exponit vias, aut impetus ad agendum, ut scilicet natura οὐκ ἐκ διανοίας sine consilio vel edocta in eas actiones feratur, quibus exequendis accommodata habet instrumenta. Hoc argumentum latissimè prosequitur 1. *de usu part.cap.3. & ejusdem operis lib.*15. *cap.*7. *& 6. de loc. affect. cap.* 6. Cæterum *Hipp.* apud quem prius νούσων φύσιες ἰητροί, *natura morborum medicatrix dicitur,* adjungit paulò post: adinvenit natura sibi accessus, nempe vias; quapropter non solum loqui videtur de admirandis actionibus, sed de viis etiam, per quas natura ista medicatrix metastasin humorum efficiens morbis medetur, constat hoc, quia utriusque rei exemplis utitur, &c. Huc usque citatus *Author*, cujus verba paulò prolixiùs hic recensere volui, ut eò melius præsens casus singularis & contemplatione dignus intelligatur.

Virgo quædam Thorunensis, Dorothea Kriegerin honesti Johannis Georgii Zöbners, civis & negotiatoris apud nostrâtes non infimæ notæ privigna, annorum septendecim, constitutionis gracilioris, complexionis phlegmatica, incidit anno 1675. hyemali tempore in pleuritidem spuriam sinistri lateris à pituitosa causa, cum pauca bile permixta, originem ducentem, sed à causa procatarctica, scilicet saltatione longa, & sudore subsequente à frigore externo suppresso in actum deductam, post suppressionem sanguinis menstrui, huc usque inordinatè, utpote pituita copiosa permixti, indeque orta obstructione fluentis: cui jam à longo tempore singulis noctibus gravis fuit sudor oleaginosus, fœtidus, coloris crocei, tàm in capite, quàm in dorso, etiam indusium tingens, & pinguedine quadam inficiens.

Huic ego perspectis signis, inter quæ urina crassa & tincta erat, dolor cum punctura sinistri lateris gravativus, pulsus celer & validus, respiratio difficilis cum quadam dyspnœa, tertia die morbi è vena mediana dextri lateris sanguinis ultra sex uncias extrahere jussi; qui merè pituitosus erat: dein remisso paulatim dolore laterali, sed calore adhuc superstite, altera die post è vena poplitea utriusque pedis ad sanguinem magis revellendum, & menstruum fluxum proritandum (qui etiam postridiè, quamvis in pauca quantitate apparuit) aliquot unciæ ejusdem eductæ sunt: tum statim calor remisit, puncturæ lateris desierunt, gravativo tantùm dolore residuo cum difficultate spirandi manente. Sanguis autem eductus pallidus

erat, tunicasque quasdam secundinis similes repræsentabat, qualem ego quidem nec vidisse unquam, nec è minoribus vasis extractum fuisse, me legisse recordor. Interim hæmorrhagia narium, ut antea, ita & nunc continuabat, urina cocoda apparebat, dyspnœa non remittente, quam mox sputum tenue sequebatur, Aphorismum illum *Hippocraticum lib.5. Aphor.8.* qui pleuritidie laborant, nisi intra quatuordecim dies superne per sputum repurgentur iis in empyema fit transmutatio, verificans. Quanquam *Aretæus* hic interdum vigesimum diem terminum constituat: *Galenus* verò in commentario non solùm empyema, sed quamlibet in pus mutationem intelligat. Sed dum nos materiæ evacuationem per sputa cocta è pectore expectabamus, Ecce novum emergens intervenit, scilicet puris cocti albi instar lactis, paululum tamen ad colorem croceum inclinantis, per foramen cutaneum à vena incisa nondum consolidatum, excretio, quæ quidem metastasis materiæ per vias occultas, nobisque incognitas pectoris & lateris dolorem sensibiliter sustulit, sed cubiti illius manus, ut & homoplatarum dolorem majorem excitavit, sputo liquido, salso per aliquot septimanas continuante: quod tamen posteà salubriter secum euphoria cessavit, fluxu menstruo reverso, virgineque ad hanc usque diem feliciter & pancraticè valente. *Simonis Schultzii.*

Ab Empyicis non abducar quin ii juvenem profectam à pleuritide Empyicum, sed cujus purulentia, costas arrosit, quas mihi conservo; & sponte sua diu manavit extrorsum, & quidem fœtidissimè & lethaliter.

2. Phthisicam autem curavi annum agentem 30. cujus ulcus pulmonale dextrum tam altos egit cuniculos in pleuram, & in musculos intercostales ut ejus tabum per cutem effluxerit, citra pectoris damnum. Pulmonis enim ulcus toti ambitui interno lateris ulcerosi ita accreverat, ut digito intruso, & orbiculatim ducto deprehensa sit cohæsio. Bechichis & injectionibus bis de die iteratis, vitam fœmina protraxit in septennium; nec interea statis mensibus caruit. Imò filium nonimestrem peperit, & ita vivacem exclusit ut adhuc dum alacer vigeat, stupentibus amicis.

3. Belli ducem curo Empyicum à plumbi globolo. Is jam ab octennio fistulam gerit è Saturno intra fistulam pectoralem dextram, quotidieque manè & vesperi, pus tam feliciter per ulcus excludit, ut nusquam decumbat, sed vitæ muniis fungatur.

4. Id mihi memoriam refricat viri quadragenarii cui à dextris, circa 3. & 4. costam spatiam tumor in suppuratum abiit, & plurimum pus per tres hebdomadas fudit. Quum stuperem ad puris molem horrendam, ulceris fundo studui. Sed profectò jecur esse detexi, cujus purulentia, cuniculis actis, ipsum orbiculatim hypochondrio tam strictè agglutinavit, ut puris nihil in abdomen influxerit, sed id omne proruperit extrorsum.

Indicem sæpè sæpiùs in ulcus intrusi, & hepar sensi profundiùs excavatum, quasi digitum inderem pomo vieto partim atq; sano; quę pars enim sana est firmitudinem conservat, dum vieta diffluit nec attrectari sustinet. Diætâ vulnerariâ & balsamis injectis & admotis cuncta symptomata eluctatus est æger & salubri nunc vescitur aurâ. Qui in renibus ulcerantur, tam levi cum labore se extricare non possunt, urinis enim stranguriosis diveaantur in annos & miseri pereunt, vigiles, febricitantes, sitibundi, ἀνόρεκτοι exsucci, sed lumbis indolentes; & id decipit Medicos falsò jactantes ibi dolorem esse ubi morbus, & è contra. Hic enim dolor in vesica & in urethra calculum mentitur, cum urinis glutinosissimis atq; purulentis. Dolor autem in rene nullus, quia consumpta illius carne, coriaceus evasit & corii bubuli crassitudine. Tales sacculos renales coriaceos sæpe sæpiùs habui præ oculis, cum ureteribus è directo pariter præduris & callosis. Unicum vidi è multis qui lacte, trochiscis Gordon. & Balsamo Lucatelli purulentiam renis superavit. Alii omnes ea inciti, inter quos exemplum mihi sine exemplo, renis enim dextri ulcus arroserat & sibi agglutinaverat ea ulceris directo ileon intestinum; Inde colica immanis & dementans cum excretione alvina dysenterica, pauca, frequenti purulenta, sanguinea cui tanquam dysenteriæ Medicinam feci. Sed cadaver errorem meum detexit. Non erat enim dysenteria primaria sed à renis tabo transitu suo excoriante & inflammante fistulam intestinalem; haud secus ac dejectiones visuntur dysentericæ in Empyemate pectoris; sed ab empyemate renis id nusquam à me vel visum aliàs, vel auditum, vel lectum. *E Collegiis Clariss. Carol. Drelincurtii communicante Excellentiss. D. Guyot ejusdem Discipulô Medic. Doct.*

Empyematis curati historia rara, Communicante Clarissimô Virô, Joh. Rod. Sulet, Med. Doct. Celeberrimô, & Collegii Medicorum Genevensium Aggregatô Dignissimô.

Anno 1688. mense Martio, cùm domicilium meum ordinarium tenerem in Prædio meo in villa *St. Simphoriani* supra Morgias; Ægrum nomine *Nicolaum Curnex*, honestum Agricolam, ætatis tunc circiter 25. annorum, invisi in Pagô *VVullierens* à Stô *Simphorianô*, unô milliariô, dissitô: Ille autem Æger, post veram Pleuresin acutissimam, licèt quater Venæ-sectio ipsi celebrata fuerit, & varia pectoralia administrata, Empyicus factus est.

Diagnosin illius Empyematis habui, ex eò quòd postquam dolor Lateris ex Pleuritide cessavetit circa diem Xam. post primum insultum, & simul ac febris. Alia de novô post duos dies apparuit violentior febris, & cum difficiliori anhelitu quàm antea, ita ut Æger, via spiritum trahens, suffocari identidem videtetur. Aliquantulam fluctuationem percipiebam in ejus Thoracis capacitate; Pauca, proculdubio & minor fluctuatio erat quàm illa ordinaria in Empyicis, propterea quòd in hoc casu esset maxima puris Copia, totam capacitatem utriusq; lateris replens, & ideò fluctuationem aliquo modo impediens. Metuens ne Æger suffocatus citò periret, ni Materia purulenta è Thorace evacuatetur: Quod judicabam facilè & tutò fieri posse per Operationem, Paracenthesin dictam, nempe pungendo & incidendo intra Costas 6am. & 7am. usq; ad capacitatem Thoracis; ut jam didiceram ab anno 1670. quo Gradus Doctorales accepi in Illustri Universitate Monspeliensi: Et postea sæpius illa Operatio Autopsia mihi nota fuit, tum in magno & celebri Nosocomio Lugdunensi annis 1678 & 79. tum in Castris apud varios Milites, cùm annis 1680. & 81. Medici Castrensis Munere fungerer. Ideò, ne ille meus Æger VVullierensis miserè periret & suffocaretur meâ culpâ, non aperiendo ejus latus; ineunte nocte in urbem Morgianum, tribus milliaribus dissitam, ivi, atq; ibi à Chirurgo illius loci, Dn. *Pappus*, lancettam majorem quam habebat ad Abscessuum aperturas, accepi. Crastina die, summo manè redii in Pagum *VVullierens* ad Ægrum meum ut Egomet illâ dictâ lanceolâ Paracenthesin exercerem, ut Puri, in ejus pectore contento daretur exitus. Sed ecce, mirandum! cùm ad eum accessi, mihi narrant Ægrum bene se habere, absque febre & libere respirare; scilicet nocte præterita, cùm dormiret paulisper Æger, sponte sua, absque ulla arte, aperturam factam fuisse in superiori capacitate Thoracis & ipsius Sterni inter duas Claviculas; & Puris valde laudabilis, nempe albi, lævis, bonæ consistentiæ, & minimè foetidi, prima vice ℔ j ss. quantitatem effluxisse.

Porrò

Iorum calidum è Traumaticis nostris vulgatibus sæpius propinari, bis aut ter quotidie; In iis potionibus Veronicæ dosin præ aliis auxeram. Illa præcautione uti judicavi, ut foramini ex se facto, Turunda ex linteamento satis dura inderetur, ne citiùs clauderetur, antequam omnis Puris copia è Thorace evacuata fuisset, superponendo Emplastrum è Diapalma ad continendam ne ex se exiret. Quotidie manè & serò Æger ipse Turundam auferebat, ut Puri daretur exitus, imò alteiculo Sternum comprimebat, ut puris effluxum cogeret; Primis diebus, Puris quantitas, quæ qualibet vice egrediebatur, erat ℥ iij. ad iv. sed quotidie sensim minuebatur, donec nullum Pus amplius prodiret, nempe usque ad quatuor septimanas, & tunc turundâ ablatâ, facta fuit cicatrisatio illius foraminis. Meo consilio tamen adhuc per quindecim dies, post illam cicatrisationem, potionibus vulnerariis calidis, & his leui purgante usus est. Ab eo tempore optimè se habuit, & adhuc hodie Incolumis vivit, æt.68

Anatomicæ inspectiones.

Empyema Pleuritidi succedens ante decimam quartam diem.

Advertant juniores, quanquam Hippocr. observatione pleuritis non ante 14. diem ad suppurationem tendit; Nostra tamen observatione, non solum in juvenibus, sed etiam viris constantis ætatis, 7. vel etiam 4. id evenire, & evidenter *id detegi rigore* & subsequente febre, ab illis diebus invadentibus & singulis diebus recurrentibus: Sic sane in Nobil. adolescente *rigor febrisque*, 4. 5. 6. 7. usq, repetentes *prenuntiarunt suppurationem*.

Dissectio autem cadaveris secundum intra septenarium morbi, in illo factam suppurationem ante perfectam fuisse demonstravit, cum universus thorax pure prægnans repertus esset: Quin memini me vidisse pus in thorace cujusdam Sacerdotis, qui 9. die extinctus obiit, quod præpostero consilio purgante medicamento usus esset, neglectâ v. s & dilata in sextum, quo fuit advocatus. *Carolus Piso de morbis ab illuvie serosa sect.3. cap.9.*

Empyema insigne Sinistri lateris thoracis, nulla sui signa exhibens.

Suppuratum mortuum secuimus, in quo nulla pulmonis sinistri pars aderat, sed tota cavitas aqua & pure repleta erat: cum tamen per duorum mensium spatium, quo tempore ab hoc morbo vexatus fuit, *nullam respirandi difficultatem*, & paucam tussim, sine ulla materiæ morbificæ ejectione habuisset, Artamen secto corpore tota thoracis sinistri cavitas aquâ purulentâ referta erat. *Dom. Panarolus Pentec. 1. Observat.46.*

Empyema pulmonum exulcerationem frequenter sequitur in Phthisicis.

Pus in Pulmonum exulceratione genitum, non solùm asperæ arteriæ ramis illapsum exspuitur, sed & tandem quando ex corruptione Pulmonum substantia dividitur, in pectoris cavitatem effluens, illicque sensim coacervatum, atque interdum magnâ copia congestum, Empyema producit, Quod ab exulceratione hac in phthisicis eo modo prodire Sectio patefacit, per quam in corruptione pulmonum puris semper aliquam saltem portionem, si non magnam, pectori adhærere vel innatare deprehendimus. *Platerus pract. lib.3.cap.5.*

Suppurati pericardium totum ferè corruptum repertum est, & cordis major pars exesa

In suppurato, qui post diuturnam affectionem obierat, observatum est ferme pericardium totum corruptum fuisse, majoremque ipsius cordis, quod adhuc quidem, ob diutius sedl. putredinalem in eo asservatum calorem, palpitabat, partem exesam extitisse, ut quidem ulcus diutius tulisse facile credi possit. *Franc. Rota cap.23. de Tormentar. vulnerum curatione.*

ENCANTHIS.

Encanthis, Græcè ἐγκανθὶς in oculi angulo, unde etiam nomen accepit, exiguum tuberculum est, vel ex fluxione obortum; vel ex ungue parum exciso, ac proinde contracto, conglubaro, & in tuberculum converso, conveniunt Celsus & Paulus in Chirurgia, quod excipi hamulo & circumcidi debet. Paulus vulsellam, ad apprehendendum usurpat; sed hic quoque diligenter temperata manû urendum, ne quid ex angulo abscindatur; tum exiguum linum ntum, aut Cadmia, aut atramento sutorio inspergendum est, Paulus Chalcitidem lævigatam usurpat. Sed mitiora, quæ non irritant, tutiora sunt, ut est tuthia aut pompholyx, aut sief album sine opio. *Hieronim. Fabric. ab Aquapendente in Chirurgic. operation.*

Ἐγκανθὶς est Cornelio Celso, ac Paulo Æginetæ, tuberculum, enascens, in oculi angulo: quem *rarbir* nominat, Ruffus Ephesius *lib* 2. *c.5.* dividitur autem in benignam, ac cancrosam. Illa ut occurrit frequenter, sic hæc nonnisi rarissimè.

Vidimus tamen eam, luce clarius in naupego Hoffmano: cui, ex fluxû lacrymali per oleum vitrioli, intempestivè suppresso, usque eò luxuriavit glandula, à narium parte, oculis adposita, ut ejus excrescentia cooperierit, non tantùm malam, sed degeneravetit quoque in periculosissimum carcinoma. Quod tentavit quidem filo, comprehendere, & convenienter ferro exscindere Cornelius Sasbourius Lithotomus, ac Chirurgus satis felix: Sed acquisiverat jam tum eam malignitatem hic tumor: ut vix potuerit attingi, quin protinus, profunderet plurimum sanguinis; ac proindè fuit necesse solis lenientibus uti: quibus exitium ægri magis fuit dilatum, quàm ablatum. Videtur itaque illi, quibus acria medicamenta in frequenti usû quàm facilè committitur error: nullâ arte deinceps emendabilis. *Nicolaus Tulpius Observ. Medic. lib.1.*

Plura vid. sub titulo Oculorum vitia.

ENTEROMPHALOS *Vid.* HERNIA.

ENTEROCELE *Vid.* HERNIA.

EPHELIDES *Vid.* CUTIS VITIA.

EPINYCTIS.

De Epinyctidibus & roseolis, morbis prorsus affinibus, sic scribit Clariss. & accuratissimus Marcus Aurelius Severinus in suo, de Reconditâ Abscessuum naturâ, Tractatû.

Mihi invenire aliquid eorum, quæ nondum inventa sunt, quod ipsum notum, quàm occultum esse præstet; scientiæ votum ac opus esse videtur, similiterque

similiterque & semiperfecta ad finem perducere & absolvere, verba sunt Hippocratis libri de arte principio conscripta, quod ego monitum semper veritus, in meis de re medica scriptis quidem omnibus, atque in hoc quoque opere de abscessibus, quantum ego judico, ad hunc usque terminum servavi, ac deinceps etiam in hac, quæ superest, parte pro mea virili servabo, aversus & abhorrens ab eorum more, qui priorum excogitatis utentes actam rem agunt. Equidem vidi jam diu v'tium hoc eximi habitus corporis, quod epinyctis à Græcis dictum est, apud Latinos non aliud vocabuli nactum, sic à posterioribus medicæ rei scriptoribus aliisque magistris ignorari, ut ex observati numeri vitiis hanc facere minime norint, itaque ex eis affectionibus haberi consuevit, quæ jam à longinquo tempore desierit, nomen tantummodo retinens, non aliquam speciem ; adeoque sit ex morbis secularibus, id est, aliquandiu vigentibus & fugacibus : velu'l lichen atque mentagra, quæ Pompeii magni tempore primum visa, non ad longam posteritatem extitit ; vel sit ex his deoique morbis, qui nuper eruperint paulo superioribus seculis, ut Syphilis, Plica, Brunnus, & alii : verum longe aliter se res habet, ac nusquam interruptum est malum, nostra etiam tempestate stabile, ut certius equidem reddam, quam quæ fuerunt ad Sagram, & si apud solas ineruditas fœminas vulgari di iotole saltarecciè nomine cognitum. Porrò neque discernendi mali curam Medici susceperunt, neque ejusdem curandi rationem attigerunt, indignum profecto facinus, atque omni, qua licet, animadversione festinaque sollicitudine convellendum, neque enim aut medicinæ amplificandæ aut medicorum auctoritatis tuendæ, aut miseræ mortalitatis adjuvandæ causâ patiendum est, ut error hic protrahatur, qui qualis quantusque sit, ipse cognoveris, ubi mali rationem in libri progressu didiceris, videris que quantum acerbitatis & molestiatum noctu diuque exhibeat, quamdiu pertinax, quàm sæpe intractabile sit, quantum ex medico curæ, ac solertiæ, quantum medicaminum & exquisitorum, tum, quæ exterius exhibentur, expostulet : ad summam tam crudus & infelens affectus est, quantum aliqua Syphilis & strumæ, quæ communem propemodum cum illa curationem habent : quin etiam in arthritim pessimam morbi fortem perperam curata facessit : quemadmodum audies in prognosticis. Quas ob causas omnes visum est, humani ac minime socordis hominis officium, si super eadem re tantisper mentem ac studium adhiberemus, quatenus ad justam suam comprehensionem ac lucem res obscurissima restitueretur & à vulgarium medentium turpi præsidio ac putido procuratu vendicaretur. Igitur nos id, quod in terminthis atque aliis plerisque fecimus, in hanc quoque rem diligentem operam navabimus, ut plana tota reddatur si tantum is, qui lucem al am inhabitat, cujus aliquam particulam nostris allabi sensibus concesserit.

Quæst. I. *De notione epinyctidis.*

Nominum verbis imponendorum ratio varia fuit Græcis autoribus, quemadmodum Galenus explicavit lib. 2. Methodi therapeut. cap. 2. A læsa enim particula dicta est cephalæa, phrenitis, ophthalmia, peripneumonia, pleuritis, arthritis, ischias, podagra, dysenteria. A symptomate verò nomen acceperunt vigilia, coma, palpitatio, dispnœa, paralysis, ilios, tenesmus. A causa dicta sunt melancholia, cholera, aqua intercus, leucophlegmatia. A symptomate simul & parte affecta cephalalgia, odontalgia, cardialgia. A similitudine ad aliquid extra positum alopecia, ophiasis, polypus, cancer, elephas, myrmecia, sycosis, morus, rhymus, uva. Denique ut nonnulla brevi perstriugam, à tempore nuncupati sunt ephemera, nyctalops, epinyctis instituti jam nostri sermonis materia, cujus & ipsum etymon diligentius est enarrandum ; nimirum alii, quorum uni sunt Celsus & Galenus ; ab ea, quod noctu apparet, dictam volunt ; alii, quorum est Julius Pollux, Aëtius, Paulus, Plinius ab eo, quod noctu molestiam exacerbant.

Jam verò te non perturbet pauca hæc dissensio, quod hi quidem ad nocturnos exortus, hi ad nocturnos aggressus retulerint nomen; id enim utrunque constare potest autoribus Joanne Gorrhæo Parisiensi definit. medic. E. & Philippo Ingrassia comment. de tumoribus præter naturam 34. ac denique Ludovico Septalio in comment. 2. ad lib. Hippoc. de aer. atque locis P. porro, quo tempore, & quibus vigentibus causis sua primum initia novit affectio, iisdem etiam & quoridie efflorescere, ut loquitur Hippocrates, vel exaltari, quod Paracelsistæ dixerunt, id est, exacerbari verisimile est, quanquam etiam neque perpetuum est, ut ipsa oriatur noctu, sed fere apud Celsum, id est, maxima parte, ut Ingrassias explicavit. Igitur utroque complexim nomine latam epinyctidem opinari licet & quod vesperi primum surrexerit, & quod hoc etiam tempore novus semper insultus instauret, de quibus omnibus causis tum nascendi, tum invadendi proprietatibus posterius inquiremus.

Interim homonymiæ dirimendæ causa non omittenda est altera epinyctidis usurpatio, qua usus est Plinius l. 20. natural. histor. cap. 6. ad notandum ulcus, quo videndi acies hebetatur, in oculi angulo perpetuum humorem manante coarctatum, fortasse autem promptius hoc nomen oculi vitio accommodavit Plinius qui legerat apud Hippocratem lib. 5. & 7. epidem. affectionibus circa oculum dolores ad noctem. Sed enim Plinius, si recte adverteris, etiam per appellationis modum, duarum affectionum discrimen prodidit, quandoquidem ocularíam epinyctidem singulariter, alias vero, quæ nocturnam inquietem inv hunt, numero plurium extulit : quo numero nominarunt semper Oribasius, Aëtius, Paulus, Actuarius justam quidem hujus rei mentionem professi, modicam enim Hippocrates lib. de aeribus, aquis, locis n. 4. & lib 2. prorrheticorum n. 28. Sunt hæc de etymo, cujus etiam luculentam suam rationem audies suo loco.

Quæst. 2. *De genere morbi.*

Inquirentibus rite nobis epinyctidis omnem naturam, prima, quæ se offert, generis est quæstio, in qua re statuenda non consenserunt omnes, qui de hac re tradiderunt, sive Græci, sive Latini, ex his primus Cornelius Celsus lib. 5. rei medicæ cap. 28. retulit ad pustulas : atque ita etiam Plinius lib. 20. cap. 6. circa principium : Itemque Julius Pollux Onomastici lib. 4. cap. penultimo: ac Synesius in commentariis, ut est apud Raphaelem Volaterranum Physiologiæ lib. 24. pag 75. sed è Græcis Oribasius lib. 7. Synopseos c. 37. & post hunc Aëtius l. 14. c. 61. & Paulus lib. 4. c. 9. & Joannes Actuarius lib 2. meth. medendi c. 11. epinyctidas ulcuscula dixerunt.

Novissimè verò Philippus Ingrassias, ut ejus dissensionis aliquis modus esset, videtur id judicii interposuisse pag. 288. F. ut ab initio suæ generationis statim pustula quidem sit ista; verum eadem abrupta ulcusculum reddatur. Sed Joannes Gorræus lib. definit.

lib. definit. med. litera E. sensit nil referre, quod illi quidem pustulas, hi ulcuscula dixerint: sunt enim & ipsæ pustulæ ulcuscula. Mihi vero ipse placidius xes utrorumque compositurus videor; si commonefecerim auditorem, Græcos illos autores neque simpliciter ulcuscula protulisse, verum φλυκταινώδη, id est, pustulosa, seu pustuli-formia. Præterquam quod & Celsus, qui pustulas dixit, idem & ulcerari post hæc ipsas affirmavit.

Omnibus autem modis, utra prævaleat vis tumoris an ulceris, quæres: mihi quidem cunctos hos interpretes observanti, neutra aut mista ex utrilque videtur, neque admodum apud hos intererit, sive ulcuscula pustulosa, sive pustulæ ulcerosæ, id est, intus exulceratę dicantur. Sed Philippum Ingrassiam video sæpe in id procedere, ut tumorem vocet: idemque placuit Ludovico Septalio, loco, quem proximo capite recitabo; quod neque displicere cuiquam debet, quando magis omnino tumor, quam ulcus videtur, testimonio autem est, quod esseræ Arabum, quę simillimæ sunt epinyctidis Græcorum, habitæque à multis etiam ipsæ, inter apostema & exituras descriptę sunt ab Avicenna, nec non ab aliis, quin & circa hanc pustulam vehemens inflammatio est Cornelio, qui magnitudinem ejus fecit faba non majorem, quid quod has duas voces parum inter se distare comperies assiduo scribentium usu?

Quæst. 3. *De colore epinyctidum.*

Diversam quoque coloris faciem epinyctidis tribuerunt Græci, quàm Latini Ex his enim Cornelio vel sublivida, vel subnigra, vel alba esse consuevit, post quem rubrum & liventes etiam colore proposuit Plinius, verum Aetio Pauloque subrupta sunt ulcuscula, quibus diruptis cruenta sanies effluit, quem sanguinis farctum perhibuit & Julius Pollux. Quæ scribentium omnium dissensio conspectu primo levis quidem videtur; etenim Celso color est varius, Aetio Pauloque constitutus & unus, qui subruber est ad quam sententiam accessit & Pollux.

Veruntamen hos inter se discrepantes composuit primus Joannes Gorræus? siquidem sub colore subrubro & subnigra & sublivida comprehenduntur, omnis enim sanguis etiam biliosus, sub cutem effusus, in eos colores facile mutatur: Illud autem, quod Gorræum torsit, est quod & album colorem interseruit idem autor. Cui etiam illud additur, quod & circa pustulas vehemens inflammatio relata est: res certe sic explicatu difficilis, ut offensus incompetenti rerum consequutione desciverit à Gręcis Ingrassias. Verum enim vero de coloris albi discrimine dicam ego post brevi. Interim, quod ad conciliandos autores pertinent, nulla inde difficultas suadetur, si heterogeneus hic tumor statuatur, sive quidem humorum concursu sive partis affectæ varia difformitate; de qua re mox plenior atque evidentior demonstratio parata est, si rantisper attenderis.

Quæst. 4. *De morbi materia, secundùm priorum opinionem.*

Ad hæc, de humoribus quorum vitio producitur epinyctis, non leves sunt, aut silendi modo memoratorum autorum dissensus: Aetii siquidem & Pauli opinione satis apparet sanguinem esse, qui causa sit mali, tum inde, quod subruber color asseritur, tum quod ulcuscula dirupta sanie cruenta manant. Contra vero Celsus decrevit adaperta pustula mucosam intus exulcerationem reperiri, atque hanc humori, ex quo facta sit pustula, similem colore. Præterea si color interdum est albus, pituita profecto erit, cui respondeat, & quoniam non sublivida facies ejusdem est & subnigra: bilem atram hæc arguent, qui succi se produnt etiam nocturno motu, atq; ut planius dicam, nocturna exacerbatione, quam ob eundem humorum nocturnum motum atq; vigorem inferunt.

Hoc binorum hominum dissidium visum est tanti Siculo Philippo: ut enodationi diffisus, alteri parti adhærere crediderit præstabilius, quam leves aut infirmas conciliationes comminisci; apparuit autem Cornelii definitio potior, ut quæ magis sibimet ipsi constaret, qua definitione morbi opifex aut pituita, aut melancholia videtur adstrui, qui duo succi nocturnos soli dolores movere possunt. Quantum igitur hanc ob causam Celsiana propositio Philippo probatur; tantundem Aetii Paulique refellitur, per quos sanguis effectrix causa proponitur: cujus vi & natura tantum abest, ait, ut epinyctis induci debeat, id est noctu gravans dolor, ut verius ephemeris, id est diu molestans appellari debuerit, est autem Philippo succus, qui prævalet ad effectum hunc excitandum præcipuus nitrosa pituita, unde & albus tumoris color existit, & ob quam adaperta intus pustula mucosa, qualis in ceriis & achoribus exulceratio reperitur. Altera post hanc atræ bilis est portio, unde sublividus alter sit color, aut lividus etiam, si plus ejus humoris affinxerit, aut postremo subniger, si plurimus idem accesserit.

Hęc Ingrassiæ sententia & Celsiana tuitio, nam multum sibi visa est efficax; ut vanam etiam existimaverit defensionem eorum. qui vellent adstruere; posse fieri, ut tuberculum principio quidem subrubrum, mox in livens, aut subnigrum ulcusculum immutaretur, quippe firmus in eo Philippus est, ut contendat omnibus modis negari non posse, sanguineam ac biliosam exuperantiam aut utriusque misceliam interdiu vexatrices, pituitosam & atrabilariam, noctu graviores esse. Contra quam tamen Ingrassiæ contumaciam est quod avertere possit quispiam. Nimirum neque subrubra facile sanguinem absolute coargui carnem vitio tactam, & alieno quovis appulsu succi computrescentis inflammatam, colorem interdum inflammationi consentaneum indipisci· quemadmodum scilicet ex coryza videmus hyeme nares interne atque externe flagrare ac per brumales rigores internodia manuum rubella & gravi pustula tentari.

Neque sit tam difficile Philippo, biliosum humorem noctu moveri, quando febres tertianæ & hemicranii paroxysmi per noctem haud infrequenter statis periodis accedant. Pręterea, neque, si bilis aut calidus humoris adstruatur, qui moveat epinyctidas: propterea fit, ut noctu invadere non possit: sed satis est, ut noctu moveatur quippe mutatis humoris sedibus & fluctuante ipso, clara Hippocratis doctrina in lib. de natura humana 23. necessum est, dolorem consequi duplicem, & unde egressus humor est, & ubi redundat. Quibus addidit Galen. te. 23. ejus comm. hoc inprimis evenire per illos humores, qui validas habent vires, siquidem non solum multitudine particulam in quam declinaverunt, aggravantes; sed etiam qualitate dolorem inferunt, cum excalfaciant aut refrigerent insigniter.

Atqui humor is, quem memoramus (inquam ego Severinus) talis ad unguem est, qualem delineat Galenus, est autem hæc, mea quidem opinione, pituita nitrosa & salsa cum plurima succi melancholici portione commista. Quorum ego duorum humorum concursum, tum ex symptomatis jam indicatis, sed plenius etiam exponendis conjicio: tum ex Oribasii Aetii Pauli testimonio; qui nominatim

acetum & falsa in esum abstinenda monuerunt. porro salsa talem etiam pituitam plane augent, auget etiam acetum melancholiam, aucta videlicet hujus substantia: Præterquam quod acetum & aliam ob causam damnatur, de qua nos paulo posterius dicemus.

Hæc ego de humoribus epinyctida procreantibus habui quæcunque autem adversus Ingrassiam digessimus: eadem etiam disputata putes contra Ludovicum Septalum, qui comm. 2. ad lib. Hipp. de aerib. aquis & locis suffultatum ex Philippo judicium unum idemque protulit.

Quæst. 5. *Utrum calidus, an frigidus sit hic affectus?*

DE qualitate affectus non ita promptum est decernere, nam & pleraque suadent frigidum & non desunt, quæ demonstrent calidum, ex frigidorum esse ordine statues utique, si spectaveris nocturnos adsiluisse ortus nocturnosque motus, neque colores hujus à Cornelio relati, qui sunt albus, sublividus, & subniger; pr terquam humoris subsistentis frigidi sunt facies, & indicia: quæ autem affectioois diuturnitas & adversus multas magnasque medelas contumacia ? quæ in arthritim artuumque languores affinitas ac transmutatio ? quin, præterquam in frigidas affectiones secedat ; sui etiam ipsius natura extremas corporis, partes à caloris fonte dissitas tentare solita est hæc morbi species. Postremo veterum autorum curatio ad frigidiorem affectum videtur adversa, quæ multa continet calida, quale mel est, brassica, centaurium, ruta, sesamum, calx cum oleo, sulphur, vinum: quæ primus Oribasius & huic succedentes Aëtius & Paulus præcepêre.

Ex adverso de calore testantur, & doloris actimonia, & pustulatio, quæ sine fervore non est, adhæc inflammatio vehemens, de qua Celsus, & color subrubet. de quo Paulus & Aëtius retulere: quibus factum est fortasse, ut has curandas Actuarius cum phlyctenis, calidis eruptionibus, & iis, quæ à fervore ingenti perizomata nuncupantur, item adustionibus lib. 6. method. medendi cap. 8. voluerit. Sed neque febris abest semper ab hoc morbo, qui potissimum insectatur juniores hoc nostro tempore, quamvis enim Hippocrates lib. de aeribus, aquis & locis, epinyctidas viris nominatim attribuerit: tamen in australibus & meridiei suppositis plagis id statuit: quod neque nostro placito adversatur, ac fortasse etiam adstipulatur, dum à caloris limitibus & hypothesi non ablegamus: Sed & crases naturasque omnium, quas sibi subjicit morbus ad calidiorem notam hæc vergunt omnes: nocent autem his calida, nam inter cætera sol, balnea, fomenta sunt cavenda monito Oribasii, Aëtii, Pauli: ita non dubium apparet, in calidis reponendum hunc affectum. Verum enim vero quid, quod aliud ante fuerat suasum? an igitur in ancipiti judicio consistamus?

Philippus quidem Ingrassias deliberatè professus est, tumorem calidum: quæ quidem opinio minimum est consentanea veteribus, neque rationi, sicuti mox apparebit, enim verò morbus hic heterogenea constat materia, nec simplices sunt humores calidi neque frigidi, seu utriusque modi sunt, aut utramque naturam servantes, certe sanguis non deest, qui fundamentum est humorum omnium, seu secundum naturam; seu præter naturam habentium. Deinde & alio nomine, si græcos sequaris, quod color epinyctidum subrubet est, unde & apud Celsum inflammatio vehemens accenditur, verum tamen hic sanguis plurimam adustionem agnoscat oportet, qui sublividum aut subnigrum Celso colorem facit.

At pituita ex intervenientium humorum excludi numero non debet, quæ nocturnam mali generationem architectatur: quemadmodum paulo posterius explicabo, hæc autem ex aliqua parte admista colorem album, cujus apud Celsum est mentio, facit. verum hæc nocte vigens interdiu dissipari videtur, melancholia vero adusta, de qua modo dixi, persistit firmius ac longe superat, ut ex symptomatis & cacoëthia luculenter apparet, cujus causa Cornelius pessimam pustulam enunciavit, ex qua una materia utramque qualitatem complectente, ut supra de syphilide disputans ostendi, constatus hic morbus tum calidus tum frigidus, aut certe neuter, veluti cancer & cancrosa struma dici potest.

Habes jam nostram de vitii qualitate & complexione sententiam.

Quæst. 6. *De dolore nocturno.*

NON parum equidem anceps fui, num assistens epinyctidi dolor, periodicus habendus esset, qui nocturno tempore protinus emicat, paratosque suos aculeos defigit obnoxiis, verum periodi quotidiani, tertiani, quartani, aut alii, suos singuli paroxysmos indiscriminatim tum die tum noctu complicant, at vero dolor epinycticus nocturnum sibi privatim & peculiariter adsciscit, quam ob causam alia mihi hujus, quam illius recursus ratio videtur afferenda, propterea relicta via vestigandarum periodorum communi, propriam aliam & singularem institutam. Referam autem primum aliorum opiniones, quorum unus Philippus Ingrassias lib. de tumor. præternat. 34. causam omnem retulisse videtur ad condensationem cutis & hujus meatuum obstructionem, quæ à superveniente aeris frigore inducitur: Sic enim non expirantes, sed coacti sub cute halitus mali dolorem, seu simplici sua retentione seu cutis aliqua distentione movent.

Sed hæc Philippi ratio non satisfacit, ad hunc enim modum & diurno tempore, quod nocturno frigidius incideret, facta ejusmodi constipatione dolor vexaturus pariter esset. Adde, quod interdiu ad pluviosos & ventosos nivososque aeris occursus epinyctides expositæ dolitare deberent magis, quam noctu, quo tempore sub tecto, in concluso & igne percalfacto conclavi contectæ stragulis & tentoriis foventur membra. Quibus omnibus non sic obdensari atque adeo non sic affligi deberent epinyctidibus obsessæ partes, itaque cutis densatio causa simplex ejus doloris non est, sed certe alia, quæ nobis est hæc.

Meministi causam mali continentem positam à nobis melancholicum humorem ex sanguine scilicet adusto, tales enim ad unguem sunt naturæ & corporatuque, quæ vitium hoc incurrere consueverunt, hic quidem humor, ut nosti, fixus est: cæterum ad hunc accedit pituita non fixa: quæ cum noctu cumulatur, causam doloris exhibet ad hunc modum. Notum est, aridam calcem injecta aqua statim exardescere atque fervere, refert autem calcem melancholia, ut quæ cinis & ipsa est; Galeno sæpe numero testante tum lib. de atra bile, tum aliis plerisque locis. Præterea refert aquam pituita, ut quæ frigida est & humida perinde ut illa, itaque si fluxa pituita ad melancholiam nocte mota squallorem ejus irriget ac madefaciat, fieri poterit, ut excandescat melancholia, æstuansque dolorem accersat, sed sic accidit quidem, ut accreta & mota noctu ad melancholiæ sedem, ut mitum ad debilem partem, accedat pituita, igitur effervescet ab hac illuvie melancholia, doloremque in epinyctica compage faciet.

Atque inde quidem est, quod usum balnei fomentique ad epinyctidum curationem tres uno consensu scriptores græci disertis verbis omnino prohibuerunt, quin & insolationis usu interdixerunt, eam ob causam, quantum equidem opinione assequor, ut ne multus præsenti siccitate fieret accessus; materia certe mali spectata, quę sicca est & adusta. Denique voluerunt abstinendum & aceto, quippe quod ut ἀναζέῃ, id est, fervescat humor melancholicus, facit Hippoc. autore, lib. de ratione vict. in acut. atque etiam Galeno magistrum hunc sequuto, tum hoc loco, tum lib. 4. aphor. 21. & 23. quod intelliges ex fermenti definitione tradita per Platonem in Timæo, quæ est; Fermentatio est partis terrenæ motio & in aerem conversio, ut enim per acidam substantiam attenuata ac percalfacta panis massa, sic ista circumtollitur & ampliatur. Jam igitur, ut ne ab aceto commoveatur & exardescat humor hic epinyctidis sator, cavere jubemur unice ab aceto.

Sed enim instabis dicens, & acetum sub sulphure à Paulo Aegineta, cum sesamo verò aut lithargyro ab Aetio proposita. Ad quod quęsitum respondeo, extrinsecus quidem acetum extenuare dissolvereque tubercula, id quod adversus lienes facit, quanquam Oribasio (quod refert Aetius) pro aceto teritur cum vino potius. Ita jam plenis veterum omnium suffragiis, comprobatisque singulis horum traditionibus, ac nulla relicta prorsus ambiguitate, certum ratumque apparet nostrum de epinyctidibus adusta natura nocturnoque dolore decretum.

Quæst. 7. *De parte affecta.*

POst hæc autem vide, num in affectus sede perhibenda consenserint autores omnes modo citati. Porro primus Hippocrates, mox Oribasius, Aetius, Paulus nullam epinyctidibus partem corporis præscripserunt, aut excluserunt, verum totum huic affluxui corpus patere sunt professi: sed unas tibias, ac pedes huic malo subjecit Julius Pollux. Quoniam tertius Cornelius Celsus has pustulas eminentibus corporis partibus addixit; quam Cornelii sententiam Polluci plurimum adversantem credidit Philippus Ingrassias, qui partes eminentes interpretatus est umbilico superiores, tamquam eminentes sint, quæ emineant, id est, ad summam corporis partem spectent, & cæteris incumbant; itaque, ut hus componat: id quod ad exortum nocturnum Cornelius addidit (fere) Philippus hoc ad eminentes partes retulit: cum magno scilic. sensus distractu ac enormi concinnitatis injuria, piget autem Ingrassiæ viri quidem latinarum literarum, nam neque græcarum, non ineruditi, qui tantum elegantiæ non discreverit; quæ est exporrigi græce ἐξέχειν atquę extra corporis, ut ita dicam, truncum manere: id qood Celsus declarasse videtur, cum explicuit de his raro evenientibus in medio corpore sed sæpe in eminentibus, id est, extantibus ramorum modo partibus.

Sentit mecum (res, quę postmodum lecta mirum in modum placuit) eruditissimus Marcellus Vergilius in Comm. lib. 1. Dioscoridis cap. 122. cujus de hac ipsa re verba ultro patieris huc afferri; quæ sunt: vocatque ille (Celsus puta) eminentes partes, quæ longius à medio homine discedunt & quasi ex trunco pendunt, quales ulnæ, manus, brachia, cruraque & pedes sunt. Hæc ille. Quibus vides, non discrepare quidem à Polluce Cornelium, nisi quantum hic & brachia, manusque videtur comprehendisse. Rem à Polluce fortasse non negatam, sed qui tibias sæpius affici compertum habebat. Jam autem hanc enarrationem partium nudis nominibus definitam, exactiorem nos alteram ordiemur, qua demonstretur scil. particulæ ratio privatæ, quæ in singulis iisdem artubus vim morbi suscipit.

Hæc nonnullis judicibus est periostium propterea fortasse, quod parte tibiæ anteriore non posteriore vitatur hæc affectio, simul etiam quod acerbe dolet, membranæ autem sunt, quæ non mediocriter dolent. Verum hæc opinio facile refellitur, primum quod dolor epinyctidis minime punctorius, neque tensivus est; quin potius inflammatorius & incensivus. Deinde perspicue videntur affectæ carnes pustulis roseis undique distinctæ, quod si periostia membrana vitium substitisset in principio, non spectarentur ori- que tubercula per carnes musculosque fusa: sed color pustulæ subruber longe aliud declarat, quam quod competat periostio. Jam igitur, quando periostium exclusum est malo: nostra est opinio, partem, quæ subluviei dolorumque malis influxibus subdita est, exteriorem carnium & musculorum faciem esse; cui coris intima pars incumbit, hac intercapedine stabulatur mucosum illud & semiputre concrementum, in fabæ magnitudinem coactum: quale quantumque Celsus citato loco descripsit. Quoniam autem cutis inficitur subterius, quæ diaphana est, propterea nonnullam vitii speciem in se diffusam ostendit.

Quæst. 8. *Definitio ex pluribus una quæ recipienda.*

EXacta legitima quæque definitio genere proximo constat ac propria differentia: quorum utrumque cum uno plura non extent; fit inde, ut unius naturæ plures unà definitiones tradere non liceat: At verò perfectæ definitiones humanitus non dantur propterea, quod ultimæ sicut philosophi loquuntur, differentiæ sunt ignotæ: plurimum ergò descriptionibus, id est, definitionem æmulantibus explicationibus, quæ nimirum coagmentatis accidentib. conflatæ sunt, uti consuevimus, quales quidem & unius rei plures esse possunt; ut in aliis inquam, facultatibus & artibus, ita & in nostra medicina. Itaque epinyctidis non una, sed multiplex ejusmodi declaratio fuit apud scribentes, quarum omnium optimam minime promptum est seligi. Sed neque omnes homines in delectu consentiunt, aut neque omnes rei enarrationes pariter sunt accepiandæ, quanquam enim verum vero non dissentit, tamen non æqua singularum apparet veritas. Ideo ne mirum quidem fuerit cuiquam, si Principum nostrorum autorum doctrinæ, nunc à nobis in examen, aut in delectum ponantur, prætterquam quod cogit nos Philippus Siculus, qui (Paulum in libro 1. Jatrapol. c. 3. cunctorum præter Hippocratem & Galenum optimum ęstimavit) hujus nunc testimonium & autoritatem; ut & Aetii videtur renunciasse, quandoquidem hanc confutatam & falsi redargutam latinis prætulit, quam nos rem præsertim non antè judicatam, aut diligenter expensam procedere non debemus pati; verum ad dexterum sensum etiam dextere non explicatas trahemus opiniones eorum, qui tradendarum nobis aut explicandarum medicinæ rerum curam sumpserunt, atque eo etiam amplius, quod ab antiquioribus omnia sua scripta compilasse confessi sunt Oribasius, Aetius, Paulus. Primus igitur, qui citatur ab aliis, Oribasius lib. 7. synops. 37. sic epinyctidas finivit.

αἱ ἐπινυκτίδες φλυκτίδιά εἰσιν ἀπὸ ταυτομάτου ἐξανθοῦντα αἱ φλυκταινώδη ὑπέρυθρα ὧν ἐκρηγνυμένων ἰχὼρ ὕφαιμος ἀπορρεῖ· ταῦτα τῆς μὲν ἡμέρας οὐ πάνυ ἐνοχλεῖ νυκτὸς γὰρ ἐπώδυνά ἐστι μᾶλλον, ὁ καὶ τὸ ὄνομα.

quorum is latine sensus est, epinyctides sunt ulcuscula sponte naturę erumpentia pustulis affinia subrubra: ex quibus diruptis ichor subcruentus emanatur, per diem non magnopere excruciant; per noctem verò magis quam pro ratione ulceris dolore torquent.

Appensam hanc definitionem sua lance reprobavit Ingrassias, quod duo adstruat; alterum quod ex sanguinis exuperantia productus affectus sit; alterum quod noctu plusquam ulceris ratio poscit, indolescat; qui dolor ex sanguinea materia profectus interdiu potius advenire deberet. Sed nos hanc oppugnationem nullam fecimus in Conroversia III. Itaque cum sibi res constet, quod ad hoc spectat; nam neque aliud animadvertit Philippus, cæterum supereffe videtur, ut græcorum definitio, cum ea, quæ latinorum est & prima Celsi conferatur; quam nos rem hercle sine autorum invidia peragemus.

Ait Cornelius; Pessima pustula est, quæ epinyctis vocatur, ea colore vel sublivida, vel subnigra, vel alba esse consuevit: circa banc autem vehemens inflammatio est: & cùm adaperta est; reperitur intus exulceratio mucosa: color est humori suo similis, dolor ex ea supra magnitudinem ejus est, neque enim ea fabâ major est, atque hæc quoque oritur io eminentibus partibus & fere noctu: unde nomen quoque à Græcis & epinyctis impositum est. Hæc ille: quæ noo eo quidem instituta & producta videntur, ut brevi morbum finiant, sed utcunque doceant & exponant, itaque enarratio est diexodica potius, quam periodica, ac potius hypotyposis, quam ὁρισμὸς atque adeo non cadit iu numerum & compa ationem aliarum definitionum. Tametsi tectam hanc doctrinam, & cum græcis virisque consentientem, & nunc asserimus, & supra ostendimus. Verum enim vero potest ex tot omnibus una definitio concinnari, quæ sit, epinyctis est pustula vel sublivida vel subnigra, vel alba, circa quam vehemens inflammatio est, & in qua adaperta reperitur intus exulceratio mucosa: perdolens supra vitii magnitudinem, oriens in partibus eminentibus fere noctu. Hanc quidem orationem videris ab Oribasiana discrepare in genere, in colore, contentis. Sed dissensus istos omnes nos ad consensum revocavimus. Atque est liberum est cuiquam, vel hunc vel illos autores sequi.

Sed post hæc examinanda restat sententia definitioque Julii Pollucis, qui ait; Ἐπινυκτὶς φλυκταίνα ὑπόπελιδνος, ὑφαιμος, ὕφυγρος, ἐπὶ κνήμαις ἐν νυκτὶ γενομένη. quæ latine sunt, me quidem interprete, epinyctis est pustula sublivida, humore suffusa, sanguinem referens circa tibias pedesque noctu exoriens. Hujus definitionis sensus partim tuetur id, quod Celsus de colore sublivido invasuque nocturno expressit: partim amplexatur sententiam aliorum, qui de materia sanguinea contenta perhibuerunt. Quamobrem errasse comperitur Philippus Ingrassias, qui eandem hanc cum Cornelio convenire, à Græcis vero discrepare judicavit. Quin etiam in eo deliquit, quod hanc ex eodem Polluce recitavit perperam interpretatam ad hunc modum; Pustula sublivida modice extumescens, plena sanguine; in tibiis & pedibus fere noctu infestant. Porro quod τὸ ὕφυγρος modice extumescens redditum sit; hæc non respondent vocabulo, quod sub humida valet. deinde quod γενομένη genita noctu infestans versum sit: hoc quoque falsum, in qua re magis accusandus est Philippus, qui, cum in nocturno morbi exortu consentiant Cornelius & Pollux; tamen statuit, contradixisse Celso Pollucem, qui noctu molestantem epinyctidem tenuerit.

Ad hunc, inquam, modum reliquit Philippus definitionem Pollucis afferens, non tam quidem ipse suo ipsius judicio, quam lexicorum testimonio fretus; non minus autem lapsus est Rudolphus Gualterus eruditissimus alioqui Pollucis interpres, qui ὑπόπελιδνον lividum transtulit, nullo inter πελιδνὸν, καὶ ὑποπελιδνὸν lividum & sublividum discrimine facto, quasi vero gratis & libidine temeraria τὸ ὑπὸ prepositum fuerit, non spectato plane, quod in definitionibus nil temere proponatur: quod magis mirum fuerit, quod τὸ ὕφυγρος subhumida est interpretatus, quasi vero retulerit hoc nomine τὸ ὑπὸ reddere, in altero vero nil retulerit.

Quæst. 9. *Epinyctides Græcorum esceræ-ne sint Arabum?*

HÆc controversia præclaros habuit disceptatores; quales fuerunt Joannes Minardus, Joannes Tagaultius, Philippus Ingrassias: inter quos quidem ausus surgere non fuissem; si disputationem hanc dissimulare licuisset. Verum interpellavit me problema majorem in modum, quam ut silentio prætetire potuerim. Referam igitur qualis qualis sit, opinionem meam, rationibus alioqui pro hac allaris, quę displiciturae non sint, si tantum æquos ac doctos judices nacte fuerint. Tagaultius quidem lib. 1. c. 2. disertis verbis professus est, Arabum esseras epinyctidas esse Græcorum. Sed Manardus lib. 7. suar. epistol. medicinal. 2. Græcorum epinyctidas præcise contulit ad esseras Avicennæ: cujus illa descriptio legitur lib. 4. fen. 7. essere est pustula parva lata sicut vesica, & ad aliquantulum tendens, rubedinem & pruritum faciens, & angustias; eveniens subito secundum plurimum, & accidit quandoque, ut currat ab ea humiditas, & forrasse est sanguinea, & secundum plurimum fit vehemens in nocte, & ejus angustia fit in ea vehementior & ejus tristitia.

Quę magnorum quidem hominum, sed levi collationis examine concepta opinio, haud mihi diligentius expendenti probari potuit: sed neque probabitur fortasse, cui rationes hæ, quæ sequuntur fuerint perpensæ: quas tu quæso purgatis auribus audi. Principio essere videtur affectus ex acutorum genere, quod & modus generationis declarat, qui cito fit, ut Avicenna docuit, & cito etiam dissolvitur, ut recte notat Philippus Ingrassias, qui testatus est experimentis, tum in se ipso, tum in aliis persæpe factis, sola venæ sectione intemaque ferventis bilis ac sanguinis, frigidæ copioso potu, vel cujuspiam alterantis ceremoris refrigeratione sanatos; quin interdum sanguinis duntaxat missione corpus adeo refrigerari periculum fecisse asserit, ut extemplo detumuerit cutis, atque ex aspera lęvis reddita fuerit, extincto enim (aliquanto posterius subjunxit) fervore remotaque illius causa continuo defervescit sanguis.

Quod si Philippi testimonium inficiaberis, en principem Avicennam, qui conceptis verbis ait, & causa est ejus (essere scilicet, quod indeclinabiliter effertur) vapor calidus elevatus in corpore subito, aut à sanguine cholerico aut à phlegmate bauracho: baurachium autem Dinus interpretatur salsum, quod est admistum cum cholera. Huc autem vide, quæ de vaporis materia scripsit Nicolaus serm. 7. sum. 1. tract. 9.

1. tract. 9. c. 19. Et recte quidem atque constanter, inquam, ejusmodi traditur hic halitus, quando pruritum etiam invehere dictus est apud Avicennam.

Affectus igitur hic apprime calidus apparet, tum ex his, tum quod angustiam, id est, æstum vehementem, ut in variolarum eruptionibus, Nicolao teste inducit, febremque tertianam accersit, materiæ scilicet utrobique fervidæ communitate: qua fit etiam, ut nunc præcedant hæ febres, ut dictum est, nunc subsequantur, quod ex Arabum etiam sententia proposuit Ingrassias pag. 189.

Atqui tot & tam multum calidæ notæ neutiquam ab ullo græcorum attribuit sunt epinyctidis: quin etiam si recte perspicis, haud ita multus huic impositus fervor est; quando nulla viscerum internorum attemperatione, vel refrigerantium oblatione curata est affectio: verum per exiccantia & horum plurima calida, licet exteriora, quibus & qualibus unis plurimum hæsisse veteres apparet: quando & talia sunt ea, quæ præceperunt omnia, & exiccationem inprimis nominavit primus horum autor Oribasius, mox Aetius, & ipse idem Actuarius lib. 6. meth. med. cap. 8.

Sed extra Græcos Cornelium Celsum etiam requiramus, qui de morbi genere videatur sensisse, ac certe contumacem, & longum professus est, cujus colorem lividum, subnigrum, album humori suo similem; deinde mucosam exulcerationem adaperta jam reperiri dixit. Id declaravit & remediis, quæ adhibenda voluit: nimirum, ut qui tentatur hoc morbo vir, desudet in balneo, simulque super eas pustulas nitrum inspergat, oleoque vinum immisceat, & sic ungatur, tum descendat in solium; ulcera vero ex pustulis facta rollet, ait, argenti spuma cum semine fenogræci mista sic, ut his invicem rosa, atque imybi succus adjiciatur, donec mellis crassitudo fiat. Hæc ex Celsi doctrina epinyctidos est vitiositas: quam vidit, & Ioannes Manardus, id testatus in lib. 7. epist. 2. minime autem naturam ejusdem comprehendisse videtur Philippus hujus auditor, cujus opinio fuit pustulas esse sabiformes, arnibus ac toto corpore conferrim apparentes, brevique, non diu permanentes, chronicus autem affectus epinyctis, siquidem, quæ pessima pustula est, ea melancholica: sed hæc difficilis curatu semper, ac plane refractaria est.

Ex his igitur omnibus, ut ad propositum revertamur, plane perspicitur; acutum hunc epinyctidis affectum, quales Arabum essere, non est, sed chroniconcoteron; ac tum propter alia, tum quoniam in tibiis & eminentibus tantum partibus nascitur, & calidioribus remediis vincitur, rigidiorem. Accedit, quod nullam ejusmodi pustulam, ex qua vel sanguis, vel ichor, vel quivis alius humor manaret, conspexisse nobis aliquando permissum est, per habitum namque sensibus occultum difflatur, ait Philippus citato jam dudum loco. Vide autem, ut mihi laborem repetendi leves & quę idem Ingrassias de Arabum in hac re perplexitate comprehendit pag. 188. & 190. etenim, & si nonnulla sensisse cum Græcis videntur: tamen in cæteris non constitisse sibi se produnt.

Iam ergo postquam essere Avicennæ epinyctis non sunt: alios autores exponi tibi petes. Ad quod quæsitum respondeo; Serapionem vetustissimum inter Arabas medicos scriptorem, efferas discrevisse in duplices; altera forma ducitur à sanguine cholerico, quam materiam atque exortum attestantur vis & acrimonia, partis extumescentis rubor, æstuatio magis interdiu quam noctu, ac levamen ex refrigerantibus pharmacis, & phlebotomia. Altera species exoritur ex phlegmate salso bauracino: cujus notæ sunt æstus noctu major, dilutusque tuberculi rubor & levamentum ex pharmacis detergentibus & exiccantibus, & citra sanguinis detractionem perpurgatio corporis ex medicamentis extergentibus, atque emundantibus propria substantia. Hæc ferme Serapion.

An igitur ex duabus his esseræ modis posterior, qui noctu pravalet, epinyctis græcorum est? Hæc sane opinio non parum probabilem se facit his, qui sinceriorem Arabum doctrinam linqui velint. Porro præter hunc unum virum videntur cæteri corrupto judicio, & commentitia scripsisse. Sed neque ab his, si modo Philippo credimus, eximitur Avicenna, qui græcorum autorum, & primi Serapionis consultis æque codicibus res utrorumque confudit. Primum enim Serapionem sequutus & diurnas fecit esseras & nocturnas: mox ad græcos latus esseræ definitionem partim ad epinyctidis græcanicæ modum concinnavit, partim etiam de suo addidit halinosam materiam. Deinde verò curationem, quæ aped græcos tantum externa est, spreta ejus, quæ apud Arabas est, diurnæ esseræ medicationem internam retinuit, utrique i. nocturnæ, ac diurnæ communem; qua quidem re quid incertius? quid instabilius? quid indignius professori fideli pravique sit, ait Philippus. Verum enim vero non potuerunt ad græcorum dignitatem, ac majestatem succedentes barbaræ scholæ castigatissime ac limpide ex omni parte philosophari; necessum profecto in borum doctrinam nonnulla irrepsérint, quæ aut sinceritate, aut firmitudine, aut splendore defecerint, ut in anatomica, botanica, & nominum interpretatione plane res est.

Quæst. 10. *Quod epinyctides Græcorum non sint Arabum Benat noctis.*

Avicenna l 4. fen. 7 tract. 3. cap. 10. quod est inscriptum de Benat noctis, memoriæ mandavit hæc: si quis passus est desudationem cutis & oppilationem pororum, & boni atem digestionis, quandoque accidunt in frigore noctis pruritus, & asperitas, & bothor parvæ, quæ nominantur planta noctis; & causa est retentio ejus, quod oportet, ut resolvatur, propter constrictionem pororum in radice quam adjuvat, & in qua addit soliditas frigoris, & proprie in hora, in qua multiplicatur digestio, & sequitur multitudinem ejus multitudo vaporis, & aer noctis, & propter illud nominatur planta noctis, quia plurimum accidentium ejus est in nocte & de dispositionibus hujus passionis est, quod pruritus in ea sit vehemens, & delectat prius, deinde perducit ad dolores vehementes, quos efficit in locis pruritus.

Hunc ita descriptum morbum Philippus Ingrassias sensit græcorum epinyctidas esse; primum indicio sumpto à nomine, quod insultum in nocte significat. Deinde argumento ducto à generationis modo, qui est per condensationem cutis; ex qua causa noctu existente plus hoc tempore dolor, quam interdiu accedat, necesse est. Post quæ & definitionem Benat non traditam ab Avicenna ad hujus sententiam conatur tradere Philippus, quam multu scilicet, tam irrito labore; quando gratis & ex suo cunctas definitionis particulas comminiscitur potius, quam ad Avicennæ sensum accommodet. Itaque piget ambages

ejus & vanam confirmationem repetere, præsertim, quando referat magis apud suum auctorem legi omnia.

Interim nos ab epinyctidis opinione Benat longe removemus, vel hoc uno argumento, quod pessima pustula epinyctis est attestante Cornelio, cui super omnes adhæsit Philippus; mitissimæ vero inter omne Benat, quod cum bona sanguinis concoctione conjunctum est. Adde quod Benat, Avicenna autore, principio quidem delectationem, mox dolorem vehementem inducit, at vero nulla unquam ab epinyctide delectatio est. Præterea multo plenius coibit cum epinyctide vel Avicennæ verbis, essete, quam Benat noctis, est autem illa ex hoc ordine rejecta, ergo multo magis & Benat noctis: quare non est hoc utique epinyctis.

Jam igitur quoniam Incerta res est epinyctis, & sic obscura nostro fæculo, ut pro morbo jam obsoleto sit habita: nitemur mox ipsi non exoletum & obscurum ostendere, sed enim, qui quotidie cunctis liceat observare. Rem sane difficilem ac plane incredibilem, verum ego plurimum probabilem, & certam omnino reddam, si modo Deus optimus maximus largitor intelligentiæ præstit; in quam rem illud facio sermonis initium.

Quæst. 1. *De Roseolis Vocatis Saltantibus, Primum autem de harum nomine.*

Majorum nostrorum memoria, vulgo percrebuit affectus, cui roseolæ saltantis nomen; quo per vulgus trito meis hisce sermonibus, quos ad latinos homines scribo, equidem abstinerem; siquidem proprium suum, id est, à doctis impositum aliud cognoscerem; verum admitto coactus, quod expedit, ut nil relinquere videar eorum, quæ ad stabiliendam comprobandamque futuram nostram sententiam faciunt; facit autem & vulgaris appellatio, seu potius per hanc notata res quæpiam, affectus nempe præter naturam, cui si nostris & amicorum doctrina præstantium fidere licet observationibus, tum quidem est macula subrubra, fæculenta, tumoris intrinsecus non expers; sed sub indicata modo facie recondit tuberculum, quod tactu fabæ vel lupini magnitudinem, ac formam refert, dolore se declarans non mediocri, tum etiam præter tuberculum, interdum etiam ulceratum aliquem præfert ac pustulam. Quæ triplex vitii species non una perpetuo particula corporis insidet, sed per artus omnes manus pedesque varie vagantur, sunt autem & qui testentur à minimo digito ad singulos ordinatim alios, atque ab alterutra manu in alteram propagatam, per truncum vero nunquam visam meminimus.

Quam ipsam tum formæ, tum sedis inconstantiam aliquando advertentibus nobis, ac quemadmodum licet, exprimere studentibus, visum est, ut inconstantis naturę sit dicendus abscessus, si tamen abscessus nomen non presse, sed laxius, ut in aliis observavimus, factum, accipiatur. Quod ipsum nomen eo accipere debes libentius, quod ab antiqua vulgarium appellatione non discrepat. Roseolas enim intelligo bifariam, vel quod rosarum imaginem & colorem præ se ferunt, vel quod rosidas quasdam inspersiones repræsentant. Dicuntur autem saltantes, seu falturicæ, quod tibias privatim occupare consuetæ, per dolorem & irrequietem faciant, ut stantes homines falturiant, id est, tibiis alterne sublatis, aut terræ pressi, crebro agitentur.

Quamquam hujus ejusdem appellationis & altera ad discernendum est imposita ratio, quam mox exponam, nempe roseolæ simpliciter dictæ, quæ manibus pedibus auribusque defixæ visuntur, perniones sunt alias dicti latinis; saltantes verò, quæ indefinitis & incertis sedibus inhærescunt, vagisque excipiuntur hospitiis. Itaque non abs re per vulgus hominum expertorum additum saltantis est discriminatum, quasi sint hæ quidem inconstantes ac vagæ, perniones vero partium certarum vitia. Quas ob res aperti convincuntur erroris hi, qui roseolas saltantes cum pernionibus confundunt, adeoque multo maxime lapsus est Gabriel Falloppius, qui perniinibus obnoxias fecit virgines, quibus suæ non procedunt expurgationes menstruæ, quasi verò perniones interiores causas agnoscerent, quæ duntaxat ab hyberno frigore ortum habent.

Quæst. 2. *Quod roseola non sint chymethla Græcorum, aut perniones Latinorum.*

His etiamsi constantibus, tamen non, ut oportebat, advertis, pleique sunt nostrorum hominum, qui morbum hunc novum minime patientes, ad chymethla seu perniones retulerunt, nixi tum communi aliqua tumoris, doloris, coloris imagine, tum quod perniones calcaneis initdiantes roseolas appellare vulgo consuevere. Quæ tamen opinio se falsam prodit planis utrorumque discriminibus, causarum & morum. Siquidem perniones non aliter proveniuntur, quam à frigore brumæque rigoribus: quo tempore ad extremas corporis partes, ad internodia scil. manuum ac pedum, ad horum calces & ad digitorum utrorumque membrorum extrema, atque etiam ad aurium infimas pinnas supremosque lobos & ad omnem earundem ambitum & flexuram excitantur noduli quidam, atque tubercula dolentia, & supra naturalem carnis colorem aliquo rubore, vel livore tincta: unde fortasse roseolarum, aut rosellorum vulgo dictorum est nomen, propterea, quod hi talem aut colorem, aut figuram & formam habent.

Ita jam apparet pernionum externa privatim causa, & non maligna: roseolarum vero saltantium interna & maligna ex aliis, quæ postmodo disputabimus, ostendetur. Interim quænam roseolarum sit natura, & ad quod ab antiquis descriptum vitii genus sint referendæ: an verò non fuerunt hæ veteribus cognitæ? Difficilis profecto definitu res, ac maxime incerta: præsertim quando doctum nullum in hac re ducem habeamus, ac de nominis quidem pervia conjectura fit. Verum tamen adlaborabimus nos probabilius hac de re judicium, ac nostrum in re tam obscura studium & industriam desiderari non permittemus.

Quæst. 3. *Quod roseola non sint terminthi.*

Hippocrates 6. epidem. comm. 3. partic. 37. prodidit marisci. laborantes inter cæteros morbos non premi terminthis, qui teste Galeno nigræ quædam sunt pustulæ in tibiis maximè orientes, à figuræ, coloris, magnitudinisque similitudine, quam cum terminthorum, id est, ciceram fructibus habent, appellatæ. Equidem ejusmodi nostræ roseolæ facile videbuntur, si terminthorum accidentia singula spectentur; primum quidem hi ad atrabilariam materiam relati per mariscas exhausti desinunt; ut phagedæna, ulcus, lepra, vitiligo. Deinde, niger istorum color refertur à Gal. in hoc loco. Tertio tibias infestare maxime soliti sint. Quarto cicerum figuram, colorem & magnitudinem æquant. Quinto universo suo perspecto charactere gravis & contumax terminthorum

thorum affectus videtur præcipue, quod alii græci dixerunt hoc phyma cum adnata pustula, quæ cùm extenuata dirumpitur, ulcus parit; ut nos in lib. de novis observatis abscessibus explicavimus.

Quæ quidem singula non differunt à natura vulgarium roseolarum. Quod enim ad communem materiam, contumaciam, & sedem affectam pertinet, haud sane de his dubitaverit aliquis, cætera vero plurimum ad eam naturam accedunt, neque ego de colore ambigo; licet ambiguitatem aliquam exhibuerit Galeno, qui principio quidem statuit oigros terminthos, deinde circum dixit colori similes, qui plurimum quidem flavi, vel, ut vulgo dicunt, albi sunt: cæterum non desunt nigri, fortasse igitur nigris animo conceptis, ciceres simpliciter, & absolute protulit, aut subnigros verius & nigro-viridis; quales Dioscorides Alexandræus, ac Julius Pollux terminthos proposuere.

Major hæsitatio est de figura & magnitudine, & omnino de tumoris genere; porro sicut aliquanto posterius ostendam, atque, ut nomen indicat, roseolæ pustulæ sunt latæ potius, quàm phyma ac tuberculum, terminthi verò phymata sunt ac tubercula elata supra cutem & rotunda, non lata & fusa, suntque superne pustulata, ut græci definiverunt, qua una re jam constante, & figura, & magnitudo, & habitus terminthorum non is videtur, qui roseolarum. Quid autem si addideris summe repugnantem notam, quæ est, roseolas noctu præsertim molestissimas & acerbissimas esse? id quod utique de terminthis significatum ab antiquis aut à nobis compertum non est. Ita tam satis apparet, argumentis interim aliis pro tempore missis, diversa plane vitia corporis terminthos, ac ruseolas esse.

Quæst. 4. *Quod roseolæ non sint latæ pustulæ ab Hippocrate memoratæ.*

Alterum nunc problema se offert, quandoquidem ex pustularum latarum ordine posuimus roseolas, an has expertus fuerit Simon, cujus meminit Hippocratea l. 6. epid. comm. 2. sentent. 30. per hæc; latæ pustulæ non admodum pruriginosæ, quales Simon hyeme habebat: qui cum ad ignem inungeretur, aut calida lavaretur, juvabatur, vomitus non juvabant, puto si quis calida fomenta adhibuisset utilitatem percepturum. Non est, inquam, admodum difficile, ut unus idemque morbus sit, atque ille fuerit, nimirum hoc suadet latæ pustulæ conditio non admodum pruriginosæ. Deinde, quod per hyemem vitium hoc hominem tenuerit, quo tempore vigent roseolæ. Tertio, quod ad ignem inunctus & calida lotus aqua levaretur, non autem vomitu, fortasse quod humor melancholicus, qui vitii autor erat, per eam viam ab inferioribus tractus non vacuaretur. Præterea monstratur humor is frigidus & discussu contumax ex pustularum pressula forma; quippe calidorum acuties est, & celeritas; ut notat Galenus in hoc comm.

Hæc certe singula in consultis & comprobaveria cum vulgari roseolarum affectu, speciem unam utrorumque fecetis. Verum enim vero laxa nimis, & infirma duorum sibi invicem similium est conjectura, imo verò pleraque similitudinis capita non adsunt, & illa quidem plane maxima; & quod ab igne & calidis plurimum irritantur roseolæ, ut quæ atrabilario succo præcipue constant; & quod deest his character inquietamenti nocturni, quo privatim ab omnibus aliis secernuntur, quare non crediderit recte quispiam, ut vulgarem hunc nostrum affectum ibi comprehenderit Hippocrates.

Quæst. 5. *De formis roseolarum secundùm vulgarium hominum opinionem.*

NON una est apud omnes roseolarum forma; verùm aliqui sunt, qui statuunt, macularum modo cutem supremam lambentes & efflorescentia, quorum opinantium alii requirunt dolorem in his & colorem livescentem atque opacum, alii etiam rubescentem, sine autem & qui florida facie ac levi qualibet molestia sunt contenti; hique ipsi plus loci subtertius comprehendentes, plusque tuberculi, quàm maculæ modum volentes: sunt autem & hi, qui putant ad suppuratum easdem venire, typumque habere strumarum, terminthorum autem æstimare dicerent, siquidem hos cognoscerent, à nobis plus uno loco descriptos, atque ita per universum corpus hos dicunt esse & ad ulcerationem etiam deducunt. Præterea, sunt & qui nominant dolorea ar ticos (interim articulorum, an artuum etymo spectato) dummodo noduli quidam rubei circa manuum pedum que digitos & comprehensionem appareant; & denique reputant alii symptomatum ejusmodi comitatu calidum, alii frigidum affectum, nec desunt, qui promiscuum faciant etiam.

Hæ sunt multiplices ac vulgares hominum opiniones de roseolarum altantium forma & natura: verùm falsi deprehenduntur opinantes hi cuncti, quòd non memorant ulli proprietatem ac diorisinum, qui est invadendi noctu, quem nos iam singulariter spectamus, & quam privatam & propriam affectus conditionem affirmamus; quæ autem ejusmodi non sunt, eas à verarum roseolarum numero facile relegamus. Sed ipsi interim istarum formam enucleatius edisseremus.

Quæst. 6. *De charactere tumoris.*

INfinita pene, sicut in arborum malis omnibus advertetunt Botanici; sic in abscessibus est, seu naturæ fallentis, seu morbi cum suo materiarum comitatu luxuriantis varietas, formas eorum seu verius difformitates inducentis, tam multa horum genera, tot vultuum species, tot figurarum discrimina, tot colorum & maturitatis modos non tam evestiganimt, quàm exponere fuerunt utrique: quæ, ut nunquam satis pro dignitate speculabitur aut comprehendet unus quispiam sic non ad unguem, aut exponet aut graphice delineabit. Quia enim tam solerti sit ingenio, qui singulas suas conformationes methodo comprehendet? aut qui tam felici sit stylo, ut explicare possit in his fossilem formam, in his extumelcentem globum, in aliis ambitus in rotunditatem circumacti, figuram, in aliis informem pulmonia tumorem? qui quidem à mammarum crassiore longitudine, qui à pannaceis rugis describantur; quidam corpore toto vegetius habent, quidam qua parte tantum illustrat calor, sunt tales, qua verò frigidus humor incumbit, emortui. sunt aliqui in varicosum gibbosumque flexum circumducti, aliqui panis instar coacti, nontuberculosi, nonnulli bifiditrifidi-que, qui pedunculo nitentes: qui lata basi, sed in turbinem elati sese nulli producunt extra prominuli, vidibis & reductos, fossulatos & resimos, præterea pyramidis coni, columellæ, verrucæ, scopuli, grandinis & clavi formam; succurrunt & animantium genus æmulantes talpa, testudo, myocephalon, polypus, ranula, myrmecia, condyloma, ungius, ala, lichenes, & ex vegetantium ordine sycosia, uva, melon, morus, terminthi, glandulæ, amygdalæ, thymus, lenticula, milium, hordeum, porri; & quis sub compendii præscripto referat omnia.

At equidem

Ar equidem ſi recte mentem & oculos per omnia conjicio; non vulgaris & obvia, ſed inſolens & ſingularis apparet forma tumoris, qui roſeolarum ſaltantium promeritus eſt nomen; hunc equidem nulli conferam ex memoratis, nam hi omnes aperti, revulſique propemodum è corpore, noſter hic non tam extra, quam intra ſua limina tumor eſt. Veruntamen obſervaveris circa ſua ſepta latiuſculum, ſed uniforme ſubſtare tuberculum, quin verius tubercula plurima ſemet, ut dixi, ſingula ſuis quaſi latebris occulentia, ob id autem, quod unitate contenta non ſint, ob id ipſum à majoribus noſtris roſeolæ numero plurium ſunt nominatæ, ſed, ut communi ſuorum omnium complexu non multum exſuperantem conficiunt turgorem, ita etiam ſingula preſſolam teferunt rotunditatem, adeo ut recte quidem fabis contulerit Cornelius, nos quoque lupinis æquiparavimus: itaque ſi noſtra hæc referas ad ſummam unam, eſt hoc tumoris genus ſuſum ita, ut homines nullos lateat duntaxat peritos. In qua ipſius circumſcriptione, ſi quidem oculate perſpexeris, viſentur & quaſi rodii quidam ex albo rubeſcentes, quas ſanguineas ego fibras exiſtimo, per cutem humoris alluvie tranſlucentes, credo autem, & has inſignius alterari, luculenterque turgeſcere, ubi per noctem dolor incurrat; ſi vel intendantur ipſi, vel rem comprehendere ſub maligna luce ſentientium oculi poſſint.

Quæſt. 7. *De differentiis roſeolarum.*

AD hæc autem diſcrimina roſeolarum ſunt exponenda, ex qua una re plurimam lucem huic univerſo ſermoni manaturam confido. Comperimus tum aliorum auditione, tum obſervatione noſtra duplices eſſe roſeolas, alter modus eſt nulla non anni parte moleſtantium, & ad plures etiam annos etiam adverſus excellentia medicamenta contumacium, quippe quæ ab aduſta melancholia, nitroſaque pituita proveniunt, ob utrorumque gravitatem crura tibiaſque potiſſimum affligentes, quas privata comprehendit propoſuitque nobis Cornelius Celſus, qui colorem ſublividum, & ſubnigrum illis attribuit puſtulis peſſimis nominatis, item quas definivit Iulius Pollux ad Cornelii ſententiam maxime accedens autor.

Alter roſeolarum modus eſt lenior, brevior & curatu facilior: imo, qua per ſe ipſas diſcedunt appetente vere, quæ hyeme fuerant ortæ; ſuperiores autem partes, i. manuum, articulos & internodia tentare conſueræ pruriginoſæ, ac de uno in alios digitos, deque ſiniſtra in dexteram manum vagæ, in metacondylis verò natæ ad extremum diſceſſum ungues ab radicibus plerumque divellunt, proprietates nimirum, quæ in alteris non ſentiuntur. Hæc ego de utriſque diſcrimina & obſervationes collegi: quæ medens uſu tuo comprobare poſſis omnia, ſi dulci quidem & accurata rerum iſtarum contemplatione gaudeas.

Quæſt. 8. *Epinyctidas Græcorum roſeolas eſſe vulgi ſaltantes.*

HUjus mihi problematis demonſtrationem rite recteque inſtituenti, neceſſarium videtur, ut definitionem ſive græcorum ſive latinorum, & horum præcipui Cornelii comprobem, noſtris ad unguem roſeolis accommodatam, id autem non fit, niſi per expenſas collataſque particolas ejuſdem definitionis, ex his autem primum occurrit genus, quod eſt apud græcos quidem ulcuſcula, apud latinos vero puſtula. Hæc igitur utraque appellatio noſtris roſeolis primum congruat oportet, ut cæteram oſtenſionem complere poſſimus, atque adeo monſtrandum eſt, duas illas voculas diſcriminis complecti nihil, aut parum.

Primum igitur ne diſpliceat, quod ἑλκύδρια, ulcuſcula dixerit Paulus, hoc alioqui nomine non uſus exactè. Porrò vocabulum aut ulceri ſignificando non eſt allatum, aut tubercula denotat. Quod enim ad priorem partem pertinet, quomodo quæſo te ἀπὸ ταὐτομάτε ſponte, quod Paulus ait, ἐξανθοῦνται effloreſcunt? nempe ulcera non efflorescunt, prætcrea quid ſubrubra dixerit ulcera, quorum nulla unquam ab aliquo dicta ſunt rubra? quin neque dici verè talia queunt, quando ruboris catigorema, prætcrquam ſolutis ſive ulceratis ipſis partibus & carni corio nudatæ non competit.

Attributum igitur aptius tuberculis, quam ulcuſculis rubor fuerit, atque ad hunc modum etiam ulcuſculi nomine videtur uſus autor libri de virture centaurii cap. 4. P. qui ait. Iuvat etiam ulcuſcula, quæ ſunt in capite ſpiſſa, & parva, & rubicunda, parvis papillis ſimilia, & phygethla ſpiſſa, parva & rubicunda, permiſtus cum aqua, & abraſo capiti inunctus ſuccus. Enimvero ulcuſcula dixit papillis ſimilia, ac ſi dixiſſet tubercula puſtulaſve, ſimiliter & ulcuſcula eminentia in partibus corporis dixit Galenus in l. 5. de compoſ. medicam. ſecundum loca cap. 7. Quo autem modo ulcera emineant, quæ natura non eminent, ſed cava ſunt & abroſa?

Præter hæc & quo pacto calx cum oleo, aut acetum cum ſeſamo, aut oleo prudenter imponatur ulceribus, quæ maximopere ejuſmodi medicamentis irritantur, ergo non ruptis tuberculis hæc inſtituuntur. Confirmatur autem noſtra hæc interpretatio, quod Oribaſius, ex quo Paulus & Aetius acceperunt, apud Aetium ſcripta reliquit hæc; Poſtquam vero epinyctis excoriata fuerit, emplaſtris liquidis utere, & cave ne acria & acida, & ſalſa adhibeas, quo igitur, inquam, modo calcem, aut acetum prius propoſita ſunt, niſi quod haud ulceratæ carni præcepta ſunt? diſtinctam autem explicite (poſtquam excoriata fuerit,) &c.

Iam vero ne te perturbet, quod ulcuſcula, quaſi parva ulcera dixerit idem, nempe ulcuſcula nomen numero plurium uſu medicorum veteri & communi, poſitum videtur pro tuberculis minutis, licet ulcuſculum ſingulari numero poſſit uſurpari pro parvo ulcere, ſignificetque ſolutionem continui, non tuberculum verè, qui ſenſus apparebit aperte per id, quod mox addidit dicens; quibus ruptis, quaſi non fuerint ante rupta: ſimiliter & alio hujus ejuſdem libri loco, perniones definivit quidem ulcera principio, mox ad eadem ulcerata curationem accommodavit hic vir, ergo perniones naturâ non ſunt ulcera.

Sed ad puſtularum nomenclaturam veniamus, ex his, quæ obſervamus tum apud Cornelium Celſum l. 5. tum apud Paulum l. 4. atque apud alios etiam melioris notæ autores, quadruplex apparet tumorum omnium ordo: primus, tumorum præcipuæ magnitudinis; ut carbunculus, carcinoma, & his minores ſtruma, furunculos, phyma, phygethlon. Secundus eſt tuberculorum, è quibus ſunt acrochordon, thymium, myrmecia, clavus. Tertiæ ſunt puſtulæ, de quibus mox dicemus. Quartæ ſunt aſperitates cutis, ut ſcabies, impetigo, &c. ſed puſtulæ triplices ſunt Cornelio exanthemata, pſydracion, epinyctis, quam quidem epinyctidem cum nos tuemur verè non aliam, quam vulgares noſtrorum roſeolas, has quid dubitamus in puſtularum recenſere familia? Eſt

lia? Est non evidens quidem tumor, neque tuberculum, sed qualia quidem lata exanthemata vocavit Hippocrates lib. 6. epidem. sect. 2. part. quæ est (lata exanthemata) &c.

Neque enim placet opinio Francisci Vallesii, qui argumentatur lata exanthemata tumores esse propterea, quod latum contrarium est acuto. Sed non vidit latum, quod adjungitur, sequi perpetuo naturam exanthematum, quæ non præseferunt, neque adstruunt tumorem, sed solam cutis ex humore superfuso tincturam, præter quam quod neque latum adversatur acuto, sed obtusum, utcumque autem suam opinionem tueatur Vallesius: non erunt lata exanthemata tumores, sed aliquid tumoris habentia. Tales equidem aio roseolas nostras, quæ neque pustulæ simpliciter, neque tubercula absolute sint, sed mistam ex his naturam habentes. Quamquam est interdum, ut inconspicua quidem, sed acri tactu deprehendendam infra contineant tuberculi speciem, quam lupino vel fabæ fortassis æquiparaveris.

Ad hunc modum apparet non absurdum, quod pustulam, id est, pusillam rotunditatem intro forisque delitescentem, simul & eminentem enunciaverimus, rem quippe veteribus non insuetam. Sed Avicenna dixit pustulas glandulosas l. 4. fen. 3. tract. 2. c. 7. & ex hujus viri sententia Leonardus Bertapalla l. de apostemat. cap. proprio, & Ioannes Manardus l. 7. epistolarum 2. quod durum, & admirabile videri cuiquam non debet, reminiscentibus nobis, quod & Oribasius meminerit terminthorum, qui supra tuberculi faciem adciscant pustulam, enim vero mutua duorum est affinitas & congressio: ex pustulis, inquam, nonnunquam etiam ulcuscula sunt; licet aridiora, & modo tantum cum prurigine, modo cum inflammatione, aut dolore, eritque aut pus, aut sanies, aut utrumque. Ita quidem Celsus de pustulis ἑλκώδεσι exulceratis, de contrario vero ulcusculorum in pustulas commutata testati sunt indicato sæpe loco Græci ttes, qui ἑλκύδεια φλυκταινώδη dixerunt; itaque commutatis velut hospitiis, ac vicibus, nunc ulcuscula transmigrant in pustulas, nunc pustulæ in ulcuscula, adeoque non aberraverimus à recto nos, qui roseolas fecerimus ulcuscula simul & pustulas: tuberculum quidem, quod aliquanto subterius abditumque existit, fabæ vel lupini modo ex crassiore materia coalitum; pustulas verò paulo evidentiores ex tenuioribus succis conflatas.

Quæst. 9. *Hypothesis de nocturno roseolarum dolore experimentis, comprobata.*

EST primum roseolarum indicium primumque symptoma discretivum noctu molestans dolor: quam ante omnia spectari statuique oportet, quo possit ad cæteras comprobationes fieri gradus, qui mihi labor ineundus fortasse nunc non esset; si nostrates medicos nossem hanc rem advertisse: verùm quando rem ejusdem omnium & curationem fœminis remiserunt, neque de his rebus observatio per viros doctos ad hoc tempus facta est, necessarium profecto videtur, ut de perpetuo sub noctem epinyctidis dolore disseratur; imo verò, ut ejus rei per experimenta fides aliqua proferatur, quandoquidem hæc tractatio magis ad observationem, quàm ad subtilem disquisitionem pertinet, quamquam non est, ut aliquam ejus rei rationem comminisci non possimus; est autem ea me judice, quod humor melancholicus, omnium astronomorum & medicorum consensu vespertinis horis analogus est, igitur hoc tempore vigens & hoc etiam decumbentes exercebit accretus, qui humor in hoc affectu constando & conservando præcipuus est. Taceo, nam nil repetere necessum est, rationem aliam, quam parte libri priore cap. de nocturno epinyctidum dolore produxi.

Sed hæc apud alios, qui tergiversentur, nulla sint: observationes & experimenta prosequor; quarum, præter quam quod infinitas alii super multis languentibus facere per se ipsos poterunt, has mihi numero non exiguo collegisse, sed verius meminisse licuit: quæ sunt.

Prima inter omnes fortè nominanda Dlonora Stepbagnola puella colore fuscior, habitu corporis procero, nec male firmo 17. annum natu, parthenophilacii. Spiritus sancti templi Neapolit. una, quæ 4. jam annos id morbi quæsita est sic, ut infirmas contubernales omnes, quas trecentis frequentissima puellis domus hæc sacra alit; inquietet ac vigiles teneat secum. Surgit autem è strato dolore præceps & non conquiescit, nisi plurimum temporis alternè tibias commoveat sic, ut tripudiare propemodum videatur. Altera ex ejusdem Parthenophilacii virginibus, quæ roseolas utrisque tibiis passa est, fuit Lucretia de Castro puella, contra quam prior, tenuis habitus, & subalbidi. Tertia, filia est obstetricis habitans in angiportu sancti Gregorii Cœnobii Neapolitani, plus semel hoc lib. memorata: quæ nocte adventante protinus acres dolores persentiscere singulis diebus solita est. Quarta puella quindecim annos nata filia Mercularii, in vico, qui ducit ad portam Plagæ, quam unà cum doctore medico Nicolao Angulo ab Elicœis ad observandum à me perducto, viro rerum nobilium curioso, observavimus. Quinta Olympia Cytharella Tryphonis Cyrhatellæ Amalpaensis auditoris in re medica nostri soror germana, quæ nocturna tempora duriora sentit, hoc vitio diu gravata. Sexta Antonia Moza vivens ad mœnia secus D. Mariæ Gratiarum, quæ exulceratas pariter & tuberculosas eas pustulas annum est experta, fœmina coloris fusci ac prope virago. Septima, quæ postrema quidem omnium se obtulit, ac dignitate prima, Victoria Purpura magnifici viri Andreæ Medati conjux, quæ X. jam annos hisce pustulis nigricantibus secundum tibiam sinistram afflicta est, quas ego exulceratas hoc anno detractis nigris crustulis curavi. Hos ego languentes (fœminas ergo maxime vides obnoxias) è quamplurimis memoria servavi paucos. Numerabunt autem vix numerabiles alios id morbi passos Reverendæ sanctimoniales Dini Marcellini Cœnobii Neapolitani: quarum pia jam multis annis est cura, accommodatos hisce langvoribus syrupos parare: hæ quippe nocturnas hujus mali vexationes longis experimentis competere.

Quæst. 10. *Comprobatio coloris, materiæ, ac reliquorum indiciorum.*

REstat ad inceptam demonstrationem postrema comprobatio reliquorum omnium adnexorum: inter quæ prima seminaria sunt humorum, & inde color. quorum hic alteros consequitur, ac refert, si verum sit, quod testatum reliquit Hippocrates l. de humoribus; similis color efflorescit humoribus, nisi intro regurgitaverit: verum quod ad posteriorem enunciati particulam attinet, porro sub hoc vitio se foras exeruit humor: pustulam enim fecit. Atqui hæc multiplex est, quotuplex & epinyctis apparuit, etenim si subrubram quæsieris. qualem græci viri proposuerunt, & ejusmodi per initia nos eam vidimus: quo s. tempore nihil difflatus coloris flos (inde enim exanthemata dicta) subrubram illam rosaginis speciem conservare potuit,

donec

donec aeris occurſantis refrigeratione & contaminatione obtuſus in dies mutaruſq; nitor eſt in faciem opaciorem, atq; aliquantulum liveſcentem, ac deinceps in obſcuriorem vitorem.

Præter quos ad nigrum accedentes colores, & albus memoratus eſt à Celſo, qualis & ipſe viſitur in ngſtratibus roſeolis: ubi ſ. aliqua ipſarum parte vel recurrit humor roſeus, vel non totam æque carnem denſa coloris aſpergine tinxit. Ita quidem ſeu accedentes, ſeu collecti ſunt uno brevi circumducta varii colorum modi. Neque Hercules injuriâ, ſiquidem humores ſubſtratos ſpectes; qui in ſanguine plurimum abundent, pituita ſ. & melancholia: quarum quidem aduſtam hanc, ob pravitatem firmumque ac longum adhæſum; nitroden illam, ob nocturnam præſertim inquietem & ob exulceratum, quem ſæpe facit, opinor, ſic calidum ſimul & frigidum affectum conſtituto: qualis & uterque ſuccus eſt, nam pituita nitroſa bilis amatæ non caret admiſtione, atra verò bilis, quoniam æquiparatur aceto, quemadmodum l. de atra bile docuit Galenus: ob id utique utramque qualitatem ſervat.

Quæſt. II. *Dubietates aliquæ diſcuſſæ.*

His oſtenſis aliquę nunc ambiguitates ſuperſunt reſolvendæ, quæ noſtro huic placito ſuſpicionem aliquam injicere poſſent, una eſt, quod veteres per externa duntaxat medicamenta curandum hoc vitium profeſſi ſunt, atqui noſtræ roſeolæ, præterquam internis expurgamentis non eximuntur, ut alio loco monſtratum fuit, qua de re malum aliud hoc, atque illud apparet: Ad hæc allud adverſati noſtræ ſuaſioni videtur, quod nullum contra cacochymiam, aut cacoethiam remedium admoliti ſunt autores antiqui, æquum autem fuerat, ut exactius & abſolutius ſuam morbi curationem expoſuiſſent, quod cum non eſt factum, ſua eſt in promptu conjectatio: quod non tanti momenti morbum fecerint, quanti nos facimus, ac proinde non unum idemque ſe monſtret vitium.

Hæc quidem argumenta in ſpeciem primam videntur rem non obſcure confeciſſe: verum enim vero nil plane conficiunt, enim vero fieri potuit, ut græci pharmaca quidem interiora ſilentio præterierint, at non diætetica tamen auxilia, quibus inter omnia maxime confiſi ſunt, illa autem quamvis tacuerint, tamen eodem pro confeſſo velut præceptum perpetuum & univerſale ſtatuerunt, quod ſi recte adverteris in aliis pleriſque facere conſueverunt, neque enim ſic ſunt hi profuſi præceptorum inculcatores, quales hodierna die ſunt noſtri, ſed ſinguli tres ante citati Synopſes & compendia medicinæ ex vaſtis Galeni latifundiis translata conſcripſerunt. Præterquam quod ſuperioribus iſtorum temporibus aſſueta corpora variis, ac frequentibus exercitationum generibus, exhauſtu multo non habebant opus, ſed natura in his libera plurimis excrementis longe validiorem ad evincenda mala ſe exhibebat. Quibus rebus factum eſt, ut optimi ſcriptores, & non tanti vitium æſtimarint, & multum in his operæ ponendum non judicarint. Quanquam neque ſic genus hoc morbi vilipendit Cornelius Celſus, ut non præceperit ambulationes, exercitationes, geſtationes, abſtinentiam plurimorum, ſudationes in balneo, deſcenſus in ſolium, atque alia; quæ ſi providerunt aliqui veterum; quid adſtruant ulli, quod epinyctidas æſtimaverint, quàm nos, certe minoris.

Quæſt. 12. *De cauſis roſeolarum generatim*

Quidam in hac re philoſophantes, dum accidentium varietatem ſpectant, cumque, ut cunctis problematis per ſuas hypotheſes ſatisfieri facile ſit: è quatuor humoribus omnibus, quorum vitio morbus emergat, nullum eximunt, ſanguis quidem, cujus ſæpe viſitur color, aut ad hunc accedens maxime diſcolor facies. Deinde &, quod hic aſſ ctus plurimum in calidis atque humidis ætatibus, habitibus, naturis viſatur, quæ maxime ad ſanguineam exuperantiam accedunt. Poſt ſanguinem eſt pituita, quæ non difficile congeritur in fœminis & albidis corporaturis, ſed nitroſa potiſſimum illa eſt, cum glycypicra prurigo male valentem locum inceſſit. At neque rejicitur bilis, quæ vellicatum aliquem & acrimoniam præ ſe ferat. Multo verò maxime depręhenditur melancholica portio, præſertim aliqua parte retorrida; cujus & malignus mos, & fuſcus color, & pertinacia ſæpenumero obſervantur. Itaque vides in coagmentada Paecilocace (ſic enim appellare nunc licet) nullum excludi vitioſum humorem, ſed omnes aut plurimos confluere; ſed & multa parte ichores ſingulorum humorum etiam ſubſunt. quod ſane ſuadetur eo argumento, quod polypodio curari conſuevit hic affectus, quod ſi & geniſtæ medicamento corripitur à noſtris inhærens humor: id fit propterea, quod admiſtum ſanguini non nihil eſt viſcidæ pituitæ, quo fit, ut curentur ſæpe non aliter, ac ſtrumæ.

Quæſt. 13. *De cauſis ſpeciatim, & exactius.*

Sunt evidentiores hujus morbi cauſæ, aerer, aqua, loci; maxime ſicut opinor, cum ad frigidum & humidam exuperantiam exorbitant. Ita pleriſque populis eſt endemius hic affectus, potiſſimum verò Neapoli frequens eſt, in qua urbe propter celſitudinem ædificiorum, quæ ſe proxime, id eſt, pauca loci intercapedine ſpectant, minimus eſt ſolis inciſque colluſtratus, & in qua etiam pluvioſa nimium eſt anni pars & ſæpe auſtrina conſtitutio: quibus cauſis accedit & victiratio ex carne bubula & ſuilla, & ex omni braſſicæ genere, capitato præſertim, & ex ſalſis piſcibus uſitatiſſima. Eſt ex hoc genere multorum uſus ferculorum à quo morbos ubertim excitari ex omni antiquitate in Nepentes opere demonſtravit Petrus La Seine vir multiſcius, ut docta ejus edita commentaria ſatis teſtantur. Additur & cauſa, labor, qui prope nullus agnoſcitur pueris, & puellis: quem utrumque ordinem privatim obnoxios ſibi morbus reneri; inde enim ſunt cruditates, obſtructiones, cacochymiæ, cachexiæ, quatum vi pollet, excitatur, fovetur ejus vitii cacoethia.

Taceo, quod poſteaquam venerea lues extitit, ab illo corrupta eſt plurima parte ſanitas integritaſque corporum, quæ progignunt, unde melancholica potiſſimum, & prava malorum ſementis eſt hodie in hac terra: porro tam multum abeſt, ut παρθένων ἐπώνυμα ſit Parthenope vera vocabuli fide, ut cum puberem, ſeu dicam potius, cum vix compotem veneris ſe ſenſerit homo, continuò cum ſcorticulis commiſceri ac provolutari conſueſcat.

Eſt & præter hæc ſuppreſſio ſuperfluorum cauſa mali præcipua, unde fœminis ſolennis morbus, quanquam pueris, ac puellis impuberibus, puberibus, qui prima generationis expurgamenta non abjecere, vel pluſquam puritati conveniat, retinuere; pædarthrocace nil operata, hoc affine vitium ſuccedit. Sed & fœmellis menſes deſiderantibus frequentiſſimus hic affectus eſt: qualium unam, inter cæteras novi, filiam obſtetricis in Divi Gregorii angiportu; cognoſces

cognoscere autem facile superfluorum hanc suppressionem, quod gens hæc erit languorosa, defœdati coloris, & oculis impuris omnes: quanquam non propterea fit, ut meliore colore præditis non adveniat hocce malum, sic modo memorata filia obstetricis utroque crure languebat etiam belle colorata, sed hoc unum exemplum mihi vidisse contigit, neque mirum quidem est: nam nihil in medicina perpetuum affirmavit Cornelius Celsus in operis proæmio.

Aliud adhuc explicandum posces; & quid huic affectioni sint obnoxii juniores, vel accedentes ad hos annos alii, non seniores & ætatis grandiusculæ homines hoc mali genere infestentur? Nimirum, inquam, quod ętatis primę mutatio cum calore vegeto conjuncta vitium intro conceptum non potest mature non exprimere; diducereque in exteriorem corporis habitum, ut in aliis quoque superfluitatibus fieri nosti. itaque non testar hæc effusio in grandioribus facienda, quod si restat tamen magno quopiam impedimento, sive ad expultricem facultatem, sive ad humoris crassitiem, sive ad vias spectante certus eris id evenisse, vel dic juniores huic vitio subditos & opportunos fortasse propterea, quod his primis ætatibus superfluitatis sanguinis multa redundant, quas vegetus & in incremento, & in ætatis mutationibus versans calor nativus in tata corporum textura secernit ac purgat: quod non ita facile nec sæpe evenit senioribus propterea, quod sunt exsucciores, minusque vegeti.

Quæst. 14. *De modo generationis.*

PUstularum in aperto corporis generationem aperiit Galenus in comm. 2. ad lib. 6. epidem. text. 30. per hæc: Egerminant pustolæ natura corporis altiores sedes repurgante, ut nonnunquam per excretionem, ita & per depositionem ad cutaneas partes, subtiliores liquidem dilutioresque succos extenuans natura discutit; crassioribus autem cuti, sed potius pelliculæ, quæ epidermis vocatur, utpote densiori inhærescentibus pustulæ exoriuntur: idque magis incidit, his qui densiore ac duriore cute sunt; difficilis est enim per ipsam pinguiorum tenaciorumque succorum transitus. Hęc ille.

Refertur autem excretio quoquo pacto ad operam naturæ criticam, ac melioris valetudinis gratiâ institutam, neque enim prius, quàm expultrix vis polleat, fieri solita est. Jam enim quando naturâ viderit superfluitates istas & ichores, menstrui sanguinis reliquias in corpore congestas, quę principiis graviter incommodent, & officiant, protinus, ut aristocratię convenit, lectissima corporis parte vendicata, quæ cerebrum, cor, & hepar sunt; ad abjectissimas i. ad extremos artus inquinamentum amandat. quo videas haud mirum esse, quod prope pręcordia aut visceribus incumbens nusquam visa sit rosea mali facies.

Quoniam autem ex internis venarum conceptaculis prodit malum, post majora vasa, quæ sarcina levantur, sunt rami descendentes iliaci, à quibus continuo facto pulsu, jam ad crurales deveniunt minores, per quorum minimos surculos eructata materia per tibias antica, postica & omni facie persperfa visitur. Jam verò cum & per brachia, quod rarius aliquanto fit, sese proferunt ejusmodi maculæ, verisimile fit; humoris tenuitate aut transmeatu biiis id evenire.

Quæst. 15. *Notæ discretrices à consimilibus noxis.*

QUoniam autem cum plerisque vitiis extimi corporis conveniunt roseolæ; notas illarum discretiva exponam. cætera enim indicia, quę ad materiam, formam, figuram, colorem, dolorem, ac reliquas noxas, & sympt mata pertinent; jam credo me satis in prioribus hujus libri disputationibus explicuisse. Similis hic affectus est aliis multis i. terminthis, latis exanthematis, esseris, benat noctis, glandulis, à quibus quantum distent, & per quæ, jam audisti.

Restant syphilia tubercula inflammatoria noctuque perdolentia, quæ manus pedesque & eminentes omnes partes corripere consueverunt, ad has accedunt maxime tôfeolæ, accedit & arthritidos quędam sors, quæ memoratas roseolas, per exulceratos manibus pedibusque nodulos tubeolos, & affligtantes æmulatur. Sunt bi quidem utrique tumores, ac dolores nonnulla parte similes, verùm, ut ne tibi imponant, adverte causas, quæ in morbo quidem venereo per alia symptomata se produnt; in morbo verò articulari juncturæ ossium & articuli privatim tentantur, non artus medii, sicur in roseolis consueverunt.

Adde, quod rosea morbi species peculiaribus & propriis suis definitur signis; quæ supra jam exposui; præter quę nunc describam & alia, quæ spectant partim ad tempus sui accessus, & ad ætatem hominum, qui hoc malo tentantur; partim ad corporis statum. Porrò nos observavimus affectum hunc potissimum advenire pueris, sed multo maxime puellis, ac fœminis junioribus & omnino ad florentis ætatis annos, nimirum propterea, quod impuriores sunt semper mulieres, præsertim quibus stati sui menses minus rite recteque prodeunt, si grandioribus id tale eveniat, apparente quidem imagine roseolarum, non tamen erunt veræ roseolę, plurimum enim syphilidos est hoc germen; verrucosam simul & impetiginosam vitii formam referens, ut dixi: quam ex deleteria sua causa sedulus inquisitor facile deprehendet.

Hujus ejusdem vitii stabilis ortus ad hyberna tempora, sicut equidem observo, solet esse, quanquam Cornelius Celsus in libri V. loco alias citato generatim ait, pustulæ maxime hybernis temporibus oriuntur, nec injuria quidem ad hyemem est earum accessus, quo tempore calor ad excernendum valentissimus est, atque humor alioqui crassiusculus difflari per compactam cutem facile non potest.

Ad hæc longa observatione comperimus, qui hocce malo tentantur, his omnibus esse plurimum in sanguine impuritatis ac superfluitatis, cacochymiam greci dicunt: qua causa fit, ut longus & pertinax sit hic affectus, ob quam eandem sanguinis impuritatem non injuriâ quoque fit, ut mulieres, quibus expurgatio menstrua non est, etiam grandes, & bene habitæ vitium hoc incurrant, ac tamdiu detineantur ab illo, quamdiu morantur, & non effluunt iidem mensęs.

Quęst. 16. *De re prognostica.*

FUturorum observationes in hoc morbo factæ mihi sunt hę: neminem ad interitus pericula perduci. sic Hippocrat. t. epid. sect. 3. nocturna non admodum lethalis, verùm longa. Sed tamen in arthritin & membrorum languores sæpe finiisse visa est curata perperam affectio; neque me Hercules injuriâ: Siquidem vigens & diu consistens humoris pravitas, ut ulterius procedat, tempore obtinet; processus autem à mediis artubus ad ipsos articulos invalescente morbo facilis est, quibus locis hæret firmius & hospitatur imperiosius, in ulcus autem transmigrat sæpe lata pustula fomentis acribus & salsis fota, nisi tamen id, quod gravatum erat corpus ope medica mundatum sit; sunt autem morbi moræ cum obsesso corpore semper longę propterea, quod humores plurima parte frigidi crassi multique dominantur.

Via salutis est natura quidem concoquente ac difflante superfluitates, In quibus nimirum corporibus ipsa praepotens est; veruntamen admodum rarò visum est, ut sponte naturæ sine medicamentorum auxilio discussus

discussus fuerit vitiorum gravidus hic affectus, quæ facit omnia contumax & refractaria humoris, qui morbum fovet, natura. Ars igitur accedat oportet, quę & crassos humores attenuet, obtusosque indicat, meatus expediat & ampliet, & in summa concoquat aut discutiat, tum per interna, tum per externa medicamenta, atque alias medendi rationes, quas brevi tradere jam instituo.

Quæst. 17. *Indicationes curandi, ac therapeutica ratio generalis & particularis.*

POstrema nunc cura superest recte medendi, atque omnibus, quæ præter naturam sunt, occurrendi, sic rite nobis agenda proponemus hæc; Primum enim studium erit, ne qui molestar, affectus, in dies augeatur. Secundum, ut, qui concervati jam sunt humores, naturæ pręgravantes, ac vitium foventes extrudantur, & hęc quidem adversus causam provisio est. Tertium, quoniam non admodum magnus Hippocrates 2. epid. sect. 2. abscessus veluti glandularum signum quidem totum, quæ germina habent, ob id, & quia significatur inde malignus morbus, ut Vallesius indicavit, propterea partes interiores ac tota viscera medicari diutius oportet, ut tum eximantur, cum castigentur. Quartum, discutiendum quodcumque circa particulam incubuit alienum incrementum. Postrema circa partem dolore levandam, roborandam & in suo statu naturali conservandam, est occupatio.

Jam igitur, ut generales has præscriptas medendi formulas singulatim, & adamussim exequamur: principio cibi parcitas amplectenda, quorum ciborum est & qualitas eligenda, sic, ut hi non salsi, aromatici, acuti, non atrum succum gignentes, non frixi, non exusti capiantur, itemque non legumina, non carnes vetulorum pecudum, non cetaceorum, aut aliorum piscium, non suilla, non pinguia & oleosa, non acida, neque acetum usitetur; sed homo contentus esto carnibus juniorum, quę mactantur, avium montanarum, gallinacei generis, potius elixorum, quam assorum, ovis dudum partis, recentibus caseolis & coacto lacte; ex oleribus estetur inprimis buglossum, vulgo borrago, post hęc endivia, cichorium, atriplex, condrilla, beta, lactuca memoratis carnium juribus decoctæ, vinum aut olygophorum esto, aut paulo vividius aqua dilutum, à granis & nigro abstinendum; ut quod exhibet fomentum atro succo, fervorique ejusdem, cui remittendo atque attemperando refrigerante victûs ratione utendum admonuit Joannes Huccherius l. de pustulis. Cum alimentorum observatione conjungitur & aeris usura siccioris quidem, quod ad patibiles qualitates, sed temperatioris, quod spectat ad activas.

Accedit secundus scopus, qui bifariam expletur corporis purgatione, qui delinquentem humorum qualitatem expugnat, & sanguinis detractione, quæ plenitudinem exhaurit, si ipsa sit. Sed vulgarem medentium opinionem ac motem non omittam referre, qui minime patiuntur, ut vena pungatur, aut quę arthritidis detrimenta, quotidiana molestiarum incrementa solet immittere; quam quidem idiotarum opinionem me judice contemnere non oportet: Sed reputandum est animo vitium hoc hęrere succis, quę potissima parte dissiti sunt à natura sanguinis, i. pituita & melancholia: unde fit, ut & polychronius affectus sit, quales omnes affectus venæ sectione non tractarunt majores nostri, caventes, ne sanguinem amplius refrigerarent. Adde, quod venę sectio suapte natura mobiliorem & expeditiorem in vasis reddit humorem, qua causa fit sæpe, ut podagra vel chiragra aduocetur, quam ob causam credo factum, ut apricatum ac fomentum prohibuerint græci; quanquam balneum probavit Cornelius, quod pleniorem & calidiorem hic autor statuerit affectum. Sed neque modico dissident intervallo medicamentum universale ac particulare, hoc quidem fomentum, illud balneum est, omnibus autem modis expertæ nostrates vetulę & obstetrices tonsolarum medicæ, timent à sanguinis detractione; detrimenta fortassis expertæ. Quibus quidem suis eperimentis; & quibus nuper expositis rationibus manus dare non oportet, verum sit, gracilis homo sit, qui malo vexatur, abstinendum est phlebotomo, quod si plenior corporatura sit & confactior, hanc utique semel inanire multitudine non alienum est; ne s. illa facultati stimulus sit expellendi. quod 13. methodi therapeuticæ ne semel quidem adnoravit Galenus. Sed & absolute phlebotome curandas epinyctidas docuit Joannes Huccherius in l. de diæta, ac therapia pueror. c. de pustulis alias citato. Atque sic hrevi controversia composita, est evacuandi locus è brachio, vel ex manu; si mas sit; è pede verò, si fœmina; sunt & qui utriusque sanguinem è venis sedis eximendum velint, quæ tamen vacatio secunda sit aliis phlebotomis oportet.

Sed, ut tertio scopo satisfacias, cathartica non sunt alia deligenda, quam phlegmagoga & melanogog. ex his autem præcipua sunt mel rosatum solutivum, & Serapium de polypodio, sive apud nostros D. Augustini, & confectio catholica Arnaldi; & Regis Hamech, quæ pro vitium, habitus, ætatis, & regionis modo plus minus commisceris & obtuleris; Serapiis pręparantibus ad hæc ordinatis è cortice citri; & è succo fumariæ cum aqua melissæ vel buglossi. Jam autem, ut quod maximum & præcipuum est, viscera restituas, & malam his habitudinem eruderes, non una quidem ratio est. Nostri curatores omnes è vulgo consueverunt offerre genistæ flores saccharo conditas, sunt autem & decoctum lenticulæ cum melle dicant satis bene fecisse. Plurima verò pars polypodium prędicant optime facere, quod Mesures lib. de simplicibus cap. 5. calidum fecit ordine tertio, siccum secundo, quod humores crassos lentosque terget, digerit, siccat; bilem atram & pituitam vel crassam, vel lentam purgat etiam à juncturis: atticitibus ob hæc melancholicis prodest, ut quartanis præsertim cum mulsa epithymo, sale indo. Verùm nos, ut polypodium probemus, tamen exoticam sennam minoris non facimus. tertium verò, sed in attemperandi facultate primum asserimus Centaurium majus à divino Chirone primo quidem chirurgiæ, at non secundo pharmaciæ magistro inventum. Adhæc non omittenda smilax est aspera, quam pro sparto. parili ipso indico, exacte restituit Marius Schipanus singularum medicinę partium, & botanicæ excellenter peritus; neque quod nodoso sit smilax propterea de hac re dubitaveris. quippe id, in quo æquiparantur nostra hæc smilax & rubus Indorum viticulosus, fibrę sunt enodes ac longæ, quę sunt utrisque cum lignosa interna portione pariles ac perpetuæ. Sed de his apud Prosperum Alpinum l. de plantis Ægyptiorum latè, non interim revertimur ad institutum.

Quibus medicamentis compositum unum decoctum saccharo, vel melle conditum offeres ad multas, tres minimum, aut duas hebdomadas hauriendum selibræ pondo, Centaurium ad uncias iij. polyp. ad unc. i-- senna ad unc. j. in aq. fontanę sex lib. decoquantur, primum rhaponticum, mox polyp. extremum senna. Hic dispar admodum non est Serapium dictum majus è fumaria, cujus binas uncias tum polypodij, sennę, rhapontici decocto ad duplum addito, langueus hauriet, ad longum etiam dierum numerum, quorum jam pręscripsi.

Sed omnes compositiones superaverit ea, quam mox exponam. Sunt, ut in Pædarthrocace docui, angues, quos à calore cervinos dicunt, ad contumacium gravissimorumque morborum curationem mirum in modum accommodati, qui superfluitates corporis exiccantes eluunt, & naturæ lapsus omnes nativa quadam virium proprietate castigant, itaque & ad luem veneream efficaciter expugnandam hoc præcipue medicamentum voluit utendum Ludovicus Mercatus inter Hispanos omnes medicos experientissimus. Quod ego Serapium sic parare consuevi anguem cervinum vulgo cervonum ętate media, ac bene habito corpore in arcula ligneola, quæ furfures ac salem receperit, aliquandiu conclusum. capite & cauda podicę tenus exectis, excoriatum & exenteratum in multas partes concide, & coque in aqua fontana quanta suffecerit cum his simplicibus medicamentis, i. radicis centaurii majoris vulgo rhapontici succosi in taleolas præcisi unc. iij. radicum smilacis asperę contusarum unc. ij. polypodii quercini unc. i ½ radicum buglossi, endiviæ, cichorii, graminis, asparagorum, adianthi, aspleni, singulorum manip. i. radicis glycyrrhizæ drachmis iij. eupatorii, chamędryos, scabiosæ, pimpinellæ, coronopi, phyllitidos, hepaticæ, betonicę, melissę, singulorum manip. j. plantaginis manip. ij. hordei pug. ij. uvarum passarum exacinatarum unc. ½ foliorum senæ orientalis unc. 1. ferveant omnia simul ordine competenti, & succi colatura cum saccharo albo condiatur modo, & consistentia syrupi, qui conclarescat ovi albumine despumato S. A. Dosis ab unc. iiij. ad unc. vj. Quod si partito atque multoties decoctum confici certiore conservandarum medicamenti virium, & palati commodo libuerit: consultum huic rei fuerit, ut ante abrasas è spina carnes anguis ad Clibani torrorem exempto pane pastillorum forma paululum exiccaveris s. mox sacchari & mellis pauci conditura obductos eosdem conservaveris, sic ad usum eam materiam in decoctum pro ratione sumpseris & admiscueris.

Post hęc ad pustulosam partem remedia referet; quorum pars medicamenta, pars chirurgia est. medicamenta quidem, ut indicavit Oribasius, exiccantia quidem sunt, sed sine mordicatione, qualia l. 7. synops. c. 37. dixit silphii succum aqua solutum, aut cicutam tritam, cujus ejusdem libri c. 42. scripta reliquit hęc; Ad epinyctidas valet apium cum polenta tritum & illitum: brassicæ folia trita imposita: alterci folia ex melle trita applicita. Solanum per se, & cum cicuta viridi, aut olivæ foliis cum aqua coctis utitor, uvas passas ademptis acinis tritas admisceto, easque splenio illitas imponito, adianthum quoque ex melle tritum facit. His Paulus l. 4. cap. 9. comprobatis omnibus, & integre traductis addidit adianthum ex melle, & capite sequenti argenti spumam & sulphur ignem non expertum pari portione cum aceto applicitum, item myrtus, ait, in lævorem redacta sordium illitione cum oleo & vino benefacit &c.

Sed Cornelius Celsus hęc tradidit, epinyctis post lenticulam, recte herba quoque sanguinali vel viridi coriandro curatur, ulcera ex pustulis facta tollit spuma argenti cum semine fænograeci mista, sic ut his invicem rosa, atque intybi succus adijciatur, donec mellis crassitudo fiat. Hæc ad epinyctidas antiqui: è junioribus verò Joannes Huccherius in l. jampridem citato medicamentis partim refrigerantibus ad ardorem leniendum, partim digerentibus propositis, tradidit adponendum cataplasma ex hyoscyami foliis contusis cum melle mistis, atque ex brassica, apio, & hordei farina concorporatis, vel ex coriandro viridi cum cymis oleæ coctis, nostri ad roseolas, ut ipsi dicunt, fel porcinum aut bovinum adhibent hordei farina, vel crassiore item aliqua materia, quæ consentiat, exceptum, interim ad 9. dies oblato plantaginis succo.

Sed omnia medicamenta superat longè chirurgicum experimentum, quod est scarificatio tum ad ipsas roseolas, tum ad tibiarum anteriorem faciem semel aut amplius phlebotomo facta, non alia ferme ratione, quam, quæ à Prospero Alpino 3. de medicina Ægyptiorum, & à Jacobo Manno lib. de scarificatione vulgata est, à barbaris plerisque nationibus & Asiaticis hodierna die feliciter exercita, & à me etiam fere quotidie in sacro Incurabilium nosocomio nunquam sine fructu administrata, hanc autem in hoc eodem vitio curando sentii mire proficuam in utraque memorata virgine Parthenophilacii, & in obstetricis filia, qua miro quodam & incredibili modo visus est dolor sopiri, ut ne talis quidem alias confectis rite corporis expurgationibus persentiretur, qua vacuationis exacta opera, vix aliud erit necesse, si fuerint satis intima perpurgata, atque hactenus de roseolis.

De Epinyctide rursus quædam, ex Clariss. Ioh. Munnicks.

I. AD Furunculum haud ineptè referri possunt Epinyctis, & Terminthus. Epinyctis, ex C. Celsi, Pauli Æginetæ, & Aëtii sententia, est pustula pessima colore sublivida, vel subnigra, vel rubicunda, vel alba, circa quam vehemens suboritur inflammatio cum ingenti dolore, noctu magis affligens, cumque aperta est, intus mucosa reperitur exulceratio. Color est humori suo similis, ab eaque cruenta emanat sanies. Dicta vero Græcis ἐπινυκτὶς, quia fere semper noctu oritur. Arabes *Essere*, *Sere*, vel *Saire* appellarunt.

II. Fit Epinyctis, haud secus ac Furunculus, è sanguine impuro, acri, maligno, criticè in corporis superficiem expulso.

III. Signa verò quibus cognoscitur Epinyctis, sunt quod pustulæ hæ sua sponte proveniant, colore sint rubicundæ, vel sublividæ, vel albicantes, atqui gravius noctu quam interdiu affligant. Cæterum dolor in Epinyctide vehementior est, quam pro ejus magnitudine, cum fabâ major non sit: sponte exulceratur, & cùm rumpitur mucosam parit exulcerationem, unde subcruenta emanat sanies.

IV. Equidem pustulæ hę, ex C. Celsi sententia, maximè eveniunt in puerili ætate, rarò in medio corpore, sæpè in eminentibus partibus, & verno tempore, suntque nullius periculi, nisi in curando error committatur, quamvis pravos humores in corpore redundare indicent.

V. In Curatione Epinyctidis, haud secus ac in Furunculo Curando, procedendum; viz. Pustula maturanda, & Puris generatio acceleranda, appositis Uvis passis contusis; vel imposito Cataplasmate ex Uvis passis, Caricis pinguibus, & Ruta viridi, simul comminutis; vel Emplastro Diachylo cum gummi, cum Unguento Basilicone, vel, ut malignitas si quę adsit corrigatur, tali Digestivo.

℞. Unguenti Basiliconis ℥j. Therebinth. venet. ℥ß. Theriaces Andr. ʒij. Mellis virginei ʒvi. Olei Scorpionum ℥iij. M. F. S. A. Digestivum. Postea ulcus mundetur Digestivo communi; Unguento Aureo vel Basilicone impleatur; atque imposito Emplastro Diapalmæ, vel Styptico tandem cicatrice tegatur.

VI. Terminthus autem Tuberculi species est, & Epinyctidi ferè similis, cui superne & inferne nigra pustula incumbit, qua ruptâ infernè desquammatio apparet: dissecto autem tuberculo pus invenitur. Sed cum Terminthus ex eadem causa, qua Epinyctis, hoc est, ex adusto, acri, & venenato sanguine fiat, eademque pars afficiatur; hinc eadem Curatio ei convenit, idemque Prognosticum, quod Epinyctidi.

EPIPHORA.

Ἐπιφορὰ (à φέρω fero) est immoderata tenuis humoris fluxio lachrymarum specie in oculos præter naturam facta, humor qui fluit, modò frigidus est & aqueus, nullo dolore molestus, modò acer est aut salsus, dolorem, ardorem & ruborem, imò nonnunquam palpebrarum exulcerationem inferens, Symptoma est in excretis. Hujus affectus causa proxima est humor excrementitius, à capite vel aliunde à parte aliqua corporis in angulos oculi influens. Causæ disponentes sunt partis affectę imbecillitas, roburque mittentium. *Thom. Burnet. Thesaur. Medico-Practici lib. 5.*

Post evacuantia generalia & particularia, revellentia & derivantia, quibus cerebrum ab humoribus serosis depleatur; ad fluxionem sistendam utatur æger sequentibus.

℞. Nuc. cupress. gallar. virid. rad. bistort. ana ℥ß. pulverizentur, & irrorentur aceto acerrimo, & iterentur; add. mastich. sang. drac. sandarach. ana ʒvj. ochræ in aceto lotę & siccat. ossium human. calcinat. lap. hęmatit. ana ʒ iij. bol. Armen. alum. rup. ana ʒiiß. Terebint. Vener. ceræ ana q. s. ut fiat Emplastrum, cujus portio extendatur in panno serico & applic. arteriis temporalibus & supra supercil. & tota nocte gestetur.

℞. Aloes è vesica ʒj. tutię prep. ʒß. Mac. ℈j. Ireos Flor. ʒj. Mastich. sang. drac. ana ℈ij. Vitriol. alb. gr. xv. Sacchar. cand. ʒjß. Aquę stillatit. fœnicul. cuphras. rof. plantag. ana. ℥ iij. Mf. insolentur per octiduum, mox f. colatura, de qua cap. ʒj. phlegm. alum. q. s. ad contemperandum; instillentur gutta in ocul. sæpiùs in die. *Theodor. de Mayerne Praxeos Medic. lib. 1.*

Puellę cuidam novem annorum ex uno oculo lachrymę ultro effluebant, quę frigidę erant, neque oculum corrodebant. Erat autem puella pituitosa & catarrho obnoxia, præmissis universalibus ut sequens collyrio uteretur mandavi, quod omnibus convenit in quibus malum perseverat.

℞. Aloes, nucis cupr. thuris, mastich. myrrh. ana ʒij. tutię præp. sarcocoll. nutrit. an. ʒ jß. sang. drac. berber. sumach. rof. rub. ana ℈j. pulverisentur tenuissimè & excipiantur aquâ fœnic. & fiat collyrium, cujus ope ab hoc malo liberata est. *Petrus Forestus, observat. 11. lib. 11. De morbis Oculorum.*

Epiphoram calidum in muliere quadam ita curavi, corpore repurgato & vena secta, collyrio sequenti utebatur.

℞. Troch. alb. rhasis sine opio, ʒj. Aq. rof. vel pecnli rof. ℥ iij. Aq. fœnic. (ob refrigerationem obtundatur acumen visus) ℥ ij. M. F. Collyrium.

Si illud non juvaret, consului ut sequenti uteretur.

℞. Cerus. ablutæ, sarcocoll. nutrit. licii, acacię, thuris, ana ʒj. ossium myrobal. adustor. corall. alb. rub. ana ʒß. Margarit. ℈ß. succi mali punici ad dimidii absumptionem cocti, q. s. F. Collyrium. Solus etiam malorum punicorum succus coctus, donec dimidium absumatur, lachrymas calidas curat. In hac Epiphora commendantur etiam cauteria retro aures. *Rondeletius* potius laudat cauterium supra commissuram. Vetula quædam in *Italia* cum oculos haberet lippientes, lachrymantes & saniosos, cum intenso dolore & prurigine, & nullis remediis posset curari, tandem raso capiti emplastrum vesicatorium impositum est; excitatisque vesicis ac ruptis, butyro imposito, ac demum caulis folio, quo præsidio perfectè curata fuit. Vesicatoria etiam in collo egregiè prosunt. *Petrus Forestus, observ. 12. & Schol. lib. 11.*

Pro singulari experimento habetur hoc unguentum.

℞. Æruginis, ęris, gr. xij. camphoræ, ʒj. tutię prep. ℥ß. butyr. rec. quod cum aqua rof. liquefiat. & parum bulliat, ʒvj. M. decenter ut fiat unguentum. Iniiciatur pisi magnitudo in oculi canthum majorem: leviterque inungantur palpebræ. Est ad Epiphoras & pruritus oculorum, singulare experimentum. *Felix Platerus, to 2. prax. med. pag. 279.*

EPIPLOCELE Vid. *Hernia.*

EPIPLOMPHALOS vid. sub titulô *Hernia.*

EPULIS ET PARULIS.

I. QUemadmodum Laxa, Fungosaque intra Nares excrescens Carô *Polypus*, ita *Hypersarcosis* seu *Carnea Gingivarum circum Dentes Excrescentia* Epulis dicitur. Hæc vehementer aliquando increscit, atque augetur, ut adeò & loquendi, & manducandi adimat facultatem: viscidam, tenacem, ac fœtidam effundit Salivam, & non raro in Cancrum quasi degenerat.

II. Solet verò Affectus hic ex *Scorbuto* semper oriri. Enimverò sanguis labe scorbutica infectus, recrementa sua acri-salina tum per arteriolas, tum per vascula salivalia, in Gingivas quoque deponit; quæ laxam, fungosamque Illarum Carnem erodunt, hinc & corrumpunt sępe, ut Dentes stabilire nequeat; aliquando verò Erosam Gingivarum Carnem ultra excrescere faciunt, adeoque *Epulidem* causant: quæ idcircò in Norvegia, aliisque Septentrionalibus Regionibus, ubi Scorburus Endemius est Morbus admodum frequenter contingit.

III. Refert Paręus *Chirurg. lib. 7. cap. 4.* sępius se observasse, carnosam hujusmodi excrescentiam in cartilagineam, & osseam vetustate induruisse: quapropter quàm celerrime fieri poterit, *Curationem Hujus* aggrediendam esse suadet. Igitur exilis quum sit Epulis, tentanda Ejus per Medicamenta Curatio; atque Universalibus, ut in Scorbuti Cura fieri solet, haud neglectis, Topica adhibenda sunt Exsiccantia & Astringentia; viz. *Aluminosa*, aliaque Antiscorbutica, v. gr.

℞. Aq. Plantaginis, Salvię, Antiscorbuticę, Vini Albi Gallici ana ℥ jß. Aluminis Crudi pulver. ʒ ij. Aquę Cinamomi ℥ iij. Misceantur pro Oris Collutione.

Sed Medicamentis si tolli nequeat hic Gingivarum Tumor quam citissimè Filô, vel Cultrô abscindatur, ne prœter modum induretur, vel in Cancrum abeat. Ubi verò abscissa est Epulis, Ægrotans frequenter os colluat, atque Gingivas fricet pręscriptâ nunc Oris Collutione, vel simili.

IV. Nascitur quoque in Palato Tumor ex viscosa & acri materie, quę Os inter & Membranam hęrens, illud non rarò putrefacit, atque corrumpit, hinc Ulcus grave excitat. Tumor hic Parulis dici consuevit, atque contingit ex Saliva pręter modum acri & salsa, simulque glutinosa; quæ per exiles Palati ductus prodiens, & ob suam ipsius viscidiratem membranę poros, transcolari nequiens, adeoque inter Os & Membranam subsistens, Tumorem hunc producit. Qui ut Curetur, discissa pinguis Carica apponatur; hinc quamprimum non expectatâ suppuratione, sectione latâ & profundâ, ad os Palati usque, incidatur, & acris, viscidus, necnon subcruentus humor exactè exprimatur: secus enim subjectum os facillimè corrumpitur, oriturque fistulosum, ęgreque sanabile ulcus. Facta verò sectione, evacuatoque concluso humore, absque medicamentorum ope, sola Saliva aperturam sanat. *Joh. Munnicks Chirurgia lib. 1.*

Parulis parva est inflammatio partis alicujus gingivarum cum tumore, quæ si non resolvitur suppurat, & in abscessum vertitur, qui malè curatus in ulcera serpentia sępè degenerat. Si unà dolor adsit, leniatur ille gargarismatis è lacte tepido, cataplasmate ex mica panis albi in lacte cocta, misto ovi vitello, croco & oleo rosato. Si non resolvatur tumor, & ad suppurationem tendat, ficus pinguis per medium secta carboni accenso super

ſo ſuperponitur, dum aliquantulum areſcat, dein tumori gingivæ apponitur, interdiu atque noctu geſtatur dum matura parulide pus ſponte aut arte fluat. Abſceſſus hinc relictus non ad cutem faciei, non ad radices dentium aperiri ſolet, vel ſponte naturæ, vel manu Chirurgi, quo aperto pus erumpit, ſtatimque dolor ceſſat, & brevi pars redit ad priſtinum ſtatum. Si gingivę citra tumorem inflammantur, id eſt, ſi phlogoſi laborent, convenit gargariſmus ex aqua communi tepida, Aqu. plantag. roſar. addito aceto roſato, vel oxycrato, vel ex ſuccis ſempervivi, plantaginis, ſolani.

Epulis eſt excreſcens gingivarum caro, parulidem malè curatam ſępè conſequens. Niſi enim in parulide, quæ ſuppuraverit, ulcus fuerit probè deterſum, luxuriat ibi caro, quę Epulis dicitur, & ſenſim augetur, aliquando ovi magnitudinem ſuperans, & ſermonem maſticationemque impedit. Interdum in cancrum degenerat, quod inde noſcitur, quod cùm prius eſſet indolens, nunc lancinante dolore comitata eſt. Cumque in cancrum degenerat, nec ferro nec manu Chirurgica attingi debet. At quę nullum dolorem excitat, alligetur filo duplicato, donec excidat, ubi autem excidit, ne repullulet, ejus radix cauterio ignito attingatur, vel potentiali, vel oleo vitrioli, aqua forti & ſimilibus, cavendo tamen, ne ab iis corrodentibus partes ſanę lędantur. *Autor. Enchirid. Medico-Practic. apud Fernel.*

Epulis horrenda.

Clariſſ. Ioh. Acoluthi. Miſcell. Curioſor. Decur. iij. Ann. 4.

Horrendum jure dixero. Epulidem quâ fœmina, triginta circiter annos nata, miſera, ex Polonia 1693. ad nos deferebatur. Maxilla ſiniſtra ſuperiori, dentis ineptâ evulſione fiſſa, primam malo originem dediſſe videbatur, unde tumor parvus, ex evulſi dentis alveolo enatus, intra biennium in tantam excreverat molem, ut duplicis pugni magnitudine, totum ferme os occuparet, genâ illius lateris, ad proximè imminentem crepaturam extensâ, magnaque tumoris parte extra os prominutâ, ut à multo tempore labiorum clauſura, & dentium commiſſio interciperetur. Notabili verò à paucis hebdomadis ipſi acceſſerat augmentum, adeò, ut vel ſuffocatum, vel fame & ſiti brevi periturum eſſet hoc miſeriæ humanę exemplar, niſi ſubitaneo auxilio ſubverſaretur. Hoc, ut Chriſtianę charitate moti, pro viribus præſtaremus, accuratiùs inter oris rimabamur, deformem hanc maſſam duriſſimam, & maximè palati parti pariter, atque maxillæ ſuperius dictæ connatam, ita ut univerſi ſiniſtri lateris dentes arctiſſimè includerentur, oſtendentia. Sic omni ſpatio, quod cultrum admitteret, excluſi, tranſverſa inciſione malum dividebamus, ab angulo oris incipiendo, mox falcato cultro denudatum aggredientes tumorem, qui cornea cartilagine (ex qua maximam partem conſtabat) pertinaciſſime renitens, omnes ferè chirurgi atque ferri vires exhauriebat. Tandem cedere coactus, tres, quatuorve dentes, firmiſſimè ſibi implicatos, cum carioſi oſſis maxillaris parte inſigni, comites extrahebat. Hac verò opera, illa tantùm Epulidi, dimidietas, quę extrorſum ſpectabat, ſeparabatur, plus negorii adhuc faceſſente alteram, quam cavitas oris circumſcribebat. Hæc ineptiore poſita loco, quàm ut uno tractu reſcindi poſſet, per partes extrahebatur operatione adeò laborioſâ & crudeli, ut parem omni vitâ non viderim. Quà vel hæmorrhagia urgebat, vel fungoſa caro videbatur, candente ferro probè adurebatur, eo ſucceſſu, ut brevi omnia lætiores acquirerent vultus, ſolo loco, qui natales malo dederat, carne fungoſa luxuriante. Ferrum igniſque hanc aliquoties in vanum ſuſtulerant, cùm tandem attentiſſima inveſtigatione deprehenſæ relictæ carioſi oſſis feſtucæ ac ſquamę, eximerentur, preſſo pede, felici ſanatione illas inſequente.

Epulis prægrandis, ſingulari encheireſi, feliciter extirpatus.

Clariſſ. Georgii Abrahami Mercklini; Miſcell. Curioſ. decur. iij. Ann. 5. & 6.

Cùm Peritus Chirurgus, Joh. Nicol. Marſchalckus, notiſſimus apud nos Balneator, Anno Chriſti 1690. menſib. Jun. & Jul. haberet, quod Viennę Auſtr. coram Judicio Imperiali in communi Balneatorum Norimbergenſium causâ ageret, commodum accidit, ut ab Illuſtri Sexagenariâ majori & quidem admodum obesâ Matronâ, de ſatis magnâ, eâque carnosâ excreſcentiâ in inferiori maxilla dextri lateris, inter caninos dentes enatâ, conſuleretur. Hęc Epulis per quinque ferè annorum decurſum in tantam indies accrevit molem, ut jam dimidii ovi gallinacei magnitudinem ſuperaverit; quo factum, ut inde duobus illis dentibus, intra quos primùm, luxuriantis carunculę adinſtar, propullulare cœpit, ultra digitalis articuli ſpatium ab invicem divulſis, ſuiſque ex alveolis excuſſis, rictus oris indecorè ſubinde hiaverit, nec unquam claudi potuerit. In conſilium interea vocati ſunt diverſi iique celebriores cùm Medici, tum etiam Chirurgi, quorum plerique, quòd Tumorem, præmiſſis univerſalibus, aliiſque neceſſariis Internis Remediis, corrigere, & cauſticis exedere ſtuduerint, tantùm abfuit, ut iis remiſerit Malum, ut potiùs magis magiſque inde exacerbuerit. Hic Marſchalckus noſter in tempore recordatus, ſimilem Epulidem jam patrem ſuum itidem Chirurgum in plebeio homine ſingulari encheiriſi ſuſtuliſſe, eandem ipſe quoque proponere ſatagit. Quum verò operatio iſta ceu minùs nota, nova, inſolensque & ambigua videretur, undique conquiſitis prius, ſuper propoſitâ hac enchiriſi, plurimorum Medicorum Judiciis, in conſilium adſciſcere placuit adhuc alium, & quidem ordinarium celebriorem Viennenſem Chirurgum, nomine Georg. Schlenzkium, qui re, qua licuit ſagacitate, perpenſâ, non potuit non annuere, inque medium allatum procedendi modum approbare, quem uterque prævia ex Pilulis conſtante à Medico præſcriptâ Purgatione convenientiſque Diætæ ordinatione, ardenter implorato DEI adjutorio, hoc feliciter excogitato artificio aggreſſus eſt. Nimirum ferreum repetitis excandeſcentiis ductilius redditum chelenma, Tumoris radici ſtrictè injecerunt, quod cùm in dies arctiùs ad exhibiti conifimi formam ſingulari forcipe conſtrinxiſſent, tandem die nono eò deventum eſt, ut ob illas à maxillari oſſe interea ſponte ſemotas lamellas ulterior conſtrictio fieri nequiverit, unde reliqua radicis tenuior portio, quà adhuc cohæſit, peculiari ad hunc ipſum uſum fabricato inſtrumento abſcindi & debuit, & facilè potuit. Hoc facto, in locum ablatæ Epulidis applicuerent *Pulverem Pannic. rubr.* quo, exacto triduo, in conſpectum venit ipſe Tumoris fundus, ex quo abſque ullo dolore novem oſſium ſquamæ prodierunt. Quare viſum eſt, ulcuſculum *Unguento fuſco* Fel. Würzii, addit tantillo *phlegmatis Vitrioli*, mundare, illudque medicamentum diu adhibere, uſque dum eſchara excidit, & caro paulatim repullulaſcere cœpit; in uſum poſthęc porrò vocato *Gargariſmate adſtringente*, nec non exteriùs, defenſionis quodammodo loco, appoſito conveniente *Epithemate*, unà cum *Balſamo Florum Seletani*. Quibus adeò feliciter ſucceſſit curatio, ut Nobiliſſima fœmina non ſolum integrè convaluerit ſed & hodienum optimè habeat, valeatque pancraticè.

ERYSIPELAS.

Curationes.

TUmor qui Græcis *Erysipelas*, Latinis Ignis Sacer, seu Rosa nuncupatur, ab Autoribus malè describitur, quòd sit tumor præter naturam ex bile ferè in solam cutem, quandoque etiam in musculos subjectos, effusa, dolorem, calorem aliaque symptomata causante. Si namque sola Bilis in cutem effunditur Herpes, non Erysipelas oritur.

II. Sed quum vera Inflammatio, atque adeò Phlegmonis species sit Erysipelas, potius dicendum videtur, quod sit Inflammatio valde ardens, maximeque circa cutem consistens, & aliquandò subjectæ carnis aliquid occupans, orta ab effuso, extravasatoque bilioso, tenuiore, & subtiliore sanguine, cum tumore vel exiguo, vel sępè, quoad sensum, nullo; cujus color pallidior aut magis flavescens est, quàm Phlegmonis, & si retigeris facilè sanguis subterfugit, rursusque illabitur exquisitè tenuis, aspectuque rubens.

III. Est autem Erysipelas duplex; verum seu legitimum, & non verum seu spurium. Verum Erysipelas simplex est, simplici fervore & rubore affectum sine ulla exulceratione, è sanguine bilioso, tenuiore, fervidiore, in quo Acidum volatile prædominatur, genitum. Non verum seu spurium Erysipelas trium vulgo habetur generum: Unum quod oritur ex sanguine bilioso, tenuiore, at acri, pungente, & rodente, qui idcirco latam, & aliquando profundam satis efficit exulcerationem: Alterum Erysipelas spurium est sine partis affectę exulceratione; in eo tamen exiguę succedunt pustulę & vesiculę, quę nonnihil incisę, perforatęque Saniei aliquantulum fundunt: Tertium genus est, quod fit quidem è sanguine tenui, fervido, at simul vel copia peccante, vel sero abundante, vel terrestribus, acido-austeris, similibusve particulis redundante, unde Erysipelas dicitur vel Phlegmonodes, vel Oedematodes, vel Scyrrhodes.

IV. Igitur verum seu legitimum Erysipelas è sanguine bilioso, tenui, subtili, fervido, in quo Acidi-tas volatilis abundat, generatur; qui ex minutissimis capillaribus vasculis exiliens, ptę sua tenuitate & subtilitate in interiore carne subsistere nequit, sed per extremam cutem, partesque ei vicinas diffunditur, atque ardentem ibidem excitat Inflammationem.

V. Ardens autem illa cutis, partiumque proximè ei subjectarum Inflammatio, Erysipelas dicta, à Phlegmone distinguitur, 1. Colore; est namque color ruber, Erysipelatis ex rubro flavescens. 2. Pulsatione; quæ magna adest in Plegmone, parva vel nulla in Erysipelate. 3. Tumoris magnitudine; Etenim in insignem tumorem Inflammatio partem attollit, cùm & cutem & subjectos musculos occupet; Erysipelas verò partem affectam modice elevat, adeo ut vix appareat tumor, cùm cutaneas partes solummodo ardens hæc Inflammatio invadat. 4. Calore, qui major est in Erysipelate, quàm in Phlegmone. 5. Dolore, qui in Erypelate minor est, at pungitivus; in Phlegmone tensivus, & gravativus. 6. Duritie & Mollitie; cùm Inflammatio tactui non cedat, sed renitatur; Erysipelas verò si tangatur, tactui cedat. 7. Eo, quod rubedo, quæ in Erysipelate adest, si digito prematur, statim abeat, & cutis sub digito alba evadat, deinde verò mox redeat eadem rubedo, ob tenuem subtilemque sanguinem, à quo fit; in Inflammatione verò hoc non accidat. 8. Quod in Erysipelate nulla tensio, ut in Phlegmone appareat. 9. Loco affecto; Erysipelas namque loco dimovetur, serpit, & vicinas partes similiter afficit, Inflammatio autem in uno figitur loco, ab eoque nec discedit, nec dimovetur.

VI. Signa itaque, quibus hic affectus cognoscitur, sunt æstus ingens, dolor acris non valdè vehemens, rubedo ad flavedinem tendens, ad tactum ut facilè cedens, ita & facilè rediens, partis intumescentia, ac tensio levis, pulsatio minor; sitque invasio ejus plerumque cum Febre, nisi à causa externa oriatur.

VII. Equidem rarò periculosus est affectus Erysipelas, nisi ab exterioribus ad interiora materies repellatur: periculosior verò, si circa oculos, fauces, aliasve nobiles partes consistat; aut si vulneri, ulceri, fracturæ, luxationi superveniat. Ut autem facilius tutiusque sanetur, resolutione, aut insensibili transpiratione, seu per diaphoresin terminari debet, non suppuratione, quæ in hoc affectu mala admodum est, difficilisque curationis.

VIII. Ut verò Erysipelas ritè Curetur, 1. Conveniens instituenda Dieta, atque eadem sex rerum nonnaturalium dispensatio hic observanda, quę in Phlegmone. Dein Antecedens Materia evacuanda Cholagogis blandioribus, Venæsectione, ac imprimis Diaphoreticis iterandis, reiterandisque.

IX. Tertia Cura erit de Medicamentis Topicis: Quę in Principio nimimè sint validè Repellentia, Exsiccantia, Adstringentia, quod illorum usu Materia acrior intro compulsa vicinas partes corrodat, & exulceret. Sed si exiguum fuerit Erysipelas, pars affecta à nobilioribus remota; humorésque adhuc fluxerint, applicentur modicè Repellentia, at Resolventibus mixta; ne occlusis nimium poris, hinc radiante nativo calido ferè suffocato, Gangræna accedat.

X. Pessimè quoque Ægris suis consulunt Chirurgi, qui partem Erysipelate affectam inungunt Unguento Nutrito, de Cerussa, Populeo, Rosaceo, Oleo Rosarum, Violatum, similibusve pinguibus; utpote quæ biliosum, tenuem, fervidum atque in partes cutaneas effusum, extravasatumque sanguinem excitant magis, incendunt, adeoque ardenti huic Inflammationi maximè adversantur, ut rectè monet Galenus. *lib. 5. de simpl. Facult.* Et scribit Fabritius Hildanus, *Cent. 1. observ.* 82. se observasse, Erysipelas ex Olei Rosacei inunctione in Gangrænam mutatum fuisse.

XI. Modicè ergò Repellentia, at Resolventibus Volatilibusque permixta, quę simul Acidum volatile infringere ac mitigare possunt, hìc sunt apponenda, v. gr.

℞. Aquę florum Sambuci ℥viii. Aceti Sambuci ℥ij. Spir. vini ℥i ß. Sacchari Saturni gr. xv. Camphoræ ℈j. Misceantur pro Epithemate.

Vel ℞. Aquæ florum Sambuci ℥viii. Vini albi Gallici ℥iv. Misceantur.

Vel ℞. Aquę florum Sambuci ℥vi. Spiritus vini ℥j. Camphorę ℈j. Troch. alb. Rhasis ℈ij. Misceantur.

Vel ℞. Fol. Malvæ, Altheæ, Parietariæ, Salviæ an. Mj. Flor. Sambuci, Camomillæ an. Mij. Rosarum Rubr. Mj. Coq. in æq. patt. aq. comm. & Vini albi Gallici ad ℥xxx. pro Fomento. Vel decoquantur Flores Sambuci in Lacte Dulci, vel Ebutyrato, & applicentur.

Vel fiat Sacculus Interstitus ex Floribus Sambuci, isque in Aqua Florum Sambuci, tantillo Aceti Sambucini addito, madefactus iterumque leviter expressus calidè parti affectæ applicetur, & sæpius renovetur.

Vel dissolvatur Sapo Venetus in Aqua Pluviali, vel Florum Sambuci, atque isto lixivio imbuantur panni lanei mundi, qui dein fortissimè exprimantur, & parti affectę calidi applicentur, ac identidem permutentur.

Sunt

1. Sunt qui Stercus ovillum in vino aut aceto decoctum uſurpant.

Alii laudant Cretam pulveriſatam ope chartæ emporeticæ parti impoſitam.

Nonnulli Spiritum Vini, in quo Theriaca diſſoluta eſt, linteis duplicatis aut quadruplicatis imponunt.

XII. Sed remediis hiſce ſi Eryſipelas curari nequeat quin potius exulceretur, hoc vel ſimile illinatur Unguentum.

♃. Troch. albor. Rhaſis, Tutiæ præp. an. ℥j. Lithargyri ℥iß. Ceruſſæ ℥ij. Flor. Sulphuris ℈j. Camphoræ ℈ß. Olei Roſarum ℥ij. Ceræ albæ q. ſ. Terantur diu, & exactè lævigentur in Mortario plumbeo, ac F. S. A. Unguentum.

XIII. Sin vero in Facie fuerit Eryſipelas, nulla apponenda ſunt Repellentia vel Adſtringentia, ne quidem Reſolventibus mixta; ne materia ad Oculos, Fauces, aliaſve partes nobiles pellatur. Sed imponatur Sacculus interſutus ex Floribus Sambuci, in calida Aqua Florum Sambuci, addito Vino albo Gallico, madefactus, leviterque expreſſus, qui identidem renovetur. Vel calidè applicetur Sacculus, ſubtiliſſimâ Tritici vel Hordei Farina repletus.

XIV. Atqui cùm Caput occuper Eryſipelas, uti Mulieres aliquando experiuntur, nulla omnino humida ſunt apponenda; ſed lintea munda recenter lota, adeoque vapore Saponis perfuſa, calida imponantur, ſæpiuſque permutentur. Vel calidè applicetur laudatus ſacculus, ſubtiliſſimâ Tritici vel Hordei Farinâ repletus. Vel Lixivium fiat fortiſſimum ex Sapone Veneto cum Aqua Florum Sambuci, eò imbuantur lintea munda, quæ dein exſiccata, & calidè appoſita, identidemque renuvata, mirum in modum Ardentem illam in capitis partibus cutaneis Inflammationem diſcutiunt, reſolvuntque. *Joh. Munnick. Chirurgia lib. 1.*

Eryſipelas recens quamcunque partem invaſerit externa diſcutientia requirit moderata. Sanguis menſtruus in aceto roſaceo diſſolutus & calidè applicatus ſubitò ſolvit, præſertim ſi ſudores quoque moveantur ex Bezoardico, cùm ſimplici tum compoſito, vel ſolari vel lunari in aqua ſenecionis. Item ex miſtura ſimplici in eodem vehiculo.

Sic decoctum Myrrhæ & Olibani in Vino & aceto calideque applicatum cito diſſolvit.

Folia raphani ſylveſtris conquaſſatis fibris calidiuſcule applicata fervorem ſanguinis reprimunt.

Nonnullis aqua ſpermatis Ranarum, ad extinguendum ignem ſacrum familiaris eſt, ſed ſæpe malo cum ſucceſſu. Eſt nimirum nimis frigidum, hoc eſt, habet in ſeſe Mercurium cum Saturnina quadam proprietate conjunctum. Itaque repercutiens quidem eſt, ſed ſubſequentium gravium ſymptomatum cauſa manifeſta. Mortificantur exinde tum partes nervoſæ tum venoſæ. Ejus tamen particula cum decocto Myrrhæ & Olibani miſta laudabilior eſt ad inſtitutum.

Tibialia linea imbibita aquâ ſpermatis ranarum & viciſſim exſiccata, ſubindeque eodem opere præparata, pedes & crura ab Eryſipelate ſæpius recurrente muniunt & preſervant.

Eryſipelatis exulcerati curam vide apud Rulandum centuria 1. curatione 43. Hac cura feliciter uſus ſum in mulierculis, (Naſturtium aquaticum ſingulare.) Item Eryſipelatis phlegmonoſi curat. 61. cent. 9. *Joh. Hartmann. in Prax. Chimiatr.*

Febris Eryſipelatoſa.

Nullam non corporis partem, idque nullo non tempore inceſſit hic morbus, at præ reliquis faciem, exeunte præſertim æſtate; quo tempore ſæpe dum ſub dio verſatur, corripitur æger. Facies ſiquidem ex improviſo in tumorem attollitur, qui ſubitò exoritur cum dolore ruboreque ſummis, denſo minimarum puſtularum ordine diſtinguitur, quæ auctâ magis inflammatione in veſiculas ſubinde faceſſunt: hinc per frontem ipſumque caput latiùs ſerpit, oculis interim tumoris magnitudine planè obrutis (ruſticis *Sideratio* audit;) neque multùm profectò abludit, niſi quod adſunt puſtulæ, ab iis ſymptomatis quæ inflicta ab apum veſparumque aculeis comitantur vulnera. Hoc ſe habet modo ac vulgaris.

At verò quamcunque corporis partem hoc vitium obſederit, ut etiam quocunque anni tempore, rigor atque horror, niſi præceſſerint (quod nonnunquam pridie, aut nudius-tertius ſolet contingere,) huic ſe inflammationi ut plurimum adjunguot, ſitis inſuper, inquietudo, ac reliqui Febrium indicia. Procedente morbo, uti primùm Febris dolorem, tumorem, atque alia peperit ſymptomata, (quæ indies ingraveſcentia nonnunquam in *Gangrena* terminantur,) ita hæc invicem haud mediocrem ad Febris augmentum conferunt operam, donec remediis idoneis utraque reſtinguantur.

Eſt & alia hujuſce morbi ſpecies, licèt rariùs occurrens. Hæc quolibet anni tempore invadit, idque hac ut plurimum σκήψει, quòd ſcilicet eger vinorum ſubtilium magis magiſque attenuantium potationi paulò liberaliùs indulſerit, aut liquoris ſimilis ſpirituoſi. Febriculam, quæ agmen ducit, mox excipit puſtularum per univerſum ferè corpus eruptio, quæ urticarum puncturas referunt, & nonnunquam in veſiculas attolluntur, mox recedentes, tuberculorum more ſub cute ſe condunt, cum pruritu mordaciſſimo & vix tolerando. At quoties leviſſimam ſcalpturam ſubeunt, rurſum apparent.

Curatio. Hic ego materiam peccantem ſanguini permixtam ritè evacuandam, ejuſdemque ſanguinis ebullitionem remediis illum contemperantibus ſufflaminandam cenſeo; eam denique quæ jam partibus impacta eſt, materiam evocandam, diſcutiendamque.

Hæc ut fiant, ubi primùm accedo, ſatis largam ſanguinis quantitatem è brachio extrahi præcipio, qui quidem Pleuriticorum ſanguinem ferè ſemper æmulatur. Die ſequente blandam illam Potionem Catharticam mihi in Praxi familiarem exhibeo, & horâ ſomni (ſi paulò frequentiùs dejecerit æger) hauſtum aliquem Paregoricum è. Syr. de Meconio in Aq. flor. Paralyſ. vel aliam ejuſmodi. Peractâ Catharſi, partem affectam ſequenti decocto foveri jubeo.

♃. Rad. Alth. & Lil. an. ℥ij. fol. Malv. Sambuc. Verbaſc. an. M ij. flor. Melilot. ſummit. Hyperic. & Centaur. min. an. Mj. Sem. Lini & Fœnugr. an ℥ß. Coq in ſ. q. aq. ad ℔ iij. coletur liquor & tempore uſus adde ſingulis libris decocti, Spir. Vin. ℥ ij. Stuphæ è panno laneo levis texturę hoc decocto immerſæ ac expreſſæ, calide admoveantur parti bis in die, quæ poſt fotum quotidie illinatur ſeq. mixturâ.

♃. Spir. Vin. ℔ ß. Theriac. Androm. ℥ ij. Pulv. Piperis longi, Caryophyll. an. ℥ ij. M. Charta Emporerica hac mixturâ madefacta parti circumvolvatur.

Æger inſuper ut juſculis tantùm hordeaceis atque avenaceis, cum pomis aſſatis veſcatur, volo; tam etiam cereviſiâ utatur tenuiſſimâ, & per horas aliquot ſingulis diebus à lecto ſibi temperet. Hac methodo tum Febris, tum alia ſymptomata citiſſime ut plurimum fugantur. Sin aliter, rurſus venam ſeco; quod & tertium nonnunquam fieri debet, interpoſito ſemper die uno, ſi prava nempe adſit ſanguinis diatheſis, & Febris intenſior. Diebus à Venæſectione liberis Enema è Lacte cum Syr. Violaceo, & Julap. refrigerantia ex Aq. Nymph. &c. in Rheumatiſmi

H 4 curatione

curatione jam dictis, qualibet horâ diei uſurpanda præſcribo. Ut plurimum verò unica Venæſectio & ſubſequens Catharſis, ſi tempori adhibeantur, rem expediunt.

Quæ urticarum punctutas, cum pruritu, refert ſpecies pari modo eſt amolienda, niſi quòd hæc remediis ab extra applicandis minùs egeat.

Hic obiter dicam, quòd licet non ſolùm hic affectus de quo jam loquimur, ſed & plerique eorum qui cutim impetunt, & eruptionem aliqualem comitem ſibi adjungunt (modo Chronici ii ſunt) facile huic methodo cedant, ac proinde ſanguinis miſſione & Catharſi iteratis brevi ſe proripiant; eorum tamen aliqui viâ planè diverſâ tractandi ſunt, nec evacuationes modo dictæ quantumlibet repetitæ, nec pulveres teſtacei ſanguini edulcorando deſtinati quiquam proficiunt; cùm recrementa quædam pravam diatheſin adepta intimiùs cuti impingantur, non niſi remediis quæ ſanguini robur ac vim concilient, proindeque cutis ſpiraculis deobſtruendis apta nata ſunt, ullatenus amovenda debellandaque: Cum ſucceſſu itaque non vulgari ſequentem methodum aggreſſus ſum in Prurìtu ferino, atque inveteratis id genus cutis eruptionibus. Ut

℞. Theriac. Andromach. ℨß. eleċtuar. de ovo ℈j. rad. ſerpent. Virgin. ſubtiliſſ. pulv. gr. xv. lapid. Bezoard. Oriental. gr. v. cum. ſ. q. ſyr. e Conditurâ Citri f. Bolus, ſumendus mane & horâ ſomni per dies 21. ſuperbibendo cochl. vi. ſeq. Julapii.

℞. Aq. Card. Benedict. ℥vi. Aq. epidem. & Theriacal. ſtillat. an. ℥ij. Syr. Caryoph. ℥j. Mſ. f. Julapium.

Singulis matutinis poſt aſſumptum medicamentum ſudet horæ unius vel alterius ſpatio, vel potiùs pluribus ſtragulis quàm ſoleret coopertus in lectulo levi madori indulgeat per dictum tempus. His finitis ſi puſtulæ adhuc non evanuerint, ſequenti linimento partes affectæ inungantur.

℞. Unguent. ex oxylapatho. ℥ij. Unguent. pomati ℥j. flor. ſulphuris ℨiij. ol. Rhodii ℈ß. f. Liniment. Verumtamen medicamenta præſcripta haud uſurpentur, niſi Venæſectione atque catharſi ſolùm adhibitæ curationem non abſolvunt, ægrum tamen contra febrim præmuniant, ob uſum medicaminum calidorum aliàs occurſuram.

Eſt & alia Eruptionis ſpecies, etſi minùs frequens, ad cujus medelam nullæ prorſus evacuationes conferunt. Hæc tametſi in aliis quandoque partibus, ut plurimum tamen in pectore apparet, loco aliquo determinato ſe figit, vix cutim ſupereminens, latiorem maculam præ ſe ferens, niſi quod aliquantulum porriginoſa, ac quaſi furfuracea, cum ſquamulis colore ad flavum vergente tinctis, cernitur. Hâc ſive maculâ, ſive impetigine vigente, æger bene ſe habet, eâdem verò evaneſcente, ut ſæpe fit, leviculam ægritudinem patitur, atque urina ejus turbidior, & rubicundior, ſed ad flavedinem accedens, redditur. In hujus etiam affectus curatione eadem via atque iiſdem poſt evacuationes univerſales, plane remediis inſiſtendum ac in Prurìtu ferino modò dicto; ac proinde quòd non omittendum, vini, ut & carnium ἄπαξ usus omnino concedendus, cùm refrigerantia omnia magis ulliciant quàm proſint. Atque ita hæc poſtrema Eruptionis ſpecies curatur, quæ tamen aliquando non niſi Aquis Ferteis diu epotis cedet. *Thom. Sidenham de morb. acuis.*

Conſultationes.

De Tumoribus Eryſpelatoſis Crurum, & Pedum, cum Impedimento Motus. Pro Illuſtriſſ. & Excellentiſſ. Marchione Gonzaga.

Ex doctiſſimis ſermonibus præſtantiſſimi Viri compertiſſimum ſit Illuſtriſſ. & Excellent. Marchionem laborare tumore pedum, & genuum, qui ſe profert plurimum œdematis eryſipelatodis facie quandoque, ſed rarius, eryſipelatis œdematodis, pro humore ſcil. vitioſo redundante. Hernia inſuper hydrocele teſticulum dextrum, labefactatum fuiſſe, quæ nedum in præſentia derumuit omnino; cum teſtis affectus ſiniſtro craſſeſcat magis.

Qui tumores dubio procul ortum ducunt à materia heterogenea; cum, magis, minuſve promineant, ad exercitii modum validioris, aut remiſſi magis: & quidem ſeroſa potius, quàm aliorum aliquo humorum, hoc indicio; quòd facili admodum negotio fluat, & refluat à parte affecta, nullumque partibus tumefactis impreſſum digiti veſtigium hæreat. Utrum autem à capite, vel à ventriculo profluat, cùm aliàs à nobis in dubium revocatum fuerit, quòd ab utraque parte manare poſſit, nedum in præſenti ea de re quiequam nobis conſtat, ut non inani conjectura cenſeamus, prædictos humores potiſſimum à cerebro promanare calido, & humido: quod proinde facilè repletur; accedente tamen aliqua ventriculi labe; prout & jecoris fervorem prodidere antehac fluentes hæmorrhoides; Patienti Excellent. adoleſcenti quod nunc luculentius palam facit eryſipelas frequenter recurrens.

Affectus certè difficillimæ curationis, cùm ob inæqualem partium intemperiem, tum ob affectarum partium imbecillitatem. Sperare tamen juvat, fore ut remittant, ope remediorum à Viro Excellentiſſ. præſcriptorum.

Inhærens propterea & ego & prædictis intentionibus divertendæ fluxionis, evacuandæ materiæ, quæ fluxit, contemperandæ frigidæ ventriculi intemperiei uſu calidorum, & calidæ jecoris, ac cerebri, refrigerantibus; non ſine quibuſdam caput exſiccantibus; commendo quam maximè univerſalem totius purgationem, eamque repetitam, ſimplicibus primò, & levioribus, mox generoſioribus, cùm præparantibus, tum purgantibus.

Mittatur tamen primò ſanguis ex jecoraria dextri brachii, mox & ex hæmorrhoidibus. Quod ſi interim fluxio aliqua à capite conſpicua fiat magis, de qua non levis viget ſuſpicio, caput quoque peculiariter expurgandum erit, errhinis, & maſticatoriis temperatis. Neque præter rem fuerit fonticulus ſiniſtro brachio inuſtus, derivationis cauſâ à capite & revulſionis ab inferioribus partibus.

Inter Pharmaceutica dejectoria illa præferenda cenſeo, quæ ſeroſitates ducunt, hydragoga nuncupata. In quibus potiſſima ſunt, manna electa, radix mechoacan; necnon pulvis ex hermodactylis; aliquot item grana quandoque diagrydii, cum flor. Caſſiæ & hujuſmodi. Alterantia, & digerentia omnia à Viro Excell. præſcripta mihi videntur apprimè accommodata, & decoctum potiſſimum; paratum tamen ex ſalſa parilla, lentiſco, ligni ſancti cortice, viſco quercino, & ſantalis; miſſo ſaſſafras ligno, ob ejus in caput exhalationem; radice item chinæ, malæ notæ ut plurimùm, & carioſa. Quod ſi in ventriculo evidens noxa deprehendatur, decoctum, parabitur cum columba turricola; alioquin ſincerum, præmiſſa drach. 1. Terebinthinæ laricinæ, cum ſcrup. ſem. oſſium combuſtorum. Si verò dum utitur decocto, ſudor manaverit in partibus inferioribus, cum pane ſiligineo à furno recenti linteo obvoluto, diſcutiet magis; miſſo vini uſu tempore decocti; cujus loco parabitur mulſa dilutior, ex hordeo, & coriandro; atque pro cibo erunt nuclei pinei potiùs quàm amygd. dulces; quæ caput tentant magis. Extrinſecus utatur pulvehibus capitalibus temperatis, ex cornu cervi, roſis ſiccis, oſſibus combuſtis, & pumice. Hepar inungatur unguent. ſantalino, cum ſucco cichorii; vel epithema

eidem

eidem applicetur ex succo cichorii, cum modico absinthii succo; ventriculus verò oleo mastichino, de mentha & absinthite; superaddito etiam cerato ex mastiche, & tacamahaca. Ab his verò dum utetur pulvere viperino, à Viro Excell. præscripto, & à me summopere commendato, crura, & pedes roborentur lutis, & aquis Thermalibus; extrinsecus quinetiam adhibitis spongiis exsiccatis aqua calida prius imbutis, & fortiter expressis; paratis calceamentis ex pelle canina, tanquam minus sequaci. In quorum tamen localium usu magna religione procedendum erit; cùm experientia constet, Excell. Patientem à discutientibus deterius habere, invalescente pedum intumescentia.

Victus ratio sit à Viro Excell. præscripta, quæ constet ex alimentis exsiccantibus, & facilis coctionis; ac vino tenuis substantiæ, non admodum generoso; assumpto medicamento aliquo familiari, quo alvus laxior fiat, & biliosum serum aliorum humorum vehiculum educatur: in quem usum conferent pilul. ex Aloë lota succo ros, quarum ope sanguis quinetiam hæmorrhoidalis nunc cohibitus evocari poterit, non omissis localibus tumenti testiculo applicandis, in primis verò cerato oxelæo. Atque hæc potiora duxi, in salutem Illustriss. & Excell. Marchionis, quę ut illi usui sint salutis autorem Deum O. M. enixè precor. *Benedict. Silvatic. Consilior. & Respons. Medic. Cent. 3.*

Erysipelas in facie.

Juvenis 35. annum agens, temperamenti totius & jecoris, ad calidum & humidum vergentis, habitus mediocriter carnosi, comessationibus & compotationibus indulgens, quatuor abhinc annis bis per annum, Erysipelate in facie corripi cœpit, quod incipere solet à parte dextera faciei circa nares, indeque ad totum caput se diffundere, cum levi intumescentia, calore insigni, & potius rubore quàm flavitie, quod mali genus ipsius quoque Genitor pati solebat. Quoniam autem veris tempore, & ineunte Autumno invadere solet hujusmodi affectio, quę repetita sanguinis missione, & alterantibus hucusque curata fuit, non tamen sine vitę discrimine, quia febris acutissima eandem comitatur, & quandoque ad fauces quoque propagetur, ideo hoc Mense Martio, & inposterum, de agendis pro preservatione consulit.

Hujusce affectus per intervalla periodica recurrentis, & hunc Juvenem Nobil. molestantis idea jam notissima est, Erysipelas enim nuncupatur, quod licet vix ad auctam magnitudinem referri soleat, cum corporis potius superficiem, quam intimas partes occupare soleat, attamen quoniam rarissimè datur legitimum Erysipelas, à sincera flava bile productum, ideo Phlegmonosum hoc propriè appellabimus, quod à sanguine bilioso, ut ferè semper, ortum trahit, cujus causa familiare esse solet trigesimo usque ad quadragesimum annum, quibus sanguis plerumque abundat, ideo color ejus, cum calore, rubeus sive rubicundus observatur, qui roseus dicitur, redundantis sanguinis indicio, cujus effluxus atque proventus facilis in hoc Juvene semper fuit, temperamento calido & humido prædito, & meracioribus compotationibus dedito, unde biliosior simul & copiosior genitus, venarum facultatem irritat, ad sui in partem hæreditario jure imbecillem, expulsionem, potissimum Veris tempore, quo humores a centro ad corporis peripheriam moveri solent, Autumno ineunte, cum ab ambiente cutis meatus densantur, universa diaphoresis imminuitur, & humores per expressionem, utpote calidi, sursum in caput feruntur, & facilius obsident nares genamque dexteram è directo jecoris, partes scil. quæ facilè tenuissimo sanguine suffunduntur, utpote cæteris molliores atque imbecilliores, à quo inflammantur, & in tumorem elevantur, unde phlegmonosum Erysipelas constituitur, quod necessariò febris acuta, ut symptoma consequitur.

Affectus equidem non spernendus, nam ex levi aliquo errore, aut externa occasione lethalis evadere posset, si ab extra ad intra retrocedat humor, unde Phrenitides nonnunquam succedunt, quandoque etiam Anginæ, quandoque pariter suppurant, ut propterea summa cum ratione egregius hic Juvenis à nobis præservationem postulet, cum melius sit prævenire quam prævinciri. Quod si non statim adeo præservativis remediis arceri possit affectio, ejusdem quoque præsentis curationem exposcit.

Pro præservatione autem intentiones Medicę erunt, redundantem sanguinem imminuere, ejusdem vitium corrigere, regenerationem inhibere, & partem affectam roborare. Quibus omnibus satisfaciendum partim Mense morbi accessionem præcedente, partim post.

Fontem Chirurgicum spectantia locum habent paucis diebus ante accessionem, sanguis enim omnino educendus, quia vitium in eo est, peccat enim quantitate, ut multus, qualitate, ut acris & biliosus, & motu, quatenus ruit in caput, & ideo aperienda saphena pedis, præcedente tamen hac prima vice Jecorarię dexteræ sectione. In usum etiam duci debent quotidianę pedum lotiones aqua calente.

Ex Pharmaceutico reliqua sunt depromenda medica auxilia. Et primò Lenientia erunt, Syr. Ros. sol. cum potione Manna clarif. vel Cassia cum Tart. Prę-parans esse poterit decoct. Cich. Borrag. End. Acet. Viol. Sonchi, cui præmittat Julap. Acet. ad ℥j. ſ. Repetatur deinde præscriptum leniens, addita infus. consuetæ Rhabarb. drachma. Inde ad ulteriora præparantia erit progrediendum. Decoct. scil. Cich. End. Acet. Sonchi, Viol. Hepat. Portul. pręmittendo Julap. Ros. & Viol. ad ℥ij. Præparati humores sunt expurgandi. Rhab. potissimum, cujus ʒ ij. in Aq. End. infundantur, cum ʒj. Myrob. Citrin. Infus. addendo Syr. Ros. sol. vel præbeatur Elect. de succo Ros. ad ʒiij. cum Flor. Cass. quibus superbibat Seri depur. Capr. aut Asin. ℔ ij.

Hac sequuta humorum biliosorum expurgatione, calida jecoris & venarum intemperies corrigenda venit, in quem finem Aq. Acidulæ ferreæ erunt omnino usurpandæ. Verùm quoniam nonnisi sub Cane perficiuntur & assumuntur, ideo interim in usum ducat Aq. stillaticias ad ℔ j. de Succo Cich. vel Acet. End. & Cucurb. Anguriæ quoque aqua utebatur Avic. & Arabes, cum Syr. de Acido Cit. & de Succo Lim. ut tandem ad Acidulas, vel Calderianas in Agro Veronensi, vel B. Virginis in Patavino se conferat, 15. aut 20. diebus assumendas. Familiarem inde habeat. Ros. Cons. & 15. aut 20. diebus autumnalem accessionem præmisso Leniente, ex saphena dextera pariter sanguinem sibi mitti permittat, & jam dictis alterantibus suavioribus utatur. Tandem pro partis roboratione, facies matutino tempore abluatur Aqu. chalybeata, interdum madefiant genę Aqu. Rosar. Hæcque abundè.

A fonte Diætetico magna ex parte pendet hujus affectus præservatio. Etenim primò, nec igni, nec radiis solaribus caput diutius exponere debet. Secundò compotationes evitandæ, merique potus, etiam in mensa, à cibis calefacientibus ac vaporosis abstinendum, à condimentis Aromatum, Allii, Cæparum, & hujusmodi. Somnus diurnus vitandus, vel sit brevis saltem, & capite elato. Exercitium probatur, sed ante cibum. Et semel per mensem assumere poterit ʒj. Pilul. de Trib. cum Rhab. sub cœnam, & in cœna prisanam

hordeac. Alacriter vivat, & intenſas applicationes vitet. Quod ſi jam dictis non obſtantibus recurrat affectus, eadem purgatio erit anno proximè futuro peragènda, ut mali radices omnino evelli & extirpari poſſint.

Eryſipelas vero rurſus invadens curandum erit ut aliàs, melius enim eſt, dicebat Avic. Medicamentum expertum non experto. Nihilominus, ut Patienti morem geram, nonnulla peculiaria attingam, quę in curando Eryſipelate Medentibus dubium afferre ſolent.

Et primo Medicæ intentiones eſſe ſolent, humorem ad partem affectam fluentem revellere. Secundo repellere. Tertio eundem expurgare. Et tandem partem roborare.

Quibus explendis, de ſanguinis miſſione dubitari ſolet, cum Gal. in curatione Eryſipelatis, neceſſariam non eſſe dixerit. Verum primò ſanguinis miſſionem non reprobavit, ſed præterea omitti poſſe cenſet in Eryſipelate exquiſito, quod rariſſimè datur. In noſtro autem caſu de hoc dubitari non poteſt, ſiquidem phlegmonoſum eſt, & præterea in capite, quo caſu, Celſus & Paulus ſanguinem educebant, & ideo ſanguis iterum atque iterum ex inferioribus & ſuperioribus venis adducendus, & reliqua omnia genera revulſionum adminiſtranda, ſcilicet pedum lotiones, frictiones, & cucurbitulę.

Extrinſecus repellentia admoveri ſolent, quę tamen cautè valde capiti ſunt apponenda. Sufficiant igitur lintea Aq. Roſ. tepida imbuta, vel ſucco ſempervivi, qui & repellendi & quodammodo etiam digerendi facultatem obtinet, ab oleoſis vero & pinguibus omnino abſtinendum, ut quæ partis fervore excalefacta magis inflammare poſſint. Ab his autem repellentibus tertio aut ad ſummum quarto die abſtinendum, nec quicquam aliud curioſè agendum, ſed circa ſeptimam lintea apponantur Aqua, in qua ſapo noſter Venetus diſſolutus fuerit, imbuta.

Interim ſanguine prima vice evacuato, poſt injectum clyſterem, medicamentum evacuans eſt exhibendum, quod eſſe poterit, Syr. Roſ. ſol. cum decoct. Pulp. Tamarind. vel Flos Caſſ. cum eadem pulpa, à quibus bibenda præbeatur Aq. Nocer. ad ℔ ij. & inde uſque ad declinationem Clyſteribus utendum. Poſtea alterantia in uſum quotidianum revocanda, ex Aq. ſtill. Acet. End. quinimò & Plantag. parata addito Syr. de Succo Lim. & de Acido Cit. Et licet videatur Gal. purgationem electivam approbare, ad hanc tamen valdè cautè deveniendum eſt, nonniſi in declinatione, ne agitentur humores & in affectam partem irruant. Quare poſt ſeptimam præberi poteſt Elect. de Succo Roſ. cum Caſſ. & ab ea ſerum, aut Aq. Nocer. ad libras.

Et his omnibus congrua addenda victus ratio, in caſu noſtro tenuis, non autem adeo ut in exquiſito Eryſipelate, ſit autem incraſſans, verbo, ſufficiat ptiſana hordeac. vel Lactuca, aut Cucurbita in jure cocta, cui prope ſeptimam Ovum recens addi poteſt, conceduntur poma & pyra cocta, & cibum claudat Conſ. Roſ. Pro potu autem hauriatur Aq. ſtillat. Acet. aut Hordeac. Quibus addendum, quod nil pernicioſius eſſe poſſit quàm faciem aëri frigido, aut ventis exponere. Quæ pro curatione ſufficiant. *Raym. Johan. Fortis Conſult. & Reſponſ. Medicin. Tom. 1. Cent. 1.*

Puella duodecim annorum, jam à tribus annis, circa menſem Majum, incidit in totius faciei tumorem ſubrubicundum, oculos pene claudentem. Adeſt calor & pruritus magnus. Pulſus etiam eſt juſto celerior; appetitus eſt proſtratus; & plus ſolito ſitit.

Afficitur in hac puella facies, ut ad oculum eſt manifeſtum: uti & cor, quod pulſus juſto celerior, item, ventriculus & œſophagus, quod ſitis, & appetitus proſtratus indicant.

Morbus, qui eam affligit, eſt tumor faciei, ex bilioſo ſanguine ortus, qui calorem immoderatum, & pruritum, ac colorem ſubrubicundum in facie inducens, Eryſipelas faciei phlegmonodes appellari ſolet.

Cauſa antecedens hujus morbi eſt ſanguis bilioſus, ex temperamento ſanguineo & dięta fortan calidiore, tanquam è cauſa procatarctica, in toto hujus puellæ corpore, ſingulis annis genitus. Pars vero ejus circa menſem Majum, ob aeris caliditatem, in corde efferveſcens, inducit pulſum juſto celeriorem; ad ventriculum vero & œſophagum delata, ibique œſophagum nimium exſiccando, ſuccumque acrem ventriculi, famem excitare ſolitum, copia ſua & qualitate bilioſa perfundendo, ſitim & appetitus proſtrationem excitat: ad faciem vero à corde propulſa, ibique poros vaſorum aperiens, & ſe in cutim vicinaſque partes magna quantitate effundens, vehementiuſque, ob ulteriorem coruptelam ſive putredinem ſupervenientem, incaleſcens, ibidem tumoris, ruboris, pruritus, & caloris faciei, cauſa continens exiſtit.

Metus eſt, ne hic affectus eryſipelas exulceratum faciei, vel, ſi humor hic ad cerebrum vel alias nobiliores partes feratur, ne inflammationem cerebri, vel pulmonum, vel pleurę inducat. Diligenti itaque hic morbus erit impugnandus Curatione; quæ in cauſæ procatarcticę, antecedentis, & continentis, item intemperiei, & tumoris ablatione, conſiſtet.

Atque ideo primò tale exhibeatur purgans:

℞. Syr. roſ. ſol. cum fol. ſennæ ℥j. Cremor. tartari ℈j. Scammonii gr. x. Aq. cichor. ℥ ij. Miſce, fiat Hauſtus brevis, mane exhibendus.

Toti faciei deinde imponantur lintea ſequenti liquore tepido imbuta, ſæpiuſque, ubi exſiccata fuerint, renovetur imbutio & applicatio:

℞. Aq. plantag. roſar. an. ℥iv. Lapidis alchymiæ ʒ j ß. Miſce.

Vel ℞. Aq. flor. ſambuci ℥x. Sperm. ranar. ℥v. Spiritus vini opt. ℥vj. Miſce.

Si palpebrę oculorum valde etiam intumeſcant, iis imponantur lintea, ſolâ aquâ roſ. & plantag. tepidè madefecta.

Ad pręcavendum, ne ſub ſequentem Majum rurſus recidivam patiatur, menſe Aprili ſemel atque iterum purgetur, & utatur diæta tenuiore, & refrigerante. *Henric. Regius apud Theod. Craanen Medication. lib. 4.*

Obſervationes.

Ruſticus quidem Eryſipelate phlegmonode in ſiniſtra manu laborans, ex tonſoris conſilio per aliquot dies manum & brachium oleo roſac. inunxit: unde dolores, inflammatio, aliaque ſymptomata magis magiſque ingraveſcebant; ita ut tandem gangręna correpta ſit tota manus, is cum ad me acceſſiſſet, ſcarificatione aliiſque remediis quę ad gangręnę curationem ſpectant, curatus fuit. Ex quibus perſpicuum eſt, oleum maximè inflammationibus adverſari. *Guil. Fabric. Hildan. obſ. 82. cent. 2.*

Quidam Eryſipelas in ſeipſo & aliis plurimis curavit ſecreto præſtantiſſimo, quod ſic habet, accipiebat folia & ramuſculos Sàbinæ & in pulverem craſſiuſculum redactis quodidie ter ſuffiebat membrum affectum. Si verò exulceratio adjuncta eſſet, ceram virgineam in aqua calida manibus tractatam, emplaſtri modo, ſolam imponebat. *Hieron. Reuſnerus. obſ. 124.*

Eryſipelas cruris

Domino Kelfken, urbis Noviomagi Conſuli, dextrum crus eryſipelate correptum fuit, cui malo ſæpius etiam

etiam antea obnoxius esse consueverat. Sexagenarius erat, & corpore valde cacochymo. Erysipelati, ex more vulgi, ipsemet imposuerat lintea intincta in aceto & aqua florum sambuci, quibus erysipelas aliquantum quidem minuebatur, sed vesiculę quędam hic illic excitatę fuerunt, quales etiam antea ab hujus aceti & aquæ usu sæpius habuerat: his acu pertusis imposuerat folium tabaci viridis (quo precedentes vesiculas semper curaverat) quod cùm per tres quatuorve dies applicatum fuisset, ab acrimonia humorum effluentium cutis magis magisque exulcerata fuit, ac in medio particula quędam nigra & grangręnosa apparuit, qua visa, æger sibi metuens, Chirurgum accersiri jussit. Hic particulam istam gangręnosam in sola cute facilè exscidit, & variis emplastris impositis solutionem sanare conatus fuit, tori cruri propter erysipelas inungens unguentum refrigerans Galeni. Atque isto modo æger per sex septimanas tractatus est. Tandem cùm variis & sępe mutatis emplastris ac unguentis nihil omnino proficeretur, sed malum in dies accresceret, mense Junio etiam ego ad curationem advocatus fui. Animadverti ęgrum multis aquosis ac pituitosis humoribus abundare, qui salsi ad crus descendentes hujusmodi continuam exulcerationem inducebat; hinc etiam alvum humidam & liberam, imò quatuor vel quinque secessus quotidie habebat. Appetitus mediocris erat: sed à medicamentis tantopere abhòrrebat, ut nihil, nisi extrema urgente necessitate, per os assumere vellet. Inspecto crure, comperi emplastra in causa fuisse quod vicinæ partes exulcerarentur, cùm enim ob pinguedinem & densitatem humores acres & salsos effluentes in se retinere vel exsugere non possent, illos ad circumvicinas partes effluere necesse erat, quę ab eorum acrimonia exedebantur. Proinde crus illud cataplasmatibus curare prestabilius mihi visum fuit, quę ob mollitiem humores ęffluentes imbibere ac in se continere, partemque exsiccare possent. In hunc finem sequens cataplasma absque ulla pinguedine præscripsi.

℞. Corticum granatorum, flor. balaustiorum, an. ℥ß. foliorum quercus, plantaginis, agrimoniæ, saniculę, an. m. ij. pimpinellæ, flor. rosarum rub. an. m. j. aquę communis ℔ iv. coquantur ad medias.

℞. Foliorum quercus m. iv. agrimonię, plantaginis, an. m. ß. pulverisentur simul, tunc adde farinę fabarum ℥ij. decocti prędicti q. s. coquantur aliquantum, & fiat cataplasma.

Hoc postea aliquoties reiterato, ulcus omnino sanatum fuit. Circiter tertio post sanationem mense, rursus nova defluxio ad crus descendit, magnum ulcus erysipelatodes inducens. Pręter unicum haustum purgantem, & unum decoctum ex radicibus chinę, salsęparillę, & similibus, nullum aliud medicamentum assumere voluit. Impositum fuit antedictum cataplasma, quo res ad tempus bene successit: tandem verò nova rursus accedente defluxione cum magno erysipelate, dolores valde accreverunt, ulcus multum extendebatur, ac paulo post etiam gangræna partem invasit, & in cruris exteriore latere particula gangrænosa nigricans, latitudinis daleri imperialis, conspiciebatur. Chirurgus vino tepido partem affectam aliquantum abluit, ac postea unguento mundificativo ex apio inunxit, & prædictum cataplasma superposuit; atque his aliquot diebus continuatis, gangręnosę particulę tandem exciderunt. Tunc ulcere priùs mundato, solum cataplasma impositum est. Interea ad humorum descendentium commodiorem evacuationem, libenter fonticulum in surę exteriore parte fecissem, verùm illud permittere noluit ęger. Mense Martio ulceribus jam sanatis rursus nova accessit acris defluxio cum erysipelate, hinc ab utroque cruris latere no... ulcus latitudinis palmę manus excitatum fuit. Cataplasma impositum nihil profuit, vires cum appetitu dejectę sunt, & æger adeo debilis evasit, ut ampliùs incedere non posset. Paulo post gangręna ad palmę latitudinem subito accessit, Æger periclitari nobis visus fuit, tam propter cacochymiam corporis, quam propter magnam virium debilitatem. Ulceribus gangrænosis inunctum fuit ungentum mundificativum ex apio, & cataplasma superpositum; si spiritus vini admoveretur, tantus excitabatur dolor, ut illum protinus abjicere necesse foret. Tunc fonticulum in sura fieri permisit æger, quem sectione novaculę libenter fecissem, verùm cùm inde nimis abhorreret, cauterium potentiale, holosericum Paræi, impositum fuit, quod sine ullo dolore operationem brevi peregit. Post tres quatuorve dies gangræna in ulcere multum adaucta est, atque etiam invasit locum illum cui cauterium imposueramus, unde eschara nondum exciderat. Hunc proinde locum cauterisatum ad carnem usque vivam scarificavit Chirurgus, ut eschara citiùs separaretur, cujus etiam frustula quędam excidit, Sequentibus tribus diebus gangræna magis magisque accrevit ita, ut in loco fonticuli carnis emortuæ pars magnitudinis daleris imperialis, & profunditatis latitudinis pollicis, exscindenda foret. Postridie gangręnosę partes fœtebant instar cadaveris putrescentis, tanto fœtore quem vis quispiam adstantium ferre poterat, & gangręna continuò increscebat. Ut mortificationi ac putrefactioni resisteretur, partes infectas abluimus cum spiritu vini in quo sal commune dissolveramus, & petias eodem liquore madefactas imposuimus, ulcusque ter de die religavimus, quo medio fœtor fere totus intra sesquidiem recessit. Deinde ut gangrænosę & emortuę partes à vicinis per suppurationem citiùs separarentur, & sanę à corruptela pręservarentur, balsamum nostrum Magistrale impositum fuit; quod putredini potenter resistebat, & suppurationem egregie promovebat: atque ita partes gangręnosę paulatim cœperunt excidere; quibus ablatis, per aliquot dies impositum fuit unguentum digestivum, ac tandem rursus solum cataplasma, quo ulcera progressu temporis, sed admodum lentè, sanata sunt, humoribus postmodum per fonticulum effluentibus. Hoc ęgro, qui ab omnibus pro desperato habebatur, pręter multorum opinionem, sanato, magnum nobis honorem conciliavimus. *Isbrand. de Diemerbroëk in Observat. & Curation. Medic.*

Erysipelas tibia cum œdemate cauteriô in ipsâ parte affecta, ex parte curatur.

Vir Amplissimus, Senator Bernensis, εὔσαρκος, καὶ εὐσπλάγχνος, abdominis ampli, validus, ac robustus, florentis ætatis, erysipelate affligebatur in tibiâ sinistrâ, cui succedebat œdema. Medicamenta adhibebam convenientia erysipelati; sed tandem succedebat ulcusculum in parte inferiore tibiæ materiam serosam fundens; cujus influxui ut item obviam, de cauteriô potentiali infra genu applicandô cogitavi, quę operatio successum ex animi sententiâ assequebatur optatum, erysipelasque longè minùs frequens infestabat tibiam. Verùm cùm Celeberrimus Dnus Wepferus Bernam accessisset, Amplissimumque D. Senatorem inviseret consilium pro erysipelate exoptatum ipsi erogaturus, suasit ut cauterium in alteram tibiam transferretur, primumque occluderetur, Sed ab eâ occlusione frequens rediit erysipelas, ulcusque renovabatur: mutatâ igitur rerum vice, pristinum reserare sategi cauterium; à quô iterum effluebat materię permultum, retardabantur

erysipelatis

eryſipelatis invaſiones, ulcuſque ſanabatur, cauteriumque in tibiâ dextrâ à prælaudatô D. Wepferô inuſtum claudebatur, inde per multos annos ſanitate gaudens Vir Ampliſſimus, incedebat pede firmô, donec per hyemem rigentiſſimam, ac nivoſam properans ad Senatum, ingruente forrè fortuitò eryſipelate, intròque repulſô ab ambiente frigore viæ intercapedine ab ædibus ad Curiam, ad hujus ingreſſum vehementer perhorreſcebat: appropinquabatur ideò ad hypocauſtum, cui admovebat lumbos, ubi potiſſimum frigus perſentiebat, ac ſimul dolorem atrociſſimum. Domum inde reverſus Vir Ampliſſimus febre corripiebatur protinùs acutâ. Accerſiti Medici haud inter ſe de morbi ideâ convenientes, apozema neſcio quale laxans, aut purgans pro tribus aut quatuor doſibus infauſtis præſcripſerunt avibus, nam quartò ad quintum vergente die è vivis excedebat Vir Perilluſtris, cum deliriis leviuſculis & lipothymiis, remittentibus tamen tum, ut adſtantibus apparebat, & febre, & renum doloribus. Illud autem morbi genus, me judice, non aliud fuit quàm Eryſipelas repercuſſum, ad renes translatum, quorum inflammationi ſucceſſit gangræna quę virum tam robuſtum paucos intrà dies enecuit. *Ex communicatione amica Clariſſ. Viri D. Antonii Drelincurtii Rerumpublicarum Bernenſis et Friburgenſis Archiatri Extraordinarii.*

De Eryſipelate raro, Fonticuli naturalis additamento.

Exemplum ejuſmodi fonticuli, de quo hiſtoria prægreſſa, ſeu potius ſcaturiginis cujuſdam ſine alveo fonticuli, producam, ut ſimul eryſipelatis tam miri quàm rari fieri poſſit mentio.

In ſummitate interſtitii, quod eſt inter digitos pedis ſiniſtri majores, à multis annis ipſemet ſenſi, ſed ſine triſti ſenſu, exſudationem quandam, modò humidam ſeri vel ſaniei, modò ſiccam ſquamularum vel cruſtularum, quæ ſæpè & facilè ſeparabiles.

Aliquando peregrè vocatus, poſt cœnam finitam appuli, apponebatur ſerius venienti cyprinus, qui ſalis & elixationis defectu palato conciliabat nauſeam: vitium hoc non ſatis poterat corrigi vino, quia villo. Lecti ingreſſum comitabatur horror, hinc curioſè plumis ſepultus dormiebam more ſolito. Somnus profundior exonerabat maſſam ſanguineam ſero per ſudorem copioſiſſimum.

Evigilanti horę matutinæ Bubonis rudimentum oſtendebant in inguine, & amaritiem ex bile in palato, & dolorem quendam totius pedis gravativum, inprimis autem in interſtitio digitorum pedis ſuperius dicto extenſivum.

A meridie domuitionem urgebam & expediebam, quo facto tandem radium ſeu ſtriam ἐρυσιπελατώδη digitos duos latam, æquali latitudine & rubore, à bubone uſque ad digitorum pedis ſcaturiginem extenſum vidi. Hæc ſerum conſueto copioſius fundebat per aliquot dies, & mox à principio cum inſigni levamine.

Ἐκκρισις ejuſmodi, tanquam ſummum prophylacticum, optanda eſſet Podagricis: ſed cùm beneficium hoc naturæ ſit rariſſimum, an non excretiones artificiales hic locorum quęrendæ?

Aſſentiri videtur Sennertus de arthrit. c. 7. qui & venę ſectionem & cucurbitulas ad pollices pedum laudat rationibus & experientia. Salmuth. cent. 3. obſ. 46. commendat ſuo & aliorum exemplo ſcarificationes menſtruas pollicum pedis circa radices unguium.

Contradictor acerrimus eſt Crato Epiſt. 152. ad Thom. Jordanum. Diſſenſiones aliorum Medicorum in ſcenam non produco. Et affirmantibus & Negantibus non deſunt rationes ſat prægnantes. Arbitram optimam judicare eſſe experientiam, quæ tamen fallax & non rarò periculoſa. Si quid ſtatuendum, concludo, Artem utut Naturę miniſtram & ſimiam, rarò tam eſſe felicem in excretionibus materię morbificę ſollicitandis, ac Naturam: & excretiones naturales utplurimum eſſe placidas & criticas, artificiales contra violentas & quodammodo ſymptomaticas. *Sigiſmundi Graſſii.*

De Zona ſive Ζωςῆρι Eryſipelatis ſpecie, ejuſque curatione.

Marcus Aurelius Severinus Philoſophus & Medicus celebratiſſimus lib. de recondita abſceſſuum natura 4. de noviſſime obſervatis abſceſſibus cap. 9. §. 1 & p. m. 194. de Zona Herpetis, ſive ignis ſacri ſpecie, ita ſcribit. Zonam quidem ad hoc tempus nemo tradidit à ſe obſervatam; uſque adeò, ut veram ejuſdem formam ipſe, qui vidiſſet, teſtificari cæteris poſſet. Rariſſimus ſanè affectus hic eſſe videtur: Nam ex Veteribus, præter Scribonium, Apuleium, Marcel. & Plim. nemo ejus meminit Joan. Langius Epiſt. Med. l. 1. Epiſt. 52. ſub alterius cujuſdam Eryſipelatis & quidem peroicioſi ſpecie, quæ merito à cingulo Zona appellatur, eundem depingit, & binis exemplis demonſtrat. Heor. Smetius Miſcell. Medic. lib. 10. ubi rariorum aliquot morborum & Symptomatum Obſervation. recenſet. p. m. 538. ſequentibus verbis eum deſcribit. Filiolus civis Francodalenſis febricitabat, & Eryſipelate corripiebatur, quod totum pectus cum dorſo toto occupabat. Inde deorſum per totum abdomen & femora ad genua uſque, ſurſum verò per collum, in faciem & brachia ad cubitos uſque ſeſe exporrigebat. Den rooden Umloop vocant Flandri, Supra citatus M. Aur. Severinus loco prędicto p. m. 196. talem Zonę modum & formam obſervavit, verba hic tranſcripſimus: *Sæpius hæc viſa poſteriore thorace, & ſecundum ſuperiores lumbos circinata: Quam in Societatis Jeſu Sacerdote Sacrarum Collegii ædium vidi cum Mario Schipano diligentiſſimo rerum iſtarum Obſervatore: Alteram cum Franciſco Nola Medico ſatis induſtrio curavi Mario Canello Sacerdoti integerrim. In palma ſimiliter cujuſdam Sutoris calceolarii, qui Syphilide fuerat affectus, luculenta nuper fuit obſervata cum primis Zona; Qui primum dolorem acrem in pectore perpeſſus fuerat. Itemque alia pleraque ſe obtulerunt in valetudinario morbis incurabilibus dicato: Quas omnes explicare longum eſſet. Hæc Severinus.* Huc etiam referri poſſunt Maculæ Volaticę Infantium, Germanicè *der Flug.* dictę, quas deſcribit Sennertus Pract. Medic. lib. 5. Part. 3. Sect. 1. c. 6. & Melchior Sebizius Manualis ſive Speculi Medic. Pract. part. 6. cap. 32. ſub titulo Volaticæ. Autoribus hiſce inter ſe collatis apparet, affectum hunc quem ſinguli deſcripſere, unum eundemque eſſe, proindeque ad Eryſipelas referendum: eſt enim (ut verbis Sebizii citato loco p. m. 1828. utar) utriuſque eadem natura atque eſſentia, unaque cauſa & una curandi ratio. Diſcrimen in eo ſolùm conſiſtere videtur, quod Eryſipelas in uno loco plerumque perſiſtat: in Volatica autem ſeu Zona, rubor priorem locum deſerat, ulterius tamen progrediatur, locaque vicina invadat. Deinde quòd ſanguis Volaticę ſit calidior, ſubtilior, & forſan etiam malignior, quàm Eryſipelatis vulgaris; Quo fit ut hinc inde vagetur: & quia ſanguis illius acrior eſt atque mordacior, expultricem partium facultatem irritat, ut non in loco permanere nequeat. Quę tamen omnia ratione naturarum & ętatum, temporum & locorũ ſæpiſſimè variant. Mihi, ut ingenuę fatear, in praxi Medica per Dei gratiam ſpatio viginti annorum continue occupato,

dignis Autoribus ſuperius deſcripſimus, (ſive Zona, vel ζωςὴρ ſive Volatica vocetur) tantum bis corandum obtigit. Primum hoc affectu correptum Vidi A. 1667. Spectabilem p. m. Andream Seidler Juriſconſultum doctiſſimum & Scabinum Thorunenſem Suburbanum digniſſimum, quinquaginta ſex annos natum, unà Cancrum ulceratum in dorſo ſoventem, quem dicti Anni, Menſis Septembris die vigeſima quinta febris adorta, uſque ad teriam Octobris continuè exercebat, tumor autem Eryſipelatodes, incipiendo à ſcapulis, ſuperiore pectoris parte ad collum ſerpebat, poſtea faciem totam & caput occupabat, cum ſummo dolore, fervore & cordis anguſtia, ut neque cibum capere, nec ſomno indulgere potuerit: Sed adhibitis tandem interne Medicamentis partim alterantibus, partim expulſivis & Bezoarticis: externè verò tumori applicatis linteaminibus, aquis plantaginis & roſarum, cum pauxillo croci tepide madeſcentibus, pedetentim circa nonum diem & tumor & rubedo diſparere cœperunt, donec undecima morbi die, decidentibus ſimul capillis planè evaneſcerent. An. dein 1668 die 4. Novemb. eodem morbo affectam obſervavi puellam ſeptennem, Chriſtinam, plurimum Reverendi Viri Simonis Weiſſii Eccleſiaſtæ Mariani Vigilantiſſimi & Profeſſoris Gymnaſii Clariſſimi, Compatris mei admodum colendi, Filiolam: cui malum ſimiliter totum pectus & dorſum ad collum uſque cinxerat; haſque partes paulatim deſerendo, ad faciem & caput aſcenderat, propinatis autem remediis idoneis, ut in priore caſu, denique cum totali pilorum capitis defluvio evanuerat. Refert quidem ex aliorum mente loco ſupra allegato *Sennertus*, qui affectum hunc ſe nunquam vidiſſe teſtatur; Si maculæ illæ orificium aliquod, os puta, nares, oculos, aures attigerint, & eo uſque penetrarint, malum lethale fieri, ideoque ad præcautionem orificia dicta aquâ roſarum cum pauxillo croci mixto illinenda ſuadet: Verùm nos tale quid animadvertere haud potuimus, ſed licet tumor ille totam faciem, labia, nares, oculos & aures, in prædicto utroque caſu plene occuparit, morbi tamen lætum eventum ſubſequutum videmus. *Simonis Schultzii.*

Eryſipelas ζωςὴρ.

Inter plura Ignis ſacri genera ζωςῆρα numerat Plinius N. lib. 26. cap. 11. qui medium hominem ambiens ſi cinxerit eum enecat, quo Marchionem Brandemburgenſem in Onelſbachio interiiſſe, Principem verò Palatinum Otthenricum correptum, ſanitati à ſe reſtitutum refert Langius lib. 1. epiſt. 2. Corripiebatur eodem honeſta Matrona Hilderici Spanmanni Jurium Practici vidua, quod cum præ pudore diſſimularet, & tibiam ſaltem eodem igne inflammatam & exulceratam Chirurgo tractandam exhiberet; accidit ut altero illo ſibnò invaleſcente, & in gangrænam deſinente, ægra præter ſpem placide exſpiraret, paulò ante mortem & ſuperioris illius inſpiciendi copiam faciens, deprehendi a. illud inferiorem ventrem tam accurate circumdediſſe ut cingulum fuſcum palmam latum examoſſim referret. *Joan. Henr. Brechtfeld.*

Ancillam vetulam quandam habui quinquagenariam, Norimbergæ adhuc commorans, quæ triduum diu noctuque inquieta de moleſtia cum cardialgia circa præcordia quæritans, denique ſenſit ſub præcordiis prope ſtomachum circumeirca ad latitudinem manus, cinguli inſtar, puſtulas parvas lucidas, cum coris inflammatione acri prorepere, ſed aſſumto cathartico leni, & ſudoriferis cum cordialibus ac alexiteriis miſtis, externe quoque ſe fomentis modicè refrigerantibus ſæpius tepide detergens, & ſponte deſiccari permittens, intra ſextiduum relevavit ea, à tam moleſto & periculoſo affectu liberata. *Joan. Helwvigii.*

ESSERE Vid. *Puſtulæ.*

EXANTHEMATA.

Exanthemata Scorbutica, quorum hinc inde facta mentio, huſce imprimis terris iam vulgaria ſunt atque obvia, ut nemo facilè periculum ineo mineture, atque etiam non advocato Medico lubens ea toleret; verùm alia iſta, quæ inter morbos exurgunt corporiſque ſuperficiem defœdant, ma num ſtatim ſpectantibus, imprimis fœminis, terrorem incutiunt & neſcio quid ſiniſtri alere videntur. Atque hinc nulla eſt mora, quin ad eorum conſpectum Medicus protinus accerſatur, qui de iis ſententiam ferat & blandimentis ſuis metum eximat. Eſt febris quædam ſpecies, Purpura dicta, quæ variis ſeſe maculis & ipſa exſerit, nunc pallidioribus, nunc rubicundioribus, tandem etiam nigris; hanc, ſive quod Scorbutici ſalis illæ fructus ſit, ſeu quod inteſtino & proprio veneno exurgat, malignam eſſe & periculoſam omnino ſunt per uaſus. Levior autem eſt ſpecies minuſque habet diſcriminis, quam Galli febrem Scarlat nan vocant; hæc fermentationis paulò vehementioris materiæque in cutem evomendis progenies eſt & ex facili diſſipatur. At ego alia quoque exanthemata erumpere vidi, quæ cum illis quidem comparari minimè poſſunt, omni periculo vacua, certè ludicro ſpectaculo quam ſymptomati affiniora. Et primo quidem in duobus ex pectore vulneratis, uni quidem poſt vomitum ebullitionemque ſanguinis, alteri poſt datam detenta ruborem toto corpore verecundum illum & planè ceam... nium efflorüiſſe vidi, finito intra quatuor horas cum colore leviori paroxyſmo. An fortè de eo intelligi debeat Hippocrat. illud in Coacis? ἔσω ἀλγημάτων ἀλγήματα? ... Alii, & ipſi Aſthmatico, Servo à pedibus, cutis tribus quidem diebus continuis elegantiſſimo rubore perfundebatur tota, periculum in meutibus, qui aderant, omnibus; at verò cum ſingulis paroxyſmis, qui quotidie redibant, remittebat quoque color. Fœminam Nobilem ex febre Tertiana cum vomitu laborantem itidem cum Paroxyſmo invaſerant hæ univerſo corpore maculæ, ſed cum uno alteroque paroxyſmo etiam ipſæ deficiebant. Magna interim familiarium & domeſticorum ſollicitudo in corpore obeſiſſimo jam Morbillorum, jam Malignitatis ſuſpicionem moverat; at ſubita febris ruboriſque remiſſio metum omnem exemere. Virgo venuſtiſſima, quæ elapſa hyeme cum Quartana conflictata erat, ad intempeſtivas mendici male morati preces perculſa recidivam ineunte vere ſenſit, ſed quam tres ex ordine Paroxyſmi finirent; hanc & ipſam cum primo inſultu paulo poſt terrorem color inceſſebat toto corpore eleganter roſeus inque maculas diſtinctus, conſternatis ad novum ſpectaculum parentibus; at, quod tertio inſultu apparuit, ſine ulla admodum offenſa corporiſque periculo. Sed quid de iſto Exanthematum genere, tenendum, quod Morbillorum ſpecie toros ſæpe terrarum tractus infeſtat, & ante hos ſex annos, quando ſuperior mihi Germania cum Principe perſona decurrenda erat, Palatinatum & Sueviam occupabat, cuique tributum ipſe quoque cum pleriſque itineris ſociis pendere debebam. Leviculus erat ille morbus, *Rothel* nomine notus, qui nullo habito ſexus ætatiſque diſcrimine promiſcue omnes invadebat. Pauciſſimi ille erat funeſtus, aliquos diem biduumve aut triduum lecto affigebat, aliqui ſtando

ſtando eum vincebant nonnullos impuro corpore diutius vexabat, pleroſque tamen moleſtia quidam & calore paulo intenſiore, appetitu dejecto & membrorum ſegnitie, mulctabat, quæ vel ſponte aut ſumto Sudorifero ceſſabant. In unâ autem Stutgardia ſimul ſemelque ſeptingenti cum hoc morbo conflictati ſunt, quo etiam in levibus contagium aut ſporadicum quid hærere intelligas. Exanthemata verò illa non ſtatim univerſo corpore, ſed variis locis, ut conſtitutio ferebat, ſeſe oſtendebant, plerunque tamen in Carpo erant manifeſtiora, in aliquibus tamenetiam remiſſior rubedo attentè quæri debuit. Crediderim ego collectas per hyemem in ſanguine ſordes aliquas ad initia veris exæſtuante ſanguine in cutim facile exiiſſe, quod ſuperficiei maſſæ potius quàm centro inhæreſcerent, & ſic originem febticulæ populari & criticæ darent, ubi tamen etiam certæ & aſtralis influxus partes fuiſſe aliquas non de nihilo quis ſuſpicetur. *Joan. Nicol. Pechlinus Obſer. Phyſico Medicar. lib. 3.*

EXCRESCENTIA.

Comprehenditur ſub Tumoribus: hîc tantum ſuper ea obſervationem unam afferemus è Clariſſ. Godefridi Bidloo Exercitationibus Anatomico-Chirurgicis petitam; quæ hæc eſt.

Annô hocce 1703. ipſis Kal. Aprilis, duxit ad me Wilhelmus Beaudoux, Warmondæ Chirurgiam exercens, Martytie Kotszen, ætatis 45. viduam, quinquies prole beatam, & quidem vice ultimâ ann. 1700. novembr. 7. ab ſex jam nunc annis in inguine ſiniſtrô, geſtantem cuti concolorem, doloris omnis expertem, in principio piſi; temporis verò tractu minoris caſtaneæ magnitudinis tumorem ſubdurum, circa menſis hujus anni Martii initium valdè exuberantem (ad ovi ferè dimenſi[...]em enim jam pervenerat) & continuò incrementum capientem: ad hujus inſpectionem XIX ejuſdem menſis, prædictus *Beaudoux* vocatus, audita relatione, acceſcere nempè, hunc tumorem immensùm, quotidiè ſanguinem emittere aliquando ad quatuor, aut quinque libras, ter mitabatur ſtatum eumque, poſt octiduum: ruſtica, pauper enim & ultra duo milliaria ab eo vivebat remota, præſcriptis quibuſdam ſtipticis ligaturaque comprimente, iterum vocatus, horrebat: ea enim breviſſima dierum intercapedine hunc tumorem ferè rotundum 5. pollicum diametri & 8. longitudinis experiebatur; ego, elapſo triduo, perluſtrato eorum hocce caſu, eorum eum ſanè horrui, ſtupui, maximique momenti & periculi renuntiavi; cùm autem hic Chirurgus ſolus & ægræ plures huic viſitationi intereſſent, conſanguinei, iis, quantùm potui, perſuaſi, conſulerent & alios hoc de negotio Medicos & Chirurgos ſtatuerentque· in mora enim periculum monebam, de rebus peragendis, quantocyùs.

3tiò; Apr. denuò cum Chir. *Alderkerk & Beaudoux*, rem examini ſubjeci obſervavique tumorem ad oculum quaſi continuò augeri, nigredine conſpergi, fœtore & putredine ſuperficiali corrumpi; inquiſivi ſedulò in omnes mali hujus circumſtantias, quo, videlicet, modo & pedunculo inguini adhæreret? quo eſſet de genere tumorum & ſic porrò; brevi, convenimus ſequente die horâ matutinâ ſeptimâ; Chirurgi *Torrenius, Contenot, Alderkerk, van Loo, Beaudoux* & quidam Med. Studioſi; quibus coram mentem meam de hacce excreſcentia & methodo, quâ, ſecundùm me, curari aut ſaltem tractari poſſet, explicui: eſſe, nempè, diſtentionem, excreſcentiam glandulę cujuſdam inguinalis, lato quidem pedunculo inguini inhærentem; ſed tamen ad ejus interiora non pergentem; vicinas quidem partes tegentem, iis tamen (puta meatui urinario & aliis) non affixam; de cauſa, ut vocant, proxima, certiſſimam, poſt tot elapſos annos derepente hanc promovente exuberantiam, opinatus ſum; glandulam hanc inguinalem, obſtructâ arteriâ, primò intumuiſſe & manſiſſe eo in ſtatu, uſque dum magno accedente motu impetuque ſanguinis, obſtructio illa reſolveretur, pertunderetur extenſaque protenſaque propagataque arteriarum glomeratione, brevi extumeretur, quam videbamus; excreſcentia: poſſe verò hoc modo paucorum dierum ſpatio formari magnum tumorem liquidò demonſtravi & exemplis de bubone peſtilentiali, de fungo & ſimilibus, deſumtis, illuſtravi; huic ſermoni alia adjeci egique de methodo agendi in hunc tumorem; eum, videlicet, tutò non poſſe auferri eſcaroticis, inuſtione, neque inciſione; ſed verò in conſtrictionem omnem eſſe collocandam ſpem: hæc & plura hunc caſum in genere, & ſpecie ſpectantia, leguntur explicatiùs inferiùs.

Prædictis ergo viris mecum ſentientibus mihique auxiliatrices præbentibus manus, injeci elevatæ undique & annulo ferreo plicabilique coarctatæ & ab abdomine, quantum fieri potuit, avulſæ excreſcentiæ decuſſatim duo, cerâ obliuitâ, vincula linea (ſericis enim potuiſſet fortè perſcindi cutis nimium citò) horum finibus adaptavi in utraque inguinis parte, ex levi ligno torcularium, cujus cochleæ manubriolum apponi curaveram; ut, pro re nata, verſatili hocce inſtrumento, ad abdominis & inguinis figuram formato, excreſcentiæ pedunculus arctari, aut laxari poſſet ad nutum.

Hacce die, ſuffulta, ab omni parte, pulvillis (compreſſulis) excreſcentia, de hora in horam conſtringebatur, uſque dum, ex dolore, judicaremus eſſe ab ulteriore coarctatione abſtinendum.

5tò; Manè experiebar, omnia pro tempore meaque intentione ſeſe habere benè ægramque & alvum & veſicam ſine moleſtia exoneraviſſe; ſtrictius ergo ligavi molem; veſperi autem, ne forſan inflammatione, aut gangrænâ partes vicinæ infeſtarentur, fœtor, planè cadaveroſus, abigeretur ipſaque excreſcentia deſiccaretur, abdomini, addito ſpiritu vini, femoribus verò ipſique tumori ſimpliciter ſequens, corroborans dicunt & deſiccans, inſperſi fomentum:

℞. *Herb. abſinth. M.* iij.
Scord. M. ij. *majoran. M.* j.
Rad. polypod. ℥ß *ſpic. nard.* ʒij.
flor. Roſar. Rubr. M. jß.
incid. coq. in vino Rhenan. aut Gall. generoſ, col. ſerv. in uſum.

6tò; Inſpexit mecum & Chirurgis *Alderkerk & Beaudoux* (iis enim uſus ſum ex munere) negotium noſtrum Clariſſ. Medicus *H. Ooſterdyk Schacht* renuntiavitque, perluſtratis diſcuſſiſque omnibus ad rem facientibus; ab me agi ſecundùm artem eximuique mecum dubium; ſed verò hac unâ methodo pergendùm urgendumque, ſtatuit.

7mò; vidi excreſcentiam putredine corruptam, gravi magnoque cum fœtore nigreſcentem; dormiverat autem ægra ſatis benè conſtrinxique iterum vincula firmiter.

8vò; Accipiebam, ægram, præ dolore, hac nocte fuiſſe inquietam, inſomnem, alvum non depoſuiſſe; veſicam verò ſæpèſæpius; ſed tamen ſine moleſto dolore, pulſu itidem genarumque rubedine febrem denotantibus, injici ano curavi *ſuppoſitorium*, quod circa meridiem intentioni meæ ſatisfecit: ſitibundæ quidem aliquid potionis præſcribere volui; verùm illa ad medicamentorum titulum, cum teſtata eſt ab iis averſionem; ut potius iis ſuperſedere, quàm ea, hac hora, urgere, ratum duxerim.

9nò; Iterum omnia è voto ſuccedebant, utente alimentis, non ſine appetitu & hilaritate, ægrâ obſervavique

vique

vique circa vincula pus cutimque perſciſſam, ulceri itaque huic, *ung. digeſt.* calidè appliçari curavi.

xmò; Dormiverat in utramque aurem patiens tota ferè nocte: hoc die abſtuli excreſcentiæ flaccidam luridoque-nigerrimam inſignem partem.

x1mò; Nobiſcum convenerunt Chirurgi *Terrenius* & *Le Mair* tentaviqoe vincula conſtringendo, totam avellere de corpore fætentem molem; ſed ſtillitantibus quibuſdam ſanguiferis vaſculis puri puti ſanguinis aliquot guttulas, me ab hoc propoſito abſtinni, conſtituique ut ab initio, prudentiæ & tempori rem committendam totam.

xiimò; & *xiiitiò*; { Ægra & omnia ſeſe habebant ad normam artis naſcebaturque mihi jam nunc boni eventus firmior ſpes: affirmavi & non vanus vates prædixi, nos in portu navigare.

xivtô; Vidit mecum Doctiſſ: Medicus, *W. Myliu*s, quem habuiſſe diſcipulum gaudeo & Chirurg: *Ellinkhuyzen.* totum ad vincula circulum, ulcere circumſcriptum puro abdomenque femoraque ab naturali diſpoſitione, nullo modo, mutata.

xvto, Et ita duodecimo, ab injectis Vinculis, die, (me abſente) ſolvens, cum faſcia, apparatum, Chirurgus *Alderkerk*, unà totam vidit ſoluram de inguine excreſcentiam ſingnir ique vel minimum quid ejus reſtitare, aut ſanguinis effuſum; ulceri itaqoe detergens, *mixtum* vocant, adhibuit *unguentum*. Veſperi (fateor ſumma cum voluptate) ægram lætitiâ exultantem remque ipſam in vado comperi.

Conſtitueram, poſtero die, in avulſam hanc molem anatomicum inſtituere examen; ſed tantus ei erat fœtor, quantus, ne per minimam quidem horæ partem ab naribus ſuſtineretur: quod tamen obſervare potui, eſt, maſſam hanc glandoſo carneam, uno conſtitiſſe corpore, ejus excepta parte pudendæ proxima: hæc enim ſulco diſtincta ſingularique circumſcriptione notata videbatur; hinc ſtatui unam majorem, duas porrò, aut tres & quidem temporis interventu, hocce morbo fuiſſe inſeſtatas glandulas; duæ tamen minores, verſus ilia & naturaliter conſtitutæ adhucdum inveniuntur.

xvito; *xviimo*; { Eouſque ulcus depuratum obſervavi; ut,

xviiivo; Miſera nuper, pleniſſima nunc fruens valetudine ad conſanguineos ſuos, in pago *Voorhout* degentes, abierit: ulcus autem cicatrice obducendum, Chir. *Beandeux*, utpote huic loco proximiori, tradiderimus, quodque eo cum ſucceſſu peregit; ut *xxv.* maxima parte & 3tio; M. Hujus Maji. illud in totum conſolidatum invenerimus, adjecto ſolummodò inguini, puro, cum faſcia, carpto.

De faſciis ab me uſurpatis nihil commemoro: ſuſpenſoriæ enim in initio & retinentes apparatum poſtea fuerunt tantùm.

Obſervatum autem volo, ægram medicamentorum, ne vel unicum aſſumpſiſſe, per os, granum.

Habes (*Lect*: Benev:) rei feliciter peractæ hiſtoriam, quæ autem (ut ſupra monui) cum Chirurgis & ſtudioſis medicinę in anteceſſum communicavi, duo erant, nempè, cogitata mea de hocce morborum genere & methodo illud tractandi: profeſſus, me ſtatuere, triam earum carnearum excreſcentiarum genera darique, hoc ex ſyſtemate, tria carnis genera, muſculoſum, glandoſum & ſpecificum; ſive fibroſum, viſculoſum, lamellatum.

In muſculoſo obtinere verum *Sorcoma*, aſſurgens una & æquali ſuperficie, cujus margo, temporis tractu incurvatur, circumvolvitur, invertitur & tandem oculum latet: in eo curando probè uſui venire cauterium (quod vocant) actuale; potentiale verò minimè: abſciſſione porrò, inciſione, neque ligaturâ hocce poſſe extirpari malum, affirmavi; niſi (quod in extirpatione mamellæ feci ſæpius, ejus pedunculus unà & ſimul, cum parte muſculi, ex quo ortum duxit, abſcindatur: hoc autem quàm quibuſdam locis factu ſit difficile, pronuntient veri Chirurgi; addidi, inciſione hoc modo non inſtituta, *Sarcoma* citius violentiùſque excreſcere & propullulare; inſuper vinculo, ligaturâ, non poſſe auferri, cum infra excreſcentiæ Principium, injici tumorique illa adhiberi nequeat.

Glandularum carnearum ſyſtematis excreſcentias duplicis pronuntiavi generis; conglobatatum, nempè, una mole & circuitione; conglomeratarum verò variis ſulcis: protuberantiis fiſſuriſque divila, erumpere.

Ad haſce auferendas, rejecto utroque cauterio, commendavi cultrum (inciſionem) & ligaturam, uſus exemplo abſciſſionis mammarum, glandularum tum axillarum, tum inguinum, uvulæ &c.

Contra hanc doctrinam, ex Chirurgis quidam móvit dubia & fortiter & amiciter; contendens, eſcaroticis glandulas carneas ſcirrho; imò exulcerato & carcinomate infectas, mammam, papillam, ovulam, &c. poſſe curari; cui ego, me nunquam; niſi in principio morbi & una, aut altera, tantùm, glandula laborante, cum optando eventu, illud tentaviſſe, aut ab aliis tentatum vidiſſe demonſtravique eandem illam curationem tutius & citius inciſione & ligaturâ potuiſſe fieri & eſcarotica poſt infelicem harum partium inciſionem, ſcirrho non probè extirpato & repullulante &c. ſolummodò locum obtinere; retuli porrò me cum famigeratiſſ: medic Chirurg (ſic lect: ben: huic digreſſioni venia) Burcinae: &c. dynaſt: ad extirpanda prædicta mala utplurimùm eſcaroticis nunc exterius ad extruendam crenam, ferrum poſtea excipientem, nunc interius & ad finem uſque utente, hoc de lemmate, quoodam ſeruiſſe ſermones, poſtquam mamellæ ſcirrhoſæ extirpationi, ab me inciſione peractæ clanculum & niſi poſt actum faciètenus notus interfuiſſet meque eò eum, pro mea cauſa dicendo, duxiſſe & preſſiſſe anguſtiarum, ut pro omni argumento ſolummodò diceret; *age tu pro conſuetudine & methodo tua; ego tamen meam excolam*; quærens tandem omne effugium in aquam ſuam quam (*loſchoſ bjandſtillend mater*) dolores & inflammationes ſiſtentem appellabat, aſſeverans hocce ſuo Arcano, eſcarotici ſui etiam Arcani ſævitiem ad lubitum poſſe moderari, frænari & cum tempore hoc modo, ſine dolore, aut hæmorrhagia, ſcirrhos cancroſque curari; cùm autem poſtea hæc aqua cauſticumque hoc Orbi innotuerunt, compertum eſt, fuiſſe lac quoddam (ut aiunt) *virginis*, cujus formula ſatis jam eſt cognita & *mercur: ſublim: corroſiv*: ſed quâdam larvatus maſſâ gypſeâ: quapropter multi mecum ſunt ſuſpicati, cum terribili ſub titulo cancri leviores glandularum indurationes &c. (nam de ulceroſo carcinomate, ne unum quidem exhibuit exemplum) hoc remedio excepiſſe & curaviſſe.

Quàm malè eſcaroticis; præſertim ol: vitriol: uvula, tonſillæ &c. & quàm probè ligaturâ & inciſione excreſcentes auferantur; primum matrona nobilis hac in civitate experta, adhucdum dolet & ſecundum; *Haga comitum* Juvencula quædam lætatur.

Tertium carnis genus, quod conſtituit glandem penis, gingivas, &c. cum frequentiſſima; imò ab nativitate hominis habeat excreſcentias, docui, pro opportunitate eſcaroticis, ignito ferro, inciſione, ligaturâ, verbo, vario modo, poſſe deprimi, coërceri, auferri.

De fungo (excrefcentia fubitanea in corpore animalis, alio nomine aliquando hyperfarcofi) fuftinui, effe ex arteriis læfis, aut ad earum extremitates, tono perditis, fucci nutritii profluvium, cujus prima guttula tubulo arteriofo adhærens, fequente alia, protruditur; fed tamen huic adaptata atque cum ea, vivificante fubtiliore fucci nutritii portione dotata, vivit & hoc modo infequente una effufione fucci nutritii alteram, porrò fieri hanc excrefcentiæ Pfeudocarneæ fpeciem.

Pro ulteriore meæ hujus opinionis aftructione, duxi in medium omnia illa phænomena, quæ in *Fungo* proftant quibufque ille ab *Sarcomate*, *Glandofis* & *Tertii Generis Carneis Excrescentiis*, diftinguitur, ut; initio digito, linteo, carpto &c. poffe abftergi, removeri inftar glutinis; albefcere; quinimò etfi tractu temporis fubrubrum, vel lividum obtinuerit colorem, indurverit variifque ab latere, ornatus fuerit fanguifetis; eum tamen fibris nunquam inftructum carneis, vafis ab ortu, aut lamellis apparere. inde collegi fungos, mox deficcantibus & comprimente ligatura; poftea verò vinculo (intellige fimul ligato fonte, arteriâ) aut actuali cauterio debere auferri: de abfciffione docui eam, minimè convenire, utpote quâ morbus potius augeretur, quàm corrigeretur: de efcaroticis itidem, hoc in fymptomate omne conamen effe irritum; nam unâ confectâ efcarâ eâque feparatâ, fecundâ opus eft; propullulante interea de fonte, fungi materiâ & alimento: videntur mihi cum Sifypho faxum volvere, qui hoc opus aggrediuntur: problemati huic, affentiri nemo negabit, qui ab ulceribus dictis hyperfarcotico-imputris, ab mola &c. fungofitatis & citiffimæ excrefcentiæ probam petiit fungi & aliarum excrefcentiarum comparationem: quæ enim materia, fluidum quod, ulceri huic, de hora in horam ex imo affluit eique adhæret, dicitur quidem (fed falsò) caro; fed verò nec genere, nec fpecie eft: nullæ etenim carneæ, hacce in pfeudofarcofi, deteguntur ftriæ: verum quidem eft, ulcere neglecto ac diutius fordefcente gluten hoc duritie & colore quodammodò carnem, potiùs fpurîam, carni fimilem maffam fingere; fed tamen ritè examinatum, nihil minus, quàm carnis veftigia relinquere infpicienda; fic de mola, polypo & aliis.

Fungofitatem hanc, ut curetur, ufque ad ipfa offa, cum quibus, utplurimùm, ei commercium eft, debere abftergi fcalproque abradi ipfa offa & in totum crudefcere, notiffimum novimus: hujus generis ulcus, ante aliquot menfes, in hujus civitatis nofocomio ftudiofis confiderandum propofui.

De glandulis veficulatibus nihil memoravi; etfi fui generis potuberantias excrefcentiafque patiantur frequentiores: de carneis quoniam excrefcentiis agere, pro fcopo, hac in differtatione habui tantùm.

De excrefcentiis cutaneis cenfui, eas effe de glandofo-carneo genere atque proinde eodem modo, cum iis hujus generis; quamvis in aliis corporis locis, tractandas extare: de *Verrucis* tamen aliifque quibufdam cutaneis tuberculis, cùm diverfa, ab communi, mea fit opinio atque illa meum hoc thema directè fpectare non videantur, differam brevi ex profeffo.

Reftat (Lect: Benev:) ut enarrem, quid me moverit, quare vinculo, non verò alia methodo, hanc excrefcentiam aufferre conftitui.

Primò; cauterio actuali poffe deficcari, perurive eam, falvo, cum inguine, abdomine, noftrûm nemo, vel propofuit: nota nempè, nimium imi ventris tenera tendinofaque difpofitione, quàm ut rudiori huic exponi poffet medicationi.

2dò; Quare efcaroticis uti tatum non videbatur, ratio non erat una; fed multiplex. 1mò; major erat excrefcentia, quàm ut iis confumi, five in totum necari poffet, prinfquam ex ipfa hac methodo toti corpori noxa induceretur & vitæ periculum. 3tiò; accrefcente indies tumore obfervabam eum jam multo larice & fanguine hic & illic madere, quapropter de efcaroticorum vi, hoc in cafu, nulla mihi erat expectatio; adde 4tò; quæ fupra circa fungi curationem dixi de extruendis & folvendis continuò efcharis.

5tò; Cultro, incifione fanè ad excrefcentiam nullus patebat tutò aditus; bafis item excrefcentiæ latior erat firmiùfque inguinis cavitati inhærens, quàm ut incifione poffet extirpari; huic rationi adjice inftantis hæmorrhagiæ periculum veftigiaque ejus, fupra memorata, me terrentia; vinculo itaque defcripto, Deo adjuvante, opus hocce magnum peregi tutò, citò & jucundè.

Ultimò; ut probem, me verbis non inhærere & fuum Antiquitati femper tribuere honorem, concedo facile *Sarcoma* effe horum morborum quafi genus; cæteras verò carneas excrefcentias, ejus fpecies, aut claffes: modò meam de curatione doctrinam & agendi methodum approbaverit peritiorum calculus.

EAdem illa fœmina, cujus ftupendam Practicis hiftoriam, mox enarravi; poftquam duos circiter annos, toto tumore, ablato ejufque ulcere nitidiffima cicatrice obducto confirmatoque, ab omni inguinis intumefcentia liberata vixiffetque perfectiffimè, per omne id temporis, fana; iterum me convenit, A°. 1705 6tò menfis Martii, tantam, eodem in inguine, denudans excrefcentiam, quantam ne, vel conftantiffimus quidem, animo, Medico-Chirurgus, fine horrore infpexerit, mifera porrò, egena & ad incitas redacta, profitebatur lacrymabunda, fe; utpote, quæ recentet natis infantibus ab cura effe folebat, obftetricis vetulæ confilio obtemperaviffe & tumorem, ante tres feptimanas, oleo oblinviffe & fuafu Chirurgi cujufdam, compreffiffe firmiter; eum verò, feftinatione ea, eâ violentiâ eoque cum dolore prorupiffe; ut peractæ imprudentiæ veniam fimulque, meam implorare opem cogeretur; utramque ei conceffi facilè, tum quia miferandus omninò erat mulierculæ ftatus, tum (ut apertè rem prodam; fic enim decet virum honeftum) quia follicita quadam agebar dubitatione, an prima excrefcentia radicitùs totaque & omnis, ab me effet extirpata? an verò quædam forfitan ejus pars relicta atque hoc modo, aut meâ infcitiâ, aut imprudentiâ, recidivam (ut vocant) pateretur: nam, etfi minimè homo Euripus & de peracta operatione fecurus, ab omni videret parte, nunc propter rem, coram multis celeb: Medicis & Chirurgis præftitam & ab eorum fuffragiis comprobatam, tunc propter temporis intercapedinem, quâ integra exftiterit & quæ porrò argumenta, de fonte Medico-Chirurgico, pro me militabant, tamen ipfe experiri ftatui, hæc an præteritæ effent excrefcentiæ infauftæ reliquiæ veftigiaque, non probè deleta, an verò novum fymptoma?

Manum ergò, Lunæ 16 Martii, circiter octavam, iterum unà cum Chirurgo *M. Alderkerk* operi admovi; quò (ut fequ: exhibet figura) hanc excrefcentiam, unicuique, artis Medico-Chirurgicæ fautori & ftudiofo; quemadmodum & tuto tractationis tempore, infpiciendam præbui. (*Vid. Tab. V.*

Explicatio Tabulæ V.

A. Inguen Siniftrum.

B. B. B. *Protuberantia Ipfa De Mole Tumoris eminentes, fplendentes Atque livefcentes.*

C. C. C. *Sulci. Rimuli excavationefque, luridi coloris Labiis & Marginibus obfeffa.*

D. D. *Partes fuperficiariæ, putredine correpta.*

Tale,


B
C
B
D
C
D
B
C

Tale, quale ad vivum depictum, proſtabat fœtens & multo madens latice ſanioſo, ingens & dirum [illegible] monſtrum; ita ut multi, oculo, mox ſtomachabundi, ab horrendo aſpectu retorto, ad eum redierint ratò.

Injeci, quod, exercitatione præcedente deſcripſi pag. 100: huic excreſcentiæ torcularium eamque, eodem; ut prædictam, excipere & tractare incepi modo: totum inſuper, oxycrato madefactis, tumorem exornans ſpleniis & linteaminæ multo.

Hocce die, conſtricto per tumoris pedunculo, potiùs baſi; accipiebam, ab iis, qui ægræ ab officio fuerant,

17 mò. Eam tranſegiſſe pervigilem totam noctem, cum frequentiſſimis, de dolore inſentiſſimo & veluti flammula corripiente, querelis, nulla cùm tamen ſeſe manifeſtaret febris, paulò, magis coarctavi vincula: poſt meridiem cruciatu defeſſa obdormiſcere; ſed non ſine febre incepit, veſperi verò, omnis videbatur ſuppreſſus dolor, ſed tamen utrique inguini, quinimò & pubis regioni impoſitum *Empl. defenſiv. vigon.*, ne inquinata ab effluente undique, fœtidiſſimo latice, corriperetur: levis etenim jam nunc conſpiciebatur inflammatio; noctem ſatis egit tranquillè.

18vò. Apparentibus veſiculis, gangrenæ prænunciis ægraque, de ſummo dolore circa pudenda totiuſque infima regione, conquerente, omni parti, extra vincula, *ung. alb. caphurat.* injeci; ex fœtore tamen cùm ægra in levia animi deliquia rueret, præſcripſi ei, quod ſequitur, cardiacum cochleatim uſurpandum;

> ℞. *Aq Meliſſ: Puleg.* ā ℥ij.
> *Cinnamom:* ℥ ß.
> *Confect: Alkerm:* ʒij.
> *Sacch: perlar* ʒ 6.
> *Syrup: Paon:* ʒiij.
> *Sal: volat: aromat:* ℈ ß.
> *M.*

Tumore, circa meridiem, firmiter conſtricto, habuerat patiens ſeſe benè; febricula licet intermittente & periodica, per noctem, infeſtata, ut Chirurgi famulus, qui excubias celebraverat vinculaque, ut erat monitus, conſtrinxerat ulterius, referebat.

19 mò. Elevato autem apparatu, mirabamur (multi enim huic viſitationi interrerant Medici & Studioſi) tumoris, ſive excreſcentiæ adauctam molem: ſuperabat enim capitis hominis magnitudinem longè: propoſitum nihilominùs perrexi & ea, qua potui vi, conſtringere & comprimere vinculis molitus tum excreſcentiæ fontes; tamen monuerim expreſsè, toto die, non ingravuêre ſymptomata; ſed verò.

20mò. Hauriebam ex relatione, tum ægræ, tum ei adſtantium, eam moleſtam ſuſtinuiſſe & omni ſomno expertem noctem: febrem ipſe quoque detegebam inſignem, quam ſymptomaticam ſtatuebam; coarctatis itaque vinculis, exhibui: alvus enim erat adſtricta ab tribus diebus; quam ſolvere tamen; niſi coactus volui: debilis enim & quæ vix juſcula ferebat, viribus opus habebat miſera, circa meridiem, hanc ei infuſionem;

> ℞. *Fol: ſenn: mund:* ʒ ß.
> *Semin: aniſ:* ℈ j.
> *Ebull: in aq: pur: colatur: ad* ℥iij.
> *adde*
> *Mann: Calabr:* ℥j.
> *Cremor: Tartar:* ℈j.
> *detur uſui.*

ex qua inſtanti veſpera ſemel alvum depoſuit.

Curavi, ne excreſcentia ſtrictius complicaretur; ne tranquilla enim nocte parùm ſperans, paroxyſmo inſuper febrili cum exacerbatione & ægræ de dolore vociferatione, omnem me monentibus prudentiam.

21mò. Mane mutatum fuit nihil circa apparatum; ægra verò refecta juſculo &c.; tantus jam in conclavi erat fœtor; ut neceſſum fuerit, od[illegible] igni dare tumoremque cannabe & lintean ine multo copetire. feriebantur quippe ægræ nares (tacco adſtantium & ei manus exhibentium) ea vi; ut quandoque videretur exanimis.

Circa meridiem, novum torculari eſt appoſitum vinculum, putredine contecto tractoque altero; elevato, hac opportunitate, tumore, apparuit in cute crena & circulare ulcus, pure conſperſum puro & puto, ominis boni præſagium; niſi (L. B) rem factam enarrare; non verò è longinquo petendis ratiocinationibus de talibus Phænomenis diſſerere, mihi propoſuiſſem, haberem hoc loco exſpatiandi ampliſſimum campum. quem circumite Philoſophaſtros jubeo: ſub veſperam (primis enim diebus ad minimum ter ægram conveni) dormientem inveni eam: commendavi itaque, juſculi, in quo Rat: C. C. erat cocta, crebrum uſum.

22dò. Totus grabbatus, impuro latice ſanguineo conſpurcatus erat, gangræna indies & de momento in momentum irruente: incipiebat tumoris circumferentia flacceſcere: ulcere circulari *ung: digeſtivo*, conſperſo, redii circa primam, quâ pandiculationibus, rigoribus & nauſeâ miſerè miſeram vidi agitatam: præcepi propterea crebriorem *cardiaci præſcripſi* uſum ſimulque, per temporis interpolationes (ſed ſine *ſoporiferis*) emulſionis & hordeacei decocti.

23tiò. Iteratus eſt *hauſtus purgans*, proſpectum ulceri & cæteris.

24tò. Hoc die memoriæ dignum acceſſit nihil.

25tò. Pendente jam nunc ex minori pedunculo excreſcentia, multa mihi facta nataque de deciduo hoc & præcoci fructu, ſpes; quia autem alvus adſtricta manſerat, acui purgantis ſtimulum;

Quoniam autem ſphacelo confectus ex parte tumor, ita fœtore ſuo infeſtabat ægram; ut delirio corriperetur, ei tinct. ex Aloë, Myrrh. &c. Spir. vin. injeci & (uti impoſterùm) veſicâ, qua potui ſedulitate cooperui habuitque patiens ſuccedentem noctem amicam; deponens alvum bis & commodè victumque appetens, quod ei eſt exporrectum ad lubitum.

26tò. Ex lurido nigram excreſcentiam ter, hoc die, complicavi, ulceri *digeſtiva*, inguini & abdomini inferiori *defenſiv. vigon.*: ſuperiori verò corroborantem hunc fotum injeci:

> ℞. *Herb. Ruth.*
> *Phlandr. a. m.* iij.
> *Flor. abſynth.* mj ß.
> *Ebull. in vino Gall. colat. ad* ℔ ij.
> *detur uſui.*

ægræque hauſtum vini cum vitell. ovor. &c. propinavi & ut feſtinaretur totius tumoris ab inguine ſeparatio & ſimul relinquendi ulceris tum abſterſio, tum deſiccatio, præſcripſi hoc ung:

> ℞. *Ung. Baſilicon.* ℥v.
> *Fuſc. Felic. VVurtz.* ℥j.
> *ter, ſingulis diebus, applicandum.*

Habuit ſeſe, toto hujus diei tractu, benè, exonerans tum alvum, tum veſicam, ulla ſine moleſtia; quia partes tumori vicinæ, hîc & alibi locorum excoriatæ proſtabant, iis *Empl: diapalm: diſſolut:* applicui.

Vesperi de frigore totius femoris conquesti est ægra & iteratum suprà indigitatum cardiacum: oborientæ tussi magnaque, circa escharam, hæmorrhagia, noctem valde egit inquietam.

27mò. Præscriptæ, hoc mane, fuere contra tussim ex *facch: alth:* tabellulæ, bisque arctissimè coostricta vincula: phænomenis respondentibus ad votum, p.æstitis porrò præstandis, succedentem noctem ullo sine notabili symptomate, transegit.

28vò. De ardore faucium, difficili deglutitione, alvo adstrictâ & capitis dolore querelas movit: quæ omnia, circa meridiem, evanuere, alvo laxata, symptomata; fœtenti tumori spir. vin. injecto optimè dormivit.

29nò. Mane, ut & meridie, torculario firmissimè compulso, bis hoc die alvum exoneravit; vesperascente tumori, quasi de novo, præsertim ad partem versus abdomen protuberanti impositum fuit seq. Medic.

℞. *Ung. Basilicon.* ℥iij.
Mercur. sublimat. corrosiv. ʒj.
M.

nullo insigniore incommodo vexata & nocte usa pacata.

30mò. Abscisso altero, novum excrescentiæ impositum fuit vinculum torculariumque ab una parte novum; quoniam præ putredine ipsa tota nigredine conspurcata & imbuta comperiebatur machina; hoc autem, cùm fieret, non levis oborta est hæmorrhagia, quæ tamen mox depressa, tum stupis ex cannabe gypso ornatis, tum ligaturis ad partem accommodatis in formam fasciæ.

Totus hic apparatus, ea nocte, non fuit solutus (etsi ægra conquereretur de maximo circa inguen dolore) ob metum hæmorrhagiæ, circa meridiem immissum suppositorium acutum *troch. alhandal.*; alvo tamen medicationi non obtemperanti, præscriptum est, quod sequitur, purgans:

℞. *Resin. Jalapp. gr.* vj.
Diagrid. gr. v.
Cremor. Tartar. ʒß.
Dissolv. c. q. s. vitell. ovor.
addendo
Aq. fœnicul. q. s. pro haustu

ejecitque circa vesperam induratas & nigricantes fæces; sed tamen ab febre & faucium dolore liberata fuit minimè, itaut; ne vel momentum temporis, dormivisset.

31mò. Mane ligaturâ, circa meridiem, toto apparatu seposito, ex voto sese habuerunt omnia.

Primò Aprilis. Qua potuit (secundùm artem) vi compressa est excrescentiæ basis, quæ jam nunc vix pollicis transversi erat latitudinis; inter agendum cùm ægra de dolore non conquereretur, mecum omnem adstantes Medici & Chirurgi judicabant eam penitus & totam extare emortuam; cujus effati veritatem demonstravit dies postera:

2dò. Ab inferiore quippe parte, magna squallidæque excrescentiæ pars, gangrænâ plane corrupta, cecidit; eo tamen cum fœtore; ut, hoc die, quater putrescenti plagæ prospicere necessum fuerit.

3tiò. Tumoris superficies parte, quâ dextrum spectat femur, nigerrima apparuit, effluxitque de eo fœtentis liquidi ingens copia; hoc die & animo & corpore patiens erat debilis, nauseabunda & mœtore, quasi suffocata; præscripsi ei *ex vino Rhenano, croco & pano tosto* haustum dixerim, *an cardiacum?* qui cùm ea pernoctaverat, renunciabat eam; postquàm sudoris multum ejecisset & media nocte, vagi sermonis fecuisset multùm, somno satis alto fuisse oppressam:

4tò. Refectam viribus & in prandio utentem jusculo vervecino, ægram inveni, hoc die mutationis porrò observatum est parum.

5tò. Non probè comprimens solutum abscissum est vinculorum unum, comeditque booo cum appetitu dormiveritque post meridiem, per 3. integras horas, deponens commodè alvum ægra.

Ornata tum abdomen inferius, tum inguina, loco, quo excrescentia, ulcere facto per vincula dehiscebat ab continuitate, *ung. Basilicon.* eique cum *ægyptiac. mixtum* injectum.

6tò. Strictissimè; quin imò; ut ulterius non potuerit, contorto vinculo, conquesta est ægra de rigoribus & totius corporis tremore; febris tamen cùm vel via adesset; tem in vado meque in portu navigare collegi.

7mò. Flaccescere in totum tumor cepit &

8vò. Pendulus est vitus; ut eum reliqui, qui

9nò. Totus de inguine cecidit, relicto æquali & rubicante ulcere; sed o' non evanidam artis Chirurgices fiduciam! certitudinem & ab utroque propositio demonstrationem! vidimus etenim Medici, Chirurgi, Studiosi omnes, omnem, totam, integram hanc, de novo, elevatam & luxuriantem excrescentiam extirpatam priorisque ablatæ albidam, contractam, confirmatam cicatricem.

Nunc à posteriore consentiebant omnes, unamquamque inguinalium glandularum, eodem posse laborare ex vitio, neque hanc excrescentiam fuisse prætéritæ ablatæ vestigium, recidivam, vel, eodem de pedunculo, non ritè depressam eradicatamque luxuriem;

Sed ne vel aliquid detrimenti ægra, ars Medico-Chirurgica, aut posteritas ab præcoci hac mea fiducia & assertione caperet, texi solummodò, ab

xmò. Usque in

ximum, Hujus mensis diem, ulcus per se madens puro & sufficiente liquido, carpto; postea verò illi adhibui *ung. Basilicon. cum Pracipi.: Rubr:* quibus ritè paractis absolutique, minimè festidando, illud cicatrice, priore non deformiore eique à latere, fuit obductum consolidatumque egregiè.

Qui huic actui ab initio usque ab finem, extra omnem lucri spem, interesse non destiterunt hincque Laude, non mediocri, ab me artisque nostræ fautoribus celebrandi veniunt, fuerunt, Clariss: Docti Med: *Mydius & van Hooren.*

Hactenus Clariss. Dominus Bidloo. Nos in Nosochomiô quod hicGenevæ in gratiamGallorum pro religione profugorum præcipue erectum est; in virgine triginta præter propter annos natâ, mense Junio anni 1717. manibus solertissimi Chirurgi Dom. *Grenier*, filii, excrescentiam amputavimus, seu potiùs incisione à superioribus ad inferiora, & utrinque regumentis excorticatis, separavimus, atque ejus radices pollicem circiter crassas & imæ scapulæ adnexas, filô transfixô utrinque ita colligavimus eâ fortunâ ut brevi exciderent, & grande admodùm vulnus pro ejusmodi extirpatione factum, intra sex septimanas occlusum ac cicatricatum probè fuerit: Excrescentia autem illa tota carnea, variis eminentiis protuberans, ac maximam dorsi partem occupans, parum dolens, nisi à paucis diebus ex quô lividiuscula evaserat, libras medicas pendebat decem. Totô autem curationis tempore, quod omnino mirum, nulla febris exorta est.

EXOM-

EXOMPHALOS vid. **HERNIA.**
EXOSTOSIS Vid. **OSSIUM MORBI.**
EXTIRPATIO MEMBRI Vid. *sub titulô* **GANGRÆNA.**

Finis Libri Quinti.

BIBLIOTHECÆ CHIRURGICÆ

LIBER SEXTUS.

De Affectibus & Operationibus Chirurgicis à Litera F. incipientibus.

FASCIÆ & FASCIATIO

Tractatum habemos eximium apud Hippocratem super Deligationibus, Fasciis, Suturis &c. in Librô de Medici Officinâ, cum fusô Galeni in eundem Commentariô, adjectis etiam Tabulis perelegantibus decem, in Editione Operum Hippocratis & Galeni Parisinâ, Charteianâ, illa omnia quàm concinnè exprimentibus. Verùm ab iis hîc inserendis jam abstinemus, ut & ab aliis omnibus generalibus in eâdem materiâ dissertationibus, quia fasciationum variæ ac speciales methodi abundè demonstratæ reperientur, in variatum Operationum Chirurgicarum super Corpore Humanô exercendarum descriptione: Ut & itidem quædam ex iis in Tabulis XVI. XVII. quæ sub titulô *Instrumenta Chirurgica,* afferuntur.

FAVI Vid. *Crusta Lactea*

FERULÆ.

Quandoquidem nostrô hôc tempore deficit copia ferularum Hippocrati propriè sic dictatum, Chirurgi utuntur laminis è lignô factis, è quô fiunt vaginæ ensium, vulgo assulas vocant, quas stupâ obvolvunt. Alii utuntur chartâ, seu papyrô crassissimâ: Alii ligneis frustulis, digitum crassis. Horum usus est, non solùm immobile, sed etiam rectum tenere membrum; quod optimè præstant ferulæ; quæ cùm lævissimæ sint, non premunt, nec inflammationem movent; quatenus verò sunt rigidissimæ rectum servant membrum. Assula facilè incurvatue, ut & charta illa crassissima, oleô præsertim, aut vinô madefacta: Ligna autem crassiora valdè premunt, & movent inflammationem. His utebatur Hippocrates, demùm post septimum; quia ante septimum magis urgebat intentio arcendæ inflammationis, quàm intentio stabiliendi fracturam: Post septimum autem contrà accidit. *Hieronimus Fabricius ab Aquapendente.*

FIBULA.

De fibulâ ejusque usû, hæc, habet Hieronimus Fabricius ab Aquapendente. Fibula est instrumentum quô constringitur id quod separatum est. De harum materiâ, & figurâ autores discrepant. Oribasius enim cap. 4. lib. de machin. ait fibulas fieri ex ære, aurô, ferrô, & habere formam circuli. Guido fibulas appellat hamos, qui debeant esse parvi, pro ratione membri, & ab utrâque parte curvari, ut labrô, utrinque infigantur. At tales aculeos pungentes infigere in ipsâ carne, & nervosis partibus est pessimum: Unde hęc sententia falsa est, maximè quia hami postea latius esse vulnus permittunt. Fallopius voluit fibulas esse primam suturæ speciem, in quâ filum abscinditur, & qua communiter in vulneribus utimur, & hoc potissimùm colligit ex eô, quòd Celsus ait fibulam fieri ex aciâ molli; ubi Fallopius per aciam intelligit filum, quod nobis vulgò azza dicitur. At contra hanc sententiam multa afferri possunt. Primùm enim acia nusquam in linguâ latinâ invenitur, nisi hôc locô apud Celsum, & proinde non potest probari quòd acia latinis significet filum. Secundò in editionibus nonnullis pro *acia* legitur. *acû.* Tertio dicit Celsus, quod fibulæ ferè vulnus latius esse patiuntur: at fibula quę fit cum filô, secundùm Fallopium labia vulneris valde adstringit. Quartò apud nullum probatum, auctorem materia fibularum est filum, sed æs, ferrum, aurum, lignum: Unde Celsus cap. 25. lib. 7. agens de ratione infibulandi, ait exemptô filô fibula additur; ac proinde patet fibulam non esse è filô. Quintò modus loquendi ipsius Galeni, & Celsi, quando mentionem faciunt fibularum, talis est, ut per fibulam nullô modô filum intelligi queat: dicunt enim, additis, impositis, injectis, superdatis fibulis: quæ filo non competunt. His ergò rationibus olim adductus, fibulam credidi non fieri ex filô, sed ex ære, aut materiâ ferreâ, non quidem è materiâ durâ, quæ in vulneribus infigeretur, ut Guido sentit, sed molliore, quæ infigeretur per utrumque labium, & deinde intorqueretur. Postmodùm verò meliùs rem considerans, inveni opinionem Fallopii esse verissimam. Nam primùm Celsus fibulam, & suturam simul dicit fieri ex aciâ molli, non nimis tortâ, ubi dictio illa, non nimis torta, nullô modô acui potest competere, sed filo, quod duplicatum sumitur, & intorquetur, non tamen nimis, ne evadat durum & inæquale. Præterea, si illa dictio, ex aciâ, intelligeretur, ex acû, nihil faceret ad rem: Sicut enim sutura non fit ex acû, sed è filô, ita & fibula. Modus etiam loquendi ipsius Celsi, cum dicit injiciendam esse fibulam, valde respondet illi loco, cùm dicit, injectum vinculum mordet. Licèt autem quædam fibulæ aliàs fierent è ferrô, aurô, lignô &c. in vulneribus tamen nihil prohibet, quin è filô fiant: Pro diversô enim usû, & materia, & figura variari potest. *Hæc Aquapendens in Pentateucho; cum quibus tamen non omnino consentis in Appendice ad lib. de Vulneribus, ut & in libr. de Operat. Chirurg. ubi dum de operatione in labiis leporinis ac divisis exercendâ agit, fibulam facit ex filô quidem, sed circum acus per labii partes utrinque transmissas contortô.*

FICUS.

De Ficû, ac ejus curâ sic specialissime scribit Hieronimus Fabricius ab Aquapendente. Ficus ita dictus est propter similitudinem cum ficû

fructû; quæ similitudo in tribus spectatur; vel quia habet pediculum tenuem, vel quia continet in se grana similia illis quæ continent ficus; vel quia à ficû curetur. Ficus autem vel in capite, vel in aliis corporis partibus viget. De secundò non agemus, quia hic est valdè exiguus, qui actionem ferè nullam lædit, estque flaccidus, & curatur forcipe præcisò pediculò, aut sericò constrictò, ut mortuus decidat. De primò hìc est sermo, qui est tumor capitis, ex quo rupto, sanies exit similis granis ficuum. Auctores autem non concordant de ejus naturâ & loco proprio; dum alii ulcus esse dicunt, alii tumorem. Est etenim ulcerosa eruptio, subdura, rubens, cum dolore, secundùm Paulum; ast Hippocrati tumoribus annumeratur. Ficus igitur est tumor, qui facilè degenerat in ulcus, ex Galenô 5. de Medic. per loc. cap. 4. Sed dubium restat de locô; dum alii hunc tumorem capitis proprium dicunt; alii, ut Hippocr. palpebrarum, & oculorum; alii, ut Galenus, menti; alii, ut Celsus, partim barbæ, partim capillorum. Est autem tumor maximè in capite, & puerorum præsertim, qui tamen etiam excitatur in aliis corporis partibus, ex Aëtiô lib. 8. cap. 14. Tumor ergo rubens est, rotundus, subdurus; ex quô sanies exit similis semini ficuum, ubicunque sit. Fit autem ficus ex humoribus mistis, sanguine scilicet crassô, pituitâ, & serositate, quia est tumor rubens, rotundus, in capite, qui citò, non ritè curatus, exulceratur, propter serositatem pituitæ admistam; illa enim facilè cutim erodit. Differt ficus à Psydraciô; quia hoc est tuberculum acutum, subalbidum, non dolens; ille verò tumor est major, rotundus, rubens, dolens, ex quô exit sanies coarcervata, propter copiosam serositatem quæ prohibet quò minùs crassa materia à calore concoquatur, unde fit ut conglobetur.

In curatione ficûs, prohibenda exulceratio, quia migraret in alium morbum qui longior est: Exulceratur autem ficus si non rectè curetur; Curatio autem quæ illam exulcerationem prohibet est, quæ purgat totum corpus, ut pilulę cochiæ, decoctum sarsæ parillæ cum sudore, ad evacuandam serositatem; quod fit etiam per curationem capitis: Dura pars affecta verò ficûs emollienda; aliàs discutientibus & evacuantibus utendum. Itaque hæ sunt indicationes, ac prohibetur suppuratio in pueris, ut millefoliô contusô, cum paucô sale impositô; aqua sulphuris, & salis per spongiam imposita; aqua marina; & muria apposita; ficus decoctę in aquâ & emplastri modo impositæ. In durioribus corporibus, valeor calchanti usti, aluminis, glutinis, partes æquales, squamæ æris duplum, gluten in acetô modicô diluatur, & cum reliquis imponatur. ℞. lithargyr. ℥ iv. sal. fossil. ℨij. thoris ℨiij. sandaracæ ℥ j. terantur, imponantur. Si exulceretur, adhibendum ceratum citrinum, elaterium tritum, lini semen tritum, cum aquâ impositum. Item detergendus est ficus exulceratus, pulpâ ficûs melli admistâ; item ceratô triapharmacô. Convenit etiam unguentum citrinum linamentis obductum.

FISTULA

De Fistulis *Pectoris*, *Abdominis*, aliarumque partium, vide Caput de Ulceribus ubi hæc pertractabuntur. Hìc tantùm de iis quædam in specie ex Clar. Petro de Marchettis ac Theodor. De Mayerne; aliisque.

De fistularum Ani Differentiis.

Licet non me lateat, ab omnibus auctoribus curationem fistularum ani proponi, cùm tamen diversi sint à me modo, & ordine eas explicandi, ac curandi, ideo decrevi eum in medium afferre, quo sæpe felicissimo successu has sanavi, à differentiis ipsarum exorsus.

Aliæ itaque fistulæ sunt propè anum, non tamen pervenientes ad ejus orificium; nonnullæ ad ipsum pertingunt, & serpunt exterius supra intestinum, quod tamen non perforant: quædam verò ipsum pertundunt; & quidem aliæ in externo musculo sphinctere; aliæ ad partem usque ejus mediam; quędam propè eundem externum superius, vel etiam ultrà, superiori tamen parte: aliquæ inter utramque tunicam intestini recti sursum tendunt, modo ad medium sphincterem, modo ulterius: earum item quędam aliquando ad vesicam deflectunt, quæ sunt species fistularum ani, & intestini recti à me observatæ. Præterquam quod aliæ uno tantùm sinu, aliæ pluribus perrepant; quædam tortuosæ, quæ differentiæ accuratè recensendæ fuerunt, utpote ad earum curationem apprimè necessariæ.

De Caussis Fistularum Ani, & Intestini Recti.

Causæ harum fistularum aliæ sunt externæ, aliæ internæ. Externæ, vulnera, in ulcera degenerantia, atque hæc in fistulas: contusiones ex equitatione, ex lapsu, vel aliqua hujusmodi causa anum contundente, cujus ratione oriuntur abscessus; quę contusiones, propè anum potissimum, ex pure in iis conclusô, perforant absque dubio intestinum, quæ si longiùs ab ano recedant, illud non labefactant, sed tantummodo carnem, supra quam exteriùs serpunt.

Causæ verò internæ fistularum ani, & intestini recti sunt humores, hæmorrhoides, exulceratio.

Hæmorrhoides siquidem, ratione doloris sanguinem attrahunt, subortô postmodum tumore, qui in sinum, tandem in fistulam desciscit. Ab excoriatione verò intestini recti suboriuntur, dum ab aliqua materia biliosa, mordaci, vel virulenta, ex Lue potissimum Venerea exulceratur, atque sensim excavato ulcere ab eadem in eo congesta, & diutius hærente, paulatim perfoditur; atque materia inter partes musculosas collecta, progressu temporis suboritur tumor in partibus externis ani, qui disruptus in fistulam facessit, quæ tum partes ejusdem musculosas externas pertundit.

Ab humoribus quinetiam heterogeneis aliquando ad intestinum confluentibus, & musculum sphincterem perforantibus, abscessus, & fistulæ suboriuntur, ratione superius allata.

Atque hæ sunt causæ, & modus generationis fistularum ani, & intestini recti. Ad signa modò progrediamur.

Signa Fistularum Ani, & Intestini Recti.

Si fuerit fistula in partibus externis prope anum, quæ tamen musculum sphincterem non perforaverit, id specillo patebit, prout si penetraverit in intestinum; intruso siquidem digito oleo inuncto in anum, specillum nudum illi occurret.

Dignoscuntur

Dignoſcuntur fiſtulę inter utramque tunicam inteſtini, immiſſo ſpecillo, ſi digito non fuerit obvium; ſed membrana ipſius inteſtini tectum. Obſervandum verò, quod ſpecillo immiſſo, totam longitudinem fiſtulæ deprehendimus, quo non pertingit digitus in anum immiſſus. An verò eadem fiſtula perforet inteſtinum rectum in muſculo ſphinctere, vel ſupra eundem, hoc prodit ſignum; ſiquidem ſi digiti in anum intruſi apea ab eodem non conſtringi, ſed in loco veluti vacuo hætere ſentiatur; quo ſtylus quinetiam in fiſtulam demiſſus pervadat ad extremum uſque digitum, in illud ſcilicet cavum, fiſtulam perforare inteſtinum ſupra muſculum indicio fuerit, cujus inteſtini perforati ſigno ab omnibus propoſito, accedunt flatus, male olentes ſcilicet ea fiſtula erumpentes, aut fæces.

Utrum verò fiſtula fuerit in principio muſculi ſphincteris, medio, vel fine perbelle patet digito, & ſpecillo, ut ſupra obſervatum. Quando verò ad veſicam tendunt fiſtulæ, ſitus id nobis demonſtrat; oculis ſiquidem ipſis id patet ſpecillo in locum veſicæ demiſſo: ſi verò veſicam pertudetint, copioſa effluet urina, atque aut per totum vitæ curriculum laborant, aut miſetè paucis poſt diebus ægri moriuntur, ſi fiſtula valde dilatetur. Er hæc quoad ſigna, in quibus Medico-Chirurgus multùm accuratus deſideratur, in iis potiſſimùm, quæ muſculum, & inteſtinum perforatum produnt.

De Fiſtularum Ani Prognoſi.

Omnes fiſtulæ ſuperius deſcriptæ à perito Medico ſunt ſanabiles; prout, omni ambitione procul, feliciſſimo ſucceſſu earum quamplures, imo ſeacentas perfectè ſanavi, methodo inferius proponenda: quanquam in his quædam facilius, quædam difficilius; & quidem ægre admodum ſanantur, quæ ſcilicet ſupra ſphincterem muſculum inteſtinum perforant; ut quæ à Lue Gallica ſubortæ. Facilius verò, & brevi tempore, quæ in orificio ani: minus facile, quæ in medio muſculo, ut & quæ inteſtinum perforant ſupra muſculum, quippe difficillime iſtæ, nec niſi longo tempore admittunt ſanationem.

Majori autem difficultate, ſi ſymptoma aliquod grave eiſdem acceſſerit, utpote inflammatæ hæmorrhoides, atque proximus illis ſubortus abſceſſus, dolor gravis partis affectæ, ut & callus annoſus, ac durus admodum, quæ ſymptomata licèt diutius protrahant earum ſanationem, non verò eam prohibent omninò; quin potiùs his ſublatis, facilius eadem contingit.

Dubium verò apud auctores, utrum ani fiſtulæ occludi debeant, quibuſdam id omninò negantibus, utpote quæ inſanabiles, ipſorum ſententia, qui hanc curandi viam ignorant; quibus refragatus, cenſeo omnes debere, ac poſſe ſanari, his exceptis, quo caſu obſervandum, an fiſtulę poſt cacheaiam ſint obortę, an verò fiſtulas cachexia excepetit: ſi enim fiſtulæ cacheaię ſuccedant, tunc non ſunt ſanandæ, niſi prius ſublatâ viſcerum omnium intemperie, & ad laudabilem redactâ: quæ verò cacheaiam præcedunt, omninò obducendæ.

Quod verò ea fiſtulis induci poſſit cachecticus habitus, facile eſt probare; ſanguis ſiquidem, dum circulatione partem à fiſtulis corruptam, ac proinde inquinatam alluit, pravam neſcio quam ſuſcipit qualitatem, quam viſceribus poſtmodum impertit, ac cachecticam infert diſpoſitionem, vel ſaltem, non conceſſa circulatione, ſanguinis tetri vapores, elevati à parte fiſtuloſa pure obſita ſanguinem contaminant, unde vitiata nutritione oritur cachexia.

Quod verò aliqui objectant, quo ſcilicet purulenta illa materia, quæ continuò ea fiſtula effluebat, erumpat, eadem ſanata; hanc certè, inquiunt, tetram, & corruptam neceſſe eſt recurrere, atque alias partes labefactare; ut propterea peſſimo conſilio fiſtularum ani ſanatio tentanda ſit. Reſpondemus, nullum earundem ſanatione ſequi detrimentum; ſiquidem prout natura ſingulis corporis partibus proprium alimentum largitur, ita parti fiſtula laboranti; cui tamen putridæ cum ſanguis laudabilis licet, accedit, corrumpitur, & in pus convertitur; qui propterea eſt expurgandus, unde ſanatâ fiſtulâ, alimentum illius partis non corrumpetur amplius; quinimò alimentalis ſubſtantiæ particeps in eam faceſſet, ut non ſit opus materiam illam refluere ad partes ſanas, atque ipſarum temperiem corrumpere; ut propterea fiſtulæ ani, & inteſtini recti poſſine nullo ęgrotorum periculo ſanari, ut ſępiſſime obſervavi, præmiſſa tamen totius corporis cura, expurgantibus materiam morbificam, & viſcerum nativam temperiem redintegrantibus: atq; quo omnis prorſus timor abſit materiæ refluxus, fonticulus femori deatro inurendus, expurgandis quotidie excrementis.

Curandæ verò fiſtulæ ani, periculo gravioris mali, ex puris effluxu, ut ſæpiſſime fit, cohibito, quod acrius, & calidius in varios ſinus ſe diffundit, pertuſo inteſtino, & amplius ulceribus productis, ex quibus quamplures moriuntur; prout exacto biennio accidit Illuſtriſſimo, & Excellentiſſimo Maliperto D. Marci Procuratori, non admiſſa ſectione fiſtulæ ani, quod & in ſeacentis aliis obſervavi; ad quarum propterea curationem me accingo.

De Fiſtularum Ani, & Inteſtini Recti Curatione.

Curatio fiſtularum duplex eſt; alia univerſalis cauſæ, alia particularis ipſi morbo dicata. Univerſalem quod ſpectat, ſi viſcera patientis fuerint bene conſtituta, ut patet ea inculpata valetudine totius corporis, abunde erit corpus expurgare lenientibus, præparantibus, & purgantibus, levioribus tamen, miſſo ſanguine, ſi opus fuerit, ea brachio, vel pede, quanquam aliqui abhorreant à medicamentis; quibus quidem non refragamur, pręſente optima corporis conſtitutione, qua pręditos multos curavi, non expurgato corpore, felici ſucceſſu, & abſque ullo futuri morbi periculo. Quod ſi patiens fuerit mali habitûs, & cacochymicus, purgandus primò ſemel, & iterum, fluxioni arcendæ, ac tollendę; tum propinandum decoctum ea ligno Guajaco, ſalſa parilla, aliiſque medicamentis, pro ægri temperamento; præſente ſiquidem cacheaia, ratò admodum ea toto ſanantur fiſtulæ, niſi ſublata viſcerum intemperie, iiſdemque corroboratis. Quoad curationem topicam, multiplex ea eſt, pro varietate, & differentiis fiſtularum: Fiſtulæ quippe prope anum, quæ non pertingunt ad ipſius orificium, facillimè ſanantur, non tamen abſque ſectione, & quidem ſi rectæ, non ſæpius repetita, ſi ſinuoſæ, pluribus.

Primò igitur foramen fiſtulæ dilatandum rotundis, imbutis aliquo proprio medicamento, unguento ſcilicet ex betonica, matriſylva, & hujuſmodi; ac quotidie eędem craſſiores immittendæ, donec foramen fiſtulæ ſatis ampliatum admittat ſcalpellum ad ſectionem; quod ſi aliquando non ſufficiant, aliæ adhibendę ex radice gentianæ, aut medullâ ſorgi, vel ſpongiâ filo conſtrictâ: ſatis verò dilatato foramine, demittendus cultellus rectus, ab Aquapendente delineatus in inſtrumentis Chirurgicis, atque facienda unica ſectio ad fundum uſque ipſius fiſtulæ; poſtmodum

postmodum imponendi globuli imbuti ovi albumine, ad prohibendam inflammationem, superinjectis stupis in eodem madefactis; quibus postero die remotis, diligenter stylo inquirendi alii sinus, qui dilatandi, atq; secandi modo jam dicto; tum refrigerantia applicanda, atque supra fistulam primo sectam adhibendum digestivum. Quia verò sæpissime à sectione callus suborgens impedit sanationem, illi tollendo ex usu erit viride æris, vel præcipitatum inspersum; cavendo tamen ne hæc corrosiva contingant labia vulneris, metu doloris gravioris. Quibus frustra adhibitis, deveniendum ad ignem actualem; quanquam observaverim aliquando callum sublatum solo digestivo; quod licet alicui forsan novum, & præter rem videri possit, sæpius tamen experientia mihi est compertum, potissimum verò in muliere quadam laborante antiqua fistula, perfodiente ambas nates, per ossis coxendicis foramina, quæ clauduntur à musculis obturatoribus externo, quæ callo obduruerat admodum duro, ad crassitiem medii digiti, quam curavi amplis utrinque sectionibus, ad ossa usque; postmodum applicato digestivo, concoctionis causâ, quibus callus mollior factus, levi negotio abscessit, instar corticis arboris, spatio quinque mensium, perfectè adeo muliere sanata, atque multis post annis incolumi.

Consumpto verò callo, detersoque vulnere, caro generanda, non quidem unguentis sarcoticis, utpote humidioribus, sed siccis, de tuthia vel Isidis; atque ita globulis his imbutis vulnus implendum, ut caro è fundo succrescat, priusquam illi imminuantur; necnon supra eosdem applicandum ceratum de chalcitide vel de cerusa, aut de gratia Dei; vel, hyemali potissimùm tempore, Barbarum.

Producta æqualiter carne, inducenda cicatrix non pulveribus, nec filamentis aridis, quibus labia vulneris callosa evadunt, & cicatrix non ita facile obducitur, sed eorum loco, medicamentis potentiâ siccis, actu verò humidis, prout supradicta unguenta, Isidis, de tuthia, de plumbo, & similia, quibus dura, ac solida evadet cicatrix, quæ difficiliùs dehiscat.

Quia verò quandoque succrescit caro, quę remoratur cicatricem, atterenda hæc lumine usto, præcipitato, & similibus. Atque hæc de curatione primæ differentiæ fistularum.

Aliæ verò fistulæ, quæ ad orificium ani pertingunt, & serpunt exteriùs supra intestinum rectum, non tamen ipsum perforant, non ita facilè sanantur, ob copiosas humiditates, quæ ab intestinis continuò defluunt. Istæ tamen, prout in aliis diximus, sunt dilatandæ, & secandæ; nullo quippe alio præsidio sanantur.

Hic oritur dubium, an sectio sit facienda in interna, an externa parte; si enim externa longior videtur futura, ac nimis profunda, non levi fane periculo fit, ratione magnæ sectionis; si interna, vulnerantur sanæ partes. Id tamen solvitur, quod scilicet sectio internæ partis sit præferenda; quia fistulæ, quæ serpunt secundùm intestinum rectum, quamvis ipsum non perforent, nunquam possint consolidari nisi ipso quinetiam secto; nec absque ratione, cùm heterogeneæ substantiæ sint, intestinum, & caro circumposita, quæ proinde non potest adglutinari, nisi carneæ substantię ope, quod per sectionem curandum.

Quod verò caro intestino coalescere non possit, causa est humiditas ichorosa, quæ ab ejus membranis effluens, humectat carnem ipsam, impeditq; quominus possit agglutinari; ut propterea non sit omnino metuenda musculi sphincteris, & intestini recti sectio; hac tamen cautione ut musculus non totus secetur, ne fæces involuntariè excernat.

Factâ sectione, omnia præstanda superiùs præscripta; hoc solùm excepto, ut digestivi loco, utamur unguento ex Betonica, vel de mattisylua aliquot dies; adhibitis deinde exsiccantibus paulò validioribus, coercendæ superfluæ humiditati, atque solidiori carni in fundo fistulæ producendæ; oppleta verò fistula carne firma laudabili, obducenda cicatrix modo suprà dicto; quæ tamen mollior sit, non dura, quo musculus perfectè constringi possit; hæc siquidem aliquando dura adeo evadit, ut ille satis non possit coarctari, non sine involuntaria fęcum excretione, cujus causâ imperiti sectionem musculi à Medico, factam calumniantur.

Quod si contingat callum durum produci, emolliendus erit aqua forti, vel spiritu vitrioli, præter insessus in aquis nostris thermalibus, apprimè utiles, quarum vis non solùm callos emolliendi, sed etiam simul & semel mirificè corroborandi partes læsas; in quam rem propterea vitanda olea, Unguenta, & cerata, quippe quæ laxando, reddunt partes fluxioni obnoxias; & callo nonnisi tardiùs producendo opportunas.

Succedit modò curatio fistularum, quæ intestinum perforant, sive in externa musculi sphincteris, sive media, sive suprema ejusdem parte; quæ tamen loci diversitas non mutat curationem, sed solummodo ejusdem tempus; extremi quippe musculi fistulæ citius sanantur, medii verò, vel supremi, tardius, propter profundas sectiones, quibus ad perfectam earundem sanationem opus est; quæ, prout aliæ omnes, primùm dilatandæ turundis accommodatis, mox secandæ, idque duplici ratione, vel syringotomo, vel filo serico, aut seta equina. Utimur filo, patientibus ferrum reformidantibus; licet hæc sectio longa sit, & dolore molesta; frequentius verò syringotomo, quia citius, & minori dolore operatio perficitur.

Patefactâ fistulâ, alteratiô modô suprà dictô procedendum, cavitasque ex sectione oppleta, globulis imbutis ovi albumine. Notandum tamen, quod hæ fistulæ plures postulant globulos, ut sectio patens sit, ne coalescente denuò intestino, quod facile fit, partibus circompositis, fistula eodem statû, quô antea vigeat. Factâ coctione, potiùs unguento ex Betonicâ, cum digestivô, atque optimô pure apparente, producenda caro, non quidem ut aliorum vulnerum, ratione superius allatâ, Unguentis de Betonica, vel de mattisylva, quibus, ob actualem humiditatem laxa fit, & mollis, in parte potissimum humidiori, sed adhibitis filamentis siccis, pulveribus tuthiæ præparatæ, terræ sigillatæ, cornu cervi usti, plumbi, & hujusmodi medicamentis actû, & potentiâ siccis inspersis, quinetiam firma obducitur.

Quod si musculi sphincteris multum sit abscissum contraria instituenda curatio, unguentis nempe actu humidis, non verò siccis ne cicatrix, ut jam docui, durior, & solidior evadat, quæ prohibeat constrictionem ipsius musculi, cum fæcum involuntariô exitû.

Modum verò quod attinet curandi fistulas, quæ intestinum perforant ultra ipsum musculum sphincterem, superiori parte, quanquam insanabiles à multis habeantur, nisi totô musculô sphinctere præsectô, ex quô involuntaria fæcum excretio; eas tamen sæpius sanavi summâ felicitate, citra illud incommodum, factâ congruâ dilatatione, prout in aliis omnibus præscriptum; musculus siquidem sphincter eousque secandus, ut aliqua ipsius pars, verbi gratiâ, ad latitudinem annuli, integra supersit, ac intacta, quæ suô fungatur officiô.

Factâ sectione, superstes fistula erit inurenda, ut callus tollatur, cujus sublata crusta butyro, vel digestivô, implenda cavitas globulis, imbutis unguento de tuthia; hac observatione, ut imminuantur illi donec proba caro æqualiter generetur, & cavitas oppleatur.

Quia

Quia verò plurimùm accidit, ut propter redundantem humiditatem partis, generetur caro fungosa, & mollis huic absumendæ, valet Unguentum Isidis, cum unguento de tuthia æqualiter mixtum, usque dum caro utilis producta fuerit, cicatrice postmodum obducta.

Succedunt modo fistulæ, quæ serpunt inter utramque tunicam intestini recti, & superius tendunt, modò ultra latitudidem sphincteris, modò infra; quæ tamen raro callosæ fiunt, ut ego ob ervavi, propter affluentem humiditatem intestinum, & membranas continuo alluentem, quę proinde statim sunt dilatandæ turundis ex panno lineo confectis, vitatis illis ex medulla sorgi, radice gentianæ, & spongia præparata, quæ plus satis dilatando, lacerant membranas intestinorum; quib. abunde dilatatis, secandæ illæ sunt secundùm longitudinem, absque ullo metu læsionis musculi sphincteris; ad interna vero facienda est sectio.

Dum verò secantur, immittenda intra anum cannula rotunda, altero extremo clausa, altero verò latere, si fissura patefacta, in cujus medio lana mollis, vel gossipium lateat, ne acies scalpelli hebetetur; cujus cannulæ usus est, ut secta fistula, excipiat gladiolum, illæsis proinde intestini partibus oppositis.

Curantur facilè istæ fistulę sectæ obductæ cicatrice, injectionibus exsiccantibus bis quotidie infusis, nec non immissis turundis imbutis unguento ex tuthia, atque pulveribus itidem exsiccantibus.

Facta sectione, statim indenda turunda longa ad fundum usque sectionis pertingens, illita ovi albumine, cum bolo armena orientali conquassato, postero die ad detersionem, injicienda aqua hordei, cum melle rosaceo, & supra turundam, inspergendi pulveres ex bolo armena, terra sigillata, cornu cervi usto; tum ad exiccandum, tum ad adstringendum. Notandum verò, quod his fistulis nunquam digestivum adhibendum, ne tenues membranæ intestini corrumpantur. Transactis quatuor, aut quinque diebus, parandæ injectiones ex aquis thermalibus montis ægrotorum; vel factum insipiâ, artificialibus ex vitriolo, nitro, sale, alumine, cum aqua communi, immissa semper turunda imbuta prius unguento ex tuthia; deinde pulveribus exsiccantibus jam dictis; quibus remediis obducenda cicatrix, quę durior licet, & callosa, necnaquam tamen impedit constrictionem musculi sphincteris; quinimo si mollior foret, brevi resolveretur de novo ab humiditate continuò partem illam alluente.

Superest curatio fistularum ad vesicam serpentium, quæ differunt: quædam enim perveniunt ad ejus collum; & quidem aut juxta ejus exortum, vel medium, vel finem, nec ipsum perfora: t; aliæ ipsum pertundunt in ejusdem exortu, aut medio, aut circa finem, qua vesica annectitur suæ cervici.

De prioribus actum in tractatu de fistulis urethræ de aliis non est differendum, cùm omnino sint insanabiles, & solo prognostico relinquendæ, ne infamentur præsidia, quæ multis fuere saluti, ut Celso, ut proinde de carum sola curatio docenda superest, quæ pervadunt ad cervicem vesicæ, ipsam tamen non perforant, in quibus majori dilatatione opus est, quàm in superius propositis, in quam rem, ex usu sunt turundæ ex spongia contorta, & compressa, radice gentianæ, medulla sorgi, vel sambuci; atq; dilatata fistula, facienda sectio, non quidem scalpello, sed gladiolo in hunc usum parato, admodum recurvo, dorso lævi, ne lędatur collum vesicæ, acuta acie, quod partes illud investientes sint membranosæ, quæ difficulter secantur. Si sint plures sinus, prout plurimum fit pluribus quinetiam sectionibus patefaciendi, illæsa semper cervice, ne Medico infamia inuratur; turpe quippe, ac foedum foret, urinam per aliam partem effluere, quàm naturalem. Facta sectione, callus removendus, tum absolvenda curatio modo jam proposito in aliis fistulis, à quibus istæ non differunt, nisi ratione situs. Observandum tamen Medico, ut statim ad fistularum ani curationem se accingat, nisi renuente ægro; suppressâ siquidem, ut sæpe fit, purulenta materia, varii sinus excavantur, unde progressu temporis fistula in plures diffunditur, ex qua materia suppressâ suboriuntur aliquando abscessus, non fine magno dolore, & febre satis gravi.

Quod si fistulæ fuerint amplæ, deducunt totum corpus in cachexiam; sanguis quippe, dum circulari motu movetur, & partem affectam permeat, suscipit nescio quam malam qualitatem, & inquinatur; atque à parte fistula excavata elevantur vapores putridi, qui labefactant viscera naturalia & vitalia.

Fistulæ verò, quæ perforant intestinum, ideo statim sunt curandæ, quia ægri plurimum laborant tenesmo, & frequenti dejiciendi cupiditate, cum doloribus in excretione fæcum; & quod gravius, cùm pars affecta pure semper redundet, accidit sæpius, ut in ulcera phagedæna facessant; quod frequentissime observavi.

De Symptomatibus supervenientibus curationi Fistularum ani, & Intestini Recti.

Præcipua symptomata, quæ in fistulis ani ad se trahunt curationem, sunt, sanguinis fluxus, inflammatio, vehemens dolor, & hæmorrhoides. Dolor sedandus anodynis, ut oleo amygdalarum dulcium, violarum, chamæmelino, lacte, butyro loto aquâ rosaceâ, & hujusmodi.

Aliquando insignis suboritur inflammatio, præsertim ex sectione, si fuerit magna, ratione scilicet doloris attractis humoribus; tunc vero applicanda repellentia, ut ovi albumen, succus plantaginis, portulacæ, polygoni, myrtillorum; atque si dolor, & ardor urgeant, educendus sanguis è venis superioribus, revulsioois causâ, ad partes longinquas.

Tument verò sæpissime hęmorrhoides, sectione potissimum, & applicatione medicamentorum acrium irritatæ, hinc acuti dolores, qui curationem trahunt; quibus ex usu est linteum in lacte tepido expressum, & applicitum, necnon offa panis lacte vaccino imbuta, & apposita; prout optimum unguentum rosaceum; quo casu conveniunt quinetiam stupefacientia, leviora tamen, ut unguentum populeum, vel santalinum, cum portiuncula opii. Nullum verò præstantius remedium sectione venæ brachii, 1. ratione revulsionis; postmodum ex pede, derivandi causâ, ratione morbi, & virium.

Ultimum symptoma est sanguinis profluvium; secantur quippe aliquando rami venarum hæmorroidalium, qui statim sanguinem magno impetu effundunt; qui proinde omni ope sistendus, cùm in eo vita consistat; applicandum propterea gossypium ustum, cum pulveribus adstringentibus; necnon stupæ imbutæ ovi albumine, parte manu opprime compressa per aliquod tempus, donec coerceatur; quo apparatu utendum duos, aut tres dies, quousque sponte à pute alluente defluat. Quibus verò instituta est aliqua sectio, vel hæmorrhoides fluunt, insessus ex aquis thermalibus non sunt administrandi, utpote qui facultate quadam fluxum sanguinis denuo excitant, quorundam chirurgorum gravissimo errore, qui illis utuntur.

Di

De Observandis in curatione Fistularum Ani & Intestini Recti.

Perperam existimant multi Pseudo-Medici, se sanare posse fistulas ani, & intestini recti balsamis, unguentis, injectionibus, aliisque hujusmodi præsidiis; verùm frustra laborant, cum hæ nonnisi sectione, & ustione sanabiles sint. Siquidem ego spatio, quinquaginta annorum, nullam vidi fistulam ani sanatam perfectè; licet observaverim aliquas à barbitonsoribus, imperitisq; Chirurgis ad cicatricem deductas, quibusdam arcanis remediis, sed speciem solum, & superficie tenus, in quarum quippe fundo materia purulenta delitesceret, paucos post dies in novas majores fistulas, & graviores diffusa.

Quare si ex toto fistulæ sint sanandæ, ferro sunt omninò secandæ; quod licet multi reformident, Anatomes ignari, ejusdem tamen periti nullo periculo, & metu hoc præsidio utuntur, quod tamen cautè administrandum in hujusmodi fistulis, ne lacerentur venæ sedales, hæmorrhoides dictæ, cum sanguinis erumpentis magno impetu, qui non adeò facilè sistitur. Si itaque hæmorrhoides non tumeant, faciendæ sectiones inter unam & alteram ani rugam; si verò appareant, eadem inter ipsas administranda.

Fistulæ profundæ opus habent pluribus, & repetitis sectionibus, metu inflammationis, unica enim, & ampla, ob vulneris magnitudinem, dolorem, & inflammationem excitat; quod observandum etiam in sinibus profundis; ut propterea gravissimo errore quidam imperiti chirurgi, laniones potiùs, statim post sectiones ani, & intestini recti, ferramento candente urant partes recenter cultro læsas, unde dolor insignis, & curatio longiùs protracta.

Sæpissimè verò accidit, ut flaccida caro subcrescat, quæ corrosivis absumenda, alumine scilicet usto, præcipitato, viride æris, trochiscis de minio, & hujusmodi: in quorum tamen usu observandum, applicanda mane potius quàm vesperi, ne ratione doloris, patientibus somnus intercipiatur, magno eorum detrimento; multos siquidem vidi, qui ob vigilias, & dolores à medicamento vesperi adhibito, inciderunt in febres; quod non accidit, si interdiu eadem medicamenta usurpentur; quia vis sensiva occupatur, & avocatur à variis objectis externis, præterquam quod possumus eadem removere, & illorum loco, sedantibus dolorem uti, sine ullo incommodo patientis, & somni; quod noctu commode præstare non possumus.

Quod si pars ægra dolore afficiatur, adsitque febris, vel inflammatæ hæmorrhoides, tunc à sectione abstinendum, donec propriis remediis cedant; contingit verò aliquandò dolor à materia purulenta, suppressa in aliquo loco ipsius fistulæ, & potissimum in aliarum partium fistulis, & sinibus flexuosis, in quibus acrimonia corrodit partes subjectas, & dolores infert continuos, quos quibus sanandis statim facienda sectio, ut eadem effluat.

Observandum etiam summa diligentia, ut antequam ægri hujusmodi dimittantur, sectiones omnino sint carne oppletæ, & cicatrice obductæ, si enim vel minimum quid earum supersites fuerit, non occlusum, progressu temporis puris guttæ genitæ erodunt partes, atque ulcus, & fistula suboriuntur; cujus erroris crimine laborant Medicorum nonnulli.

Observationes.

De Fistulis Ani.

Quatuor fistulæ perforantes rectum intestinum, in infantulo unius mensis, perfectè sanata.

Curavi infantem unius mensis, Nobilem Patavinum, laborantem quatuor fistulis ani, perforantibus rectum intestinum, parte inferiori.

A principiò exiguis curandis duas tantùm ipsarum dilatavi, impositò filù sericò, cui alligavi parvum syringotomum, arte paratum; quas postmodum sanavi modò mox propositò, tractatu de fistulis; alias vero duas eadem methodo secui, & ad cicatricem deduxi, ægro firma etiamnum valetudine degente. Quod observasse è re fuit, ut ratum, ratione ætatis.

De Ulceribus Ani.

Quia verò nostrò ævò frequentissimè suboriuntur ulcera in intestinò rectò, ægrè admodùm sanabilia, ut quotidianâ patet experientiâ, modum propterea hæc sanandi proponere decrevi, hôc præmissô. quod pleraque horum ulcerum ortum ducunt à Lue Venereâ, & potissimum præpostera, rara verò ab alia causa; licet quædam oriantur à dysenteria, in parte nempe superiori ipsius intestini recti, & coli; alia verò ex hæmorrhoidibus, partis scilicet inferioris ejusdem recti, & circa orificium ani; rhagades verò, vel scissuræ quæ à fallo, & acri humore ortæ; facile tamen sanabiles, dummodo mala aliqua qualitate careant. Ulcera autem ex dysenteria facta, detertione aquâ hordei, & melle rosaceo iterum, & tertiò per siphonem infusis; postmodum nostris aquis thermalibus, brevi spatio temporis sanantur; prout rhagades unguento ex cerusa camphorato, ductò in plumbeo mortario. Ulcera verò Venerea, quæ plurimum supra musculum sphincterem, non adeò facile; ex concubitu quippe semen corruptum, & virulentum in ipso superstes, ulcera ampla excitat, quæ progressu temporis erpunt, aut superius, vel interius? cùm observaverim in cadavere supra triginta ulcera, distincta magnitudine ungui, supra ipsum musculum sphincterem, per totum rectum intestinum serpentia, ad coli quinetiam partem aliquam; ex quibus ulceribus duæ, tresve libræ puris per diem evacuabam. Hic autem patiens erat valde emaciatus, cum febre lenta ex ulcere qui à me curatus tredecim, aut quatuordecim dies, tandem obiit. Præter ulcera verò supra musculum sphincterem, aderat sinus quidam, ab ulceribus superioribus serpens, usque ad ani orificium; quorum ulcerum causa fuit Medicorum incuria, qui duos ante annos ipsum non sanatum dimiserunt, ejusdem salutis prætextu, quod materia à toto corpore maligna expurgaretur; ut propterea miserrimus patiens sine remediis diem obire coactus, quamobrem modum ducere decrevi, quo in curatione horum ulcerum uti soleo.

Primò itaque totum corpus ab humoribus expiandum medicamentis propriis, humores redundantes purgantibus; deinde assumendum decoctum ex ligno Guajaco, & salsa, per quadraginta dies, cum sudore, prout in Lue Venerea; atque dum hæc fiunt, adhibenda remedia topica, in primis injectiones à principio,

à principio, ex aqua hordei, miſta, cum Unguento Ægyptiaco, ad abſtergenda nlcera, ſemper ſordida, uſquedum dolorem inferunt, atque cum ex ipſis aliqua portiuncula ſanguinis effluit, tunc verò abſtinendum ab Ægyptiaco, cujos loco erit decoctum Guajaci, ſcordii, virgæ aureæ, & hujuſmodi, poſtmodum utendum aquis noſtris Thermalibus montis Ægrotorum: atque ab injectionibus immittenda ſemper turunda longa, & craſſa, imbuta unguento rubro, Placentini, dicto, aut unguento ex tuthia, miſto cum unguento Iſidis æquali doſi, & aliqua ſemper portione præcipitati, ut Lui Venereæ dicati. Quomodo multa ulcera Venerea ſanavi, & quotidie ſano, quanquam ulcera quandoque adeò maligna occurrunt, quæ remediis dictis non cedunt, in quibus deveniendum ad ignem, quo inurenda non ſemel, ſed iterum, & tertiò, ac quartò atque ne partes ſanæ lædantur, locus primò ulceris inveniendus; in quam rem utuntur quidam inſtrumento ſpeculo ani vocato, quo lacerant partes, cum dolore, & inflammatione, neque tamen locus ulceris patet. ut propterea uſum ſpeculi non probem, cum facilius quod optamus conſequi poſſimus. Quo itaque ipſum duntaxat ulcus inuratur ſine læſione aliarum partium, hac methodo utor, immitto turundam longam, craſſam, aliquo unguento ex prædictis imbutam, quatuor aut ſex horarum ſpatio, qua educta, obſervo, quæ pars ejuſdem unguento careat, cujus loco aliqua materia putulenta ſuperſtes ipſi turundæ inhærens parefaciat locum; & magnitudinem ulceris, tum mihi paro cannulam ejuſdem longitudinis, quæ poſſit pervenire ad ulcus, cujus extremum, ſit obturatum, & perforatum tantùm illa parte, quæ ulceri reſpondet; deinde munio cannulam linteolo imbuto ovi albumine cum aqua roſarum, ipſamque in anum intrudo, & ferramento candem immiſſo, repetitis vicibus inuro ulcus; hac tamen cautione frequentius id fiat, & citius, remoto ferramento candente, potius quam eodem diutius intra cannulam contento, ne ſcilicet Inteſtinum rectum altius inuratur, & perforetur. Facta inuſtione, duos aut tres dies utendum turunda imbuta butyro; poſtmodum deveniendum ad injectiones ſuperius dictis ex aquis thermalibus, vel decoctionibus exſiccantibus, impoſita ſemper turunda imbuta dictis unguentis, qua methodo multa ulcera Venerea inteſtini recti ſanavi, quam propterea latere nolui.

Obſervatio Singularis.

Gravia ſymptomata ex vi in anum immiſſa cauda porcina, ejuſdem ſetis ad medium uſque ſectis brevi omnino ſedata, cum ſalute ægræ.

Memini Meretricem quandam in vitæ periculum deductam, cui à quibuſdam ſtudioſis cauda porcina quæ acri hyemis frigore obriguerat, intra anum immiſſa fuit hac ratione; ſcilicet primò ſetis ejuſdem, ad mediam uſque, valde aſperis, poſtea inuncta eadem oleo, atque in anum ipſius mulieris vi intruſa; cum verò aliqua portio ipſius caudæ, tres digitos, extra emineret, atque eandem Medici tentarent educere, pili inverſi defigebantur in inteſtinum rectum, ut dolorem ægra ferre non poſſet, cùm verò medicamenta poſtmodum per os exhibuiſſent, ſpeculumque immiſiſſent, ut anum dilatarent, & educerent caudam, fruſtra fuerunt, adeò ut ſex dies alvus illi ſuppreſſa fuerit, accendente vomitu, cum febre, & dolore omnium inteſtinorum: accitus verò, cum omnia prædicta intellexiſſem, arundinem longam duas, aut tres ſpithamas perforavi, in extremo lævigatam; deinde filo craſſo extremum ipſius caudæ, extra anum prominens arctè alligavi, atque immiſſo filo in cavitatem ejuſdem arundinis, in podicem immiſi, per quam filo attracto caudam eduxi, illæſo omninò inteſtino recto, ex quo ſtatim maxima copia fœcum effluxit, cum patientis levamine; poſtmodum injecto, duos aut tres dies, lacte caprino, bis, terve per diem, atque ſedato dolore, graviſſimo certe, infudi vi vinum nigrum auſterum ad corroborationem partia, quibus ex toto convaluit ægra. *Petrus De Marchettis in Sylloge obſervationum Chirurgicar.*

De Fiſtulâ in Ano.

Morbus per ſe patet, præcipuè ſi inſtrumentis exploretur ulcus.

Indicationes ſunt hæ: ſanguis fluxus ſi adſit ſiſtendus, ulcus ſordidum detergendum, carne replendum; per ſiccantia conſolidandum, & cicatrix firma eſt procuranda: humorum acrimonia obtundenda, & corpus eſt renutriendum.

Quoad Victum, comedat parcè, veſcatur unico cibo, prunis, paſſulis: bibat cereviſiam medicatam. Conveniunt quoque emulſiones, amygdalata, hordeata, Paſta regia, panis marcius, gelatinæ, lacticinia, ſed præcipue lac aſininum ad humorum acrimoniam temperandam.

Purgetur ter diebus alternis hoc modo.

℞. Calomelan. opt. præparat. gran. xv. vel. xx. diaprun. ſolutiv. ʒij. gum. Arab. ℈j. fol. aur. numero 4. Mſ. f. Bolus mane ſumendus, ſuperbibendo tantillum vin. alb. aut cereviſ. medicat, & poſtea *juſculum*. Sine ullo dolore operatur aut ſanguinis fluxu.

Injiciantur Clyſteres ex vulnetariis & lenientibus, ut ſanguis fluxus ſiſtatur, ut in Capite de Diarrhœa Dyſenteria & Teneſmo deſcribuntur.

Injectiones fiant primò anodynæ, dein detergentes, & denique aſtringentes & exſiccantes. Anodynæ ſupra in Cap. 3. de Teneſmo, &c. deſcribuntur. Detergens ſit talis.

℞. Raſur. guajac. ℥ij. rad. caryophyllat. ℥iij. ariſtol. rot. ℥j. fol. ſanicul. prunel. vinc. pervinc. veronic. herb. Robert. piloſell. ana m. j. Coq. in aq. fabror. ferrat. ad ℔j. adde ſp. vin. ℥iiij. mucilag. ſem. pſyll. & cydon. in aq. roſ. & plantag. extract. ℥iij. tereb. Venet. ℥j. vitell. ovor. numero 2. Mſ. f. Injectio. Addi quoque poteſt mel. roſ. aut Tapſimel.

Tapſimel de quo hoc ſermo eſt, nihil aliud eſt, quàm mel decoctis vulneratiis additum & deſpumatum, ubi baſis eſt tapſus barbatus.

Injectio aſtringens ſit talis.

℞. Sterc. aſinin. rec. m. ij. aq. roſ. plantag. ana ℥iiij. Infunde & decoct. interim. adde ſucc. plantag. ℥iij. ſyr. de papav. ℥ij. gum. Arab. in aq. ſpermat. ranar. ſolut. ℥ß. F. Injectio bis in die uſurpand.

Aliquando addo phlegmat. alum. uncias aliquot, ol. myrrh. per deliqui. ℥j. trochiſc. alb. Rhaſ. ℥ß. ſacch. Saturn. ʒj. vitriol. Martis ʒß. Aliquando facio ex calce viva ℥j. in aq. fabror. ferrat. ℔iv. vaſe æneo per hor. xij. macerat. unde ſumo ℔j. & mucilagines, ovi vitellos, &c. addo.

Aliquando compono ex aq. calcis & mercurio ſublimat. ſimul commiſt. & ſacch. Satur. edulcorat.

Conveniunt intus Diaphoretica viz. Hartmanni aut commune, cum pulveribus teſtaceis & terreis commiſta, viz. ocul. canc. magiſt. perlat. bezoar. orient. corall. &c.

Persistat in usu Decocti sudoriferi sequentis ad 20. 30. 40. dies, plus minus pro ratione operationis & virium.

℞. Rasur. lign. sanct. rec. & resinos. sarsap. medullos. buxi ana ℥ij. rasur. quer. rec. rad. caryophyllat. ana ℥iß. rad. taps. barbat. filipend. scrofular. maj. ana ℥j. rad. symphyt. maj. cortic. rad. ononid. ana ʒx. rasur. corn. cerv. rec. dent. equi marin. ana ℥ß. persicar. maculat. m. ij. prunell. bugul. sanicul. veron. utriusque, scabios. ana p. iiij. flor. primul. ver. p. viij. corism. p. ij. Matracio indantur, & superaffunde aq. sequentis ad supereminent. iiij. digitor. Digere in fimo equino per biduum. Cola pro iiij. dos. matutin. provocetur sudor, superpositis stragulis sine calore externo.

Aqua sudorifica talis est.

℞. Rad. petasit. rec. ℔ij. rad. bardan. ℔j. ulmar. card. bened. calend. bened. ana m. viij. scord. m. vj. summit. anth. beton. ana m. iiij. cort. citr. ℥vj. incis. & contus. affund. cerevis. fort. gallon. iiij macera in fimo per quatriduum, & vase duplici distilla ad usum.

Post quartum quemque sudorem repetatur bolus purgans cum mercurio.

Diebus sudorum, nisi fluat alvus, subducatur Enemate.

Postea (præcipuè si rabis sit metus) deveniat ad usum balnei ex aqua & lacte cum multo tapso barbat. ad 4. 6. aut 8. dies semel in die.

Cerevisia medicata fit hujusmodi.

℞. Rasur. lign. sanct. ℥ij. sarsap. ℥vj. rad. symph. maj. ℥v. cort. rad. dulcamar. rad. caryophyll. filic. fœmin. scrofular. maj. filipend. tormentill. ana ℥iiij. rasur. dentis equi marin. ebor. ana ℥iij. fol. rec. siccat. bugul. prunell. scabios. agrimon. pilosell. veronic. utriusque, sanicul. ana m. ij. nuc. moschat. per frusta dissect. numero viij. cerevis. lupulat. fort. cong. xii. bulliant in parte cerevis. mox ubi refrixerint, reliquum addatur cum succ. cochlear. ℔iij. nasturt. becabung. ana ℔ij. pomor. redolent. rec. express. ℔vj. fermentatione peractâ lagenis lapideis indatur pro potu ordinario.

Ad fontem impurum occludendum utilissimum est Electuarium seq. in cujus usus diu persistat.

℞. Conserv. flor. papav. rhœad. ℥j. conserv. ros. rub. ℥ij. pulv. rad. symph. maj. ℥ß. rad. scrofular. filipend. rad. marin. ana ʒiij. magister. perlar. corall. lap. hæmat. præparat. ana ʒiiß. sang. dracon. ʒij. spod. ʒj. gumm. Arab. ʒiiiß. syr. corall. q. s. f. Electuarium.

℞. Hujus ʒij. terebinth. coctur. indurat. croc. martis corallin. ana ℈j. M. f. s. bolus mane sumendus, superbibendo haustum lactis asinini, & vesperi horis tribus à cœna. Addo aliquando batituram ferri vin. Hispanic. extinct. & in porphyrite lævigat. ad ʒiij. aut ℥ß. aut ampliùs pro re nata.

Eidem intentioni inservit Julapium hoc, quod post dosin Electuarii (vel aliàs) sumi potest.

℞. Flor. veron. rub. p. iiij. papav. errat. p. ij. malv. roseæ p. iiß. ros. rub. p. iß. aq. cichor. fumar. pomor. redolent. ana ℔ß. * aquæ è cordibus animalium ℥vi. sp. vitrioli q. s. ad gratiam; extrahe tincturam. Cola, & in ℥iv. colaturæ dissolve syr. de symph. ℥j. de pomis redolent. corall. ana ℥ß. M. f. Julapium bis in die sumend. Singul. dos. adde gum. Arabic. in aq. plantag. solut. ʒß.

Juscula Medicata fieri possunt è rad. chin. rasur. ebor. dent. equi marin. corn. cerv. rad. scrofular. symph. filipend. sem. melon. passul. & herbis vulnerariis & adstringent. ventre galli veteris inclus. & incoct. cum frusto carnis vitulinæ.

Hydromel quoque ex vulnerariis & ingredientibus cerevisiæ medicatæ parari potest.

Si adsit callositas, conveniunt pulveres cathæretici ut pulv. Vigonis, æruginis; immò stercus humanum siccatum, calcinatum, & pulverizat.

Si adsit caro fungosa, absumatur ad fundum alum. usto, Præcipitato per se aut cum alum. mist. pedetentim alterutrum pulverem augendo, ol. antimon. unguent. Ægyptiac.

Balsamum ad ulcus detergendum tale sit, præcipue si adsit caro fungosa.

℞. Virid. æris depurat. & subtiliss. pulv. ℥j. vitriol. Hessiac. ʒij ol. abiet. lin ana ℥iiij. tereb. Venet. gum. elem. ana ℥ij. liquefiant gummata cum ol. & adde virid. ær. & vitriol. & digere super ciner. tepide per noctem, addendo flor. antimon. mercur. alb. præcipit. ana ʒj. sal. Saturn. ʒij. M. & limpidum à crasso separetur. Huic balsamo addi potest balsam. sulphuris.

Ad omnia ulcera putrida Pulvis sequens est præstantissimus.

℞. Mercurii præcipit. ʒj. vitriol. alb. alum. ust. ana ʒß. escharam facit profundam. Aut ol. antimon. cum ol. papav. aut ros. commist. donec stanno illitum id nigrescere non facit, exedit carnem putridam nullo vel saltem exiguo dolore.

Intestinum rectum pondere suo deorsum tendens cum dolore, sustentetur spongia molli cum idoneo subligaculo.

Post injectiones ne coacervetur purulenta materia cannulam interdiu gestet, cui apprimatur spongia, ne aër subeat.

Suffitus quoque exsiccans hujusmodi fieri potest post ulceris detersionem.

℞. Mercur. ℥j. lap. pyrit. ʒvi. mastich. thur. sandarac. ana ʒiij. ladan. ʒiiiß. styrac. calamit. benzoin. ana ʒij. gum. guajac. ʒß. s. Alchool. & cum terebinth. Venet. q. s. f. Trochisci pond. ʒij. Recipiat fumum in sella perforata, dein per embolum in anum semel in die; pro euphoria continuetur. Addi potest gum. animæ, benzoin. &c.

Prosunt Aquæ Spadanæ: Aut si haberi non possunt, substituatur Vinum Chalybeatum vulnerarium sequens.

℞. Rasur. lign. sanct. ℥iij. cortic. ejusd. ℥iij. sarsap. ℥viij. rad. sicc. symph. maj. scrofular. utriusque, filipend. taps. barbat. sanguinar. caryophill. ana ℥iiij. fol. sicc. prunel. bugul. veronic. maris, virg. aur. hyperic. ana m. ij. androsem. equiset. pimpinell. agrimon. ana m. i. rasur. dent. equi marin. ℥ij. spod. corn. cerv. ad albed. ust. ana ℥iß. croc. Mart. aperient. ℥xv.

Imbibantur vin. albo generoso ad macerationem, dein eiusd. vini adde ℔xxx. F. Vinum medicatum.

Si à vino nimis incalescat æger, diluatur dosis viz. ℥iiii.) cum aq. Spadens. ℥ii.

Si sinus non satis sit apertus, aperiatur turundis ex medulla sambuci, vel ex spongiâ catâ, glutine taurin. aut icthyocolla imbuta.

Si exulceretur ipsum intestinum rectum, & nullis cedat remediis, tandem ad excisionem deveniendum. Nam secundùm Hippocratem, Rectum intestinum & secans & resecans, & consuens sive ligans, & urens, & putrefaciens, etiamsi hæc gravissima esse videantur, nihil læseris. *Theodorus De Mayerne in Praxi Medica.*

De Vlceribus, & Fistulis Vrethræ.

Oriuntur ulcera ex gonorrhœa Gallica, plurimùm in

in extremo collo vesicæ, atque urethra; aliquando etiam ab humoribus calidis, acribus, & corrodentibus, licet raro. Ulcerum autem colli vesicæ in perineo situs; eorum verò, quæ paulo infra ipsum, scroto; quandoque verò inter glandem, & peoem delitescunt, in foveola scilicet illa, ubi glandis ortus. Hæc autem non ita facile sanantur, nisi ex toto gonorrhœa sublata: quæ enim ab aliis humoribus oriuntur, emulsione seminum melonum decem, aut duodecim dies, sponte sunt sanabilia. Si itaque ex gonorrhœa ortum ducant, curanda hæc medicamentis accommodatis, ab omnibus propositis, luem spectantibus, decocto scilicet Guajaci, cum sudore, & hujusmodi. Sanata gonorrhœa ulceri incumbendum primò; nisi enim sanetur, caro ex ipso luxuriat, unde affectio, quæ sarcoma Græcis, vulgo carnositas, quam lithotomi corrosivis medicamentis atterunt. Hæc itaque ne succrescat, ulcera cum candelis quibusdam, compositis ex pulveribus plumbi usti, cerusæ, tuthiæ præparatæ, mistis cum cera, in urethram immittendis, & detinendis diù noctuque, quæ, melendi prutitu solicitante, educuntur; quibus solis hæc ulcera sano. Observandum tamen, non esse imponendas, fluente gonorrœa, ne ab iisdem suppressa, exulceret collum vesicę, & alias partes proximas; atque, si malignitatis aliqua suspicio subsit, eadem candela imbuenda unguento ex cerusa camphorato, misto cum præcipitato pulverisato, absque alio metu, ne hoc exulceret partes sanas; tum quia est correctum unguento ex cerusa; tum propria experientia duce, hoc scilicet non excoriare partes sanas sed tantummodo extinguere malam qualitatem ulcerum, qua sublata, candelis supra dictis postmodum sanantur facillimè: in quam rem utor etiam aqua Aponitana, assumpta per os, ad decem libras, cum spiritu terebinthinæ, aut vitrioli decem, aut duodecim dies, quatuor horis ante prandium, qua, urinæ meatum perlabente, ejusdem vi exsiccante ulcera urethræ facillimè consolidantur, qua methodo quamplurima hujusmodi sanavi.

Et quia solent perforate urethram cum integamentis, aliquando in perineo, quandoque in scroto, ab illis, progressu temporis, fistulæ suboriuntur; quæ si in perineo, absente gonorrhœa, pars callosa circa urethram, & partes adjacentes, inurenda fermento candente, quo caro illi accrescat; & ad cicatricem deducatur fistula; hac tamen lege, ne ille inuratur, atque fistula amplior fiat, nec urethra, pars spermatica amplius instauretur, & resarciatur; ut propterea sat futurum sit, eidem parti circum circa carnem inducere, quæ vice sit urethræ, ut cicatrice obduci possit medicamentis sarcoticis, & epuloticis jam dictis.

Observandum tamen, quod si pars interna urethræ non solidescit, ori carunculam superius jam dictam ac proinde in curatione harum fistularum; patienti candelam ceream in eadem semper gestandam, ne in cassum omnia adhibeantur.

Si verò pars urethræ scroto opposita fistula laboraverit, urina ex ipsa effluens scrotum corrodit pluribus foraminibus; quæ curatio ardua admodum, & difficilis, licet felici successu eandem sæpius hac methodo tentaverim. Expiato prius corpore, & exhibito decocto Guajaci, cum sudore, fluxioni sistendę, statim accedo ad partem ipsam læsam, quæ si multiplex fuerit, omnes fistulas seco: & per candelam propositam omnem operam in sananda urethra adhibeo; cum alia ratione fistulæ scroti non omninò sint sanabiles, nisi cura palliativa, qua denuo recrudescunt: quod si non possit sanari urethra candelâ, scrotum secandum, usque ad illius fistulam, ipsaque inurenda, modo jam dicto, & carne sectæ partes opplendæ: ac tandem cicatrix inducenda medicamentis propositis. Continget verò aliquando, quod in quibusdam observavi, ut scilicet pertusa urethra ex gonorrhœa, amplo foramine, urina profluat, & scrotum repleat, ad magnitudinem quandoque capitis pueri, dilatatis nempe partibus ejusdem, unde dolor, inflammatio insignis, ex qua tandem gangræna, & sphacelus; quorum causa, ferramentis candentibus, & incidentibus pars ipsa, alienata, & emortua amputanda; quod aliquando observavi, scroto sphacelo corrupto, & extirpato, nudatos testes, foramine amplo in urethram patefacto; quod sanavi modo superius proposito, per candelam scilicet, & usu sarcoticorum; ac tandem epuloticis: neque alia ratione vidi hujusmodi patientes sanatos, quæ licet ab aliis Medicis forte observata, propriâ tamen experientiâ confirmata, addere præter rem non existimavi. *Petrus de Marchettis in Sylloge observationum Chirurgicarum.*

Consultationes.

Pro Illustri & nobili equite Simone Merlino Foroliviense Vlcere intestini recti fistuloso, & sinuoso partem externam natis sinistræ vicinam apprehendente detento.

Sicuti perennis desidendi cupiditas in illustri, & nobili patiente affectus intestini recti ad finem est indicium, ita & excretio portiunculæ ramenti intestinalis idem Intestinum paulò supra laborare, præcipuè verò secundum partem sinistam cum noxa circa natem ejusdem lateris, tumor inquam, ac inflammatio quædam prægressa, tum immissa tenta, & in partem ea recepta demonstrant. Verum affectum præter naturam nullum alium esse, nisi ulcus, quod intestinum rectum ac partem externam natis sinistræ, vicinam apprehendit, præter fidem oculatam, ichor saniosus ad flavitiem inclinans, qui continuò effluit, satis superque suadet, quod & cavum esse ex tenta immissa, & affectu natis, item & fistulosum ex diuturnitate illius, jugique ichoris tenuioris emanatione. (nam à multis annis talem effluxionem cum pruritu intra, extraque anum passus est quæ indusia è regione ipsi ano semper infecit) confirmari posse mihi videor videre; Atqui ulcus prædictum per totam intestini substantiam pervasisse, orificiumque ulceris in eodem reperi intestino, ex vicina nate affecta facile suaderi potest.

Sed quid causæ sit quod dum mingit illustris patiens, ut plurimum egerat, ac antea inter mingendum difficultatem persenserit, fœcesque semper liquidas excreverit; non erit aba re cognovisse. Arbitror ego postremum ex humore acriori, & copiosiori tunc temporis ad intestina defluente, eorumque expultricem facultatem sollicitante, accidisse; difficultatem verò lotii in aliqualem compressionem ob tumescentiam partium affectarum vesicæ proximarum factam, referendam esse censeö, atque tandem dejectionem tempore mictionis aliquando fieri puto quia intestinum rectum secundùm proprium musculum sphyncterem malè habens, facile in redditu urinæ afficitur, ac velit, nolit, egressum fœcum admittere cogitur.

Principia autem generationis ulceris propositi sunt proxima & remota, proxima in unius materiæ acrioris copiosum affluxum referre non dubito, materia namque acredine erosionem, copia vero sinum & cavitatem efficere valet, & ubi diutius colluvies

saniosa derivetur, callo, ac proinde fistulę datur occasio.

Principia remota pertinent ad causas generantes materiam prædictam, & genitam moventes, in ferie illarum tum intemperiem jecoris fervidam, uti calor flavus exeuntis jecoris soboles docet, tum errata in nativa anteacta repono, in harum verò numero nativam imbecillitatem partium ani, ob earumdem laxitatem, & humiditatem, robur autem expultricis partium totius, præcipuè verò jecoris pono.

Ut ex his unicuique facilè sit intelligere, ad Medicum pro curatione instituenda attinere, ut ulcus illud fistulosum amotis impedimentis agglutinetur; cæterum cùm impedimenta & propria, & communia existant, ratione illorum oportebit ampliare, detergere, & siccare, callum eximere, & quod est deperditum sarcoticis reparare, ratione horum, communium scilicet, humorum affluxum inhibere erit necesse.

Quæ opera ad fœlicem exitum perduci posse non dubito, tametsi meo judicio cum insigni difficultate, quia medicamenta opportuna prohibentur, aut saltem difficulter admittuntur, & partem affectam undequaque non possunt attingere, parsque demum malè habens suâ naturâ imbecilla existit.

Sed an hæc facienda curatio meritò dubitari potest, nam ex una parte ætas patientis ultimi senii) est enim illustris eques septuagenarius) distantia loci affecti à partibus præcipuis, tandemque præservatio forsan à gravioribus malis, quam homines mediis hisce ulceribus fistulosis ut plurimum sibi nanciscuntur, facile quemvis persuadere possent, remedia pro perfecta, & vera sanatione non esse tentanda; Ex altera verò parte, quoniam nobilis patiens viribus est valens, bene habitus, ac in cœteris sanus, sæpiusque hujusmodi fistulæ multiplicantur, & concitata fluxione humorum inflammationem, dolorem, cruciatusque sibi insignes adjungant, tuberculaque dura in intestinis occasione illarum suboriuntur, meritò quorum exitus fœcum intercluditur, curatio absoluta videtur ex usu opportuna, & necessaria.

At ego in ea sum sententia, ut si veræ curationi sese dare voluerit vir illustris, quod possit utiq, curari, sin minus, Medicus in id incumbat opportet, ut præservetur, qua amporatis vel saltem refractis causis remotis, ulcereque continuò deterso, exiccatoque malum non augeatur, sed potius reprimatur, quem curandi modum, tametsi fictum, & palliatum, gravissimi nihilominus viri insequuntur.

Deveniens ergo ad præsidiorum materias, & primum chirurgicas, statuo curationem ab aliqua sanguinis missione per sectam venam auspicandam esse, venâ ideò in cubito, vel in manu secanda seligatur, sanguis enim in toto redundat, robur virium adest, & corporis habitus ad crassum inclinat, deinde cantæria in brachio sinistro aut femore dextrò, secundum partem domesticam inusta sicuti & perennes frictiones, deligationes, ventosationesque partium superiorum mihi summo putè probantur, apertionem verò loci ab experto chirurgo, medicamentis non conferentibus non improbo.

Postmodum ad pharmaca, primum communia, dein privata devenio, quare si de communibus sit sermo, pro lenienda alvo syrupum rosatum solutivum, ac de polypodio, pro humoribus concoquendis decoctum cichoraceorum, boraginis, betonicæ, ac passulatum cum suis syrupis; pro purgatione infusum Rhabarbari, Agarici, & senæ, cum manna etiam, atque etiam laudo: Quinimo & cataporia de tribus cum Rhabarbaro, tempore verò calidiori decoctum, infusumque mirobolanorum citrinorum, chebulorum, & indorum ex sero lactis paratum, intervallis quibusdam assumpta profutura propono; Vomitum quoque, si patiens ad eum à natura pronus fuerit, semel in mense habitum à cibo non vitupero. Verum & de medicamentis insensibiliter evacuantibus, præmissa purgatione est cogitandum, decoctum idcirco guajaci, & salsæ cum china, & sandalis erit miri usus, & si sudor, modestè tamen, & placidè promovebitur, tanto efficacius reddetur medicamentum; Urinalia quoque medicamenta, non vera (nam vera jecur magis accendunt) huc referenda, quare inter alia mihi tum thermæ frigidæ, tum serum lactis distillatum, adjecto lacte seminum melonum copiosè bibitum tempore opportuno mihi maximè arridenr, verum & ab oxymelle diuretici ex decocto radicis apii recentis, capillorum veneris, scolopendrii, & eritroidis non abhorreo.

Demum de particularibus pharmacis cogitandum, quæ si referantur ad jecoris intemperiem, præter aliqua ex urinalibus dictis, succum quoque cichoreaceorum non solùm assumptum, sed formâ irrigationis hypochondrio dextro unà cum aceto, & pulvere sandalorum adhibitum, sicuti & conservæ rosarum cum speciebus confectionis ex tribus sandalis usum continuum non improbo; Quod si medicamenta hæc ad ulcus attineant, non solum à qualitate manifesta, sed & à proprietate, duo sunt, primum est pulvis radicis gentianæ, vel aristolochiæ ex vino epotus, alterum est pulvis ranarum adhibitus, verum à quibusdam radix hellebori nigri in fistula tribus diebus dimissa, item & elaterium terebinthinâ exceptum radixque cucumeris asinini summis laudibus extolluntur. Sed quæ à qualitate nota operantur, sunt detergentia, siccantia, callum absumentia, & agglutinantia; Atqui otificium dilatandum rutundâ vel ex gentiana, vel spongia confecta, deinde ad medicamenta prioris ordinis deveniendum, sunt autem thermæ salsuginosæ, inter quas, velut omnium regina est aqua Tettuccii vocata, quæ non solum in potu per tres vel quatuor dies ante decoctum guajaci assumpta, sed & injecta ac per modum semicupii usurpata plurimum valet; succus quoque apii cum vino Mulso decoctionis hordei, myrrhæ & aloes injectus, est accommodatus, at pro callo eximendo nil præstantius unquam succo herbæ Reginæ cum Ammoniaco aceto diluto, & injectis, sed quod omnibus præferendum, est unguentum Ægyptiacum lixivio dilutum, à quorum usu, si pars nimium irritetur, injiciatur serum lactis, vel ipsummet lac asininum, & si ex voto callus aufertur, ad sarcoticorum usum accedendum, qualia erunt unguentum isidis, vel de tutia vino Mulso dilutum; item & succus pimpinellæ, virgæ aureæ, & Centaurii minoris, omnia injecta. Pro agglutinatione fiat injectio ex vino nigro austero decoctionis plantaginis, rubi, malicutii, hypocistidis, & acaciæ, huc referendum oxelenm Galeni, & ceratum barbarum.

Victus his omnibus undequaque conveniens injungatur, qui erit ut nobilis patiens vescatur bonis cibis, & abstineat à salsis agruminibus, aromatibus, lacticiniis, cibus, farina subactis piscibus spadosis; atque similibus acrioris, & crassioris naturæ, bibat vinum subrubrum, subaustetum, guajaco, ac sandalis medicatum, tempore autem decocti instituatur victus semi attenuans, & vinum interdicatur, reliqua his ipsis respondeant, Deusque O M. faxit, ut cedant in salutem illustris, & nobilis Equitis. *Julius Cæsar Claudinus in Consultationibus Medicis.*

De

De Vlcere fistuloso Ani. Pro Nobili Patiente.

Quod morbi vel diligentissime curati, aut non sanentur, aut ægrè saltem, modo ob ipsorum contingit pertinaciam, modo ob ægrorum, aut medicorum frequentes errores, modò utramque ob causam, prout in casu præsenti contigisse observo. Suborium enim nobili huic patienti tribus ab hinc annis ulcus fistulosum in ano, cujus ratione frequentem passus est, & patitur dejiciendi voluntatem, doloremque, & gravitatem circa podicem. Neque hactenus ab affectu proposito liberari potuit, variis licet remediis præstitis administratis. Idque duplicem ob causam, primo quidem ob incuriam cum ipsiusmet ægri incomposite viventis, & affectum ipsum aliquamdiu spernentis, tum medicorum, vel potius circum-foraneorum quorundam, qui generosis catharticis humorum colluviem à toto ad partem affectam attraxerunt, tum & ob ipsiusmet affectus pertinaciam. Sicuti enim facillime suboriuntur ulcera fistulosa circa anum, ob innatam illarum partium mollitiem, laxitatem, & humiditatem: ita genita ægrè admodum sanantur, ob continuam ad ipsas fluxionem, & difficilem localium parti affectæ adhæsionem, cum præsertim ulcera hæc veteraverint, & dolorifica, putrida, depascentia, intemperata, & tabe Gal'ica inquinata fuerint; cujus naturæ esse ulcus hoc valde suspicor. Hoc etenim sicuti originem duxit à flava bile, salsaque pituita, genita ob incompositam vivendi normam, & ad prædictas partes, tanquam imbecilliores à tribus annis decumbente: ita fovetur à continua fluxione à cerebro humido, ventriculo imbecilliori, & jecore præcalido, ratione intemperie ipsius. Quod contumax quinetiam factum est, ob virulentiam Gallicam, & alias pravas qualitates prop sitas: cum præsertim adeo altas egerit radices, ut non immerito suspicari liceat propagatum esse in varios sinus, atque in intestinum ipsum penetrasse. Qua de re certiores etimus, si digito in podicem immisso stylum in ulcus demersum perceperimus, vel si sanies per alvum, & materia fæculenta, & fœtida per ulcus effluere observabitur: atque hinc febricula illa lenta, qua hebdomadas, & menses constituit, originem ducere potuit, vaporibus scil. putridis jugiter ad cor elevatis ab ulcere hoc putrido; quæ inval scit, dum egeruntur fæces duræ, cum rigore, iisdem præteriabentibus partem exulceratam exquisito sensu præditam, atque calore, accensis spiritibus, ratione doloris, hincque tandem carnis excrescentiæ, ex sanguine illo vitioso genitæ, ut propterea ulcus propositum omnium malorum sit fons, & origo, quo non obducto, nec alii affectus cedent.

Hoc autem consequi difficillimum censeo, ne dicam impossibile, si præsertim pertingat ad intestinum ipsum. Non ob id tamen medicis præsidiis supersedendum censeo, quib. saltem ipsius incrementum coerceatur, metu alioquin febris fixæ, quæ ad tabem, & mortem nobilem nostrum patientem tandem deducat; cui nunc satis vires constant, generosis remediis pares. Neque hæc fistulas enim ex illarum censu est, de quibus verba fecit Hippoc. 3. in 6. Epid. 39. dum prodidit, tales fistulas aliquando humores superfluos purgando præservare à gravioribus malis, propterea non curandas. Illæ enim sunt fistulæ callosæ, sine dolore non depascentes; hæc vero est dolorifica, ideo non callosa, depascens & dyscepulota, cacoethes, & maligna.

Ipsius autem curatio absolvetur exsiccatione ulceris. Quod fieri non potest, nisi sublatis impedimentis, quæ in casu præsenti sunt quatuor. Primò fluxio perennis, quæ est avertenda, & alexipharmacis extinguendum inquinamentum. Secundo intemperies calida & humida refrigerantibus, & exsiccantibus removenda. Tertio sinus, qui aperiendus, si fieri potest, vel saltem laxandus. Atque demum detergendum, & exsiccandum est excrementum crassum, & tenue in parte exulcerata.

Ut prædictis indicationibus satisfiat, præmittenda est diligens totius corporis evacuatio, cum eductione sanguinis, tum ex jecoraria dextra, tum ex saphena sinistra, accedente simplici, ac repetita humorum vitiosorum præparatione, & purgatione, atque inustione facta duorum fonticulorum dextro femori, & sinistro brachio, exhibita triduum Aqua Tettutiana, cum syr. ros. Placet quin etiam repetitus usus blandi decocti ex ligno Indico, sarsaparilla, & santalis, cum cephalicis, & aliis quæ hypochondriorum rugitus, & tentiones spectent: à cujus usu 40. dierum spatio, cum blando sudore, commendatur usus Lactis caprilli, tanquam detergentis, refrigerantis, & agglutinantis, 20. dies circiter cum octo, aut decem guttulis oleæ ligno Indico; ac tertio ex usu erit aqua B. Vi ginis, refrigerans, detergens, & exsiccans, vel ipsius loco aqua Vilensis in agro Lucensi. Atque hæc de internis. Externa topica varia sint, pro sinuum varia conditione, in magnitudine, & profunditate. Si enim admodum alte descendant, cultro falcato angusto sinut aperiendi, profundiores verò turunda laxandi, blandisque eroden tibus atterendus levis quidam ca lus in superficie, non enim censeo totum sinum occaluisse, alioquin non esset dolorificus. His peractis, exsiccandum est ulcus, non omissa ipsius detersione. In quem usum maxime pollent aquæ nostræ Thermales, in primis Montis agrorum. Per alexipharmaca deinde ipsi ulceri occurrendum. Tandem ad majorem exsiccationem, & roborationem partis, balsamum occidentale opportunissimum censeo, præter alia leviora cuilibet in arte versato notissima, brevitatis propterea gratiâ prætermittenda. Atque hæc pauissima pro præsentis affectus curatione proponenda dux'. *Benedictus Silvaticus Consilior. & Respons. Medic. Centur. 3.*

De Vlcere Ani. Pro Nobili Matrona Cremonensi.

Vigesimus nunc agitur mensis, cùm Nobilissima Matrona annorum 27. ulcus passa est in tota interna parte intestini recti, suboitum forsitan ex acri materia biliosa in jecore fervido genita, & à toto corpore ad intestina, tanquam ad sentinam, tunc temporis transmissa, quando diarrhœa biliosa laboravit, non sine confluxu pituitæ salsæ, absque ulla suspicione alterius corruptionis virulentæ. Ulcus hoc nunc callosum factum est, propter materiam crassam porositatibus partis affectæ infarctam est sordidum, ob defectum caloris nativi; atque dyscepuloton, ac difficilis sanationis, ob ingentem affluxum materiæ pituitosæ, biliosæ, & atrabilaris à ventriculo, jecore, & toto corpore ad partem affectam, cacoethes quinetiam, propter intemperiem humidam partis affectæ, cujus indicium evidens caro circa eandem inæqualiter excrescens. Est dolorificum aliquando, cum propter decubitum prædictę materiæ, tum propter violentam fæcum excretionem, fistulosum forrasse, eum supradictæ partes facilè sinuosis ulceribus fint opportunæ, propter continuam earum humiditatem.

Difficillimę propterea curationis, ut mirum videri non debeat, si usu tot medicorum præsidiorum ex methodi

methodi lege propositorum non cesserit. Non ob id tamen iis supersedendum est, quorum beneficio speramus fore, ut aliquo saltem temporis Nobilissima patiens pristinæ sanitati restituatur.

Quoad ut fiat præmissa universali totius cura, revellentibus, derivantibus, & evacuantibus sistenda est fluxio, & materia fluxa evacuanda, ulcus detergendum, validè exsiccandum, & cicatrice obducendum, administratis interim jecur refrigerantibus, & calidum innatum partis affectæ foventibus. Quæ præstabuntur remediis Chirurgicis, Pharmaceuticis, & Diæteticis.

Pro totius itaque evacuatione, præscribatur leniens paratum ex mell. & syr. rof. sol. cum manna electa; vel ex electuario lenitivo, & manno, cum pulpa tamarindorum. Sanguis interim educatur ex vena interna utriusque brachii, longè à menstruis purgationibus: inox sub illorum tempus, ex saphena. Præparentur humores syr. de succo borraginis, & oxymel. simplici, cum decoctione cichorii, sonchi, hepaticæ, borraginis, agrimoniæ, & seminum citri; ac deinde purgentur rhab. senna, & agarico infusis in decoct. curd. addito syr. de polyp. compos. rof. solut. & manna. Repetatur deinde prædictorum humorum præparatio syrup. de fumaria compos. de cichorio cum rhabarb. & oxymel. composito, additis aquis beton. fumariæ, lupulorum, & cichorii: alternisque diebus prædictarum aquarum loco, addatur unc. iis. decoct. epithymi Mel. & facta humorum præparatione, repetatur purgatio medicamento jam præscripto, vel hujus generis. Validiora namque; traherent humores ad partem affectam. Interim inuratur fonticulus brachio sinistro, ad majorem revulsionem, & detersionem cum materiæ fluentis cum fluxu, & in parte ulcerata contentæ. Exhibeatur aqua Tettutiana quatuor aut quinque dies quolibet mane, ad libras quatuor, cum unc. iij. mel. rof. sol. A quibus ex usu erit decoctum radicis chinæ, salsæ parillæ, & santalorum citrinorum, additis, hordeo, & cichoraceis, 40. dierum spatio, excitato sudore cum doliulis lixivio fervido plenis semel in die: victu modice tenui præscripto, vini oligophori potui concesso. His internis accedant externa localia, & quæ clysterum, & suppositoriorum ope partem affectam attingunt: atque adeò apprime convenient clysteres ex aqua Tettutiana, cum melle rof. vel etiam ex moria, ad majorem detersionem, tum ex vino rubro, cum pulvere turhiæ, fabarum, hordei, & thuris. Turundæ parentur ex terebinthina Cypria, & melle, cum ciner. quercus, chalcitide, ostreis ustis, & aristolochia rotunda. Omnium tamen maxime usui erunt aquæ Thermales montis ægrotorum, utpote quarum vis præsens ad ulcera antiqua, admissarum per clysteres, vel insessus formâ; in iisdem tertia tamen quaque die oblinire poterit pars affecto sevo hircino, atque ex ipso turunda parata continenda in ano, ad emolliendum callum, qui deinde atteretur detersoriis validioribus. Quæ si frustra fuerint: deveniendum erit ad ignem, parata cannula undique ferrea pertusa, in podicem inseranda, in quam deinde immittatur ferrum candens, idque ter, & quater in die; nullum enim præstantius, & tutius remedium in ulceribus antiquis putridis intestini recti expertus unquam fui. Aquis Thermalibus propositis, injiciendis addentur aloe, thus, & sarcacolla, ad majorem exsiccationem; tandemque applicentur sarcotica, ut betonica, matrisylva, plantago, & ossa cremata, cum vino. Ad compescendum autem jecoris fervorem absque ventriculi noxa, conferet aquarum Thermalium frigidarum internus usus, decem aut 12. dies, cum diureticis, quo ad urinæ vias perducantur.

Quibus addatur congrua victus ratio prædictis proportione respondens. Ita namque spero fore, ut pristinam sanitatem consequatur Nobilis Matrona. *Idem ibidem.*

De Fistula antiqua, & Condylomatibus, cum febre. Pro Nob. Florentino.

Tot, & adeò refractarii sunt affectus Nobil. patientem divexantes, ut nec ipsius Apollinis manu debellari possint; ex fide Virorum Præclarissimorum, qui ad nos scripserunt, ut propterea medica exposcant præsidia, non pro hujus salute, sed pro vitæ saltem prorogatione. Fistulæ namque antiquæ in podice sunt semper curæ difficilis, ob laxitatem & humiditatem insignem partis affectæ, continuamque excrementorum colluviem; magis verò profundæ, fordidæ, verminosæ, & rabo Gallico infectæ; deteriores autem, & magis rebelles, quando perforant intestinum, ita ut fæces transmittat per ulcus; licet tamen vita in longum protrahatur. Avenzoaris testimonio inter Arabes, & Matthæi de Gradi inter Latinos, historiam referentis Medici Ticinensis de Filibertis, qui fæces per ulcus excrevit annos viginti continuos. Quod si ulceri antiquo, fistuloso, profundo, cacoethi, verminoso, & Gallico accedant condylomata, sive carnis excrescentiæ, longis incurabilem prodant affectum, ob confluxum sanguinis vitiosi, & melancholici; quem sanè in Nobili juvene prædominari conjicere facile est ex descripto ejus temperamento. Quando verò decennio fere integro variis medicis præsidiis ritè, & ex lege præscriptis cùm assumptis, tum applicitis, non solum non cessit affectus, sed in dies magis invaluit, vesicæ collum erodens, ita ut fæces, & ventris crepitus cum lotio excernantur; quo prorsus modo id à Fernelio proditum est 6. de Partium morbis & Sympt. Cap. 11 vel saltem urinæ crassæ, fœtidæ, & saniosæ sunt conspicuæ, cum ipsius ossis sacri aliqua labe, atque omnium circumpositarum partium. qui locus quæso fuerit ullis medicis præsidiis? Accedente verò his omnibus febre hectica, tabida, marasmode, cum grandi corporis macie, ut ossa sola cute tecta videantur, viribusque adeo prostratis, ut semper decumbere cogatur quæ spes elucescit de vita protoganda? Quinimo præsens impendet metus, ne adveniante æstate, deteriora fiant omnia, viribusque collapsis, succumbat tandem patiens; ut propterea vix in promptu mihi sit, quo vita quidquam ejus prorogetur, quod à Viris doctiss. & in arte versatissimis hactenus non fuerit præscriptum.

Quare sicuti summopere laudo quoad partem affectam, frequentem ulcerum detersionem, modò aqua Tettutiana, & melle, modò vino in quo ebullierint scordium, matrisylva, lupini, & fabæ omissis causticis, validioribusque detersoriis; ita non inconsultum censeo eam roborare ferro candente per canoulam, ferream longiorem à latere undique pertusam, intra podicem semel ac iterum singulis diebus applicato. Hoc enim unico remedio vidi fistulas Gallicas, putridas, & altas multos annos, absque ulla noxa durasse; nondum tamen ad has calamitates perductas. Ratione autem febris, si vires ferent, ex re erit consilio marasmum torridum in senilem mutare, per refrigerationem corporis balneo aquædulcis, administrato ex Gal. precepto in Methodo medendi. Et quanquam alias non admodum profuerit decoctum radicis chinæ, atque lac non fuerit adeò familiare naturæ ipsius; utrumque nihilominus iterum præscribendum existimarem. Omnia enim secundum rationem facienti, licet

non

non succedant, non est ad alia transeundum, stante eo quod à principio vitum est, ex Hippoc. decreto. Quod licet locum habeat in curativis intentionibus, non autem in materiis remediorum: attamen in casu præsenti etiam iisdem præsidiis medicis orcunque alteratis insisterem, atque aliquot dies decoctum radicis chinæ repeterem, cum carne porcelli, ranis, & caudis cancrorum patanm, ita tamen ut in ipso deinde fiat contusum pulpæ caponis nutriti carne viperina. Sic namque erit medicamentum olimentosum. Quod si in ipso dissolvatur scrupulus magisterii perlarum, vires quinctiam magis instaurabit: exhibito deinde cibo modica quantitate, facilis coctionis, & substantiæ; cujusmodi erunt ova tremula, expressum vel contusum perdicum, testes gallorum juniorum, gelu ex carne caponis, cum succo citri; & morselli ex pistaciis, nucleis pineis, amygdalis dulcibus, pulpa perdicis, & nucis Indicæ, cum sacchato, & aquæ ex fl. citri. cum quibus assumet aliquando unum vel alterum cochlear aquæ vitæ ad instaurandas vires jam collapsas, à Quercetano descriptæ in sua Pharmacopœa Restituta. Post usum autem prædicti decocti aliquot dies, lac præscribetur, primo arte paratum ex nucleis pineis, pistaciis, amygdalis, & seminibus melonum, in jure pinguis caponis, cum saccharo; tandem vero & naturale, idque asininum, si muliebris non fuerit copia, ex mamellis exsuctum, aut cum modico saccharo, & buccella panis, ubi primum emulsum fuerit, dummodo venter flatibus non obmurmuret. Quod si redundent, cum aliqua imbecillitate ventriculi, præmitti potest stillicidium supra ejus fundum ex oleo absinthite, amygd. amaratum, chamæmelino, & mastych. cum vino albo generoso ad penetrationem; munito deinde toto abdomine summitate purpuræ prædictis oleis imbutæ; ac deinde lac vel humanum ex ubere, vel asininum, cum quarta parte mellis Hispani, loco sacchari, ex Gal. decreto 7. Meth. medendi præscribetur ad uncias quatuor, vel quinque ad summum singulis matutinis horis in aurora, præmissa parca cœna, quo ventriculus vacuus sit; atque ita quatuor vel quinque dies periculum fiet ejus tolerantiæ. Quod si nullam noxam inde capiet, & facile feret, continuandus erit usus ipsius aliquot hebdomadas; non omissa interim totius corporis inunctione oleo amygdal. dulcium, facta blanda frictione ad revocandum sanguinem, & retardandam corporis exsiccationem. Et hæc adnotanda duxi Virorum præclarissimorum mandatis obsecundans potius, quam ut magni fore usus sperem. *Idem ibidem.*

De Ulcere antiquo Intestini recti. Pro Illustriss. Equite Maffeo Ferrariensi.

Rogatus ab Illustrissimo Marchione Pio sententiam de Chirurgica operatione pro salute Illustrissimi Equitis Maffei inveterato recti intestini ulcere laborantis, proposita, intestini nempe ejusdem extractione, atque ustione, inficiari sanè non possum, à Chirurgis celebribus solertia, & usu, nonnonquam præstari quædam miracula perquam similia: quemadmodum & legi ab ipsis ex dorso è regione renis tentatam ipsius cum extractione calculi, patientisque salute sectionem, rem profectò longè difficillimam. Quare & operationem propositam quod attinet, illam eorum peritiæ lubens committo quam tamen & periculi plenam esse, & male cessuram existimo. Tametsi enim non ignorem, intestinum rectum partem esse, quæ loco dimoveri, & foras prolabi possit: quod pueris non rarò accidit, ob laxatos humiditate musculos, nonnunquam & nixu majore parturientibus, atque idcirco lubens fatear validioribus emollientibus, aptisque instrumentis intestinum id à Chirurgo extrahi, detergeri ulcus, urique posse: cum tamen semel duntaxat admoto igne subsequi haudquaquam possit usque adeo curatu difficilis, inveterati scilicet, sordidi, profundique sanatio, Chirurgia hæc quid allatura sit emolumenti non video. Foris certè ejectum intestinum longè maximam subibit gangrænæ periculum. Eodem vero mox ab ustione intro reducto, quid aliud sperandum, quàm eschara recedente, statu ulceris pristino simillimus? Neque enim de sectione hic cogitandum. Esto tamen (quod impossibile ego quidem judico) siccari ulcus hoc, sanarique modo prædicto possit, non poterunt certè non supcresse continuæ ab intestini procidentia molestiæ. Neque enim quamvis exsiccato, ac cicatrice obducto ulcere, tanta unquam esse poterit laxatarum partium corroboratio, ut continuum intestini prolapsum prohibere possit, ni idipsum continuo globulo idoneo, fasciaque competente coerceatur. Hæc mea super ea re sententia. *Idem ibidem.*

De Ulcere fistuloso in podice: Pro Illustriss. D. Georgio Nani.

Affectum Illustrissimi D. Georgii; etsi minus mihi, quam Viris illis Excellentissimis, qui ad ipsum Venetiis diutius continue inviserunt, cognoscere licuit, Excellentiæ tamen tuæ Illustrissimæ geram morem, quæque mea sit de mali hujus natura; ejusque futuro successu sententia paucis aperiam. Malum ego hoc ex ulcerum esse genere indubitatoet pronuncio; quod & à paucis jam mensibus eram suspicatus; argumento fuerat excuntis materiæ qualitas. Neque enim id quod effluere solet, simplex pituita est, sed materia quædam cum modica plerumque sanguinis portione permixta. Sed neque ex venis hæmorrhoidalibus, ut censent, manat hic sanguis. Esset enim & copiosus, & floridus, & à qualibet materia sejunctus, flueretque vel ad mediocrem conatum semper, & à partibus ano circumpositis emanaret. His autem omnibus conditionibus sanguinem, de quo nobis sermo, videmus destitutum. Etenim neque multus is unquam est, neque expers putredinis, neque à reliqua materia separatus; sed & lotis aqua thermali illis partibus, ejus sistitur fluxio; atque ab altiore loco eandem profluere ipsi nos cum speculi beneficio exploravimus, cum stylo argenteo gossypio involuto altius immisso, neque sine sanie extracto. Accedit, quod quæ speculo adhibito videri potuere partes, vidimus nec absque carne superflua exulceratas. Verum non unico ulcere constat malum hoc. Videre enim mox ulcus est in ani extremo sub ipsis hæmorrhoidibus; in ipso dein progressu excoriatio multa speculi beneficio detegitur, non sine metu ne aliud intus delitescat, quod aut speculo, aut etiam stylo deprehendi non possit. Materiæ enim excuntis & copia est major, & terminos à quo, quod partem altior, quam ut universam ab iis, quæ videri possunt, ulceribus promanare statuamus. Quare cum neque alicujus momenti adsit dolor, internam quandam adesse fistulam non levi suspicione adducor tametsi hac de re Excellentiam tuam Illustrissimam certam reddere non possim.

Utut sit, non leve sane est hoc malum, cùm quod partim sit hæreditarium, quod imbecilli, humidoque naturâ sit loco, atque inveteratum; tum etiam quod continuè ab pravorum universo corpore humorum affluxu foveatur. Quapropter & quid boni augurari

possim non video. Neque enim facile crediderim eam fore Illustrissimi Domini Georgii patientiam, quam diuturni adeo, atque pertinacis mali curatio exposcat: quinimo pronunciare ausim, hunc ejus affectum eodem, quo Illustrissimi Domini Antonii ejus parentis, successu finiendum. Quod tamen prognosticon haud diffiteor usque adeo ratum esse, quin sperare liceat fore, ut Illustrissimus patiens diuturno usu præsidiorum, victusque præscripta ratione, sanitati tandem aliquando restituatur, quam eidem a præpotente Deo toto animo enixe precor. *Idem ibidem.*

De Fistulis Ani. Pro Nobili Polono.

Ea est affectuum pertinacia, qui à decennio Nobilissimum patientem exercent, ut de ipsius sanandis nulla affulgeat spes; adstipulantibus etiam Viris doctissimis, qui ad nos scripserunt, adeo ut medica solummodo admittant præsidia, quorum ope vita saltem longius protrahi possit. Fistulæ siquidem antiquæ ani semper sunt difficiles, ob fluxionem, imbecillitatemque partis affectæ difficiliusque sanantur, quando sunt sordidæ, profundæ, & verminosæ, virulentiæ Gallicæ participes: potissimum verò, quum perforant intestinum, ita ut fæces ex ulcere effluant; cum quo tamen affectu vitam longius prorogari posse, prodidit Avenzoar, & Matthæus de Gradi, qui refert historiam medici cujusdam de Filibertis Papiensis, qui intestino perforato, & fæcibus per ulcus erumpentibus vitam traxit viginti, & plures annos. Quinimo, intestinis perforatis, & ventre ipso, adeò ut fæces illac transmittantur vivere ægros, prodidit Avic. Prim. 2. Fen. 6. Tract. 1. cap. 1. Neque lethalis omnino esse solet ani fistula, licet vesicam exulcerans, ut succedat mictio fæcum, & putris, crepitusque per pudendum, testimonio Fernelii Lib. 6. de Partium morbis, & symptomatibus Cap. 11. Quod si ulceri antiquo, putrido, sinuoso, Gallico, intestina perforanti accedant carnis excrescentiæ, seu condylomata, longe magis incurabilem exhibent affectum, ob confluxum sanguinis vitiosi, & melancholici quem sane in nobili patiente prævalere conjicere est ex ejusdem temperamento. Verum quum toto ferè decennio variis medicis prædictis præsidiis, cum internis, tum externis non solum cesserint affectus prædicti, quin potius in dies magis convaluerint, quibus accessit febris hectica, rabida, & marasmodes, cum corporis macie adeo gravi, ut ossa pelle obducta superfint, viresque adeò prostratæ ut continuo sit ipsi decumbendum, non modo valetudinis adipiscendæ, sed neque longioris vitæ alicui spei locus est, quin potius metuendum ne sub æstatem in deterius omnia labantur, viresque jam collapsæ tandem satiscant: ut propterea vix mihi supersit quod iis addam, quæ à Viris doctissimis fuerunt hactenus usurpata ad vitam longius saltem producendam.

Quare sicuti laudo summopere frequentem ulcerum detersionem, modo aqua Tetutiana, modo vino albo in quo ebullierint marrubium, lupini, addito modico melle; omissis omnibus causticis, & validioribus detergentibus: ita non inconsultum censeo exsiccare validius, & corroborare partem illam affectam ferro candente, per cannulam ferream pertusam ad latera intra podicem iterum ac tertium in die infesto, nec diutius detento. Ratione verò febris marasmodis, si ferant vires, consultum esset ex Galeni consilio curare ut marasmus torridus in senilem facessat, refrigerato, & humectato corpore balneo aquæ dulcis, ex Galeni præscripto administrato in lib. methodi medendi. Et quanquam alias non magno fuerit usui decoctum radicis chinæ; atque lac naturâ aversatus fuerit; utrumque nihilominus iterum tentandum existimarem, exhibito decocto radicis chinæ quindecim dies circiter, parato cum carne suilla recenti, ranis, & cancrorum caudis; in quo deinde fiat contusum carnis caponis, nutriti carne viperina. Ita namque fiet medicamentosum. Quod bis in die exhiberi poterit, interposito pauco cibo mediocris quantitatis, & facilis concoctionis, puta ovis sorbilibus, pullis Indicis, vel testiculis gallorum, aut gelu ex carne caponis, cum succo citri; morsellis etiam ex pistaciis, nucleis pineis, amygdalis ducibus, carne caponis, & pulpa uncis Indicæ à quo lac ipsum erit accommodatissimum, primò quidem arte paratum, aliquot dies, ex emulsione seminum frigidorum majorum, nucleis pineis, pistaciis, & amygdalis dulcibus, in quo dissolvatur syrup. sem. magistiris perlarum, deinde & naturale asininum, cum modico saccharo, & mica panis, ad uncias quatuor circiter: nisi antea ex usu vitum fuerit Viris præclarissimis periculum facere lactis mulicbris ex ubere exsucti. In quorum usu cœna parcissima sit, quo usus lactis tempore ventriculus sit jejunus. *Idem ibidem.*

De Fistula lachrymali quamvis suprà capite de Ægylope fuse satis egerimus, perplacet tamen hoc rursus adaucere ejusdem historiam satis raram, ac primò responsionem, quam dedi informationi parum accuratæ mihi super hâc re transmissæ, cui subnectam morbi integram historiam; qualem scilicet habui postquam Nobilissimam Ægram, Lausannam hac de causâ profectus adivi.

Ex iis omnibus quæ per epistolam ad me transmissam significata sunt, satis agnosco Fistula Lachrymali affligi Nobilissimam Matronam, at non itidem constat, an eminentiæ omnis jam facta sit expers, sicque fistulam quam Chirurgi Galli *Fistule plate* vocant constituat, & an omni prorsùs carie os subjectum careat, nam etiamsi specillò exploratoriò ubservata non sit, non inde tamen concludendum nullam adesse, siquidem specillum commodè, ac pro arbitriò non movetur, ac volvitur hisce in partibus delicatioribus, nec caries ita incisionibus peractis semper subjacet, quin multi sinus arctiores, ac variè contorti sæpius ad eam difficili deducunt viâ. Suppono interim Medicos ac Chirurgos in hanc explorationem adhibitos, nihil quod exquisitioris accurationis sit omisisse, & ea propter rantùm novam meditati operationem, quòd per viam sibi primò locò patatam ad morbi penitiores penetrate radices non detur: Verùm liceat mihi opponere, 1. quòd si fistula de quâ agitur omnis prorsus eminentiæ sit expers, vix concedatur distinguere quò demùm incidenda veniat locò, pro cura perficienda, quòdque etiam si fistula pus multum eructaret, elevationem satis sensibilem præberet, unde innotesceret subjecta cavitas, attendendum foret an ne, cùm Domina Ægra junior sit, fistula eò locò ponatur, in quo, carie absente, commodum fuerit deligationem compressivam adhibere, sicque curam, quam non semel expertus sum, peragere. 2. Videndum si fistula ejus fuerit conditionis quæ incisionem necessariò exquirat qua in ipsius deveniatur fundum, fungi fistulæque ossi adnatæ illius cariem obtegentes remediis abluni queant, videndum inquam, cuis locus operationi esse debeat, quò scilicet fructuosior, quàm priùs celebrata, evadat, quod non levis est difficultatis,

dum

pum interim errores in hoc commissi, incisiones sæpius multiplicare cognnt, & vultum non parum deformant; sic aliquando vidi à Chirurgô, quamvis peritô, rotam propè oculi circumferentiam ferrô violatam, quia dum caries in ipsô oculi angulô partibusque viciois exquirebatur, inde ad ossis Zygomaris partem remotiorem, ubi posita erat deveniendum fuit. 3. Quamvis mihi non satis perspectæ sint omnes Medicorum assidentium rationes quibus ad apertionem cauteriô potentiali sibi parandam induerutur, non possum quin regeram ejusmodi applicationem non parum secum vehere periculi, dum scilicet non ita penes nos est illius actionem cohibere, quin sæpius ad ipsum oculi canthi majoris ligamentum pervadat, quô erosô, vel nimium debilitato enascitur morbus qui Rhyas dicitur, quique præter alia inconmoda non parvam deformitatem inducit. Adde quòd etiam si tale quid non contingat, semper futurum sit ut turpitudo non mediocris de cicatrice restitante enascatur: quodque tam promptè quandoque molliorem pervadat eorem medicamentum, ut ad os nasi spongiosum levique tantùm pellicula indutum liberius perveniat, illudque suâ acrimoniâ carie afficiat, ac inflammationem in viciniam accersat per exagitationem ac fermentationem salium, fluxionem facienti innidolantium, quam procurat. Unde patet ad hoc præsidii genus non esse descendendum, donec alia omnia inutilia prorsus videantur; super his autem non est quòd determinatè pronunciemus, priusquam ægritudinis examen diligentius perfecerimus Medicosque ac Chirurgos ordinarios audierimus.

In sequentibus cùm Lausannam ivissemus, proprio nostrò examine novimus de morbo ea quæ jam fusius paulò enarrabimus.

Nobilissima Matrona D. B. annos circiter 28. nata, fistulam lachrymalem juxta dextri oculi angulum majorem gerit, qua coacervatur pus copiosum, illudque crassius aut tenuius, pro ratione temporis quô in parte afflicta commoratur. Per se autem non evacuatur pus aggestum, sed tantùm expressione factâ per immissionem indicis inter oculi globum ejusque orbitam, illo spatio quod canthum inter majorem ac minorem medium interjacet; digitô ... rò tum aliqua vi adactô per punctum lachrymale inferius non minori eructatur vehementia humor quàm si per syphonem truderetur. Imò si materia contenta intra ... ctô longiùs saccô copiosiùs aggesta sit, quod serosius est ac lympidius sub lachrymarum forma effluit quidem, sed parcè admodum. Præteritis temporibus compressâ parte affectâ per canalem lachrymalem pus transmittebatur ad nares, verùm cùm à septem jam mensibus glutinosiores ipsius particulæ hanc sibi viam clauserint, ad superiora necessario illud refluit, unde non mirum si canalis superior pars herniosa facta sit, inque ea quam passa est dilatatione continere ... leat humorem ad cochlearis medioeris quantitatem, si modò per octo horas non comprimatur. Originem hujusce fistulæ repetunt ab ictû ex ipsâ infantiâ oculo inflictô enata est magna inflammatio, quæ eam in glandula lachrymali reliquit alterationem, unde suffectus sit continuò humor, qui per orificium canalis lachrymalis inferioris, seu punctum lacrymale inferius, expurgatus, lympidus primò visus est, donec alteratione sensim aucta purulentus evaserit; nec hodie totus ab ipsa glandula derivetur, sed etiam à carnibus ac membranis glandulosis superiori prædicti canalis parti assidentibus, in quas proculdubio liquor desuprà elapsus, acrimoniâ suâ eam irritationem ac debilitatem fecit, quæ in causâ sit quod ea succi nutritii quæ in eas corrivatur, lymphæque excernendæ etiam portio in pus abeat, & à multiplici hac scaturigine tam copiosum promanet. Si per orificium canalis lachrymalis quod hîc, non parum dilatatum reperitur, nobis licitum fuisset filum argenteum tenue inducere, facilè de carie, an scilicet in inferiori orbita forsitan adsit, (quod aliquando vidimus) constitisset: Verùm quandoquidem præ metu irritationis ac inflammationis molestæ sic procurandæ, ab eo arcebamur tentamine, conjecturaliter tantùm hæc in re pronunciamus; scilicet, tum ex qualitate humoris profluentis, qui nec odore, nec colore cariem arguit; tum ex carnibus superstratis quæ nec livent, nec dolent, quantumvis quotidie vehementiùs pro educendo pure comprimantur; tum ex oculi globo ejusdemque musculis, ubi nec rubor, nec ad alterutrum latus ulla retractio apparet; tum ex ipsius glandulæ lachrymalis colore qui satis naturalis est, nec aliqua fædatur ulceratione aut erosione. Exinde enim probabiliter admodum deducitur materiam excretam maligniori non esse sortis, aut intensioris acrimoniæ, sicque hactenus vasis suis quantumvis dilatatis coerceri potuisse; ac ea minimè sic perrupisse, ut ad nudum os pervenerit. Quod etiam faciliùs deducere est ex eo, quòd humor totus compressô suô saccô per punctum lachrymale effluat; si enim perruptus foret canalis humorque in orbitæ cavum, aut extùs ad eam effusus liberius vagaretur, quidni sibi alias pro exitu recluderet vias? Verùm quod hactenus magno Ægræ bono, infectum est, non sic imposterum semper perstabit, ni totis viribus & derivetur & mitigetur humor, oculusque cum adjacentibus partibus corroboretur. Caries autem hâc in parte eò periculosior fieret, quòd vix ac ne vix quidem medicamenta aut operationes necessarias pro sui cura admitteret. Pro humore evacuandô proponebatur nasi perforatio juxta oculi majorem canthum, at hæc operatio minùs fructuosa foret, quia etiamsi prima mali orig... in glandula lachrimali fuerit, illinc ad vicinas & inferiores sibi partes corrivata est, ac earumque constitutionem ita vitiavit, ut copiæ materiarum quæ jam excernuntur præcipuè faciant. Jam autem quis non videt perforationem propositam sublimiori perficiendam loco, quàm quo ascendere valeat humor inferiùs infra oculi orbitam aggestus, ut sic commodè exhauriatur? Itaque donec tumor aliquis exteriùs enascatur quô incisô ad cavitatis fundum pergere detur, (quod vix possibile credimus) cogemur curæ insistere palliativæ, cujus fructus aliquando lætior multò evadit, quàm quod nobis primò polliciti fueramus. Hâc de causâ ut emissarium aliquod aperiremus humori, setaceum omnino conducibile foret, sed delicatior Nobil. Ægræ constitutio, illiusque pro tam generoso præsidio summa aversatio, nos in cauteriô in nuchâ continuò inurendô jam continebit. 2. *Semel singulis septimanis* corpus expurgabit Ægra; & quandoquidem ventriculus purgantia ordinaria tolerare non valet, hoc commodè fiet per infusum rhei & sennæ cum pauco sale prunellæ, quo vice aquæ communis parabitur potus coffè, sacchare edulcorandus, & aquâ naphæ aromatisandus. 3. *Serum in genere absumet*, & ejusdem acrimoniam non parum obtundet si in potu ordinario utatur, loco aquæ communis cum vino, decoctô tenui radicis chinæ, salsæparillæ, visci quercini & ligni lentiscini. 4. *Singulis noctibus* cubitum itura oculô affectô, nareque ejusdem lateris excipiet fumum, qui de pugillô unô aut alterô pulveris in carbones immissi elevabitur; qui pulvis ex mastiche, olibanô, myrrhâ, succinô & sanguine draconis, cum paucissima antimonii cinnabari paratus est; continuoque

post fumigationem apponet oculo linteola condupli-cata liquore balsamicô, è myrrhâ, balsamo verò & Tolutanô, extractô. 5. Imponet capiti sacculos cephalicos è succino, mastiche, gummi elemi, benzoin. flor. lilior. convall. salviæ, anth. betonicæ, confectos, addito balsamô verô. 6. Subinde de die attrahet in nares pulverem nasalem catarrhis educendis non parum aptum &c. His D. O. M. benedicat. Datum Lausannæ die 6. Martii ann. 1693.

Remediis præscriptis omnino convaluit ægra, & post multos annos oculô sana ex inflammatione pulmonum obiit.

Observationes.

Loës Auff dem Sande Hildenæ, consanguineus meus, vehementissimo dolore cujusdam dentis molaris vexabatur. Adiit barbitonsorem, qui fractâ dentis eminentia radicem in alveolo reliquit, inde continuato dolore exortus est abscessus circa dentis radicem, quo rupto exterius, paulatim remisit dolor, ulcus verò (quod nullo modo consolidare potuit barbitonsor) in fistulam degeneravit. Diversorum Chirurgorum consilia imploravit: sed frustrà, donec ego quinto post anno ad paternos lares reversus, curationem Dei beneficio infrà scriptis remediis feliciter absolvi. Institutâ optimâ victus ratione sequentem exhibui potiunculam.

℞. Pulver. Passaplianti ℈j. detur cum decocto betonicæ, salviæ, rosmarini & majoranæ. Postridie venam in cubito incidi. Deinde materiam in capite sequenti decocto præparavi, & leniter purgavi.

℞. Herbar. & flor. betonic. scab. veron. cuscutæ, agrimon. an. m. j. summit. rosmar. major. flor. salv. & primul. veris an. m. ß. sem. anis. fœnic. an. ℥ij. liquirit. ℥j. Coquant. in aq. ad consumption. te tiæ partis. Hujus colaturæ per triduum in aurora calidè ad ℥iv. melle despumato dulcoratæ, exhibui.

Postea. ℞. Ejusdem decocti colaturæ ℔j. fol. sen. mundat. ℥ij. agar. recent. trochiscat. & rhabarb. elect. an. ℥ij. Maneant in infusione horas 12. deinde iterum leniter calefacta, fortiter exprimantur. Expressioni admisce syrup. de beronica & rosar. solut. compos. cum rhabarb. agar. & sena an. ℥j. M. f. potio pro 4. matutinis. Tandem sumsit sequentes pilulas.

℞. Mass. pilul. aurear. & aggregativ. ana ℈iß. trochisc. alhand. & diagr. an. gr. 4. Cum syr. de stœchad. formentur pilol. 5. quæ diluculo sumantur. Præparato satis corpore radices deorsis effodi, callositatem verò fistulæ unguento quodam caustico absumsi & ulcus unguento de succo apii mundificavi, tandemque cicatricem emplastro diacalcith. & pulv. alum. usti induxi, sicque curationem spacio 30. dierum feliciter absolvi. *Fabr. Hildan. Obser. Chir. Cent. 3.*

Juvenis quidam Coloniensis non ea obscurâ familiâ oriundus, cùm simili morbo laboraret, in manus barbitonsoris incidit, qui variis & per menses aliquot frustrà adhibitis remediis, tandem me consuluit, & quidnam ampliùs agendum esset à me inquisivit, cui præscriptam methodum fideliter communicavi, quâ & brevi sanatus fuit æger. *Idem ibidem*, ubi rursus duo alia addocuntur exempla quibus ulterius confirmatur quid valeat methodus descripta; sed ehen rursus ex Clariss. Hildano aliud exemplum.

Inveterata ac deplorata inferioris maxillæ fistula quomodo curata.

Nobilis matrona Basileæ, ea morbo acuto sanitati restitura, defluxione ad dentes inferioris maxillæ sinistri lateris, cùm per multos menses vexata esset, nec dentem, ad quem catarrhos decumbebat, sibi extrahendum curasset, tandem radicem ipsius exorta inflammatione & dolore maximo generatus est abscessus. Quo exteriùs rupto remisit dolor: nisi quod inter masticandum & loquendum, molestiam doloremque aliquem semper sentiret; ulcus in fistulam degeneratum per annos quatuordecim apertum remansit. Interim etsi variorum Chirurgorum consilia auxiliaque imploraret, multa tamen frustrà tentavit. Nullus enim de extractione dentis cogitaverat, imò potiùs extractionem omnes dissuaserant. Ego cùm ann. 1610. Sereniss. Princ. *Janusio Radzivilio* Lithuaniæ Duci, in difficili ac longo morbo operam meam impertirem, ad matronam quoque hanc (quæ jam sexagesimum annum ætatis prætergressa est) accersitus fui. Tum superiorem partem dentis, ad cujus radicem fistula erat, ad alveolum ferè usque erosum inveni. Semel atque iterum expurgato corpore radicem dentis extraxi. Postea rotundam unguento nostro ad callositatem absumendam imposui, erosâ callositate pulverem præcipitatum quotidie inspersi, & emplastr. palmeum applicui, nec medicamenta hæc mutavi usquedum ulcus perfectè sanatum esset, quod intra mensem contigit. Radix autem dentis erosa, inæqualis, & materia quadam lapidosa per laminas disposita, obducta erat.

Pro Fistula in dorso à Scapula ad lumbos pertingente.

Purgato corpore potionem hanc vulneratiam præscripsi.

℞. Rad. consol. maj. ℥ij. rad. bistort. aristol. rot. dictamo. alb. an. ℥iß. herb. pyrolæ ℥iij. consolid. Saracen. ℥ij. fol. alchimill. agrimon. equiset. betoo. fl. hyperic. rof. an. ℥j. sem. hyperic. perf. liat. an. ℥ij. ocul. cancr. ℥ij. [illegible]omoium pulvis: cujus sumatur tertia pars, & coq. in mensuris quatuor vini albi, & mensura una aq. plantag. coletur & servetur ad usum, addendo Sacchari quart:r. j. aq. cinnam. ℥j. bibat de eo manè jejunus cyathum unum, & sub vesperam horis duabus ante cœnam tantundem; ita continuando donec reliquæ pulveris partes consomptæ fuerint. Interea dum hoc decocto utitur, injectionem sequentem per Syringam in ulcus indies infundat.

℞. Succ. apii officin. succ. plantag. & agrimon. an. ℥ij. succ. tabacc. ℥iß. mell. rof. ℥iij. vini rub. ℥j. dissolv. chalcanth. alb. aluminis tartari, an. ℥ij. vel plus dum sordidum adhuc est ulcus, ærugin. æris, auripigmenti, an. ℥ß. F. injectio. Cum supra & infra pateret ulcus, ut siccaretur, fumus per canalem infundibuli in humilius ulcus fuit intromissus, tamdiu donec per superius ulceris foramen prodiret, sicque interiores omnes cavitates pervasisset.

℞. Mastich. thuris an. ℥ß. myrrh. ℥ij. benjoin. storac. an. ℥iij. sarcocoll. pic. resin. pini, gummi elemi, an. ℥j. F. Pulvis carbonibus inspergendus pro fumo. Postquam curam hanc per injectionem & suffumigationem aliquot septimanis continuasset, integrè sanatus fuit. *Felix Platerus obs. lib. 2. pag. 568.*

Studiosus

Studiosus quidam octodecem annorum in pectore diu habebat Fistulam, ex qua effluebat multum aquosum pus. Hæc à me curata sic fuit, mane & vesperi postquam exivit omne pus, injeci per Syringam oleum heraclinum, ac postea foramini fistulæ turundam majorem imposui, ut maneret aperta, atque tali processu quotidie penitus consanuit *Martinus Rulandus, curat. 39. cent.* 8.

Domina quædam juvecula fistulosis ulceribus pluribus locis prorumpentibus multùm debilitata, post expertissimorum Chirurgorum irritos plane conatus, & cum ab omnibus pro deplorata haberetur, tandem brevi temporis spatio sequentis remedii usu integre curata est.

Absynth. & menth. an. Mi. millepedum bene contusor. (demptis prius capitibus) 300. Sacculo omnia includantur, qui suspendatur in cerevis. tenuis pintis vιιι peracta fermentatione, capiat haustum de ea his terve in die, plurimùm præstant millepedes in fistulis & mammillis exulceratis, modò non sint cancrosæ. *D. Rob. Boyle. lib. De Utilit. Natur. Philosoph. part. 2. sect. 5. cap. 5.*

Cultri oblongi dimidium lumbis infixum, biennio pòst extractum est, relictaque inde Fistula sanata.

Anno 1591. adiit me juvenis robustissimus optimique habitus laborans perangustâ quidem, sed profundâ & perpetuò dolorificâ fistulâ, ad dextram spinæ dorsi partem, circa quartam vertebram lumborum. Is narrabat, sibi ante biennium cultro illatum vulnus, in quodam tumultu, quod à nemine hactenus curari potuisset. Dilatatâ fistulâ trochiscis de minio & spongiis præparatis, item radice gentianæ, inveni in ima parte oblongi cultri dimidium, cujus mucro defixus fuit inter tertiam & quartam vertebram, reliquum callo obductum. Inciso callo extraxi cultrum. Exin mundificato ulcere, cum pulvere præcipitato, & unguento quod Apostolorum vocant, juvenis brevi tempore convaluit. Id autem hic insigne est, quod à vulnere accepto, ad extremam curationem, vix unquam febricitarit; nedum passus sit inflammationem, spasmum, dolorem acutissimum, & reliqua symptomata quæ solent saucio dorso accidere gravissima. Anno 1612. Cum Hildinam profectus essem, prædictum virum in arce Nesselrod prope Dusseldorpium, apud generosum Virum Dom. Wilhelmum Ketlerum & c. cujus tum temporis, quamvis senex, erat domesticus, vidi: qui & coram generoso suo, omnia quæ acciderant exposuit; seque ab eò tempore, quo à me curatus fuit, quàm optime habuisse constanter affirmavit *Guilhelm. Fabric. Hildan. obs. Chirurg. cent. 1.*

Fistula ex parotide orta.

Studiosus quidam circa annum 12. ætatis abscessu sub aure dextra (parotis vocatus Medicis) correptus fuit, qui quum paulatim in fistulam abiisset per tres integros annos frustra à barbitonsoribus excruciatus fuit. Tandem 28. Julii Ann. 1620. cùm Bernam venisset, & mihi adductus fuisset, fistulam cuniculosam, inveni; exteriùs in cute duo saltem erant foramina angustissima, quorum unum sursum versus cranium tendebat, & in duos sinus dividebatur, alterum deorsum versus jugulares venas descendebat. Sed omnia intus erant callosa, Optimâ præscriptâ victus ratione, semel quin etiam atque iterum expurgato corpore, causticô meô cutem quæ fistulis adjacebat, erosi, & digestivum, nec non unguentum basilic. ad casum eschare applicui. Deinde eodem causticô, nec non pulvere angelico, diligenter rectificatô, callositates omnes paulatim absumsi, ita ut intra septimanas septem plenissime convaluerit. Porro in ejusmodi curationibus diligenter attendendum, ne quicquam de cute à musculosa carne separata, & venis capillaribus destitutà, remaneat. Consolidationem enim impedit. Et quia illa in primâ applicatione in nostrô ægrô propter callositatem insignem erosa non fuerat, applicationem caustici aliquoties iteravi; ubi diligenter prospiciendum est, ut quantitas caustici, cum cute, quæ erodenda est justam, & ut dicimus; ad pondus habeat proportionem. Et ita quidem ut partes integræ & sanæ conserventur, male affectæ verò destruantur. Id autem rectè ut fiat, necesse est ut Chirurgus optionem habeat notitiam facultatis sui caustici. Deinde etiam ut naturam subjecti cognoscat, hoc est, an molle, rarum, humidumque, an verò solidum, densum & siccum existat? 2. Quàm periculosum enim sit in applicatione causticorum medicamentorum errare lector ex aliquot observationibus meis observare poterit. *Idem Centur.*

Fistula Urachi.

Valentinus Vogel calculum è scroto extraxeram, vicesimâ martii proximè præteriti iterum me invisit, retulitque se ab eo tempore quo à nobis discessit, iterum me invisit, quàm optime habuisse, & in ditione Tigurina in pago quodam ludimagistrum egisse, jam verò propter instans ver, atque æstatem (quô tempore Ludimagistros suos able ant Helvetiæ rustici) ut alibi se nutrire possit, prospiciendum esse. Ante aliquot autem menses ulcus haud procul sub ipso umbilicô exortum est. Ex quo plerumque pars aliqua urinæ, utpote subtilior, non tantùm guttatim exstillat, sed nunnunquam veluti cum impetu erumpit. Ulcus hoc sine dolore fere, molestia, & febre, ex tuberculo ad instar furunculi, factum esse, sanctè nobis asseruit. Ego stylum exploratorium per illud ipsum ulcus, quod valde angustum & callosum, ad vesicam ipsam immisi. Ex quibus videre est Urachum in viô isto pervium factum esse, tam sagax ac provida est natura, in conservatione sui individui. Cum enim ductus urinarius callosis ulceribus impeditus esset, aliam sibi pro evacuatione urinæ fabricavit viam. Clarissim Wierus in ea fuit sententia Urachum in omnibus pervium esse, & proinde diuretica maximo cum fructu umbilico applicari posse &c. *Idem Centur. VI.*

Fistula lacrymalis in puella, sanata sectione, causticô, aliisque præsidiis, ex artis lege. Accedit, contra multorum sententiam, vera & tuta fistulas lacrymales curandi methodus.

Quamvis omnes Medicinæ, & Chirurgiæ Scriptores, variam præscribant curationem fistularum lacrymalium, ego tamen quædam à me observata proponam, licet ab aliorum methodo non aliena. Sanavi itaque puellam septem annorum, Curti mercatoris filiam, ab incunabulis fistula lacrymali laborantem, cujus à multis frustra tentata erat curatio hac ratione; sequi fistulam ipsam, & quia puella non ferebat diutius hanc operationem, usque erat corruptum, quod simplici propterea sectione abradi non poterat, coactus fui illi adhibere causticum, mixtum

missum cum unguento ex betonica, & paulatim fistulam dilatare, quo totum os corruptum eradi posset, quo sublato, applicui supra os superstes filamenta arida, quousque caro laudabilis ab ipso excrevit: præmissa tamen digestione medicamentis propriis; postmodum supra labia vulneris unguentum ex tuthia, sarcotici loco, propter continuum ichoris fluxum ad angulum oculi; tandem induxi cicatricem cerato ex Diachalcitide, filamentis tenuissimis aridis, qua methodo multos curavi quanquam occalescente sinu, libentius inustionibus ferramento candente utar, si ægri admittant, utpote quæ callum non modo atterant, partemque ipsam corroborent, sed etiam citius separent os corruptum, quicquid sentiant aliqui, perforandum scilicet os, quo materia illa purulenta per nares effluat & cicatrix exterius obducatur; qui tamen frustra sunt, quia os perforatum inurendum, ex illorum sententia, quo foramen meliùs pateat, præbeaturque exitus puri; at quando os est corruptum omnino removendum, cùm alioquin fistula non possit sanari, neque ad cicatricem deduci exterius, atque ita hæc curatio futura sit palliativa, & intus; præterquam quod hujus perforationis non alius sit usus, quàm ut os perforatum, & inustum citius abscedat, cujus loco natura carnem prius aliquam generat, quæ progressu temporis evadit callosa, & dura instar ossis, qui curationis finis; quia cutis cum carne subjecta, quæ ab ipso osse excrescit, cum ipsa coalescit, atque ita fistula sanatur; non verò foramine superstite, ex quo continuo emanat materia purulenta, cui antea patebat exitus ex angulo oculorum per foramina, puncta lacrymalia dicta; progressu siquidem viginti, aut triginta dierum circiter, os inustum, & perforatum, abscedit, unde foramen obstruitur à carne, ut dictum est, ex ipso pullulante. Graviter proinde errant, qui existimant, perforationem hoc commodum præstare, ut materia per nares effluat, licet hujus ope os perforatum citius abscedat; observandum tamen, non esse perforandum os, nisi præsente maxima ipsius corruptione, quæ perveniat usque ad cavitatem internam ipsius nasi; sola siquidem ejus superficie corrupta, aut alterata, sat fuerit partem læsam scalpro abrasorio abradere, dum pars cutis coalescat ossi, quod tamen, fieri non potest, nisi sanum fuerit, & incolume, ejusdem autem corrupti, & scalpro excisi hoc nobis fuerit indicium, cùm spatio, decem aut summum, duodecim horarum, caro illi accreverit, quod nonnisi facta abrasione contingit, coalescente fistula. Quod si post abrasionem nulla caro succreverit, os corruptum adhuc subesse pronunciandum, quod proinde denuò abradendum, quousque hæc signa omnino non appareant. Qua ratione feliciter semper, & tutò sanavi fistulas lacrymales, non solùm puerorum, sed etiam adultorum, qui cùm plures sint, eorum nomina referre supersedo, quæ in memoriam revocare difficile est.

Quia verò non omnes fistulæ lacrymales sunt cum corruptione ossis, ideo istæ duobus modis possunt curari; vel incisione sola, & attritione calli, cum generatione carnis; vel secundò, absente callo, per compressionem ipsius partis, instrumento ab Aquapendente descripto, aut aliquo alio simili: quæ, quia à plerisque pertractantur, supervacaneum censeo repetere, cùm mihi sit animus, proprias tantummodo in medium adducere observationes, iis prætermissis, quæ passim ab omnibus proponuntur. *Petrus de Marchettis in observation. Medico-Chirurgic. Sylloge.*

Fistula colli anterioris infra laryngem, ex tumore à barbitonsore intempestivè sanato. Observanda in curatione vulnerum colli, ne venæ jugulares, & carotides arteriæ lædantur.

Multas sanavi fistulas colli potissimum verò qua laboravit adolescens quatuordecim annorum, in parte ejusdem anteriori, infra laryngem, oborto primum ex contusione tumore, cui à Barbitonsore sanato, superstes fuit fistula inter utrumque annulum asperæ arteriæ, cum læsione utriusque cartilaginis, ex qua spiritus efflabatur. Habita itaque prius totius corporis ratione, medicamentis humores peccantes purgantibus, deveni ad topica; & primo quidem quatuor integumenta dilatavi, turundâ ex spongia; deinde scalpro abrasorio partes ipsas cartilagineas utrinq; læsas accurate abrasi; tum filamenta arida supra easdem applicui; postmodum unguento Isidis, quod occalescere cœperat in parte callosa, attrivi. Tandem globulis ex filamentis imbutis unguento ex tuthia, cum unguento Isidis, cavitatem opplevi; atque sensim & sensim imminutis globulis, cerato ex Diachalcitide, cum filamentis aridis cicatrice fistulam obduxi.

Hîc autem observandum, quòd si vulnera colli punctim inflicta fuerint, nec statim mortem inferant, pro signo hoc habendum sit, venas jugulares, & arterias carotides illæsas esse, ac propterea maxima cautione curanda; quia licet non pervadant totum collum, turunda tamen non est immittenda longa, & crassa, sed brevissima, quæ integumenta non excedat, quæ principio imbuenda ovi albumine, superinjecto postmodum linteolo duplicato per totum collum, eodem ovi albo intincto, cum bolo armena, & sanguine draconis: educto deinde sanguine, pro virium tolerantia, atque exhibito medicamento leniente post. 10 die; à quibus per duos dies non immutanda remedia parti vulneratæ adhibita, cùm solum linteolum ex usu sit sæpissime, quotidie prædictis pulveribus cum ovi albumine inductum. Victus sit solùm ptisana hordacea bis per diem exhibita; potus verò aqua hordei pauca copia, quod si deinceps inflammationis metus ingruat ex altero brachio sanguis ducendus, justa quantitate, atque urgente dolore, viribusque permittentibus, affigendæ quin etiam cucurbitulæ, scarificatæ: omni quippe ingenio, & arte prohibenda generatio puris, utpote quod venas & arterias corrodat, cum mortis præsenti periculo, prout observavi in quibusdam ab imperitis male curatis, dum intenderent turundas longas admodum, à quibus puris copia congesta, venas, & arterias consumpsit, mortisque causa fuit; ut propterea duobus aut tribus post diebus, removeam turundam illam brevem, applicato deinde linteolo inducto cerato ex cerusa; repetito alio perinde duplicato eodem modo, pulveribus prædictis, cum ovi albumine instructo, quibus spatio octo, aut summum decem dierum hæc vulnera sanare consuevi, servata tamen semper diæta tenuissima, ne humores ad partem vulneratam confluant, atque in purulentam materiam conversi vasa erodant.

Quod si vulnus trajiciat collum, hac methodo utor, imposita scilicet brevissima turunda utrinque eodem modo, quo superius proposui. Animadvertendum præterea, hæc vulnera nunquam esse tentanda specillo, ne, quod facile contingere potest, dirumpantur vena, aut arteria, cum vitæ proximo periculo.

Qua methodo multos sanavi, multosque quinetiam mortuos vidi, diversa ab hac curatos. *Idem ibidem.*

Duæ Fistulæ sub axillâ, variis remediis frustrà tentatæ, igne actuali feliciter sanatæ.

Quidam laborans duabus Fistulis profundis sub axilla me accessit, variis frustra tentatis remediis; quippe, quę cum ad subjectas usque costas penetrarent, incisiones proinde non admittebant sine vasorum læsione, ac præsenti vitæ discrimine. Cum autem Medici, fuissent primò usi corrosivis; postmodum verò compressionibus, ligaturis, & hujusmodi præsidiis, in cassum tamen; ego corpore jam expurgato, statim ad operationem me accingens, utramque fistulam ad fundum usque inussi, ferramento candente, absque cannula, repetitis vicibus, donec omninò, & æqualiter toto fistularum sinu callus attereretur; escharæ verò detergendæ, turundis primò longis, & crassis butyro illitis, postmodum digestivo usus; Pure verò apparente laudabili, alias immisi, inductas unguento ex Betonica, quas quotidie breviores paravi, quibus omninò remotis, pulvino ex linteolis sub alis, compressa parte ligatura satis arcta, spatio vinginti dierum ægrum sanitati omninò restitui. *Idem ibidem.*

Qua ratione curanda fistula thoracis, cum labe ipsius ossis sterni, quod abrasione solùm, nonnunquam verò inustione tentandum.

Fistulas sæpissime præ manibus habui, ex abscessu, aut vulneribus superstites, quæ aut corruperant, aut aliqua saltem labe affecerant os ipsius sterni, ex abscessu potissimum, ratione redundantis puris; quo casu, amplianda fistula, aut turunda ex spongia; tota postmodum pars ossis corrupti abradenda, dum caro laudabilis, paucis post horis illi accrescat; tunc verò imponendi globeli ex filamentis imbutis unguento ex Betonica, aut Matrisylva, atque carne inducta, cicatrix, medicamentis exsiccantibus aliàs propositis, obducenda; quod si caro parvo temporis spatio non succreverit, indicio fuerit, totum corruptum os non esse abrasum, ac proinde operationem repetendam, donec caro optima adnascatur, quo illis postmodum remediis detur locus. Nunquam verò deveniendum ad inustionem ipsius ossis sterni. quia non abscedit, aliorum more, quæ licet ex toto corrupta non sint, sed aliqua tantum parte, si inurantur, sola illa labefacta abscedit, superstite alia laudata, quod non contingit ossi sterni, quod lentum satis, non potest ita facile in squamulas dirimi; quin potius inustione ad internam usque ipsius, partem pervadente, totam partem corruptam abscedere necesse est, non quidem spatio triginta, aut quadraginta dierum, prout alia ossa, sed trium aliquando annorum, unde consulo, ut nunquam os sterni inuratis; observavi siquidem in multis non abscessisse, nisi duobus vel tribus annis exactis; ut propterea tutior, & facilior sit curatio per abrasionem, quàm per ustionem; quæ methodus curandi fistulam à vulnere; vulneris autem, quod non penetret in cavitatem, principio statim ad mutuum contactum labia adducenda, & quidem si amplum fuerit, per suturam, si verò angustum, per compressionem, prohibita puris generatione, ne os ipsum corrumpat, aut saltem afficiat. qua ratione in his vulneribus non penetrantibus, sed lædentibus tantum os ipsum sterni, progressu octo vel decem dierum illa ad cicatricem perduxi, sola apposito cerato ex cerussa, vel ex Diachalcitide. *Idem ibidem.*

Fistula umbilici ad intestina usque serpens, diu frustrà curata, parvô temporis spatiô feliciter sanata.

Patrem quendam Theatinum vidi, laborantem fistulâ umbilici, ad intestina usque penetrante, de quorum dolore erat querela, ex demisso statim in eandem specillo: quem hac methodô curavi. Facta scil. totius corporis expurgatione, inussi totum orificium fistulæ jam callosum, & induratum immissâ in illud parvâ turundâ. quo omnis crusta simul callo attereretur, & quidem imbuta à princio butyrô, postmodum digestivô, quam facta concoctione eduxi appositis filamentis, illitis unguentô, ex betonica, & superdato & diachalcitide; atque octo post diebus circiter abstinui à filamentis, solô contentus ceratô, quô cicatricem induxi, ægrô spatiô viginti dierum sanatô, qui à Medicis Mutinensibus multos menses in cassum fuerat curatus. *Idem ibidem.*

Quinque fistulæ femoris ex vulnere scloperi cum tumore, & osse carioso, malè curatæ, sublatô callô, & accommodatis remediis sanatæ quidem, ob extremum tamen os fractum supra aliud diutius coalescens, aliorum Medicorum incuria, claudicante ægrô. Quòd antiquæ fracturæ ex vulneribus sclopetorum sint incurabiles.

Memini me curasse Illustrissimum Vincentium Breti, sclopeto vulneratum in femore, novem menses Venetiis frustrà curatum. Laborabat autem quinque fistulis femoris, & insigni ejusdem tumore, cum osse carioso. Illustrissimô ægrô adeo emaciato, ut ossa sola cute tecta apparerent, accedente febre fixa ex fistulis orta; quem cùm interrogarem de remediis, & methodo curationis antea adhibitis, respondit; sine turundis processisse, applicito quidam cerato & cataplasmate ex farina lupinorum. theriaca & vino malvatico; præscripta à Medicis victus ratione ex pane furfuraceo, & carnis loco, ut pote quæ vulneribus sclopetorum noxia, oleribus, vel saltem aliquando offulis vervecinæ concesso usu; quod valdè mirari subiit, cum fistulæ, omnium consensu, non sanentur nisi sublato callo, qui non solùm his acervetat, sed & ossis quinetiam corruptio accedebat: Tumor autem à cataplasmate calidiori, & nimis exsiccante, induratus adeo fuit, ut resolvi omninò non posset. Ego verò hoc modo curationem sum aggressus, præscripta primò victus ratione, ex pane scilicet triticeo purissimo, pullis junioribus, glandulis ac cerebris vitulorum, ovis sorbilibus tremulis; prisana hordeacea. vino oligophoro & hujusmodi, exhibui quandoque ex pharmacia semiunciam floris cassiæ noviter extractæ, præscripto aliquando clystere, aut glande ad alvum ciendam; à quibus quinque fistulas priùs dilatavi turundis ex medulla milii indici, seu sorgi, aliquando etiam ex spongia, & quia tumor, curationem impediebat, illi applicui aliquot dies cataplasma Galeni 2. lib. ad Glaucon, ex farina. triticea, aqua & oleo communi, quibus brevi temporis spatio ex toto discussus est; expurgata quinetiam sensim materia; prout in omnibus fistulis, in eo congesta, atque in pus conversa earum dilatatione. His peractis deveni ad abrasionem ossis cariosi, atque eadem opera ad calli attritionem; cùm verò hæ fistulæ à parte externa ad internam femoris penetrent, & quædam mutuis osculis in se invicem hiarent his immisi seta-

ceum ex serico imbuto unguento Isidis, cujus prælidio callus ex toto fuit sublatus; tum ferramentis totum os fistulis subjectum erat; postmodum ferreeis dimissis, sensim turundas imminui, adhibitis medicamentis sarcoticis, mistis cum aliquo portiuncula Isidis, ne caro laxa, aut callus denuò succresceret, curationi impedimento futura; applicui quinetiam spongias supra femur, madefactas nostris aquis thermalibus montis nempe ægrotorum, atque modicâ illud fasciâ constrinxi cum spongiis, ita tamen ut in qualibet fistularum orificis brevem cannulam plumbeam immitterem, ne materia aut purulenta, aut serosa, alicubi hærens aliud sibi pararet foramen. Tandem sublatis cannulis, & arctius alligatis spongiis, orificiis fistularum adhibitis filamenta arida, cum cerato ex diachalcitide, cicatrici inducendæ; cùmque Medicorum Venetorum incuriâ extremum ossis femoris fracti supra aliud coaluisset, non potui antiquam hanc fracturam, novem nempe mensium, componere, cùm ratione debilitatis virium Illustrissimi ægri à principio curationis; tum quòd fracturæ ex vulneribus sclopetorum, iis quinetiam integris, cùm initio non bene committuntur, difficillimè sanantur, quod nec quidem tentandum, ossibus frustillatim fractis, nisi præsenti vitæ discrimine; ut propterea nobilis claudicare coactus fuerit. *Idem ibidem.*

Ex Gonorrhæa venerea antiqua variis fistulis pertusum collum vesicæ, prope urethram, cum effluxu urinæ, non solùm ex scroti pluribus locis, verùm etiam ex inguinibus, præter spem sanitati restituto ægro.

Cæsar Quojotus Rhodiginus, morbo detentus, meæ curæ se commisit, multorum frustra expertus, qui primò laboraverat gonorrhæa venerea, quæ longo temporis spacio sua acrimonia & mala qualitate, collum vesicæ prope urethram utrinque pertuderat, ut non solùm ex scroto pluribus locis urina, verùm etiam ex inguinibus effluerer, variis proinde fistulis subortis, quas in anabiles prædixi, superstite adhuc gonorrhæa: quarum tamen curationem agressus, & primò quidem corpore quàm accuratissimè expurgato, illi exhibui decoctum ex ligno, & salsa, cum sudore; turundis interim usus imbutis solo unguento ex betonica, minoribus primò, tum crassioribus, fistulis dilatandis; à quibus earum primò sectionem sum molitus in inguine, non ultra integumenta quanquam pervaderent usque ad collum vesicæ, immissâ postmodum turunda ad fundum alterius fistulæ, & quidem sub vasis spermaticis ad testes delabentibus, per quorum ductum fistulæ utrinque serpebant, quia verò cultro non poteram, earum quod supererat secare, illæsis vasis transversis, has propterea quotidie hinc inde diu tractavi, atque patefactis vasis sine ipsorum labe, sub ipsis eadem forfice, lenium & sensim dilatatione facta, mihi viam paravi, impositis globulis imbutis unguento Isidis, & ex betonica simul mistis; qua methodo multos dies usus, urina cæpit imminui cessante gonorrhæa, atque eadem tres menses continuata, injectionibus scilic. aliquando ex aqua hordei & portiuncula Ægyptiaci, absumendæ carni laxiori in quibusdam locis, atque alibi callo, non tamen valdè duro, ob continuum urinæ & gonorrhææ fluxum; insessiones, & injectiones postea ex aquis montis ægrotorum præscripsi, quibus progressu quatuor mensium circiter, non solùm fistulæ inguinum sanatæ fuerunt, sed etiam tres aut quatuor ipsius scroti, solis immissis turundis imbutis unguento ex Tuthia & Isidis mistis, quas tandem eduxi sublatâ causâ ipsius gonorrhææ & fluxus urinæ, incolumi multos annos ægro. Quum morbum, cùm nunquam antea, nec deinceps observaverim, insanabilem proinde existimaverim. verùm cùm medicorum sententia in Medicina aliquando nascantur monstra, nunquam propterea isiusmodi ægrotorum desperandum. *Idem ibidem.*

Fistula ani.

Ulcera ani, inquit Doctissimus Professor Hier. Fabr. ab Aqua pendente sæpe solent creare fistulas exteriùs circa anum perforando intestinum rectum. Interdum verò circa anum oboriuntur fistulæ rectum intestinum haud quaquam perforantes, sed circa anum consistentes, & in carne terminum habentes, quæ ferè non sanantur nisi incisione.

Quàm molesta sint, & dolorifica ani ulcera simplicia, (ne de compositis quid dicamus) optime omnium experiuntur illi, qui sordida linteamina doloresque graves vestimentis suis occultare, imò toto vitæ tempore tolerare malunt, quàm levem dolorem perferendo curationem expectare, latis licet constet partem eam, quæ ulcerum ejusmodi subjectum, proinam valdè esse, non solum in corruptionem, sed ulcerum propagationem.

Incisio eodem ab Aquapendente authore duobus modis, & duplici Chirurgia, absolvitur, hoc est filo ferreo, & syringotomo.

Ad Chirurgiam antequam deveniamus, notandum nobis, quoties ulcus adest fistulosum variis cavernis præditum sine callositate aut intestini perforatione, Chirurgos varios curationem tentasse usu suppositoriorum ex unguento fusco Felicis Wurtzii, per evaporationem iodurato confectorum, sic enim ulcera talia per liquefactionem unguenti mundificari posse, exsiccative sibi persuaserunt.

Hæc curandi methodus arrider nobis, utpote qua in non uno subjecto processi, imprimis ubi simplex adest ulcus, idque recens.

At verò ubi ulcerum datur multitudo, maxime quæ occalluêre, etiam non perforato intestinô rectô, nullo alio medio ea curare nobis licuit, quàm incisione, quæ adeò ab H. Fabr. ab Aquapendente celebratur, ut, etiam intestinô rectô non perforato, exemplum aliorum secutus, eam institui debere doceat.

Ipsa Authoris cap. 93. proposita verba hæc sunt; quæritur quomodo curanda sit fistula quæ exterius à tuberculo in cute oborto habeat originem & versus anum penetret, non tamen intestinum penetret, sed ad usque intestinum pertingat.

Ad hoc respondet Vir experientissimus se in ejusmodi ulcerum curatione, etiam non perforato intestino, nequiquam veteri intestinum ipsum incidere; maxime ubi podicis circulo proxima. Extremum enim intestini recti, verba sunt Hippocratis, quæ habentur libro de Hæmorrhoidibus, & secans, & resecans, & consuens, & urens, & putrefaciens, etiam si gravissima hæc sint nihil læseris. Consentit Ætius Ex Leonid.

Ad Chirurgiam antequam deveniamus cognoscere Chirurgo interest, intestinum rectum adhuc integrum an sit, an verò perforatum; eadem enim licet sit curandi ratio, læsum sive fuerit intestinum, sive integrum, facillimum tamen conceptu, facilioris operationis perforationem eam esse quæ ubi intestino foramen aliquod adest, per quod instrumentum duci potest, instituitur, quàm ea est ubi eodem

per

per int. stinum sanum viam sibi facere tenetur Chirurgus.

Signa quibus intestini perforatio cognoscatur; Cuivis sine dubio cognita; Certum est, si flatus per externum foramen exeat, certius si alviuorum excrementorum aliqua particula per exteriora excernatur, certissimum, si Chirurgus digito in anum immisso, instrumentum per fistulam insertum tetigerit.

Instrumentorum ad incisionem usualium primum filum est; hujus ope quæ peragitur Chirurgia licet minus dolorifica, incerti tamen magis eventus est; Celsus ipse lib. 7. cap. 4. ubi incisionem per filum admittit, imo ubi ejus opera eam absolvi posse desperat, fieri posse docet, ut curationis gratia cultellum hic assumere cogamur.

Filum quo in hoc casu utimur ex filis crudis, fortioribus, contortis, pilis equinis, & filis sericis tubtis crassioribus conjunctis, cera flavâ ad eum modum quo sartores fila sua muniunt ductiliaque magis reddere solent, incrustatis conficitur.

Filum hoc debitæ longitudinis excipit [illegible] foramine quod inest extremo uno (simile foramini quod in acu ea notatur, quæ ad setacea efficienda usurpatur) instrumenti exploratorii ex plumbo ad necessariam flexibilitatem parati.

Hunc digitum indicem sinistræ manus, cujus unguis, monente Parœo lib. 13. cap. 24. resectus, in anum immittimus, mox manu dextra instrumentum dictum filo instructum p. r. fistulæ anfractus sensim variis modis intorquendo ad locum cum intestini qui perforatus est deducimus, ac ut auxilio digiti in intestino hærentis incurvari, tandemque par anum exire queat.

Fili utrumque extremum conjunctum alligamus ligno cuidam tereti, sicque ad eum modum, quo cum festuca sua procesit ab Aquapendente, contortione continua, fortique constrictione quicquid illo comprehenditur dividimus.

Operatio secunda Syringotomo perficienda certior est, minusque dolorifica, imo breviori absolvitur tempore, ab ea tamen abhorrere magis solent ægrotantes. Instrumentum hoc invenit Galenus, delineavit Andr. à Cruce, emendavit H. F. ab Aquapendente, approbavit Schultetus; figura ejus quæ operi quàm maxime accommodata est, in qua globulus est, quibus etiam in instrumento exploratorio plumbeo suprà indicato requiritur, ne, dum per fistulam, hinc intestinum ipsum, protrudit, nocumentum ei adferat; hinc per fistulam & intestinum ducitur, sic ut per anum exeat usque ad tertiam suæ longitudinis partem ubi acuties incipit instrumenti, cujus dorsum obtusum, similiter ac illud quod est culitri domestici, quo panem scindimus. At autem totum instrumentum ad instar falcis incurvat.

Instrumentum hoc per fistulam immissum, digito in intestino apprehensum celeri manu extrorsum ducitur, & hac ratione quæcunque attingit impetu uno discindit.

Sincere ut hic agamus, necessarium non modo qualiter instrumentum dictum tractare debeamus cognoscere, sed & quomodo ulcus tale fistulosum incipiat, procedatque, imo quænam de eo prædici queant. Ad hæc casum sequentem exhibere utile erit.

Franciscus Volkertsen vir aliquomodo melancholicæ complexionis, exanimi affectû catharroso in persentiebat destillationem, per dorsi longitudinem ad os usque caudæ, hinc ad natium concursum ubi intestinum rectum ossi dicto accumbit. Brevi tumor hic exortus, qui pingnedinem, marginem musculi glutæi, imo, quod admirandum, intestinum rectum, perforavit.

Accedens ægrotantem, præter febrem, dolorem que gravissimum, tumoris duritiem, rubedinem, extensionem, consideravi. Quod sy nptomata alia, tumori adesse ubi debere, certum Cataplasma hoc eidem applicari necessarium duximus, quo eo maturatio promoveretur.

℞. Rad. Althææ. Brion. Lilior. alb. an. ℥j ß. Fol. Malv. Bismalv. Violar. an M. j. Flor. Chamomill. M. ß. Sem. lini. ℥ß. Coquantur & contundantur, addendo Farinæ fœnugr Semin. lini an. ℥ii. Axung. porci q. s. Butyr. recent. ʒj. Vitell. ovi n. j. M. F. Cataplasma.

Calide hoc applicavimus tumori, secundo die eum aperire consultum duximus, & effluxit materiæ fœtidæ purulentæ insignis satis quantitas.

Post hæc excrementa alvina, quibus flatus permixti, sonitu se manifestantes, tumorem accedere notabamus, unde perforatum jam esse intest num clarè constabat. Multa equidem adhibebamus, quorum operâ consolidare, carnemque regenerare nos posse credebamus, ast frustraneus omnis labor; ad incisionem adeoque, modo in prægressis indicato perficiendam, devenire coacti, qua & intestini reliquas partes sanas, & cutem musculosamque intestini portionem adhuc integram dissecar. necessarium; dissectione peracta, quod sanguinis fluxus gravis ex Venarum hæmorrhoidalium apertione adesset, medicamentum adstringens ordinarium vulnerato loco applicavimus.

Die sequenti puris minus solito in vulnere reperire licuit, imo omnia sanitatem veram promittere videbantur, quæ etiam brevi tempore, auxilio divino, introducta.

Per animi affectum excedentem in parte dicta humoralem collectionem exoriri posse, non est quod mirum alicui videatur, etiam in aliis subjectis similia iis quæ in hoc observare licuit, notabimus; At verò vitii principalissima causa hæmorrhoides exulceratæ, ex sanguine acriori ortum ducentes, unde vicinarum partium corruptio. Exemplis variis quæ proposuimus illustrare liceret, nisi ægrotantium plerique impedirent.

Sunt, inquit ab Aquapendente, qui ferrum pertimescant & universi sinus incisionem à filo fieri expetant, quod non laudo, quia nimis molesta & tarda est inctio, & dolor assiduus, & longa curatio.

Partem hanc, in qua ulcera hæc fistulosa occurrunt, sensilem omnino esse, variis exemplis verum esse comperimus; testatur idem memorabilis historia, quam Reverendus Pater Augustinus lib. de civit. Dei 22. cap. 8. de Innocentio nomè dolores fugiente proponit; hanc rerum Chirurgicarum cultoribus coronidis loco communicare placet, cum voto curationis, similis omnino illi quam sanctus Episcopos adducit.

Quis, inquit, novit, præter admodum paucissimos, salutem quæ facta est Innocentio Advocato Vicariæ præfecturæ ubi nos interfuimus & oculis aspeximus nostris; venientes enim de tran marinis, me & fratrem meum Alippium, nondum quidem clericos, sed jam Deo servientes; ut erat cum tota domo sua, religiosissimus ipse susceperat, & apud eum tunc habitabamus: curabatur à medicis, propter fistulas quas innumeras atque perplexas habuit in posteriore atque ima corporis parte. Jam secuerant eum, & artis suæ cætera medicamentis agebant. Passus autem fuerat in sectione illa & diuturnos & acerbos dolores, sed unus inter multos sinus fefellerat medicos, atque ita latuerat, ut eum non tangerent, quem ferro aperire deberent. Denique sanatis omnibus, quæ aperta curabant, iste remanserat solus, cui frustra impendebatur labor. Quas moras ille suspectas habens, multumque formidans ne iterum secaretur, quod ei prædixerat alius medicus domesticus ejus, quem non admiserant illi, ut saltem videret eum primum sectus est quomodo id facerent iratusque illum domo abjecerat

abjecerat, vixque receperat, erupit, atque ait, iterum me secturi estis? ad illius, quem noluistis esse præsentem, verba venturus sum. Irridere illi medicum imperitum cœperunt, metumque hominis verbis promissionibusque lenire, præterierunt & alii dies plurimi, nihilque proficiebat omne quod fiebat, Medici in sua pollicitatione persistebant, non illum sinum ferro, sed medicamentis esse clausuros, adhibuerunt & alium grandævum jam medicum satisque in illa arte laudatum, adhuc enim vivebat, Ammonium dico, qui loco inspecto, idem quod illi, eorum diligentia peritiaque promisit. Cujus ille factus authoritate securus, domestico suo medico, qui secturam prædixerat aliam sectionem, faceta hilaritate veluti jam salvus illusit. Quid plura? postea tot dies inaniter consumpti transierunt, ut fessi atque confusi faterentur eum nisi ferro, nullo modo posse sanari. Expavit, expalluit nimio terrore turbatus, atque ubi se collegit, fatique potuit, abire illos jussit, & ad se amplius non accedere imperavit: nec aliud occurrit fatigato lachrymis, & illa jam necessitate constricto, nisi, ut adhiberet Alexandrinum quendam, qui tunc Chirurgus mirabilis habebatur, ut ipse ei faceret quod ab illis fieri nolebat iratus. Sed postea quam venit ille, labrumque illorum in cicatricibus, sicut artifex, vidit, boni viri functus officio, persuasit homini, ut illi potius, qui in eo tantùm laboraverant, quantùm ipse inspiciens mirabatur, curationis suæ fine fruerentur: adjiciens quod revera, nisi sectus esset, salvus esse non posset. Sed valde abhorrere à suis moribus ut hominibus, quorum artificiosissimam operam, industriam, diligentiam, admirans in cicatricibus ejus videret, propter exiguum quod remansit, palmam tanti laboris auferret. Redditi sunt animo ejus, & placuit ut eodem Alexandrino assistente, ipsi sinum illum ferro, qui jam consensu omnium aliter insanabilis putabatur, aperirent. Quæ res dilata est in sequentem diem. Sed cùm abiissent illi, ex nimio mœrore Domini, tantus est in domo illa exortus dolor, ut tanquam funeris planctus, vix comprimeretur à nobis, visitabant eum quotidie Sancti Viri, Episcopus tunc Usalensis, beatæ memoriæ Saturninus, & Præsbiter Gelosus, ac Diaconi Carthaginensis Ecclesiæ. In quibus erat, & ex quibus solus est nunc in rebus humanis jam Episcopus cum honore à nobis debito nominandus, Aurelius; cum quo recordantes mirabilia opera Dei hac de re sæpe collocuti sumus, eumque valde meminisse, quod commemoramus, invenimus. Qui cùm eum, sicut solebant, vespere visitarent, rogavit eos miserabilibus lachrymis ut mane dignarentur esse præsentes suo funeri potiùs quàm dolori. Tantus enim eum metus ex prioribus invaserat pœnis, ut se inter medicorum manus non dubitaret esse moriturum. Consolati sunt eum illi, & hortati ut in Deo fideret, ejusque voluntatem viriliter ferret. Inde ad orationem ingressi sumus. Ubi nobis ex more genua figentibus, atque incumbentibus terræ, ille se ita projecit, tanquam si fuisset aliquo impellente graviter prostratus, & cœpit orare. Quibus modis, quo affectu, quo motu animi, quo fluvio lachrymarum, quibus gemitibus atque singultibus concutientibus omnia membra ejus, & pene intercludentibus spiritum, quis ullis explicet verbis? Utrum orarent alii, nec in hæc eorum averteretur intentio, nesciebam. Ego tum prorsus orare nil poteram, hoc tantummodo breviter in corde meo dixi, Deus quas tuorum preces exaudis, si has non exaudis? nihil enim mihi videbatur addi jam posse, nisi ut expiraret orando. Surreximus, & accepta ab Episcopo Benedictione discessimus, rogante illo ut mane adessent, illisque, ut æquo animo esset, hortantibus. Illuxit dies, quem metuebant, aderant servi Dei, sicut se affuturos esse promiserant. Ingressi sunt medici, parantur omnia quæ hora illa poscebat, tremenda ferramenta proferuntur, attonitis, suspensisque omnibus. Eis autem quorum erat major authoritas, defectum animi ejus consolando erigentibus, ad manus secanti, membra in lectulo componuntur, solvuntur nodi ligamentorum, nudatur locus, inspicit medicus & secandum illum sinum armatus atque intentus inquirit; scrutatur oculis, digitisque contrectat, tentat denique modis omnibus, invenit firmissimam cicatricem. *Job. à Meekren. in Observat. Chirurg.*

De ulcere intestini recti Brasilianis familiari.

Anno 1624, cùm ego (Jacobus Lachmund) qui totius classis Batavicæ chirurgus constitutus eram, cum illa in regionem Americæ Meridionalis, Brasiliam, profectus essem, militibus nostris in illa regione ulcus nascebatur in intestino recto, eo modo, quo in nostris oris homines in digitis panaritii corripi solent, quod ipsis maximos dolores afferebat, ita ut ferè insanirent propter urentem inflammationem, antequam maturesceret & aperiretur. Brasiliani hunc affectum, seu morbum, quo sæpe infestantur, vocabant Byeros. Remedium autem hoc erat: sumebant citrium pomum, quod in sex vel octo partes longas dissecabant, ex his particulam quandam, instar suppositorii in intestinum inserebant, & hoc sæpe iterabant recentibus pomis citriis; hoc modo statim magni illi dolores sedabantur. Ego, cùm Brasilianos hanc medicinam facere viderem, pari modo medicas manus adhibui & dolori & morbo nostrorum militum, qui hoc pacto pariter convaluerunt. *Friderici Lachmund.*

De Calculis ex Ani fistula extractis.

Civis quidam Uratislaviensis, ob enormem corporis crassitiem, obesitatemque prorsus stupendam tota Urbe famosissimus, nescio ex qua causa fistulam Ani contraxerat, sineque insigni molestia aliquot annis toleraverat. Tandem ægriùs eam ferre incipit, doloreque indies magis magisque exacerbato, tumorem inflammatorium fistulæ orificium, à parte sinistra sphincteris ani situm, attollentem sentit, qui ipsum neque sedere, neque ambulare, ægreque cubare permittit. Accersitur Chirurgus Dn. Gottfried Schultz, Vir ob insignem industriam non vulgari peritiæ junctam meritò laudandus, qui lanceola tumorem, re sic ferente aperit,

Ex vulnere primò puris copia, mox quoque calculus prorumpit. Evacuatâ sic doloris & inflammationis causâ, vulnus à Chirurgo debitè tractatur, ac tandem consolidatur, fistula, monitu Albucasis, intacta relictâ, utpote quam patiens non admodum molestè ferret. Elapso autem abhinc circiter biennio, denuo inter deambulandum vexati, atque de die in diem dolores acerbiores sentire incipit, donec tandem nimis ingravescentes iterum Chirurgi manum in auxilium vocare eum cogunt. Hic, denuò paratâ sectione, inter sordes varias ex vulnere emanantes, jam non unicum calculum, sed geminum, & utrumque priori illo majorem invenit, ac deinceps vulnus ut antea cogit. Calculos istos, à Patiente magni habitos, Chirurgus mihi videndos examinandosque obtulit; quorum primus redditus asper est & superficiei inæqualis, lupini instar compressus, cinerei coloris, striis splendentibus variè interstinctus, fat elegantis texturæ, gr. viij. pendens.

pendens. Secundus eorum ſcilic. qui ſecunda vice exciſi ſunt, major, avellanam mediocrem mole æquat, formâque ſere refert, lævis eſt, pallidus, venulis rubentibus hinc inde pictus; fereque ſilicem mentitur, cui tamen & ſubſtantiæ firmitate multùm cedit, & pondere, quo gr. xxvi. non excedit, inferior eſt. Tertius denique poſtremò inventorum ſcilic. minor albidior eſt, colore & ſubſtantiâ tartarum; qui dentibus accreſcit, exactè refert; lævis maximam partem, niſi ubi ſulcis quibusdam, ſanguineum quid oſtendentibus, quaſi inciſus eſt. Uterque horum ea parte, qua mutuo ſe tetigerant, detritus eſt: atque ille in plano ab attritu facto lineolis ellipticis aliquot, quaſi in totidem laminas ſive tunicas, ſucceſſivè accretas, diſpeſcitur: hic verò in medio detritæ partis puniceum quendam globulum oſtendebat, qui diſtracto calculo nucleus ceraſinus, circa quem tartarea iſta maſſa concreverat, eſſe deprehendebatur. Integer adhuc pendebat gr. xiv. diffractus verò & nucleo caſſus, vix gr. viij. attollebat. *Gottofredi Schultzii.*

Fiſtula ſub mammâ dextrâ.

Fiſtularum pertinaciæ cauſa unde repetenda oſtendunt allata exempla: Pertinaciſſimæ & tandem tabem inferentis, exhauſto totius cruore, exemplum mihi occurrit anno 1652. cùm eo tempore incumberet cura Medica pauperum Gallorum advenarum, vel urbis incolarum, inter illos commiſſum habui quendam nomine Bourgeois, Prætoris Urbani Apparitorem, Virum raræ texturæ, anno circiter xxx. natum; Malæ illi, bene ſe habenti, leviter rubebant; vino modice utebatur, in victu temperans: Morbo prehenſus utitur calceolarii agyrtæ operâ, qui antimonio exhibito ipſum ad hypercatharſin deducit, unde vir naturâ debilis ad Orci fauces compellitur: Vix recreatum, pravoque victu deinceps ſuſtentatum, pleuro-peripneumonia vehemens adoritur; E qua mea ope emerſit, ſed ſuperſtite in pectore, ſub mamma dextra, fiſtula, quam præceſſerat abſceſſus inibi excitatus, quanquam univerſam materiam pectore contentam exhauſiſſe videtur libera & liberalis purulenta anacatharſis: Adeo copioſam eructabat Fiſtula ſaniem, ut illius occludendæ omne concideret conſilium: Indito tenui ſtylo & longo, origo ejus ſuperior eſſe deprehendebatur & inter muſculos pectoris decerrare; qua de cauſa inito cum aliis conſilio, diſciſſa eſt forfice (quantùm alte progredi licuit) ſecundùm longitudinem Fiſtula; ſed cùm ad claviculas uſque factus eſſet progreſſus, nec exortus pateret; ingreſſus prætcrea, ob tortuoſitatem non pateret amplius ſtylo, res naturæ committenda fuit, & uſui decocti traumatici pectoralis, hydromelitis formâ præſcripti, à cujus uſu vitam per triennium produxit, Appatitoris officio ad ultimos uſque dies functus æger. *Théoph. Boneti in Sepulchreto.*

Fiſtula quintuplex in pene & ſcrotô feliciter curata.

Clariſſ. Guſtavi Caſimiri Gahrliep Miſcell. Curios. Decur. iij. An. 1.

Generoſus quidam in Martis æquè ac Veneris caſtris ſtrenuus & excellens miles, tot quæ commiſerat poſterioris hujus militiæ prælliis ſolitum promeruetat ſtipendium, ac alias inter hujus belli manubrias carunculam in urethra ſatis grandem, quæ urinæ tranſitum aliquandiu ſuffiaminarat, unde Natura, ut alia ratione huic neceſſitati ſubveniret, quinque, præter ſtillicidium, quod priſtinæ viæ adhuc reſtabat, cuniculos in ambitu Penis atque Scroti egerat, eosque callis admodum duris munivetat, qui totum illum ambitum ſcirrhoſum planè, imò ferè ſaxeum, reddiderant. Unde ſeroſus ille urinæ latex è fonticulis quaſi quinque, cùm illam reddere cogeretur, non ſine atroci dolore proſiliebat. Tortuτæ huic remedia præter vernacula hinc inde in Germania, Belgio, Gallia, ſed fruſtra quæſierat, habito hoc malo ab omnibus, quos ubique exploreverat & conſuluerat maximè celebres, tam Medicis quàm Chirurgis pro deplorato ac incurabili. Redux ab hoc itinere, tandem & Chirurgum quendam ac Chimicum per Germaniæ quaſdam præcipuè oras, quam ſibi medicamentis nonnullis paraverat, quorum mercaturam diu exercuerat admodum lucroſam, hincque Mercatoris ut nomen habebat ſic ômen, famâ vix non ſuper æthera notum, adierat. Ille vervecem ſibi oblatum ut arietem inde faceret queſtus, poſt varia tentamina fruſtra uno aut altero menſe adhibita, eodem illum, ſi non pejori, in ſtatu conſtitutum remiſerat. Unde de recuperanda ſanitate deſperans denuò ſe Chirurgo cuidam, ſatis aliàs ſagaci & experto, Gallorum Refugorum de numero, qui jam ante ipſum, ſed & tum fruſtra tractaverat, ut aliquod ſaltim mali levamen haberet, commiſerat; Qui poſtquam per aliquot illum rurſus ſeptimanas balneis aquæ tepidæ, ptyaliſmô, diætâ & ſimilibus venereæ luis antidotis exercuetat, ſed etiamnum irrito ſucceſſu, tandem me conveniebat ac conſilium efflagitabat, cùmque illud dare, antequam ægri ac ægritudinis ſtatus mihi ſatis cognitus eſſet ac perſpectus recuſarem, ad illum me tandem adducebat; Ubi tale, quale depictum hîc addidi phoenomenon oculis objiciebatur, Priapum in fontem quinque Epiſtomiis ſalientem Ovidianâ Metamórphoſi transformatum dixiſſes. Difficultate rei detectâ ægroque indicatâ, ſuadebam ut orificia fiſtularum oleo Antimonii, quod butyrum communiter vocant, ſingulari, è minera illius peculiari modo extracto, quod à me factum illi ſuppeditabam, ſemel iterumque leviter tangeret, non omnia ſimul, ne dolore ſimultaneo adeoque nimio ſuccumberet æger, ſed ſingula ſeorſim & ſucceſſive per intervalla ſatis longa, utque initium ab infimo faceret. Parebat Chirurgus & quidem optimo eventu; Ægro quidem initiô de dolore aliquo non admodum atroci, ſed pro rei exigentiâ tolerabili ſatis, aliquantiſper conquerente; ſed callo fiſtularum paulatim abſumto & cum eſcharâ ſublato, cuniculorum parietibus ſponte coaleſcentibus ac conſolidatis. Minerâ mali internâ, ut & carunculâ urethra Præcipitati rubri Helmontiani, à me parati ac ſubminiſtrati, atque tam interne exhibiti, quàm per turundam urethræ applicati beneficio, ſenſim imminuta ac ſublata, ſic naturali urinæ meatu deobſtructo; Reliqua ſcirrhoſa partium circumjacentium duritie, Emplaſtri de Ranis cum Mercurio duplicato Vigonis, applicatione, funditus emollita & edomita, ſicque exactiſſime quinque fortaſſis aut ſex ſeptimanarum ſpatio perſanato. Adeò ut Eques aulam Sereniſſimi Electoris, quatuor milliaribus hinc tunc temporis diſſitam, Potſtami nimirum agentem, inviſere, ſeque ſanum & incolumem, præter omnium tam Medicorum quàm Chirurgorum ſpem & opinionem, ſiſtere poſſet, imò cùm rei fidem omnium omnem ſuperaret, etiam oculari eorundem examini, quos conſuluerat ſubmittere non vereretur.

Fiſtula Ilei extra abdomen pervia.

Clariſſ. Ioh. Conradi Wepferi, Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. 2.

Virgo quædam ruſtica N. N. annorum circiter 35. ſtaturæ mediocris gracilis, capillis nigris prędita, coloris fuſci ; à juventute conſtitutionis debilioris; erat In hac ætate jam edentula : laboribus ruſticis tamen pro viribus vacavit, quorum promiſcuè diætâ etiam utebatur. Anno 1690. in vere, febri continuâ malignâ, tunc ubique ferè graſſante, graviter decubuit, nullis medicamentis baud profligate valuit, ſitim durante ſebre maligna moleſtiſſimam, ſolâ aquâ limpidâ frigidâ compeſcebat, & aliquando in reconvaleſcentiæ ſtatu, adhuc tamen æſtuante corpore, plenis faucibus affatim aquam frigidam hauſit, mox inde inſtar tympani abdomen inflabatur, ac tumorem durum renitentem, nucis juglandis magnitudine in dextro inguine prorumpentem obſervavit, qui indies creſcens ad magnitudinem ovi gallinacei majoris excrevit. Inteſtina in hunc prolapſa eſſe, ipſamet animadvertebat, nam aliquando hæc in abdominis cavum protudere valuit, quæ in quocunque motu rurſus elabebantur. Satis diu Enterocelem hanc celavit. Anno 1693. in vere prope hanc Anthrax cum inſigni inflammatione enatus fuit, ruptus per multa foraminula, ceu ex cribro multùm puris fundebat, ac tandem extractâ ſubſtantiâ fibroſâ, albâ, craſſâ & tenaci ulcus ſatis magnum poſt ſe reliquit, ex quo aliquot dierum ſpatio ultra 20. Lumbrici magni prorupetunt, imò aliquoties tales manè in lecto repentes invenit. Particulæ etiam ciborum ingeſtorum unà cum lumbricis & pure ſæpius extrudebantur; Hoc ulcus per decem ſeptimanas apertum manſit, ac ſua ſponte ſine ullius operâ ſanabatur. Hoc autem ſanato, Enterocele multùm increvit, duoſque pugnos viriles magnitudine excedebat, ac maximos inde dolores patiebatur, anxietates ſcilicet, tormina &c. nec elapſa penitus in cavam abdominis immittere ampliùs valuit.

Horum dolorum pertæſa tandem curæ Dn. Balthazaris Zchenderi Herniotomi noſtratis expertis,ſe commiſit, qui die 6. Januarii 1694. manè, horam circiter nonam, præſentibus Ext. Dn. D. Screta, cognato ac compatre meo colendiſſimo, aliiſque Chirurgiæ Studioſis ſectionem in dextro inguine auſpicatus eſt, feliciterque eam peregit, in reponendis inteſtinis multùm occupatus, quum hæc proceſſui peritonæi firmiter accreta eſſent ; attamen dextrè ſeparata tandem repoſuit, vulnuſque more ſolito deligavit, filum juſto tempore excidit, ac vulnus ad ſanationem tendebat: nulla ſymptomata primis diebus ſuperveniebant, excepto broncho, qui tamen adhibitis anticatharralibus, expectorantibus à laudato Dn. D. Screta ceſſavit. Die 16. Januarii, ſcil. decimâ poſt ſectionem die, maxillam inferiorem ritè movere nequit, nec ab invicem diducere valuit, deglutitio difficilior etiam reddebatur, liquida faciliùs quàm ſolidiora deglutiit. Dn. D. Screta acceſſitus ſuaſit mixturam antiſpasmodicam ex cinnab. antimonii, ſuccin. alb. prep. ungul. alc. ſal. volat. Succin. aq. flor. Saturei, til. &c. cochleatim ſumendam, externè articulus maxillarum in utroque latere, ol. è flor. Slor. lumbr. terreſtr. & ſpit. lumbr. &c. inungebatur, deglutitio indies difficilior evaſit. Die 19. Januatii, cum Dn. D. Screta ipſam viſitans, reperit inter deglutiendum fauces quaſi conſtringi, juſculiſque deglutiendis viam præcludi : vi quadam & nixu ſatis forti ingeſta juſcula per iſthmum faucium ad gulam protrudit ; plerumque inter hanc actionem mucum pellucidum ex naribus copioſum emiſit : maxillas nec ſponte diducere, nec vi ſive inſtrumento dentes divelli poterant. Pulſus erat celer & frequens, ſudavit multùm, appetiit & ſitiit, urina juſtè tinctior, cæterùm naturalis. Totam ſpinam dorſi à nucha ad os ſacrum uſque, punno aſpero fricare curavimus, poſtea inungebatur mixturâ ex oleis laurin. lumbricor. Slotan. euphorb. caſtor. &c. collo faſciculus ex filis crudis in lixivio coctis circumponebatur. Die 20. Januarii, prægreſſa nocte nunquam dormivit, decumbenti convulſiones in toto imminebant, propterea ei extra lectum ſedendum fuit, & quidem incurvato corpore ; erecta enim atrociſſimos dolores experta eſt, ut ejulandum fuerit: in abdominis latere ſiniſtro doluit: de Cardialgia etiam ſæpius conqueſta eſt: difficultas deglutiendi augebatur ; à meridie omnia potulenta abhorruit, ac ſi Hydrophoboica eſſet, quamprimum ſiphone juſculum injecturi erant, mox & clamavit & hujus admiſſionem nixu quodam recuſavit. Convulſiones in toto, nunquam in nervum erumpebant ; vires ſingulis momentis deficiebant, mente tamen ſemper conſtante, articulatè loquebatur, circa horam 12. noctis, vivere deſiit.

Die 21. Ianuarii, abdominis tegumentis diſſectis obſervavimus omentum macrum & tenue, cujus portio proceſſui peritonæi in latere dextro, & Inteſtinum Ileum in inguine dextro cum peritonæo ibi, ubi ante annum anthracem paſſa erat, firmiter accreta ; heic etiam non latè, at ℥iij. longitudine cum meſenterio portio hujus ſphacelata & nigricans erat ; ubi ſectio peragebatur, hæc Inteſtini Ilei pars cum peritonæo etiam coaluit : Alibi Colon & Ileon in ſiniſtro quoque latere, peritoneo, mediantibus fibris p. n. accreſcebant ; in dextro latere coli portio periſtonæo prope ſpinam oſſis Ilei fortiter adhæſit. In portione Ilei, ubi exulceratum pridem fuit, lumbricus teres repertus fuit. Inteſtinum rectum & portio coli ſcybalis duris referta erant, reliqua inteſtina ſatis ſana erant, in dextro latere, rubicundiora ; Hepar pallidius : Veſicula fellis externè albicans & ampliſſima erat, ac ſi flatibus turgeret, ut ab initio portionem Coli putaverimus, tacto percepimus calculus incluſos eſſe.

Fruſtum Hepatis cum Veſicula bilaria portioque Duodeni & Jejuni ac Pancreate exemptum fuit, ut per otium Venerandus meus Dominus Parens in ædibus nobiſcum has partes accuratiùs perluſtrare valeret. Veſicula bilaria à cava parte Hepatis ſine ulla læſione, vel ſanguinis vel bilis emiſſione integra ſeparari facile potuit, nihil neque ex Hepate neque per tunicam veſiculæ tranſſudavit, imò tum Hepar inceſngens, tum veſiculæ membranæ multò craſſiores naturalibus erant, ſuperficies harum quidem madebat, at nihil vel bilioſi vel cruenti apparuit. Veſiculæ tunica ſecundùm longitudinem inciſa propè ſextuplo craſſior, denſior, tenacior & ſciſſu difficilior erat ; Cavum veſiculæ refertiſſimum fuit humore albumini ſimillimo : à calore inſpiſſatus, gelatinæ ſimilis evaſit ; ſiccatus flammam contraxit inſtar ſeti exſiccati. Muci pondus prope ℥ iv. erat: in illo natavit unus ex calculis, alter firmiſſimè ejus collo impactus erat, ut vi extrahendus eſſet ; collumque ita obturavit, ut nec guttula quidem bilis per ductum cyſticum aſcendere & in veſiculam tranſfundi potuiſſet, quod inde manifeſtè patuit, quia macula flava à ductu communi per cyſticum expanſa eis calculum impactum ſubſtitit, nec quicquam flavi trans illum in reliquo ductu & veſicula apparuit. Ambo calculi magnitudine nucis moſchatæ erant, oblongi & rotundi, in utroque extremo obtuſi, leviſſimi, ex albo parum flaveſcentes, cretacei,

Ochræ

ochræ similes, sed albicantiores. Mucus erat subsalsus Interna superficies vesiculæ penitus glabra nullibique exulcerata fuit: circa collum visa quidem fuit textura quædam fibrarum reticularis, per tunicam internam transparens integra membrana (ex quibus omnibus manifestum fiebat mucum instar lymphæ vel seri per poros ejus in cavitatem stillasse; cujus extrusioni fortè calculi ansam dederunt, non secus ac calculi in vesica muco, quemque hoc tormento obnoxii copiosè emingunt) inflato ductu choledoco communi. implebantur vena Pancreati affixa, portio Duodeni, ramus venæ Portæ & alia vena Pancreati subtensa: non autem ductus Pancreaticus, cùm tamen aqua siphoni injecta etiam in ipsius ramulos plures promptè ingressa fuerit ductu communi fortis pressu, ex ejus porulis aqua exsudavit

Ulcus in cute ut & Intestino, ex quo vermes, alimenta & pus pridem prodierant, penitus coaluerunt adeò, ut nec stylus nec flatus ampliùs penetrare valuerint. Ibi, ubi Fistula ex Ileo extra abdomen pervia erat, intùs in Ileo scrobiculus supererat, apicem parvi digiti admittens, Fistula vero arctissime coaluit, nec vestigium foris in vulnere apparuit. Verisimile est, juxta hanc Fistulam intestina & omentum novam viam pro elapsu illorum factum fuisse. in ulcere foràs nihil. p. n. apparuit, licèt Ileon ibi accretum sphacelatum esset, pulchrè rubebat & mundum erat, ut & interna Ilei cicatrix.

SCHOLIUM. I. Et hæc foemina exemplum suppeditat fistulæ ex intestinis extra abdomen perviæ, post inflammationem suppuratam & ruptam, in qua exesis intestini portione, Peritonæo, musculis abdominis & communibus integumentis, contentis in cavo intestinorum exitus paratur extra abdomen cum hac singulari naturæ providentia, ut intestinum cum peritonæo agglutinatur & arctè coalescat; secus enim si fieret, contenta intestinorum in cavum abdominis effunderentur, non sine sæva & fœda ægri sublatione, ut ex aliis historiis medicis notum est.

II. Herniotomiæ in utroq; sexu & cuicunq; ætati convulsionem plerunque funestam supervenire, frequenter observatum fuit. Idem quoque sectioni & ustioni in coxa profundè factis, demum die decimo, Scamandrio contigisse, constrictis maxillis post diem octavum, testis est Hippoc. Epidem. l. 5. An sectio hujus symptomatis d. 10. subsequentis & mortis post quintum diem ab ejus invasione caussa fuerit? disceptabitur. Occasionem fuisse, negari non quidem poterat, cùm citra sectionem fortè illud nunquam observatum fuerit: attamen & hoc notum est, citra separationem omenti & intestini à processu peritonæi hunc spasmum non tarò evenisse, qua in re Herniotomi causabantur haustus frigidos, exsertionem pedis extra lectum: & rite peractæ sectionis testes erant, vulneris facies pulchra, fistulæ omnimoda consolidatio, cujus vinculi & absentia omnium symptomatum, excepto broncho, qui tamen quoq; sublatus fuerat diu ante obitum, Sphaceli signa in aliis quoque reperta fuerunt in talibus cadaveribus, licèt non necessum fuerit, vel omentum vel intestinum ante obitum separare, & si hæc in culpa fuisset, vix fistula cum ulcere consolidata fuisset, & fortè alia signa periculum minitantia apparuissent. Quo concensu nervi musculorum maxillam inferiorem attollentium & pharyngem contrahentium & attollentium ad contractionem talem compulsi fuerint? Judicium meum cum Commentatoribus in Historiam Scamandri suspendo. Foeminæ istius Hydrophobia verisimilius evincit illam ab animali rabido demorsorum potius convulsioni alicui pharyngis, quàm depravatæ phantasiæ, & nescio quibus spectris in putulentis apparentibus deberi.

III. In contemplatione vesiculæ bilariæ non pauca notatu digna occurrerunt: Primum est, bilem non immitti ex Hepate, vel per poros, vel ductulos peculiares, ibi ubi Hepatis caro adnata erat, nam in hoc cadavere facilè separari potuit ab epate, manente eousque integrâ tum membranâ hepatis cavum succingens, tum tunicâ vesiculæ, adeò ut nec guttula quidem sanguinis profunderetur, nec ullibi vel guttula bilis transsudarit: Superficies quidem utriusque maduit discissis vasorum lymphaticorum surculis, quibus abundat. Mucus, quem vesicula copiosum continuit, procul dubio seri vel lymphæ soboles fuit, quia pellucidos & sapore salso præditus erat, in vasculo prunis ardentibus subjectis ampliùs inspissatus, in gelatinam mutabatur, planè exiccatus, flammam contraxit more siccati seri humani. Non influxit ob internam superficiem exulceratam, nam ubique glabra erat, nullibi aspera, etiam ibi circa collum, ubi per membranulam internam superficiem operientem fibræ reticulatim dispositæ transparebat, sed per poros transsudavit, ejus fibris à calculis attritis, & ad aliquam corrugationem & expressionem seu percolationem compulsis, non secus fieri solet in calculi vesicæ affectis, qui magnâ copiâ talem mucum diu emingunt, salvis ulcunque renibus & absente ulcere; unde etiam hujus vesicæ tunica multò crassior naturali evasit, quod etiam in vesica urinaria observatur. Per porulos serum transsudare potuit, quis semper maduit: inflato ductu communi, ipse cum intestino Duodeno & portione Jejuni ligata simulq; vena insignis Pancreati accumbans & rami aliquot venæ Portę distendebantur, postea discisso ad duodenum ac digito imposito & fortiter presso ex plurimis porulis clara lympha exsudavit. Quâ viâ & per quæ foramina flatus ad Portam & illam venam Pancreatis pervenerit, indagare nequivimus, quia ruditer portione hepatis, intestinorum cum Pancreate excisis, vasa maximam partem lacera & detruncata erant: certò tamen constitit flatum, non per osculum ductus Pancreatici, utcunque hians esset, intrasse, quia ductus ab inflatione nec quicquam movebatur, cùm tamen aqua siphonem injecta protinus cùm multis ramulis impleretur & amplior redderetur. Denique innotuit ductu vesiculari occluso icterum non produci, dummodo communis patulus sit, ac bili per osculum exitus concedatur, nam nec ante nec post sectionem Icterica erat, & post sectionem urina propè naturalis mansit; Intestinaque potius rubicunda quàm flava erant, & si tinctior paulò fuerit, illud tamen magis febri comiti, quàm bili adscribendum erat. Qualia symptomata calculi vesiculæ bilariæ parient. Vid. Schenk. L. 3. Observat. Med. de Vesicula bilaria. D. Sorbait Operum Med. Tom. V. c. 5. p. 739. Meermann, Consil. Vid. Cl. Hagendorn. c. 2. Obs. Med. Phys. 8. Miserandam calamitatem Chir. Görliz. simul calculis vesicæ & vesiculæ bilariæ affecti.

Fistula ossis squamosi sequuta, auris abscessum, ac feliciter curata.

Clariss. Theodori Zwingeri, Miscell. Curios. Decur. iij. Ann. 5. & 6.

Vir annos natus 45. εὔσαρκος, labori deditus, victu copioso semper usus, sed, quod vitæ requirebat conditio, humido frigidoque aëri multùm expositus, per annum circiter integrum Hemicraniâ lateris dextri laboravit, eâ tamen minùs vehemente, nec nisi exiguum operibus domesticis impedimentum procreante. Tandem verò mense Anni 1691. Dolor capitis acerbior reddi, indeq; noctes inquietæ ac insomnes evadere coeperunt: dolor ille tensivus fuit, & gravativus ad aurem usq; dextram se extendens, ac modò mitiùs, modò vehementiùs Ægrum excrucians. Varia hinc ab ipso primùm remedia euporista in usum trahebantur, sed sine morbi remissione: Vocatus autem ego in subsidium, dum ad Ægrotum accedebam ἀπύρετον statim eum deprehendi, bene appetentem, digerentem & egerentem: urinas simul monstravit à naturali neque colore, neque consistentiâ, neque enæoremate deflectentes, unicè conquestus est de insigni Hemicraniâ per aliquot dies sine intermissione durante, totamque capitis dextram partem occupante, cum aliquali, sed vix adhuc perceptibili retrò aurem tumore. Sitis aderat nulla; pulsus tantùm non prorsus naturalis, vires satis constantes. Nares, imprimis dextræ, satis siccæ manserant, mucique naturalem & solidam quantitatem non exhibuerunt. Quibus singulis ritè pensitatis, seri alicujus acris salo-fixi stagnationem in variis tubulis supra aut infra cranium mihi imaginabar à quo fibræ membranaceę lancinarentur atque dolorificè roderentur. Ad istud ergo serum, partim edulcorandum, partim attenuandum, resolvendum atque dissipandum, cùm tota medendi ratio mihi dirigenda videbatur, Curationis initium feci à *Clysmate emolliente & laxante, ex decocto herbarum emoll. & cephalic. cum Melle rosac. & Electuar. lenitiv.* parato. Hinc venam in dextro brachio curabam incidi & octo præter propter sanguinis uncias extrahi. Post aliquot etiam dies *purgantes è succino Cratonis pilulas cum Cinnabar. Antimon. Milleped. preparat. Magist. Jalapp. & Oleo stillat. Rorisin.* præscripsi. Deinceps quotidie Remedia intùs absorbentia, incidentia & dissipantia obtuli, ex *Antimon. Diaphor. succin. alb. prepar. alb. prepar: Ebor. prapar. Corall. prapar. Ocul. Cancr. prapar. Diaphor. Jovial. Lumbr. terr. prep. Ægagropil. prepar. Cinnab. nat. vel Antimon. opt. sale volatili succin. viperar. vel C. C.* & similib. concinnata, nunc in formæ pulverem, nunc in pilulis cum *Extracto Angelic. Beton. Lign. sassaphr. ac Oleo destill. Amarac.* adornatis. Quibus subinde Opiata ad leniendam dolorum acerbitatem permiscui, cùmque parum levaminis ex usu talium Medicaminum deprehenderem, etiam *Tincturam Antimon. Essent. Beton. Zedoar. Croc. spirit. salis Armoniac. urinosum cum Oleis stillatis. Ruta, Amarac. Rorismar. Succin. Oleosum redditum* ordinavi, omnibus tandem *Infusum fol. Thee* addidi, utque interea extus primò quidem lintea, accenso *Mastiches, Succin. Styrac. calamit. Thur. Sandaraci fol. Menth. Solan. Flor. lil. convall. ac salv. pulvere* fumigata calidè frequenter dextro capitis lateri applicanda, postmodum etiam sacculos è *Salvia, Majoran. Solan. Heder. terr. Melissa, serpillo, Ocymo, Flor. Chamomill. Melilot. Prunel. Ver. Bacc. juniper. Semin. Fœnicul. Carv.* concinnatos, modò siccos, modò etiam lacti incoctos, calidosque diligenter admovendos curavi: demum & alia suasi, quibus Lympham ubicunque stagnantem resolvi discutique posse credidi. Sed his omnibus nihil obstantibus, juvantibusve, tandem Abscessus extra cranium formatus, atque in interiorem Auris dextræ meatum apertus, saniem albam minùs fœtidam, nunc crassiorem, nunc aquosiorem fundere cœpit, non sine insigni dolorum mitigatione. In usu hinc sacculi in lacte decocti perrexit Æger, simul ac meo suasu *Oleum Amygdalarum amarar. Melque rosaceum* Auri sæpiùs immisit, ejusdemque cavitatem sibi extergi curavit. Reiteravi tum etiam purgans *ex massa pilul. è succino Crat. cum Mercur. dulc. saepies sublimato*: insuperque *Decoctum Lignorum atque Herbarum traumaticarum* per longum sat tempus bibendum ordinavi. Nihilominus tamen ulceris curatio protrahebatur, dumque fluxus sanici cessabat, Hemicrania statim in affecto latere augebatur, manante dein iterum pure, dolor minuebatur. Tandem verò cùm sanies per aliquot dies lentè prodiret, ac interdum prorsus subsisteret; retrò aurem tumor apparere cœpit, quotidie magis dolens, citra tamen mutatum cutis naturalem colorem: dolor verò pulsans fuit, uti in Abscessibus, locus autem duriusculus. Cogitans hinc de loci ejusdem supputatione, atque apertione, pro conciliando faciliori puris effluxu, peritum in rem præsentem vocari jubebam Chirurgum, *Dn. Joh. Conradum Zachmannum*, cujus experta manus quotidie ulcus tractaret. Accedens ergo Chirurgus, Ægrumque examinatus, mecum animadvertit, tumidam retrò & ponè aurem, cutim; ex auris cavitate tum, sicut ferè continuò manabat quædam aquosa & ichorosa materia, auditum in eadem aure penitus intercipiens: somnus à longo tempore vel perturbatus, vel nullus, vires Ægri atterebat, Dolore lateris, sive Hemicrania nunc remissiore nunc intensiore existente? Affecto lateri, minore cum incommoditate quàm sano incubuit; Appetitus valde imminutus fuit: sine tamen febri vel siti quadam molestâ. Accuratiùs verò locum dolentem examinantes, intumescentiam non levem retrò aurem dextram invenimus, quam licèt primo attactu duram ac renitentem deprehenderemus, nihilominus saniem subtus latentem continere satis animadvertimus, ichoremque ex aure jugiter profluentem inde velut ex fonte suo, scaturire conjecturavimus. Inito postmodum consilio, Abscessum retrò aures rumpendum esse conclusimus, eàque propter intus statim *Laxans ex Infus. fol. sen. atque Rhabarb.* propinatum, atque postea *Decoctum traumaticum ex Lign. & Herb. Vinc. pervinc. Pyrol. Alchimill. Beton. Ulmar. Scabios. Sanicul. Anserin. Seminib. Hyperic. Aquileg. Fœnicul.* ordinatum fuit, de quo Æger manè ac vesperi Cyathum plenum hauriret, si possibile, calidum. Externè verò tumorem retrò Aures emollire, suppurare atque aperire conati sumus primâ nocte, imponendo *Gummi ammoniacum aceto solutum*, formâ Emplastri crassioris alutæ inducti. A quo postridie statim vidimus tumorem

nonnihil

nonnihil fuiſſe auctum ; cùmque ſimul appareret mollis , adeoque ſic puris intus latentis indicia præberet, lanceolâ , à Chirurgo profundè ſatis adactâ , fuit apertus , bonamque co[...] ſufficienter materiæ quantitatem exhibuit. Ligatu[...] more ſolito cum carptis linteis ſtegnotico pulvere , ad impediendam hæmorrhagiam , reſperſis, ſuperimpoſito *Emplaſtro Diapalmo* , *atque ſacculo ex Diſcutientibus & Traumaticis adornato* , *vino ue* incocto , ad præcavendam inflammationem. Subſequente nocte Æger quàm optimè dormivit, ac poſtridie retulit , ſibi dolores inſigniter lenitos eſſe. Tumor valde minutus apparuit , ac parum ſaniei pro tempore reddidit. Immiſſo autem in ulcus ſtylo , illud ſinuoſum deprehendimus, cùmque introductum ulteriùs ſtylum ad cranium uſque penetrare , ejuſque ſuperficiem aſperam offendere deprehenderemus , protinus eò loci cariem quandam contraxiſſe credidimus , ſimul ac vulnus ampliandum magis ſtatuimus , quod cùm novâ Chirurgus inciſione poſtero mane effectui daret , iterataque operatione negotium proſequeretur, cranium tandem detexit, ſed propter obortam Hæmorrhagiam , nihil tum conſpici poterat ; quamobrem novum hocce vulnus ſtatim eâ, quâ priùs, ratione tractatum & deligatum fuit , vicinis tamen etiam partibus , *Oleo roſaceo* atque *Chamoemelino calefacto* inunctis. Sequenti die , cùm ſedata eſſet Hæmorrhagia , cranium immiſſo iterum ſtylo , exploravimus , ac prope futuram ſquamoſam in foramen quoddam incidimus, utramquè cranii tabulam pertetebrans , per quod ſtylus cautè tranſmiſſus , aliquouſque inter Meningem duram & cranium abſque Ægri dolore verſus cerebellum protrudi poterat. Cùm autem prima hac vice ſtylus paulatim extraheretur , notabilis ipſum quantitas ſeri cujuſdam flaveſcentis ſecuta eſt , quod tamen hinc copioſius adhuc emanabat , Ægro in ſtrophiolum exhibitum cum niſu ſufflante. Quo quidem ſic obſervato interrogatus eſt æger , num aliquando ictum in iſtam capitis regionem qualicunque ratione acceperit, ſed negavit , ſe tale quid intra proximè elapſos quinque vel ſex annos paſſum eſſe. Quamobrem in hanc tandem conjecturam devenimus, Hydatidem fortè aliquam in craſsâ Menynge enatam, vel Lymphaticum quoddam vas craſſiuſculo ſero nonnihil infarctum & expanſum, ſternutationis fortiore niſu ruptum eſſe, atque tantillam quantitatem ſeri ſalſioris inter cranium & Meningem effudiſſe , quòd cùm non ſufficeret ad Apoplexiam quandam , preſſione forti baſeos cerebri ac principii nervoſi , excitandam, ſatis tamen erat ad Hemicraniam , atque imbecillitatem quandam artuum dextri lateris inducendam , ſæpe enim de hoc conqueſtus eſt, quod in dextris artubus longè minùs roboris, quàm in ſiniſtris obtineat. Sed inſimul opinabamur, extravaſatum illud ſerum acrimoniâ ſuâ teneriorem cranii ſubſtantiam in loco futuræ ſquamoſæ inductâ carie perfodiſſe, ſicque facto foramine ulteriùs per exteriores partes molliores perrumpendo, Abſceſſum illum ponè aurem ſinuoſumque ulcus progenuiſſe. Ad hoc verò probè detergendum, oſſeamq; cranii ſubſtantiam ab ulteriore carie præcavendam, ſpiritus vini dephlegmatus tepidè ſub qualibet deligatione inſperſus, iodeque iterum ab Ægro aërem inſpiratum in ſtrophiolum efflante, excuſſus fuit. Vulnus autem ſive ulcus dein filis linteis carptis, *Spiritui vini, Eſſentiaque Myrrhæ* intinctis replebamus, vicinias *Oleis* ſuprà dictis illinebamus, *Emplaſtrum de Betonica* imponebamus, tandemq; omnia ſacculo ſuperiùs quoque deſcripto cephalico traumatico, in vino albo decocto & expreſſo tegebamus. Cui ſanandi methodo, cùm per plures dies, mane atque veſperi inſiſteremus, tumor paulatim omnis, dolorque ſimul evanuit ac ceſſavit, ſanies ex aure nulla ampliùs promanabat , appetitus ſomnuſque naturalis redibant, omniaque bene ſatis cedebant. Accidit interea aliquando, ut, dum Chirurgus, more conſueto, ſub deligatione *Spiritum Vini* ulceri inſpergere conabatur, nil prorſus ex ſiphone profluerer, neſciens, quid cauſæ ſubeſſet, piſtillum Siphonis fortiùs adigit, unde confertim, & impetuosè expulſus Spiritus undiquaque diff[...]batur ac penetrabat ; Ægrum quaſi attonitum ſubitò reddens, vel ita ſaltem perterritum, ut arrepto confertim ſtrophiolo totam comprimeret aurem ſum nutantem lacienı. Sed territus magis Chirurgus, qui metuebat, ne qua fortè ſpiritus per ipſum cranium, Meningeſque fortè eroſas penetrerit, Apoplexiam promptè ſuſcitaturus, Æger autem brevi caput rurſus erigens concrebatur, inſperſum Vini ſpiritum in Palatum & nares uſque penetraſſe , cujus veritatem vel ipſe Spiritus per Nares in ſtrophiolum penetrans , & odore ſe prodens, arguebat. Unde colligere neceſſe fuit, ſaniem Ulceris adhuc latentis cuniculos egiſſe , & ad meatum auris uſque penetraſſe. Ea nocte Æger, à fortiore inſperſione dolorem quendam ſenſit , qui tamen paulatim rurſus ceſſabat. Paucis hinc elapſis diebus , varia carioſi cranii fruſtula unà cum pure bene cocto, ſeroque flaveſcente prodibant ; cùmque ab eo tempore notaremus , ulceris interanea paulatim carne obduci, minoremque in dies quantitatem ſaniei profundere ; loco *Spiritus Vini, & Eſſentiæ Myrrhæ, Decoctum plantarum traumaticarum cum Tinctura compoſit. Myrrh. Aloës, Croci. Hyperic. Pyrolæ &c.* poſtea inſperſum; ſicque tandem ſpatio quatuor hebdomadarum totum ulcus perfectè ſanatum , ac cicatrice obductum fuit. Ab iſto tempore Æger in hunc uſque diem perfectâ ſanitate fruitur, recuperata[...]am in artubus dextris robore integro.

Anatomicæ inſpectiones.

Fiſtula inſanabilis ex inſpectione anatomicâ.

Filia Pictoris, Nicolai Æliæ infeſta aliquandiu acerbo lumborum dolore, incidit tandem in moleſtam Inguinis fiſtulam, quæ perenni ſuo curſu uſque eò conſumpſit tenelli corpuſculi vires, ut brevi excederit è vita.

Cujus mortis cauſam inquiſitura Anatome, invenit evidentem cariem in coſta ſpuria emittentem continenter in ſubjectas partes tantùm acrioris ichoris , ut illis eroſis prodierit inde fiſtula , ut longa & anfractuoſa , ſic eludens quamcunque opem Medicam.

Quam artis impotentiam non tarò quoque videre eſt fiſtulis prope anum exortis ; Quarum principium excurrit nonnunquam altiſſime ſive ad Lumbos, ſive Thoracis vertebras, imo interdum ad ipſas ſcapulas , quas ſcoptulæ operta vocat Corn. Celſus ; Quibus in locis equidem non ſemel offendi fontem remotiſſimarum & immedicabilium fiſtularum.

Earum inacceſſa caries , quo minus exploretur ſpecillo impedit tortuoſus ipſarum flexus : qui etiam remoratur clyſteres eluendo ulceri dicatos : Excluditque manum exenteraturam os intus vitiatum : quo tamen minùs mature ſublato , tollitur immatura morte homo, & obnixe ne à Medico ſanetur Fiſtula à remotiore

à remotiore carie originem trahens: Cujus oras licet forfice diducas & amplies (quod tamen ad cutaneas fistulas summe utile) operam nihilominus ludes, nec perveniés unquam ad remotissimum sinuosorum flexuum principium, à quo descendunt tot ramuli, & tam frequentes rivuli per profundiores musculos ac tendines, ut licet specillum vel dexterrime immittatur in tortuosam ejusmodi fistulam, neutiquam tamen attingat, nedum immutet, vel tollat cariem genuinam perennis ulceris causam. *N. Tulpius lib. 3. observ. 28.*

Ex vulnere Thoracis fistula suborta, spatio aliquot mensium pervadens ad capsulam Cordis, hujus substantiam ad fibras usque cavitatis absumsit.

Ex vulnere sterni ad quartam costam sinistra parte, suborta fistula in quodam Veronensi, cum per aliquot menses eadem laborasset, ad ejus curationem me vocavit; cujus corpore primò expurgato, nulla licet spe salutis, ratione maciei, qua confectus erat, nec non febris & virium imbecillitatis, immissâ turundâ copiosum pus eduxi, à quo aliquot post diebus syncope correptus æger vitam cum morte commutavit.

Dissecto cadavere, inveni capsulam, & fere totam cordis substantiam ad fibras usque ab ulcere exesam. Videant igitur an constare possit sententia Aristotelis lib. 3. de part. animal. cap. 4. quod cor nullum vitium grave diu patiatur; siquidem hic patiens diu vixit, quamdiu scilic. ulcus & fistula penetravit ad cavitatem aut ventriculum sinistrum ipsius cordis. *Petrus de Marchett. in observat. Medico-Chirurg. Sylloge.*

Fistula Lumbaris à rene dextro calculoso &c. cum Cadaveris Anatome.

Clariss. Theodori Zwingeri, Miscell. Curiosor. Decur. iij. Ann. 7. & 8.

Johannes Burcardus: Pannitonsor ac Civis Basiliensis, staturæ parvæ, cholerico-phlegmaticus, herniosus, *Mense Januario Anno* 1693. qui fuit ætatis ipsius circiter quinquagesimus, consilium auxiliumque meum in gravi, quo laborabat, affectione corporis imploravit. Accedens enim ad ipsum, prolixâ statim narratione mihi exponere cœpit, se ab aliquot jam retro annis, pro tenuioris fortunæ exigentiâ, Victûs ratione satis crassâ, crudâ, frigida atque salsâ uti coactum fuisse, eaque propter sæpius Nephralgiâ & Calculis laborasse, imò jam aliquoties calculos minores sabulosos cum Urinâ non sine cruciatibus excrevisse. Dum verò in Ægri præsentem magis inquirerem statum, audiebam mox ipsum de immani quodam, tensivo, pungente & pulsatorio dolore, dextra Hypochondria sub regione Hepatis occupante conquerentem: hunc verò dolorem jam ultra sesqui annum, nunc intensiùs, nunc remissiùs durantem, persensit; nunquam tamen acerbiùs hominem afflixit, quàm cùm Urinæ prodibant claræ, tenues, minùs turbidæ vel turbatæ; si verò eædem crassæ admodum ac turbidæ existebant, dolor quidem remissior evasit, neutiquam autem perfecte remisit, atq; tum Urinæ ab Ægro excretæ mediâ sui parte sedimentum efficiebant crassum, album, purulentum, sed neque fœtidum neque viscidum. Pulsus semper extitit justo debilior & crebrior: Alvus præterea quotidie respondebat, & appetitus ciborum utcunque laudabilis manebat: Sitis verò modica sæpe urgebat. Somnus fuit nec diu continuus; nec multus: vires evadebant paulatim debiliores, & habitus corporis diminuebatur. In hisce igitur cruciatibus Æger remediis non omnibus sive externis, sive internis, quibus credebatur Ulcus internum ubicunque latens extergi atque consolidari, eâdem simul operâ dolorem leniri posse, ast in cassum singula usurpabantur. Ut proin hac ratione emaciatus extremè & viribus maximè exhaustus, ultimos Vitæ halitus spirare videretur, cùm interea in loco cruciatuum hucusque perpessorum inflammatorius appareret Tumor, Abscessum penè maturum referens, atque Regionem Lumborum dextram immediatè sub costis nothis occupans. Tumor hic primò durus fuit, atque parvus, sed auctus, brevi eminentiam non levem acquisivit, molliusculam, sub quâ purulenta colluvies, admotis percipi digitis poterat. Præsente hoc Tumore, ubi pus jam alium quærebat exitum, Urinæ & parciores, & clariores mingebantur, sedimento carentes, quod jam verum præbebat affectorum antea Renum indicium. In tumente verò parte dolores acres & pulsatorii immane quantùm sæviebant, eousque donec etiam Convulsiones, sed leves primùm illas, mox verò universales graviores excitaret; quæ licèt non diu durabant, imminentem tamen mortem facilè præsagiebant, nisi anodynis citò remediis eadem anteverti, proculque adhuc arceri posset. Hoc igitur in Statu cum inviserem Ægrum, ac insimul Abscessûs valde jam conspicui locum, magnitudinem atque mollitiem conspicerem, neque tamen signa deprehenderem ejusdem sponte rupturi; proposui statim illius incisionem minimè differendam, ceu Remedium ad præcavenda majora accidentia, leniendumque dolorem præsentissimum. Sed dubius aliquandiu hæsit Æger, utrum mortem seligeret valde propinquam, vel utrum admissâ Apostematis incisione, miserioris vitæ usum diuturniorem præferret. Tandem collecto jam vacillante animo, captâque subsequuturæ incolumitatis melioris spe, præsentem Chirurgum suâ in Arte peritum Dn. Samuelem Braunium, jussi sine morâ lanceolam Abscessui infigere; quo confestim peracto, ingens puris sinceri quantitas effluxit, Ægroque levamen dolorum insigne conciliavit. Vulnus inflictum, Ulcusque subsequens pro more deligatum tractatumque postea fuit, sed, cùm sinuosum illud fistulosumque esset, nullis sive internis sive externis detergentibus, siccantibus, consolidantibus, absorbentibus atque traumaticis, quomodocunque diligenter usurpatis, sanari potuit; quin ab ipso adaperti Abscessûs tempore ad ultimos usque vitæ dies, ultra quadriennium semper, nunc purulentus, nunc aquosus, nunc etiam tantillum sanguineus ichor copiosè effluxit: sed ita tamen, ut interea redeunte appetitu integro ad vires paulatim sufficientes, & εὐχροίᾳ tantùm non prorsus sibi naturalem rursus devenerit, urinasque nunquam amplius purulentas, sed quandoque sabulosas, easque claras reddiderit. Quamquam autem Ulcus in principio statim sinuosum existeret, stylum tamen profundiùs immittere haud potuimus, propter curvitatem sinuum, in occulto decurrentium. Verosimile tamen nobis ex ulceris situ & conditione visum est, sinum illius ad Renem usque dextrum terminari, præsertim, quoniam à tempore facti Ulceris, nullum amplius pus per Urinam defluebat, quamvis largiter defluentem, & ad vesicam sine incommodo progredientem. Imò licèt interdum Fistulæ ostium, superinducta tenui membranulâ, coalesceret & clauderetur, nullum tamen ampliùs serum purulentum cum Urinâ excernebatur, sed illud omne intra sinuosos Fistulæ ductus coacervatum, dolores

prius,

prius sanissimos denuò fecit acerbissimos, eosque tamdiu durantes, donec Fistulæ orificium, disruptâ membranulâ, iterum aperiretur, liberumque puri exitum denuò concederet. Temporis hinc progressu, cùm Æger, post elapsum annum ferè semper lecto affixus teneretur, ichorosum serum paulatim subter cutim inter musculos Clunis dextri novos excavavit sinus, tandemque & ibi saecum ulcerosum fecit, quem profundius intra musculos absconditum, cùm natura aperire haud posset, scalpello itidem aperiri, pusque omne extrahi curavimus, spemque tum aliqualem concepimus, fore, ut pure jam versus musculos femoris effluxum consecuto, superius Fistulæ in lumbis orificium clauderetur, & perfectè consolidaretur; ast contrarium evenit: etenim ex utroque postea ulcere, continuè purulentus emanavit ichor, ut non tantùm commacularet, sed & insimul lecti stragula perpetuis sordibus madefaceret, citra notabilem foetorem, nisi quando diutius in talibus sordibus immundus obhæsit. Interjecto autem tempore iterum emaciari Æger, viribus exolvi, atque circa initium Anni hujus 1698. simul vomitibus affligi coepit, primum quidem continuis, cum Urinæ, Alvique suppressione, anxietate præcordiorum insigni, atque Cordis palpitatione haud vulgari: postea verò rarioribus, & neque tam crebrò, neque tam acerbè excruciantibus. Symptomata verò illa per octidui spatium continuabant, & manifesta Nephritidis indicia præbebant; ab usu autem Nephritico-Cardiacorum paulatim cessabant. Alvus denuò aperiebatur, Urinæque excerni rursus, sed modicè incipiebant, tandem & meliùs profluere: atque ita Æger ferè exanimis ad se redire paulùm videbatur: sed cùm Appetitus interea nihilominus maneret dejectus, & sitis augeretur, vomitus quoque interdum redierunt; orificia Fistulæ claudebantur, ac ne guttulam quidem Ichoris ampliùs fundebant. Tum verò inductâ noviter macie extremâ, dolores Ægrum universales, Pectoris anxietates, sicca tussis, palpitatio Cordis assidua, denique & ardor Interaneorum, cum crebris vomitibus, atque Ischuriâ novâ, adeo torquere coeperunt pertexeruntque, ut inde ad desperationem fere adactus miser, nesciret prorsus quid ageret, vel loqueretur, donec assumtâ sæpe Essentiâ narcoticâ, animi tranquillitatem rursus nancisceretur, sub qua dein ad beatam sese analysin præparabat, eamque etiam ex voto, *Die* 28. *Aprilis Anno* 1698. consecutus est, postquam suum mihi cadaver lustrandum, vivens adhuc non semel commendasset.

Itaque postridie ad Cadaveris apertionem me contuli, in lustrationis consortium admissis *Viris Juvenibus Nobiliss. atque Præstantiss. Dominis, Joh. Henrico Hottingero, Tigurin. Chirurg. & Medic. Doct. Gabriele Bely à Belfort, Curia-Rhæto, Medic. Candid. Mauritio Sutero, Zoffingensi, & Martino Bogdano Bernensi, Medic. Cultoribus.* Cadaver autem primo nobis intuitu comparuit undique emaciatum, cum Abdomine depresso penitus atque velut collapso, in cujus incisione tamen adiposam adhuc tunicam, sufficiente axungiâ repletam notavimus. Musculi quoque Abdominis haud adeò macilenti fuerunt, quemadmodum antea credebantur; imò aperto in crucem Peritonæo; Omentum neque consumtum, neque adipe, qui cineritii fuit coloris orbatum apparuit. Hepar autem justo minore nobis mole preditum videbatur; substantiæ friabilis admodum minusque compactæ, sed sideratæ prorsus, intus extusque similis, coloris variegati. Vesicula Fellis autem valde ampla fuit, bileque fluidâ quidem, sed admodum nigricante repleta. Ventriculus Intestinaque prorsus exinanita, hinc inde siderata quoque. Cor, Pulmones, Lienem, Pancreas, Vesicam urinariam omni labe carentia deprehendimus, nisi quod in dextro Cordis ventriculo, crassus satis, longeque in Venas extra Cor protensus extiterit Polypus, sine dubio Palpitationis atque Anxietatis frequentis author, quam Æger ante mortem expertus est validam. Ren verò sinister naturali multò major, in pelvi quidem concretum tenuit Lapidem, inæqualis admodum figuræ, asperum, angulatum, sabulosum, neque adhuc valde induratum, magnitudine Nucis juglandis; per ipsam verò reliquam Renis substantiam, deprehendimus haud contemnendam sabuli calciformis ac friabilis quantitatem; quæ sabulosa materia, viscido interspersa succo, & papyro ad exsiccationem imposita, in Lapides satis duros concrevit. Præterea adeò numerosæ in quamplurimis ejusdem Renis tubulis extiterunt arenulæ, ut substantiam visceris ad attactum fere arenosam redderent. Ren dexter consumptus planè, omnique parenchymate destitutus, non nisi crassas quasdam, duras atque tenaces tunicas, omni cavitate carentes, exhibuit, Integumentis Lumborum internis valde adnatas, atque intra se tamen adhuc quinque lapillos durissimos, siliceos, magnitudine Pisorum majorum continentes. Fistula autem, quâ Æger laborabat tamdiu, ejusdem Renis substantiam transibat, & ad lumbares usque vertebras progrediebatur, jam jam carie infectas, exteriùs verò transiens inter binas ultimas costas nothas, obliquo admodum ductu pertexit, ac tandem cutim in lumborum latere dextro penetravit, hincque ulteriores agendo cuniculos subter cutim divagata, plures sinus ulcerosos, inter clunium musculos deflectentes, nobis conspiciendos monstravit.

FOETOR *Narium, Oris, Pedum &c. Vid. in Morbis specialibus earum partium.*

FOETVS.

Super eô videri possunt quæ sub titulô PARTUS habentur: Hic tantùm singularia quædam afferemus de Fœtibus extra uterum locatis, ac enutritis; imò & inde per Chirurgiam eductis; nec non de Fœtû mortuô innoxiè quandoque in uterô per plures menses commorante, aliisque non minùs Chirurgo-Medico utilibus, quàm curiosis. Veniant itaq. primò historiæ plures fœtuum extra uterum locatorum, ibiq; plùs minùs auctorum, ac etiam ad plenam propè maturitatem vegetantium.

Formationum Fœtûs in Ovario Muliebri, Historiæ tres.

Historia 1.

Petitur ex Epistolâ à Clariss. Dominô de St. Maurice M. D. ad Clariss. Dominum de la Closure, apud Petrocorios Medicinam facientem, 26. April. Ann. 1682. conscriptâ.

Post id quod modò Nobili Matronæ *de S. Mère* accidit, de fœtûs in mulierum testiculis formatione, ac proinde de Ovorum existentiâ, vix quenquam dubitare debere crediderim, Vir Clarissime. Matrona illa, cujus eximias novisti dotes, cùm jam octies felicissimè peperisset, & ab annis quinque gravida non fuisset, atque propterea ejusmodi periculô defunctam se putaret; in illud iterum se incidisse ante tres circiter menses putavit: quia menstruis, quæ eam nunquam defecerant per mensem integrum & ampliùs,

& ampliùs; etsi aliàs malè non haberet, destituta fuerat. Sed cùm paulò post aliquid sanguinis ex uterò (per duos postremos vitæ ejus menses jugiter ferè, absque tamen ullò incommodò, stillaret, se prægnantem non ampliùs credebat. Vicesimâ secundâ autem hujus mensis die, postquam sana mane surrexisset, & per horam præter propter unam scripsisset, in deliquium, quò pulsus omnino supprimebatur, incidit: loquebatur tamen, & cognoscebat. Dominus *de S. Mére* deliquium illud vapori cuipiam mulieribus familiari adscribens, eò non multùm commotus est, donec attrectatò brachiò nullum invenit pulsum. Tum privatio illa, pallori lethali juncta, eum adeò terrefecit, ut emissò nunciò me festinanter accersiverit. Ad ægram circa octavam vespertinam accessi. Eam frigidam & sine pulsu inveni. Facies decolor, sudore pingui & frigidò madebat; ratione tamen & loquelâ etiamnum liberè utebatur. De vehementi dolore colicò ab inguine dextrò ad renes continuatò querebatur; & tantus ille erat, ut cùm partem dolentem tangere voluissem, ea me ne id attrectarem, præ syncopes metu, rogaret. Momentò post imminentis partûs omnia sensit præludia. Chirurgum suum vocat, atque inter ejus brachia, se peperisse exclamans moritur, nullò sanguinis effluviò, aut aliò mali ipsius status indiciò, extrinsecùs apparente. Lethum adeò inopinatum attonitos omnes reddidit, & Dominum *de S. Mére* ad cadav. ris apertionem, ut ejus causa retegeretur, petendam impulit. Dominus *la Chese*, Chirurgus ad id officii, me assistente, præstandum, elect s fuit. Domini *de Montausou*, Vetanæ Petrocoriorum Advocatus, *de la Porte*, Equus Domini Comitis *de Taleran*, *du Vair*, Pharmacopœus, cum duobus famulis, testes fuere. Apertis Abdominis integumentis, intestina omnia, parte epigastricâ, sanguini immersa visa sunt. Sanguinis illius ultrà duas libras, cochleari, ne situs partium mutaretur, extrahi curavi: ita tum prodigiosam ejusdem coagulati quantitatem, in dextò latere restitantem advertens, eum manû auferre ipse tentavi. Quali verò stupore perculsus fuerim, cùm inter priores grumos, fœtum pollicem crassitie æquantem, longitudine verò eôdem tertiâ parte breviorem, distinctè formatum, in quò sexus masculinus faciiè agnoscebatur, nudum ac sine integumentis inveni, judicet Vir Clarissimus? Fœtum hunc quadræ impositum omnibus adstantibus ostendi, atque locum unde exiverat reperiendi avidus, vicinas partes diligentissimè examinavi. Duobus digitis ab eò loco in quò continebatur, distare uteri cornu dextrum vidi. At auctus est stupor, ubi testiculum secundùm longitudinem per medium dilaceratum quâ parte tubæ non obversus est, adverti, ejusque capacitatem sanguine oppletam notavi. Ibi infantem formatum fuisse nullus dubitavi, simulq; eum, nimium in eo locò incrementum adeptum, opportunò tempore excidere non potuisse, sed tandem effractò carcere, erupisse cognovi. In meâ sententiâ confirmatus fui, cùm testiculum hunc cum sinistrò comparans, eum quadruplò crassiorem inveni, ovum enim gallinaceum crassitie æquabat; sinister verò minorem castaneam vix magnitudine suâ attingebat. Ille foris & intùs rubebat, & præterea in se sanguinis grumos continebat; at sinister pallidus & granulis, sebo luteo similibus refertus erat. Tubam dextram examinavi, nec fœtum eam unquam subiisse notare potui, quia ea sinistræ omnino similis erat. Uterum tandem accuratissimè lustravi. Is nullatenus laceratus, sed in statû merè naturali mihi visus est. Notavi tantùm eum crassiorem & molliorem, quàm in fœminis non prægoantibus inveniri solet, fuisse. Talis omnino erat, qualis ab Harvæô primò graviditatis mense describitur. Specillum per vaginam in uteri capacitatem introduci, huncque diffindi curavi, ibique ne vel minimum conceptionis indicium animadverti potuit. Membranæ interioris vasa sanguine turgida; & non parum varicosa mihi equidem apparuerunt; atque hinc dubiò procul parvus ille, de quò locutus sum, fluxus obortus est. Quanquam mortis hujus matronæ causam aliorsum inquisitum ire necesse non esset; cæteras tamen, tum abdominis, tum thoracis partes considerare voluimus, easque optimè & naturaliter constitutas reperimus, &c.

Historia 2.

Excerpta est è Dissertatione de Structurâ & Usu Uteri, quæ jam à duobus annis mihi fuit peramicè communicata à Præclarissimô Dominô Vieussens, Regis Galliarum Consiliariô ac Medicô Ordinariô, & Illustrissimarum Academiarum Regiarum Parisiensis ac Londinensis, Sociô dignissimô: quamque ego Dissertationem ultimæ Clariss. Philippi Verheyen Anatomiæ Editioni, insertam tradidi. Historiæ autem de quâ hic agitur titulus & materia hæc sunt.

Observatio Dn Dn. Montagnier, Celeberrimo Massiliensium Medicorum Collegio Aggregati, super formatione Fœtûs Humani in locò insolitô.

Mulier 30. annos nata, temperamentô siccô & melancholicô; triginta ab hinc mensibus nupta, fœlici cum succeslû ineunte mense februariô anni 1697. filiam peperit. Mense verò post partum elapsô, è domô suâ egressa, parum adhuc fluentibus lochiis, ipsómet exitûs die, horroribus internis corripitur, & biduò rursùs elapsô, in febrem continuam incidit, quam comitabatur pectoris angustia, ut & tumor durus in mammâ sinistrâ, à lacte diu intra ipsius texturam congestô ortus. Febre hâc cruciata, fuit per 20. dies: tumor autem evanuit post longam suppurationem, & ineunte tantùm Junii mense rebus domesticis vacare potuit. Interim fœtum suscepit, quamvis conceptionis illius nescia; siquidem hemorrhagiâ uterinâ laborabat vires partim frangente. Octo ante obitum diebus, animi deliquium ita vehemens passa est, ut cadaverosam faciem præ se ferret; artus summô algore fuere correpti; pulsus explorationem omnem fugiebat; totus corporis habitus sudore frigidò madebat. Ab his horrendis symptomatibus, per remedia à me præscripta, horâ secundâ pomeridianâ liberata visa fuit. Dein ordinariâ agendi methodô ad ultimum usque vitæ diem, citra ullum grave sanitatis dispendium, institit; tecidivam metuens medicamen purgans fœlici cum successû propinavi, quô exhibitô, aquas *de Meyne* dictas, manè jejunò ventriculò per biduum, potavit; appetitus vigebat, & lautò utebatur cibô; rebus domesticis ut antea vacare perrexit; sed irritis omnibus meis conatibus, die sextâ Julii mensis, anni præmemorati, horâ quintâ pomeridianâ, ingens vomitus ipsam torsit, ut & novum animi deliquium. Cardiaca remedia in usum adhibita sensus externos suscitârunt; sed facies cadaverosa videbatur, & artus glaciei instar algidi persentiebantur; pulsus digito exploranti se se quasi proripiebat; interimque summô cum virium languore de aliquibus internis conquerebatur. In cassum fuere exhibita omnis generis pharmaca, quinque enim horis post lypothymiæ proximum elapsis, vitam cum morte commutavit. Hæc tam stupenda quæ hactenus memoravi

symptomata,

symptomata, argumento mihi fuerunt, cur fæminæ illius cadaver aperiri rogaverim, eô fine ut ipsorum causas indagarem. Facta fuit apertio, me præsente, postridie mortis ejus, à Dominô Monginotiô, Lambeski peritissimô Chirurgô. Hic autem & ego arbitrabamus polypum aliquem in cordis cavitatibus oidulari: imò & in pulmone sanguinem aliquem nimis condensatum contineri. Sed nos fefellit hæc opiniô; nulla enim in hisce partibus animadversa est alteratio, quæ sub sensum caderet. Cùm verò apertus fuisset imus venter, ejus cavitatem vidimus omnino repletam sanguine, partim concretô, partim fluidô. Dum autem plenis manibus illum hinc hauriebat Dominus Monginotius, bimestrem, aut circiter, fœtum in eô natantem deprehendimos, optimè jam efformarum, cum funiculi parte majori umbilico suo annexâ, quatuor digitorum transversorum longitudine. Exhaustô totô sanguine in imi ventris cavitate diffusô, & aquâ optimè lotis visceribus, illa omnia adeò integra invenimus, ut nullum vas sanguineum in iis apertum deprehendere potuerimus. Exploratô itaque Jecoris, Stomachi, Epiploi, Lienis, Intestinorum, Mesenterii atque Renum Statû, Uterum à partibus vicinis separavimus, cum ligamentis suis & Vaginâ. Cùm verò viscus illud coram ingenti testium numerô attentissimè examinaremus, nihil in hujus naturali magnitudine, ut & in figurâ ac substantiæ texturâ; immutatum repetiebamus. Testiculus sinister in naturali existebat statû: dexter verò, qui ab uteri corpore tribus transversis digitis distabat, visus est nobis sexies sinistrô crassior; & cùm extimam ejus superficiem examinaremus, plura inter ejus binas membranas traospeximus ova, illumq; quâ parte dexteræ Fallopii Tubæ Tentorio obvertitur prorsùs lacerum invenimus. Hujus partes & vasa cùm perscrutaremur, inibi carnem quandam mollem, subrubicundam, vasculis sanguineis conspersam deprehendimus; quæ tamen album acquisivit colorem, simul ac aquâ probè fuit abluta. Caro hæc internæ ovarii membranarum superficiei ita adhærebat, ut eam pro pueruli placentulâ habuerimus. Datum Lambeski 17. Quintilis, anni 1697. *Montagnier.*

Præclarissimus postea Dominos Vieussens, Massiliâ Monspelium rediens, cùm Lambeski transiret, fœtum in præcedenti observatione descriptum, apud Dominum Monginotium asservatum vidit.

Historia 3.

Habemr in Commentariis Illustriss. Academiæ Regiæ Parisiensis, Anni 1701. & refertur à Præclarissimô Dominô Littre Academiæ illius Sociô dignissimô. Hic eteoim inter alia multa in Ovariô sinistrô mulieris cujusdam repetta, verba facit de speciali quâdam vesiculâ, quam tertiam dicit, quia de duabus aliis jam locutus fuerat; à quibus hæc ultima in eô differebat 1. quòd minoris esset voluminis, seu molis. 2. quòd per membranas vestientes non transpareret. 3. quòd in capsulâ concluderetur rotundâ, è duabus substantiis constitutâ, & per sui fundum ipsi ovario, vasculis multis, ac membranaceis fibrillis colligata. Cujus substantia exterior tertiam lineæ partem, exterior verò dimidiam, crassitie æquabat: illaq; præterea rubra & musculosa; hæc verò glandulosa & coloris subflavi erat. Tertia autem illa vesicula, præterquam quòd liquorem diaphanum ac mucilaginosum concludebat; exhibebat etiam fœtulum, lineam unam & dimidiam crassum, tres verò longum, interioribus vesicæ membranis, per funiculum tertiam lineæ partem crassitie æquantem, & lineam unam ac dimidiam longum, connexum. In quô fœtulô sensibiliter distinguebatur caput, & in capite parvula fissura, ibi loci ubi naturaliter os aperitur: ac præterea ipsô nasi locô minima eminentia, atque utrinque ad hujus latera linea insculpta; quâ oculi designabantur. In imi trunci ut òque latere aderat eminentia rotunda, mediocris aciculæ capitis crassitie: Item ad latera supremi ejusdem trunci, utrinque eminentia itidem rotunda, sed inferioribus minor: quæ eminentiæ procul dubiô rudimenta superiorum ac inferiorum artuum præbebant.

Hactenus de Ovis in ipsis Ovariis fœminarum fœcundatis ac in plenè efformatos fœtus abeuntibus, ex duabus allatis historiis satis. Jam videamus quid de iisdem ovis ex ovariis sui, excidentibus, & à naturâ suâ per tubas in uterum viâ in ipsum abdominis cavum decertantibus per alias Historias, plenâ cum certitudine pronunciare possimus.

Ex iis quæ in Theatro nostrô Anatomico, sub finem Capitis de Partibus Mulierum Genitalibus, super Matronâ Genevensi Phthisicâ, 21. Junii, ann. 1679. à nobis apertâ observavimus, abundè constat, non rarò ova ex ovariis in abdominis cavum delabi, ibique abortiva ac frustranea fieri, sive quod non satis fecundata sint, sive quòd in partes non deveniant quibus commodè adhærere possint. Verùm talis frustratio non est perpetua, siquidem illa ova aliquandò in grandiores fœtus in eô abdominis cavô enutrita fuere, ut ex sequentibus patebit historiis.

Historia 1.

Reperitur in Diariô Eruditorum Parisiensi, ex relatione Peritissimi Chirurgi Domini *Saviard*, nec non famosissimæ Obstetricis Dominæ *de Gevei* subscribentibus iisdem Solertissimis Chirurgicis Dominô *de louï*, Dominô *Hemmerez*, Dominô *Mauriceau* & aliis. In illâ agitur de Muliere, quæ postquam in maximis doloribus extincta fuisset, in suô abdomine reseratô exhibuit fœtum incorruptum, cujus sola cuticula detracta erat, cujusque placenta tam validè alligabatur mesenterio ac intestino colo à parte lævâ, ut ab hisce solis adhæsionibus difficillter admodum separari potuerit.

Historia. 2.

Refertur à Præclarissimô Dominô *Courtial*, Medicô Tolosate, in suis Observationibus Anatomicis, & hæc est. Cùm Chirurgus quidam Tolosanus accersitus fuisset pro operatione cæsareâ peragendâ in Muliere, quæ ipsô momentô extincta fuerat: incisionem suam instituit in abdominis parte dextrâ, quæ ipsi eminentior visa est, uteròque conspectô ipsum aperuit. Ille revera magnus repertus est, scirrhosus, ac quatuor digitos transversos crassus; sed cavitatis minimæ, sanguine subnigrô & grumosô refertæ, at omni prorsùs fœtu vacuæ. Cùm interea Parentes mulierem hanc gravidam esse assererent, totum ille abdomen reseravit, ac non parum perculsus est, cùm in latere sinistrô sub epiploô fœtum perfectum observaret. Itaque hâc novitate motus ad Scholam Medicam, in quâ de cathedrâ tum temporis docebam, deprecans ut ad se quantocius accederem, continuò dimisit: cùmque advenissem casum mihi exposuit. Tom ipse manum operi admovens, infantis hujus situm exploravi.

exploravi. Cubabat capite infrà positô super lumborum spinâ ad lævum latus, atque longitudine suâ tres abdominis regiones occupabat. Pedes sub stomachô ac intestinô colô, reliquumque omne corpus omentô contectum, reperiebantur. Funiculus umbilicalis ipsius collum cingebat, totumque corpus è membranis suis ac involucris excesserat. Funiculum resecui, infantulumque istum de matris sinû, in quô mox extinctus fuerat, retraxi. Observavi autem quòd ille sibi cubile quoddam depressum paraverat, ab ipsô inferioris ventriculi mediô, ad usque dimidium pedem infra renem sinistrum; quòdque ad latus dextrum intestina omnia tenuia, medium abdomen ordinariò occupantia, propulerat. Masculus erat, in omnibus suis partibus perfectè conformatus, bene enutritus, ac maturitatem nonimestris fœtûs plenè adeptus. Funiculum postea, quem in matris abdomine reliqueram diligenter perquisivi, ac secundinas reperi è placentâ & membranis constitutas. Eam autem placentam sub inferiori stomachô, ipsôque intestinô colô, vasis gastro epiploicis adhærere observavi: verùm cùm illam adhæsionem attentiùs examinare averem, illud minimè licitum fuit, quia separatio horumce corporum ab invicem momentô temporis facta est. Illud reverâ percepi, quod placenta, secundùm totam adhæsionis suæ circumferentiam humiditatibus viscosis madebat, quòdque inibi vasa sanguinea, & magis dilatata, & sanguine turgidiora, apparerent quàm naturaliter fieri solet. Interea tamen inæqualitatem aliquam notatû dignam, ac sensibiliorem in inferioris ventriculi superficie deprehendere nequivi; etiamsi hoc viscus, eâ in ipsâ parte, cui scilicet placenta adhæserat, paululum crassefactum animadverterem. Opinatus sum quòd ille fœtus ex uterô, vel ejusdem tubis perfractis excesserat, ac propterea sedulus inquisivi unde demùm elapsus esset. Uterum attentô oculô contuitus sum, in totâ superficie externâ, quam æqualem & prorsus integram observavi: ejusdem uteri cavitas iridem integra visa est, ut & tubæ ac testiculi. Hæc omnia peracta fuere, pluribus assistentibus testibus, tum mortuæ consanguineis; tum aliis, &c.

Historia. 3.

Mihi peramicè communicata est primô die Maii, anni 1714. à Præclarissimô Virô Dominô Johanne Baptistâ Bianchi, Medicô & Anatomicô Taurinensi, magnô sanè suô meritô Celeberrimô. Atque hæc est.

Angela Francisca Marona, mense februariô anni currentis 1714. suboblcuro afflicta est in abdomine dolore, ac nobis asseveravit se nonimestris graviditatis tempus complevisse. Quieverunt postea hi dolores; sed vehementiùs recruduerunt die quartâ Martii, unde se partui proximam credens obstetricem accersivit, quæ postquam eam in situ aptô collocâsset, ac manum in vaginam introduxisset, sequuta est copiosa hæmorrhagia, vomitus, cardialgiæ ac febris intensa: iisque omnibus, quod notatû dignissimum, adjunctus est dolor divulsivus in regione umbilicali. Verùm & dolores & ipsi vomitus integ è sopiti sunt, eô ipsô momentô quô fœtus vivere, seu potius moveri desiit. Interea continuò apparuit tumor in umbilicô è quô stillabat humor fœtidissimus. Chirurgus exploratô tumore ac dilatatô ejus orificiô, ex abdominis tandem cavitate, octodecim diebus postquam omnis motus intùs cessaverat, eduxit fœtum perfectæ maturitatis, cum suâ placentâ, sed membranis omnibus destitutum. Mater huic operationi decem dies supervixit, & forsitan integrè evasisset, si illa maturata fuisset, antequam scilicet corruptio à fœtû mortuô partibus sibi vicinis per longiorem moram communicata, lethalem ipsis labem impressisset. Fœtus ille ut apparuit in abdomine post mortem reseratô, superficiei omnium intestinorum incubuerat, iisque alligatus fuerat mediante membranâ, in id à naturâ efformatâ, quâ etiam prædicta intestina veluti novô ac superadditô mesenteriô invicem connectebantur; & unde fœtus alimentum necessarium trahebat. Fœtus hic, ut jam dictum fuit, naturalis erat magnitudinis, ossa cranii per putrefactionem à suis divulsa regumentis reperta sunt, cerebrumque prorsùs dissolutum.

Eadem hæc Historia fusè postea descripta fuit, Italicô Idiomate, à Petitissimô, & magni nominis Chirurgô Taurinensi, Dominô Paulô Bernardô Calvô.

Postquam huc usque per historias allatas satis consilüs de Conceptione, ac fœtuum etiam formatione, tam in ipsis Ovariis, quàm in Abdominis cavô, superest ut jam transeamus ad Conceptiones Tubarias, imò fœtuum in hisce canaliculis plenas efformationes; quod itidem pluribus perficiemus historiis.

Historia. 1.

Proponit transitum ovi ex ovariô in tubam dextram, prout describitur à Solertissimô Anatomicô & Chirurgô Gallô; Dominô Bussiére, in Epistolâ Gallicâ, Actis Philosophicis Anglicanis, mense Januariô, anni 1694. insertâ, quæque sic latinè sonat ex traductione Præclarissimorum Collectorum Actorum Lipsiensium.

Mitto Tibi, Domine, descriptionem Tubarum in uterô muliebris corporis, à me non ita pridem dissecti deprehensarum. Mulier erat juvenis, 25. vel 26. annorum, quæ non multò ante fatalem horam fœtum fuerat enixa; ut observare mihi licuit 1. ex infimi ventris cicatricibus adhuc dum recentibus. 2. Ex disruptione furcillæ, cujus cicatrix admodum erat nova. 3. Ex uteri magnitudine. Denique ex apexturâ Ovarii in latere sinistrô, ex quâ ovum quod inservierat priori infanti exierat, quæque adhuc dum lata valdè erat, & cujus extrema aliquatenus adhuc lacera cernebantur. Ea autem tametsi non longô ante tempore peperisset, denuo, seu ex libine, seu quod speraret mortem, ubi gravida facta esset, illatum non iri, cum amicô quôdam, aut fortè aliquô aliô ex iis qui in publicâ custodiâ erant congressa est, ita ut conceperit. Verùm mortis supplicium antea subiit, quàm ovum à semine virili impregnatum in uterum deferri potuerit. Eum verò, dum incisione factâ aperiissem, deprehendi tubam dextri lateris versùs extremitatem suam præter solitum distensam, quòdque ea distensio in maximâ suâ latitudine complectebatur paulò plus quàm pollicem unum in diametrô, ac versùs uterum sensim diminuta paulò ultra sesquipollicem procedebat. Ea pars hunc in modum dilatata se incurvabat, totumq; ferè amplexabatur ovarium cujus membranæ tam firmiter adhærebat, ut ab eâ non nisi vi divelli posset. Divulsa verò liquorem præbuit limpidum & pinguem, qui probabiliter isti fuit usui, ut vel membranas tubæ relaxaret, quò distenderentur commodius, spatiumq; ovulo concederetur quô in uterum progrederetur, vel fortè ut canalem illum,

ad

ad parandum ovo faciliorem transitum lubricaret, vel etiam ut utrumque præstaret. Et illicò quidem inquisivi, numquid dignosci in corpore tubæ posset, à quô liquor ille originem traxisset? Sed nihil tale in eâ deprehendi, licèt multò crassior esset solitô. Crassitudo autem illa provenerat ex ejus fibrarum intumescentiâ, quæ non minùs carnosæ erant, quàm ipsæ musculorum fibræ. Id quod sine dubiò acciderat, ut satis virium ac motûs illi parti; ad ovulum comprimendum, postquam ab ovariô separatum erat, atque illud in uterum propellendum suppeteret. Ego itaque judico, quòd liquor iste in tubâ contentus ex ovario proveniat, quòdque ex fibris, parvisque vasis lymphaticis & aliis, quæ ad transitum ovo imprægnato aperiendum rumpuntur, liquor ille defluat, adeò ut licèt laceratio ovarii vulnus sit ac symptoma, utilitatem tamen præbeat, effectusque fortean necessarios producat, seu ad primam ovi nutritionem, seu ad facilitandum ejus ad uterum transitum: ita enim natura novit cuncta ad salutarem usum dirigere. Confirmatur sententia mea ex eô, quòd in fæmellis brutorum animantium, ex quarum ovariô plura ovula simul prodeunt, maxima illic liquoris hujus copia deprehendatur. Tubâ tandem ab ovariô separata, liquoreq; delapsô, ovum apertè conspectui nostro fuit oblatum. Æquabat illud magnitudine avellanam, liquore in mediâ tubæ cavitate dilatatâ conclusô involutum. Tres hujus ovuli quadrantes jam extra ovarium per factum illic foramen exierant, & illi non ampliùs adnexum videbatur. Nihilominus tamen cùm illud auferre eniterer, adhuc adhærêre illi deprehendi per petiolum satis durum, per quem decurrebant vasa sanguinea, intra ovulum, & etiam supra illud dispergenda. Per illa vasa fœtus materiam sui nutrimenti ac incrementi recipit, non minùs in ovariô quàm in uterô, siquidem petiolus ille placentæ rudimenta procul dubiô continet; (ni eam velis in ovariô jam efformatam) ac per illum uteri parietibus adhæret. Atque hinc omnino intelligi potest quòd seminalis maris spiritus ad usque ovulum in ovariô ascendat, motumque illi ac fæcunditatem inibi concilîet. Uterum quod spectat, nulla adhuc dum sensibilis in eô advertebatur mutatio, nisi quòd humoris mucosi plusculum contineret, quod cum naturali ejus statû multùm non disconvenit. Tuba sinistri lateris naturaliter se habebat, ut & ovarium sinistrum, si eam exceperis aperturam per quam exierat ovum unde prior fœtus efformatus fuerat.

Hactenus Peritissimus Dominus *Bussiére* circa ovum fœcundatum ex ovariô in tubam uterinam delabens, quod itidem evidentissime patet ex observatione quam sub finem capitis de Mulierum partibus Genitalibus in Theatrô nostrô Anatomicô, attulimus. Hoc unum subjungimus, scilicet quòd ex magnitudine ovi à Dominô *Bussiére* descripti, atque ex vasis quibus illud ovariô adhærebat, non tantùm constet de ovô fœcundatô ex ovariô in tubam sibi per corpus fimbriatum intimè connexam decidente. Sed etiam de conceptione non parum auctâ, unde procul dubiô fœtus efformatus in spatiô ovarium inter & tubam intermediô, seu cujus placenta in ovariô, maxima verò corporis pars cum suis membranis, in tubæ introitû, extitisset.

Historia. 2.

Habetur apud Clarissimum Graeffium, & reperitur in Theatrô nostrô Anatomicô, sub finem Capitis de Mulierum Genitalibus partibus, ejusque plena explicatio traditur in illius Operis Tabulâ 78. figur. 1. ubi ex observatione prædicti Clarissimi Graaffii satis superque apparet conceptionem Tubariam illic describi, seu potiùs fœtûs in tubis efformari, ac non parum aucti delineationem contineri.

Historia. 3.

Commodè peti potest ex explicatione figuræ 3. Tabulæ 78. Theatri nostri Anatomici, nec opus est ut hîc specialiùs illi enarrandæ immoremur.

Historia. 4.

Grandiorem sistit tubariam conceptionem ex Accuratissimô Anatomicô Dominô *du Verney* petitam; cujus plena descriptio habetur in Theatri nostri Anatomici, Tabulæ 78. figuræ 4. explicatione.

Historia. 5.

Exhibet fœtum in Tubâ efformatum, atque inde matre superstite à Clarissimô Abrahamô Cyprianô, M.D. ac Anatomiæ & Chirurgiæ in Academiâ Franequerana Professore eductum. Illa autem, ipsô Celeberrimô Virô referente, hæc est, prout in Epistolâ ad Insignissimum Thomam Millington, Equitem Auratum, Medicum Regium Ordinarium, & Collegii Medicorum Londinensium Præsidem, refertur.

Cùm tuo rogatu accersituque (Vir Clarissime) calculum è vesicâ tuâ feliciter excidissem currente annô ætatis 68, Tibique post peractam operationem ferè quotidie adsiderem, ut fit, inter nos sermo incidit de rarioribus quibusdam casibus, qui inter medendum occurrerant, quique ad Chirurgiam inprimis spectabant; itaque dum inter alia tibi narrarem de Fœtû ex Tubâ Uterinâ exsectô, matre etiam nunc salvâ ac superstite; inque à me continuò quæreres, quid sit cur hanc historiam adeò memorabilem scriptis nondum mandaverim: Hoc inprimis respondebam, me, tum ob adversam, quâ duos abhinc annos usus sum, valetudinem, tum ob varias peregrinationes vix tantùm otii nactum fuisse, ut quæ jam dudum in adversaria retuleram in ordinem quendam redigerem. Statueram enim non solùm hunc casum merito inter rariores numerandum, sed & alias quamplurimas observationes & curationes Chirurgicas minùs obvias publici juris facere. Verùm cum amici quidam doctissimi à me impensiùs efflagitent, tuque potissimum Vir Celeb. auctor fueris ut hanc Historiam sigillatim typis mandarem tuo inprimis desiderio morem gesturus eam commentariolô illustratam Amplissimo tuo nomini inscriptam voveo, atque quâ soles humanitate æqui bonique consulas enixè rogo.

Atqui verò hîc interim dolendum est, Chirurgos plerosque etiam celebres & magni nominis, periculosas & difficiles operationes omni studiô vitare, haud dubie verentes si res minùs feliciter, & pro ægroti votô non successerit, ne quid detrimenti fama & existimatio apud vulgus ceperint. Hinc fit, ut morbis quotidie occurrentibus medentes, & contenti ire quâ itur, lucrum ex iis quærant unde minus est invidiæ & periculi, difficiliora verò omnia recusent, nimium forsan illius memores quod in

ſcholis inculcatur: *Incurabiles non attingendi, ne ars diffametur*. At ſi quæ difficiliora ſunt animoſiùs aggrederentur, profectò multos à faucibus orci ereptos, vitæ valetudinique optatæ reſtituerent, quos abſque omni ſpe & ſolatiô deſerunt & inſanabiles ſatis temerè aliquando pronunciant. Horum uti plurimis ſaltem videbatur, inſanabilium, tum in Patriâ tum hic Londini à me feliciter, Deo annuente, reſtitutorum, exempla non pauca, Tibi Vir Excellentiſſime, haud ignota ſunt. Quod non ideò hîc memoro ut inanem gloriam aucupari videar, ſed potiùs ut aliis calcar & ſtimulum addam. Et profectò quantùm inter revera incurabiles morbos & tantùm putatitios interſit, vel unicus hic caſus palam omnibus faciet.

Uti verò corporis humani fabrica jam *perfecta* & numeris omnibus abſoluta meritò omnes naturæ ſcrutatores in ſui admirationem rapit, ſic eadem dum *in fieri* eſt, hoc eſt hominis generatio, ſummi videlicet Protoplaſtæ opus ſummum, mortali intellectui imperſcrutabile, multò magis & attentionem & admirationem noſtram meretur; inprimis ſi devium, extraordinarium & anomalum ejuſdem modum, eumque ſæpiùs vel matri vel fœtui, vel utrique ſimul funeſtum ſpectemus. Quamobrem & ſi quas in materiâ adeò obſcurâ & difficili conjecturas offeram cenſoribus quibuſdam malevolis minùs probatas iri non dubitem, ſpero tamen me apud æquos rerum æſtimatores veniam facile impetraturum. Cùm enim de accretione fœtûs hiſtoria adhuc manca ſit, & à nuperis etiam Anatomicis penè intacta relinquatur; nec non in iis quæ ad humorum theoriam & ad oſſificationem ſpectant coactus ſim *Avia peragrare loca vix ullius ante pedibus trita*; Ecquis in re tam arduâ demonſtrationes à me exigat? Si probabiles rationes & veriſimiles conjecturas proponam, ſi denique quod dubitanter tantùm adduco, Tibi & reliquis cordatioribus viris, quibus *de meliori lutò finxit præcordia Titan*, non diſplicuiſſe ſciam, erit quòd mihi multùm gratuler.

Die 17. Decembris annô 1694. vocabar Franequerâ Leovardiam inviſurus uxorem Henrici Levvis ſub ſignô Capitanei Peterſon militis Prætoriani *Hermentie ten Boom* vocabulô noſtrô belgicô appellatam Hæc annos circiter 32. nata, & ceſſantibus menſtruis jam tertiùm imprægnata ad nonum uſque menſem ſe experta eſt, quô ad omnia ingravidationis ſigna in eôdem ſtatû ac dum alias uterô gereret, hôc unô exceptô, quòd totô illô tempore nihil lactis in mammis apparuerit. Moleſtior etiam ipſi videbatur & inſolita geſtatio, inprimis cùm fœtûs vivacis motum fortiorem & auctum perſentiret: Crevitque maximè moleſtia geſtationis, cùm locô non conſuetô ſed paulò altiori ſitum eſſe fœtum deprehenderet, ubi verò inſtaret parturiendi tempus tum magnos dolores ſenſit, tum etiam motus in fœtû vehementiores, adeò ut jam partus appropinquare videretur: verùm omnia irritô prorsùs ſucceſſû. Nam præter crebras & magnas inſuetô in locô motiones, nullus fœtum egerendi conatus adfuit; neque ulla Aqua Amnii effluxit. Exinde omnis ſpes partûs legitimi evaneſcebat, & ceſſante tunc omni fœtûs motû, ac paulatim meliùs ſeſe habente ægrâ, fœtum in hôc inſtanti fatô ceſſiſſe non eſt quod dubitemus.

Elapsô menſe decimô fluxerunt de novô menſtrua, per totam geſtationem ſuppreſſa, neque jam ampliùs motus aliquis in fœtû deprehenſus, ſed pondus tantùm iners & incommodum. Hæc indies augebatur moleſtia, ſed præcipuè circa menſem decimum octavum ea fuit ſymptomatum ingraveſcentia ut lectô decumbere Mullercula cogeretur. Paulo poſt de dolore acutô circa umbilicum parteſque vicinas conqueri cœpit; Huncque dolorem duabus ſeptimanis ante fœtûs extractionem ulcus fungoſum in regione umbilici ſubſequebatur. In conſilium vocatis Medicis ac Chirurgis in varias itum eſt ſententias. Aliqui fœtum in uterô latere putabant repugnantibus aliis, quidam de Hydrope; quidam de excreſcentiâ internâ loquebantur.

Menſis erat à primâ conceptione vigeſimus primus, cùm ego advocabar Leovardiam, comitante Cl. Collegâ P. Latané Medicinæ practicæ Profeſſore nec non quibuſdam Academiæ Franequeranæ ſtudioſis, qui unà cum Celſiſſ. Principis Naſſoviæ Medicô primariô ac Chirurgis, & N. Simonide Chirurgô ægræ clinicô operationis inſolitæ, ac præſertim eventûs feliciſſimi teſtes fuerunt.

Ego cùm primùm ægram conſpexiſſem, & tam præteriti quàm præſentis ejus ſtatûs circumſtantias omnes ad examen revocaſſem, eam fœtum mortuum geſtare aſſerere non dubitavi; neque defuerunt ſigna aſſertionis meæ veritatem demonſtrantia. Dum enim attentiùs omnia rimarer; deprehendi ventris intumeſcentiam inferiùs paulò in acumen deſinentem, & corpus gravidum minùs tamen tenſum æmulantem. Inſuper compreſsò fortiter utrinque ambabus manibus abdomine magnam ſenſi duritiem, quæ ad Peritonæum uſque pertingebat. Hæc autem durities evidenter magis obſervabatur circa ulcus inferius, quod fungoſum exiſtens ſtilum facile admiſit, quô durum quid attingere mihi videbar. Hinc dilatatô tantiſper orificiô, digiti minoris apicem immiſi, eôque fœtûs os parietale me contingere mihi indubitanter ſuadebam. Ex iis audacior factus, & de ſitû etiam ſecurus fœtum in tubâ dextrâ uteri latere, nullâ morâ pronunciavi, ægramque admonui, ſi ſectionem admittere vellet, ſpem adhuc aliquam ſalutis ſupereſſe, cùm cæteroquin mors miſeranda eam præſtolaretur. Ipſa interim jam ſeſe movere non poterat, aut alimenta capere, verbô morti vicina: itaque admonitioni meæ faciles præbuit aures, atque conſtanti animô ſe quodlibet paſſuram dixit, ut quamprimùm fœtus eximeretur. Omnibus igitur ad exciſionem paratis ægram cum lectulô in mediam cubiculi partem deferri juſſi, ut non ſolùm utrinque famulis auxiliatrices manus porrigentibus locus foret, ſed etiam ut eò facilius omnibus copia fieret novi hujus ſpectaculi. Et ut obiter hoc notem, cùm ego non incurvatus aut ſedens, ſed pedibus ſtans atque erectus, operationes Chirurgicas majoris momenti peragere conſueverim, utpote quod convenientiſſimum in ſimilibus caſibus multoties expertus ſim, lectum in quô ægra decumbebat ita elevari juſſi, ut pedibus inſiſtendo ſectionem commodè inſtituerem. Deinde hôc modô procedebam.

Introductô per ulcus ſtylô abdomen à latere dextrô aperui, ac indicem digitum immiſi: ubi verò me intra tubæ fallopianæ cavitatem perveniſſe deprehendi juxta rectitudinem lineæ albæ, forcipe ſupra digitum poſitô deorſum versùs ſciſſuram feci, quantam unâ vice poteram. Tunc fœtus illicò in conſpectum venit iſque juſtæ magnitudinis. Hunc ut faciliùs abſque ullâ vi eximerem, aperturam utrinque produxi ad pedalem uſque longitudinem, manûque ſiniſtrâ leviter premendô inteſtina, aliàs operationem turbatura, ſi motû diaphragmatis extruderentur, in cavitate detinui, ac fœtum abſque multô negotiô integrum extraxi. Quin etiam in majorem cautelam, ne inteſtina delaberentur, ægram ita collocaveram, ut ſuperiores corporis partes ali-

quantulum

quantulum essent depressæ; imò in eôdem hoc ferè sitû permansit Mulieruncula, donec prorsùs convalesceret ad vitandam scilicet Herniam ventralem.

Factâ verò incisione caput fœtûs primò sese ostendebat pedibus versùs Diaphragma extensis, Mediante Placentâ tenui admodum & maximâ ex parte consumptâ funiculus umbilicalis tubæ fallopianæ etiamnum adhærebat, uti mihi ulteriùs apparuit cùm eam à tubâ digitis decorticatam egressissem. Hujus autem cavitas undique mucagine quâdam obducebatur, materiam purulentam æmulante: Verùm illæ propius examinata non pus sed residuum aquæ amnii fuisse deprehendebam: utpote parte nullâ interiori exulceratâ, ac materiâ nullô pactô fœtidâ existente.

Vacua jam infantis cella nobis se in conspectum dedit peramplâ cavitate magni instar marsupii, latè patens. Hinc operæ pretium duxi spectatoribus demonstrare eam partem, unde fœtum extraxeram, peritonæo adnatam ita fuisse ut una quasi videretur membrana: Deinde partem hujus facci inferiorem dextro lateri Uteri circa fundum affixam fuisse; qui tubæ locus cùm sit, atque nulla alia reperiretur, manifestum fuit in tubâ dextrâ fœtum hæsisse. Datâ etiam copiâ uterum ipsum inspiciendi ac contrectandi, illum in statû naturali constitutum cum ovariô ac sinistrâ tubâ prorsùs illæsis jucundum fuit omnibus ostendere. Hisque conspectis non vanô auguriô, prout eventus docuit, pronunciavi, si modò ægra sanaretur eam denuò impregnari posse.

Sed ut historiæ finem faciam; madefactam aquâ tepidâ spongiam in cavitatem immisi, eâque mucaginem omnem abstersi. Tum probe mundatum vulnus acu curvâ quatuor in locis æqui-distantibus consui, comprehensô, præter integumenta & musculos, ipsô peritonæô. Duplici autem utebar filô cerâ illitô; imò ut firmior esset futura, laminam ligneam linteô obductam quâ securiùs ora vulneris occluderentur toti incisioni ab utrôque latere applicavi, ac fila supra laminas, sed non arctè ligavi. Ab eâ ligaturâ majorem quàm à totâ operatione dolorem passam se fuisse dicebat ægra, quę alioquin vix de acutô dolore conquesta est. Cæterùm juxta inferiorem partem vulneris aperturam reliqui, eique turundam ingessi, ut materiæ omni secernendę exitus pateret.

His feliciter absolutis diætam tenuem ac convenientem præscripsi ex liquidis euchymis, &c. & postquam inter me & N. Simonidem Chirurgum ęgrę clinicum de methodô ægram tractandi convenisset, reliquum curationis ipsi commisi. Paruit omnibus ægra, & sese obsequentissimam præbuit, summopere gavisa eò usque perductam esse operationem. Exinde sensim indies meliùs se habuit vires etiam acquirens. Præter Chirurgum quotidie eam invisit D. Pottius Sereniss. Principis Nassoviæ Medicus; quin & liberalitate Celsiss. Principissæ ex ejus culinâ ægrę alimenta subministrabantur. Ego sæpiùs & pro rei necessitate ad eam accessi, & expertus sum, Vulnus illud ordinario prorsus modô sanatum, nempe separatione parietis interioris tubæ Fallopianę. Quodcunque excernebatur non tantùm per orificium inferius effluxit, sed etiam per interstitia suturarum. Separatio autem facta fuit non tubæ totius sed membranæ solummodo interioris. Exterior paulatim sese contraxit, & loco incisionis peritonæo coaluit, ac duritie suâ cartilaginem æmulabatur; id quod vulnere nondum clausô digito persentire facilè poteram.

Sic post sectionem quodammodo Cæsaream convaluit hæc mulier, & tertiô ab operatione mense 17. nempe Martii 1695. domô exivit. Eainde bene se habuit & huc usque hilariter & pancratiçè vivit.

Postremò ne quidquam desit casui huic extraordinariu, postridie Kalendas Januarii 1696. filiam feliciter peperit, iterumque subsequente anno 1697. gemellos filium & filiam enixa est, maximô indiciô, sicut antea monui, tubam sinistram integram prorsus, & absque inflammatione remansisse. Quô pactô autem inflammatio post difficilem partum excitari, ac tubæ orificium occludi possit, ex subsequentibus palam fiet.

Ad majorem rei fidem atque certitudinem fœtum ipsum nunc ante quinquennium extractum; quem in liquore Balsamicô etiamnum integrum servo, curiosis omnibus & rarioratum studiosis ostendere paratus sum. Iconem interim hic subjungo, quam vide in Theatri Anatomici Tab. LXXVIII. fig. 2. Fœmella autem fuit, eaque ut antea dixi justæ magnitudinis. Mirum est profectò per duodecim menses absque putredine cadaver illud in tubâ latere potuisse; exceptô enim capitis latere sinistrô ejusdemque lateris humerô, quæ partes cùm è regione ulceris sitæ essent jam à materiâ purulentâ corrodi cœperant, reliquum corpus adhuc integrum conspiciatur.

Cùm E istolæ hæc de materiâ non adeo communi, sed rariore & verè extraordinariâ tractet; non abs re fore arbitratus sum, partes ejusdem aliquas, quæ majoris esse momenti videntur, ad examen revocare, symptomatum quorundam rationem subjicere, & nonnullis hujus Epistolæ articulis, commentarioli in modum, ulteriùs immorari.

Exempli gratiâ.

Quòd totô gestationis tempore nihil lactis in mammis perceperit.

Plurima non tantùm ipsi vulgo, sed & aliis Medico-Philosophis præconceptâ opinione laborantibus videntur esse absurda; eaque imprimis quæ ad statum gravidarum & puerperarum pertinent: quæ tamen si accuratiùs examinentur, reverâ non absurda, sed potiùs verisimilia & rationi consentanea videbuntur.

Sic in præsenti casû vulgo incredibile esse videtur, fœminam fœtum vitalem uterô continere, & tamen lacte semper carere, fovente hanc opinionem eorum hypothesi erroneâ, qui lac è mammis ad uterum pro fœtû nutriendô confluere statuunt, vel qui ex sanguine menstruô retentô lac generari credunt in mammis; adstipulanteque quodammodo huic dictæ opinioni falsò, vel non satis intellectô Aphorismô Hippocratis Sect. 5. 39. ubi inquit: *si mulier quæ neque gravida est, neque peperit, lac habet, ei menstrua defecerunt*; Item aliô Aphorismô Sect. 5. 37. ubi inquit Cous senex: *si mulieri uterum gerenti mammæ gracilescant, abortit.* Quia (inquit *Entius* statuens lac è mammis ad uterum ejusque membranam Amnion fluere. Apolog. Digress. 5.) nihil alimenti fœtui suppeditari potest, qui hâc de causâ tunc moritur & per abortum ejicitur. Sic vulgus menstruorum suppressionem in corruptis, signum ingravidationis esse putat: Si motus infantis non percipiatur, ejusdem mortem significari: partus Octimestres non vitales esse pronunciat, & multa alia, quæ tamen ratio & experientia clarè satis refutant. Rationibus adducendis & exerciendis inhærere nimis prolixum esset, eæ enim suô locô apud Auctores videri possunt: quid ab experientiâ nobis constet, satis patebit, si saltem Virorum & Virginum lactiferarum exempla consulamus: Ex his enim Aphorismum

ritimum adductum Sect. 5. 39. apertè deprehendetur non esse utrobique verum, Aphorismum autem posteriorem citatum ex Sect. 5. 37. non semper experientiæ respondere, inter alios casus, historia ex relatione Viri cujusdam curiosi & fide digni mihi communicata palam facit. Noverat (inquit is) nobilem puellam, quæ deflorata & etiam ingravidata à suô amasiô, per omnis generis remedia sibi à veneris suppeditata, Cathartica, inquam, imò & venæsectionem profusissimam abortum facere conabatur, mense gestationis ferè quintô: donec tandem eò res devenerit, ut motus infantis, non ampliùs perciperetur, & pubi moles incumberet iners plumbei ponderis instar; mammæ conciderent, lac disparerent. Hinc fœmina suspensô jam atque anxiô animô, & de fœtû, uti putabat, mortuô excludendô sollicita, consilium auxiliumque Medici expetebat, apertè scilicet atque ingenuè confessa suos conatus, quibus usa est ad fœtum enecandum, Ego itaque (pergit ille) jussi ut cibis euchymis & spirituosis reficiatur, porrò ut quieti indulgeat & denique abstineat ab omnibus Catharticis & evacuantibus: quô factô infans denuò se movere cœpit, & decimô mense feliciter in lucem prodiit. Ex hôc casû edoctus sum (inquit) & mammarum concidentiam & lactis absentiam, & motum infantis abolitum non usque vera esse abortus, (juxta Aphorismum citatum) vel fœtûs mortui signa, atque ex iis nihilo plùs certò argui aut indicari, quàm fœtus languorem & imbecillitatem.

Ut vel hinc pateat falsam esse veterum opinionem, quæ decrevit ex sanguine menstruô retentô lac generari, fœtum lacte nutriri, nec non lactis defectum abortûs esse causam, atque etiam lactis in mammis præsentiam, menstruorum absentiam necessariò arguere. Experientiâ enim constat, fœminas præ terrore vel aliâ quacunque causâ subitaneâ abortum passas, lacte non privari; Et quamvis mulieres, quæ præ solâ debilitate abortiunt, lac non percipiant generari in mammis, inde adeò hoc fit quod eadem fit causa debilitatis ac consequentis abortûs, quæ simul lactis generationem impedit, nempe ariditas quædam & inopia succorum omnibus corporis partibus necessariorum.

Quæ ratio autem in præsenti casû sit, quòd fœmina totô ingravidationis seu gestationis tempore nullum in mammis lac senserit, id videtur ad connexionem quandam intimam & sympathiam uteri cum mammis referendum. Nam antehac bis puerpera cum in uterô ipsô fœtum gereret lac ipsi non defuit, quô nunc dum fœtus in tubâ hæreret prorsùs caruit. Itaque mihi videtur ad lactis generationem ejusque incrementum & copiam hoc multum contribuere, quòd uterus, imprimis circa finem gestationis, in tantam molem extendatur, ut vasa ad inferiora tendentia magis solitô inde comprimantur, iisque compressis sanguinis fluxus versùs superiora uberior ascendit: sanguine autem copiosiùs affluente major etiam secretio in mammarum cellulis adiposis pinguedinem, & in aliis glandulis lympham separantibus oritur, eaque ipsa secretio vasa magis aperta & ad separationem magis prona reddit, accedente suctione, frictione, & imaginatione matris lactantis circa mammas defixâ, quibus concurrentibus semel aperta & dilatata vasa in statû solitô conservantur, etiam uterô jam concidente & vasis non ampliùs compressis. Hôc, inquam, assertô facilè apparet ex quâ causâ in præsenti casû lactis defectus oriretur; nimirum quòd fœtus in tubâ hærens & consequenter à latere situs, vasa sanguinea, versus inferiora tendentia more solitô non compresserit sanguinisque fluxum versus superiora solitô majorem non effecerit. Et verò quemadmodum secretio lactis à compressione arteriarum, sic in gravidis intumescentia pedum à venis simul compressis oritur, unde major sanguinis remora circa glandulas & major secretio: præcipuè in cellulis adiposis, ubi ille tardior sanguinis motus superiora versus in causa est quòd locô pinguedinis, in istis cellulis, lympha secernatur, sicuti tardior motus sanguinis generalis causa est secretionis lymphæ in cellulis adiposis per totum corpus, uti patet in Anasarcâ.

Dari quidem lac in mammis extra statum ingravidationis & potest & solet; hinc dantur non solùm Virgines & Vetulæ lactiferæ, sed & Viri lactiferi. Notabilis in hanc rem historia est quam recenset Cl. Diemerbroeck lib. 2. c. 2. Anatom. *Illud ipsum (inquit) liquet Vianæ (quæ est oppidum nobis propinquum) ubi ante annos triginta, præterpropter in diversoriô ante portam sitô, cui caput porcinum pro insigni est, mulier caupona, non diu post obitum mariti peperit, atque statim post puerperium extincta est superstitem relinquens infantem suum sanum: cùmque illi res angustissima domi superesset, ejus mater nominata Johanna Wijltuyt, etsi & ipsa egena præ paupertate nutricem conducere non posset, tamen infantis filiæ suæ misera, eundem enutriendum suscepit, ætatis suæ annô sexagesimô sextô; cùm, inquam, eum vagientem, summâ cum commiseratione, mammis suis aliquoties apposuisset, eique papillam sugendam obtulisset, per fortem illam imaginationem, continuatam etiam suctionem, & contrectationem, mammæ lac dare cœperunt, idque paucis diebus tantâ copiâ, quæ nutriendo infanti abundè sufficeret, ita ut vix aliis alimentis indigeret: atque sic cum omnium admiratione infans lacte hujus vetulæ (cujus mammæ à plurimis annis omnino exarnerant & conciderant, jamque rursus, tanquam juvenculæ de novò intumuerant) optime nutritus fuerit. Causa prædicta veritatem etiam non semel confirmarunt lascivæ ac prurientes virgines, quæ libidinosis cogitationibus totæ intentæ, atque tunc mammas suas sæpe contrectantes, ac cum villosô pruritû fricantes, interdum virginitate illæsâ, lactiferæ evaserunt, quales indubitatæ pudicitiæ lactiferas virgines mihi bis videre contigit.* Hæc prædictus Cl. Diemerbroeck. Viri autem lactiferi hodie adhuc mihi noti, apud nostrates suppetit exemplum. Hic, inquam, alioquin satis obesus & pinguis (in macilentis idem contingere vix possibile est propter humorum defectum) continua illa pressione mammarum ita easdem partes assuefecit ut lac funderent quoties voluerit, sæpe cum adstantium mulierculaturn risu & admiratione. Est in omnibus his una eademque generationis lactis ratio, & partes ad generationem lactis necessariæ ubique eædem, nempe cellulæ adiposæ pinguedinem per structuram suam glandulosam à sanguine separantes, & glandulæ lympham ab eôdem secernentes (statuimus enim lac nihil aliud esse quàm mixturam pinguedinis cum lympha) ubi solummodo requiritur tanta istorum duorum humorum secretio, ut omnis quantitas quæ separatur eôdem tempore in sanguinem iterum non possit reduci, & cogatur per papillarum tubulos, dum abundat, foràs effluere, aut saltem si tantâ copiâ non adsit, ut multò faciliùs exprimi possit.

Hæc interim omnia non obstant, quin simul vasorum sanguiferorum uteri compressio supra allegata sit vera & sufficiens causa ad lactis generationem tempore gestationis. Possunt enim & solent sæpiùs dari plures causæ homogeneæ, subalternæ, coadjuvantes & ad unum eundemque finem tendentes, neque sibi mutuò contrariantes.

Fœtum

Fœtum in tuba repertum iri.

Postquam magna illa Analogia observata fuit inter partes generationi inservientes ipsius hominis & aliorum oviparorum, fœtusque in tubis hærentes sperfis cadaveribus sæpius reperti sunt, (quod & in hôc casû in muliere vivâ licuit videre) nullus est, qui amplius dubitat tubas uteri esse ductus per quos fœtus ab ovariô ad uterum transit; sed quæ sit causa cur fœtus jam in tubam illapsus non semper ad uteri cavitatem usque protrudatur, sed aliquando in tuba hæreat & quidem ibi debitô incrementô augeatur, id quidem examinare operę precium duxi. Hujus itaque rei duplicem statuimus causam, naturalem nempe & accidentalem. *Naturalem* illam nomino, ubi tuba viriô connatô maiæ conformationis non sit pervia circa uteri introitum, & sæpe adeò angusta, ut ne quidem flatus circa extremitatem fimbriatam immissi penetrare, & ad uteri cavitatem procedere queant. *Accidentalis* illa est, ubi à casû aliquô, v. g. post partum difficilem, vel aliâ quâcunque de causâ, tuba inflammatione correpta est, unde ejus insertio coaluit, transitusque ad uterum interceptus fuerit. Omnes enim partes & præcipuè canales atque ductus corporis nostri, ubi privantur humore eos naturaliter humectante coalescunt. Sic etiam tuba Fallopiana constans tunica interna glandulis referta, eum in finem ut è glandulis hisce continuò, exudante liquore conglutinatio præcaveatur & ductus suus lubricus reddatur, atque sic ovis in eandem devolutis facilis in uteri cavitatem pateat transitus: si, inquam, in tubâ dictâ casû aliquô & violentiâ externa inflammatio oriatur, per inflammationem hanc secretio glandularum debita impeditur & sic coalescentia oritur. Casus autem similis ex violentiâ externâ sæpe numerò accidit illorum culpâ, qui manus auxiliares parturientibus præbent, præcipuè ubi placentam magis solitô adhærentem per funiculum umbilicalem avellere conantur, ignari interim quis verus sit & maxime idoneus separandi modus. Hinc fit ut totum uteri fundum violenter interdum trahant, & consequenter tubis simulque aliis annexis partibus vim inferant; unde necessariò sequitur inflammatio. Inflammationis autem effectum esse coalescentiam, observatio haud dubiè illi quibus licuit plurima cadavera aperire; sic semper videmus post pleuritidem pulmones eô loci pleuræ adnatos, ubi pleura inflammatione correpta fuit, sic post frequentia tormina ventris intestina sibi invicem & cum peritonæô sæpius coalescunt. Ratio ubique eadem est, nam sicuti pleuræ ita etiam peritonæi facies interior multis gaudet glandulis, quæ continuò partes irrorant, hinc dum vel pleura vel peritonæum inflammatione corripiuntur, nihil hujus humoris necessarii debitè constitui à sanguine separatur & consequenter partes, ob defectum irrorationis atque lubricationis debitæ, mediæ collabuntur & coalescunt. Idem est de omnibus cavitatibus nostri corporis judicium.

Tubas autem Fallopianas non solum circa uteri introitum claudi & cohærescere observamus, sed etiam circa extremitatem earundem fimbriatam, & magis apertam: Id quod licuit mihi observare in fœminâ quâdam, quæ cùm quartâ jam vice pareret, ex difficili partû, sed multò etiam magis quòd ab imperitâ obstetrice dum Placentam paulo arctiùs Utero adhærentem extraheret, violentissimè tractaretur, in tantos dolores infimi ventris ac præcipuè circa lumbos incidit, ut totos 15. dies jaceret moribunda & pro deploratâ haberetur, verùm ipsa fatis robusta cùm esset & doloribus ferendis par, adhibitis opportunis remediis, præter spem & exspectationem omnium feliciter evasit, & decem post annos superfuit; circà lumbos autem insignem debilitatem semper sentiebat, & exinde sterilis permansit. Ejusdem hujus fœminæ, tandem mortuæ, cadaver cum mihi fortè fortuna liceret aperire ut subitaneę mortis causam inquirerem; hanc interim notatu dignam sterilitatis causam inveni nempe coalitionem extremitatis fimbriatæ tubarum, ortam ab inflammatione quâ partes utero contiguæ correptæ sunt post partum ultimum laboriosum & malè administratum.

Ex hôc & similibus casibus abundè liquet, quàm exitiosum sit in partû difficili obstetricibus uti imperitis, aut etiam Medicis vel Chirurgis non satis exercitatis: cùm Patientes, etsi fortè superstites maneant, hujusmodi accidentia, & quandoque etiam pejora ad mortem usque comitari soleant. Porrò ab hâc male administratâ operatione alia adhuc Tubis imbecillitas accidit, quæ applicationem partis fimbriatæ ad ovarium impedit, & propter quam Ova nequeunt ad uterum usque protrudere; paralysis nempe fibrarum motricium exteriùs Tubam amplectentium earumque motui peristaltico inservientium. Hæc, inquam, ab enarratâ jam causâ facillimè oboritur, nempe ubi nervi in parte inflammatione correptâ concrescunt, & inutiles redduntur.

Perspectis jam causis quarum ratione quandoque fœtus in tuba hæreat neque ad uterum progrediatur; reliquum est ut paulisper expendamus quomodo fœtus interiori tubarum tunicæ suâ cum placentâ affigatur, ibique æquè ac in uterô suum acquirat incrementum.

Id quod ut faciliùs intelligatur, primò opinionem meam quomodo id ipsum in uterô contingat tradam, ac tandem analogiam inter uterum & tubas demonstrabo: ubi satis clarè elucescet modus incrementi fœtûs in tuba. Postquam ergo tot Viri illustres circa enodandam generationem hominis in ovô laborarunt & illam satis clarè demonstrarunt, nullus videtur dubitandi locus ampliùs restare, cùm manifestum sit, fœtum in ovô omnibus suis partibus absolutum & quidem membranis cum placentâ munitum, (quoad primam Ideam & delineationem in germine hæc intelligo) ab Ovariô per Tubam Fallopianam ad uteri cavitatem protrudi, ibi remanere & incrementum suum habere. Hoc autem incrementum Ovo accedere ab ipsô locô cui ad incrementum Ovo accedere ab ipsô locô cui adhæret, seu uteri ipsius, seu tubæ, inde sequitur, quia illud Ovum non tantùm substantiæ in se continet, quanta requiritur ad nutritionem increscentis fœtus, cujus contrarium quidem observare est quotidie in ipsis propriè oviparis, quorum ova tantum spatii continent, quantum toti materiæ sufficit quę in incrementum pulli in cicatriculâ hærentis converti debet. Ut ergo Fœtus ab Uterô recipiat humores ad sui incrementum necessarios, debet illi quasi affigi & ut ita dicam quodammodo inclavari, adeò ut deinceps efformentur tubuli aut continui ductus ex uterô in fœtum, quibus mediantibus humores, imò ipse sanguis tandem communicentur.

Quâ autem ratione illud fiat demonstrare, *hoc opus hic labor est*. Et certè dolendum est à cadaverum apertione populum usque adeò abhorrere ut non liceat satis frequenter inspicere ac perscrutari corpora mortuorum imprimis verò gravidarum. Neque enim dubito quin multò plura circa generationem possent detegi, si frequentiùs prægnantium cadavera liceret examinare,

examinare, & præcipuè quidem abortientium, vel aliô quôcunque morbô ad uterum gravidum spectante extinctarum. Plerumque enim partium structuram meliùs observamus in corporum statû præternaturali ac morbosô quàm sanô: cujus exempla hîc plura possent adduci; sed ad rem. Itaque videtur esse explicatu admodum difficile quomodo ante dicta illa insitio sive inclavatio placentę in uterô fiat. Sententiam autem meam super hâc re breviter in sequentibus explicabo. Atque imprimis experientiâ teste videmus, postquam ova aliquot dies nondum utero alligata, sed libera ac mobilia fuerint, eorum superficiem externam, præcipue locô placentæ, villosam fieri, ipsisque filamenta quædam fluctuantia, levissimi musci ad instar, adnasci; quæ quidem filamenta, intra superficiem antea compacta, ubi ovum ad majus spatium, uteri nempe cavitatem pervenerit, humiditate ibi contenta lubricantur & quasi evolvuntur ac extricantur. Eadem hæc filamenta pro tubulis esse habenda arbitror ad humorem percipiendum apta, instar tenuissimarum fibrarum in radicibus humores nutritios è terrâ ad corpus plantæ vel arboris deferentium: illos autem tubulos recipiendis humoribus necessariò inservire qui in superficie internâ uteri glandulosâ naturaliter secernuntur: Tunc præcipuè ubi ovum motû intrinsecô humorum in se contentorum in tantam magnitudinem excrevit, ut latera vicina uteri premat, utpote quorum interna cavitas fabæ majusculæ dimensionem ordinariò non excedit. Ex hôc mutuô attactu, non sine aliquâ compressione, fit ut superficies externa Ovi quasi detractâ pelle, præcipuè locô placentæ; superficiei internæ uteri agglutinetur, & tubulorum in ovô hærentium pars aliqua (nempe quæ ad hanc rem satis sit) cum poria secretoriia glandularum in internâ facie uteri consitarum uniatur, tandemque continui ductus fiant: eodem planè modô quô videmus coalescentiam aliarum partium contingere: ex. gr. malarum cum gingivis ubi earum alterutra est ulcerata vel excoriata; (Id quod semper accidet hôc in casû, nisi frequenti lotione impediatur continuus ille contactus) sed hisce diutius immorari supervacuum est, cùm ex pluribus in Chirurgiâ hujus generis exemplis idem elucescat. Hæc verò filamenta vel tubulos, venas placentæ ad venam umbilicalem tendentes subiotrare supponimus eôdem modò quô vasa lymphatica per poros obliquos foràs intrò transeuntes, in venas ingrediuntur, iisque omnes humores in cavitatibus corporis nostri existentes inferunt: Certum enim est ferè omnes humores ad certos usus secretos in massam sanguineam iterum reverti: sic lympha ex superficie internâ peritonæi glandulosâ perpetuo stillicidio depluens ad faciliorum partium contentarum motum & earum concretionem impediendam, in venas ubique per cavitatem infimi ventris & superficiem membranarum sparsas redit: eosque meatus obstructos pro ordinariâ causâ Ascitis habemus; eôdem prorsùs modô lympha in membranis glandulosis cerebri secreta, & in ventriculis & interstitiis ejusdem contenta, in sanguinem iterum regreditur; quô regressu impeditô in infantibus, quibus propter interstitia membranacea cranium potest dilatari, Hydrocephalos oritur: in adultis autem ubi cranium extendi non potest, hujusce liquoris circulatio impedita apuplexiam insanabilem & mortiferam infert, cerebrô à nimia ejus quantitate compressô. Denique eâdem ratione multorum morborum causa & origo ex hôc fonte derivari potest.

Suppositis itaque hisce omnibus quæ superiùs recensita sunt, nempe succum in superficie uteri internâ naturaliter secretum, venas placentæ subintrare, eumque ad fœtûs incrementum & aquæ in amniô contentæ generationem inservire, sequitur corpus uteri magis magisque debere extendi, & ipsius substantiam extricari & evolvi, vasaque etiam eidem inhærentia priùs clausa & sanguinem nondum admittentia, tum demum aperiri, atque eô pactô circulationem per majorem peripheriam fieri. Omnes enim partes totius nostri corporis ex vasis sunt conflatæ, quorum plurima semper humores vehunt, uti majores Arteriæ, venæ, nervi &c. aliqua autem tantùm in statû morbosô, ut in inflammationibus partium molliorum & in exostosi ipsorum ossium; ubi non solùm vasa membranarum sanguinea, quæ priùs quàm in ossa mutarentur erant aperta, formatis autem ossibus clausa & indurata, iterum aperiuntur; sed & ipsi nervi in substantia ossea obliterati rursus spirituum influxum admittunt ossibusque sensum eundem reddunt, quô antea sub formâ membranarum ante ossificationem gaudebant; Alia tandem sunt Vasa quæ nisi certis temporibus dilatantur: sic videmus in fœtû nascendo & recens natô sanguinem implere vasa minima cuticulæ, in eaque circulari, & totam rubore perfundere, quæ vasa tamen natô fœtû, paucô post tempore elapsô, ab aëre ambiente, eademque comprimente ita clauduntur, ut rubor penitus evanescat. Exterior enim hic aër suâ compressione sanguinem cogit versùs interiora, ita ut ille postea in minori peripheriâ circuletur, hinc motus cordis & arteriarum sanguinem ulteriùs protrudere non valet, quod quidem poterat in uterô matris adhuc fœtû hærente, & nullô aëre ambiente unde Vasa capillaria comprimerentur. *Hic* loci etiam observare est, vasa uteri quæ extra statum gravidationis membranam fere exanguem componunt, eadem tempore graviditatis evolutis uteri tunicis aperiri & sanguinem uberiorem vehere, eumque tantâ copiâ, ubi menstrua statis temporibus non fluunt, versùs fœtum dirigere propter vasa jam magis patentia, ut major jam oriatur pressura in glandulas uteri, usque adeo ut quæ in principiô lympham tantùm fœtui communicabant, ab influente sanguine dilatentur, & tandem ipse per eos fluat, perque ductus jam descriptos ad venas umbilicales deferatur, tantâ quantitate quantâ ad fœtus incrementum liquorisque in amniô secretionem est necessaria. Ejusmodi sanguinis transitus per poros secretorios in pluribus partibus corporis nostri, quandocunque est in statû aliquô morbosô, observatur, experientiâ & praxi quotidianâ testante; v. g. in renibus, si fortè exhibeatur nimia diureticorum acrium (uti cantharidum &c.) quantitas. Neque enim est quod credamus tunc extremitates vasorum sanguiferorum (quas non admittimus) uti volunt aperiri, sed tantummodo ipsius medicamenti acrimoniâ poros vasorum glandulas componentium, quasi tot terebris ita dilatari, ut non solùm humor secernendus, sed & ipse sanguis transeat. Idem mihi licuit videre in fœminâ cui à lochiis retentis sanguis tantâ violentiâ & tantâ quantitate superiora versùs ruebat, ut per vasa oculorum secretoria locô lymphæ lacrymæ sanguineæ magnâ copiâ effluerent. Idem observabatur in ejusdem fœminæ glandulis ad os pertinentibus & præcipuè quidem ad gingivas, quæ instar spongiæ compressæ undique sanguinem emittebant; sic sanguis locô sudoris excernitur, ubi præ nimiâ anxietate major sanguinis determinatio est versùs corporis

poris peripheriam, quorum omnium eadem est ratio. Hoc tantùm differentiæ inter allata exempla & casum nostrum intercedere videtur, quòd iste quidem sit naturalis, exempla autem de statû morbosô agant, ubi non tam facilè remedia adhibita operantur, inde adeò quòd etsi jam causa sit ablata, pori tamen non facilè claudantur, & ad pristinum statum reducantur; nulla, inquam, talis difficultas est in puerperis ubi exclusò fœtû & secundinis, brevi tempore uterus rursùm ita coarctatur ut vasa illa omnia quæ dilatatô uterô aperta fuerant iterum occludantur, eorumque tubuli & canales ad sanguinem recipiendum inepti reddantur. Plura hîc possem addere de menstruorum & lochiorum fluxû; sed cùm hæc non sint hujus loci, pergam ad examen tubarum, ut pateat quæ sit analogia earum cum uterô, & quomodo in iisdem fœtus etiam suum habere potest incrementum. Diximus uteri faciem internam esse glandulosam talemque structuram requiri ad inelavationem placentæ, eadem autem ipsissima conformatio repetitur in tuba: diximus exiguitatem cavitatis in uterô multùm contribuere & necessariam esse, accedente mutuô illô & continuô contactû ut fiat coalescentia, atqui eadem cavitas paulò minor est in tubâ, ita ut faciliùs huic placenta possit accrescere: diximus vasa dari in substantiâ uteri, quæ pro ratione dilatationis uteri aperiuntur & sanguinem recipiunt, eadem ipsissima reperiuntur in tubâ, quamvis non æquè magna, sed interim satis patentia, uti docet experientia in præsenti casû.

Hæc verò vasa tam uteri quàm tubæ sunt innumera, quorum paucissima pars in statû non gravidô sanguinem admittit, reliquis tunc non patentibus & visum fugientibus, quæ tamen ex imprægnatione dilatantur ac per appositionem particularum nutritiarum sanguinis ampliora & firmiora fiunt, unde in tantam molem in quam hæc tuba excreverat potuerint extendi; cùm enim nunquam vasa in corpore nostrô formentur de novô, non possumus sine admiratione observare ex quàm ingenti vasorum imperceptibilium copiâ singulæ partes corporis sint conflatæ, sicut in hac tubâ naturaliter exiguâ, sed in hoc statu in immensum extensâ, conspicuum est: verùm non semper, uti in hôc casû, accidit ut vasa integra maneant & absque disruptione extendantur: dantur enim exempla, teste Vassariô apud Dn. de Graef, ubi tubam (pro aliâ matrice habitam) ruptam fuisse post mortem apparuit, procul omni dubio à nimiô impetû sanguinis affluentis in vasa ad subitaneam illam dilatationem à naturâ non destinata. Eâdem de causâ fœtus in abdominis cavitate repertos subinde fuisse credo; ruptâ enim tubâ, placenta, quamvis adnata, pondus fœtûs non potest ferre; nam & in ipsô uterô, si fœtus ab aquâ amniô contentâ cui innatat non undique sustineretur, continuò fere fœminæ abortum paterentur. Hoc incrementum tubæ, (id quod magis admirandum est) interdum contingere, etiam ubi fœtus in eâdem reperitur disruptis licet vasis & destructis partibus fere omnibus ex quibus componitur, non paucis exemplis posset probari: unum tantùm instar omnium, hîc operæ pretium duxi inserendum.

Filia civis cujusdam mediocris sortis & conditionis, matrimonium inierat cum virô Nobili, sed propter inæqualitatem statûs ab omnibus mariti consanguineis contemptui habita, tandemque ab ipsô maritô deserta fuit, adeò ut per aliquot annos Amstelodami sub parvô lare pauper & mœrore confecta viveret; tandem post aliquod temporis intervallum redit maritus, sæpiùs invisit fortunæ prioris restitutionem pollicitus: inter has blanditias ex iteratô concubitû gravidam se esse mulier credidit, suspicione hâc indies auctâ ex ventris tumore & menstruorum absentiâ (etsi ex hâc mensium suppressione nihil certi colligere potuerit, jam enim longè ante à regulari periodô defecerant.) Consanguinei hâc de re interim certiores facti, maritum aggrediuntur, immutant animum & eousque iterum alienant à conjuge ut nec promissis staret, nec miseram unquam ampliùs mulierem inviseret. Atqui postrema hæc mariti aversatio, priore longè gravior, tantô mœrore uxorem afflixit, ut ipsa totô graviditatis suæ (sic quidem putabat) tempore tristis semper & melancholica videretur, diesque summô cum tædiô tereret; Elapsis tandem novem mensibus nullum successit puerperium; at obstetrix eam invisens gravidam esse credebat, quamvis nullum infantis motum percepisset unquam, opinionis suæ rationem istam afferens, nempe quòd fœtus unà cum matre langueret, & præ debilitate se movere non posset. Cum verò elapsô tempore non pareret, Hydrope laborare putabatur, & quod sequutum est totum biennium, continuò remedia varia contra hydropem incassum tentabat. Cùmque jam monstri instar in lectô jaceret, & propter ventris incredibilem molem atque tumorem, vix omnino corporis partes tam superiores quàm inferiores conspici possent, advocabar ego ad paracentesin instituendam, simul autem ac ægram in hôc statû viderem, manus ab operatione consultò equidem abstinui (utpote qui summam pro temeritate semper habuerim in Ascite firmatô Paracentesin attentare. Sed de his alibi) Fœminæ hujus cadaver, cùm paucos post dies fatis cessisset, aperui, & vel minimam quantitatem aquæ in ipsa cavitate abdominis nullam reperi, sed totum illum tumorem monstrosum nihil aliud fuisse quàm tubam uteri in immensam molem extensam, atque in se continentem præter propter 150 libras aquæ quas inde exhausimus: sed quò meliùs omnia & accuratiùs examinare possem, tubam hanc cum uterô annexô domum, datâ veniâ, mecum retuli & ad vivum delineari curavi, potestque ipsa pictura apud me videri.

Substantia tubæ membranacea exhaustâ aquâ ultra triginta libras pendebat. In ejusdem internâ facie diversi generis substantia conspiciebatur, nempe tumores carcinomatosi à materiâ intra glandulas tubæ contentâ exorti. Nam inter scirrhosum, cancrosum seu carcinomatosum & alium quemvis tumorem in abscessum degenerantem, nullam prorsùs differentiam agnoscimus, quam quòd materia cancrum efficiens sit liquor secretus adhuc in corpore glandulæ contentus & cum nullô aliô humore mixtus, obstructô vase secretoriô, qui liquor ibi continuò crescens & propter firmitatem membranæ glandulam complectentis non erumpens, nullamque aliam viam in sanguinem redeundi inveniens, non potest resolvi, ibique crassescit & glandulas induratas, nullique ampliùs emollitioni aut discussioni contentorum auscultantes efficit. Hinc in pus converti non potest; ad puris enim confectionem requiritur mixtura diversorum humorum, ut postea suô locô videbitur. Tumores autem in glandulosis partibus suppurationem subire apti, fiunt ab humoribus jam per vasa secretoria extra glandulas productis, ibique extravasatis, & cum diversæ naturæ humoribus commixtis, de quibus alibi ex professô. Ac præter hosce tumores reperiebatur in eâdem cavitate lympha in gelatinæ formam mutata, & procul dubiô in glandulis tubæ secreta.

Antequam autem hanc historiam deseram, libet insuper quid sentiam de hujus tubæ in tantam molem intumescentis causâ in medium proferre, & non dubito, quin in principiô gravida fuerit illa fœmina, & fœtus hæserit in tubâ, ibique non magnum ceperit incrementum, sed brevi post conceptionem extinctus sit, quem tamen propter exiguitatem & substantiæ tubæ perturbatum chaos in dissectione videre non licuit. Mortuô jam fœtû propter inclinationem majorem sanguinis jam factam ad illam partem & vasis jam aliquomodo magis dilatatis, tantus sanguinis fuit impetus in glandulas internam tubæ tunicam construentes, ut continua ibi facta fuerit secretio lymphæ, quæ tandem hunc Tubæ hydropem peperit; nimirum quòd lympha illa nullas in sanguinem redeundi vias invenire poterat, & tubæ insertio in uterum erat occlusa.

Placentam exsiccatam in membranaceam substantiam mutatam vidimus.

Id quod necessariò debebat sequi: nam post elapsos novem menses, mortuô jam fœtû, nulla ampliùs sanguinis circulatio continuari potuit; Et quamvis placenta conatû fœtûs exitum incassum quærentis non esset separata à tubâ, ut ab uterô fieri solet in partû naturali, sanguis tamen in eâ circulari non potuit, nec ex parte matris, quia sanguis maternus ad venas placentæ perveniens atque ibi sanguini fœtûs jam stagnanti occurrens motum proprium amittere debet: quia quamvis satis magna pressione in ductus communicationis jam descriptos influere conetur, sanguinem tamen fœtûs in motum ciere non valebat, sed jam extra peripheriam circulationis tubæ in ductus communicationis derivatus, ibique hærens & regredi nescius, in membranaceam substantiam facessit; eâdem prorsùs ratione quâ videmus, infante jam natô, simile quid fieri in vasis umbilicalibus: ubi nempe sanguis ab ipsô umbilicô (jam scilicet ligatô) usque ad arterias crurales stagnans, cùm contra motum proprium per arterias umbilicales regurgitare nequeat, tandem exsiccatur atque in membranaceam substantiam mutatur. Hujusmodi mutatio sanguinis pedetentim & gradatim facta in vitulis (præ aliis animalibus) quotidie potest observari. Est porrò quiddam (hîc obiter notandum) quod ex prædictis quàm clarissimè patet, nempe sanguinem ritè mixtum & particularum ipsum componentium debitâ proportione constantem, quamvis etiam stagnaverit, non solùm non mutari in pus, sed etiam non putrescere, de quibus alibi. Hæc placenta maximâ ex parte exsanguis facta, & in membranam mutata, ac cum tubæ substantiâ quasi una effecta, non potuit aliàs, quàm ex parte, à tubâ in operatione per me instituta separari, uti eam delineatam videmus. Denique hæc placentæ & tubæ concretio, atque in unam eandemque membranam mutatio, non obscurè demonstrat vasorum in iis continuitatem: si enim partes istæ tantùm essent contiguæ (uti multi volunt) & simplici solùm suctione placenta aliquid ab uterô vel tubâ reciperet, procul dubiô perfecta hujusmodi in unam membranam mutatio, uti in hôc casû videmus, non orietur, sed partes istæ potiùs, mortuô infante, sponte secederent, atque etiam in hâc operatione faciliùs ab invicem separari potuissent.

Molestior ipsi videbatur gestatio.

Hanc molestiam à loci angustiâ & sublatô corporis æquilibriô deducimus; tuba enim in quibusdam diversam plane ab uterô habet structuram, & vasa ipsius non sunt à naturâ disposita ad facilem illam evolutionem quæ reperitur in uterô. Hîc enim lintei complicati & in parvum globum compressi ad instar facilè in planum latius extenditur. Hinc vel minimus infantis in tuba hærentis motus insolitam molestiam inferre debuit. Præterea corporis æquilibrium ablatum non parum molestiæ necessariò creavit; scimus enim quàm molestum sit onus aliquod inæqualiter à quâcunque corporis parte externâ libratum: quâ de re experientiâ quotidie docemur à bajulis, qui incredibile pondus dorso & capiti impositum commodè satis portant absque magnô molestiæ & defatigationis sensû, dummodo illud ipsis ad æquilibrium imponatur, quod si secùs fiat impossibile est ipsis vel momentô temporis sustinere. Hinc ergo non est quod dubitemus, corpus infantis non in centrô abdominis sed à latere positum maximè ægræ onerosum fuisse magnamque molestiam ipsi attulisse.

Non est quod dubitemus fœtum tunc mortuum fuisse.

Quæritur hîc: quare infans iste cui nulla exeundi patebat via, cui nihil nutrimenti deerat, nihilque aquæ effluxerat, unô verbô, cui nihil demtum erat, non diutius vixit, sed præcisè elapsis novem mensibus mortuus est, cùm tamen de partubus decimestribus & undecimestribus &c. satis fide dignæ historiæ extent? Respondeo, ubi partûs tempus ultra nonum mensem protrahitur, certum est fœtum esse debilem, ejusque partium incrementum lentiùs solito fuisse factum, & hoc ipsum quidem foraminis ovalis tardiorem in corde diminutionem atque connivcentiam arguit. Hujus enim foraminis minorationem pro maximâ maximeque genuinâ causâ motus exitum parantis seu calcitrantis fœtûs & dilacerationis membranarum habemus. Ubi nimirum hoc foramen ovale fit minus, tunc & sanguinis fluxus in pulmones necessariò debet esse major, hæcque major sanguinis quantitas non potest transire, nisi vasa pulmonis ab aëre inspiratô comprimantur, sicque in illis acceleretur sanguinis motus & circulatio. Quod si secùs contingat, cordis motus perturbatur, & functiones necessariæ irregulariter procedunt, tandemque moritur infans, quæ omnia etiam fœtui intra tubam concluso necessariò accidebant.

Mense decimô iterum fluxerunt menstrua.

Cùm jam mortuô infante nihil ampliùs sanguinis ipsi suppeditaretur, ille solitas vias iterum petiit & sese per vasa secretoria more solitô menstruatim nempe exoneravit. Quæ autem sit propriè hujus menstrui fluxus causa in fœminis, variæ apud auctores sententiæ proponuntur. Juxta alios, inquam, causa hæc assignatur, quòd enim in uteri substantiâ interiore *admodum paucæ sint venæ*, per quas copiæ tantæ sanguinis, arteriarum beneficiô affluentis (supponitur interim uterus plurimas habere arterias) circulatio commodè fieri non possit, & orificia tubulorum uteri sint laxa & mollia, hinc fit quod redundans sanguis, qui ob copiam satis citò circulari nequit, per dehiscentia & aperta tubulorum

rum orificia, nec non per fines vasorum in collô uteri hæreutium ut supervacuus & Naturæ suâ copiâ molestus, forâs effluat. *Alii fermentum certum uterinum* pro causâ assignant & statuunt materiam quandam fermentariam in liene, hepate, pancreate, glandulis, aliisque partibus progigni quæ unà cum sanguine per arterias aut per vasa lymphatica ad uterum delata, atque ibi partitè deposita & paulatim coacervata (semper enim in dissectis viscosus seu mucosus quidam humor invenitur) à specificâ quâdam uteri proprietate peculiarem quandam qualitatem nanciscitur, sicut eadem in ventriculô aliam peculiarem qualitatem adipiscitur quâ chylus ex alimentis educitur. Itaque hæc qualitas à calore loci excitata humorem istum cui ut subjecto inhæret, in sanis, mensis spatiô ad tantam volatilitatem perducit ut sponte suâ effervescat, specificam quandam fermentationem sanguini introducat quâ totum muliebria corpus, imprimis partes utero vicinæ (in aliis magis, in aliis minùs) conturbantur, & sanguis superfluus turgescentiâ suâ vasorum orificia dilatans, forâs proturbatur: qualitate autem illâ, aut dicti humoris fermentarii justâ volatilitate deficiente (uti fit in gravidis, in refrigeratis, aut longô morbô confectis &c. item in brutis.) simul deficit ista menstrua evacuatio.

Alii Lunæ influxui menstruorum periodos; Lunæ, inquam, humorum dominæ assignant, unde tritum illud emanavit:

Luna vetus vetulas, juvenes nova luna repurgat.

Sed missis his & aliis opinionibus, ubi quisque suô abundat sensû; sententiam meam paucis subnecto, & judico idem hîc fieri quod aliàs tempore gestationis fieri solet, dum fœtus in uterô sanguine matris nutritur. Sicuti enim uterô gerentibus per glandulas uteri sanguis locô illius humoris viscidi ibi continuô secerni soliti profluere solet, ita eôdem prorsùs modô in non gravidis fieri putandum est menstruia fluentibus, ubi portio sanguinis abundans exitum quærit, præcipuè circa illas glandulas quæ naturaliter ita sunt dispositæ, ut earum pori facilè ab impetu sanguinis auctô dilatentur, & sanguinis motû iterum diminutô etiam facilè contrahantur, ita ut tantummodo mucoso humori secernendo transitum præbeant. Sanguinem, inquam, menstruum hôc modô profluere arbitrer, non autem per extremitates vasorum apertas. (uti voluerunt veteres) Ea enim vasa semel aperta difficillimè iterum clauderentur: à posteriori verò satis clarè probatur sanguinem hunc menstruum effluere per poros vasorum glandulas componentium, nempe ubi examinamus statum partium v. g. in fluore albô, qui est humor in istis glandulis ordinariô modô secretus, sed majori quàm par est quantitate: Dum enim humores more solitô augentur & aliqua pars eorundem debet evacuari, & motus sanguinis est tardior in corporibus istis fluore albô laborantibus, ipse sanguis per poros secretorios non prorumpit ob deficientem aut nimis languidum ipsius motum, sed humor ille ibidem secerni solitus majori quantitate labitur, atque in plurimis ægris non solùm certis temporibus sed continuò forâs effluit, propter nimis flaccidos & apertos poros, à continuô illô humore acri transfluente & contractionem pororum (quæ naturaliter post fluxum menstruorum contingere solet) impediente, ita ut continua evacuatione, fœminæ fluxû albô laborantes præter modum enerventur, & tantùm non ad tabem perducantur. Hæc cùm ita sint, satis clarè patet quàm difficile sit dictum fluxum album curare, porosque illos debito vigori restituere, ut sese iterum more solitô contrahere possint, cui nemo Practicorum non facilè assentietur. Porrò ad hujus sententiæ elucidationem multa possent adferri Phænomena quæ observamus sæpe numero in gonorrhæâ virulentâ fœminarum, sed de his aliâ occasione. Fermentationem in sanguine aliasque causas ab antiquis recensitas pro verâ fluxûs menstrui causâ non admittimus, sed solummodo sanguinis bene constituti nimis magnam copiam exitum quærentis, ubi nempe is ad certam quantitatem naturæ molestam pervenit & per illas viàs quæ huic exonerationi idoneæ & destinatæ sunt evacuari conatur, quales sunt ipsæ glandulæ uteri & vaginæ. Hæc exoneratio in fœminis non gravidis est necessaria; nam præter externa quædam conformationis discrimina inter virilis & fœminei corporis constitutionem, ea maxime naturalis est differentia quod in fœminis, iis præcipuè quæ ad pubertatem pervenerunt, sanguificatio sit copiosior quàm quæ ad nutritionem proprii corporis requiritur, adeò ut tempore graviditatis fœtum suô sanguine ad hunc finem redundante possint nutrire, in non gravidis autem illa nimia sanguinis quantitas, dictô modô debeat evacuari. Si enim hæc facultas plus sanguinis conficiendi tantummodo ubi ingravidantur in fœminis vigeret, eademque mox a partû iterum cessaret, quomodo quæso id fieri posset absque magnâ & insolitâ naturæ fœmineæ mutatione? Verùm illa sanguinis superfluentis copia atque ubertas sicuti circa pubertatem primò oritur, ita ingravescente ætate in fœminis senioribus tandem occidit, ubi naturâ jam non sufficit ad pleniorem illam sanguificationem. Dicimus porrò Menses bonô & laudabili sanguine constare & menstruali illâ evacuatione humorea corpori suâ qualitate noxios, uti volebant veteres, non excerni, sed verum & incorruptum sanguinem qui sola quantitate molestus fit Si enim quantitate etiam peccaret in gravidis, ubi nulla evacuatio fit, gravissima, ob retentos istos humores (ex hôc suppositô) symptomata, orirentur aut saltem cogeremur statuere fœtum impurô nutriri sanguine: cujus contrarium tamen verisimile esse docet experientia.]

Insilæ magnitudinis absque ulla putredine.

Cùm jam semel fœtus mediante placentâ suâ tubæ interiori tunicæ esset affixus, & modô jam dictô sanguinem à matre reciperet, ipsaque Aqua Amnii debitâ quantitate secerneretur, ut toba necessariò inde deberet vel sufficienter extendi, vel rumpi, nihil erat quod obstaret quin fœtus in debitam magnitudinem excresceret. Angustia loci incrementum fœtûs impedire nullô modô poterat, cùm non corpus fœtûs succrescens, sed aqua Amnii pro ratione augmenti sui, tam quantitate quàm humiditate tubam extendat, impediatque quominùs ille à tuba comprimatur. Quod enim partes membranaceæ inprimis à contentô in se humidô faciliùs extendantur quàm dum eædem siccæ, duræ & sibi relictæ sunt, quotidie observamus v. g. in hydrocephalô facilè & absque ullô ferè dolore dilatantur membranæ cranii & ossificatio impeditur; quia contentum illud humidum vasa membranas illas componentia, laxiora efficit & influxum sanguinis promovet id quod ossificationis impedimentum est. Contrarium videmus in eô casû ubi membranæ dilatantur à corpore durô: Ex. gr. à calculô in uretere

uterere hærente, à quô non solùm difficultet extenditur sed intensissimos simul patitur dolores. Quemadmodum autem Aqua Amnii incremento & extensioni partium favet, ita fœtum non eâ sed sanguine matris nutriri, & ipsius vasa quæ corpus ejus componunt, per appositionem particularum humoris quem vehunt ampliari atque sic incrementum corpori accedere omnino credimus, cùm satis sanguinis, uti jam vidimus, ad fœtum fluat, & sanguis humoresque ab eô secreti ad omnium partium nutritionem sufficiant. Atque hinc aquæ amnii alium usum & necessitatem assignamus, nempe illam inservire uteri vel loci ubi fœtus hæret extensioni, ut partes absque impedimentô incrementum capiant fœtusque faciliùs sese movere possit, & à lateribus uteri vel Tubæ non comprimatur, tum prætetea quòd suos quoque habeat usus tempore partûs, lubricando vias exitui fœtûs destinatas. Aliquid hujus Aquæ Amnii per os posse intrare non omnino negamus, nempe ad humectanda interiùs & dilatanda intestina, ne illa nimis contraherentur, (contractio enim intestinorum ab inediâ vel aliâ quâcunque causâ nimis exsiccante oriri potest, quorum quotidiana videmus exempla) vel pro attemperandâ bile, succô pancreaticô, humoreque & fermentô in tunicis ventriculi atque intestinorum secretô. Qui humores cùm à circulante omnibusque suis particulis constante jam sanguine separentur, & nihil inveniant in quod agant, haud dubiè majorem indies acrimoniam concipiunt, & hinc opportunè satis à prædictâ aquâ amnii attemperantur. Ab illis etiam humoribus in intestinis fœtûs secretis meconium, & non à residuô aquæ amnii oriri statuimus.

At fortasse quidam hîc quærent, cur fœtum humanum sanguine ipsô nutriri statuam, & non aliô potiùs humore, sicuti pulli in ovô qui nihil sanguinis dum ova incubantur suscipiunt? Porrò objicient aliî in brutis plerisque animalibus cotyledones ab uterô separari nullô sanguine prorumpente, ideoque minus verisimile esse sanguinem ipsum ab uterô in cotyledones deferri, sed humorem prorsùs alium in uteri substantiâ secerni ex quô in cotyledones translatô, reliqua animantium genera nutriantur atque incrementum suum habeant.

Ad hæc autem respondeo, analogiam in omnibus animalibus per omnia similem non dari, sed tantam potiùs differentiam, & tam multiplicem varietatem à summô Protoplastâ in rebus creatis esse constitutam, ut eò majore admiratione afficeremur, & agnosceremus ipsius opera esse sine fine. Et quid quæso tandem obstat quò minùs etiam ovum in ovariô humanô posset tantam materiæ quantitatem à matre accipere, quâ totus fœtus posset increscere & nutriri, ac postea per ductum tubæ majorem ad uterum delabi & absque adhæsione ibi quasi incubari & suô tempore excludi? Nihil præterea impedit quin fœminæ omnino oviparæ esse possent. Ideoque hoc unum ad prædicta respondere possumus, nimirum Deo placuisse ut imperscrutabile generationis opus, in diversis animalibus hôc modô varietur. Quocirca etsi verum esse concedatur bestias non sanguine, sed solô humore à sanguine in substantiâ uteri secretô nutriri, hinc tamen non sequitur idem contingere in homine. Cæteris enim animalibus nec lochia post partum, nec menstrua extra tempus ingravidationis fluere solent; at verò in genere humanô separatâ placentâ ante fœtûs exclusionem tanta sanguinis profusio ex uteri substantiâ fieri solet, ut brevi moriatur mater ab illâ quam tunc patitur hæmorrhagiâ, & simul fœtus quasi submergatus, nisi ab aliquô satis peritô statim auferatur infans & in lucem producatur. Hôc autem factô, uterus exoneratur datâque copiâ sese contrahendi sensim concidit atque constringitur, denique vasa ejus maximâ ex parte clauduntur, & hæmorrhagia diminuitur. Atqui verò si nullus sanguinis ipsius transitus daretur ab uterô ad placentam, unde hæc tanta hæmorrhagia posset oriri, & quare separatâ placentâ, humor ille alter secretus non solus proflueret? Sed puto hinc absque ullâ difficultate posse concludi, fœtum humanum ipsô sanguine maternô nutriri, atque ab eô nutrimentum suum habere. Quomodo itaque fœtus in præsenti casû ad justam pervenire & succrescere magnitudinem potuerit in tubâ æquè ac in uterô jam vidimus: sed quomodo incorruptus & integer absque putredine ad tot menses durare posset multi mirabantur, imprimis illi qui ante operationem factam ullum hîc omnino fœtum fuisse negaverant, eâ potissimum ratione persuasi, quòd fœtus tantô temporis spatiô in corpore maternô delitescens necessario corrumpi soleat ac debeat. Et quidem fatendum est hoc plerumque aut etiam semper accidere ubi fœtus in uterô ipsô continetur, ibique moriens non excluditur, nec datâ occasione extrahitur: idque propter aëris introitum sese per uteri orificium internum insinuantis: cujus plurima exempla passim exstant. Atqui verò huic fœtui in tubâ hærenti, idem non contigit ob præclusum omnem aëris introitum, qui si in tubam usque penetrare posset fœtus, corruptionem haud dubie accelerasset. Hujus autem rei veritas quotidianâ fere Chirurgorum observatione comprobatur, nempe partes quascunque præternaturaliter affectas & in cavitate aliquâ corporis inclusas corrumpi atque suppurari, ubi aër externus illas attingere potest, sicuti contrarium evenire solet ubi aër non potest intrare. Utriusque habemus exemplum in præsenti casû ubi fœtus incorruptus intra tubam usque latuit, donec ulcus ab interiori Tubæ membranâ exortum ad exteriorem usque ipsius cutis superficiem serperet, cujus per fungosam & laxam substantiam particulæ aëreæ sese insinuantes primam putredinis labem intulerunt; nempe partibus ulceri vicinis atque substratis. Hoc enim ulcus si non extitisset, procul dubiô fœtus integer atque ab omni putredine immunis permansisset. Sæpenumero enim reperti sunt fœtus in Tubis absque ullâ putredine omnino exsiccari, qui à plurimis annis ibi hæserunt atque in globum omnis externæ figuræ expertem mutati, pro molâ vel frustô carnis informi habiti sunt: cùm tamen in ipsis hujusmodi molis, si benè examinentur & extricentur, omnes partes fœtûs plerumque apparere soleut, & quidem debitâ proportione formatæ. Quæ partes suis membranis involutæ post mortem fœtûs à contractione tubæ sæpe ita comprimuntur ut figuram tantùm irregularem & superficiem inæqualem præ se ferant: id quod frequenter licet observare in vaccis propter sterilitatem saginatis & mactatis. Idem certè accidisset & in præsenti nostrô casû, si unius lateris os parietale ab inæquali pressione tubæ, idem os alterius lateris non transcendisset, & suô margine serræ ad instar, peritonæum vulnerasset, eâque ratione ulcus fungosum & aëri ad cavitatem tubæ transmittendo idoneum, procreasset.

Nihil aquæ amnii repertum fuit, sed materia quædam mucosa.

Omnes liquores naturaliter in cavitatibus nostri corporis contentos in membranis glandulosis quibus continentur

continentur à sanguine secerni, & pro ratione quâ secernuntur etiam iterum in sanguinem modò suprà dicto reduci, nullus dubitandi ampliùs restat locus. *Sic aquam pericardii* in internâ pericardii superficie glandulosâ à sanguine secerni & in venas reintrare credimus, eamque sic continuâ quâdam vicissitudine quasi renovari; quæ si eadem semper remanere ex stagnatione procul dubiô in deterius mutata usui ad quem à naturâ destinabatur minùs apta redderetur, parte scilicet ejusdem subtiliore continuò per poros æquè subtiles avolante. Hinc enim crassior evaderet & cordi ad se faciliùs & liberiùs movendum non tam adjumento quàm impedimento esset. Similiter *humorem aqueum* in oculô generari & circulationis legibus, more aliorum succorum subjici experientia docet, utpote qui interdum regenerari soleat, si quando, fortè casû aliquô effluat & effundatur. Pari ratione etiam aquam in amniô contentam totô gestationis tempore non semper eandem esse numerò statuimus, eamque (præterquam quòd aliquid per os intrat) ope venarum, quæ reperiuntur in membranis, in sanguinem fœtûs reduci & ab humore ex eôdem sanguine in superficie placentæ internâ ac glandulosâ secretô denuò instaurari, ut utrobique verum sit tam in microcosmô quàm in macrocosmô quod Poëta canit:

Ut vitium capiant ni moveantur aquæ.

Exemplum hujus rei evidentissimum in hôc nostrô casû suppetit, ubi aqua amnii mortuô jam fœtû non ampliùs circulans, partem suam subtiliorem per insensibilem transpirationem amisit & quod reliquum erat gelatinæ instar in tubâ concrevit; fœtumque amplius à compressione satis tueri non potuit. Porrò observamus etiam aquas præternaturaliter in plerisque aliis cavitatibus corporis collectas & stagnantes, colore mutatô turbidas & concretas conspici. Retulit mihi Dn. D. Sylvester Med. Doct. Londinensis se hydropicum quendam apertum vidisse, cujus abdomen gelatinâ quâdam repletum esse observabatur; quinetiam ipse Amstelodami dum curationem palliativam cuidam hydrocele laboranti adhiberem, scrotumque ipsius acû Barbettianâ perforarem, ut aquam ibi contentam emitterem, nihil extraxi præter aquam tenacem, quæ non sponte effluxit, sed manuum ope & pressû quasi emulcta exstillabat, adeò ut eam solâ punctione, quod tamen aliquoties antea in eôdem ægrô cum successû tentaveram, evacuare ampliùs non possem. Quam ob rem ipsi curationem eradicativam proposui, quam etsi æger antea recusasset, videns tamen se more solitô sublevari non posse, jam facilè admisit. Ubi ergo totam scroti cavitatem aperirem ut separationem membranæ istius humorem continuò extillanris expedirem, & eccidivam impedirem, inveni aquam diversi coloris, turbidam, eamque tenacem: procul dubiò quia pars subtilior ejusdem transpiráset, ob continuos fotus quibus prædictus æger tunc usus fuerat per menses aliquot, ex consiliô Medici sui: quod quidem cùm antea non fecerit aqua etiam antehac magis fluida reperta est. Quocirca hinc jam satis clarè patet unde in nostrô hôc casû illa materia mucosa fœtum ambiens totamque faciem tubæ interiorem contegens ortum traxerit, quòdque eadem materia mucosa aquæ in amniô secretæ pars crassior fuerit, quæ per insensibilem transpirationem avolare non potuit, non autem materia purulenta, prout primâ quidem fronte à nonnullis adstantium esse credebatur. Sic enim sæpenumero falluntur illi qui materiam similem mucosam in cadaveribus reperiant pro materiâ purulentâ habent. Sic memini me apertum abdomen cujusdam Hydropici in quô paracenthesis antea fuerat instituta ad evacuandas aquas, sed pessimô (uti solet) cum successû. Inveniebatur, inquam, ibidem similis materia, omnia intestina & reliquas partes infimi ventris partea tegens; adeò ut ex adstantibus aliqui statim omnia intestina & reliquas partes ulceratas pronunciarent; atque binc mali successûs causam deducerent: ubi verò hæc materia spongiis & aquâ tepidâ fuit ablata, nihil in abdomine ulcerosi apparuit, omnísque partium in eôdem continuatum superficies intacta conspiciebatur: quod si nobiscum paulò attentiùs reputemus; quid propriè & necessario requiratur ad puris confectionem, non tam facilè decipiemur: quâ in re paucis opinionem meam exponere non gravabor. Statuimus itaque nullos humores corporis nostri, quamvis extravasatos, esse mutabiles in pus, quamdiu illi seorsim absque commixtione aliorum humorum sinceri permanent: Ideoque sanguinem extravasatum & eâdem texturâ præditum quâ in vasis fluit, sinque interstitiis partium sine mixtione commorantem, non mutari in pus omnino affirmamus; id quod experientia quotidiana nos docet in Chirurgiâ. Sæpiùs enim observatur sanguinem extravasatum in pluimis in vertice capitis post casum aliquos septimanas incorruptum reperiri, & processûs laminatum extrahi; ubi nempe foribus alisque ad resolutionem topicis frustrà applicatis, tumorea tandem aperiuntur. Omnis mutatio quam solet & potest in tali casû sanguis subire est, quòd is quôdam modô coagulatus interdum appareat, præcipuè ubi continuò totum usû pars ipsius subtilior avolavit per insensibilem transpirationem: Memini tamen me decimô nonô post casum die extraxisse sanguinem floridum & fluidum in vertice cujusdam nautæ extravasatum, qui cùm esset ebrius ex summô navis per operculum apertum, in ejusdem cavitatem vacuam ceciderat. Ille enim quamvis emplastrum de cuminô continuò parti applicatum fuisset, tamen quia capilli non fuerant abrasi, sed forcipe tantummodo abscissi, cutemque haberet maximè induratam, inde adeò quòd utique deque habitâ omni aëris inclementiâ, capite apertô semper incedere assueverat, evaporatio partium subtiliorum sanguinis facta non est, eâque de causâ sanguis fluidus repertus est. Aliud exemplum addam de sanguine coagulatô incorruptô & inclusô in eâdem membranâ unà cum tumore carcinomatosô glandulæ parotidis, quem Amstelodami exstirpavi Anno 1680. Patre meô præsente. Iste æger postquam tumore carcinomatosô juxta aurem sinistram quatuor annos laborâsset, qui magnitudine ovum gallinaceum exæquaret, ejusdem acerrimô dolore ex improvisô correptus est, quem dolorem tumoris incrementum satis insolitum sequebatur; adeò ut intra sex septimanas ad pugnorum duorum magnitudinem increverit; quô tempore magnum is dolorem tensivum patiebatur, omninò distinctum à dolore lancinante, quem quandoque in tumore antea senserat. Cùm jam per annum post incrementum illud subitaneum Chirurgi plurima emplastra & cataplasmata maturantia nullô cum successû applicuissent, sperantes scilicet, nec absque ratione, se tumorem ad suppurationem perducturos, propter subitaneum illud incrementum, extravasationem humorum indicans; tandem ubi humorem non satis fluctuantem & maturum sentirent, ideoque tumorem aperire non auderent, nihil præter extirpationem totius tumoris (si vellet sanari æger) superesse pronunciarunt. Tunc inter alios Chirurgos Pater meus quoque consulebatur, qui cùm examinatis omnibus

omnibus idem sentiret, nempe nihil præter extirpationem superesse; æger operationi, cuteque patris mei se submisit. Cùm itaque ego, præsente Patre meô, extirpationem aggrederer, & circa basin, tumorem more solitô separarem, tanta sanguinis grumosi copia prorupit, ut in mediâ operatione sistere, partemque sanguine scatantem abluere coactus fuerim, quò mihi copia meliùs videndi fieret quid porrò agendum restaret: ablutâ itaque parte tumorem reliquum, ovum magnitudine æmulantem feliciter abstuli, ægerque brevi post sanatus est. Notandum hic quoque aliquid satis insolitum, nempe quòd sanguis ille grumosus extravasatus & in eâdem membranâ cum tumore carcinomatosô contentus, tam arctè conclusus, & tam crassis integumentis rectus, ut suâ duritie atque inæqualitate ipse tumorem carcinomatosum referret, nihil in se tamen purulentæ materiæ continuerit. Plura hujus generis exempla satis insolita possem adducere, sed cùm non dubitem quin allata abunde demonstrare possint, sanguinem extravasatum nullôque cum humore mixtum non mutari in pus, hisce supersedeo. Sic lympham etiam omnis generis non mutari in pus quoddie satis superque observatur in hydropicis, in hydrocele laborantibus, in hydrocephalis &c. neque etiam lympham crassiorem in pus mutari observamus; uti lympha intra articulos reperta, ad faciliorem motum ossium, quæ si per accidens detineatur & in tumorem exsurgat, si sola & sincera maneat lymphæ specie apertô tumore effluet. Lympha albuminis ovi instar crassa Ganglion efficiens, nunquam ad suppurationem perducitur, cùm sit liquor secretus in superficie internâ vaginarum tendines amplectentium ad faciliorem tendinum in iis motum procurandum; qui propter crassitiem istarum vaginarum non facilè prorumpere potest, nec propter obstructionem pororum iterum in sanguinem redire. Ejusdem generis lympha tenax & crassa reperitur in ranulâ, tumore sub linguâ ortô, quæ nunquam mutatur in materiam purulentam, etiamsi per annum & ultra ibi extravasata contineatur. Nec tantùm in supra natratis, sed in aliis etiam corporis partibus similes quotidie occurrunt lymphæ extravasationes, absque subsequente suppuratione.

Pinguedo si extravasata hæreat & stagnet, per se sola & absque aliorum humorum affluxû, nullam ferè subit mutationem; præterquam quòd aliquando durior aut liquidior evadat, sed in pus nullô modô convertitur, uti observare licet in Atheromate, Steatomate, Meliceride &c. qui tumores per annos quamplurimos durant innoxii, nullâ interim subsequente suppuratione. Denique idem de cæteris humoribus in corpore repertis esto judicium.

Ut igitur pus formetur, requiritur ut humores diversæ naturæ extravasati invicem misceantur & simul fermentationem quandam subeant; Hinc pro variâ miscelæ atque humorum diversitate, diversum quoque genus puris formatur. Si humores lymphatici diversæ naturæ colligantur extra vasa & misceantur simulque acescant & fermententur, formatur pus ichorosum, si sanguis cum aliô misceatur humore, dicitur pus saniosum, verùm ut pus laudabile fiat, & bonum, requiritur mixtio lymphæ cum pinguedine, qui duo humores si extravasati certâ proportione misceantur, abscessus ut plurimùm efformantur; unde etiam observatur illas partes quæ hisce humoribus abundant, magis abscessibus esse obnoxias, id quod quotidie conspicitur in mammis mulierum. Hæ enim cùm præ cæteris partibus, abundent duobus illis humoribus ad lactis generationem necessariis, frequenter etiam abscessibus infestantur: interstitia musculorum propter eandem rationem sedes ordinariæ abscessuum esse videntur. Quin etiam ipsa ossium medulla, in membranâ glandulosâ ossa interiùs investiente à sanguine secreta, & pinguedinis instar communis circulans in pus mutatur, quoties lympha per ossa potosa facta ad eam penetrat: id quod observare licet in illis qui tophis laborant. Hôc enim in casû ossa dilatantur, molliora redduntur, [apertis iterum vasis eadem componentibus) transitumque præbent humoribus lymphaticis extravasatis & ipsis incumbentibus: id quod sæpiùs mihi observare licuit. Hæc autem puris formatio, & eô loci collectio cum dolore præ cæteris acerbissimô fieri solet: cùm enim dolor abscessuum æquè dependeat à partis extensione ac ab humoris contenti acrimoniâ, videmus partes illas quæ difficilius extenduntur majori dolore affici: sic ubi semel pus in ossium cavitatibus formatur, si propter ossium nimiam resistentiam per membranam medullam cingentem non possit foras prorumpere atque hinc per totum ossis longitudinem hæc membrana prematur, necessariò dolor intensissimus debet oriri, qui quidem nullis remediis cedit, nisi os ipsum in cavitatem usque perforetur, ut puri detur exitus. E contra verò partes hisce humoribus, lymphâ nempe & pinguedine non abundantes, abscessus non patiuntur, quale est ipsum corpus musculi carnosum, quod nunquam abscessû infestatum vel pure repletum visum fuit, & si aliquando pus intra membranas scroti collectum observetur, à petinæô id ut plurimùm originem suam habere solet, adeò ut si probè hanc rem examinemus, patebit pus propriè dictum solummodò ex lymphâ cum pinguedine mixtâ generari. Quòd si remotis omnibus obstaculis spontè ex ulcere aut vulnere profluere possit, sic pus laudabile sive balsamum illud quô natura in sanandis ulceribus ipsa utitur; adeò ut nostrum tantùm sit medicamentis topicis & instrumentis prospicere, ne aliquid hujus puris hæreat, ubi possit suâ morâ acescere, & consolidationem quam natura molitur impedire; quod quidem bestiæ continuò lambendo ex naturæ instinctû perficiunt, sed de his plura suô locô ubi de iis ex professô agemus, hæc tantùm ad elucidationem casus præsentis adducta sunto, & ad demonstrandum materiam illam in amniô repertam purulentam non fuisse.

Aperturam perduxi ad pedalem longitudinem.

Duplici de causâ hanc aperturam tantæ longitudinis feci, primò ut ablatô fœtû omnes partes separandæ faciliùs possent foras sese protrudere. Si enim tota cavitas ad imum usque fundum non fuisset aperta, pars certè magna materiæ separandæ simulque pus ex oris vulneris continuò fluens, & propter ægræ situm ad cavitatem illam prolabens, in ipsius parte infimâ subsedissent, unde à naturâ difficiliùs superiora versùs rejici aut expelli poterant; donec putredinem ex morâ concepissent, totòque hinc tandem sanguine infectô, certam mulieri mortem attulissent. Alia ratio fuit, ut fœtum commodiùs absque omni violentiâ per vulnus possem eximere; si enim angustior fuisset hæc apertura, adeò ut hinc coactus essem vi aliquâ vulneri illatâ fœtum extrahere, multa sane & graviora symptomata ex vulneris contusione, orta procul dubiò partes vicinas tumefecerant febremque auxerant, quibus ægra resistere tandem ampliùs non posset, cùm eâdem febre continuâ ante operationem afflicta, jam summe

summe debilis & morti proxima jaceret. Cæterùm aperturas atque incisiones ferè in omnibus operationibus chirurgicis, quoties corpus aliquod magnum extrahendum est, prælargas fieri oportere, nempe ad præcavenda symptomata graviora, quæ certò certiùs aperturas minores comitantur, exemplis bene multis & observationibus confirmare possem; Atqui unum tantummodo hic proferam, quod pro normâ esse poterit in reliquis id genus operationibus.

Sclopetarius in urbe Franequeranâ degens & herniâ intestinali jam ab aliquot annis magnâ laborans, quam tamen pro lubitû reducere & ferè omnia intestina in abdominis cavitatem ubi vellet reponere posset, negligenter usque sine ullô subligari incessit; adeò ut intestina suo pondere peritonæum magis magisque indies dilatarent. Hic cùm die quôdam extra urbem exivisset, frigoreque se correptum sensisset, domum rediens intestina non potuit ampliùs in suum locum reducere, propter inflammationem & tumorem circa annulum, quæ symptomata brevi ita increvere, ut excrementa non solùm per intestina, quæ jam in scrotò continebantur transire non possent, sed illa quæ annulum usque pervenerant sursum regurgitarent & ab ægrô evomerentur. Cùm itaque in deploratô hôc statû versaretur & spes vitę vix ulla superesset, advocabar ego circa undecimam vespertinam, & ægrum agonizantem inveni. Parte affectâ autem examinatâ maculas quasdam in scrotò vidimus, gangrænæ imminentis signa infallibilia: Hęc autem omnia symptomata à strangulatô intestinô provenire discipulis meis aliisque adstantibus denonciabam, neque ullum jam remedium præter reductionem intestinorum, factâ prius aperturâ, superesse. Cùm fomentationes aliaque ejusmodi remedia incassum fuissent applicata: denique periculum esse in morâ. Annuentibus itaque amicis ęgroti, quamvis non magna spes boni successûs jam tandem superesset, ad operationem me accingo, satius esse credens, anceps remedium adhiberi quàm nullum, præsertim cùm ęgrum si fortè aliis de causis, at contra tamen is ex operatione ipsâ non moriturum satis mihi constaret experientiâ edocto, operationem hanc in Bubonocele, si rectè fiat, non esse lethalem. Paratis ergo omnibus in hanc rem necessariis ægrum cum lectô super tabulam eô in situ posui ut pedibus stans operationem possem perficere: Itaque à scroti & productionis peritonæi apertione incepi, ut intestina contenta detegerem; quibus detectis digitum, conductorem omnium optimum, & simul forcipem supra digitum introduxi, scrotumque & peritonæi productionem secundùm totam longitudinem aperui: quô factô præter expectationem apparuere intestina crassa æquè ac tenuia; intestinum enim Cæcum cum magna parte Coli & majore adhuc Ilii portione nudum illicò in conspectum venit, colore omnium mutatô, ob gravem & diuturnam illam strangulationem. Hôc visô majorem solitô aperturam esse instituendam statim dixi, ut facilè & absque ullâ vi aut pressione intestina in cavitatem abdominis reduci possint. Si enim apertura parva tantùm fieret & intestina (quæ jam plus debitô antea, ubi reductionem tentabant, compressa fuerant) absque ulteriori compressione reduci non possent, procul dubiô mortificatio (quæ jamjam imminebat) evitari non poterat. Apertô itaque scrotô supra stilum cannulatum à latere intestinorum in cavitatem abdominis introductum, cultellô annulum eò usque dilatavi ut indicem manus sinistrę facilè supra stilum possem introducere, quô factô extraxi stilum & supra digitum forcipe tantam aperturam feci per integumenta & tendines musculorum infimi ventris (qui annulum, per quem peritonæum sese prolongando unâ cum intestinis in scrotum delabitur, componunt) atque etiam per ipsum peritonæum ipsis subjectum, ut absque ullô impedimentô intestina tam crassa quàm tenuia reducerem. Verùm in reducendis illis difficultas alia inexpectata mihi occurrit, Coli nempe intestini cum productione peritonæi in ipsô annulô coalitio; quam cultrô separare coactus sum, & quamvis operatio inde retardata multò difficilior redderetur, peregi tamen eô cum successû ut reductis intestinis & suturâ in annulô factâ partibusque reliquis incisis, æger statim sublevari se sentiret, vomitusque cessarent, placideque illâ ipsissimâ nocte dormiret, magnâ cum febris, quæ antea aderat, diminutione, meliùsque indies se haberet, & brevi, quamvis jam quinquagesimum ætatis superasset annum, sanaretur.

Ex hâc historiâ non obscure colligi poterit, quantâ cum ægrorum utilitate in hujusmodi casibus incisiones amplæ & majores fiant, adeò ut ausim asserere plerumque ob nimiam, hâc in re chirurgorum cautelam curationes ægrorum retardari, doloresque augeri, denique paucos dari casus ubi largiùs incidere non liceat & profectò non prosit. Hoc interim lubens concedo in facie id esse evitandum propter deformitatem, in collò vesicæ idem prohiberi, propter urinæ incontinentiam, quæ frequenter nimis magnam incisionem eô loci factam consequi solet; idcoque in ani sphinctere (quantum possibile est) pari cautione procedendum. Quocirca singularem hunc casum eô tantùm fine hîc proposui, nempe ut satis clarè pateat, quàm necessarium sit quandoque largiùs incidere, & non tantùm esse periculi ex incisione peritonæi, quantùm sibi persuadent illi, qui pro metû hæmorrhagiæ cautè nimis & parcè incidendo symptomata interim alia auxere, non sine infelici operationis successu: Tantùm abest ut existimandum sit Peritonæi vulnera esse lethalia. Non possum autem præterire quin hîc addam quod mihi observare licuit in hôc ægrô post sanitatem ipsi restitutam. Nempe herniam de novô propullulasse à latere factæ incisionis: cujus tamen cicatrix tam firmiter ossi pubis locô incisionis adhærebat, ut nullus recidivæ metus superesse videretur. Huic tamen ut in posterum caveret subligaculô se munire coactus est, quod quidem ipse antea ferre non poterat propter intestini Coli cohæsionem cum ipsô annulô. Cùm, inquam, hoc intestinum nullô modô tunc temporis reduci posset, compressionem ejus immediatam tolerare non poterat. Notandum etiam in transitû, quàm inutilis sit operatio quæcunq; in adultis, cùm post incisionem, licèt annulus vel ligatura vel cicatrice occludatur, plerumq, tamen vel à latere nova formatur hernia inguinalis vel à superiori parte hernia ventralis; eô nempe in locô, ubi tendines magis laxi reperiuntur. Causa enim herniæ ordinaria est tendinum ad musculos abdominis pertinentium debilitas, qui relaxati, fibrarum suarum separationem facilè admittunt: peritonæum enim quia solùm suâ vi pondus intestinorum sustinere ipsisque incumbentibus resistere non potest, paulatim extenditur, & per interstitia fibrarum tendinnsarum scrotum versùs delabitur atque unâ cum intestinis herniam facit. In infantibus minus adhuc admittenda est hæc operatio, quia hi ferè omnes dum adhuc crescunt ubi robustiores fiunt simplici subligaculô sanantur, dummodo hernia à prolapsû tamdiu impediatur, ut fibris annulum componentibus detur tempus sese contrahendi. Sed & hoc obiter notandum, nempe, in Galliâ, Italiâ, Hispaniâ magnam partem hominum herniâ laborare ob usum olei continuum (olei enim apud ipsos idem usus est qui apud nos butyri) &

Franequeræ in Frisiâ tertiam fere partem incolarum herniæ esse obnoxiam ex continuô lactis ebutyrati usû. Itali quidem & Hispani utuntur oleô, quia illô abundant, longè magis quàm butyro: Franequerenses autem dum volunt otio indulgere, malunt per desidiam tenui victû & lacte ebutyratô vesci, quàm labore & industriâ victum meliorem quærere & mereri. Sicut autem oleum in Italis, Hispanis & Gallis, ita lacticinia in Franequerensibus hernias frequentiores procreare possunt, corporis partes nimis humectando, lubricando, & relaxando.

Tubæ Facies interior sub finem curæ cartilaginem æmulabatur.

Tubam Fallopianam naturaliter constitutam, nunquam in os vel cartilaginem mutari satis liquet Ergo ut explicetur hoc phænomenon, quomodo nempe in præsenti casû hæc mutatio accidit, vel potius necessariò fieri debuit; demonstrandum erit, quæ partis mutatio hîc facta sit, & quid requiratur ad partium constitutionem quæ in cartilagineam aut osseam substantiam mutandæ sunt. Constat itaque quò magis humidô abundant partes aliquæ, & quò major in illas humorum copia influit, eò tardiùs & difficiliùs easdem concrescere in osseam soliditatem, è contra autem quò minus humiditatis in se continent, & quò rigidiores eunt eò citiùs illas indurescere. Sic videmus omnes partes secretionibus inservientes, & per consequens magnum sanguinis affluxum, refluxum, humorique secreto transitum præbentes in ossa raiò aut vix unquam mutari, è contra observare est membranas istas quæ maximâ ex parte ex tendinibus sunt conflatæ, & tantam solummodò humoris quantitatem admittunt quanta ad nutritionem atque incrementum suum est necessaria semper ferè in ossa mutari. Hæc autem (si ita loqui liceat) ossificatio quatenus vel citiùs vel tardiùs fiat tam in ossium conformatione naturali quàm in accidentali, multum à situs, & figuræ differentiâ dependet. *Quoad situm* ossificatio retardatur vel acceleratur, prouti membranæ partibus magis aut minùs humiditate abundantibus sunt appositæ vel impositæ, id quod clarè patebit ubi de ossificatione à primâ conformatione ad adultam usque ætatem posthac fortè plenius tractabimus: sed id non est hujus fori. Hoc unicum pro exemplô addam, nempe epiphyses cartilaginosas substantiam ossis molliorem tantùm adipisci; propter humoris magnam quantitatem continuò ipsas ambientem, & eò delatam ad faciliorem motum; quæ tamen cartilagines, si casú forté aliquô humoris affluxus impediatur, statim in ossa mutantur: id quod quotidie observatur in ossium concretione & motus abolitione propter illius humoris defectum. Propter humiditatem nimiâ quantitate peccantem, ossificationem in totum impediri in hydrocephalo jam supra diximus. Hinc jam deducimus partium siccitatem requiri ad ossificationem, & omnia quæ siccitatem illam quòquomodô imminuunt, ossificationem pariter impedire. Sic continuus olei usus homines agiliores reddit, & in ipsâ senectute tardiorem tendinum ossificationem efficit, quia nempe vasa illa sanguinem oleosum vehentia difficiliùs occluduntur, & diutiùs mollia, atq; recipiendo sanguini apta permanent.

Figuram ossificationi vel celebriori vel tardiori aliquid etiam cootribuere, demonstrant totius corporis nostri ossa, quorum in primâ conformatione ea pars citiùs in osseam duritiem concrescit quæ maximè elevata est atque gibbosa. Sic in craniô videmus in durationis initia eô loci primò apparere, ubi partes magis sunt prominentes & elevatæ, non autem in centrô vel mediò (uti olim voluerunt (cujus ratio est satis evidens ex prædictis: nam ubi circulatio pigrior & difficilior est ibi vasa facilius concidunt atq; occluduntur, & propter defectum humoris eò citiùs rigescunt atque in duriorem ossis substantiam abeunt.

Jam itaque tandem examinabimus quæ mutatio facta sit in hâc nostrâ membranâ tubam adeò dilatatam constituente ut indurationis ejus ratio liquidiùs elucescat. Hujus igitur membranæ superficies interna olim glandulosa fuerat, quò meliùs secretioni inserviret majoremq; sanguinis copiam admitteret, ac jam tandem, deficiente humore mutata est in aridam & exuccam quæ sanguinem vix ullum recipiat.

Extractô siquidem fœtû omnis superficies interior glandulosa fuit separata, membranæ autem pars exterior quæ superfuit vasis jam constrictis & propemodum clausis in siccam & ferè exanguem pelliculam mutata sensim exaruit. Quæ quidem siccitas ex humoris defectû necessitate quâdam huic parti duritiem adferre debuit: nempe qualis in plurimis etiam cicatricibus eandem ob causam observatur, quia ubicunq; partes conglutinantur, ibi vasa simul occluduntur usque adeò ut humoribus vix transitus præbeatur. Accedit & hoc quòd cutis instrumenta sudorem secernentia fuerint del ta, unde & minor humoris affluxus & major penuria Sed ut hæc nostra tubæ facies interior cartilaginis substantiam præ se ferret, cequirebatur adhuc partis figura gibbosa: hanc autem magnâ ex parte, ab intestinis aliisque partibus in infimô ventre contentis babuit Quæ (quia tanta in hôc casû à fœtû crescente ipsiusque humoribus existentia non obstitit, quin suâ mole pristinum locum facilè occuparent) membranam Tubæ ipsorum ponderi & compressioni cedentem in partes contiguas ita impulerunt, ut figuram abdominis gibbosam tanquam à proplasmate acciperet. Hinc major difficultas transeunti sanguini oborta majorque vasorum occlusio & partis rigiditas facta est, quæ tandem cartilagineam hanc duritiem tubæ induxerunt.

Hæc interim tubæ indurata membrana cicatricem præmuniens, & per totam ejus circumferentiam ubique cum peritonæô coalescens tendinum in operatione transcissorum defectum utcunque supplevit. Hæc enim janua cartilaginea nisi à naturâ semper providâ fuisset efformata atq; ante ostium illud collocata; profectò hæc fœmina eâ facillitate fœtus in utero gestare non potuerat, præsertim gemellos quos trienniô post curationem hanc peractam peperit: Abscissis enim tendinibus qui abdominis partes præcipuè continent ac coërcent, vulneris ora sibi invicem ita appropinquare non potuerant, ut absq; ulla intercapedine conglutinarentur, obstante partium suppuratum exitû per ipsa suturarum interstitia: ideòque eô loci à fœtûs pondere & incrementô tanta extensio acciderat ut vi expultrice omnino abolitâ, hernia ventralis inevitabilis atque immensa successisset. Quippe tendinum fines abscissi atque in hâc parte induratâ concreti, nec satis validi fuerant & actuosi ad fœtum excludendum, & prolapsui intestinorum insolito certò certiùs secuturo resistere non potuerant.

Plura adhuc restant, Vir ornatissime, quæ in hôc casû notatû digna commentarium plenius sane & uberius postulent. Sed hæc hactenus. Nam & ego Epistolæ modum mihi videor excessisse, nec te diutius morari debeo gravioribus forté curis & negotiis districtum. *Vale.*

Fœtûs.

Fœtus mortui, innoxia per duos menses in uterô, gestatio.

Clariss. Christoph. Guntheri Schelamammeri, Miscell. Curios. Decur. iij.

Nobilis quædam Matrona ab E. gravida, cùm ad menses VIII. fœtum suum gestasset, accidit, ut conspectu N. subitò exterrita, ex illo tempore infantem suum sentiret, sensim debilitari, & post aliquot demum hebdomadas versus noctem, motu violentiore concuti, tremere, & se hinc inde jactare, tandem verò quiescere & in unum locum latere dextro collabi & emori. Nullos ab eo tempore fœtûs ampliùs motus, nulla vitæ indicia, neque tamen symptomata, quæ consequi solent mortuum fœtum, matremque affligere, observata sunt, sed pulchrè valens, ad mensis decimi finem, sine ullo incommodo fœtum portat suum perpetuò in illo loco, ut pondus inutile, cubantem. Completo partûs tempore, dolores sensit consuetos, rumpuntur fœtûs membranæ, aquæ effluunt, sequitur ipsum tenelli cadaver, funus in ipso partu repræsentans proprium; Mater nihil mali admodum patitur, sed valens & fœlix deinceps aliquoties adhuc vivos & pulchrè sanos fœtus parit.

Ex quibus colligitur: 1. Non semper gravia symptomata mortem infantis in utero comitari, nec 2. semper mortuos fœtus putrescere, sed tempus partûs incorruptos præstolari. 3. Falli illos, qui partûs causam in fœtus maturitate quærunt, & vel ejus magnitudinem, locique hinc angustiam, vel alimenti defectum eum ad exitum concitare arbitrantur. Nihil enim horum in nostro apparet, tamen legitimus partus justo tempore secutus est. Unica itaque fortè Naturæ lex est, à Creatore & conditore suo sibi imposita, quæ hæc ut cætera; gubernat, ac moderatur, ut, quotquot naturalem terminum ex causis mechanicis explicare, satagunt, frustra se torqueant, etsi negari non possit turbatum parvulum sanguinis affluxu & tumultu spirituum, & in angustias redactum calcitrare, seque jactare vehementiùs: At hoc est adjuvare partum non etiam efficere.

Fœtus in Utero exsiccatus.

Clariss. Joh. Christophori Bantzmanni Miscell. Curios. Decur. iij. ann. 7. & 8.

Anno MDCLXXXIX, circa tempus Paschale, Uxor Tabellarii nostri Henrici *Schroders* suppressis hactenus mensibus & insequente motu Embryonis, gravidam se esse percipiebat. Circa festum autem Pentecostes, per duas noctes insequentes horrores Febriles patiebatur, & motum Embryonis ab eo tempore Mater non ampliùs sentiebat, tumorque ventris indies subsidebat, adeò ut vestimenta strictiora, hactenus remota, rursus capessere potuerit, cæterum tamen nullatenus malè habebat. Quid fit? mensi Julii fine, partum edebat mortuum, ita exsiccatam, ut osseus planè, cute saltem superductus appareret, Lochiis parciùs, aut ferè nihil fluentibus, nec Lacte in Mammis accrescente, nullisque aliis symptomatibus insecutis.

Fœtus in Utero materno vermine factus.

Clariss. Ambrosii Stegmanni, Miscell. Curios. Decur. iij. Ann. 7. & 8.

Ante biennium & quod excurrit, rustica quædam ex proximo pago *Helffta* me convenit & retulit: Se octavo mense jam gravidam sentire in infimo ventre motum vermiculantem: *Es sey nicht anders, als wann der untere Leib voller Ameisen wäre.* Gerebat quidem hæc fœmina ventrem prægrandem, sed ex toto marcidum, nec ulla fœtus vivi, vel moventis indicia edentem, hinc potiùs ex obstructione mensium, quàm ex ingravidatione tumefactum esse ventrem hariolabar. Ne verò fœtui, si quis adesset, nocerem, corroborantia, uterum respicientia, & alia in ejusmodi casibus dubiis proficua illi ordinabam, & jubebam, ut si quid sinistri accideret, mecum communicaret. Absoluto nono mense accersitus ad rusticam hanc convulsam sine intellectu & voce deprehendebam, propinabam itaque illi optima quævis, ut aliquo modo refocillaretur. Hinc, cùm ad rem ipsam indagandam, tum à patiente, tum ab adstantibus admonerer, tacto abdomine, observabam molem versus pubem prorumpere ingentem, atque admodum mollem, partes vaginæ internas deprehendebam siccissimas, nullamque uteri aperturam vel pariendi conatum alium. Abiens suadebam, ut luteum liliorum incoquerent juri gallinæ, & oleo Amygdalar. pingue redderent, ordinabamque pellentia cum confortantibus mixta per vices adhibenda. Altero die post revisebam Ægram, illamque doloribus partûs insufficientibus, languidis, & per longa intervalla recurrentibus oneratam videbam, hinc fortiora pellentia illi propinanda, itidemque fomenta applicanda & linimenta emollientia ad infimum ventrem, lumbos ac regionem circa os sacrum, pectinem, ossa pubis, pudendaque cum cervice illinenda ordinabam, à quibus parturiens in vehementiores partûs dolores incidebat, quos non longè post hiatura uteri aliaque partûs instantis indicia sequebantur. Cùm autem Patiens admodum debilis, nec tanta uteri apertura adesset, ut fœtus ab obstetrice apprehendi possit, hinc illam supinam, reclinato capite, elevatis coxis & posterioribus locandam suadebam: Obstetricem verò instruebam, ut obstetricantem manum oleo delibutam sensim sensimque in uterum immitteret, alterâque Parientis abdomen leniter comprimeret. Dictis obtemperans Obstetrix, referebat: Instare quidquidem utero, sed nullum esse partum, neque manu posse extrahi. Jubebam, ut quale quale unco apprehenderet, illudq; leniter & paulatim extraheret. Hinc maximo molimine & longo labore protrahebat sacculum quendam Obstetrix (qui membrana erit exterior fœtum includens χοριον dicta, admodum densa & p.n. crassa) ex quo innumera vermium progenies figuræ latæ & coloris rubri in conspectum veniebat, qui totum fœtum, exceptos paucis ossiculis, consumpserant. Secundinæ admodum retorridæ, ac si in fornace pistorio tostæ fuissent, adhærebant firmiter huic membranæ, & vix ℥j. ponderabant. Nullam aquam puerperalem neq; ante, neq; cum, neque post partum exclusit hæc fœmina; Lochia verò à datis medicamentis demùm post quintum ritè excrevit diem edititq; post annum, incolumis & sana, sanum fœtum rursus in lucem, cum quo iterum, quod mirandum, aliquot viginti ejusmodi suprà dictorum vermium, absque tamen læsione matris & infantis simul exclusit.

Fœtûs, præter opinionem & intentionem parentum, admiranda in utero materno conservatio.

Clariss. Gustavi Casimiri Gahrliep, Miscell. Curios. Decur. iij. Ann. 7. & 8.

Decadis II. Ephem. Naturæ Curiosorum Anno VIII. Observ. 56. variæ adducuntur historiæ, quibus frustraneos in exturbando fœtu tam artis, quàm Naturæ conatus narrando, difficultatem provocandi vel directè vel indirectè abortum astruere satagit Author. Haud multùm abludens ab illis, notabile aliquod exemplum mihi quondam observare contigit.

Anno 1666. ad Juvenculam Professoris cujusdam juvenis sanguinei ac torosi uxorem, qui hanc comprivignam suam paucos ante menses duxerat, vocabar, de colicâ & motu quodam, ut ajebar, præternaturali, in ventre & sub hypochondriis ac Iliis conquerentem, ac meum de illis judicium ac consilium exposcentem. Re probè pensitatâ, & cùm constitutione utriusque Neonuptorum ac tempore nuptiarum collatâ prægnantem illam esse judicabam, motumque à fœtu oriri asserebam, sed tam ab ipsâ quàm à marito, & quod majus à Socero & Socru, parte materque nimirum utriusque conjugum, fatis, ut saperent, annosis non sine indignatione explodebar, imò, qui aliàs familiæ illius Medicus eram ordinarius, derelinquebar, atque alius, me quidem senior, at in hoc casu vix oculatior vocabatur; Qui assensum parentibus præbens, illam strenuè contra colicam, tam carminantibus, quàm purgantibus, nec venæsectione omissâ, pugnando exercebat sed frustra. Motus illi & subinde quidam dolores continuabant nihilominus: Tertius itaque & huic adjungebatur, & uterque collato consilio nil quicquam, quod vel alterando vel purgando, aut externè etiam applicando ad colicam hanc, uti illam vocabant flatulentam debellandam ullo modo facere posse videretur, intermittebant; sed haud majori quàm ante successu. Parentes præterea ipsi cum marito ex ambubajarum, Medicastrarum & Medicastrorum consilio tentabant quamplurima tam interna quàm externa, eaq; inter quædam satis violenta & periculosa auxilia; Alia inter ad compescendum motum illum, uti ipsis putabatur præternaturalem, allisio & angulo mensæ quadratæ violenter impacto ventre aliquandiu illam detinebant, donec nimirum lassatus ac debilitatus hac violentiâ fœtus aliquantisper à motu cessaret; aliàs humi, aut in lectum prostratæ utroque genu incumbentes, alvum deprimebant, ut colicam illam exorbitantem cohiberent, sed & hæc omnia irrito effectu. Unde suffraganti Medicorum illorum consilio Berolinum eam deducebant, atque illic celebriores Medicorum antesignanos in consilium adsciscebant, qui sinistrâ relatione, Patientis, Mariti & parentum dementati aliquoties illam purgarant, & quidem satis largiter & copiosè & cum virium non exiguâ jacturâ, ter, nisi omnis fallor, venam secuerant, ac sanguinis insignem copiam profuderant, præter omnem necessitatem in subjecto gracili ac nil minùs quàm plethorico. Sed & hoc absque omni, quem intendebant & sperabant fructu; Reverti itaque, post exactum illic ferè trimestre spatium, domum coacti, turgescente jam magisque utero, ac tempore partùs paulatim appropinquante, non intermissâ tamen interea solitâ, quam ante narravi tragœdiâ & torturâ, me rursus vocabant, spe forte mutandæ à me sententiæ, sed manifestioribus jam in illâ confirmatus indiciis, colicam illam brevi vitalem fore prædicebam, ideòque denuò cum indignatione dimittor. Biduo vix elapso, mortuq; validiùs quàm ante continuante & perseverante, Matrona quædam è viciniâ, honesta, ac Lucinæ Mysteriis satis imbuta, Consulis cujusdam vidua, invitatur, ut suum & illa de Colicâ illâ molestâ sententiam ferret, hæc re prudenter expensâ, scrutatis quoque ipsis Naturæ adytis, obstetricem quantocyùs advocandam indicat, periculum & quidem summum tam matri quàm infanti in morâ esse, indignantur & contradicunt & huic adhuc stupidi; Illa verò seriis tam maritum quàm parentes affata terminis, nisi matris & fœtûs velint fieri homicidæ, è vestigio obstetricem accersant, ad singula enim momenta partum imminere: Hac igitur ocyssimè accurrente, vix dimidii quadrantis horæ spatio prætterlapso, vivum ac vitalem satis grandem fœtum, nil remorantibus omnibus illis objectis valde violentia ac periculosis obicibus & obstaculis enixa est. Manifesto exemplo Deum vitæ nostræ ut Anthorem, sic fœtûs in utero materno Conservatorem esse Omnipotentem, quem servatum velit ac vitalem, hunc contra nulla valere etiam violentissima mortalium machinamenta.

FOMENTATIO.

De ejus variis speciebus, & applicandi ratione, consuli potest Bibliotheca nostra Pharmaceutica.

FONTICULI.

De Fonticulis sic scribit Hieronym. Fabricius ab Aquapendente.

Fonticuli vulgo appellati, sunt parva ulcera deditâ operâ facta, ad morbos, qui infestant, aut infestaturi sunt tum curandos, tum cavendos; id quod præstant tum evacuatione, tum revulsione, tum derivatione humorum, qui in corpore fluctuanti sunt. Morbi autem quos præcavent, aut curant fonticuli, longi sunt, non breves & acuti; ratio est, quia cùm evacuatione humorum id præstent, quæ omnino exigua ab exiguo ulcere provenit, ideo sensim; spatio temporis commodum præstant, quare neque in phrenitide, neque in acutis febribus, neque in aliis, & repentinis morbis fiunt, sed in chronicis tantùm, tum qui ex abundantia supervacuorum humorum, tum maximè ex fluxione fiunt.

Conferunt autem primò evacuatione, quæ etsi exigua est, & sensim facta, quia tamen continua est, & continuo tempore fit, ideò progressu temporis tantùm juvat, quantùm quævis alia evacuatio; quod aliæ per longa fiant intervalla, hæc continuè evacuet, & corpus sanum conservet. Ideoque Siculorum plerique, etiamsi sani sint, sibi tamen fieri fonticulum volunt, ut sani conserventur. Propter quam causam, cùm in omni corporis parte fieri possit fonticulus, ad humores tantùm ab universo corpore evacuandos, ut plurimum tamen non fit; propterea quod non solùm in genere evacuandi causâ, sed etiam revellendi, & derivandi administratur, ratio est his elicitur, nam cum humores in corpore supervacui alii quieti sint, alii in fluxu, & motu; cùm fonticuli fiant, & evacuationis, & revulsionis,

ac

ac derivationis causâ, meritò non promiscue in omni corporis parte, sed potissimùm aut ubi quiescunt, & fluxerunt humores, ut in parte affectâ; ad eos solùm evacuandos; aut cùm in fluxu sunt, & revulsionis, ac derivationis causâ, ut in contraria parte, aut vicina, nonnunquam etiam intercipiendæ fluxioni fonticuli fiunt, videlicet in parte, ante prolapsum ad partem affectam. Veruntamen potissimum usus invaluit, in contraria parte, fluxione laborante administrentur; propter quam causam fit interdum in occipitio, ad revellendas ab oculis fluxiones, anterius, retro; interdum in sutura coronali, ad extrahendos humores, qui intus sunt, extra; in brachiis, ad revellendos humores, qui à capite descendunt in fauces, laryngem, & pectus; sic in cruribus, ad renes, lienem, uterum, & alia id genus membra juvanda, & humores tum derivandos, tum revellendos. Servatur quoque rectitudo partis affectæ, aut mittentis, ideoque in liene obdurato, in sinistro crure; in jecore affecto, in dextro paratur; sic sinistra capitis parte dolente, aut aliter affecta, in sinistro brachio; dextra verò, in dextro; quæ omnes sunt probæ revulsionis conditiones, ut fiant fonticuli, & in parte contraria, & è directo. Quia verò dictum est, fonticulos derivationis causâ fieri, ideò auribus affectis, non incommodum est in occipitio fonticulum parare. Fonticulum ergo felici successu in eadem parte fluxione laborante, tum ad evacuandum, tum ad intercipiendum humorem influentem, ante decubitum ad partem affectam, paramus, potissimùm, cum humor fluens crassissimus est; unde in sene, in tibia valde tumida, & ulcere affecta, facto fonticulo supra genu, in coxa, sanatus est; quòd humor propter sui crassitiem, & segnitiem neque revelli ad alterum crus posset, neque interea trahi ulterius ad locum affectum. Ultimò fonticulum aliquando non quidem paravi, sed reliqui in parte affecta, aut ulcere, aut fistula, quæ esset diuturna, & propemodum incurabilis, ut in fistula pectoris, aut ulcere, cum osse corrupto, spatio enim temporis locus sanatus est, tota materia noxia evacuata. Itaque conferunt fonticuli in genere, & perpetuò, evacuatione: speciatim verò evacuatione, & revulsione, evacuatione, & derivatione, evacuatione, & interceptione; denique sola duntaxat evacuatione. *Sed* hoc adhuc non est satis ad fonticulum rectè parandum; sed cùm hi fonticuli sint ulcera, quæ indigent custodiâ, & detersione, ut plurimum bis in die, matutino scilicet, & vespertino tempore, propterea consueverunt ipsos parare, potissimùm quò manus possunt commodè attingere, & oculi prospicere: propterea non in dorso, non in pede, sed in brachiis tantùm, ut plurimum, & cruribus fieri solent, hoc est, vel supra cubitum, vel paulo supra, aut infrà genu.

Quia verò humores supervacui, quos aut evacuant, aut revellunt, aut derivant fonticuli, in duobus locis consistunt, vel in vasis, vel extra vasa; ut plurimum autem consistunt, humores supervacui in vasis, aut magnis, aut minoribus, aut minimis, præcipuè ubi tumor in aliqua parte non est, propterea bonus fonticulus exigit, ut fit propè vasa, quæ quò majora sunt, eò melior est. Ex quibus colligo, quòd cùm fonticuli fiant tum in brachiis, tum in cruribus, non tamen promiscuè in omni parte crurum aut brachiorum parandi sunt, sed ut paucis comprehendam, ubi & venæ majores sunt, aut propagines earum; & ubi commodè à manibus regi, & mundari possunt; in venis, inquam, hoc est, propè ipsas, non supra venarum corpus.

Rursus altera conditio boni fonticuli est, ut cùm brachia, & crura sint ad motum destinata, hæc verò sint ulcera, quæ cutem prætereunt, & in musculos descendunt; & cum diutiùs ea aperta detinere oporteat, quod pila, aut ex cera, aut piso, aut ex hedera radice fiat, hæc corpora sæpenumero sua duritie musculos comprimunt, & motum, propter dolorem impediunt; ideo requiritur hæc conditio, ut locus seu spatium, seu interstitium inter musculos eligatur, nequaquam in corpore musculi, & ejus carnosa parte, multò minus in nervosa, ac tendinea, qua conditione deficiente, multi coacti fuerunt claudere iam factos fonticulos; confert etiam efficere fonticulum in interstitio musculorum, ut humores, qui in spatiis sunt, faciliùs evacuentur quod sanè interstitium, in brachio quidem, ex cubiti valida tum flexione, tum extensione; in crure autem ex genu, si supra; si verò infra fonticulus fit, ex pedis similiter tum flexione, tum extensione exploratur; interea apice indicis digiti in musculorum interstitio compresso; in brachio quidem, inter deltoida musculum, & superiorem cubitum flectentem; in crure verò, ubi interstitium digito comprimitur, ut in fovea. Ultima conditio est, ut cùm deligare locum fonticuli oporteat, quo pila seu globulus detineatur, ideo necessarius est locus, ubi deligatura commodè consistat, neque decidat, ideoque vitamus omnes loci declivitatem; quo fit, ut in declivitate musculi deltoidis non detineatur fonticulus; sic supra genu. Itaque ut summatim omnes boni fonticuli conditiones referantur, fieri debent ut plurimum in partibus oppositis partibus affectis; interdum in vicinis; nonnunquam in parte affecta; & hoc dupliciter, vel paulò supra, vel in ipsamet parte affecta; tum in iis, quas oculi, & manus possunt prospicere, attingere, & mundare; tum prope venas majores, tum in interstitio musculorum, ubi deligatura contineri potest.

Propterea usus invaluit, ut fiant in brachiis, & cruribus fonticuli; & ut judicium faciatis de exacto, & congruo loco, in brachio fieri consueverunt quatuor locis; vel posteriùs ad fines deltoidis musculi, vel in medio; vel anteriùs; vel inferiùs; atque olim ab omnibus fiebant aut in medio, aut posteriùs, aut in fine. Ego autem locum anteriorem elegi, & substitui, quòd alia loca opportuna non sint, ut ex conditionibus deficientibus patet, una tamen primò in omnibus spectatur contrarietas; nam si posteriùs, desunt tres conditiones, prima, quod ligatura, & fascia non consistit, sed decidit; secunda, quia propè venas non est; tertia, quia aspici oculis, & manibus mundari non potest; si verò fiat in medio musculi corpore, nota non caret, quia non in interstitio musculorum fit, neque propè venas, neque fascia consistit; quòd si in fine musculi deltoidis fiat, diu detineri non potest; quod propter pilæ gravitatem deorsum excurrat, & supra musculos veniat, ac tendines, quos cum dolore comprimat, & ita detineri non possit, quod si anteriùs fiat, uti ego soleo, inter deltoidem, & alium, qui cubitum flectit, & vulgo vocatur, *il Peschetto*, hic exactus est fonticuli locus; quod videri, & attingi possit, quod inter musculos.

quod propè venam cephalicam fiat, & deligatura permaneat.

In crure autem effici fonticuli consueverunt tum infra, tum supra genu, tum extra, tum intra; si extra fiant, deest una conditio, quia non habet venas vicinas; in interna verò habet saphenam. Igitur melius est ut fiant in interna aut coxa, aut tibia, ea scilicet parte, quæ deligari potest, & deligatio contineri; nam nimis supra genu, declivitatem regio habet; si nimis deorsum, articulo, & tendinibus nimis vicinus locus est; præterea interna pars non habet latum tendinem; quam vitare oportet, alioquì graves inflammationes superveniunt. In mulieribus sive supra, sive infra genu fiant, perpetuò propter uterum, & menses intus parabuntur. Atque hæc de loco.

Fiunt fonticuli vel caustico medicamento, vel ferro. Superiori ætate, ferè omnes fonticuli caustico parabantur; sed experientia, tandem docuit, causticum non esse tutum, quod non solùm mala qualitate præditum est, sed etiam quòd sæpe magis combutat, quàm est partis spatium, ut non rarò vis ejus pertingat ad musculos, tendines, & nervos, ob quam causam, excitati sunt dolores, & inflammationes, inde gangrænæ, & sphaceli, & magna ulcera, ita ut nonnullis fuerit opus crus excindere totum; nonnulli quoque ex ea re interierint; quæ omnia hic Patavii contigêre. Propter has causas, usus jam diu invaluit, ut ferramento candente fiant, sed nonnulli sunt, qui ferramentum ignitum adeo formidant, ut nolint illud admittere, & caustico uti necesse sit; cujus oportet primò vires habere perspectas; inde in loco opportuno poni, caveréque ne spargatur, & majus ulcus quàm oporteat paretur; quod fit operculo glandis supra posito. Sunt qui oleo de sulphure, aut de vitriolo, intincto in eo specilli mucrone, specilloque convoluto, supra cutem fonticulum excitent. Sed quomodocunque caustico fonticulus paretur, nunquam postea butyrum apponatis, quod sub caustico putrefacit, & gangrænam excitat, tum etiam ubi in hydrope in cruribus fonticuli fiunt, à butyro omnino abstinendum, sed solùm diapalma utendum, & vino.

Sed potior, ac tutior modus est, qui ferramentis procedit; quæ duplicia sunt, alia candentia, alia incidentia. Sunt qui incidentia usurpant, duplicando cutim, & ita incidendo, & pilam statim imponendo, sed ne dolor excitetur, dum inciditur, ego paravi duas ferreas laminas; quæ in medio scissuram habent. elevatus cutis, & duplicatur, & inter duas laminas, stringitur arctè, ut sensus ferè obstupescat, tum scalpello ad scissuram inciditur, & ita fit fonticulus per incisionem. Sed cum minori molestia fit fonticulus cum ferramentis candentibus, quàm incidentibus; quia incidendo dolor excitatur, & inflammatio. Ferramenta autem varia sunt; nam tria quidem habentur, quæ tamen ad duo reducuntur; etenim ex duobus sibi ipsis similibus, alterum nota interdum non caret; quod partes circunstantes sub eo vim ignis persentiant, dum ex compressione circuncirca attolluntur, & incalescunt; quod tamen sub altero non succedit. Itaque duo sunt instrumenta, quæ commodè usurpantur. In horum usu, quo præcavere oportet, ne scilicet vis ignis, & dolor persentiatur, aut certè quàm paucissimè contingat. Præterea ne ignitum ferramentum videatur; nam propter hæc duo multi formidant ferramentum ignitum, & propter dolorem, propter aspectum ignis. Tria enim sunt incommoda, quæ molestant hominem, cui fonticulus innritur, calor, dolor & ignis aspectus. Ad hæc tria vitanda ars primò excogitavit laminam ferream, latam, & crassam, in cujus medio fit foramen, ejus latitudinis, ut admittat cannulam instrumenti, quod sinistra manu detinetur, & comprimitur; quæ lamina, inferna parte, quæ corpori applicatur, circulum habet cum supercilio tenui, & quadantenus acuto, quæ ponatur supra locum fonticuli signatum attramento. Hæc lamina primò refrigerat partem circunstantem, & consequenter calorem ferramenti candentis; inde dolorem mitigat, obstupefaciendo ipsum; quod facit tum frigiditate, tum compressione marginis acuti circuli; cui postea circulo, si supponatur instrumentum, quod ignem abscondit, erit abundè satisfactum tribus incommodis jam relatis; habetur enim instrumentum, quod aspectum ignis tollit, quod candens ferramentum intrusum, & occultatum habet, in tubulo, aut ligneo, aut osseo, aut argenteo, quod altero extremo orbiculare foramen habet, parti apponendum; ex altero verò, operculum candenti ferro conjunctum, quod deorsum comprimitur.

Modus utendi est, ut ferramento candente cutem uramus, & ipsam tantùm attingamus, & leniter comprimamus. Neque in omnibus par comprimendi modus requiritur, sed variat, pro cutis varietate, videlicet mollitie, & duritie, tenuitate, & crassitie. Ideoque in puero minus, in adulto magis, in sene adhuc magis; item in brachio, ubi mollior, & tenuior cutis est, minus; in crure, ubi durior, & crassior, magis comprimendum ferrum est. item variat, prout pars urenda integra est, aut affecta; propter quam causam in hydrope, & cruribus aqua tumentibus, vix ars tingitur cutis, & à butyro abstinctur. item in cacohymo corpore, aut crure fluxione laborante, mitius adigitur ferrum, & butyrum non apponitur; sed diapalma, & linteum vino nigro austero expressum usurpatur.

Combusto loco, si quis velit fonticulum parare, sine ullo dolore, & sine ulla loci alteratione, seu irritatione, quæ interdum causa est, ut fonticoli molestè gestentur, non est festinandum globulum præproperè imponere, sed cerea primum pila tunc imponenda est, cùm crusta nigra, & alba decidit, & caro rubra, bonaque apparet, quæ omnino sit expers tum doloris, tum inflammationis, & laborum, & partium circunstantium, tunc enim ceream primò pilam parvam apponete; & supra, duriusculum pulvinar, ex linteo factum, fascia angusta adstringere, & comprimere oportet, quousque descendat in profundum, & sedem congruam sibi paret; quo tempore jam hederæ folium, non rotundum, sed fissum, & inter duo linteola aversum ponere supra fonticulum oportet, & quotidie mundare. Sed quæ curatio post facto fonticulo conveniat, scheda mea multos jam ante annos facta dilucidè explicat.

Hisce de Fonticulis ab Aquapendente accuratissimè traditis subjungamus jam ea qua rursus in hoc ipsò argumentò habet diligentiss. Anatomicus, Antonius Nuck, in suis Experimentis Chirurgicis.

Fonticulò in Suturâ Coronali.

Hæc Operatio Italis magis, quam Nostratibus familiaris est, eamq; in Oculorum affectibus, Ophthalmia, Gutta Serena, Catarrhis, Asthmate, Insultibus Epilepticis,

Epilepticis, aliisque frequenter instituunt, certò sibi persuadentes, noxios humores in Capite collectos, ad inferiores corporis partes descensum minitantes, hàc viâ commodè expurgari posse.

Verum enim verò, pace illorum statuimus humores noxios, Fonticuli beneficio è corpore eliminandos, non speciatim in Capite colligi, ibidemq; solummodo hospitari, sed universæ sanguineæ massæ permixtos, ope circulatis ejusdem motus per totum corpus oberrare, ac ubicunq; obicem inveniunt pedem figere, variasque morborum species producere. Si itaq; in itinere suo circulatorio ad Fonticulum appellunt, ibidemq; poros figuræ suæ proportionatos inveniunt, eos subingrediendo à reliqua sanguinis massâ separantur. Quam separationem prolixius explicatam videre licet apud *J. Aluys* in praxi Chirurg. Rat. *De usu Fonticuli, ejusque operandi ratione.*

Sequenti autem modo locum Fonticulo huic convenientem certo inveniri posse Veteres contendunt: Abrasis nimirum verticis capillis filum ducunt à naribus ad verticem, deinde aliud à media auris ad mediam oppositi lateris autem extendunt. Ubi verò hæc fila se mutuò intersecant, ibi foramen cuti inurendum volunt.

Ast per fila tali modo ducta verus sæpe locus non assignatur; Coronalis siquidem Sutura non in omnibus craniis in uno, eodemq; semper reperitur loco, sed in aliis versus verticem elatior in aliis versus frontem declivior non tarò conspicitur, quemadmodum diversorum craniorum frequens inspectio ad oculum demonstrabit.

Verùm locus iste digito melius, quàm ullo instrumento explorari poterit: In quovis enim fere subjecto Coronalis Suturæ inæqualitate quadam & protuberantiâ leviori se prodit; In nonnullis verò depressâ quodammodo persentitur. Unicum proinde filum à naso ad verticem ducendum, quod digito pressum Suturæ Coronalis oram, quà Sagittalem tangit, manifestissimè notabit.

Quoniam autem materia, quam Fonticulus hic plorat non ex cerebro, nostro quidem judicio, sed ex partibus cranium ambientibus proficiscitur, uno eodemque recidet, sive supra, sive infra Suturam Coronalem, sive in eâdem cauterium applicetur.

Facili itaque negotio Operatio hæc sequenti instituitur modo: Inuratur isto modo notato profundum satis foramen cauterio quodam actuali, ab *Aquapendente* invento, à *Sculteto*, aliisque, præprimis à *Jobo van Mekeren* in Observationibus Chirurgicis distinctè admodum delineato. Postea escharæ separatio promoveatur *Ung. Basil. Butyr. recent.* & simillib. vel.

℞. *Unguent. Popul.* ℥j.
Sapon. Nigr. ʒ j.
M.
℞. *Axung. Porc.*
Butyr. Insulf.
Sapon. Nigr. aa ʒijß.
M.

Remotâ tandem Unguenti beneficio escharâ, quod utplurimum tertio quartovè die observari solet, pisum, globulusve ex *Hedera arborescenti, Corio bovino, Aristol. Gentian. Irid. Flor.* &c. confectus cavitati indatur, ut locus apertus servetur, potiq; ulcusculi parentes maneant. Deniq; (superimposito jam Emplastro) fasciâ quâdam (*Cancer* dictâ, vel strophiolo deligatio instituatur.

De Setaceô, è Fonticulorum Classe.

Præter Fonticulum in Sutura Coronali excitatum, occurrit aliud Fonticuli genus, *Setaceum* dictum (quia per foramina nuchæ inflicta filum ex setis contortis olim ducebatur) evacuationis gratia à Veteribus institutum. Hinc in nonnullis Capitis morbis, quibusdam Oculorum affectibus, dolore Dentium, Obstructionibus, Asthmata &c. magnæ utilitatis fuit habitum.

Et licet inter Neotericos non deficiant, qui Fonticulum etiam hunc ut minoris momenti ex Medicina eliminandum volunt: multiplici tamen constat experientiâ magnum (præter exspectationem post alia incassum tentata remedia) exinde ægros percepisse levamen.

Est autem *Setaceum* nihil aliud præter ulcusculum, in nucha inter primam & secundam, secundam & tertiam & quartam vertebram excitatum, ex quo indies materia quædam purulenta excernitur.

Hanc Operationem instituendi modus occurrit varius. Veteres magno cum apparatu stringebant cutim *Forcipe alata* ab utraq; parte foramen habente, per quod *acus*, interdum ignita, interdum non ignita, pro vario Medici scopo transmittebatur, unà cum funiculo è setis equinis parato.

Nos verò simpliciori, commodiori, & patienti minus dolorificâ methodo utentes, sequenti modo procedendum censemus. Capite dorsum versus paululisper reflexo, abrasisque (si opus sit) capillis locus postea pertundendus atramento tali modo noretur, ut puncta notata non ultra pollicis latitudinem à se invicem distent; mox cutis duplicata alterâ Ministri; alterâ Chirurgi manu elevetur, & cuspide acûs ab anteriori parte parum incurvatæ, à posteriori rotundâ ligulâque lineâ, vel serico non contorto (Belgicé *Vloszyde*) instructæ perforetur, filumque ea parte, quæ sub cute latere debet, *Oleo Rosaceo, Ung. Basil.* aliove *digestivo* inungatur, ac sæpius horsum vorsum trahendo moveatur.

Alii *Lanceolâ* cuspide robustiori donatâ cutim elevatam pertundunt.

Hisce ita peractis plumaceolum planum utrique foramini applicetur: dein *Emplastrum glutinosum*, duobus foraminibus pro fili extremitatibus transmittendis donatum, imponatur, filumq; laxè ibidem constrictum linquatur, vel circa collum ducatur, ne ulceris latera dilacerentur, quæ denique compressâ impositæ fasciæ ope alligentur.

Si verò, uti non tarò contingit, hocce Fonticuli genus patienti nimis sit molestum, simplex tantùm hîc in parte excitetur Fonticulus, solâ cutis incisione, globuli cerei aliorumque applicatione; quemadmodum Operatione sequenti fumus demonstraturi.

De Fonticulis in Artubus excitandis.

Propositis Suturæ Coronalis & Nuchæ Fonticulis; examinandi veniunt illi, qui in frequentiori usu sunt & in artubus excitantur, quiq; ad varios capitis morbos tam internos, quàm externos, infantum & puerorum motus Convulsivos, Ophthalmiam, Tumores strumosos, Cephalalgias, Affectus Soporosos, Vertiginosos & Spasmodicos sæpius & cum successu in usum vocantur.

Excitantur istiusmodi Fonticuli in *Brachio* inter musculum Deltoidem & Bicipitem. In *Femore* interiùs supra genu ad trium quatuorve circiter digitorum transversorum distantiam (si à genu ipso mensurare Incipias) inter Vastum internum & Sartorium musculum. In *Pedis parte superiori* ad digitorum trium quatuorve latitudinem infra genu circa marginem Solei, vel inter Soleum & Gastrocnemium.

Parantur autem vel *Cauterio potentiali*, vel *Incisione*: Cauteriorum potentialium descriptiones passim extant

apud Anthores Chirurgos. Si cui verò simplex aliquod arrideat, quod tamen profundè satis & minori quidem cum molestia, quàm quæ magnu cum apparatu proponuntur, partes corrodit, utatur Cauterio ex *Calce viva* & *Smegmate Hollandico* parato.

Admirandum etiam *Cauterium Barbettianum*, quod sequitur, præstat usum.

℞. *Sulph. Crud.*
Arsen. alb.
Antimon. crud. aa ℥ij.

Sulphuri lento igne separatim liquefacto, & Spatulâ agitato adde Arsenicum, & Antimonium pulverisatum, quæ tamdiu agitando misceantur, donec cum Sulphure uniantur & rubescant. Dein

℞. *Hujus Mixtur.* ℥j.
Cap. mort. Vitriol. ʒß.

M. F. Pulv. aliquoties Sp. Vin. lavandus & siccandus.

Hoc medicamentum non tantùm ad Fonticulos excitandos, sed & in mali moris ulceribus, imò Cancrosis, carnisque excrescentiis singularem sæpius habet utilitatem.

Cui itaque *Cauterium potentiale* applicare placet, Emplastrum in medio foramine donatum, parti apponat, foramini dein partem caustici admoveat, eamque pulvillo, aliôve Emplastro tegat, tum tribus, quatuor aut quinque horis effluxis emplastra removeat, & escharæ, *Emplastrum Diapalm.* singulis diebus bis, donec separatio peracta fuerit, applicet.

Nos verò incisionem, cutim videlicet manu elevando, & forfice vel phlebotomo dissecando præferemus.

Escharâ interim separatâ, vel facto per incisionem Fonticulo, globuli ex plumaceolo formati, medicamentisque detergentibus inuncti, ulceri sunt apponendi, usque dum satis excavatum fuerit. Cavitate itaque satis magnâ existente, *Globulus cereus*, *ligneus* aut *argenteus*, vel *pisum* eidem imponendum, quod sæpius novo substituto auferendum: Hocque tamdiu continuandum usque dum vel morbus curatus, vel virium debilitas ulterius pergere prohibuerint.

Notandum interim dari patientes qui à Fonticulis excusari possunt ac debent: Illi nimirum in quibus hi Fonticulorum rivuli aut nimis aut minus quàm par est excludunt, & quibus intolerabiles dolores excitant.

Quomodo inflammationes, vicinarum partium excisiones, ulcuscula, excrescentiæ carnosæ, aliaque Fonticulis nonnunquam supervenientia mala, tractari debeant, de iis inter alios præprimis consule *Wilisium.*

Quæritur denique *an Fonticuli ad sterilitatem disponant?* Resp. si gravidæ nihil à Fonticulis levaminis sentiunt atque emaciantur, omittendos eos censemus. Si verò materia vitiosa quotidiè excernitur, concipere non possumus, cur Fontanellæ in his nocerent, quum tamen experientia nonnumquam contrarium monstraverit.

De Fonticulis frustraneis, & salutaribus.

Clariss. Samuelis Ledelii, Miscell. Curios. Decur. iij. Ann. 1.

Ordinabam virgini nobili, in districtu Grunbergensi, fonticulum ad brachium; apertum tenebat per annum & ultra, nec ullam sentiebat affectûs, ob quem adhibebamus, remissionem, ideò demùm claudebamus absque periculo. Fœmina alia, in loco consueto supra genu ob mala uterina gestabat fonticulum, me ordinante, nec hic scopum attigi quem proposueram. Pastor scorbuticus & succosus in vicina Marchia portabat geminam fontanellam in brachio & pede per plures Annos, & quia absque juvamine servabat, ideò sanabamus. Pannifico Grunbergensi, ob ulcus pedis instruebam fonticulum absque euphoria. Idque quotidianum fermè est in foro Medico, ut quod huic prodest, secundo aut tertio nil emolumenti conferat. Hoc ipsum commovit plures ut penitùs è campo Medico relegare ausi fuerint, generosum hocce Chirurgicum remedium. Non autem tam rigorosâ hîc opus est sententiâ: Pluribus, si non profecêre fonticuli, plures etiam enumerare possemus qui singulari cum levamine aluêre. Quem corripuerat Apoplexia Nobil. adhibitô fonticulô, optimè habuit, & per plures annos supervixit: sponte autem exsiccato fonticulo, Apoplexiâ obiit. Alius asthmate feroso correptus, singularem cum emolumento per plures annos sanctè in brachio & pede servabat. Infinitos alios non tango. Quemadmodum cum plurimis se res habet medicinalibus, ut huic laudabilia existant, & salutaria, alteri haud quaquam: & ita & hîc esse deprehendes. Occurrit singularis vasorum corporis constitutio, quæ in hoc & illo subjecto se exerit, in aliis non; applicatio quoque in causa esse poterit, ab imperitâ manu administrata, ut quæsitum effectum non attingamus cauterio nostro: viscidatas humorum incusanda itidem, & aliæ plures causæ, ob prolixitatem hîc non tangendæ. Lege si placet Dec. 1. Ephemerid. Curios. Anni 3. Observat. 156. ubi plures, quibus utiles fuere fonticuli, consignatos invenies.

Fonticulorum utilitas.

Clariss. Joh. Ludovici Hannemanni, Miscell. Curios, Decur. iij. Ann. 5. & 6.

Satis mirari non possum, qui fiat, quod & generosissima præsidia artis Medicæ, quæ gravissimos morbos humani corporis curent, etiam fato calumniæ subjaceant, ut multi ea prorsus è Republicâ medicâ eliminare & proscribere velint, ac si prorsus inutilia humanoque generi damno forent, id genus sunt *vena sectio*, *purgantia*, *clysmata*, *fonticuli*, *setacea &c.* Cùm autem, si Medicorum Observationes consulimus, docemur eorum ope & tempestivâ istorum administratione gravissimos morbos fuisse curatos, si fecùs quid evenit, illud vitium non ipsis præsidiis, sed præsidiorum istorum abusui tribuendum est. Medicorum ergo est, pro istorum medicamentorum authoritate & dignitate pugnare. Ego jam aliquot exemplis & historiis hactenus dignitatem fonticulorum eorumdemque utilitatem asserui, alii alia defendenda sumant. Fonticuli utilitati asserendæ, ejusdemque commodo, quod in morbis curandis affert, commemorando, porrò meum dicabo laborem. Quidam Generosissimus Dominus oculorum laborabat caligine, capitis imbecillitate, ad hoc malum curandum fonticulum in brachio inuti suo passus est, dicto facto evanuit malum. Curat ergo rursum fonticulum occludi. Quid fit? Recrudescit malum cum aliqua vertigine & pectoris angustia; patitur hoc malum per aliquod temporis spatium, tandem incidit in tussim cum gravissimo asthmate. Curat ergo rursum emunctorium artificiale fieri in brachio, experitur rursum magnum emolumentum, malo curato, postea rursum claudi fecit. Quid fit? post ejusmodi clausuram fontanellæ, rursum respiratio fit angustior, & rursum procul dubio incidisset in periculosissimum asthma, metuens autem illud, rursum fontanella in brachio aperta est, quæ ipsi

jam

jam valde prodest. Sic hic Generosiss. Dominus satis suo exemplo expertus est, quem usum & effectum habeat fontanella in curandis humani corporis morbis, & quòd fontanellâ occlusâ, materia peccans sese in pectus infundat. Minime itaque *Excellentiss. Alexvelli* opinio, (quem autorem cæterùm ob *curam Magneticam* cujus & ego defensor sum, magni æstimo) complectenda, quam fovet in sua *magnetica Medicina.* l. 11. c. 4. p. 128. &c. Quem locum quoque citat *Excellentiss. Spleissius* in suis aureis *annotationibus* ad *Zapata Mirabilia*, cap. 52. pag. 440. Sed quid dicendum est quod legatur in *Fortunati Fidelis relationibus: observatumque est à peritissimis viris* (*Vicomercat.* 3. *de affect.* mulierum 5.) *eos qui fonticulos* in brachiis *diu apertos tenuerunt*, ut *multum inde humoris emanarit, aut qui cervicem trajectè setaceo sauciatam gerunt; magna ex parte steriles esse. lib.* 3. c. 4. p. 364. Verùm respondemus (1) *fallaciam* causæ, (2.) à *particulari* ad universale non valet consequentia, (3.) è contra multi habent fonticulos in brachio apertos, qui tamen copiosâ prole gaudent. Historiam hanc transcripsimus è *nostris philomatheticis Chiliade* 2. *Cent.* 6. *Lemmat.* 92. quæ publico destinavimus. Similis farinæ historiam commemorat Nobiliss. *Vitus Riedlinus*, *in suis Lineis Medicis, Mense Martio Lemmate XXX. p.* 91. Hæc hac vice in Apologiam & defensionem fonticulorum sufficiant. Et ex hac mea & Nobiliss. *Riedlini* historià quilibet Æger & Medicus hoc capiant monitum, ne temerè ista emunctoria, quæ aliquantum temporis spatium aperta fuêre servata & humorem excreverunt, occludant. Et quamvis interdum hæcce emunctoria huic vel illi damno fuerint, non tamen propterea illorum usus tempestivus improbandus vel damnandus. Quippe nullum corpus sub sole, quod non huic vel isti damno esse queat, licèt aliàs plurimis maximè utile & proficuum sit. An fonticuli sterilitatem inducant? hoc quæsitum prolixè definimus in nostris *philomatheticis* Cent. 4. Chiliade 2. Lemmate 41.

Fonticulorum applicatio, non omni tempore tuta.

Clariss. Joh. Adami Lospichlers; Ephemerid. German. Cent. 1. & 2.

Qualiter Archeus, modò timore, modò horrore subitaneo concitatus, nec non gaudio, ac ipsâ animi tranquillitate satisfactus, tenerrimis infantium corpusculis, utero adhuc inclusis, susque deque solâ continuatâ inspectione, blandiendo quasi inurat maculas, vix non integra loquuntur volumina, & quotidianę testantur experientiæ, sic etiamsi lumen soli apponatur, & noctuæ Athenas deportantur, enarrando hunc casum, eundem tamen, ob rei veritatem reticere nolui, estque hujus historia sequens.

Prænobilis quædam fœmina, temperamenti phlegmatico-biliosi, ac corporis obesi, aliquatum jam prolium mater noviter impręgnata, eodem, quo semper utero gerens, correpta fuit capitis dolore gravissimo, repetitim affligitur, nullo tum temporis medicamento remedibili, quam ob rem præmissis præmittendis, usus fonticulorum proponitur, admittitur unus, & doloris requies sequitur ex hac parte, applicatur & alter, sicque totum caput liberatur; interim tempore debito hora partûs instat, & quidem felicissima, parturit enim feliciter, at infantem fœminei sexûs, cujus nates firmiter adeò cohærebant & connectebantur, ut debita partium divisio nulla, loco ani consueti verò in plano nonnisi foramen parvulum adinstar fonticuli signatum observaretur; at observabatur tantum, siquidem hæc ipsissima recens nata jam jam hydropica & summè debilitata inventa fuit, sicque paucas post horas, accepto sacro fonte fatis cessit, & vitam cum morte commutavit, hujus matris soror, elapsis antecedenter aliquot annis conjugii fructum & effectum percipiens, de convivio quodam splendidissimo binis milliaribus distante, ac reliquis ferculis laudatissimis, in abundantiam rerum, & limaces apponendas fore, certior facta, eo pruritu & appetitu vix non explicabili esum limacum phantasiæ impressit, ut hunc unicum cibum constanter tum temporis desideraret, ac cùm hoc ipsum desiderium occultaverat, & alibi locorum hujusmodi cibus non ad manus erat, filium debitò tempore peperit, cujus membri glandem formosissima limacis figura, quo ad omnia condecoravit; & hæc ob loci ac figuræ raritatem.

FORCIPES, *earumque varia genera.* Vid. sub Titulô, INSTRUMENTA CHIRURGICA.

FORMICA CORROSIVA AVICENNÆ

Est Herpes exedens.

De qua vid. sub titulô

HERPES, in CUTIS VITIIS

FRACTURA.

In Fracturis explicandis adhibebimus Celeberrimi Hieronymi ab Aquapendente, Librum de Fracturis; ut & illum quem etiam in eôdem argumentô conscripsit, Clariss. Joh. Munnicks; Quibus subjungemus varias Observationes &c.

Hieronymi Fabricii ab Aquapendente Liber.

De Fracturis.

Cap. 1. *De Definitione, causis, & signis fracturarum.*

SI Continui solutio in osse fit à causa interna, id est, ab humoribus corporis erodentibus, dicitur Caries; de qua nos capite 10. lib. 3. in ulcerum doctrina, agimus; si fit ab externa, dicitur Fractura, de qua jam agemus. Definitur autem à Paulo, c. 89. lib. 6. quod Fractura sit solutio continui in osse, à violentia quadam extrinsecus adveniens.

Differentiæ fracturarum, secundùm Galenum cap. ult. lib. 6. Meth. sumuntur à figura, à magnitudine, ab ossium fractorum varietate. A figura, fractura est, vel recta, id est, quę fit per longitudinem; vel transversa per latitudinem; vel obliqua, quæ è prædictis quasi componitur. Secundò fractura est magna, vel parva. Tertiò, differentiæ sumuntur à subjectis, id est, ab ipsis ossibus fractis; vel enim fractum est femur, vel humerus, vel costæ, & cætera.

Inter

luter causas fracturæ, rarissima est instrumentum erodens, ut ignis actualis, rara pungens; frequens, secans; & frequentissima, tum rumpens, tum contundens.

Fractura sine vulnere existens, cognoscitur primò è cavitate, quæ percipitur, si sub, & supra fracturam pars tangatur. Secundò, si contrectetur membrum fractum, & plerunque solet efficere crepitum, seu fragorem, in loco fracto; ob durorum corporum mutuam affrictionem. Tertiò dolor vehemens adest: ob divulsionem nervorum; aut ob distorsionem corporum nervosorum, aut ob puncturam eminentiæ alicujus ossis in nervoso corpore. Quartum signum est impotentia sustinendi membrum fractum, & innitendi in ipsum. Postremum signum est, si præcesserunt causę fracturarum, & simul proposita signa adsunt. Hæc signa perpetuò comitantur; interdum verò etiam adest membri tortuositas, & brevitas, sed non semper. Si vulnus adjunctum sit fracturæ, præter signa proposita, digito, aut specillo immisso, ruptura vel asperitas ossis persentietur, & hæc de fractura transversa. Quod si os secundùm longitudinem fractum sit, primò adest membri crassities, ultra naturalem statum; deinde dolor, tum membri inæqualitas.

Quoad præsagium, fractura ossium non vacat periculo; quia necessariò solutio continui fit magna; in parte quidem carnosâ, si fit vulnus; tantum vulneratur, quantum instrumentum incidens vulnerat, non ultra, at si os rumpatur, propter frigiditatem, & continuitatem, non potest frangi, nisi totum frangatur. Fractura etiam periculosa est; quia fit in loco profundissimo, ad quem Chirurgi manus pervenire non potest. Aliæ etiam aliis magis sunt periculosæ: nam fracturæ in osse magno, difficiliùs curantur, quàm in parvo, multiplex, quàm simplex; cum vulnere, quàm sine vulnere; juxta articulos, quàm longè ab his.

Cap. 2. *De arcenda inflammatione in fracturis.*

Curatio fracturarum requirit unionem; unio autem fieri nequit, nisi hæmorrhagia præcaveatur, & inflammatio, secundùm Celsum, cap. 26. lib. 2. Hæmorrhagia quidem in ossibus non est formidanda, ut in carnosis partibus, nisi fracturæ sint cum vulnere; ad ossa enim non feruntur insignes venæ, & arteriæ; cùm in durissimo corpore calor exiguus minimum de substantia dissipare queat; inflammationem verò hic summè formidamus, & quidem magis, quàm in parte carnosa; propter dolorem enim fit attractio, propter imbecillitatem, multa excrementa tum recipiuntur, tum generantur, quæ à parte fracta ampliùs extrudi non possunt; augetur periculum, quod ossa in multa carne sepulta jacent. Prohibetur autem inflammatio, remotis causis: ut abundè in vulnere carnis simplici, supra cap. 4. lib. 2. ostendimus.

Cap. 3. *De curanda fractura transversa; sine vulnere, & primùm de coaptandis partibus ossis fracti.*

Accedamus ad ea, quæ tantùm ipsius fracturæ curationem respiciunt, & primùm agamus de fractura transversa sine vulnere. In hac fractura indicatur unio ossis, quæ non per primam intentionem, nisi in infantibus, sed per secundam fieri potest, interventu scilicet calli supernati, & fractas partes circum alligantis. Scopi ergo hi proponuntur; primùm fracti ossis partes rectè committere; secundò, commissas servare; tertiò, partium adjacentium saluti consulere; quartò, callo generando studere; quintò, accidentia corrigere.

Ut rectè committantur partes, opus est extensione, & coaptatione; quia enim in fracturis, potissimùm transversis, ossi distorquentur, rectitudo membri deperditur, accidit ut quædam partes emineant, & alibi cavitates contrahantur; quoniam verò una ossis fracti pars alteri superponitur, membrum necessariò fit brevius, quia musculi perpetuò membrum trahunt versus suum principium, qua de causa extensio est necessaria, quæ partes fracti ossis, quæ directæ non jacent, in directum agat, & eminentias in suas cavitates recondat. Et quamvis interdum membrum non videtur brevius fieri, ut si è duobus constet ossibus, & alterum tantùm frangatur, vel si una pars ossis fracti non superponatur alteri, nihilominus, si proba debet fieri coaptatio, necessariò in omnibus fracturis transversis fieri debet extensio, aliàs enim periculum est, ne eminentiæ frangantur; si absque extensione velimus os distortum dirigere, & circum rotare, aut confricare mutuò partes ossis fracti; nam si eminentiæ franguntur, tunc vel intercidunt inter ossa coaptanda, & sic coaptationem impediunt, vel procidunt extra ossa, & excitant dolorem tum distendendo, tum pungendo partes nervosas; hæc incommoda in ἀντιτάσει vitari possunt. In extensione autem modus est servandus; Si enim validior sit quàm requiritur, oritur dolor insignis, unde febres, & convulsiones & resolutiones, interdum etiam musculos esse divulsos Gal. scribit. Com. 1. lib. 1. de fractur. Si mitior sit extensio, quàm pareat, confricabuntur invicem ossis eminentiæ, & aut frangentur, aut in proprias cavitates non recondentur; proinde ossa grandia, & musculi magni, qui membrum robustissimè trahunt versus suum principium, validissimam postulant extensionem, talia ossa sunt, primum femur, deinde humerus, & tibia; tertiò cubitus, post quæ in summa manu, & summo pede sunt. Præterea si utraque ossa sunt fracta, minimam extensionem postulat radius in cubito, id est, os superius; quia hoc os non habet musculos, qui sursum trahant, cùm moveatur pronum, & supinum. Oportet etiam observare debitam figurationem, id est, ut membrum extendatur in ea figura quæ minimum faciat dolorem, quod fit, si fibræ musculorum in rectum intendantur, & musculus integer in una membri parte conservetur. Pueri, & qui molli sunt corporis habitu, validiorem tolerant extensionem; contrà, adulti, & duri. Denique perpendendum est fracturæ tempus, si enim Chirurgus primo die adveniat, validius extendere potest: at si post primam diem, aut non debet extendere, aut mitius, propter influxos humores, & metum inflammationis, secundùm Celsum cap. 10. lib. 8.

Instrumenta extensionis sunt triplicia; Primum manus Chirurgi, ad debilem, seu exiguam extensionem. Secundò, funes, & habenæ, ad mediocrem. Tertiò, organa, & machinamenta, ad validam.

Laxatis

Laxatis igitur instrumentis extendentibus, optima fit partium ossis coaptatio; quam factam esse, tribus signis dignoscimus; Primò, si membrum fractum sano in figura respondeat. Secundò, si tactu nulla cavitas, asperitas, vel inæqualitas in osse fracto noteтur. Tertiò si dolor mitescat.

Cap. 4. *Quomodo partes ossis fracti unitæ servari debeant.*

SEcundus fracturas curandi scopus est, ut partes coaptatæ serventur; quod fit deligatura, quæ ita fieri debet, ut & partes commissas servet, & inflammationem arceat.

Hippocrates tribus utitur fasciis, è linteo non nimis crasso, vel tenui, ne vel premat, vel rumpatur. Primam fasciam ter obvolvit circa fracturam; deinde sursum circunvolvit, usque ad bonam membri partem; ita ut tres, aut quatuor, vel plures circunvolutiones faciat.

Hoc modo stabilitur fractura, dum ter linteum obvolvitur; arcentur etiam humores, qui inflammationem facere possunt, tum influxi, unde ter circa partem fractam fascia volvitur; tum qui adhuc influunt, maximè à partibus superioribus; vasa enim inferiora, sensim in nihilum terminantur, unde fascia sursum circunvolvitur. Secundam fasciam, prima duplo longiorem, contrario modo obvolvit; si enim prior versus dextram, hæc versus sinistram obvolvitur; ut si musculus aliquis, nimirum per primam fasciam, ad partem aliquam sit attractus, restituatur in partem contrariam, per secundam fasciam; quę semel circa fracturam obvolvenda est; deinde, ut exprimantur humores influxi, deorsum est circunducenda, usque ad aliquam membri partem, factis scilicet tribus, quatuor, aut pluribus circunvolutionibus, si opus sit; postea oportet sursum redire per ipsam fracturam, & præterire, circunvolvendo etiam ipsam fracturam, quousque tandem ventum sit ad finem prioris fasciæ, ubi & secunda fascia terminanda. hæc fascia, vi dixi, primò obvolvitur circa fracturam, ut humores ab hac exprimat; deinde deorsum fertur, ad detinendum humores, qui à partibus infernis ad fractam partem fluere possunt, ceu ad debilem; & quia timor est descensus humorum à parte superiori, ob id Hippocrates non terminat fasciam deorsum, sed sursum eam circunvoluit, ut finem habeat, ubi prior finitur. Hæ duæ fasciæ inflammationem potius arcent, quàm fracturam stabiliant; ad hanc enim plures circunvolutiones requiruntur.

His factis, apponit Hippocrates circa fracturam, pannos quosdam triplicatos, aut multiplicatos, ejus longitudinis, formæ, & cujus sunt fasciæ patti obvolutæ at angusti, ut 5. 6. aut plures possint circa fracturam accommodari; inuncti hi cerato modico, si enim copiosum esset, ceratum diffluerent, non autem continerent, apponuntur per longitudinem, circa partem fractam tot, quot requiruntur, ita ut unius digiti vel duorum spatium inter unum, & alterum intercedat. Dicuntur plagulæ, & splenia, à forma oblonga; supplent vim glutinantis medicamenti; & præterea leniunt dolorem, dum compressionem fasciarum prohibent. Tertia Hippocratis fascia, plagulas jam dictas firmat; initium circunvolutionis hujus fasciæ fit à fractura; deinde alterum hujus fasciæ caput sursum, alterum deorsum volvitur. Id notandum, fascias magis constringi debere in parte fracta, quàm alibi, ut pars fracta magis illæsa servetur ab humorum defluxu.

Celsus alium deligandi modum ponit, c. 10. lib. 8. Primùm enim circa fracturam injicit lintea, in oleo, & vino tincta; deinde sex ferè circundućit fascias, quarum prima est brevissima, & ter circa fracturam obvolvitur, ter etiam circunvolvitur circa partem membri superiorem, altera dimidio longior, incipit à fractura, & deorsum circunducitur, postea sursum reducta, in parte superiori ultra priorem fasciam debet desinere. et hæ sunt duæ primæ fasciæ Hippocratis. Super has latius linteum cerato oblinitum est obducendum, ut priores fascias contineat, & ubi os eminet, semper enim membrum fractum propensionem habet ad illam partem, ad quam in ipso frangendi actu propensionem habuit, semper apponendus est pannus triplex, vel multiplex, eodem vino, & oleo madens, ei parti, quæ illi contraria est in quam membrum inclinat. Ego interdum pannis utor, interdum stupâ, quam madefacio in vino nigro austero, si volo roborare, & arcere inflammationem; vel in ovi albumine, si fractura dolore caret, & solum stabilire volumus. Celsus madefacit in vino, & oleo, potissimum rosaceo, si dolor scilicet infestat. Latiore linteo applicato, circunvolvere oportet quatuor reliquas fascias, ita ut sequens semper priori sit adversa, & tertia in inferiori parte, reliquæ omnes in superiori terminum habeant.

Celsi igitur deligatio ab Hippocratis deligatione differt; nam Hippocrates tribus utitur fasciis; Celsus sex; Hippocrates utitur plagulis, quarum loco Celsus latiora lintea usurpat; Hippocrates cerato utitur, Celsus vino, & oleo. Si dolor alicujus momenti partem infestat, Celsi deligatura magis prodest; at si dolor est vel nullus, vel exiguus, præstat deligatio Hippocratis, quæ maxime a Galeno probatur, cap. 5. lib. 6. Meth. Recentiores statim sumpta fascia, è duplici initio deligant fracturam, non animadvertentes, quæ Hippocrates, & Celsus scripseruot. Nos autem medicinæ principes sequemur.

Terminus adstringendi debet esse bona laborantis tolerantia, ut deligatura leviter premat, & sic tum contineat, & stabiliat fracturam; tum humores exprimat. Sunt etiam alia hujus signa, quæ altero die apparent; si enim æger eo die, quo deligatus est, sentiat se valentius constringi, postera verò die tumor laxus, mollis, & parvus appareat, in mano quidem, si brachium; in pede verò, si crus fractum sit, bona est deligatio; quia jam humores à parte fracta sunt expressi; si verò aut nullus tumor, aut magnus, & durus postridie in manu vel pede appareat, prava est deligatura; quia illa non continet; hæc verò nimis arcta est, & inflammationem movet.

Tertio die, à deligatione factas Hippocrates fascia, resolvit, tunc enim incipiunt laxari, quæ prima causa est, cur solvantur; altera causa est, quod frequentissimè in fracturis intolerabilis pruritus infestat, ob humores, & vapores per deligationem detentos, & acriores redditos; qui pruritus terminari solet in excoriationem cum dolore, & inflammatione; & tunc solvendæ fasciæ, parsque pruritu infestata, sæpe aquâ tepidâ perfundenda, ut sic omnia evaporent; postea rursus membrum

membrum deligandum. Facta bona deligatura, & pruritu non infestante, à tertio usque ad septimum, oportet ægrum deligatum detinere; septimo membrum rursus solvendum, perfundendum tepida aqua, & ligandum.

Sed hoc tempore, vice plagularum, oportet ferulas, ita Hippocrati dictas, apponere, nostro tempore, quia non habemus copiam ferularum, chirurgi utuntur laminis è ligno factis, è quo fiunt vaginæ ensium vulgò assulas vocant, quas stupâ obvolvunt; alii utuntur charta, seu papyro crassissima; alii ligneis frustulis, digitum crassis, utuntur. Horum usus est, non solum immobile, sed etiam rectum tenere membrum; quod optimè præstant ferulæ; quæ cum lævissimæ sint, non premunt, nec inflammationem movent; quatenus verò sunt rigidissimæ, rectum servant membrum. Assula facilè incurvatur, ut & charta illa crassissima oleo præsertim, aut vino madefacta; ligna autem crassiora valde premunt, & movent inflammationem. his utebatur Hippocrates, demum post septimum; quia ante septimum magis urgebat intentio arcendæ inflammationis, quàm intentio stabiliendi fracturam; post septimum autem contra accidit.

Cap. 5. *Quomodo Ossis substantia salubris conservari debeat.*

TERTIUS scopus curationis fracturarum est, substantiam partis salubrem conservare; natura enim, id est, partis temperies, os unire nequit, nisi pars sit sana, quia ergo pars fracta debilis est, ut corporis excrementa ad eam facilè confluant, ut etiam ob coctionem debilem multa excrementa fecernantur, & expelli nequeant, & præterea, quia in osse fracto, etiam optimè coaptato, cavernulæ tamen quædam remanent, quæ postea sanie replentur; idcirco ut partem salubrem conservemus, opus habemus medicamentis, quæ materiam influxam desiccant, & influentem repellunt, uno verbo, adstringentibus.

Hujus præsidii materiæ variæ sunt: nam Hippocrates utitur cerato, deinde vino nigro austero. Celsus linteis, oleo, & vino tinctis. Recentiorum quidam sumunt linteum vino nigro austero expressum; quidam stupam pexam, vino nigro austero expressam; quidam vinum, & oleum sumunt, hisque admiscent pares portiones pulverum bolí Armen. sang. drac. myrtillorum, balaust. rosarum tub. Alii præter hos pulveres, subigunt ovi albumen, & faciunt medicamentum instar mellis crassum, imponuntque supra stupas pexas, aut supra lacius linteum. Quidam sumpto ovi albumine, & vino nigro austero, admistis pulveribus propositis, absque linteo, aut stupa, membrum fractum circumcirca illinunt; et hæc medicamenta, propter ovi albumen, statim siccantur, & valde parti adhærescunt. Nonnulli fascias è vino nigro austero expressas circumvolvunt, ut firmiùs hæreant.

Quantum ad horum usum attinet; scopi considerandi sunt, nimirum primò, arcere inflammationem; secundò, substantiam partis salubrem conservare; tertiò dolorem lenire. Debet etiam perpendi, tempus anni, habitus corporis, ætas, fracturæ magnitudo. Si ergo dolor urgeat, ceratum Hippocratis supra latius linteum convenit; supra ceratum autem hoc, aliud linteum è vino nigro austero expressum circumponi debet, ad inflammationem arcendam. Si fiat ceratum è cera, & oleo rosaceo, vel myrtino, leniet dolorem, ratione olei, arcebit phlegmonem, & stabiliet fracturam, ratione adstrictionis. Si dolor sit exiguus, non tamen omninò despiciendus, magis incumbimus in id, ut phlegmonem arceamus, & fracturam stabiliamus; unde sumimus oleum rosar. vinum, & ovi albumen, his pulveres dictos, ad mellis crassitudinem miscemus, & cum linteo, aut stupa apponimus.

Si nullus ferè adsit dolor; tunc totis viribus arcemus inflammationem, & stabilimus fracturam; ideòque ab oleo abstinemus. Si habitus corporis sit durus, tempus æstatis, fractura magna, ut in femore; ovi albumini miscemus pulveres constringentes propositos, additis corticibus granatorum, gallis immaturis, succo hypocystidis, quæ stupis imponuntur; supra stupam autem imponimus latius linteum è vino expressum; aut si non placeat tot lintea obvolvere, primam fasciam, itemque secundam è vino nigro exprimimus, & circunvolvimus. Et his medicamentis substantia partis salubris conservatur; quæ omnia ante deligaturam sunt imponenda.

Deligaturæ succedit positio, seu collocatio membri, lib. 13. de illis, quæ fiunt in medic. Comm. 51. 52. & 58. lib. 2. de fract. Hæc secundum Hippocratem debet esse mollis, ne premendo dolorem inferat; æqualis, ne distorqueat; sursum versus, ne humores descendant. Hinc chirurgi membrum fractum collocant in lecto, & molli stragulo; vel pulvinar è molli lana, aut pluma, parti fractæ circunligant; vel chartam crassam, *chartone* vulgò, in canalis modum conformant, & intus stupa subfulciunt, in cubito, & iis ossibus, in quibus æger non cogitur in lecto degere; si autem in lecto decumbat, nil melius est, quàm formare capsulam è tabulis ligneis tenuibus, & stupa multa, aut lana implere.

Præterea, in positione, sicut etiam in extensione, & deligatione, oportet congruam membri figurationem considerare; quæ scilicet dolore vacat, & musculos integros servat ex utraque parte; hæc autem est figura media, in qua, dum otiamur, singula membra continere consuevimus; ut in cubito, figura angularis; in carpo recta, &c. ea nimirum, quæ inter extremos cujusque membri motus intermedia est. Hæc figura nisi observetur, exiguo post tempore membrum dolere solet.

Cap. 6. *De Callo in fracturis generando.*

QUARTUS scopus est callum generare; quod faciendum, postquam timor inflammationis recessit, plerumque circa diem septimum, secundùm Galenum cap. 5. lib. Method. Licet interdum citiùs hoc fiat, interdum tardiùs, pro magnitudine fracturæ, anni tempore, ætate, habitu corporis, ut supra etiam de simplici carnis vulnere diximus; dum enim affluxum adhuc timemus, non possumus studere generationi calli; quia natura partis læsa non potest callum generare.

Generatur

Generatur autem callus, ex ossis alimento, quod à labiis fracturæ exsudans, circum ossa fracta concrescit, & licet non sit os, ita tamen durus est, ut si membrum illud rursus frangi contingat, potius in alia parte frangatur, quàm ubi callus est genitus. Duo igitur hîc indicantur, primùm, ut congrua materia suppeditetur. secundo, ut à labiis fracturæ non eluatur, aut foras evocetur.

Quoad calli materiam, cibi debent esse crassi; quia ossis alimentum crassum est, & simul viscidi; unde utendum oryza, frumento in aqua cocto; farre, pedibus, ventribus, & capitibus animalium, potissimum vitulorum, & castratorum; dabitur etiam cutis hœdi, & vervecis, crura vaccina. Vinum tunc exhibendum omninò est, idque nigrum, & crassum; debet autem victus è tenui in pleniorem mutari.

Medicamenta etiam per os dari solent, quæ ad callum generandum, & indurandum faciunt; ut succus primulæ veris, pluribus diebus potus; pulvis radicum agrimoniæ, in vino sumptus, aut succus ejus epotus.

Localia erunt emplastica; unde in pueris, & mulieribus, paramus emplastrum è farina volatili, & ovi albumine; In adultis, apponimus hoc emplastrum; R. boli Arm. thuris, myrrhæ, aloes, acaciæ, tragacanthæ, ladani, gallarum, nucum cupressi, ana part. æqu. in pollinem redacta, immiscentur ovi albumini, cum modica farina volatili. Utimur etiam perfusionibus, è decocto granatorum, & foliorum myrti, radicum ulmi, radicum, & foliorum fraxini; item è succo foliorum vitis albæ. Hæ perfusiones fiunt, quando ligatura resolvitur, antequam emplastrum apponatur, & deligatura adhibeatur. Inter cerata à chirurgis usurpatur emplastrum Barbarum; item oxycroceum, tempore Hyemis, Veris, & Autumni, quia sunt calida; Diapalma verò, tempore æstatis. Sic ergo materiam paramus aptam ad calli generationem, tum victu, tum medicamentis.

Ne autem materia hæc, è qua callus generari debet, foras evocetur, oportet deligaturam mutare; non enim amplius pars ita deliganda est, ut humores exprimantur, sed ut persistant, & concrescant circa fracturam. non ergo tam frequenter fractura est deliganda, ut prius, sed quinto quoque die; laxiores etiam debent esse circunvolutiones; at in prioribus deligationibus non est tantum intervalli interponendum, sed videndum, quomodo callus in fractura procedat. satis ergo erit, duos dies protrahere deligaturas sequentes, & interim prospicere oportet, num tantus, talisque callus generetur, quantus, & qualis requiritur. Quomodo autem callo minori, vel majori occurrendum, infra paulo post docebimus.

In fractura per longitudinem facta, eadem prorsus curatio adhibenda, quæ in transversa, saltem ut deligatio magis adstringatur; alias enim facilè posset decidere. cap. 5. lib. 6. Method.

Cap, 7. *De Symptomatibus fracturæ supervenientibus.*

QUINTUS succedit scopus, nimirum correctio accidentium, quæ fracturis solent supervenire, & curationem retardare; ea verò sunt, dolor, inflammatio, pruritus, excoriatio, callus justò major, vel minor. membri debilitas, gracilitas, depravata figura, gangræna, vulnera.

Si ergo dolor infestat, leniendus est anodynis; ut lana succida, intinsa in oleo, & aceto simul mistis, & coctis; spongia ex oleo rosarum expressa, & imposita, inunctio ex oleo chamæmelino, & lumbricorum; deinde linteum vino nigro austero imbutum, & impositum, quibus omnibus actu calidis utendum. Hippocrates utitur cerato, quod præstantissimum est, si ex oleo rosato fiat. Convenit fomentum cum spongia expressa in aqua, in qua malva, & chamæmelum bullierint.

Inflammatio nondum orta ut præcaveri debeat, diximus; quod si autem oborta sit, apponimus hoc medicamentum. R. rad. althææ, florum chamæmeli, violarum, ana. M. j. coctis in aqua, & contusis, adde farinæ hordei unc. iv. sapæ. unc. iii. olei ros. viol. ana unc. iii. vini nigri, aut aquæ hordei q. s. Misce pro cataplasmate si calor magis urgeat. R. fol. violarum, balaustiorum, plantaginis, an. Manip. sem. florum chamæmeli Manip. 1. decoquantur in aqua, & cum oleo ros. ac chamæmel. æquis portionibus simul mistis, fiat emplastrum, si inflammatio sit in declinatione, utimur fomento è florib. chamæmel. & betæ decoctis in vino albo, item fomento è rosis, & calamintha, similiter decoctis,

Si pruritus infestat, ob detentos humores, perfundatur locus aquâ calidâ, ut poris apertis, flatus, & vapores difflentur: aut foveatur locus spongia aqua calida imbuta, & expressa. perfusio, & fomentum maximè conferunt, ex aqua marina, quæ propter salem, expurgat, & poros aperit.

Neglectus pruritus terminari solet in excoriationem dolentem, & interdum inflammatoriam, cui occurrendum est exsiccantibus, & refrigerantibus. Aestate igitur, confert unguentum de cerussa, & in calore insigni, unguentum de cerussa caphuratum; si æstas sit, & corpus calidissimum, convenit unguentum populeon; item linimentum simplex dictum, recens; aliis temporibus, prodest unguentum è lithargyro, unguentum de minio. hæc omnia sunt refrigerantia, & siccantia; sed differunt secundùm magis, & minus.

Callus interdum justò est, vel minor, vel major. si minor, signa sunt, quod pars ad motum redditur debilis, & si pars fracta tangatur, callus aut nullus, aut exiguus sentitur. Fit autem hoc, vel quia æger tenui usus est victu, vel cibis aut non crassis, aut non viscidis, sed friabilibus; deinde, quia fasciæ nimis fuerunt adstrictæ. Debet ergo major reddi, per victum pleniorem, fasciæ sunt laxandæ, medicamenta adstringentia mitiora reddenda; attrahendi etiam humores perfusionibus ex aqua calida, non admodum tamen, ne attracti rursus evaporent, donec pars rubescat, & in tumorem attollatur, tunc enim desistendum; Si callus supra modum sit auctus, signa sunt, quod tactu percipitur; & comprimendo musculos, partes nervosas, dolorem infert. Denique pars redditur inepta ad motum, propter dolorem & compressionem. In hoc casu omnia contraria sunt facienda, quo ad victum, fascias, &c. deinde callus molliendus, & digerendus: unde fiunt emplastra è radicibus althææ, foliis malvæ, & meliloti, decoctis in aqua cum axungia anatis. Antequam autem emplastrum apponatur, fiunt perfusiones ex eodem decocto. Facta emollitione fiunt postea perfusiones ex aqua, in qua decocta sit betonica, scabiosa, scordium, parietaria;

& tandiu fiunt, donec non tantum pars rubefiat, & in tumorem attollatur, verum etiam decidat, & corrugetur.

Si gangræna oriatur, statim initio partem debemus perfundere, & abluere lixivio, in quo decocta sint scordium, & plantago, deinde apponendum emplastrum, factum è farina lupinorum, pulvere scordii, & oxymelite, cum modico lixivio.

Si membrum gracile reddatur, vel remaneat, propter nimiam, fasciarum adstrictionem, aut propter nimiam perfusionem, aut nimios motus, aut paucitatem viscosi alimenti; æger nutriendus est; deinde administrandum balneum ex aqua dulci, in qua si aliqua portio carnis decoquatur, erit melius; præterea, picatio efficienda apposita pice, supra linteum ducta, & multoties velociter ablata, ut dolor quidam excitetur, ratione adhæsionis, & pilorum; ob quem dolorem alimentum attrahatur, & pars nutriatur. tandem perfusio facienda est aquâ calidâ.

Post curatas autem fracturas, sæpè membrum in figura depravatum, & distortum manet, quoniam ossa non bene sunt coaptata, id quod fit, aut propter inscitiam medici, aut propter motus ægri inordinatos; aut pravam deligaturam. Si ergo læsio membri in suis motibus non sit effatu digna, æger forte sua contentus esse debet. Si effatu digna sit membri læsio in suis operationibus, & æger sit senex, ac debilis, callus vetustus, os fractum magnum; æger similiter sorte sua contentus erit, At si æger sit juvenis, & robustus, callus recens, os fractum exiguum, unicum erit refugium fracturam denuo rumpere, ubi tamen priùs per multos dies, quantum fieri potest, callum mollire debemus, perfusionibus ex althæa, & malvis, lutis, thermalibus D. Petri & D. Bartholomæi, vel lotura lanarum, œsypo; multæ frictiones fient, digitis œsypo inunctis; fient perfusiones ex aqua, cui incocta sint folia cicutæ, utimur etiam emplastro è foliis cicutæ, cum axungia porcina. deinde rursus os frangitur, manibus, vel digitis impellendo, seu comprimendo.

Si callus fuerit durior, frango, instrumento attrahente in diversas partes; deinde sano, ut hactenus docui.

Cap. 8. *De Curanda Fractura cum vulnere, in qua nec os nudatum est, nec aliquo ossis frustulum abscessurum expectamus.*

In fractura cum vulnere, vel os nudatum est, vel non est nudatum. Præterea, vel frustulum ossis abscessurum esse opinamur, vel non. Nos primum de ea agemus, in qua nec os nudatum est, nec frustulum ossis abcessurum putamus. In hac satisfaciendum est & vulneri, & fracturæ scopis, idque alternatim.

Primò enim coaptanda sunt ossa, per extensionem, ut supra docuimus in primo scopo fracturarum.

Deinde satisfaciendum secundæ, & tertiæ indicationi vulnerum, id est labia vulneris ad mutuum contactum adducenda, & adducta conservanda, quod fit suturâ, aut fibulis.

Postea incumbimus tertio scopo fracturæ, & quarto scopo vulneris, id est, substantiam fractæ, & vulneratæ partis salubrem conservamus, imponendo medicamenta supra vulnus consutum, & fracturam coaptatam, quæ tum dolorem leniant, si adsit, tum inflammationem arceant, id est materiam influentem repellant, influxam exsiccent, & procul à parte exprimant, qualia sunt adstringentia, & glutinatoria, de quibus supra fusè. In præsentia si dolor adsit, & sit hyems, utendum est cerato picato, quod, secundùm Hippocratem, dolorem lenit si æstas, cerato rosato aliis temporibus, cerato simplici. Si dolor non adsit, magis est incumbendum stabiliendæ fracturę, & inflammationi arcendæ, unde superponere debemus stupas pexas, & ovi albumine illitas; vel linteum è vino nigro, & oleo rosato expressum. Si pars omninò sit expers doloris, possumus etiam uti pulveribus adstringentibus supradictis, ovi albumine subacto permistis.

Post hæc, explendus alter scopus fracturæ, id est, deliganda est fractura, sicut supra docuimus. hîc tamen notandum, ut fasciæ sint molliores, & latiores, quàm in fractura sine vulnere, ut oras vulneris utrinque comprehendant, & sic labia vulneris constringant, non comprimant; minus etiam stringendæ sunt fasciæ, quàm si vulnus non adesset, ne compresso vulnere, dolor, & phlegmone oriatur; unde Hippocrates, & Celsus, plures circumvolutiones faciunt, cum melius sit sæpè circumire, quàm adstringere. Debet autem fascia tertio quoque die solvi, & semper minùs comprimi, quamdiu durat timor inflammationis.

Ferulæ vel non apponendæ, ne vulnus comprimant, vel si apponantur, supra vulnus apponi non debent: magisque hoc in casu, multitudo fasciarum probatur, unde Celsi deligatio, quæ fit 6. fasciis, convenire videtur. Et hæc hactenus.

Cap. 9. *De fractura cum vulnere, in qua os nudatum non est, aliquod tamen ossis frustulum abscessurum expectamus.*

Os recedere, seu abscedere intelligimus, quando ossis portio à reliquo osse separatur, & foras à natura extruditur; quod fit, primùm cum è veteri vulnere ossa emarcuerunt, aut arefacta sunt, & marcida effecta; tunc enim à facultate partis expultrice, marcidum os à probo separatur, & sic fit abscessio, seu desquamatio ossis; quæ etiam sine fractura contingere potest, ut in fistulis, & vetustis ulceribus, propter multam saniem diutiùs cum osse commorantem, os corrumpentem; potest etiam hæc desquamatio ossis contingere in fractura non conformata, propter multam saniem collectam. Secundò etiam abscedunt ossa, cùm ob fracturæ impetum, aliquod ossis frustulum, aut è toto à reliquo est separatum, aut ita concussum, ut parum absit quin sit separatum.

Causæ ergo sunt, vel impetus externus, vel ossis corruptio, aut à sanie diutiùs commorante, aut ab alteratione aeris externi, quæ & ipsa ossa corrumpit, & à naturali temperamento dejicit.

Signa verò, quibus os abscessurum significatur, sunt plura. T. 18. lib. 3. de Fract. Primùm enim sanies copiosior effluit, non respondens magnitudini vulneris; unde os corruptum, & abcessurum indicatur. Deinde vulnus gliscere videtur, id est ad excretionem incitari, unde labia vulneris non coëunt, sed potius invertuntur, & æger in hanc rem intentus, motionem quandam tacitam in membri parte intima

intima sentit. Tertium signum ponitur T. 44. lib. 3. de Fract. si ossa conformatio frustretur; enim tunc propter moram saniei os corrumpentis, abcessurum est ossis frustulum. Quartum signum, si os carne nudatum sit, necessariò abscedit; quia non amplius porrigi potest alimentum, cùm venæ, & arteriæ non amplius ad partem nudatam excurrant; quia etiam aeri externo os exponitur, & ab hoc corrumpitur. Quintum signum ponitur à Paulo c. 107. lib. 6. nam caro, quæ accrescit super labia vulneris, est laxa, hebes, vacua, spongiosa; natura enim non sanat vulnus, ubi aliquid intus habet, quod non potest detinere; ea igitur parte, ubi caro laxa est, os abscedet.

Citissimæ autem abscessionis signa sunt, quando citissima fit suppuratio in vulnere, & citissima, atque pulcherrima carnis excrescentia; non enim alio modo os abscedit, quàm dum natura carnem in labiis ossis sani creat, quæ os superpositum suspendit, & propellit. os quidem magnum, solidum, ætate adulta, tempore hyemali, tardius abscedit, ut totus ejus circulus 60. diebus, at mediocre, laxum, tenera ætate, & æstivo tempore, citius, ut 40. diebus, sic pars ossis citius abscedit, quàm totus circulus.

Quantùm verò ad curationem, si os recessurum omnino à reliquo osse separatum fit, & intra vulnus inciderit, ibique consistat, volsellâ est apprehendendum, & foras trahendum, si autem ossis frustulum, pes timam, undique à reliquo osse sit separatum, in suo tamen adhuc loco detineatur, nihilominus, quoniam nunquam cum reliquo osse glutinari potest, apprehendendum est, & extrahendum, si citra violentiam fieri potest; si absque vi magna fieri nequit, non debet extrahi; quia excitaretur dolor, inflammatio, febris, convulsio, & ulcus redderetur fistulosum; cum extracto osse, cavitas illa sanie repleatur, quæ corrodendo, carnis generationem impedit; tunc ergo negotium hoc ipsi naturæ permittendum, quæ sensim carnem in labiis ossis, sani gignit, facitque ossa abscedere, quemadmodum in vulneribus capitis diximus.

Considerandum etiam est, num ossis frustulum abcessurum sit magnum, aut parvum, quod è signis propositis intensioribus, & remissioribus cognoscitur; si enim suppuratio tardiùs fiat, & multa saniei copia conspiciatur, copiosa etiam caro laxa, & hebes generetur, majus frustulum est abscessurum, si contra, minus. Curationem autem utriusque fracturæ tradit Hippocrates T. 20. & 21. L. 3. de Fractur.

Si parva est ossis portio abscessura, primò cavendum, ne pus collectum diutius moretur, intra vulnus, & os etiam bonum corrumpat; evacuandum igitur pus est, non quidem expressione fasciarum atque adstringentium, sicut in fractura sine vulnere; sic enim dolor, & inflammatio oritetur, sed ita vacuandum est pus ut ipsum è vulnere fluat. Alter scopus est, ut ossis abscessionem juvemus; quod tamen negotium in osse parvo, ipsi naturæ committendum est; in magno autem, medicamentis juvandum. his de causis, Hippocrates probat deligaturam laxiorem, ac frequentiorem; ne pus intercludatur, sed facilè effluere queat; ferulas non apponit, ne comprimendo dolorem excitent; reliquum naturæ committit. Id notandum, licet ossis abscessio expectetur, vulnus tamen consui debere; nec enim natura sanat vulnus ea parte, qua os abscessurum est; stabiliri etiam potest fractura fasciis pluribus, ut supra diximus.

Si os magnum est abscessurum, curatio in duobus differt à prædicta: nam & medicamenta adhibentur, & modus deligandi peculiaris. Indicationes sunt, ut pus non intercludatur, sed effluere possit, stabiliatur fractura, inflammatio arceatur, dolor non excitetur, denique procuretur citissima ossis abscessio.

Ad hæc omnia præstandum, quoad deligaturam, multæ sunt sumendæ plagulæ, è panno lineo duplicato. longiores, quàm ut semel membrum circundent; nam breviores non conservarent fracturam stabilem; breviores autem, quàm ut bis membrum circundent, longiores enim non essent commodæ; dum membrum, propter medicamenta renovanda, resolvitur; oportet enim membrum attolli, & dimoveri, ut sic fractura contineatur, & immoto membro, laxatis ambobus capitibus, ipsum vulnus solvendo appareat. Latitudo plagularum, non minor erit dimidio palmo, in summa, tanta, ut labia vulneris sufficienter apprehendat. circundurendæ sunt è duobus initiis, ut decussatim se intersecent, crucis modo; vel, ut paulo longius ab extremitatibus sese decussent, in opposita parte. Tot autem debent esse plagulæ, quot sunt necessariæ, ne ullus vacuus detur locus, & sæpè ego expertus sum, satius esse plures ponere, quàm pauciores, pro fractura stabilienda; ita tamen, ne gravando comprimant. Madefaciendæ sunt in vino nigro, austero, crasso, sic enim melius adhærescunt, inflammationem arcent, substantiam partis salubrem conservant; quibus de causis, potissimum propter phlegmonem, Gal. non tantùm plagulas ita madefacit, sed etiam per totum diem, & noctem, vino illo partem perfundit; aut linteola, & spongias imponit in eo madefactas: ne autem vinum defluens madefaciat totum cubile, & stratum, subjicit corium, canalis modo figuratum, quod excitum dat vino influenti.

Verùm ante admotionem plagularum, necesse est medicamenta apponere; quæ in principio, id est, quandiu durat tempus inflammationis, & dolorem leniant, & inflammationem arceant; ut ceratum rosatum, laudatur etiam ceratum picatum, eo maximè tempore, quo pus conficitur; juvando enim coctionem, & faciendo suppurationem, arcet phlegmonem; quoniam suppurata materia, nihil mali evenire potest; Com. Aphor. 23. Sect. 4. Contra dolorem etiam, & imminentem convulsionem, Hipp. interdum utitur linteolis madefactis oleo, & vino, simul mistis.

Si tempus inflammationis præteriit, omni industria attendendum est, ut os recedens, citissimè foras trudatur, quod licet à natura fiat, hæc tamen medicamentis juvanda, Manifesta qualitate hoc faciunt calida; ut oleum vetus, cera citrina, sordities vasorum apum, ad ignem liquata, cui admiscebitur pars una euphorbii, duæ tithymali, tres aristolochiæ; hoc medicamento utendum hyeme, in corporibus adultis, & duris, & laudatur etiam ab Avicenna aliis temporibus. & corporibus prodest Ammoniacum, & Bdellium, dissoluta cum oleo liliaceo. Proprietate quadam occulta, os recessurum extrahit, cinis lumbricorum terræ, melli admistus, & impositus. Ceratum etiam factum e calore ossa extrahit.

Cap. 10. *De Fractura cum vulnere, in qua os nudatum est.*

OS nudatum omnino ab aeris alteratione defendendum est, ne putrescat, & recedat; proinde si os nudatum non eminet extra vulnus, cooperiendum est, non medicamentis abstergentibus, quæ irritant, & dolorem excitant; nec oleosis, & mitigantibus, quæ sordidum reddunt vulnus, c. 47. lib. 3. de fract. sed naturali tegumento, id est cute. Labia igitur vulneris adducenda sunt ad mutuum contactum futuris, & fibulis, deinde curatio instituenda, ut in fractura simplici, cum vulnere.

Si os nudatum extra vulnus emineat, si quidem facilè in propriam cavitatem restitui possit, beneficio debitæ extensionis, citra violentiam, utique restituendum; postea vulnus consuendum, ut paulò ante diximus. Quod si eminentia ossis nudati, ita foras protuberet, ut sine violentia in locum suum reponi nequeat, tunc è duobus malis minus est eligendum; & os præcidendum, vel limâ, ferrâ, aut alio instrumento aliquantulum brevius reddendum; & postea coaptandum, modica facta extensione, hoc enim melius est, quàm hujusmodi ossa non coaptata relinquere; vel extensione violenta ægrum ad convulsionem, & mortem deducere. Si os retusum, & præsectum adhuc difficulter coaptari queat, & meruimus validam extensionem, in qua propter vulnus, multæ fibræ distrahuntur, & dolor insignis excitatur, ut convulsio sit expectanda, tunc Hippocrates reponit fracturam, quantùm potest, & ferramenta quædam, vulgò *Scarpelli* dicuntur, altero extremo latiora, & tenuiora, inter ossa fracta imponit, seu cuneos quosdam, & modo vectis inflectit; ut sic ossa, magis quàm musculi extendantur, & reponantur.

Hactenus Aquapendens: Sequitur jam Joh. Munnicks de Fracturis Liber.

Cap. I. *De Fracturis in genere.*

Quod in parte molli est Vulnus, id in dura & ossea est *Fractura*, propriè Græcis ἄγμα καὶ κάταγμα, quæ est ossis divisio seu ruptura a causâ externa violenter irruente. In fracturæ Definitione omnes ferè auctores sunt concordes, quod sit *Continui Solutio in Osse facta*. in hoc verò differunt, quod Galenus, Paulus Ægineta, & alii Græci, per Fracturam intelligant *quamcunque Unitatis sive Continuitatis Solutionem in Osse, à re extrinsecâ violentâ factam, tam ab instrumento incidente, quàm contundente, vel rumpente.* At verò cùm de Fracturis tantùm simus dicturi, quæ à re contundente vel rumpente fiunt; ideò cum Guidone de Cauliaco *Fracturam* definiemus: quod sit, *Ossis Continui Solutio absque incisione, violenter extrinsecus à re rumpendi, vel contundendi vim habente facta*: vel potiùs dicamus, *Fracturam esse Continuitatis Ossium Solutionem, à violentiâ quâdam extrinsecùs irruente, accidentem.*

II. Sunt autem variæ Fracturarum Differentiæ, quas tradit Galenus *lib. 6. Meth. Med. cap. 5.* Franguntur namque Ossa vel simpliciter, vel cum adjuncto vulnere, extremitatibus acuminatis fractis ossis musculos, cutemque perforantibus. Idem contingit, cùm à glande plumbea vulneratur caro, & subjectum os frangitur. Simplex Fractura tribus modis contingit: vel enim franguntur ossa transversim, quæ inprimis & propriè *Fractura* dicitur. Et quidem si ità franguntur, ut nullo pacto extrema cohæreant, atque e directo non jaceant; in specie hujusmodi Fractura καυληδὸν, à fracti caulis similitudine appellatur. Dicitur etiam ῥαφανηδὸν καὶ σικυηδὸν, à similitudine fractæ radiculæ & cucumeris. Vel franguntur ossa secundum longitudinem instar alicujus asseris; atque hoc Fracturæ genus *Fissura* vulgo, Galeno σχιδακηδὸν nuncupatur. Vel franguntur cum contritione in plures partes, & talis Fractura σύντριμμα *Comminutio* appellatur; quæ & καρυηδὸν *nucatim* à quibusdam dicitur, quod sit facta in modum contusarum nucis testarum.

Dein à parte affecta variæ petuntur Fracturarum Differentiæ. Alia enim est cranii fractura, alia humeri, alia brachii, alia femoris, alia aliûs partis. Insuper alia fractura magna est, alia parva, alia simplex, alia multiplex, alia sola, alia cum carnis contusione & vulnere, alia cum luxatione, inflammatione, gangræna, &c.

III. Causæ autem Fracturarum Internæ nullæ sunt, Externæ verò ea omnia, quæ contundendi, vel ossa rumpendi, ac dividendi vim habent: sive sit casus, sive ictus quidam violentus, qui suâ vi & violentiâ os frangit & comminuit, ac continuitatis solutionem quam *Fracturam* appellamus, efficit. Facit tamen ad faciliorem ossium fracturam eorundem constitutio fragilis, ut etiam leviorem impetum sustinere non possit; sive ea sit naturalis, sive à carie (in primis lue venereum, ac inunctiones mercuriales subsequente) acquiratur. Enim verò ex lue venerea, arthritide, aut inveterato scorbuto cariosum os, levissimâ accedente causâ externâ, fractum fuisse aliquoties notatum est. Memorandæ & raræ fragilitatis historiæ exstant apud Marcellum Donatum *de Hist. Med. Mirabil. lib. 4. cap. 5.* Schenkium *Libr. 5. Obs.* 8. Hildanum *Cent. 2. Obs. 66. 68.* Qualem & nos observavimus in muliere Scorbuto graviter afflicta: cujus historiam adferre haud gravabor. Mulier septuagesimum septimum agens annum Scorbutica, postquam tum brachiorum tum crurum doloribus lancinantibus ac rodentibus diu fuisset afflicta, vasculum quoddam è pavimento attollens, mox vehementissimum in crure sinistro sentiit dolorem, ob quem deponere vasculum, & proximo in loco sedere fuit coacta. Dolor hic indies augebatur, variaque ei sedando per quinquè hebdomadas imposita fuerunt remedia: quæ cùm nullum adferrent levamen, ecce 2. Junii 1688 per gradus descendens eadem in parte ossium crepitum persentiebat, ab eoque momento omnis incedendi potentia cessabat. 14. Junii vocatus cum Gerardo Dompselaar, Medicinæ Doctore, & Cheirurgo N. Schut, crus omninò diffractum observavimus. Fracturam composuimus, & deligavimus, linteaminibus madefactis Epithemate ex æqualibus partibus *Aqua Pura, Aceti Rosacei,* & *Spiritus Vini*, addito tantillo *Salis Communis*. Sed penitus emaciata quum esset Ægra, nulla succrescentis calli indicia unquam apparuerunt: quin potius, labescentibus indies viribus, tandem ad plures abierit.

IV. Ad Dignoscendas Fracturas jubet Hippocrates, partem sanam cum ægra conferre, ut discrimen, si quod sit, faciliùs intelligatur. Nam si partis affectæ figura fuerit inæqualis, utpotè in loco percusso cava, & in opposito tumida, Fracturam suspicari licet. Insuper transversim vel obliquè facta Fractura facilè cognoscitur, quia ossis fracti extremitates separatæ tactu deprehenduntur: si membrum fractum contrectetur ac variè dimoveatur, crepitus ac fragor in affecto loco, ob ossium mutuam collisionem, ac affrictionem, auditur; dolor vehemens adest, ob divulsionem ac distorsionem partium

partium nervosarum, aut ob puncturam eminentis ossis in periosteo. Adhæc Fractura femoris, tibiæ, aut pedis, omnem incessum tollit, quem aliqualem, admodum licèt dolorificum, luxatio concedit: Et hoc certum Signum distinguens Fracturam & Luxationem. Adest quoque interdum membri tortuositas, & brevitas, dum inferiorem ossis partem musculi convulsi sursum trahunt; sed non semper.

Si verò fracturæ Vulnus sit conjunctum, non solùm dictis signis ea cognoscitur, sed etiam tactu; digito vel specillo intra vulnus immisso, quibus fractura vel ossis asperitas persentitur.

Fracturæ autem secundùm longitudinem factæ difficiliùs cognoscuntur; deprehenduntur tamen ex membri præternaturali crassitie, inæqualitate, dolore. At Comminutio tactu explorari facilè potest; variis enim in locis os digitis cedit, exasperatum valdè.

V. Cæterùm Ossa Fracta nunquam verè reuniuntur, & sicut caro non coalescunt secundùm intimas partes; sed ob ossium siccitatem ac duritiem, duntaxat secundùm exteriorem superficiem mediante callo, circà oras ipsorum oborto, consolidantur. Faciliùs autem curatur fractura ossis transversim facta, quàm quæ obliquè contingit, quævè inæqualitatibus prædita est; quia neque facilè committuntur, & nullo retuso innituntur; carnemque, interdum & nervum quoque, & tendinem vulnerant; sunt namque illæ fracturæ, in quibus capita fractorum ossium sunt retusa, minùs periculosæ.

Difficilius item curatur fractura, ubi os in multa fragmenta divisum est, quoque plura sunt fragmenta. Etiam quò fractura major, & ossa fracta majora, eò difficiliùs & tardiùs consolidatur.

In illis partibus, ubi bina sunt ossa, ut in brachio & crure, si alterum tantùm frangatur, faciliùs fractura curatur, quàm si ambo sint fracta, cùm minus musculi contrahantur, sed ab altero osse integro tensi serventur, atque integrum os fracto fit veluti sustentaculum. Faciliùs item consolidantur fracta ossa, quæ suis sedibus mota non sunt.

„ Ossa autem minùs periculosè in medio franguntur, & faciliùs curantur, & quò proprior „ fractura capiti, vel superiori, vel inferiori os„ sis est, eò pejor est. Celsus *lib.* 8. *cap.* 10. „ Enimverò & majores adfert dolores ob nervorum, tendinosarumque partium læsionem, & difficiliùs curatur. Quæ verò fracturæ articulis spatio trium vel quatuor digitorum proximæ sunt, non solùm periculosæ, sed & curatu difficiles, cùm commodè ligari nequeant, ac ut plurimum tales difficilem juncturæ motum relinquunt; vix, ob callosam inter tendines, articulorumque ligamenta concrescentem substantiam.

In genere tamen recens fractura ad consolidationem aptissima est. Si verò tempus protrahatur, curatio difficilior redditur, Arabum Prin„ ceps, Avicenna inquit: quantò fectius fracturæ „ restaurantur, tantò pejores sunt; cùm spatium „ illud alienâ substantiâ repleatur, & in restau„ ratione, majore extensione egeant, magnæque ex„ tensioni sæpè spasmus seu convulsio accidat.

Quæ porrò Fracturæ cum Vulnere sunt conjunctæ, periculosæ sunt eò periculosiores, quò majora fuerint vulnera; ac sensibiliores partes tetigerint; cùm in hujusmodi fracturis dolores, inflammationes, ac gangrænæ supervenire soleant, & fistulis, aliisque substentaculis uti vix queamus.

Demum de tempore consolidationis fracturæ nihil certi prædici potest, cùm id variet secundùm ætatem, habitum corporis, anni tempus, ac alias circumstantias. Ut plurimum verò nasi, maxillæ, juguli, pectoris, scapularum ossa, costæ, ossa spinæ, tali, calcis, manûs, & plantæ pedis, intra vigesimum, vel vigesimum quartum diem consolidantur. At crurum & brachiorum intrà trigesimum quintum & quadragesimum diem, &c.

Circa tempus verò, quo ossa fracta confirmati, ac firmo soleant obduci callo, observavit Fabritius Hildanus *Cent. 6. Obs.* 68. tibias gravidarum fractas, quamdiu uterum gerunt, mediante callo coalescere non posse „ Tota enim natu„ ra, *inquit*, cùm circa formationem fœtûs oc„ cupata sit, materiam pro calli generatione de„ stinatam ad uterum mittit, & ossa fracta negligit. Cujus rei memorabile exemplum refert *Cent.* 5. *Obs.* 87. de matrona gravida, quæ tibiam fregerat; ubi tantas circà generationem calli habuerunt difficultates & labores, adeò etiam, ut tertiâ & vigesimâ hebdumadâ, post contractam fracturam, movendo & circumagendo pedem, ossa confracta adhuc vacillarent. Tandem tamen, scilicet à tertia & vigesima ad trigesimam septimanam, fractura fuit confirmata. Causam autem tardioris generationis calli in fœtu quærendam esse judicat. Quamdiu enim in utero fuit fœtus, alimentum pro calli generatione destinatum, ad sui nutritionem per vasa umbilicalia attraxisse putat.

Cap. 2. *De generali Fracturarum Curatione.*

I. AT Fracturarum Curatio, tum in rupti, fractique ossis adunatione ac reductione; tum in illius consolidatione & conglutinatione consistit. Ossis verò Adunatio Chirurgi operâ & dexteritate efficitur: Consolidatio autem & Agglutinatio virtute ac viribus Naturæ, cumque Balsamo suo Naturali; glutinoso nempè humore, ad coadunanda & consolidanda ossa accommodatissimo, efficacissimo. Enimverò cum Fractura sit Ossis Continui Solutio, pro ejus Curatione finis ac prima intentio erit Unitio. Hanc tamen Unitionem Medicus facere nequit, sed solius Naturæ opus est; quæ in junioribus nonnunquam per intrinsecam & omnimodam partium disjunctarum unionem; in adultis verò, in interveniente πώρῳ seu Callo, tanquam Glutine, conjungere fractas extremitates solet. Est autem Callus idoneum ac proprium fracti ossis alimentum quod ibidem effervescit dum concoquitur, & in tumorem attollit substantiam ossis, haud secus ac in taleolis arborum per infitionem adaptatis contingere solet. Atque hic Porus seu Callus, licèt non sit os, ità tamen durus est ut si idem membrum denuò frangi contingat, potiùs alia in parte frangatur, quàm ubi callus genitus est.

II. Verùm enim verò Unitio illa, etsi Naturæ opus sit; tamen ut Ea scopum suum assequatur, plura adhuc necessaria sunt. Nimirum cùm ossa fracta plerumquè suo loco dimoveantur, si id accidat, ea restituenda, & ad amussim coaptanda. Deindè hoc modo conjuncta servanda. Quæ si deartè à Chirurgo fiant, Unitio

Unitio posteà Ossium seu Calli Generatio opus Naturæ est. Medicus tamen & hîc Naturæ opem ferre debet; quod fit; si partis naturalem temperiem conservet, & Inflammationem, ac omnia symptomata, quæ naturam in opere suo turbare possent, avertat.

III. Primò itaquè, ut Corn. Celsus *lib.* 8. *cap.* 7. docet, animadvertendum & considerandum est, utrum ossa fracta proptio loco exciderint, nec ne, cùm non semper, ubi transversim franguntur ossa, suâ naturali sede excidant. Cognoscitur autem ossa suo loco dimota non esse; si in fracturæ loco nulla cavitas percipitur, nec punctionis sensus adest, nec membrum brevius apparet. In hac ergò fracturæ specie non opus est, ut membrum extendatur, & de ossium repositione ac coaptatione laboretur.

At verò ossa fracta si loco suo exciderint, ita ut unum suprà alterum efferatur, prima cura esse debet, ut restituantur. Fit autem hæc duabus Operationibus, quarum altera *Extensio*; altera *Conformatio* seu *Ossium in suum locum Repositio* appellatur.

IV. Igitur in fractorum ossium restitutione opus est membri *Extensione*: cùm enim musculorum fibræ, ossis robore destitutæ sequantur naturalem suam determinationem, & in se contrahantur, necessum est per vim eos, simul cum fracto, tantùm elongare, quantùm à naturali statu recesserint. Aliòquin, si non recta fiat extensio in fracturis, ea attritione rumperentur ossium eminentiæ, quæ dein suas in cavitates reponi non possent; sed vel exterius ad ossium latera hærerent, vel inter ossa fracta remanerent, ossisque fracti coaptationem impedirent.

Ut autem justa fiat Extensio, danda opera ut fiat minimo cum dolore. Fiet verò hoc, si membrum extendendum eâ figurâ collocetur, in qua musculi non agant, sed otiosi, & omnes laxati sint, *hoc est*, membri talis sit situs, qui ipsi sano omnium familiarissimus, quivè nullam ipsi adferat lassitudinem: quo modo & minore extensione opus est, minore cum dolore opus perficitur. Extensio interim fiat neque validior neque debilior, quàm requiritur; sed moderata: quoniam ex validiore extensione insignis oritur dolor, ex quo postea febres, convulsiones, & resolutiones sequuntur: in debiliore verò ossium capita committi nequeunt; sed eorum eminentiæ simul confricantur, vel franguntur vel in proprias cavitates recondi ac reponi non possunt.

Cæterum fit Extensio hæc aut solis Manibus, idque unius vel plurium, vel Habenis, sive Linteis, Fasciisvè circumpositis; vel per Trochleam tracto fune, quale exemplum habet Fabrit. Hildanus *Cent.* 5. *obs.* 86. & ex eodem Scultetus *Armam. Chir. Tab.* 22. *Fig.* 1. Extensio namquè major vel minor requiritur pro diversitate temporis, ætatis, magnitudinis ossis. Fractura recens, Æger debilior, os exile, leviorem exigunt extensionem; vehementiorem verò fractura invetetata, Æger robustus, os magnum. Sic minimam postulat extensionem radius; majorem ossa, quæ in summa manu & summo pede sunt; adhuc majorem ossa cubiti, validiorem humerus & tibia; validissimam femur.

In genere autem cognitâ fracturâ mox instituatur Extensio; si namque id non fiat, magnus ob dolorem vehementem fit humorum affluxus, & musculi versus sua principia trahuntur, hinc extensio difficilis evadit, & si instituatur, ossa fracta adjacentes partes carnosas pungunt, ac sequuntur inflammationes, convulsiones, aliaquè mala accidentia, „ Quidquid suo loco motum est, ante inflammationem reponendum. Si verò convulsio oriatur, ossibus in „ suam sedem restitutis, rursus ea (si commodè fieri „ possit) suis locis propulsabimus, Chalmet. *in Enchir. Chirurg. lib.* 4. *cap.* 2. Quod idem docet Hippocrates *Lib. de Fracturis.* § 35.

Si cum fractura Luxatio incidit, primùm luxatio, modo fieri possit, dein fractura erit curanda; quod majorem vim in restaurando postulet luxatio, quàm fractura. Tagaultius *lib.* 5. *cap.* 4. Anton. Chalmetæus Enchir. *Chirurg. lib.* 4. *cap.* 2. Oribasius *Lib. de Machinamentis, Vide Interprete pag.* 498.

V. Extensioni succedere debet *Conformatio*, quæ est ossis fracti in suum locum repositio, & extremitatum recta coaptatio; quam musculorum legitima figuratio optimè determinat, sic ut nulla in illis contorsio notetur. Ea fit, si postquam membrum eatenus extensum est, ut in reponendo ossa se tangere nequeant, Chirurgus membrum, utraque manu comprehensum; studeat ad pristinam figuram reducere, impellendo hinc, inde, ante, retro, ad latera, donec extantes particulæ in suas cavitates & pristinas sedes fuerint reductæ. Non sunt autem eminentiæ ossium cum impulsu vehementi in suas cavitates intrudendæ, ne rumpantur, sed potius sponte sua, extensione laxatâ, manibus Chirurgi leniter directæ in suas sedes recedant. Repositionem verò probè factam esse, ex doloris cessatione, ossis fracti in superficie æqualitate, & comparatione cum sano membro factâ, elucescit; siquè membrum reductum post fracturam longius appareat, id violentæ extensioni tribuendum est.

VI. Ossa sic probè coaptata exactè conjuncta sunt tenenda, quod præstabit *Deligatio*, quæ ita fieri debet, ut & partea commissas servet, &, inflammationem arceat. Sed priusquam Fascia membro facto injiciatur ad humorum affluxum & inflammationem prohibendam, atque partem affectam roborandam, linteum reduplicatum. *Oxycrato* aut *Vino Ru bro Adstringente* madidum (omissis *Oleis, Emplastris*, & similibus, utpote inutilibus, ac non rarò admodum noxiis) imponatur; dein Deligatio instituatur, quæ nec nimis laxa sit, ne ossa suo loco iterum dimoveri possint; nec nimis arcta, ne alimenti affluxum prohibeat, & dolorem excitet. Perficiatur verò duabus Fasciis, paratis ex linteis vetustis, aliisque usibus ea parte attritis, ut sint tractabiliores, validis tamen, nec extentæ lacerentur; nullas consutiones aut extantias habentibus, ut æqualiter, ac sine dolore constringant. Prior Fascia supra fracturam injicienda, & circa eam modicè comprimendo ter involvenda, dein sursum versus ducenda, usque dum ad sanam membri partem, quatuor quinque, vel pluribus circumvolutionibus perveniat, paulatim imminutâ compressione. Ubi autem satis de sana parte fuerit comprehensum, ibi deligationem terminare oportet. Dein altera Fascia, priore duplo longior contrario modo involvenda: si enim prior versus dextram, hæc versus sinistram obvolvatur; ut si forsan musculus aliquis per primam fasciam nimiùm ad alteram partem sit attractus, restituatur in partem contrariam, per secundam fasciam, quæ primùm fracturæ injicienda, &, unâ vel alterâ circumvolutione factâ, ab ea incipiens deorsum aliquoties circumvolvenda, similiter paulatim compressionem minuendo, iterumq; suprà fracturam ducenda, ità ut ultrà primam fasciam in parte sana terminetur.

Maximâ igitur diligentiâ opus est in fasciis arctandis, cumquè eæ injiciuntur, Patientem interrogare oportet, qualem

qualem circumjectam fasciam sentiat, & si premi se dicerit, laxari debet; sin verò fasciam ita laxam affirmet, ut minime fractum membrum sustineat, adstringere est opus. Moderatè ergò fasciæ adstringi debent, magisquè in parte fracta stringi ac coarctari, quam alibi, ut ab humorum defluxu ea defendatur.

VII. Quoniam verò hæ duæ fasciæ, jam circumvolutæ, ad fracturam continendam debiliores sunt, adhibenda insuper *Splenia*, seu panni linei sæpius complicati, oblongi, crassi splenis brutorum instar (*Compresse* barbaro vocabulo, latino *Pulvilli* vocantur.) Hæc circà fracturam, & totum membrum, per ejus longitudinem adhibenda, ut unum alteri non superponatur, sed inter ea digiti transversi spacium circiter intercedat: quæ firmentur appositis *Ferulis*, ex ligno tenui lævigato, aut potius charta crassiore paratis. Etenim cum fasciæ & splenia inflexibilia non sint, fracturam firmam & directam servare nequeunt; sed facilè fieri potest, ut tum vigilantibus, tum dormientibus membrum moveatur. Ut igitur in motibus membrum firmum teneatur, opus est iis, quæ rigida sunt, & non flectuntur, & tamen minus ponderosa. Quem in finem Hipp. elegit Ferulas, quæ & rigidæ sunt, ac inflexiles, sed leves. Quod si ob membri inæqualitatem ferulæ parari non possint, partes cavæ spleniis implendæ sunt, ac membrum æquale reddendum, ut ferulæ commodè applicari queant. Desuper Vincula alliganda admodum laxa, sic ut appositæ ferulæ cum spleniis contineantur, nec quicquam partem adstringant, ac comprimant, sed ut tutum, immobile, ac in debita figura membrum servent. At verò in ferularum appositione cavenda sunt ossa prominentia & excarnia; illis namque appositæ dolorem, nec non alia inferrent graviora symptomata.

VIII. Signum autem congruæ deligationis potissimum ipse Æger indicare solet, ubi, num prematur, rogaverit, atque is respondeat, se premi quidem, sed leviter, idquè præsertim, quà fractura est. Sin verò Patiens fasciis nimis prematur, eæ celerrimè solvendæ & aptius deligandæ, ne ex arctiori vinculo prava eveniant symptomata. Sin fasciarum circuitus justo laxiores, & nihil se premi respondeat Patiens, arctius vinciendæ, cùm laxa vincula non prohibeant membrum, quò minus, quà fractura est, depravetur.

IX. Congruæ deligationi succedit bona membri *Repositio*, quæ sit mollis, æqualis, sursum vergens, sic ut nec protuberantia, nec sinus in loco fracto notetur, neque dolorem & inflammationem excitet. Præterea in Repositione oportet congruam membri figurationem considerare; quæ scilicet dolore vacat, & musculos ex utraque parte integros servat: hæc autem est figura media, in qua dum otiamur singula continere consuevimus, ut in cubito figura angularis, in carpo recta, &c. Ea nimirum, quæ inter extremos cujusque membri motus intermedia est. Hæc figura nisi observetur, exiguo post tempore membrum dolere solet.

Pars igitur deligata in Capsula Lignea, qualem depingit Hildanus *libr. de lebore & Melicer. cap.* 29. & Scultetus *Armam. Chir. tab.* 56. *fig.* 1. 2. 3. stupà linteo involutà repleta, sive in pulvinari molliusculo deponatur, atque ità in tertium usque diem relinquatur, si Patiens eo, quo deligatus est die, & sequenti nocte sentiat se valentius stringi; postero verò die minus, nec non in parte extrema tumor laxus, mollis, & parvus appareat: si verò aut sit nullus tumor, aut magnus & durus postridie in manu vel pede, prava est deligatura; quia illa non continet; hæc nimis arcta est, & inflammationem movet, atque gangrænam non rarò minatur, unde nullâ interpositâ morâ Æger solvendus, ac denuò, sed moderatè, deligandus est.

X. Igitur si probæ deligationis signa adsint, nullusque dolor insignis, nullavè inflammatio suspecta sit, reliquum opus, quod est callum, per quem fracta ossa conjunguntur, gignere, naturæ committendum, & deligatio ante tertium diem non solvenda. Tertio autem, post primam deligationem, die, quum laxiores videntur fasciæ, solvantur; cumque fuliginibus ac vaporibus ob deligationem exhalare prohibitis, & per moram ac stagnationem acrioribus redditis, ità intolerabilis non rarò excitetur pruritus, ut in dolorosam excoriationem, ac inflammationem terminetur; hinc pruriens pars *Aquâ Tepidâ* aliquoties perfundatur, ut apertis poris detentæ sub cute fuligines evaporari queant: dein membrum ligaturâ, quæ molestâ paulo melior sit, constringitur, ac porrò ut prius deligetur, inque capsula seu molliusculo pulvinari deponatur in septimum usque diem; nisi pruritus vel inflammatio, vel dolor, vel quid aliud infestet. Septimo die fasciæ iterum solvendæ, membrum *Aquâ Tepidâ* perfundendum, & deligandum, arctius adductis fasciis; ità tamen, ne sanguinis circulatio, spirituumque vitalium ac animalium radiatio prohibeatur.

Membrum ita deligatum detineatur immotum ad duodecimum circiter diem, quo fasciæ denuò solvendæ, & membrum deligandum. Si namque tardius solvatur deligatio, magna sæpè incommoda (qualia sunt, partis exulceratio, putredo, gangræna, &c.) inde oriuntur, quorum exempla notavit Fabritius Hildanus *Cent.* 2. *Obs.* 91. qui propterea monet, ut secundo aut saltem tertio die semper deligatio solvatur: & quanquam post septimum non sit adeò necessarium toties fracturam solvere, se tamen de quarto in quartum fascias solvere, partemque affectam inspicere solere, scribit. Atque hæc Deligatio continuanda, (paulò laxius tamen fasciis & ferulis iodies adstrictis, ut nutrimentum ad ossa fracta magis confluere, & callus gigni, firmusque reddi possit) donec callus genitus, & fractura sanata sit; quod triginta aut quadraginta intrà dies plus minus fieri solet.

XI. Interim ad Calli Generationem alii exhibent *Juscula, in quibus bullierunt Folia Agrimoniæ, & Radices Consolidæ Majoris.* Nonnulli *viscidiores Cibos* præbent. Alii *Lapidem Osteocollam pulverisatum & cum Jusculo exhibent, & cum Cerata extrinsecus applicant.* Sed cum Calli Generatio, adeoquè fractorum ossium mediante callo unitio, solius Naturæ opus sit, hæc omnia, ut inutilia ac planè inepta, meritò rejicimus. Nihilominus tamen, ut omnia quæ Naturam in opere suo turbare possent removeantur, bona Diæta Ægrotanti præscribenda: Venæsectio aliquandò instituenda & sanguis nonnunquam depurandus. In partium inferiorum fracturis Purgantia rarius, ferè sola Suppositoria usurpentur: in superiorum autem partium fracturis Purgantium atque Enematum usus necessarius admodum est.

XII. Quod si Fractura per longitudinem ossis facta sit, fasciæ arctius stringendæ, quàm in reliquis, ut ossa fracta, quæ secundùm latitudinem à se invicem recesserunt, ad mutuum contactum ducantur, & removeri nequeant. Cæterum ea omnia agenda, quæ in transversiæ fracturæ curatione dicta sunt.

Cap. 3.

Cap. 3. *De affectibus præter naturam, qui fracturis accidunt.*

I. QUoniam verò Fracturis non rarò quædam accidere solent, quæ aut curationem remorantur, aut post curatam fracturam remanent; ut sunt dolor, inflammatio, pruritus, excoriatio, membri debilitas & gracilitas, figura depravata, &c; quæ ideircò Medici operam requirunt, de iis paucis dicendum.

Dolor igitur si adsit, ne in causa sit, ut humores in partem affectam confluant, & inflammationem vel quid aliud excitent, omninò leniendus ac tollendus. Ut verò tollatur, considerandum, à qua causa proveniat; quæ statim tollenda. Perpendendum ergo, an ab osse aliquo pungente Dolor sit, an à fasciis nimium adstrictis. an ex pravo membri situ, an ex humorum affluxu.

Si ex osse pungente Dolor sit, (id quod ex levi partis contrectatione, & pungente dolore cognoscitur) fasciæ solvendæ, & os pungens vel in locum suum reponendum, vel, si fieri possit, eximendum, aut præcidendum. Sin ex fasciarum nimiâ adstrictione Dolor oriatur, deprehenditur id ex tumore, qui in membri extremitate apparet, Ægerque se vehementer premi conqueritur: tunc quamprimum fasciæ solvendæ, & laxior deligatio instituenda. Sed ob malam membri situationem si Dolor fiat, id Æger facilè indicat, & situs mutationem postulat, quæ ità instituenda, ut jam sine dolore se esse fateatur.

II. Verùm ex humorum defluxu quum pars doleat, *Tumor*, & *Inflammationis* signa apparere incipiunt. In hoc casu si membrum devinctum sit, quamprimum solvendum, & cum linteo duplicato vel quadruplicato calidè imponendum *Oxycratum*, vel *vinum Rubrum Adstringens* vel applicetur Fomentum Anodynum, Resolvens, leviterque Repellens, ex *Malva, Althæa, violaria, Scordio, Floribus Sambuci, Camomillæ, fl. Rosarum Rubrarum, &c. in LacteDulci, vel Cerevisia Tenui decoctis*. At priusquam sedata fuerit inflammatio, pars affecta non deliganda, saltem arctè non stringenda.

III. *Pruritus* cùm partem infestet, & Ægrotantem torqueat, cessabit si *Aquâ Tepidâ* pars inter deligandum foveatur, ut apertis poris materia pruritum efficiens diffluere possit. Quod si locus affectus Aquæ Tepidæ affusionem commodè non admittat, ejus vapori satis utiliter apponitur: prohibenda interim Ægris scalptura, eò quod pessima, & præter excoriationem dolores excitet graves. Si tamen ex improvido nimis scalptura, vel ex fasciarum resolutione diutiùs quàm par est protracta, dolorosa oriatur *Excoriatio* sanatur affusione *Aqua Tepida*, uti pruritus; & Litu ex *Unguento de Cerusa, Albo Camphorato, Nutrito*, vel simili.

IV. Non rarò quoque Fracturis, vel ex attritu, vel ex arctioribus vinculis, vel qualibet alia de causa *Gangrena* accidit. Quæ qua ratione tractanda sit, *lib. 1. cap. 17.* abundè dictum fuit.

V. Sed nonnunquam post Fracturam *membrum gracile & debile manet*: quod fit ob alimenti penuriam, dum à nimia fasciarum strictura partis affectæ vasa & porositates admodum constringuntur, adeò ut sufficiens alimentum affluere nequeat. Id quando fit, pars *Aquâ moderatè Calidâ* fovenda, donec rubescat, eaque laxius deinceps vincienda. Insuper commendatur à nonnullis *Picatio*, quæ fit *Nigrâ Pice suprâ linteum ductâ, parti multoties applicatâ, & violenter, velociterque ablata*, ut ratione adhærentiæ, pilorumque evulsionis, ac doloris, alimentum alliciatur, extendo postmodum strictam fasciarum circumductionem, quæ affluens alimentum iterum repelleret.

V. Etiam contingit, ut postquam Ossa Fracta iterum coaluerunt, pristinam & convenientem figuram non recipiant, sed Distorta sint, unde membri motus impeditur, & claudicatio in pede oritur, vel in brachio apprehensio læditur. Fit autem hoc, vel ob Chirurgi ossa componentis & fracturam deligantis imperitiam aut negligentiam; vel ob Ægrotantis vitium, quandò membrum fractum ante calli confirmationem movet, aut ipsi innititur: vel ob ipsius Fracturæ culpam, quum ossis frustulum inter ossa fracta continetur, quod mutuum eorum contactum impedit.

Emendatur autem hoc vitium, si quidem læsio membri sit magna, continuoque punctiones, ob acuitatem capitum ossium non rectè compositorum, persentiantur. Patiens sit juvenis & robustus, callus recens, & non diu concretus, os fractum non adeo magnum; si callus iterum frangatur, & ossa rectè coaptentur & componantur. Verùm ut tutius fiat hæc calli fractio, is emolliatur multos dies Fomentis, Balneis & Linimentis. Callo satis emollito, Chirurgus membrum fractum genu suo imponat, & os utrinque utraque manu deprimat, ac denuo frangat; deinde ossis fracti partes manuum palmis coaptet, & fracturæ novæ convenientem curam instituat. At verò si Patiens sit senex vel debilis, callus vetustus & induratus, os magnum, quale est femoris vel humeri; optimum est illi manum non admovere, ob periculosa, quæ hanc curationem subsequi solent, symptomata: satius enim est vel desurmem vel claudum multos adhuc annos vivere, quàm crudeli curâ, lethaliâ, provocare symptomata. Etiam si læsio membri in suis functionibus non sit admodum magna, Æger forte suâ sit contentus.

Atqui si ossis frustulum membrum totum distorqueat, Incisio fiat ad os fractum usque, & Volsellâ ossis portio glutinationem impediens extrahatur, dein Fractura per extensionem coaptetur, deligetur, & deponatur, eodem modo quo recens fractura.

Cap. 4. *De Fracturis cum Vulnere.*

I. SEd *Fracturis* non rarò conjungitur *Vulnus*; quando ossium fractorum eminentiæ, acutæ incumbentem carnem perforant. Atqui in hiscè interdum os fractum nudatum est, interdum non est nudatum; Quumque denudatum est, nunc extrà vulnus non eminet, nunc verò eminet: deinde interdum os, seu fragmentum aliquod abscessurum esse metuimus, interdum nihil abscessurum speramus. Quæ omnes Differentiæ cùm variæ sint, variam sanè expostulant Curationem.

II. Fractura cum Vulnere Simplici, *hoc est*, in qua nec os à suis tegumentis denudatum est, nec aliqua ossis portio abscessura, duas habet pro sui curatione Indicationes. Prima est, ut Ossa Fracta loco suo restituantur, & conjungantur. Altera, ut Vulneris Labia simul reuniantur. „ Quod si os frangatur, & unà cum ossis fractura etiam musculi & „ corpora adjacentia vulnerata sint, tunc curationis „ intentio oritur duplex, quarum altera quidem „ circà ossa fracta, altera verò circa corpora adja- „ centia vulnerata versatur. Galenus *lib. de Arte Medica cap. 91*.

Primum ergò, cruore sordibusq; detersis, membrum congruè extendendum, & ossium fractorum capita debitè coaptanda, haud secus ac in fractura sine vulnere. Hic tamen notandum, ne Extensio sit adeò valida, quod partes carnosæ ac membranosæ admodum laceræ, contusæ,

contusæ, & attritæ plerumque sint; alioquin dolores ingentes nec non convulsiones excitarentur, non rarò cum vitæ discrimine. Et quidem Extensio hæc, Ossiumque Repositio statim, & primo aut ad summum secundo die fiat, priusquam parti gravis superveniat inflammatio.

Extensione peracta, Osseque reposito, Vulneris Labia ad mutuum contactum adducenda, adductaque servanda per Linteola Emplastica cruciatim imposita, & Fasciam. Dein Vulneri ea applicentur, quæ conglutinandi ac vulnera consolidandi vim habere suo loco docuimus.

Post hæc Fractura Deliganda est, perindè ac si ossa citrà vulnus essent fracta. Fasciæ tamen hic sint molliores & latiores, ut oras vulneris utrinque comprehendant, & sic labia ejus constringant, non comprimant. angustiores namque si essent fasciæ, tunc vulnus cinctum tenerent, & dolorem inferrent. Cæterum minus etiam stringendæ sunt, quam si vulnus non adesset, ne compresso vulnere dolor & inflammatio oriatur: unde Hipp. & Celsus plures faciunt circumvolutiones, cum melius sit sæpius circumvolvere, quàm adstringere. Nonnulli autem hujusmodi fracturæ deligationem instituunt per Ascialem Fasciationem, (de qua Scultetus *Armament. Chirurg. tab.27. fig. 2. & tab. 28. fig.8. 10.*) ut crebrior fieri possit partis affectæ inspectio.

Tertio, nonnunquam secundo, à prima deligatione die pars solvatur, iterumque deligetur; ita tamen, ut deligatio paulò magis comprimat, quamdiu durat timor inflammationis, nisi dolor prohibeat. In secunda verò, & tertia solutione laxior semper fiat deligatio, ut libera omninò sit sanguinis, pro futuri calli materia, circulatio. Reliqua curatio eadem erit, ac fracturæ sine vulnere; nisi quod Ferulæ non sint ad vulnus apponendæ, ne id comprimant: si verò apponendæ, adhibeantur ad vulneris latera & partem oppositam, donec sanatum sit vulnus. Rarò autem contingit, simplex vulnus, si fracturæ conjungitur, secundo vel tertio apparatu cicatrice non obduci, vel saltem carne non repleri. Sanato vulnere si nondum confirmatum sit os, eadem agantur, quæ in fractura simplici.

III. Interdum tamen accidit in Fractura cum Vulnere, ut os nudatum non sit; ossis tamen frustulum abscessurum metuamus. Id quod fit, cum ob fracturæ impetum aliquod ossis fragmentum ita à reliquo osse separatum sit, ut cum eo denuò conjungi nequeat. Tum enim natura id quod sibi molestum est, aliisque ossibus uniri non potest, foras protrudere conatur, neque finem facit, donec expulsum sit; id quod longiore demum tempore non rarò perficere solet.

Ar verò abscessurum os indicat sanies, quæ copiosior, quàm pro magnitudine & constitutione vulneris, effluit. Deindè labia vulneris non coëunt, & si coivetint, iterum dehiscunt, & ad excretionem stimulari videntur, & laxa quasi ac spongiosa evadunt; nec non tacita quædam motio in parte vulnerata percipitur: Neque enim natura vulnus integrè sanat, ubi aliquid intus hæret, quod reliquis agglutinari non potest. Adhæc ossa abscessura indicatur, si in plures particulas os comminutum fit: neque enim tunc omnes facilè conglutinantur.

Citò autem futuram abscessionem suspicatur, si caro laudabilis in partibus ossis sani generetur. Enimverò non alio modo os recedit, quàm dum natura carnem in labiis ossis sani creat, quæ os superpositum attollit, atq; propellit „ maturum ossis exitum, præ„ter probabiles quasdam conjecturas, inde cognosce„re licet; si os semel, iterum, atque tertiò quis pulset: „ percussum enim si clangorem, & vacui resonitum „ reddit, apertum de maturitate testimonium dabit. M. A. Severinus *Efficac. Chir. part. 2. de iis, quæ ad ossa spectant. cap. 11.*

Tempus verò, quo ossa recedere soleant, varium est. Enimverò ætate tenera, tempore æstivo, siquè os non adeò magnum sit; vigint, triginta, aut quadraginta dierum spatio abscedit. Si verò sit magnum, ætate adulta, tempore hyemali, vix sexagesimo die, aut etiam tardius, os separatur. In magnis ossium contritionibus, etiam post multos annos fragmenta ossium prorumpere, exemplo demonstrat Hildanus *Cent. 4. Obs. 97.* Quod & in Praxi frequenter observari solet.

Si igitur os abscessurum suo loco motum sit, & in vulnere consistat, statim volsellâ extrahendum. Similiter si ossis frustulum per rimam undique à reliquo osse sit separatum, in suo tamen adhuc loco detineatur, nihilominus quoniam nunquam cum reliquo osse glutinari potest, apprehendendum & extrahendum; siquidem sine dolore & violentia extrahi possit: atqui magna vi si id fieri nequeat, non debet extrahi, quia facilè excitantur dolor, inflammatio, febris, ulcusque fistulosum redditur, cum extracto osse cavitas illa sanie repletur, quæ corrodendo carnis generationem impedit. Hinc potius Naturæ negotium tunc committendum, quæ sensim id, quod agglutinari nequit, separat. Interim tamen opus naturæ à Medico juvandum, & propterea deligatio laxior instituenda, sæpiusque (de tertio sc. in tertium solvenda) ne pus detineatur, sed facilè effluat. Ferulæ etiam eo loco, quo os abscessurum, non imponendæ, ne dolorem comprimendo pariant. Insuper Medicamenta vulneri admovent, quæ ossa & omne alienum è vulnere expellant. Quem in finem Barbette *Chir. par. 1. cap. 31.* sequentia proponit:

℞. *Cineris Lumbricor. Terrestr.* ℥iij.
Mellis Virginei ℥iß.
M. F. Unguentum.

Vel;

℞. *Aloës, Myrrhæ an.* ʒß.
Rad. Consolid. Maj. Aristoloch. Rot. an. ʒiij.
Euphorbii ʒj.
Therebinthina, Cera q. s.
Ol. Liliorum Albor. parum.
M. F. Unguentum.

Officulo tandem omninò separato, ac citrà violentiam extracto, Ferulæ adhibeantur ad latera vulneris, donec id consolidetur. Si autem, vulnere ad cicatricem perducto, fractura nondum fuerit confirmata, Ferulæ undique erunt apponendæ, ut in fractura simplici.

Verumenimverò si ossium fragmenta, quanquam à suo toto separata, periosteo tamen adhæreant & affixa sint, nullo modo sunt educenda, sed potius in suum locum, situmq; naturalem aptè reducenda, cum coalescere & conglutinari queant.

Attamen insignis ossis portio si sit abscessura, ideò quod ossis fracti partes non potuerint cum aliis componi; tales partes vulneratæ omninò leniter tractandæ sunt. Enimverò propter motum & compressionem dolores accidunt vehementes, pungentibus ossis disfracti particulis non ritè compositis partes vicinas.

Si verò non statim, sed demum posteà, os abscessurum appareat, Deligatio hæc (ut membrum quotidiè deligari & solvi commodius queat, absque eo quod fractura moveatur) mutetur in Ascialem Fasciationem, donec os abscederit. Osse autem abscesso, ac in conspectum detruso, eoque volsellâ, si citrà violentiam fieri possit, extracto a vulnus consolidandum.

Quo ad cicatricem perducto, membrum in quiete conservandum, donec fractura confirmetur, appositis undique ferulis.

IV. Cæterum in Fractura cum Vulnere si os periosteo suo denudatum appareat, videndum, utrum extrà vulnus emineat, nec ne. Extrà vulnus si non emineat, curatur moderata membri Extensione, convenienti Coaptatione, Labiorum Vulneris ad motuum contactum adductione, apta Deligatione, & congruâ Depositione. In Deligatione tamen denudatum os cute, musculisque quamprimum cooperiendum, sicque ab aëre externo, quantum fieri possit, defendendum, ne alteretur, & posteà abscedere necesse sit: hinc considerandum, an aliqua ossis portio sit recessura, vel nulla? nulla abscedet, si os nudatum statim cutis operculo fuerit retectum: aliqua recedet, si os diutius aëri fuerit expositum, quanquam & hæc regula non ità universalis, quis sæpius observatum sit, ossa propter causas tum externas, tum internas denudata, non fuisse alterata, nec squammam abjecisse, uti variis exemplis ostendit Fabritius Hildanus *Cent 4. Obs. 95. & 96.*

Si igitur nullum aut parvum os abscessurum sit, Deligatio peragenda, velut in fractura cum vulnere simplici, & in qua parvi ossis expectatur separatio: sin magnum sit abscessurum, Ascali Deligatione pars vincienda, uti in fractura cum osse magno abscessuro.

At verò os fractum, nudatumquè si extra vulnus emineat perpendendum, an in propriam cavitatem, beneficio debitæ extensionis, citra violentiam & convulsionis periculum, restitui possit, nec ne? si possit, restituatur, sin minus, non restituatur. Periculosam restitutionem indicant, prominentia magna, inflammatio, & pars ob musculorum contractionem dura: facilem veri, os eminens parvum, absentia inflammationis, & partis mollities.

Cum igitur os eminens citrà violentiam & periculum convulsionis reponi possit, primò membrum moderatè extendatur, deinde fractura componatur. Quod si ossa extensione difficulter coaptari queant, ob timorem magni doloris, & periculosæ convulsionis, validior ne fiat extensio, sed Vecte seu Scalpro quodam Incisorio, inter ossa fracta immisso (vid. Scultet. *tab. 27. fi. 9.*) extensio juvetur, donec ossa è directo collocata videantur: deinde paulatim extensio relaxetur, & vectis extrahatur. Verum enim verò si os, cui innititur vectis, in superiore parte, multa fragmenta, vel aliquod acutum habeat osficulum, ut vecti non detur commodus locus, illa Scalpro Rasorio auferenda, hoc autem Forfice præcideodum, ut vecti tuta comparetur sedes. Ossè reposito, considerandum, an fragmentum aliquod abscessurum sit, nec ne? si nihil sit recessurum, pars affecta (vulneri apposito convenieote Digestivo) deligetur, ut fractura cum vulnere simplici, sin verò aliquid recessurum, deligatio instituatur, ut in fractura cum magni ossis separatione.

V. Quod si eminentia denudati ossis ita foràs protuberet, ut sine violentia in locum suum reponi nequeat, tunc è duobus malis minus eligendum, osque eminens & nudum Forfice præcidendum, vel potius subtili Serrâ amputandum, & posteà fractura per modicam extensionem coaptanda: hoc enim melius est, quam hujusmodi ossa non coaptata relinquere, vel extensione violentâ Ægrum in periculosam præcipitare convulsionem, & ad mortem deducere. Fracturâ coaptatâ, membrum deligetur, ut in fractura cum vulnere simplici, ita tamen, ut vulnus quotidiè sine cruris commotione inspici possit: atque hinc suadet Scultetus, ut fasciis & emplastris foramen suprà vulnus incidatur, ad Medicamenta vulneri magno quotidiè applicanda. Rationem porrò fasciarum perforationis addit: „ quia vulnus magnum, & „ ideò per secundam intentionem curandum, co„ piosam generat saniem, indequè crebram re„ quirit inspectionem; os autem comminutum, „ ob metum novæ musculorum contractionis, fre„ quentiorem membri elevationem, fasciarumque „ resolutionem prohibet, unde media via, ut „ vulneri & fracturæ satisfiat, incedendum.

Verumtamen cum eminens os resecatur, ità ut os brevius fiat, multi Ægro prædicendum volunt, partes fractas futuras esse breviores: quæ prædictio ex Hippocrate & Galeno vera est, quandò femur vel humerus fractus particulam ossis amiserit, sed cum tibiæ vel cubito portio quædam abscindatur, brevitas membri semper timenda non est: os enim sanum conservat membrum distentum, donec natura defectum abscissæ portionis callo compensaverit. Cujus rei memorabile in Nobili Viro vidimus exemplum. Is è curru, equis in furorem incitatis penitus disfracto decidens, tibiam cum fibula circiter in medio disfregit, tanta cum violentiâ, ut superior tibiæ pars cutem ad duorum digitorum latitudinem perforaret, atque omni periosteo privaretur: vocatus cum Cornelio van Beeft Medicinæ Doctore, & Chirurgis Herberto à Ravensvvay, N. du Prée, sustimus unanimiter eminentis istius ossis, periosteo penitus denudati, ablationem; dictum factum, & altero die os illud subtili Serrâ amputavimus, ctus ad pristinam longitudinem extendimus, & in molli pulvinari æqualiter deposuimus, vulnus quotidiè inspiciendo; atque sic ex utroque ossis fine paulatim succrescens callus tandem coivit, sensimque in osseam duritiem firmatus est, ità ut crus pristinam longitudinem retinuerit, & ubi ablatum sit, nunc videri vix possit. Haud absimilem historiam recenset Cl. Diemerbroekins *Anatom. lib. 9. cap. 1.* nec non Scultetus *Armament. Chirurg. tab. 28.* ex quibus insuper patet, Ægrum è duplici fractura cum vulnere & deperditione ossis, restitutum nonnunquam non claudicare. Imò femur licet, vel humerus fractus paniculam ossis amiserit, non tamen semper sequitur, partem illam futuram fore breviorem: ità videtur observasse Doctissimus Lindauus, qui *Physiolog. cap. 16. artic. 21.* hæc habet: „ memo„ riâ dignum est, quod meus pater vidit Enchusæ. „ Puero sexenni comminutum est os femoris: frag„ mentis arte & naturâ sequestratis, medio osse exos „ spatium erat quatuor pollicum. Id visum est ex re„ liquis partibus ossis sensim adauctis & tandem „ coeuntibus ità impleri, ut dicere non liceret, „ ubi absuisset, aut quod incommodum haberet ex „ fractura.

Cap. 5. *De Fracturis in specie*

I. IGitur de Fracturis in genere, cum satis nunc dictum sit, cumque ossa quæ franguntur varia sint, & secundùm ollium fractorum varietatem curatio nonnihil variet, haud abs re erit, de iis in specie quædam superaddere; saltem proponendo differentias, quæ à subjecto, & ossium fractorum diversitate sumuntur. Et quia frequentissimè franguntur humerus, brachium, manus, femur, crus, patella, ossa pedis, de iis primò dicemus; posteà & reliquorum ossium fracturas subjungemus.

II. Enim verò *Humerus*, cum externis injuriis expositus

positus sit, sæpius frangi solet. Appellatur autem *Humeri Os* id, quod inter Cubitum & summum Humerum interjacet, & superiore ejus capite cum Scapula committitur, inferiore verò Ulnæ & Radio articulatur.

Cognoscitur ossis hujus Fractura non solùm ex partis dolore & actione læsâ, cùm cubitus amplius sustineri & elevari nequeat; sed etiam tactu, cùm, si pars hæc prematur, ossium fragor ac strepitus audiatur, & inæqualitas persentiatur.

Humeri os, ut Hippocrates *Lib. de Fracturis*. §. 9. Paulus Ægineta *lib. 6. cap.* 100. & Celsus *lib. 8. cap.* 7. inquiunt, quadraginta diebus coalescit. Cùm autem sit grandius, longiore ad callum generandum opus habet.

Fractum verò Os Humeri ut restituatur, brachium incurvetur, sic ut incumbat pectori, mox humerus circa articulationem inferiorem comprehensus deorsum ducatur: factâ hac extensione, ossa convenienter manuum operâ componantur; quod haud ità difficulter fieri potest. Sedulò tamen hîc curandum, ut semper in hoc situ servetur, ne iterum, quod levis mutatio efficere valet eo cadat. Chirurgus interim, post secundam præter propter deligationem, quavis vice brachium in rectum prudenter extendat, ne tendines ab humero ad cubitum excurrentes diuturnâ eâ quiete contrahantur, si quæ rigiditas accidat brachio. Si verò hæc tendinum contractura relinquatur, haud difficile est eam curare, si quotidiè ingens pondus gestet Æger. Chirurgus autem rigidum membrum frequenter illinat Unguento Emolliente & Relaxante.

Hippocrates *Lib. de Fracturis* §. 8. alium proponit modum; quo humeri os fractum extendi & componi debeat, de quo inspiciatur Sculteti Armamentarium Chirurgicum *Tab.* 23. *Fig.* 1. Vult enim Sapientissimus Senex, ut rotundum lignum cubiti longitudinis vel paulo breviùs ab utroque capite habenulis alligetur, quæ trabi, vel alicui sublimi adhæreant, sicque æqualiter ac firmiter lignum suspendatur, ne sursum vel deorsum ferri possit: Deindè Æger brachium super dictum lignum imponat, *id est*, ut transversum lignum alæ subjiciatur; tum Patiens sedeat ità sublimis, ut parum absit, quin suspendatur; interim aliquod aliud pateat, cui brachium inhæreat, pulvinari uno vel pluribus brachio suppositis, ità ut ad eam altitudinem perveniat, ut cubitus ad rectum angulum collocetur, vel à ministro ità detineatur. Deinde cubito valida, mollis, & lata habena circumdetur, cui magnum pondus appendatur, quod extendere convenienter possit, aut robustus aliquis partem inferiorem, cubito cum humero ad rectum angulum figurato, cogat, ac trahat. His factis, Chirurgus stans, altero pede super re quapiam sublimiori collocato, prominentioribus palmarum partibus fractum os componere debet. Alii autem Scalarum gradu suspensi ligni vice utuntur.

At verò Manibus non rarò fieri potest hæc Extensio, præsertim in pueris: resupinatò enim Ægrotante, ne molestiâ aliquâ afficiatur, & alligatâ ac suspensâ ipsius manu ex cervice, ità ut angulosa figura servetur, alter ex ministris ambabus manibus humeri superius caput apprehendendo, alter inferius in diversa extendendo. Quod si manuum operâ expediri non possit in adultioribus, ob musculorum crassitiem & robur, Laqueis extensio fiat, quorum alterum supra, alterum infra fracturam brachio circumligare debemus, iique duobus ministris (quorum alter ad caput, alter ad pedes Ægrotantis consistat) ut in diversa æqualiter & simul extendant, præbeantur.

Facta quovis modo Extensione, ossibusque convenienter compositis, Fasciæ injiciendæ, incipiendo à fractura, attendendumque, ut semper in ea figura ligetur membrum, in qua manere debet, *id est*, ut cubitus cum humero rectum angulum constituat. Cætera porrò agantur, ut in generali fracturarum curatione superiùs diximus.

III. *Brachium* propriè dicitur illa pars, quæ est à Cubito ad Carpum. Constat duobus ossibus, quorum alterum *Radius*, alterum *Ulna* dicitur. Atquè frangitur nunc utrumque, nunc alterutrum tantùm.

Fractura Brachii, ubi unum saltem os fractum est, faciliùs curatur; at utrumque si fractum sit, pessima est, & difficiliùs curatur: majore namque extensione tunc opus est, cum ossa fracta nullum fulcrum & sustentaculum habeant; atque adeò musculorum fibræ, ossis robore penitus destitutæ, naturalem suam determinationem omninò sequantur, & in se contrahantur. Ut plurimùm tamen Brachii Ossa intrà triginta præter propter dies coalescunt; quanquam ætas ab ætate, natura à natura differat. Veruntamen si alterum saltem brachii os fractum sit facilior est curatio, cùm subjectum habeat alterum, in quo plus opis est, quàm in fasciis, ferulisque. Et si Radius tantùm frangatur, faciliorem admittit curationem, sin Ulna, difficiliùs curatur.

In Curanda Brachii Fractura haud secus procedendum, ac in aliarum partium fracturis curandis. Ad Extensionem verò minore vi opus est, ubi Radius fractus fuerit, majore, ubi Cubitus seu Ulna; maxima, ubi utrumque os. Et quidem si ambo ossa sint fracta, æqualis Extensio facienda: si alterutrum solummodò fractum sit, ea in parte, ubi fractura est, fortior Extensio instituenda. Atque hæc actio ex sententia Pauli Æginetæ *lib. 6. cap.* 101. fieri debet inflexa manu ad angulum rectum, sic ut pollex omnium digitorum altissimus, contrà minimus digitus omnium infimus habeatur. Fieri autem potest extensio Manibus, à duobus ministris in diversa extendentibus, & si vehementiore extensione opus est, utriusque præsertim ossibus fractis, & in valde carnoso, Habenis facienda, alligando unam supra fracturam, alteram infrà. Extensione factâ, admotis prominentibus palmarum partibus os fractum dirigendum & componendum, atque in pristinam sedem restituendæ, si quæ ossium adsint eminentiæ. Osse fracto reposito, fractura Fasciis circumdanda, & alia, quæ in genere de fracturæ curatione dicta sunt, peragenda, tandemque brachium rectè collocandum ac situandum: quod fit, si incurvatum imponatur pectori, sic ut manus paulò altiorem occupet locum, quàm brachium ipsum, nec non mitellâ commodissimè excipiatur è cervice suspensum in ea figura, *hoc est*, quæ rectum angulum referat in cubiti curvatura ut conjuncta ossa nullo modo dimoveantur. Post hæc singulo biduo aut triduo leniter brachium extendatur, quò affluentes humores non nimis diu in articulis detineantur, adeoque non efficiant harum partium coalitum, & hinc membri rigiditatem. Similiter si superius Ulnæ tuberculum,

Olecranon dictum in ipsa Cubiti flexura fractum sit, qualibet vice, inter deligandum, leniter brachium extendatur & iterum cubitus incurvetur, ne in ipso articulo, vix inter ejus tendines & ligamenta, callosa concrescens substantia juncturæ difficilem motum, vel omnimodam rigiditatem relinquat.

IV. *Manûs ossa* sunt octo *Carpi*, quatuor *Metacarpi* seu *Palma Manus*, & quindecim *Digitorum*. Hæc ossa, Digitorum vix. & præsertim Metacarpi, fractutam nonnunquam patiuntur; at verò Carpi ossa contunduntur magis, quàm franguntur.

Cognoscitur autem fractura in hisce ossibus facilè, visu & tactu; cùm hæc ossa fracta vel ad exteriora ut plurimum declinent. Non difficulter tamen, & quidem intrà viginti præter propter dies, perfectè coalescunt, & sanantur.

Quandò ergò quoddam Manûs Os frangitur, Patiens læsam manum super æqualem & lævem tabulam deponat. Deindè minister ossa fracta extendat: Chirurgus verò manu in suam sedem ea restituat; hinc convenienti Fasciâ partem obvolvat. Et quidem si Digiti fracti sint, excepto pollice, vicinis sanis alligandi, ut ab iis in suo loco, quasi à ferula apposita, contineantur. Tandem Glomo ex Linteo Convoluto manûs vola complenda, ut hoc modo ossa composita faciliùs contineantur, & digiti in media figura conserventur. Manus quoque cum brachio à collo idoneâ fasciâ suspendatur, ac in quiete detineatur, quousque fracta ossa consolidentur; dein tertio vel quarto quoque die vincula solvenda, & pars *multâ Aquâ Calidâ* fovenda ac perfundenda, cùm dixerit Hippocrates *Lib. de Fracturis*, „ „ In omnibus autem, qui juxta Articulos sunt, „ affectibus, liberaliter Calida Aqua perfundenda „ est, deindè Medicamenta applicanda, & rursus „ pars deliganda. Et sane multùm hoc modo præcavebitur, ne digitis vel extensis vel contractis callus tam facilè generetur, adeoque ne manus officium in comprehendendo lædatur. Hipp. *lib. 6. Epidem.* nauxæ cujusdam historiam refert, cui ob fracturam medii digiti, exortæ inflammationi gangræna successit, tandemque spasmo episthotonu correptus interiit.

V. *Femoris os*, licet cæterorum ossium, quæ in corpore humano sunt, maximum, crassissimum, & longissimum sit, nonnunquam tamen frangitur, vel in medio, vel in extremis, locisque vicinis.

De Femoris Fractura Hippocrates *lib. de Fracturis, ex edit. Lindani*, §. 23. ità scribit: „ at „ verò si femoris os fractum fuerit, extensionem „ præ omnibus facere oportet, ità ut ne defectuo„ sius fiat. Amplior enim facta nihil læserit. Ne„ que enim si quis distantia ex vehementia exten„ sionis ossa deligaverit, fieri poterit, ut deliga„ tio ipsa teneat, ut ità distent: sed coëunt in„ ter se ossa quàm citissimè, ubi intendentes ipsa „ remiserunt. Crassissimæ enim ac fortissimæ quum „ sint hac parte carnes, deligationem superabunt, „ non ab ipsa superabuntur. Hoc confirmare vi„ detur C. Celsus, dum *lib.* 8. *cap.* 10. id scriptum relinquit: „ si femur fractum est, fieri brevius „ oportet, quia nunquam in antiquam sedem reverti„ tur summisque digitis posteà ejus cruris insistit. Sed „ multa tamen femori debilitas est, ubi fortunæ „ negligentia quoque accessit. Et Avicenna *lib.* 4. *Fen.* 5. tradit, raram admodum esse femoris fracti integram curationem. Quibus verbis nos monent, ut integram femoris fracti curationem nunquam promittamus, sed omnem potius diligentiam adhibituri claudicationem dubiam prædicemus, ne ex fracturæ natura, aut ex Ægrotorum impatientia superveniens, nostro adscribi errori, & præmii loco famam minuere possit. Scribit quoquè Fabritius Hildanus *Cent.* 5. *Obs.* 8. se neminem unquam vidisse, qui ex hujusmodi fractura sine claudicatione evaserit, præter unicam puellam, cui novam & peculiarem curandi rationem adhibuit, quæ ibidem videri potest. Id autem præcipuè accidit, si femur in loco superiore juxta coxam frangatur. Sin verò genu versus, aut in medio femoris os frangatur, & diligens cura adhibeatur, non adeò difficulter, & sine claudicatione fractura sanari potest.

Ubi igitur femoris os fractum est, valenter omninò extendi debet, & recto tramite, ità ut in neutram partem convertatur: violenta extensio convenit, quoniam maximi sunt musculi, qui femur circumdant, & magnam versus suum principium contractionem faciunt.

Resupinato ergò Ægrotante, & extensis cruribus, valida Extensio fieri debet, vel Manibus, vel Habenis, ut videre est apud Sculte-tum *Armam. Chirurg. tab.* 26. *fig.* 1. vel Instrumentis sive Machinamentis, Glossocomo pura, vel trochleâ trajecto Fune, qualem depingit Fabritius Hildanus *Cent.* 5. *Obs.* 86. nec non Scultetus *tab.* 22. *fig.* 1. Extensione sufficiente factâ, musculi, utpote validissimi, facilè fracti ossis partem inferiorem ad superiora adducunt. Id tamen ut ritè & decenter fiat, prominentibus palmarum partibus, ut in aliis fracturis, os dirigatur & comprimatur, adeoque ossis fracti capita coaptentur. Interim meminerit Chirurgus priusquam operi se accingat, femur anteriore & exteriore parte gibbum esse, interiore & posteriore curvum, ut ad eam figuram femur reducat, ne superveniat claudicatio. Hipp. *de Fract.* §. 24.

Reductum femur aptâ & convenienti Ligaturâ deligetur, qualis est Fascia Ascialis, quæ simul & in orbem circà coxam & ilia, ut inguina etiam, & quod inter anum & genitale est, involvatur; cùm ob alias causas, tum ne externæ sellæ nudam partem offendant.

Insuper fractum femur convenienti fasciâ obligatum longo Canali, qui poplitem excedit, imponatur. Nam si canalis femori adaptetur, qui poplitem non excedit, is noxam potiùs, quàm opem adfert: prohiberi enim non poterit, quin corpore aut crure moto femur quoque moveatur. Poplici etiam molestus erit, & genu curvari permittet: si verò quis genu quodammodo flectat, femoris quoque vincula moveri necesse est, & musculos alio atque alio modo figurati, adeoque & ossa fracta dimoveri. Ideoque utilissimum videtur, femur in canalem conjici, qui à coxa ad pedem usque pertingat; & præcipue, si ad poplitem cum canali fascia laxa circumjiciatur, velut infantes in cunis fasciari solent. Enimverò ubi femur in partem superiorem, aut ad latus distorquebitur, ità cum canali melius continebitur. Canalis igitur à summo ad imum usque, aut nullus adhibendus.

Cæterùm

Cæterùm imò calci magna habenda cura, ut tum in femoris, tum in tibiæ fracturis aptè collocetur: etenim si pes dependeat, tibiâ reliquâ obfirmatâ, ossa in anteriore cruris parte gibba apparere necesse est, idque eò magis, si hominis calx suapte naturâ grandior fuerit. Hipp. *l. de Fracturis* §. 26.

Sed distorsio femoris præcavebitur, si membrum in, ante, & post deligationem instrumento Glossocomo (vide Scultetum *Armam. Chir. tab.* 21. *fig.* 4.) conservetur extentum, usque ad perfectam fracturæ confirmationem. Ne autem instrumentum hoc partem suâ duritie attendo lædat, ideò aliquid molle subjiciendum, uti est lana carpta, mollis stupa, vel simile.

VI. *Patella* etiam interdum frangitur, & quidem nunc secundùm longitudinem, respectu totius femoris, nunc in transversum, nunc in obliquum; & nunc in duas, nunc in plures partes comminuitur; insuper nunc cum vulnere, nunc sine vulnere.

Hujus autem ossis Fractura facilè innotescit ex tactu, cùm partes divisæ persentiantur, cavitas appareat, & crepitus in contrectatione audiatur, nec non omnimoda adsit incedendi impotentia.

Patella equidem, ut alia ossa rara, facilè coalescit, modo rectè conjungatur, & conjuncta servetur. Et si secundùm longitudinem facta sit fractura, sine manuum operâ solâ musculorum tibiam extendentium contractione, ossa conjunguntur, & conjuncta pulvillis, spleniis, fasciisque non difficulter in suo loco retinentur, ac uniuntur viginti circiter dierum spatio; atque ità nulla calli extuberantia, & hanc subsequens claudicatio, facilè metuenda. Ambrosius Paræus tamen *Chirurg. lib.* 14. *cap.* 22. neminem sibi visum fuisse scribit, cui os hoc fractum esset, qui non per vitæ reliquum claudicaverit: idque ideò, quod facta calli concretione consolidatio liberam genu flexionem impediat. Verùm etsi hæc de transversa fractura facilè concedi possint: tamen rectè statuit Fabritius Hildanus *Cent.* 5. *Observ.* 88. non semper, præcipuè in fractura patellæ secundùm longitudinem facta, id esse necessarium; cùm non semper callus ità protuberans nascatur, ut motûs impedimentum in genu, & claudicationem afferat, videamusque in aliorum ossium fracturis, naturam tam eleganter callum generare, ut sæpe vix fracturæ appareat vestigium; quod in primis accidit, ubi periosteum integrum est, quod materiam calli retinet, ne nimis excrescere, & protuberare queat.

Si verò Fractura transversim vel obliquè facta sit, difficulter admodum curari potest, ut incedendi impotentia, vel saltem claudicatio non relinquatur. Enimverò cùm musculi tibiam extendentes sursum versus, & pedem moventes deorsum trahant patellam, ossa fractæ patellæ ità disjunguntur, ut haud facilè conjungi, aut conjuncta retineri queant, unde callus extuberat, qui cavitatem inter femur & tibiæ os adeò adimplet, ut articuli istius motus impeditur. Nihilominus symptoma hoc prudens Chirurgus non rarò prohibere solet, si qualibet vice, inter deligandum, fractam patellam digitis (ne fragmenta composita denuò dimoveantur) firmiter apprehendat, & undique loco prudenter moveat.

Itaque in hujus ossis restauratione, crus primò extendendum est; dein à Chirurgo Patella seu in duas, seu in plures partes fracta conjungenda, & secundùm naturalem figuram æquanda, nec non conveniente ligaturâ continenda. Totulis verò impositis stamineis, ut in fractura cruris fieri solet, membrum immobile tenendum, & omninò cavendum, ne crus flectatur. Hoc enim si fieret, fragmenta composita suo loco iterum dimoverentur; quem in sinum poplitis cavitas rotundis spleniis exactè implenda, ut genu curvatura impediatur. Religiosè interim observet Chirurgus, ut inter deligandum fractam patellam prudenter ultrò citroque moveat, ne inter tendines & ligamenta, quibus continetur patella, callus concrescat; hinc & articuli istius motus difficilis, vel omnimoda rigiditas, atque adeò incedendi ferè impotentia, aut saltem claudicatio relinquatur.

VII. *Crus* illa pars appellatur, quæ à Genu ad Pedem extenditur. Constat duobus ossibus, quorum quod crassius est, & internam Cruris regionem occupat, *Tibia*; quod tenuius & exterius; *Fibula* nominatur. Franguntur hæc ossa interdum ambo simul, interdum unum tantùm; & Fractura accidit vel in medio, vel in superiore, aut inferiore parte.

Si utrumque os fractum sit, facillimè id cognoscitur: cùm totum crus inflecti possit. Nec difficulter cognoscitur Tibiæ Fractura, si ea tota fracta sit; quoniam totum hoc os in conspectum, utpote in loco excarni, facilè venit. Si verò Fibula sola frangatur, id non ità facilè cognoscitur; quoniam multâ carne tegitur: fracta tamen pars ad interiora inclinare solet.

Si ex ossibus hisce alterum fuerit fractum, facilior curatio est: præsertim si Fibula tantùm sit fracta, curatur faciliùs, & Æger citiùs pedi insistere potest; cùm faciliùs crus extenditur, & tibia maximam oneris corporis partem sustinet. Tibia verò si fracta sit, curatur difficiliùs, quia crassior, & vice fundamenti totum corpus sustentat: hinc & majore extensione opus est, & homo tardiùs incedere audet. At utraque ossa si fracta sint difficilis admodum est curatio, tum quia validior requiritur extensio, tum quia omni fulcro destituta est pars affecta.

Sive ergò utrumque, sive unum os frangatur, crus, quantùm opus est, extendendum: ut sine læsione ossa suo loco restitui & conjungi queant. Quod plerumque duo viri robusti (si alter in partem inferiorem, alter in superiorem Crus trahat) manibus præstare possunt. Quod si id exsequi nequeant, Habenis vel Machinamentis utendum. Et ubi satis extensum crus fuerit, ossa fracta reponenda. Deindè Fasciis crus involvendum; quæ & latiores & longiores esse debent, quàm in brachio: & omninò ità situandum ac componendum, ne in ullam partem perverti possit, neque ossa fracta depravari queant. Tandem crus rectum & extensum super pulvinari, aut re molli & plana collocandum, & Ferulæ, ac Canales adhibendi, ut *Cap.* 2. de Generali Fracturarum Curatione diximus. Qua in re observandum, ne supereminentes ossium extremitates applicentur, vel super magnum musculorum Gasterocnemii ac Solei tendinem, qui calcaneo inseritur. Hæ namque partes, cùm sensum habeant exquisitum, compressionem non ferunt, sed compressæ dolent, ac inflammantur. De situ autem tibiæ fractæ hæc habet Fabritius Hildanus *Cent.* 1. *Observ.* 93. „In fracturis tibiarum

„ tibiarum curandis, nonnulli Chirurgi non levem „ committant errorem, quum volunt tibiam erectam insistere talo, ex qua situatione hæc sequuntur incommoda. Primò quidem fit, ut Æger temporis progressu majorem dolorem patiatur in talo, quàm in ipsa fractura, idque propter tendines magnos & nervosos, qui talo inseruntur. Dolor autem ille multos ad se trahit humores, qui in ipsa junctura, & spatiis inter ossa pedis fracta, atque ligamenta retinentur. Et quia ex hac situatione venæ & arteriæ comprimuntur, & proindè pars affecta suo calore quodammodo destituitur, necessariò condensantur & refrigescunt hi humores in ipsa junctura; & spatiis inter ossa pedis. Inde curatâ fracturâ, pes novam affert molestiam: ægrè enim & difficulter movetur junctura, sequuntur & nonnunquam alia quàm pessima symptomata. Id quod idem Hildanus memorabili exemplo confirmat, quandò subjungit: prospiciant igitur Chirurgi, ne nimis curiosè situationem hanc in fracturis tibiarum observent. Involutâ autem tibiâ fasciis, spleniis, & stupis, & in capsula idonea collocatâ; ea eligenda est situatio, quæ minimè sit dolorosa. Itaque modò in hanc, modò in alteram partem collocanda est tibia, ut Æger nunc in hoc, nunc in illud latus decumbere possit: sic enim multa accidentia evitabuntur. Hæc ille.

VII. Hominis *pes*, sicuti Manus, ex multis minoribusque, nec non duris constat ossibus, magnitudine & figurâ diversis. Sunt autem ea, septem *Tarsi* ossa, quinque *Metatarsi*, quatuordecim *Digitorum*. Ossa vero Pedis & Manûs non frangi scribit Hippocrates *lib. de Fracturis, paragraph.* 10. nisi acutâ vel gravi quapiam re carnosæ partes vulnerentur. Sunt enim duriora: & quæ acuta sunt, & gravia, si ossa hæc frangant, cutem incumbentem salvam non relinquunt. Et Paulus Ægineta *lib. 6. cap.* 106. scribit, Talum nullo modo frangi, non tantùm ob duritiem: sed quia undequaque ab ossibus eminentibus est munitus. Similiter Albucasis *lib. 3. cap.* 18. inquit; ossi Calcis nullo modo accidere fracturam, aliis verò Pedis ossibus fracturam accidere posse, ac etiam ossibus Digitorum; sed rarò hoc evenir, potiusque hæc ossa atteruntur, quàm franguntur.

Si autem Pedis ossa frangantur, visu & tactu id deprehenditur; cùm hæ partes excarnes sint.

Horum ossium Fractura per se periculosa non est; sed quia non nisi à valida admodum & violenta causa franguntur, partes incumbentes, & vicinæ carnosæ ac tendinosæ simul contunduntur & vulnerantur, unde dolores gravissimi, inflammationes, aliaque superveniunt accidentia. Diebus tamen præter propter viginti consertvent & occallescunt; nisi quæ cruri vicina sunt. Ea enim cùm sint majora, longius tempus requirunt.

Curatio ferè eadem est quæ ossium Manûs fractorum. Commoda nimirum facienda Extensio, & ossa, sive in superiorem sive inferiorem partem emineant, in naturalem sedem compellenda: quod commodiùs fit, si æger pede fracto tabulæ planæ panno obductæ insistat. Deindè fasciis pes involvendus. Et cùm pedi Ferulæ ob loci inæqualitatem commodè admoveri non possint, Splenia *Oxycrato*, vel *Vino Rubro Adstringente* madida loco affecto imponenda, Fasciisque locus vinciendus, ut ussa composita in sua sede contineantur. Situatio tamen & collocatio aliter hic instituenda, quàm in manu. Enimverò cùm manus datæ sint ad apprehensionem, curvâ figurâ digiti collocandi sunt. Pedes verò cùm ad ambulandum & standum dati, rectâ figurâ situandi, non curvâ, ne eorum actio depravetur.

IX. Insuper & alia nonnunquam franguntur ossa, inter quæ Nasi primo loco occurrunt. Constatur autem *Nasus* ex ossibus & cartilaginibus: ossa ejus propriè franguntur; cartilagines contunduntur, deprimuntur, distorquentur.

Fracta verò hæc ossa ex signis manifestis innotescunt, quoniam si adversa fracta sint, nares desidunt, & simus nasus apparet, difficulterque spiritus trahitur: si à latere os sit fractum, is locus cavus apparet: Sin cartilagines contusæ sint, earum distorsio, & in alteram partem inclinatio adest.

Commodissimè ex sententia Hippocratis *lib. de Articulis, ex edit. Lindan.* §. 31. restituitur Nasus fractus eodem die, vel certè paulo post, nec differenda curatio, quia in naribus callus citò generatur, intrà decem dies, nisi corrumpatur. Subjungit tandem sapientissimus Senex: „ Nasus ex „ omnis corporis partibus facillimè componitur, „ & nisi protinus dirigatur, dirigi postea non potest, sed pervertitur.

Itaque si Nasus fractus in inferiorem partem æqualiter dimittatur, simulque reddatur, quamprimum quicquid in cartilaginem incidit, leniter excitandum, ac sublevandum, ut sublatum posteà decenter coalescat: viz. in nares aliquid intromittatur, quod dirigat, ut Specillum ad digiti formam fabricatum, ex Buxo, vel Ebore, vel Ferro: aut quod fractum est, elevetur Digito in nares immisso, atque in naturalem sedem restituatur. Extrinsecus etiam ab utraque parte Nasus apprehendatur, ac sursum ducatur. Ubi autem probè conformatus fuerit nasus, ut naturalem figuram conservet, longa linamenta contorta in Nares immittanda sunt, quæ narium cavitatem impleant, vel perforata Cannula, aut Penna introducatur, superimposito exteriùs Emplastro Defensivo, vel simili.

Si verò in uno tantùm latere Nasus fractus sit, dirigere etiam convenienter ab ea parte, quæ declinat, & in naturalem sedem restituere oportet, tum Digitum vel Instrumentum commodum in nasum, qua parte læsus est, immittendo, tum extrinsecus dirigendo. Et ne quod compositum est, iterum depravetur, in singulas nares (at crassiùs in narem læsam) Linamentum, vel Penna Anserina grandior molli pellicula obducta, vel Fistula aut Cannula è Plumbo vel Argento, itidem pelliculâ obducta, immittatur, ac tamdiu intus relinquatur, donec os aut cartilago satis roboretur. Neque multùm refert, quid immittatur, modò præstet, ne fractum nasi os subsideat, & molle sit, odorisque gravis expers. Monet tamen Hippocrates, nullo pacto Spongiam esse immittendam, quoniam humorem imbibit, atque sic turgendo, partem distendit, cunctaque dissolvit. Etiam Deligationem improbat, quam C. Celsus proponit, quia magis nocet quam confert, cùm simitatem, & majorem ampliorem que distorsionem adferat. At de necessitate ligaturæ in Narium Fractura Curanda disputat Guido de Cauliaco *in sua Chirurgia*, qui videri potest.

Si juxta cartilaginem Nasus fractus sit, & in obliquum distortus, post congruam conformationem, Habenula digitum lata, Glutine aliquo illita, naso ea parte, in quam inclinat, agglutinanda; posteà intendenda, quantùm expedit, ut nasus rectè dirigatur. Longa autem sit hæc habena, ot circà

circà autem obducta circum caput obducatur. Hæc justè dirigit nasum, & remitti ac intendi potest. Et si intrà nares impositæ turundæ dolorem excitent, tollendæ, & tamdiu nares habenâ directè servandæ. Post quartum decimum diem habenæ demendæ, & Emplastrum aliquod Catagmaticum imponendum.

Si autem Nasi ossa minutim fuerint confracta, quantùm licet, singula in suam sedem reponenda, vel idoneis Instrumentis compellenda, neque facilè, & nisi nullo modo agglutinari possit, os aliquod eximendum; cùm semper deformitatem pariat. Posteà Ceratum vel Emplastrum ad ossa confirmanda imponendum. Plura de Narium Fractura videantur apud Hippocratem *Libr. de Articulis, articul.* 30. 31. 32. 33. 34.

X. Interdum & *Inferior Maxilla* frangitur, vel transversim; vel in plurima fragmenta, ossibus semper inter se aliqua ex parte cohærentibus, rarò penitus disjunctis, & dissolutis, ut in aliis.

Facilè autem Fracta Maxilla cognoscitur, quoniam si tantùm extrinsecus ossa fracta sint, tactu apparet, & in interiore oris parte aliqua gibbositas digito persentitur. Sin verò transversim fracta fuerit, introrsum manifesta cavitas fit, & in interiore oris parte ferè dens super proximum dentem excedit.

Maxillæ ossa, si primis diebus inflammatio non accedat, intra viginti præter propter dies consolidantur, & dentes integri remanent. Sin verò cura diutiùs protrahatur, dentes vitiantur, & inutiles redduntur, auctore Hippocrate *Lib. de Articulis, articul.* 29.

Si igitur Maxilla ità per transversum fracta sit, ut ossa inter se aliqua ex parte equidem cohæreant, digitis utrinque, tam ori immissis quàm extrà applicatis, os comprimere & in suam sedem compellere oportet: interius namque tuberculum, foràs propellendum, & alterâ manu ossa inæqualia complananda. Maxillam verò in suam sedem esse restitutam, ex ejusdem, nec non dentium æqualitate apparet.

Si verò Maxilla tota transversim fracta fit, quod tamen rarò accidit, sic ut os super os emineat, & dens super proximum dentem excedat, digitis ori immissis, & extrà manu adhibitâ, ossa fracta componenda: & nisi simplici compressione id fieri possit, primùm extensio, ministro retrò continente & Chirurgo ante extendente, fieri debet, hinc & ossa inter se componenda. Deinde dentes qui sunt ad fracturam, non tantùm bini, verùm & plures inter se colligandi, donec ossa ferruminata sint. Hipp. filo aureo utitur: cujus defectu vel filum sericeum, vel seta equina usurpari poterit. Si Maxilla in mento fracta fuerit, qua parte ambo colligantur ossa, ambabus manibus inter se coaptari & dirigi debet.

Ubi autem fracta ossa fuerint reposita, quod ex æqualitate dentium cognoscitur, ut suo loco conserventur, extrinsecus Ferula, ex corio seu alia conveniente materia, maxillæ longitudini correspondens, apponenda, hinc conveniens Deligatura instituenda; quæ fiat Fasciâ duabus extremitatibus fissâ, duos digitos latâ, mediâ quoque sui parte in longitudinem incisâ, ut utrinque mentum complectatur. Cùm ergò fasciæ in extremitatibus fissæ quatuor sint, capita duo inferiora ad summum caput deducantur, ibidemque deligentur, vel pileolo nocturno assuantur; duo superiora transversim traducta ad imum occiput deligentur, vel eidem pileo assuantur.

Sin tali fracturæ Vulnus sit conjonctum, Specillo explorandum, an minutim, & in plores partes dissracta sint ossa; & si ossis fragmenta separata inveniantur, aliisque conferruminari nequeant, idoneo Instrumento eximenda; sicque vulneris orificium angustum sit, ampliandum: deindè vulneris labia ad mutuum contactum adducenda, & appositis Linteis Emplasticis adducta conservanda, atque dicatum cruentis vulneribus Medicamentum superponendum, donec consolidentur. Interim ne decumbat Æger in partem maxillæ fractam, sed in sanam; at non huic, sed capiti innixus, ne ossa composita iterum distorqueantur. Maxilla quoque immobilis servetur; ideoque Æger, non multum loquatur, nec duriores cibos masticet, sed mollioribus & liquidis nutriatur, donec callus obduret. Et si aliquid denuò suo loco motum fuisse observetur, tertio præter propter die deligatio solvenda, & si quid exciderit in suum locum reponendum.

XI. *Clavicula* Acromio & Sterno articulata movetur; qua parte autem jungitur sterno manifestiùs agitatur, obscuriùs & ferè insensibiliter cum acromio, quia scapulæ motum sequitur. Idcircò fractæ claviculæ pars acromio juncta situm mutat, in anteriorem, vel posteriorem vel inferiorem locum conversa, alterâ ejusdem parte semper immotâ.

Frangitur verò Clavicula vel transversim, vel obliquè, vel per longitudinem. Si per transversum id accidat, vel propè humeri articulum, vel magis versus articulationem cum sterno diffringitur.

Cognoscitur ossis hujus Fractura tactu potiùs, quàm visu; ut & ex dolore.

Si per transversum frangatur Clavicula, faciliùs curatur; difficiliùs autem, si per longitudinem. Nam quod transversim fractum est, facilè extensione, & digitorum compressione in naturalem sedem revertitur: reliqua fractura semper quid eminentiæ habet, quod ægrè coaptari potest. Perficitur tamen Claviculæ Fractæ Curatio quatuor & viginti circiter diebus.

Igitur ut hæc Fractura curetur, ministri duo ad extensionem requiruntur, quorum unus utraque manu humerum, qui claviculæ fractæ adjacet, ad posteriora, alter caput in latus oppositum ducat; interea Chirurgus digitis id quod prominet propellendo, ima foràs attrahendo, & quæ deorsum tendunt, sursum, & quæ sursum, sunt deorsum compellendo, fracturam componat. Aliqui autem, ut facilior fiat restitutio; Glomum Lineum alæ subjiciunt, hinc brachium ad costas comprimunt, atque ità os suæ sedi restituunt. Si verò ossis fracti extremitates ità depressæ sint, ut sursum reduci hoc modo nequeant, Æger resupinandus est in pulvinari duriore, spinæ inter scapulas subjecto; humeri interim manibus sic deprimendi, ut ossis fracti extrema depressa eleventur eousque, ut in naturalem sedem restitui possint.

Compositis fractæ Claviculæ ossibus, Plagulæ tres convenientis crassitiei & longitudinis, ut cavitatem, quæ suprà & infrà claviculam est, repleant, parandæ, quarum duæ lateribus, tertia crassior prominenti fracturæ imponenda. Ità enim & os fractum eminens deprimetur, & nec sursum, nec deorsum, nec ad latera è suis sedibus ossa fractæ composita dimoveri poterunt. Hinc Deligatio instituenda; quæ fiat Fasciâ

palmum latâ, debitæ longitudinis, duplex caput habente, decussatim injectâ quæ sæpius circumducenda, & obvolvenda ut brachium ad posteriora deducat: Interim cavitas sub axilla linteaminibus convolutis replenda; sic namque faciliùs deligationem sustinet Patiens.

XII. *Scapula* etiam qualibet sui parte frangi potest, rarius tamen in processu illo, qui Acromium dicitur; sæpius juxtà Spinam, & in aliis extremitatibus. At si Acromium frangatur, visu & tactu percipitur, præsertim si pars ægra cum sana comparetur: sin verò latior ejus pars, & in extremitatibus frangatur, tactu cavitas quædam deprehenditur, & punctorius dolor in parte percipitur.

Fractura quæ in Summo Humero seu Acromio est, difficiliùs curatur, quàm in aliis Scapulæ partibus. At in cervice Scapulæ, aut circâ articulationem ejus cum humero, quæ est Fractura, ferè incurabilis est.

Si ergò si fractum Scapulæ adhuc cohæreat, manu Chirurgi in suum locum restituendum. Quod si non facilè fiat, & majore vi opus sit, Pila ex linteo sub axillâ ponatur, & minister deorsùm humerum trahat, cubitum ad costas adducendo, Chirurgus verò manu Fracturam comprimat & componat. Sin os fractum Scapulæ non cohæreat, modò ligamentis & periostеo quodammodò adhæreat, & pungendo admodum molestum non sit, etiam suo loco restituendum. At si penitus & ab osse, & à periosteo ac ligamentis separata sint fragmenta, sic ut carnes pungant, cute incisâ, eximenda. Sin verò non pungant, relinquenda: natura namq; quod reliquis non cohæret, tandem sponte expellit, etsi interdum post longum tempus id fiat; sic refert Ambrosius Pareus *lib.* 14. *cap.* 9. cuidam Marchioni è scapula vulnerata ossium quædam fragmenta post annos septem, cicatrice reseratâ, erupisse.

Ossibus ritè compositis, Deligatio conveniens instituenda, sicque summum Humeri fractum sit, Pila sub ala vincienda, & deligatio non frequenter solvenda: Æger interim in opposito latere cubet, & partem in quiete detineat.

XIII. Interdum *Costa* ex causis violentis quoquè franguntur; casu vix, aut contusione. Et quidem fractæ Costæ interdum intrò declinant; interdum extrà eminent, interdum, etsi totæ franguntur, proprio loco non dimoventur; nonnunquam & caro circa costas colliditur.

Costa & tota fracta, & extremitates loco motæ, quædam inæqualitas & cavitas tum visu, tum tactu deprehenditur, & strepitus auditur. Quibus accedunt & alia symptomata; adest vix. dolor gravis, pleuritícum dolorem æmulans, respiratio difficilis, tussis molesta, & non rarò quoque sanguinis sputum, dum ex vasis ruptis effluentem sanguinem pulmo imbibit, nec non febris. Si tamen Costa quidem fracta sit, at fractæ extremitates neque intrò cesserint, neque in exteriorem partem compellantur, pauci febricitant, aut sanguinem spuunt.

Costarum Fractura si simplex sit, absque partium vicinarum gravi contusione, aut inflammatione, periculo vacat, & intrà vigesimum diem non rarò curatur. Sin verò caro circà costas atteratur, periculosum malum est, & non rarò lethale, teste Hippocrate *Lib. de Articulis.* Etiam periculosa est Fractura, si Costa intrò compellatur, & pleuram pungat vel vulneret, tuncque eadem ferè symptomata, quæ pleuriticos infestare solent, superveniunt, ac longiùs protrahitur curatio.

Si ergò Costa fracta sit, proprio tamen loco non dimota, nec incumbentium, vicinarumque partium contusio adsit, per se facilè consolidatur. Sin extrà prominеat, manu comprimenda, & in propriam sedem reducenda, ac æquanda. Si intrò vergat, Æger tussi, ac spiritûs, ore clauso, retentione eam exteriùs compellat; Chirurgus verò Ægrotanti manibus, quantùm fieri potest, succurrat. Quod si non succedat, nonnulli Emplastrum cuti validè adhærens censent imponendum, idque aliquoties cum impetu auferendum, donec in locum suum Costa sit restituta. At quandò Costæ fragmentum membranam pungant, atque acerbissimi inde dolores, aliaque prava symptomata oriantur, cutis incidenda, ac pungentia fragmenta vel eximenda, vel præcidenda. Plura de Costarum Fractura videantur apud Hippocratem *Lib. de Articulis.* §. 51. 52. 53. 54. Insuper de felicissima curatione fracturæ costarum, in qua nonnulla notatu digna occurrunt, videatur Fabritius Hildanus *Cent.* 5. *Obs.* 85.

XIV. *Dorsi Spina* est *Vertebrarum* omnium contextus, & sicut quædam corporis catina, quæ constat *septem Cervicis Vertebris, duodecim Dorsi, & quinque Lumborum*, nec non *Osse Sacro*, & *Coccygis*. Vertebrarum Corpora rarò admodum Fracturam patiuntur; earundem tamen Processus à causis externis & violentis nonnunquam franguntur. Id autem tactu facilè deprehenditur, cùm huc atque illuc moveri persentiantur diffractæ Apophyses.

Vertebrarum Processuum simplex Fractura simplici lenique manuum operâ restituitur, ac consolidatur viginti circiter dierum spatio: sunt namque Processus hi ossa spongiosa & rara. Sin verò per vim admodum violentam totæ Vertebræ franguntur, adeò ut medulla spinalis simul patiatur, dehinc Paralysi afficiantur brachia, pedesve Ægrotantis, ac urina fæcesque alvi retineri nequeant, mors in propinquo est. Interim tamen ne Æger sine auxilio deseratur, nil faciendorum negligendum, & facto Prognostico cutis incidenda, ac libera fragmenta eximenda, hinc vulnus curandum.

Ad Fracturas Spinæ pertinet *Ossis Sacri* & *Coccygis Fractura*; quæ si ita sit, ut & Spinalis Medulla lædatur, lethalis est. Sin ea non lædatur, adeoque salutis spes sit, immisso in anum digito usque ad locum affectum, os fractum expellendum; extrinsecus verò alterâ manu ossa æquanda, & in suum locum reponenda. Et si aliquod ossis frustulum abruptum persentiatur, factâ apertione, id eximendum, ac porrò vulnus ex arte curandum.

XV. *Os Innominatum*, quod ossibus tribus; *Ilio*, *Coxendicis*, & *Pubis*, simul unitis constat, frangitur ut scapula, vel in extremitatibus, vel secundùm longitudinem, vel in medio.

Cognoscitur Fractura hæc ex dolore, qui tactu, & compressione inprimis exasperatur; nec non cavitate, inæqualitate, punctura, nonnunquam stupore in crure ejusdem lateris.

Exigit autem Fractura hæc celerem restitutionem, perficiturque consolidatio quatuor & viginti præter propter diebus. Interim si sit in Ossis Innominati extremitatibus, digitis vel manu ossa fractâ componenda ac æquanda.

Si verò frangatur os per longitudinem, vel ad interiora declinet, ità situetur, Patiens ut super ventrem decumbat, Chirurgusque manibus, uti potest, fracta ossa componat.

Sin os fractum comminutum sit, Apertio facienda, sicque & fragmenta libera auferenda, & alia reponenda. Verùm cùm vix sub cute solùm, sed sub ipsis musculis talia fragmenta plerumque

rumque lateant, sine periculo hic Sectio non instituitur: hinc omninò cavendum, in facienda hac apertione, tendines, vel vasa quæpiam majorè lædantur, sicque graviora excitentur symptomata.

Hactenus de Fracturis Clariss. Joh. Munniks; circa eas varia

Observationes.

De fracturis ossium, nulla accedente coalitione.

Contingere non rarò observamus, ossium extrema in fracturis haud reuniri, quæcunque etiam externa æque ac interna adhibeantur medicamenta.

Exemplum huc faciens considerabile, non nisi semel (quod in Chirurgo adeò exercitato admiramur) vitum proponit Fab. Hildanus obs. 91. cent. 3. his verbis: Ante duos menses ex Germania redux, Basileæ fracturam observatione dignam in quadragenario vidi. Hujus viri brachium sinistrum cùm ante annos decem rota molendina apprehenderet inter cubitum & carpum ossa in transversum adeo confregit ut omnino inter se disjungerentur, cutis quinetiam & musculi mirum in modum dilacerarentur. Dolor supervenit maximus inflammatio & intumefactio totius brachii, non solùm ob magnitudinem morbi, verùm etiam quod ossa in suum locum reposita non fuerant, carnemque continuò compungerent. Multùm puris per menses aliquot effluxit, multaque officula à Chirurgo extracta fuere; tandem remiserunt symptomata, & consolidata fuerunt vulnera, sed ossa disjuncta remanserunt, & ita quidem ut eo in loco veluti alterum articulum constituerent. Manum enim dextram si adhibet, sinistrum brachium antrorsum & retrorsum ducit, non secus ac si naturalis priore in loco articulus esset, idque sine ullo dolore. Ossa se invicem non attingunt, sunt enim extremitates ipsorum callo obducta brachium aliquo modo extenuatum est. Cubitum quidem movet, sed difficulter, quapropter brachium ferè inutile est. Cæterùm quid causæ sit cur ossa in hoc viro per callum connexa non fuerint, profectò me latet; nisi fortan improprium nutrimentum ossis, ex quo, teste Galeno callus procreatur, in pus conversum unà cum pure effluxerit, aut caro & membrana aliqua inter utramque extremitatem ossis intercederit. Adeoque natura adeo est diligens atque provida, ut extremitates ossium confractorum, licet levissime se contingant, statim conglutinet, atque conjungat.

Exulcerationes fracturis supervenientes quacunque à causa, primitiva sive fuerit, sive antecedens, sive etiam conjuncta, impedimento esse posse, quo minus ossium detur coalitus, maxime cùm alimentum ossium suffocationi, consumptioni, corruptioni, aut cum pure evacuationi ansam præbent, haud impossibile nobis videtur; at quis rationem dabit unde eveniat quod ossa fracta haud reuniantur, ubi exulceratio nulla adest, imo nulla vel in cute vel in musculo continui observatur solutio; Notare etenim nobis docuit, non solùm in ulna & radio, ossibus adjutoriis, tibia & fibula, sed & (in duobus licet subjectis) ossibus femoris, per infortunium fractis, quæcunque etiam usurparentur media, interna æque, inter quæ considerabilis Ichtyocola, ac externa, emplastra, splenia, ligamenta, nullam securam extremitatum unionem, etiam omni exulceratione absente.

Causa hujus vel quæ sit cum prædicto Hildano, me ignorare fateor, nisi dicamus, deligationem in fracturis usualem, non urgente dolore, tumore, inflammatione, aut gangræna, frequentiùs justò fuisse solutam, vel etiam humores ad calli concretionem promovendam necessarios plus debitò attenuatos, splenia brevia nimis aut molliora applicata; imo fractam partem, ad arcendam incalescentiam quandoque supervenientem, nimium humectatam. Et harum ultimam calli generationem impedire satis constat. Spleniorum nimis brevium, molliorumque applicationem, hinc deligationem minùs arctam effecere posse, quo minus extremitates ossium fractorum coëant, in nauta quodam, cui ex itinere reduci os humeri dextrum diffractum, in quo quod splenia mollia nimis usurpata, nec manus extrema cum ulna extremorum coalitio secuta.

Externis impedimentis sic consideratis, Chirurgo in arte exercitato interna adhuc varia occurrunt, quæ ad id ut extrema ossium fractorum callo nullo obducantur plurimùm facere possunt. Tales humores nutritii os accedentes minus pingues, aquosiores, corrupti, imo etiam nonnunquam omnino maligni, habita tamen ubivis consideratione structuræ corporis & ossium.

Observare nobis licuit in aliquo, morbo gallico quasi tabefacto, ossa adeo fuisse exsiccata imo arefacta, ut ad quemvis attactum frangerentur, sic enim claviculam in partes varias confractam in eo vidimus, dum thorace pectus vestire conabatur.

In tali casu ubi ossium extrema uniri recusant, nil convenientius, quàm, instrumento quodam apto, ex ferro confecto, utrinque membrum comprehendere, extremaque conjungere, ne in motu, vel incessu incommodum aliquod ægrotanti adveniat. *Joh. à Meekren in observat. Medico-Chirurgicis.*

Pro Fracturâ Brachii in Sene decrepito.

Curationem hoc modo institui, clementer expurgato corpore, illam victûs rationem, quæ multùm nutriit (omissis tamen cibis viscosis, qui mihi in fracturis mirum in modum suspecti) sanguinemque optimumque procreat, calidum nativum & humidum radicale instaurat, præscripsi. Singulis quoque diebus jejuno stomacho, ad ℥ ij. sequentis pulveris ex jusculo carnis recentis exhibui.

℞. Lapidis osteocoll. diligenter præpar. ℥j. cinnam. el. ʒiij. sacch. ℥ ij. M. F. pulvis tenuissimus. Brachium usque ad scapulam sequenti linimento quotidie bis iounxi.

℞. Ol. lumbric. ℥ ij. ol. gran. junip. ʒij. succi lumbric. ℥ j. M. F. linimentum. Sed ante omnia primò ossa in locum suum, ea qua fieri potuit diligentia reposui. Post inunctionem sequens applicui emplastrum.

℞. Empl. Vigonis ad fractur. ℥ ij. empl. oxycroc. ℥ß. lapid. osteocoll. præpar. ʒiß. lumbric. præpar. & in subtilissimum pulverem redactor. ℥ j. cum q. s. ol. lumbric. f. emplastr. Fracturam de tertio in tertium, aut de quatto in quattum diem solvi, & medicamenta renovavi, reliquum verò brachium quotidie semel aut bis, ut dictum est, ad scapulam & nucham usque inunxi: hisce adhibitis remediis, callus intra paucos dies, usque adeo procreatus fuit, ut collisio ossium non ampliùs perciperetur, & brachium intra quatuor septimanas restitutum fuerit: & sic natura in hoc decrepito veluti assopita expergefacta, & calor

nativus ferè extinctus in ista parte, iterum beneficio prædictorum medicamentorum accensus fuerit: quantùm valeat in fracturis ossium osteocolla seu lapis ossifragus non rarò expertus sum: reperitur in campo quodam arenoso prope Darmstadium. Eligitur qui sub terra absconditus, extra terram prominens est invalidus nulliusque momenti. *Guil. Fabrit. Hildanus Observ. 90. Cent. 3.*

Lapis osteocolla, qui & Sabulosus dicitur, singulari quadam virtute & proprietate occulta generandi callum prædictus est: idque ego cùm in aliis tum præcipuè in quadragenario quodam observavi, is quum utraque focilia ad malleolum sibi transversim confregisset, me advocandum jussit. Ossa in situm naturalem reposita, singulis matutinis horis jejuno stomacho ℈j. hujus lapidis in marmore cum aq. tad. symphit. præpar. exhibui, primis diebus cum ptisana, aut jusculo carnis recentis, postmodum verò cum vino: iis quæ fracturæ applicui eundem lapidem pulverisatum & præparatum admiscui: inde factum est, ut spatio triginta dierum pleníssimè restituta sit tibia, ut sine adminiculo incedere potuerit. *Guil. Fabrit. Hildanus, Observ. 90. Cent. 1.*

Lapis hic cautè & in senibus tantùm, aut extenuatis, & quibus languet calidum nativum adhibendus est, ne aliàs callus superfluus generetur multo labore diminuendus. *Guil. Fabritius Hildanus Obs. 91. Cent. 1.*

Ego jam à multis annis magno cum successu sequenti utor emplastro in fracturis.

℞. Emplastri Slotani ℥vi. ceræ nov. ℥ij. coloph. gummi elemi pinguissimi an. ℥j. dissolv. lento igne. Postea insperge sequentes pulveres, rad. consolid. maj. balaust. nuc. cupress. rosæ an. ʒj. mastic. thuris, an. ʒij. M. addendo ol. rosac. q. s. ut F. ceratum. In adultis & extenuatis ad ℥j. hujus emplastri, tantundem osteocollæ præp. admisceo. Singulis quoque diebus manè tribus ante pastum horis, de eodem lapide cum jusculo carnis vel vino albo exhibeo: multùm enim curationem lapis ille accelerat. In juvenibus verò, & qui optima corporis sanitate fruuntur, lapis ille sive per os datus, sive exteriùs adhibitus minimè convenit: non autem statim ab initio, neque primis diebus applicandum est prædictum emplastr. multò minùs oxycroceum, ne effluxus humorum ad partem læsam sequatur: ab initio itaque postquam os fractum in situm suum repositum est, sequens applico cataplasma.

℞. Rad. consolid. maj. tormentill. bistort. an. ℥ß. boli alb. ℥j. balaust. ʒj. nuc. cupress. gallarum, ros. rubr. an ℥ij. F. omnium pulvis tenuiss. cui admisce farinæ hordei ℥vi. hujus pulveris accipe quantùm opus est pro memb. fracti magnitudine, ex quo cum posca formetur cataplasma in mortario vel alio vase sine calore ignis, addendo vitellum ovi cum albumine, parumq; olei rosac. applicetur membro fracto & teneatur ab initio, tertio vel ad summum quarto quoque die, donec symptomata non amplius sint metuenda. Tunc emplastr. Vigonis, vel meum applicari poterit, & de sexto vel decimo in decimum diem reiterari. *Guil. Fabritius Hildanus. Cista militar. classe 15.*

Emplastri palmei sive Slotani qui primus ejus author fuit, hæc est descriptio.

℞. Adipis porcin. rec. & fragrantis, minii, an. ℥xii. chalcitid. ust. sed non ad rubedinem, aluminis usti, an. ℥ij. adipis cervini ℥iv. mastich. thuris in tenuiss. pulver. redacti, an. ℥ij. fiat emplastr. S. Agitando bacillis saliceis & succulentis. Guil. Fabrit. Hildanus. in consilio de conserv. valetudine, in epistola ad Croquerum.

Curationes illas ossium confractorum per lapidem, quem Erastus fabulosum vocat, quis non penè fabulas esse indicet? Multò etiam magis unguentum illud, quo telorum inunctione, vulnerati sanantur, ridiculum videatur: & tamen fide digni amici nostri utrumque sanctè affirmant. Sunt alia sexcenta, quæ fidem omnem superant, non tamen ideo falsa sunt quare vehementer in iis ἐπέχω, & ubi ratio repugnat experientiæ, cum admiratione subscribo. *Andreas Dudithius, epist. 25. lib. 6. consil. & epist. Cratonis & aliorum à Scholtzio editorum.*

Pro fractura humeri.

Osse per Chirurgum reposito, emplastrum hoc adhibitum est.

℞. Farin. fabar. ciceris, hordei, farin. volatil. molendini, an. ℥ß. mastich. tragacanth. gummi arab. mummiæ, bol. armen. myrtil. pulveris. an. ʒiij. album. ovor. v. conquassata in vino styptico nigro: succi plantag. aut vini styptici q. s. ad incorporandum. f. emplastrum. Hoc constringit, repercutit, roborat, & firmat. Deinde stupas longas, latas, quas priùs balneatas & expressas toti brachio circumvolvebat, & fascia latitudine quatuor digitorum, aut quandoque duabus præparatis a'ligentur dicta, adjectis ferulis quatuor aut sex, interim facta restauratione, etiam pannus lineus infusus in ol. rosac. priùs apponatur. Deinde aliqua jam dicta, ut emplast. stupæ & ferulæ injectis fasciis ut moris est: non solvebatur ad quinque dies. Interim brachium inungebat, nec non & spatulam & loca vicina aliquo detersivo; & sanguis detractus est ex brachio opposito: atque ita Chirurgo procedente, ut in reliquis fracturis, hic tandem curatus est. *Petrus Forestus. obs. Chirurg.*

In principio fracturæ dislocationis & torsionis juxta Jo. de Vigo hoc medicamentum apponi potest.

℞. Album. ovor. nu. 3. ol. rosac. omphac. ol. rosæ compl. an. ʒx. ol myrtilli ʒiss. farin. volat. farin. hord. an. ʒvi. bol. armen. subtiliss. triti, sang. drac. an. ʒiij. M. F. Emplastr. Est mirabile primis diebus. Transacto autem nono aut decimo die; nullo contradicente symptomate, ut est dolor, apostema, pruritus, tunc supra fracturam & dislocationem utilissimum est hoc infrascriptum apponere.

℞. Albumin. ovor. nu. 4. ol. myrtin. ol. rosac. an. ℥ij. tereb. claræ ℥iv. myrrh. aloës, an. ʒij. sang. drac. bol. arm. an. ʒß. far. volatil. ℥iij. m. & utere, in fractura & dislocatione est singulare remedium. *Petr. Forest. obs. 3. lib. 8. Obs. Chirurgic.*

Ubi callus justæ magnitudinis generatus fuerit; medicamentis roborantibus confirmandus est. Ideo tale emplastrum imponendum est.

℞. Ol. rosac. ℥ij. ceræ ℥iijß. resinæ pulveris. ℥iij. colophon. mastich. thuris, an. ℥ß. nuc. cupress. tad. erythrodan, id est rubiæ tinctor. an. ʒj. croci ʒß. M. F. ceratum, quod super linteum vel alutam extendatur, & applicetur. *Daniel Sennertus, practic. lib. 5. part. 5. cap. 1.*

De situ tibiarum fractarum.

In fracturis tibiarum curandis, nonnulli Chirurgi non levem committunt errorem, cùm volunt tibiam erectam insistere talo, ex qua situatione hæc sequuntur incommoda. Primò quidem fit ut æger, temporis progressu majorem dolorem patiatur in talo quàm in ipsa fractura, idque propter tendines

tendines magnos & nervosos qui talo inseruntur. Dolor autem ille multos ad se trahit humores, qui in ipsa junctura, & spatiis inter ossa pedis fracta atque ligamenta retinentur. Et quia ex hac situatione venæ & arteriæ comprimuntur & proinde pars affecta suo calore quodammodo destituitur; necessariò condensantur & refrigescunt hi humores in ipsâ juncturâ, & spatiis inter ossa pedis. Inde curata fractura, pes novam adfert molestiam; Ægrè enim & difficulter movetur junctura; sequuntur & nonnunquam alia quàm pessima symptomata.

Ante annos aliquot cum D. Janô Ant. Sarracenô, Marcô Offredi, Andreâ Bonetô Medic. Doct. curandum habui Nobil. Henricum Balbanum. Is ulceribus nonnullis in tibiâ laborans ea erectâ illâ situatione pedis, gangrænâ ad talum correptus fuit, quæ ipsi & nobis non parvas attulit molestias, ita ut tibiam abscindere coacti fuerimus. Erecta autem situatio pedis primaria hujus mali causa fuit. Primò enim dolorem tali excitavit, qui ad se humorem & sanguinem attraxit, unde consequuta est inflammatio. Secundò contusus & quassatus fuit talus ex erectâ illâ pedis situatione. Tertiò arctatæ & compressæ fuerunt ea eadem situatione venæ & arteriæ, quæ per ipsum crus & tibiæ pulpam descendunt; ita ut sanguis & spiritus ad talum liberè descendere non potuerint. Assidua quoque tibiæ extensio, non parum huc fecit; distentis enim vasis, innatum calidum & sanguis non possunt descendere in partem affectam, unde tandem ea frigescit & interit. Ea porrò extensione vasorum, posse frigescere partem affectam, ex eo intelligitur, quod equitando per frigidam tempestatem, pedes si diutiùs intra fulcra equestria contineantur, frigeant impensissimè, si extra fulcra propendeant, per se ocyus incalescant. Sanguis enim & calor, patentibus ipsis vasis, illico ad pedes recurrunt.

Prospiciant igitur Chirurgi, ne nimis curiosè (ut hujus artis imperiti solent) situationem hanc in fracturis tibiarum observent. Involuta autem tibia fasciis & stupis, & in capsula ad id apta collocata: (ut Galenus docet Meth. Med. l. 6.) eligenda est situatio, quæ minime sit dolorosa. Itaque modò in hanc, modò in alteram partem collocanda est tibia, ut æger aliàs in hoc, aliàs in alterum latus decumbere possit. Sic enim multa accidentia evitabuntur. *Fabricius Hildanus Observ. Chirurgic. Cent. 1.*

Brachii Fractura admiranda.

Vir quidam Lugdunensis sexagenarius ex arthritide pituitosâ in articulis humeri & cubiti dextri, jam ferè bimestre spatium obtusô dolore torquebatur: nullis otitur remediis. solam sibi partis illius quietem imperat, dum brachium affectum fasciâ obvolutum, & pectori inniaum continuò haberet. Is alioquin sanus & valens, in publicum horâ circiter diei octavâ progressurus, dum chirothecam in manum affectæ par is induere levissimo conatu admititur, brachii os quatuor aut quinque digitis infra humerum transversim effregit.

Vocatus ego confestim, rem non sine admiratione conspicio, exploro & per Chirurgum os ipsum restituo, quæ conveniebant remedia jubeo admoveri. Elapso triduo ægrotum reviso, num apposite restituta essent omnia exploraturus, remotis fasciis & assulis, naturalem ossis situm rediisse vidimus, & appressis digitis persensimus. Sed ecce paulo inferius circa cubiti articulum, nova se & nondum conspecta obtulit ossis ejusdem fractura, dolorea urgent elamosi, restitutioni itidem sedulò incumbimus Inde placata omnia, & nunc bellè quiescit, nondum tamen ab eo tempore explicatæ fasciæ; nec visum, uti se habeat pars ea. Miratus sum diu tantam ossium fragilitatem in eo homine, qui se ullis ossium affectibus, vel à lue venerea, vel aliunde contractis, laborasse pernegavit. Percurri tum animo meo, quæcunque à veteribus medicis circa fracturas adnotata fuerant, sed nihil quod longè absimile esset, mihi occurrebat, unâ exceptâ historiâ. quæ apud doctissimum Johan. Schenckium, observationum rararum & admirabilium lib. 5. observ. 7. huic non valdè dispar recensetur. Hanc ab ipso authore tibi petendam relinquo. De hoc inaudito caso quid tui judicii sit, velim si placeat, audire. *Idem Cent. 3, Observat. Chirurgic. ex communicatione D. Saraceni Medici Lugdunensis.*

Reverendus Dominus Wolffbrandus apud Dusburgenses Cliviorum Verbi Divini Minister fidelissimus ac primarius, homo pietate, virtute & doctrinâ præstantissimus, ætatis consistentis, robustus & obesus, cùm anno 1582. (si rectè memini tempore hiemali, terrâ congelatâ in proximum pagum ad ægrum quendam invisendum & consolandum ipsi abeundum, domumque redeundo ex aggere quodam tres circiter pedes alto, desiliendum esset, dextrum pedem adeò sibi torsit ac fregit, ut integrum os tali aut astragali, non solùm ex suo loco dimoveretur; verùm etiam abruptis & abstractis ligamentis, quorum beneficio, reliquis ossibus alligatur; sub interno malleolo per cutem ipsam erumperet, & foris propenderet. Ad ædes suas deportatus, Chirurgus accersitur, is videns os omnino separatum; & fibris nonnullis tantummodo adhærescens, ipsum abscidit, & ea quæ sanguinis fluxum impediunt applicuit.

Alterâ die Clarissimi, Viri, Domin. Galenus Wierus, Illustriss. Cliviacensium Juliacens. Montensium &c. Principis Medicus ordinarius atque primarius, & D. Cosmus Slotanus piæ memoriæ ejusdem Principis Chirurgus, præstantissimus, Præceptor meus plurimùm honorandus, in consilium vocati fuere. Qui victum tenuem præscripserunt, corpus à pravis humoribus evacuaverunt, venam inciderunt, vulneri anodyna & pus moventia applicuerunt. Repellentibus item seu defensivis, ut vocant, affluxum humorum prohibuerunt. Curatio difficilis fuit, dolorosa atque longa. Interim tamen amici & quidem viri docti ipsi non defuerunt. Etsi enim propium suum Chirurgum Dusburgensem; nunc & in arte non mediocriter versatum haberet, attamen nunc Johan. Wierus; nunc Galenus Wierus, nunc Reinerus Solenander, omnes prædicti Principis Doctores Medici longè celeberrimi, ipsum inviserunt, omniaque quæ necessaria videbantur præscripserunt. Ego quoque non rarò unà cum præstantissimo Dom. Cosmô Slotano Dusseldorpio, ad ipsum profectus fui. Sic divino solo numine tandem ita convaluit, ut & sine Scipione incedere posset, uti ego eum incedentem anno 1599. cùm Coloniâ Dusburgum ad pium & honestum virum D. Simonem Engelgraff, arcane graviter motum, vocatus essem, ipsemet vidi. *Idem ibid.*

Quidam ex domesticis D. Samuelis Moratelli, civis Paterniacensis, vir robustus & optimo corporis habitu præditus, æstatis tempore brachium sibi ad cubitum fregit. Et quia tum temporis Basileam profectus eram, rusticum quendam, (qui in hoc tractu præ aliis etiam exercitatis Chirurgis in fracturis ac dislocationibus reponendis extollitur) ex pago proximo accersiverunt;

Conjux

Conjux quoque mea, quia, non rarò, me absente fracturas ac dislocationes repofuerat, & sanitati restituerat, simul vocata fuit, ad meum quoque finem, ut domestici mei vulnus, quod fracturam comitabatur (cujus curam rusticus ille Empiricus aggredi nolebat) curarent. In locum suum fracturâ repositâ, emplastrum ex pice flavâ applicuit, fasciisque, & spleniis omnia deligavit, (relicto tamen foramine pro vulneris mundificatione & ne ante decimum tertium diem solverentur fasciæ, splenia, & emplastrum amoveretur, jussit, domumque se contulit. Quid fit? Alterâ die post denuo dolor supervenit qui paulatim auctus erat, interim domestici mei, qui vulnus quotidie curabant, ægrum & adstantes, ut emplastrum amoveretur, admonuerunt, sed frustrà: Malnerunt enim impostorum quàm in arte versatorum consilium sequi, dolore tamen magis magisque aucto, tandem parere coacti fuerunt. Præsentibus itaque D. Moratello, aliisque fide dignis hominibus, fracturæ à domesticis meis soluta, emplastroque ablato, brachium non solùm tribus in locis exulceratum offenderunt, verùm etiam fœtens, ut hioc inde vermes, quales in carne putrida generari solent, conspicerentur: Imposito itaque unguento nostro Ægyptiaco, & cataplasmate aliquo, putredini resistente, applicato, curationem feliciter absolverunt, brachiumque pristinæ sanitati domestici mei restituerunt. *Idem ibidem.*

Sabaudus quidam, Vir Senex ac decrepitus, Genevæ in ponte Rhodani ex equo delapsus, tibiam sibi paulo supra malleolum fregit. D. Job. Griffonio mecum advocato, fracturam feliciter reposuimus, omnisque dolor protinus sedatus fuit. Tertio die pòst, cùm fracturam solvere vellemus, æger recusabat: aiebat enim, sibi à quodam amico, & in arte versato (erat autem is empiricus) significatum, fracturam ante septimam diem non esse solvendam. Quinto tamen de morbi, dolore exorto & propter iteratas admonitiones D. Griffonii, in præsentiâ D. Jani Antonii Sarazeni Medici Regii, soluta fractura, pustulæ multæ ac lividæ, quæ gangrænam proximam significabant, conspectæ fuerunt. Scarificata tamen tibia, & medicamentis gangrænæ adversantibus applicatis, tandem convaluit.

Rusticus ex pago quodam in agro Paterniacensi, sub plaustro lignis onusto, pedem adeò sibi fregit, ut à juncturâ separatus, & mirum in modum contractus esset. Advocatus ego, antequam manum adhiberem, utque opprobrium omne præcaverem, adstantibus sequentia significare visum fuit. Primò etiamsi summa adhiberetur diligentia, curationem nihilominus, propter magnitudinem morbi, ante menses sex vix absolvi posse. Secundò quia fractura ingens, claudicationem impediri non posse. Tertiò, quia ego tum temporis cum aliis quoque ægris occupatos, necesse esse, ut ægrum ad me adducerent; Ad hæc cùm parentes & adstantes consensissent, fracturam reposui, & demum tedii, expectavique donec ægrum adducerent, sed frustrà. Tanta enim fuit apud eos negligentia; ut ægrum apud se retinerent, neque quenquam alium qui fascias medicamentaque mutasset, advocarent. Post itaque dies aliquot, tussus dolore acerbissimo, inflammatione item ac fœtore subortis, miser ille extinctus est.

Ego quoque quum in solutione fracturæ cujusdam Nobilis Belgæ non satis diligens essem, ac à decimo quarto usque ad vigesimum primum diem, medicamenta minimè mutassem, callus adeò magnus procreatus est, ut inde maxima deformitas tibiæ sequuta fuisset, nisi protinus callum pressissem. Quâ verò methodo id factum sit, lector ex Observat. 91. Cent. 1. colligere poterit.

Ut itaque cautè ac securè agamus, secundo aut ad minimum tertio quoque die, Hippocrate & Galeno docente, fractura solvenda est, idque in eum finem, ne in membro, præter solitum cooperto, dolor aut pruritus suboriatur, neque ejus humoris qui jam parti affectæ infixus est, perspiratio prohibeatur. Post septimum, etiamsi, non usque adeò necesse sit toties fracturas solvere, partemque affectam inspicere solitus sum. *Idem ibidem.*

Fractura costarum felicissima curatio.

Portò casus, quem in præcedentibus meis ad te litteris promisi, talis est. Decimo nono mensis Decembris, superioris anni, interim dum ego Soloduri apud Dom. Kallenbergium ægrotantem hæsi, quadragenarius quidam hujus urbis, Michael Dilberger nomine, Vir robustus & plethoricus, cùm in propugnaculo extra urbem noctu excubias perlustrasset, & fortè fortuna super congelata terra, terrò io capulum gladii cecidisset, nonam decimamque costam lateri sinistri prope spinam confregit, ita ut partes confractæ ad exteriora vergerent. Deportatur à commilitionibus ad ædes suas, quæ extra mænia sunt: ubi noctem in maximis doloribus contrivit. Summo mane cùm uxor mea accersita esset, hominem in maximis angustiis invenit.

Dolor enim & pungitivus & maximus erat, cum pectoris angustia & respirandi difficultate. Præparatis omnibus quæ ad operationem necessaria erant, confracta ossa feliciter in sinum naturalem reposuit. Totum latus oleo rosaceo inunxit, & cataplasma ex farina hordei, pulvere rosarum, balaustiorum, nucum cupressi, gallarum & tormentillæ, cum posca & ovo integro confectum applicuit; ferulas quinetiam & pulvillos prout ad ossa continenda necesse esse videbantur, apposuit, omniaque convenienti ligatura constrinxit; leviter tamen, Arcta enim ligatura quàm sit periculosa in fracturis costarum aliàs coram ex me intellexisti. Costis confractis sic repositis dolores reliquaque symptomata protinus ex parte remiserunt. Statim quoque post repositionem costarum confractarum, haustum aquæ prunellæ & scabiosæ, partibus æqualibus commixtis exhibuit. Victum quinetiam tenuissimum præscripsit. Sequenti die venam secari jussit, & de tertio in tertium diem fracturam deligavit, & curavit. Interim bis in die haustum de prædictis aquis in octavum usque diem bibendum dedit. Post decimum cùm ego domum reversus fuissem, ægrum ab omni periculo liberatum reperi. Tum curationem prædictis remediis & emplastro ad fracturas ossium, spatio quatuor hebdomadarum plenissimè & feliciter, absolvimus.

Cæterùm in hac curatione annotatione dignum fuit, quod in cute ne minimum quidem judicium, ut fieri solet, contusionis apparuerit, sed sanguis ille contusus per alvum effluxerit & quidem in copia. Testatur enim æger, testantur & adstantes, uti quoque domestici mei, ad aliquot libras sanguinis contusi & grumosi per secessum effluxisse; idque hoc modo.

Tertio die cùm suppositorio ducenda esset alvus, insurgit natura, & per se alvum illa ter quaterve ducit, ac ultra libras tres humoris viscosi sanguinique concreti, & excrementis mixti, rejicit,

Fluxus

Fluxus iste ad sex fermè dies continuavit, ita tamen ut priori biduo, numero sedium ac quantitate excrementorum viscosorum & sanguinis grumosi paulatim adauctus fuerit.

Biduo autem intermedio fluxus neque auctus neque imminutus fuit, sed in eadem quantitate & numero permansit. Ultimo tandem biduo sensim iterum decrevit, donec ad naturalem excernendi modum rursus pervenisset: viribus interim satis semper constantibus, neque unquam admodum imminutis, uti nec ægro ab ulla febri infestato.

Hæc omnia domestici mei mecum, videlicet. Dn. Joh. Burgovverus, & Dn. Franciscus Monhemius, qui & operationi interfuerunt, diligenter observarunt. Vides clarissime mi Domine Doctor, quàm provida & sagax sic natura in conservatione sui individui, quæ meo quidem judicio per venas & arterias lumbares, ad intestinum colon, ea in parte, ubi è regione renis sinistri peritonæo annectitur, viam sibi quæsivit.

Secus procul omni dubio advenisset, si in dextro latere fuisset contusio, id enim ante duos annos hic in cive quodam, *Hans Rust* nomine, vidi. Huic enim ex minori contusione, quàm non fuerat hæc, lateris dextri, & sine ulla fractura costarum, talis sequuta est Ecchymosis, ut totum latus ab axilla ad clunem, umbilicum & spinam dorsi occuparit, & multa gravissima symptomata excitarit.

De quibus tamen tandem maxima adhibita diligentia, Deo benedicente remediis curatus fuit & satis commodè vixit, usque ad nonum hujus mensis: tum inter pocula accepto colapho, cum retro in pavimentum hypocausti cecidisset, & posteriorem partem capitis cum nucha contudisset, aliquantisper veluti exanimis remansit: ad se tamen cùm rediisset, surgit & ad ædes suas se confert, ubi cibum indigestum evomuit. Circa primam noctis apoplexia corripitur, & sequenti die debitum naturæ persolvit. Post obitum multùm sanguinis & pituitæ viscidæ per os rejecit. *Idem Centur. 5. Observat. Chirurgic.*

Quadragenarius quidam, vir robustus & optimo corporis habitu præditus, domesticus perillustris Principissæ ac Dominæ, Dom. Annæ Landgraviæ Hassiæ, &c. Comitissæ in Solens, Labach; ex casu sibi patellam in transversum fregit, cum maxima contusione genu, sine vulnere tamen. Ab initio etsi ex arte curatus fuisset æger, nihilominus tamen dolores acutissimi aliaque symptomata supervenerunt. Tandem dolore, reliquisque sedatis symptomatibus convaluit quidem, sed claudicatio ac summa imbecillitas totius cruris sequuta est, ita ut nonnisi maxima cum difficultate ambulare & tibiam, ascendendo, vix sublevare possit. Ego ante paucos dies ex Hassia rediens; cùm Fridbergæ in Wetteravia apud Dom. Georgium Fabrum, Landgraviæ Hassiæ, & castri Fridbergensis Imperialis Doctorem Medicum ordinarium; ac longè celeberrimum; amicum meum singularem; per dies aliquot detentus essem; ad prædictam Dominam Comitissam consilii causâ simul vocati fuimus; ubi virum istum vidimus; & quæ ipsi acciderant, ex ipso coram colligimus. Præscripsimus & nonnulla ad partes nervosas roborandas: sed verebar, ne frustrà omnia adhiberentur. Occurrebant tunc ea, quæ tua Exc. l. de ossibus parte 4. cap. 4. ex Amb. Paræo recenset, qui l. 15. cap. 22. testatur, se neminem cui patella fracta fuisset, vidisse, qui non claudicasset. Tu cum Domino Baæo ex mamas, causam claudicationis ad callum, cujus beneficio patella fracta connectitur, referendam esse; cùm videlicet capacitatem articuli subter patellam implet, motumque articuli impedit. Etsi verò opinionem hancce rationi consentaneam esse, in dubium revocare minimè conabor; unus tamen restat scrupulus, videlicet, in fracta patella, extuberantia colli talis esse possit, ut cavitatem hancce (quæ inter femur & os tibia magna est) adeò adimpleat; ut motum actionemque genu impedire possit? videmus enim ut plurimum in reliquis ossium fracturis; [nisi contusio ossis & periostii fuerit maxima) naturam tam decenter & eleganter connectere ossa, ut rarò relinquatur vestigium fracturæ. Periostium enim, quamdiu integrum est, materiam calli retinet, quo minus in extuberantiam accrescere possit, nisi ea adhibueris, quæ ex proprietate quadam specifica generationem calli promovent, uti ego adhuc juvenis in Belgio feci, & quidem pauco cum successu; quemadmodum videre poteris centur. primæ Observat. 91. Deinde in hoc nostro ægro, callum non fuisse causam claudicationis ex sequentibus apparebit; quapropter distinctione hic opus est. De quibus plura vide apud *Hildanum Observat. Chirurgic. Cent. 5. p. m. 485.*

Mira ossium fragilitas.

Sæpissime cum admiratione legi, Vir Ampliss. ea quæ de mira & ferè incredibili fragilitate ossium, cùm apud Marcellum Donatum mihi lib. 5. cap. 1. scribuntur, tum etiam à temetipso, & à Dom. Joh. de Burgo observata, mihique communicata, necnon Cent. 2. Observationum mearum inserta fuere. Cùm enim ossa partes sint corporis omnium solidissimæ, ex substantia quin etiam crassa & terrestri ita compactæ, ut etiam per multos annos illæsæ in ipsa terra remaneant, impossibile mihi videbatur, tam facilè ea dirumpi ac frangi posse: sed experientiâ aliter edoctus, adscribam exemplum unum aut alterum.

Superiore anno 1620. Matrona quædam honesta & robusta, quæ nondum 30. annum ætatis attigerat, Dom. Philippi Thomæ, hujus urbis Senatoris filia, cùm quodam die circa rem familiarem occupata esset, & in ipso hypocausto fortè fortuna in pavimentum cecidisset, tibiam dextram circa poplitem sibi fregit. Vocantur Barbitonsores duo, qui quidem fracturam se rectè reposuisse asseruerunt, interim tamen insecutus est dolor adeò magnus, aliaque symptomata adeò sæva, ut quum ego septimo mense post acceptam fracturam, in consilium adhibitus essem, ipsam veluti in agone reperirem. Quapropter manum adhibere recusavi, corroborantia tamen quædam præscripsi, & astantibus significavi, ipsam brevi finem vitæ facturam. Post paucos dies paulatim, & veluti lumen cui deficit fomes, extincta fuit adeo consumpta atque extenuata, ut ossa vix cute obtegerentur. Nec mirum: propter gravissimos enim, continuos ac longos dolores & cruciatus, quos ex inepta deligatione & situatione tibiæ perpessa fuerat, propter diuturnum item decubitum, quam de universalibus toto isto tempore morbi, ne semel quidem fieret mentio, calor nativus labefactus, & humidum radicale absumptum, obstructiones quinetiam quàm gravissimæ hepatis, lienis, & venarum mesaraicarum sequutæ fuerunt.

Ante annum, sexagenarius quidam Solodurensis, ex Senatorio ordine, Dn. Ursus Rouchti nomine, ab aliquot annis catarrhis adeò obnoxius

obnoxius fuerat, ut maxime inde virium, totiusque corporis labefactatio, etiam externarum partium, sequuta sit. Die quodam lectum egrediens, cùm per cubiculum deambularet, vestesque indueret, nec non inopinato pedem dextrum non satis aptè deduceret, protinus in pavimentum decidit, non sine maximo dolore, aliisque signis, quæ os fractum esse arguebant. Advocato Empirico quodam, cujus consilio & remediis in fracturis ossium plerique isto in loco utuntur, femur seu femoris os, ad quatuor circiter digitos, in latitudinem positos supra genu in transversum fractum esse, repertum fuit. Reposuit quidem fracturam, si Empiricis jactantiis credendum: dolor enim verissimum signum, os non satis rectè fuisse repositum, non remisit, sed potius auctus fuit, donec tandem, quum universalia planè neglecta fuissent, externa esset phlegmone, & ex inde ulcus circa fracturam, quapropter ad menses aliquot decumbere coactus fuit. Tandem cùm utcunque restitutus videretur, & innixus fulcris per cubiculum deambulare posset, paralysi aliisque gravissimis symptomatibus (de quibus posthac data occasione ad te scribam) correptus fuisset, naturæ debitum solvit. Os autem verissime fractum fuisse, testis sum ocularis In postremis enim morbo suo, non diu ante obitum ulcus ipsum adhuc ad os usque apertum, inspexi, osque fractum fuisse, manifestè cognovi. De causis hujus fragilitatis ossium inter se non conveniunt Medici: ego libentiùs tuam intelligam mentem, quàm quicquam hac de re inpræsentiarum proferam. Vale Vir amplissime & cum tuis omnibus æternùmque fœlicissimè vive. Raptim Bernæ Helvetiorum, 28. Februar. 1621. *Idem ibidem.*

Mira femoris fractura.

Petrus Kerler Ulmensis, artificii Murarii, mense Novembris, anno 1614. Argentinæ per lapsum femur sinistrum dupliciter transversum fregit, ut postea patebit. Adhibitis adhibendis, per semestre ferè penes Chirurgum decumbit, donec fractura consolidata, nec femore breviore reddito respectu alterius, huc Ulmam pedes sese conferret; ac de abscessu circa locum affectum, nec non ulcere fistuloso conquereretur: adveniens itaque medicam implorat opem, ubi particulam aliquam ossis fracti diuturnioris istius abscessus causam statuimus. Hinc igitur ulcus fistulosum ampliandum, & naturæ, quò citiùs ab aliena materia liberetur, succurrendum esse putavimus. His itaque continuatis tandem femoris fracti partem insignem trium digitorum transversorum longitudinem æquantem, Chirurgus noster Boulerus, 18. Augusti 1615. extraxit, non absque singularis naturæ miraculo, quæ callo tanto spatium istud intermedium in femore fracto repleverat, ut etiamnum absque claudicatione, benè restitutus, dictus juvenis ambulet, & in longitudine huic femori nihil quicquam decedat, Hoc pedetentim diuturoo isto tempore factum fuisse reor, quo femur ad longitudinem alterius solerter à Chirurgo semper extensum fuit, particula separata interim ad intermedia musculorum spatia per naturam remota quæ postmodum abscessui fistulosisque ulceribus ansam præbuit. *Gregorius Horstius operum medicorum tom. 2.*

Patella fractura à causa notatu digna.

Patellam propter duritiem suam hanc frangi posse nonnulli perverse asserunt. Nos verò, eandem non solùm a casu grandiori in genu frangi, experti sumus; verùm etiam sine casu; cujus rei historiam recensere animus est. Ante tres præter propter annos visitavi cum Magistro Petr. Adriani filio, virum satis robustum, qui è ponte descendens in terram ferè ceciderat, imò pede lubrico, resistens, tamen quantùm potuit in terram non fuerat prolapsus, sed ab illa resistentia transversim fracta ejus patella, & adeo quidem evidenter, ut inter utramque partem locari potuerit manus, una enim supra, altera infra genu sentiebatur. Fracturam, ut artis est, deligavit dictus Magister peritissimus. Quid fit? Patiens, rectiùs dixerim impatiens, contulit sese secundo die ipsam, unde incurshil's post aliquot septimanas rediit, claudicans in hunc usque diem. Mirabar olim patellæ mollitiem in cadavere, & duritiem ejus in sceleto, & quantùm hæ ab invicem differant, sæt accuratè cum Doctiss. Viro Matthæo Slado, Medicinæ Doctore Celeberrimo, investigavimus, reperimus que eas duritie toto cœlo inter differre. Ansa ergo erroris, quo nonnulli patellam frangi posse negarunt, exinde orta videtur, quòd patellas sceletorum solùm inspexerint. Quippe per exsiccationem ita indurantur, ut difficile sit easfrangere, recentes non item; quicunque enim utrasque ritè examinavit, reperiet recentes extrinsecè tantum duriori lamina obductas, intrinsece verò substantiâ osseo-spongiosâ præditas, instar diploës in cranio *Freder. Ruysch. in Observat. Anatomico Chirurgic.*

Fractura ossium duorum carpi post tres annos nondum coalita.

Fracturam magnorum ossium, putà brachii, femoris &c. aliquando talem esse, quæ nunquam ferruminetur, quamvis in arte tractetur, noto notius est. Ast mirandum, ossa carpi, quæ admodum sont exilia, fracta ex casu ab alto non iterum coaluisse. Ann. 1681. nebulonem quendam (non ille *Slagertie*) ob furtum ad suspensionem condemnatum, in carcere visitavi, & an ullo morbi genere antehac fuisset vexatus interrogavi.

Vixi, inquit, sat pancratice, & nullus fere morbus me unquam infestavit, præter febrem, quam ante aliquot annos perpessus fui: Præterea dextram, aiebat, in mensa planam reddere haud unquam potui, postquam semel cecidi ab alto. In hujus suspensi cadavere reperi membranam lienem ambientem (quæ in naturali constitutione tenerrima) in sui medio, duobus in locis, ita incrassatam, ut maximi scriptorii calami crassitiem adæquaret. Hanc crassitiem à prægressâ inflammatione ortam fuisse, dubitandum non est, quia sæpissime ab ea in incrassari membranas observamus. An verò inflammatio istæc à febre supradicta aut febris ab inflammatione pro enerit, me latet. Posthæc manum ejus cultro anatomico subjeci, & ex anterioribus carpi ossibus duo fracta inveni, quorum fragmenta, juncturam manûs violentiâ, obstaculo fuerant ut manum in mania planam reddere non potuerit: ut quod magis mirum est, ossa dicta à trilennio fracta, nondum erant ferruminata aut conjuncta nec callo obsessa, quemadmodum adhuc videre est in nostro musæo.

De fractura tibiæ.

Vir triginta annorum è curru desiliens fracturam passus est obliquam in medio fere ossis tibiæ, ad-

aderatque cruris inæqualitas, crepitus ossis, dolor & motus imbecillitas.

Una nempe tibiæ extremitas, ob fracturam acuta in hanc, altera in illam partem vergebat, unde cruris inæqualitas, & dum illæ extremitates ad se invicem allidebantur, ossis crepitus exortus est, ac dum periosteum, partesque vicinas acie sua premebant, prima doloris causa prodibat, secunda autem tunc, quando extremitates ossis disrupti pressione sua cogebant humores, ut in tobulis partium vicinarum stagnarent, acescerent ac fibrillas irritarent.

Dum autem fibrillæ hoc pacto ab ossium acie & humoribus acidis vellicabantur, spiritus animales non poterant potiùs in hunc quàm in illum musculum determinari, sed sine discrimine promebant ad omnes partes vellicatas, & si qui adhuc in parva quantitate ad certos musculos accedebant, eosdem tamen intrare & inflare nequibant ob tubulos ipsorum musculorum ab humoribus stagnantibus obstructos, & si qui spiritus eosdem musculos adhuc intrarent & inflarent, tamen nihil agebant aliud, quàm ut unam ossis disrupti extremitatem scindentem in hanc, aliam in illam partem moverent, unde nil nisi vellicatio, pretio, novusque dolor provenicbat, atque ex his satis manifestum redditur, quæ causa extiterit imbecillitatis motûs.

Ego accersitus ossa fracta statim reposui, atque sum temporis hoc agere præcipuè volui, ut restituerem impeditam circulationem humorum & sanguinis, cui absque dubio hic atque illic etiam stagnavit, ideoque ad acidam peccans temperandum partem affectam lavi spiritu vini, in quo aliquid gummi ammoniaci dissolutum erat, ac in eundem finem imposui emplastrum ex diapalma, bolo, spiritu vini ac oleo camomillæ compositum, tandemque ad ossa reposita retinenda ligaturas, aliaque idonea applicui, atque hæc per intervalla quædam renovavi, atque ita patiens intra sex septimanas iterum incessit.

Non dicam hoc in loco, quod fractura per transversum facta faciliùs possit retineri, quàm obliqua, nec etiam, quod pro signo bonæ restitutionis in fracto tibiæ osse plerumque habeatur, si pollex pedis directè respiciat genu, quandoquidem hæc nimis nota sunt; nec magis causam reddere conabor, cur dolor post os repositum mitigetur, quoniam liquidum est, hoc fieri, quia prima doloris causa, de qua modò locutus sum, aufertur tum temporis, sed antequam finiam explicare decrevi, quo pacto callus producatur: qui ossa fracta conglutinat.

Quando sanguinis & humorum circulatio restituitur iterum tam in osse fracto, quàm alibi, tunc particulæ quædam ex poris arteriarum egressæ transeunt per tubulos ossis, &, cùm perveniunt ad extremitatem ossis diffracti, amplius pergere nequeunt per lineam rectam ob tubulos à fractura interruptos, ideoque deflectunt ad latera, ubi ossi & sibi invicem adhærentes constituunt tandem callum, qui ossa iterum conjungit.

Callus hic in senibus & debilibus tardiùs generatur ob sanguinem viscosum & crassum, qui per angustos ossium tubulos transire non potest, atque ideo in tali casu crassiores sanguinis particulæ debent attenuari per lapidem osteocollam dragmæ pondere quotidie sumtum, imo nocere non posset, si lapidis ejusdem pulvis commisceretur etiam cum emplastro, quod externe imponitur.

Sed in ægroto nostro res longe aliter se hab..., nam callus indecoram molem excrescebat, quam... brem imposui emplastrum de ranis cum mercurio & strictam ligaturam, ut scilicet emplastrum hoc particulas quasdam calli ita attenuaret, ut avolarent, & ligatura callum ita comprimeret, ut nova apponi non possent.

Atque ita finem imponam huic observationi, postquàm dixero, quod crus ægroti semper extensum jacere jussi, & curam gessi, ut calx pedis inniteretur pulvinari parvulo, in cujus medio foramen erat, nam aliàs contingere posset, sicut experientia testatur, ut gangræna invaderet calcem, quia vasa & tubuli partium à longo decubitu vehementer comprimuntur.

Reperiuntur nonnulli, qui in fractura tibiæ commendant viscosa, quæ ego, ut noxia, rejicio, quandoquidem in corpore se non exercente obstructiones non parum augent, quæ è contra potiùs diminuendæ forent. *Johan. Muys in prax. Chirurg. rationali.*

De Fractura tibiæ cum vulnere.

Virgo 20. annor. ictu scloperti parvis globulis plumbeis onerati & cominus inopinato ac nescio quo infortunio explosi in interiore cruris parte paulò infra genu vulnus accepit, quod longe lateque egregie patebat, imo in tantum ut palmæ spatium superaret; aderatque ingens ossis tibiæ in valde parva fragmenta diffracti contritio & comminutio, quæ se per totam vulneris longitudinem atque ossis tibiæ crassitiem extendebat; hinc dolor atrocissimus affligebat ægrotam, quæ ideo multas noctes insomnes transigebat, aut si per exiguum temporis intervallum aliquando dormiret, mox evigilabat non sine summo terrore, ac quasi cum convulsione cruris vulnerati, unde ossa diffracti non rarò distorquebantur.

Ossa confracta absque magna extensione reponebantur, & fragmenta quæ ab aliis partibus prorsus erant separata, soluta & libera, è vestigio blandè eximebantur, reliquis adhuc aliquatenus adhærentibus relictis, donec progressu temporis separentur.

Tunc digestivum confectum ex therebinthina, vitello ovi, pulvere radicis iridis, aristolochiæ, myrrha, aliisque imponebatur cum emplastro ac lavamento acidum temperante; deinde adhibebatur communis ligatura, tandemque crus affectum capsulæ ligneæ inclusum concinnè collocabatur in lecto, supra quem funis suspendebatur, quo ægra corpus aliquatenus, ubi necessitas exigebat, posset exigere; ac ad pedes ægrotæ in lecto ponebatur erectus semicirculus ligneus, ne scilicet stragulorum gravitas cruri affecto aliquam crearet molestiam.

Venæ-sectio, quam plures commendare solent in tali casu, omnino omissa fuit, quandoquidem nihil utilitatis inde promanare potest, nec magis secundùm methodum vulgarem hic in usum revocata sunt purgantia, quia hoc in malo quiete nihil optabilius, atque nihil perniciosius quàm motus, sed ubi ægra nonnunquam alvum exonerare tenebatur, linteum quadruplex supponebatur natibus, quod alvi excrementa excipiebat.

Patiens interea temporis comedebat cibum concoctu haud difficilem, bibebat cerevisiam recentem ac primis singulis vesperis assumebat blandum aliquod

aliquod anodinum ad mitigandum dolorem ac tollendum illum terrorem, de quo dixi.

Ossa reponebantur, quotiescunque post terrorem nocturnum reperiebantur distorta.

Vulnus ob magnam puris copiam quotidie bis religabatur, atque ita progressu temporis complura fragmenta separata sunt, tuncque calli generationem ac accretionem quotidie conspeximus propullulantem, non ex medulla, sed ex ossis tubulis, valdè angustis, per duos humores nutrientes ex arteriolis egressi defeiuntur.

Vulnus hoc, periculosum adeò, intra semestre spatium coaluit, ac patiens fere iterum tam bellè incessit ac obambulavit, quàm fecerat, priusquam hoc vulnus infligeretur,

Simili cum successu aliam fœminam eodem malo decumbentem à patre meo sanatam esse recordor; sed hæc duo exempla aliquem adeo securum reddere non oportet, ut fracturam cum vulnere parvi faciat, nam illam plurimis necem intulisse compertum habeo; sic ubi in nosocomio Rotterodamensi aderam cum aliis quotidie per totos fermè dies curandis plurimis vulneratis, qui ex obsidione urbis de Graaf appulerant, omnes, qui fracturâ tibiæ cum vulnere laborabant, è vita abreptos esse novi, ac inter alios unus affligebatur fracturâ tibiæ cum vulnere, in quo plurimos vermes latos, crassos & albicantes non sine admiratione conspexi; sed unde hi vermes suas traxerunt originem? scil. ab ovis ex aëre in vulnus delapsis, ex quibus exclusi sunt vermes, ubi quædam in humoribus stagnantibus exorta fuit fermentatio. Sic ova non pauca ex aëre decidunt in lac, ex quo postea conficitur caseus, & quandiu hic recens est, ova non excluduntur, sed ubi caseus putrescit, hoc est, ubi fermentatio quædam progressu temporis producitur in caseo, tum demum vermes prorepunt ex ovis.

Sic in valde magna ossis contritione fracturam cum vulnere eo comitante crus paulo infra genu extirpatum esse memini.

In fractura tibiæ cum vulnere quidam adhibere consueverunt ligaturam octodecim capitum, quæ Belgicè nominatur *éen boexvviisse ligatuur*, sed nos feliciter usi sumus communi, quam bis quotidie mutavimus ob ingentem puris profluentis multitudinem.

Novi chirurgum, qui loco capsulæ ligneæ, de qua dixi, in usum revocat instrumentum quodnam ferreum, cui crus affectum imponitur, & conservatur ita extensum & immobile, sed illud instrumentum hic, verbis exprimere non possum,

In simplici fractura tibiæ apponuntur plerunque ferulæ ex charta crassa confectæ; illæ verò in nostra ægrota prorsus omittebantur, quia in vulnere tam vasto minime videbantur convenire.

Digestivo nostro, quod vulneri imponebatur, nulla admiscebatur pinguedo ob ossa denudata, nam quod pinguedo noceat ossibus experientia abunde testatur, ejusque rationem reddidimus antea.

Paræus de praxi chirurgica bene meritus est, multumque habuit experientiæ, attamen perperam in fractura cum vulnere commendat astringentia, quæ quare & quantùm noceant, sæpius diximus. Non puto autem aliquem in malam partem interpretaturum, quod tantum virum audeam reprehendere, nam quò clarior est aliquis, eò periculosiores sunt ejusdem errores, quia plurimi sola auctoritate tanti viri permoti, cæco quodam impetu eundem sequuntur, euntes qua itum est, non qua eundum,

Notandum est callum difficillimè produci in fractutis gravidarum & lactantium, quia materia idonea à fœtu aut infante callo subducitur. Sic Fabritius Hildanus refert in Cent. 5. Observat. 87. quod hac de causa in fractura tibiæ cum vulnere vigesima tertia septimana ossa adhuc vacillarint.

In fractura tam simplici quàm composita, ubi callus ossa confracta iterum conjunxit, ægri plerumque molestiam quandam persentiscunt in motu, quod contingit, quia callus recenter generatus occupat locum musculorum hanc aut illam partem moventium.

Antequam huic observationi finem imponam, duo problemata valde intricata, extricanda superesse mihi videntur; primum est, quare ossa, dum hiems est serena, faciliùs ac citius diffringantur, quàm alio quovis tempore; alterum verò, unde proveniat terror post somnum brevem ægros tam simplici quàm composita fractura laborantes plerunque invadens.

Ad primum aliqui fortassè responderent, glabritiem glaciei efficere ut homines sæpius prolabantur in terram atque hoc pacto facilè venire, ut ossa disrumpantur; verumenim verò hoc nodum non solvit, hoc difficultatem nondum tollit, nam ossa non tantùm, sed & ferrum, lignum aliaque dura corpora brumali quàm alio quovis tempore faciliùs disrumpuntur. Unde igitur hoc contingit? dicam, ausculta paulisper, Quo partes corporum durorum pertinaciùs & firmiùs conjunguntur inter se, eo difficiliùs diffringuntur; hoc certum ast: sed quodnam est illud; quod in partibus durorum corporum efficit cohærentiam? non quies, ut quidam opinantur, quoniam illa non est aliquid positivum in corpore, sed tantùm privatio motus, ideoque hoc effectum non producit quies, sed aër comprimendo partes durorum corporum conjungit ac cohærere facit, ut patet ex experimento in observatione septima tertiæ decadis citato; aër autem, dum æstas est, magis premit quàm media hieme, partim quia tum temporis à calore solis validiùs agitatur, partim quia tunc gravior existit ob admistos plurimos vapores ab ardente sole sursum propulsos; atque hic jam manifestum evadit, quare ossa aliaque dura corpora hiemali tempore faciliùs frangantur quàm æstate; hinc etiam facilè colligi potest, quare ligna in foco multo citiùs comburantur, cùm rigida premimur hieme, quàm dum amæna fruimur æstate; nimirum aër brumalis debiliori sua pressione non valde pertinaciter particulas ligni conjungere potis est, unde hæ particulæ à ligni corpore facilè separantur, dum vim patiuntur à particulis quibusdam terrestribus soli materiæ mundi subtilissimæ innatantibus, ideoque rapidissimè agitatis. Huc accedit, quod aër hiemalis, utpote minus premens & pauciores continens, flammam liberiùs divagari permittat.

Veniamus jam ad alterum problema, quo quæritur, unde oriatur terror in somno, non autem in vigilia, ægros ossis fracturam patientes invadens, ac ossa disrupta non rarò iterum distorquens.

Paræus magnâ experientiâ in arte chirurgica locupletatus, qui ipse aliquando fracturam tibiæ ac fibulæ cum vulnere passus est, ac in proprio corpore hunc terrorem vivide satis persentiit, ut ait, hujus phænomeni rationem reddere conatur in capite vigesimo sexto libri agentis de fracturis, sed misere philosophatur ibidem, non nisi nugas ac chimæras in medium proferens.

Videamus

Videamus igitur, num nos rationem magis verosimilem afferre valeamus; tentabimus saltem. Ubi vigilant ægroti, vident, audiunt, edunt, bibunt, agitant brachia atque hoc modo multùm succi nervei consumunt, sic ut ille haud adeo magnâ copiâ profluat in partes irritatas ex cerebro, sed cum somno sua membra demulcent ægri, longe aliter se res habet. Aures non audiunt tum temporis, oculi occlusi sunt, nares consueto negotio non vacant, lingua silet, brachia quiescunt; ubi igitur illo tempore humores circa fracturam tibiæ stagnantes ac accrescentes distensione sua fibrillis afferunt molestiam, ac easdem scissione sua irritant, tunc inquam, succus nerveus, qui jam ad negotia in vigilia peragenda non impenditur, magnâ copiâ prolabitur in musculos irritatos, qui hoc pacto inflati crus vehementer movent, ac unam ossis diffracti extremitatem in hanc, alteram in illam partem miserè disturquent, unde dolor satis atrox exoritur, & sic patiens post brevem somnum non sine terrore expergiscitur. Ut autem hujus phænomeni rationi, quam tradidi, faciliùs fidem adhibeas, consultum judico, ut ad pauculа verba sequentia attendas. Dum vigilas & vigilas, dum vesiculæ tuæ seminariæ multùm fœcundi seminis continent, imaginare, quàm vividè poteris, pulcherrimam quandam puellam, hoc pacto tamen te semen ejaculaturum non opinor, nisi alia moliaris; verùm si tibi somno placido fruenti ante imaginationem obversetur haud indigenæ formæ puella, & si interea temporis vesiculæ tuæ semine satis distentæ sint, semen non rarò summa cum voluptate hoc pacto prolabetur, quia scilicet vesiculæ seminariæ valde contrahuntur a succo nerveo, qui magnâ copiâ, dum dormis, a cerebro in vesiculas seminarias à semine distentas & valde irritatas defertur, quia jam non impenditur ad alia permulta negotia, dum vigilas, peragenda.

Sic novi duos Epilepticos, qui nunquam, dum vigilant, sed semper, ubi somno sepulti jacent, paroxismo corripiuntur, quod sententiam meam non parum confirmat. *Idem ibidem.*

Fractura tibiæ & fibulæ cum vulnere.

Filius Domini N. N. quatuordecim annorum, cum sociis ludens, tibiam & fibulam dextram confregit, ita ut prostantia hæc ossa musculum Castroneminm & suralem cum venis quibusdam pertuderint: pes extensus per ministros fortes & in æquilibrio detentus erat, usque dum utraque manu Chirurgus membrum comprehensum ad pristinam figuram reduxit, & impellendo hinc inde, antè, retro, ad latera extantes partes, in suas concavitates, & pristinas sedes reduxit; quo dolor magna ex parte cessavit, osque fractum in superficie æqualitatem adeptum, & sano membro simile redditum est: vulneri tum imposuit Ceratum Galeni, & desuper emplastrum adstringens, deligavit pedem fasciâ tres ferme ulnas nostrates longâ, ter fracturæ circumvolvendo, & versus genu finiendo, aliamdein fasciam affecto pedi bis circumduxit, versus malleolum finiendo; Hisce fasciis imposuit compressas per transversum & juxta membri longitudinem, ut inæqualitas omnis caveatur, & deligatio super fracturam firmetur: propterea compressas has eodesmo retinuit, & Syndesmo theca chartacea munivit; tandem pedem directum, ut calcaneus ab omni compressione liber fuerit, capsulæ ligneæ imposuit. Modus hic deligationis per duas hebdomadas continuatus fuit; post instituta ascialis fasciatio octodecim capitum dicta, ob copiam puris, & crebram partis inspectionem: post tertiam hebdomadam in melius profectus est æger, calloque fractura conglutinata, & persanata.

In fracturis ritè sanandis Chirurgus officio suo neutiquam satisfecisse dicendus est, si ossa ab invicem disjuncta rite iterum coaptaverit, cùm & eadem debite ligando ac reponendo, ut concrescere denuo queant, apta reddere teneatur, non solùm coalescentiam aliàs impediturus, sed pluribus etiam aliis incommoda ægrum expositurus; quæ inter sphacelus crudelissime eundem è vita tollere valet, cujus exemplum, præter Ephemeridum nostr. curios. dec. 1. ann. 2. obs. 248. Phil. Hochstetterus decad. 5. observ. med. cas. 7. exhibuit, ubi cruris fracti ab imprudenter facta arctiori ligatura sphacelum descripsit; qualem etiam in alio calcaneus non rite collocatus concitaverat, quem sistit Joh. Hellvvigius observ. med. 154. Prout vicissim à laxioribus ligaturis coalescentiam ossium impediri, Joh. Mekeranus cap. 68. observ. chirurg. non immerito admonet. Scilicet fasciæ membri partes diffractas iterumque in naturalem situm locatas, conservare in eodem debent, quo ita particulæ glutinosæ exsudantes, ossium alimento aliàs inservituræ, se invicem contingere atque coagulatæ, callum constituere queant; unde laxiori ligatura extremitates ossium fractorum è loco suo moveri facilè cùm possint, unio sperata impeditur: & è contra si strictiori ligatura, aut inconcinna repositione spiritibus animalibus ac sanguini aditus reditusque; compressis scilicet nervis & arteriis, denegetur, partem tandem emori necesse est, Glutten verò illud nutritium è sanguine deponi, particulæ illæ viscosæ, in ejus sero abundantes probabile reddunt, ut ita à nervis illud sperare, cum aliis, haud opus habeamus. *D. Joh. de Muralto.*

Fractura costæ & cruris in gravida.

Anno Christi 1681. die 29. Decembr. honesta matrona, *Dn. Naurathe*, t. t. Præfecti in *Dirmstein* trans Rhenum, Uxor, in glacie cecidit adeo periculosè, ut in dextro latere frangeret costam, in sinistro utrumque focile cruris paullo supra malleolum; nihilominus (utut jam à semestri esset gravida) rite curabatur utraque fractura intra tres menses; donec tandem feliciter enixa esset fœtum, qui adhuc tum ultra triennium superstes est. *D. Georgii Franci.*

De miro effectu tabaci in fractura femoris cum vulnere.

Chirurgus mihi notissimus, & à mea directione dependens, curationem suscepit cujusdam juvenis Rustici, cui in terram lapso femur dextrum à rota currus onusti ita contusum & contritum fuit, ut caro musculosa denudata ab ossibus quasi divulsa cerneretur. Diu actum fuit mundificantibus, siccantibus, sarcoticis, epuloticis; sed continuus humorum affluxus omnem operam & vim medicamentorum elusit. Pulverem tabaci, utpote herbæ vulnerariæ aspersit parti læsæ, sed vix hoc facto, patiens ad enormem vomitum fuit concitatus. Retulit mihi inopinatum hoc symptoma prædictus Chirurgus, quod ex naturali causa forsan ortum suspicatus, jussi ut inspersionem hujus pulveris

repeteret; Dictum factum, semper inspersionem immediate sequebatur vomitio. An vellicando nervosum genus, & stomachum in communicando vapores, hæc anacatharsis excitata? utrumque videtur probabile; totum enim corpus, ex doctrina Hippocratis, & ab experientia unguentorum Merqurialium, est conspirabile & confluxile.

Fateor equidem & mihi stomachum moveri, si odorem fumi tabaci naribus etiam à longè excipiam. Eliminarem sanè & proscriberem ex toto medico hanc herbam; si in mea potestate foret, propter tot nocumenta, quæ à Simone Pauli Commentar. de abusu tabaci allata sunt; sed nolo ostendere Clarissimos Viros, Thomam Bartholinum & Diemerbrœkium, quos esse tabacophilos testentur; illius Consilium de anatom. pract. fol. 18. hujus verò tract. de peste Cuique placeat fumus odorque suus. *D. Adami à Lebenwald.*

Herba Ossifraga.

Fertur in Norvvegia nostra plantæ cujusdam ossifragæ vis singularis emolliendi ossa Jumentorum, quæ illâ vescuntur. Et quod mirum ex eadem incolæ unguentum conficiunt pro ossibus glutinandis. Suspicatur D. Simon Pauli noster, mercurii vel plumbi subesse mineram, deditque id negotii peritis loci Sereniss. Rex noster, ut de veritate rei inquirant, & quid terra illa, ubi planta nascitur, sinu suo occulti condat. Quicquid rescivero posthac scribam. Vidi plantam siccam apud. Clar. Borrichium Collegam, quæ proprius ad juncum accedere mihi visa est D. Barthol. in litter. ad D. Sachsum missis.

§ Herbam hanc à nemine Botanicorum descriptam vocat Gramen Norvveg. πολύρριζον, ossifragum. Ex D. Simon. Pauli Prof. Regius. Hafnens. in quadripart. novæ edit. clas. 4. pag. 529. Norvvegis dicitur *Beengras.* Herbam istam secum anno 1641. è Norvvegia primùm adduxit D. Jacob. Fabricius Med. R. Christiani IV. narravitque eidem Generos. D. Janus Bielke Regn. Norvveg. Cancellarius compertum esse ejusdem herbæ efficaciam, ut si boves eo vescerentur, ipsos usque ad ambulandum fieri ineptos, ut elumbes videantur, nec vestigium facere possint. Imo ut *Georg. Arichvvein* Generalis Major Philobotanicus, retulit in litteris ad D. Simon. Pauli, adeo ossa mollescunt, & conteruntur, ut baculo possit quasi circumvolvi animal, non tamen moritur, sed curari potest, si ipsi ossa exhibeantur alterius animalis, hujus herbæ esu perempti. Conjecturam facit D. Simon Pauli pag. 532. delitescere fortè ibi, ubi crescit herba hæc, in intimis terræ visceribus mineram saturni vel mercur. currentis, quia secundùm Kircher. art. magnet. l. 3. p. 5. c. 3. omnes plantæ alimentum verè magneticè ex terra trahant & naturam metalli supra quod creverunt assumant. Contrà meminit Jacob Bontius J.V. med. Indor. cap. 33. f. 86. herbulæ, quæ semen fert instar hordei, sed nigrius & hirsutius in Malacca & Continentis quibusdam Indiæ locis crescentis, quæ ossa adeo firmat & roborat, ut si ejus succo solummodo dentes imbuantur, silicem in pollinem redigere possint. *Thom. Bartholini.*

De gramine ossifrago.

Graminis hujus originem Norvvegiæ debemus, quod ea virtute vel malignitate præditum dicitur, ut jumenta, quæ vescuntur, enervet, ad motum inepta reddat, ut velut exossata videantur. Hinc conjectura ingeniosa suspicatur Celeberrimus noster D. Simon Paulli, magnum illud floræ & anatomes decus, subesse illis locis, ubi germinat herba, fodinas vel plumbi vel argenti vivi, unde vitium hoc ossifraga herba trahat. De quo argumento eruditam epistolam ad me publice laudatus magno suo merito Senex exaravit, ex qua excerpam quæ ad hoc negocium spectant, ut Lectoribus curiosis satisfiat: Ita vero ille:

Porrò, Celebratissime Bartholine, vitio minime mihi vortes, si insuper gnaviter ac obstinate, te exorare contendam, consilio, studio, operâ tuis, mihi non desis, sed ut defesso Atlanti, impiger successit Hercules? ita tu mihi in statione mea successor, patriæ in honorem & commodum, suppetias feras; & pluribus te rogarem hæc omnia, nisi scires, Ciceronem à Platone præclare scriptum putare in officiis: quod non nobis solùm nati simus, sed ortus nostri partem patria sibi vendicet, hinc eundem quoque statuere, quod omneis omnium caritates patria una complectatur, pro qua quis bonus dubitaret mortem oppetere, si ei sit profuturus? Quæ cùm ita se habeant, egoque complusculis abhinc annis in eam devenerim sententiam, & adhuc in ea permaneam, certo quodam in tractu Norvvagiæ, novo & inaudito exemplo, delitescere fodinas vel plumbi vel argenti vivi; æque ac pridem Dei gratiâ omni populo innotuit, argentum aliaque metalla in ea reperiri ac effodi; quæ omnia Celeberrimus Joh. Laurenbergius, popularis meus, qua Poëta ad Maronis, qua Mathematicus ad Euclidis famam pergens, suo Heroico, meo honori dicato, cùm floram meam Danico idiomate 1648. publici juris facerem, universo orbi asseverare studuit. Atque interim non immerito, meæ conjecturæ, de inveniendis plumbo ac argento vivo, in Norvvagia & occasionem & rationem prudenter exigis? Nisi ergo grave molestumque tibi, perdocte Bartholine fuerit, quartam partem quadripartiti mei botanici posterioris editionis, & quidem in ea historiam graminis evolvere (heluo aliàs librorum qui es, si tam honesta in re, hoc loquendi modo cum Cicerone uti mihi liceat) utique nullus dubito, quin illic loci exacto & perpolito judicio suo abunde satisfaciam, præsertim cum Nobilissimæ Europæ Nationes (quas inter Gallicam & Britannicam recenseo) studium hoc meum sive collaudent sive tacitè approbent; Sed in fidem priorum omnium Nobilissimi ac maxime strenui Domini Georgii Reichvvein, natione Catti, chiliarchæ literas, Germanico idiomate ad me datas, ex meo quadripartito huc accersam: quem meritissimo, cùm adhuc superstes, sed civium appellasses Dioscoridem, adeo subactus erat, non solùm in militari disciplina, sed quoque Botanico studio, ita ut si nonnullis Medicinæ Candidatis, negotium facessere ipsi placuisset, herbam illi ultro ei porrexissent, & quidem presso pollice. Sed linquam hæc illius verò ad me datarum literarum verba ita habent (Latine versa in gratiam exterorum.)

Honoratissime Dom. D. Simon Paulli. Quandoquidem editum herbarium tuum pervolvi, intellexique Te D. Doctorem, Herbarum apprime esse partium, & ex Te ipso audivi plura meditari hæc illius verò ad me datarum literarum verba de eis in publicam lucem proferendis: reticere non possum multas in hoc regno elegantes & mirandas species inveniri, quarum quædam quidem cum aliis conveniunt, sed singulari figura & colore, aliquæ verò prorsus raræ, & me conscio (qui tamen in juventute mea istius studii maximus cultor fui, plurimisque

cultor fui, plurimisque cum Medicis præclaris familiaritatem contraxi, meque ex parte in iis exercui, & adhuc data occasione & temporis opportunitate summopere oblector & recreo) à nullo descriptæ unquam. Inter alias, duas species tibi enarrabo, & quoad fieri potest describam, & futuro anno, si Deus vitam prorogaverit, & valetudinem indulserit, ad vivum depictas & compactas, vel etiam, si possibile, recentes & vivas me missurum promitto, quia hoc tempore haberi non possunt, cum distitis abhuc locis crescant, sexaginta circiter leucis, meque alia negotia impediant, quominus illas afferri ad me jubeam, nec enim libenter unicuique revelarem.

Prima species similis est apio risus, sed radices habet crassas & nodosas, instar radicum seu raparum rothfeldianarum. Si bestia, ut equus, vacca, bos, ovis, vel porcus illam devoret, (cujus tamen appetunt esum, unde rustici ubi hæc herba crescit, ista loca circum sepiunt in quibus copiose luxuriat) statim moritur, & disrumpitur, venenum ejus quoque tam vehemens, ut avis si cadaver involet, pariter concidat confestim, & si inde repellatur, statim ex aëre decidat moriaturque, hanc plantam incolæ hujus regionis appellant, *Sylleurebber*.

Alterius speciei hæc est historia; gramen est, longis acutisque foliis instar iridis. Si eo pecudes vescantur, sicut de priori dictum, confringit & conterit illis statim omnia ossa, ita ut ossa fracta intra pellem circa bacillum circumvolvi possint, non statim tamen expirant, sed curari possunt, si illis exhibeamus ossa contusa alterius alicuius bestiæ ex usu hujus herbæ mortuæ. Hinc etiam incolæ sedulo provident; ut semper in promptu habeant hanc medicinam. Sæpe hanc plantam beatus Dn. Cancellarius Jan. Bielcke & ego habuimus, qui nomen ossifragi illi dedit & imposuit. Quando ad manus tuas pervenerit ipsa planta, de ea ulterius inquires, ejusque decentem anatomen ipse suscipies. Christianæ 24. Augusti anno 1661.

Posthabita ergo ranunculi venenata specie; contra illa graminis maxime meretur ejus ut hic loci habeatur ratio, quàm Perillustri ac Generoso Heroi ac Dn. D. Jano Bielcke, Norvagiæ Regni quondam Cancellario dignissimo, eleganti mecastor, ingenioso & effectui illius convenienti Vocabulo, Gramen ossifragum appellare allubuit: ceu qui peritissimus non literarum solùm, sed insuper quoque rei herbariæ ac medicæ erat: quin & ille, in utrisque his septem trionibus subjectis regnis; suam senectutem iisdem studiis hoc seculo æque oblectavit, ac multis retro actis seculis Orientales sive Reges sive Reginas se oblectasse accepimus; hinc ego sequutus incompatabilis rerum naturalium indagatoris Athanasii Kircheri, è societate Jesu Concionatoris, aliorumque eruditorum vestigia, aut potiùs illorum rationes & observationes, scilicet; in terræ visceribus profundis in Norvvagia delitescere vel plumbum vel argentum vivum, ceu quorum minerales exhalationes, cùm utræque inimicissimæ nervis sint, jumenta veluti enervant, dum pascuntur hoc gramine ossifrago eo in tractu, ubi alma mater terra, veluti ex gremio suo, hoc genus graminis, in jugia uti hatiolor, profert, ne ergo te, eruditissime Polyhistor, te compello Bartholine, amicorum intime, æque ac me ipsum pro re nata male habet, quod Nob. D. Georgius Reichvvein, verbulo non meminerit tractus istius Norvvagiei, ubi hoc graminis genus pubescit aut pullulat, sed solum ad me scribat loca illa circiter 60. milliaribus Christianâ distare. Dolendum sanè ob publica commoda, hunc priscâ virtute & fide Virum, ocyus vitæ pausam fecisse suæ, quam in rem ea conferre possit, quæ in suis ad me datis literis mihi pollicitus est: adeo verum illud nostri Hippoc. occasionem præcipitem, ac pindari quoque illud; homioea quotidie ceu arborum folia cadere. Quæ cùm ita se habeant, jam nostrum est, ut pro re nata Christophorum Columbum imitemur Qui sic inquies? ut enim ille ratione & sagaci conjectura, æterna sui laude Americam sive primus invenit, sive detexit, ita adderet graminis ossifragi subsidio; nondum detectas, sive plumbi, sive argenti vivi fodinas, in musæis nostris lucubrantes, conjectura, ratione non cassa. indagare ac assequi, mox calamis nostris, Deo fortunante, dicta metalla veluti effodere. Etenim nullus dubito, cùm aliquot exemplaria typis expressa hujus meæ epist. nomini ac honori tuo dicatæ, Christianiam, Bergas, Stavangriam, Nidrosiam aut Dronthemium, data in rem opportunitate, mittere mediter; ut in Norvvagia & præsertim celeberrimis hisce emporiis, distrahantur & divulgentur; Quin Reverendi D. Episcopi, Pastores, Verbi Divini Ministri, ac alii honesti Viri, passim in Nob Septentrionali hoc Regno habitantes, ubi intellexerint, quàm pervicaci studio ac opera contendam, alteri huic patriæ, in qua quidem educatus, tu verò Celeberrime Bartholine, natus es, prodesse, nobiscum sagaciter loca illa indagare, aut requirere in istos tractus occipiant, ubi gramen ossifragum germinet; tibi verò amicissime Bartholine, Domine Collega, Affinia ac Compater honoratissime, cùm plures rerum præ me, vel noti vel affinitate juncti sint, proin quæso te, publico hoc in negotio, tradamus operas mutuas, ego publicis his ad te datis literis, tu ad tua privatim dandis. Ego interim hic loci, priscam aut more majorum, acclamo feliciter! &c.

Plura senis diserti & eruditi D. Simoni Paulli verba, in epistola parænetica publicè legi possunt, quo Lectorem amando, ut ad ipsam rem veniam quam nos curare per amicitiam intimam pro publico bono publici amantissimi fategit.

Ne votis tanti Viri deessem, cùm ille ad Episcopos Christianiensem & Nidrosiensem literas cum sua parænetica epistola mitteret, ego ad Episcopos Stavagriensem & Bergensem commissum negocium cum officiosis literis detuli, ut & per singulas Regni Norvvegiæ diœceses exquiri sedulo posset, an in locis, ubi gramen ossifragum provenit, minera aliqua plumbi vel argenti vivi eruatur. Rei veritatem tempus aperiet, quo suspicio Magni Viri roboretur. Certè probabilitate non levi se tuetur, cùm plerumque herbæ locorum suorum vim redoleant, & qualem ex terra succum trahunt, talem vescentibus præbeant, sibique associent, apud Achillem Tatium elegans locus occurrit lib. 4 de Clitoph. & Leucip. Amor. de Elephante bene olente, quia vescitur nigrâ rosâ. Autoris verba hæc sunt latio donata: Indorum flos est, quem nigram rosam vocant. Hac elephantes vescuntur, quemadmodum, gramine apud nos boves. Igitur à primo fere ortu pabulo ejusmodi enutrita bellua cibo similem odorem reddit, halitumque odoratissimum ab imo, ubi ei spiritus fons est, efflat τὰ καρυόφυλλα hic designari Salmasius in notis docet per rosam nigram, quæ in India ex Græco nomine, folia sunt, in Græcia flores nigri. Quale igitur alimentum, talis corporis habitus. Allio vescentes Orientales, hircum olent. Venenatis herbis pasta puella, Alexandrum inficere potuit. Purgantibus usa nutrix, lac purgativum exhibet. Rosmarino, thymo, aliisque

aliisque odoratis herbis pastæ oves in Provincia Narbonensi sapidissimas carnes nobis exhibuerunt. Infinita in eam rem exempla suppetunt. Herbas denique ex terræ visceribus imprægnari tam notum, quam olim Martis lucus. Hinc uvæ Aurelianenses ex sulphureo solo infames cum succo suo ex mensa Regia exsulant. Vinum quoque alsaticum glebæ suæ gravitate noxium calculosos efficit. Ne plura exempla afferam, sufficit, quia de mineralibus sermo est, Pechlini, nuperi de purgantibus scriptoris facundi, observatio, qui ex relatione Nicolai du Pont Medici Coloniensis, scribit ostentatam fuisse Lugduni Batavorum arboris particulam vivo obsitam mercurio: posse quoque pestilentem afflari auram à metallicis partibus ex eo constat, quod in Polonia in graminum radices irrepere vivum mercurium testetur Beguinus, & in Dalmatia arborum truncis instillatum mobile metallum oculorum se judicio agnovisse testentur Chymici. Simile quid in Norvvagia metallis fœcunda pati potest gramen Ossifragum, ut non tam ossa pecudum, quàm nervi, quibus mercurius vivus inimicus est, afficiantur, tendinesque contrahantur. Sunt, fateor, etiam ex vegetabilium classe, quæ ossa emolliunt, folia nempe cicutæ vescentibus eapropter exitiosæ, hinc pro callo ossis emolliendo tale remedium proponit Chalmeteus l. 4. Enchirid. Chirurg. c.

℞. Fol. cicut. m. iv. f. decoct. pro fotu. Folia terantur cum axungia suilla vel gallinacea, f. cataplasma post fotum applicandum. An verò ossa pecudum ab esu graminis ossifragi ita emolliantur ut fragilia sint, sicut narrat Reicovveinius, vel potiùs nervi debilitentur, quod verò fit mihi similius, & suspicatur quoque expertissimus noster D. Simon Paulli, accuratiorum relationes, quas ex Norvvagia exspectamus, edocebunt. De his aliisque ad ossifragum gramen spectantibus dum sollicitè cogitaremus, ecce veriorem graminis historiam Bergis Norvvegorum ad Amplissimum Virum D. Rotlinum, in Collegio Commerciorum assessorem bene meritum, Hafniam transmisit Excellentissimus Medicus D. Joh. Frid. Treublerus, amicus noster, cujus Viri in Re Medica versatissimi, adeoque fide plenì relationem hic subjungam, ut ab omnibus intelligatur, latina consuetudine donatam.

Mitto unà caulem graminis desiderati in frusta quod dissectum, ut angustia epistolæ caperetur, quod rustici nostri (quorum non paucos hac de re examinavi) *Sierregras*, flores flavos jam amisit, plenum seminibus adhuc tamen immaturis. Locis paludosis & humidis crescit inter alia dumeta prope omnes villas colonorum, Primum gramen est, quod vere prodit, unde avida sunt pecora ad decerpendum, quam primùm verò alia gramina copiosius prodierint, hoc gramen aversantur, forsan propter caulem duriusculum. Ex esu hujus pecora male habent; macie confecta, spina dorsi extra protuberante, (unde rustici dicunt, quod dorsum sit fractum,) pedibus ossibusque debilibus, ut ægerrimè incedere queant. Quod autem prorsus mollia fiant ossa, vix fieri potest, alioquin omnia animalia perirent, & humi posternerentur. Pro antidoto rustici semper habent exsiccata ossa in promtu, quæ quotannis conservant ad hunc usum, quando carne prius abrasa usi sunt, eadem quoque ossa in plateis & ædibus colligunt, quæ exsiccata in parva frusta confringunt, & mox ab animalibus magno appetitu in minima dentibus comminuta devorantur, unde quasi salivatio subsequitur, multumque aquæ ex ore profluit, ut statim meliùs habeant pecora, & prorsus convalescant. Aliqui pro remedio in pharmacopolis emunt radicem tormentillæ; plerique tamen & pene omnes ossibus acquiescunt. Videtur (quia rustici rationem nullam dare sciunt) quod pecora plerumque primo vere, terrâ adhuc humoribus nimiis fœtâ, ex hoc gramine præcoci tantam in se humiditatem superfluam sorbeant & devorent, quæ deinde per ossa exsiccari debet. Unicuique tamen suum relinquo judicium. Ad satisfaciendum curiosorum animo, gramen hoc in particula terræ, in qua crescit, servavi, & in vase collocari jussi, idque juveni cuidam Pastori Jano Danielis tradidi, cujus navicula in portu medio milliari hinc dissito hæret Hafniam cogitans, adjunxique particulam graminis ipsius in charta consignatam, ut petitioni satisfacerem.

Tandem de gramine ad amicum laudatum perscripsit Dn. Treublerus, magna cum fama medicam Artem Bergis exercens, ut plenam ex illo graminis ossifragi historiam jam habeamus, cui nihil addi potest, nisi uberior subterraneorum investigatio, ut de mercurio vel plumbo forsan latente, certiores simus. Ex salivatione subsequente suspicionem suam de mercurio confirmari credit Dn. Simon Paulli. Quam tamen nimiæ graminis devorati humiditati ascribit D. Treublerus, per ossa exsiccatæ. Sola quidem humiditas herbæ ista symptomata inducere non videtur, quæ patiuntur pecora, nisi alia maligna qualitas adjungatur ex quocunque principio derivanda, quod dies docebit. Figuram graminis integram confeci ex frustis à Treublero missis, & ex aliis non ita pridem mihi à Cl. D. Borrichio communicatis, accuratiorem daturus cùm ex condicto D. Treublerus vas miserit integra herba terræ suæ immersa conspicuum.

Idem D. Treublerus 14. Octobr. 1673. hæc porro ad amicum laudatum scripsit: de gramine hoc tantùm testat ut dicam, copiosum in omnibus vilis reperiri, mihique affuisse duos Chirurgos cùm plantam hanc in mensa mea reposuissem, qui existimabant esse Centaurium minus, assi mabantque diu pro ista herba se in usum suum traxisse, nec exinde quidquam mali prosluxisse. Unde non video ex gramine vel herba, provenire damnum, sed ex humiditate, sicut antea dictum. *Idem ibidem.*

De Gramine Ossifrago.

Quæcunque de Gramine Ossifrago dici poterant in Actorum nostrorum Volum. II. absolvimus. Pauca hic residua commemorabimus. Comperimus exinde non in Norvegia tantùm istam plantam provenire, sed & Cimbria quoque nostra luxuriare in locis paludosis, & sine ullo damno à jumentis consumi, ut credere fas sit plantæ hujus naturam, sicut aliarum, variare pro locorum diversitate & climatum conditione. Ingentem copiam exsiccatæ plantæ ad nos ex Cimbria nuper attulit Pharmacopæus Urbis petitissimus Christophorus Herford Senior, ut omnibus curiosis satisfaceret. Forma florum elegantissimorum eadem est, quam figurâ expressimus ad Observ. 43. Volum. II. nisi quod in acumen magis desinant, & densiores sint. Centaurium non malè referunt colore saturato. Experimentum decantatæ virtutis emolliendorum ossium frustra in brutis nostris tentavimus. Forsan in exsiccata planta, qualis ad nos delata fuit, cum sale volatili, vis exspiravit, quemadmodum in nonnullis aliis, ut rura similibusque exsiccatis evenit.

Memi-

Meminerunt Curiosi Parisienses in Diatio Eruditorum, quod *Journal des Sçavans* vocant, Anni 1675. hujus plantæ ex nostris Actis, sed non satis mentem nostram videntur assecuti, digni tamen omni laude, quod tanto judicio seligant ex variorum scriptis quæ & prodesse possint & delectare curiosum Lectorem.

Ita verò illi pag. 192. §. 3. de nostra herba ex nostris Actis scribunt.

Ce qu'il dit (*ass.* Bartholin.) *d'une autre espece d'herbe qui v ent aussi de la Norvvegue, & qu'il appelle offifragum, est encore particulier. Car il assure que quand les chats en ont mangé, les os de leurs jambes semblent sortir de leur peau, & ils ne sçauroient marcher en cet état. Pour les guerir en leur donne des os secs & broyez; ce qui leur excite une grande salivation qui les guerit enfin. Et il croit qu'aprez cette guerison une vapeur mercurielle ou quelque autre vapeur maligne passe dans cette herbe.*

H. e. Id quod natrat (*Bartholinus*) de alia specie herbæ ex Norvvegia advectæ quam Ossifragam appellat, singulare quoque est. Nam ille affirmat si feles eam comedant, ossa pedis videri extra pellem prodire, ut nequeant tali statu incedere. Pro curatione illis exhiberi ossa siccata contrita, quibus salivatio succedit ingens, qua tandem curentur. Creditque peracta hac curatione vaporem quemdam mercurialem vel alium vaporem malignum traduce in herbam hanc.

Feles) De felibus quæ herbis non vescuntur, nihil dixi, sed aliis pecoribus animalibusque in pascuis herbas decerpere suetis.

Ossa extra pellem) Ossa tantùm debilitari usu herbæ scripsi, ut ad incessum inhabiliora reddantur.

Vaporem mercurialem) suspicio ingeniosa est D. Simonis Paulli, Viri summi, exhalationes minerales seu plumbi seu argenti vivi in terræ visceribus profundis Norvvegiæ fortè delitescentis, jumenta enervare. Quam salivatio confirmare videtur. Ante curationem hæc fiunt, neutiquam peracta curatione. An verò talis minera lateat in Norvvegia, ubi hæc herba crescit, necdum experientia constat. In Cimbria, ubi quoque uberior est ejus proventus, nulla minera observata, nec ea propter illis symptomatibus infestantur pecora innoxie isto gramine vescentia.
In cæteris Eruditi Parisienses rem acu tetigerunt.

De Gramine Ossifrago, Appendix Ex Epistola Illustris & Magnifici Cancellarii Norvvegiæ Ioh. Friderici Marschalch, Bergis scripta ad D. Simonem Paulli Medicum Regium.

Quandoquidem intellexi Te adhuc sollicitum esse de herba vel gramine, quod ex relatione beati Generalis Majoris Reichvvin, ossa confringit animalium quæ eo vescuntur; inquisivi diligenter in illam rem, & tandem inveni gramen illud, quod in his regionibus appellatur Stur, cujus specimen mitto, forsan minùs, quàm pro naturali magnitudine, quod hujus anni frigori imputandum. Quando æstas calore suo graminis hujus flores protrusefit, vivis coloribus delineati curabo, capraboque occasionem commodam, perfectiorem plantam Du. Doctori transmittendi. Alias intellexi fœminas quæ pecus custodiunt & curant narrare bestias ossium dolores experiri quando eo gramine vescuntur, sanarique exhibitis ossibus contritis aliorum animalium, non enim audivi exhiberi illis ossa animalium eodem gramine occumbentium, sicut Reichvvinus beatus scribit. Vale. *Idem ibidem.*

Observatio Fracturæ brachii, in quâ nova quadam efformata fuit articulatio, communicata à Clariss. Dom. Sylvestrô, & ex Diariô Reipublicæ Literariæ in Acta Lipsiensia translata, ac in iis latina facta.

Anni sunt plures, cùm Vir quidam ex casû sibi brachium sinistrum, ad quatuor à carpô digitos ita fregit, ut utrumque ulnæ & radii os transversim diffractum, & omnino disjunctum foret. Mox equidem Chirurgi pro brachio reponendô fuere accersiti; Vir tamen hic doloris vehementioris metû tangi ab iisdem plane recusavit; abnuendo unà fascias ipsas, quibus brachium commodè deligaretur. E diverso brachium potiùs commovere incepit, huicque postea motui tali cum successû assuevit ut brachium vel in ipsô fracturæ flecteret locô. In quô statû, commovendo scilicet manum, ac duobus in locis absque dolore vel incommodô ullô, cubiti os flectendo, satis diu vitam protraxit. Postquam verò esset defunctus, unus è Chirurgis qui ipsum visitaverant, brachium hoc ab ipsius petiit agnatis, musculisque rescissis oppidò novam in fracturâ factam invenit articulationem, sequenti dispositam ratione. Scilicet ex parte flexûs cubiti, in utriusque ossis extremitate, caput quoddam rotundum, apophyseos nomine insignitum, occurrebat; ex parte autem carpi duæ aderant cavitates satis profundæ capitibus ossis cujuslibet excipiendis inservientes. Dehinc ipsum periostium, quod fracturæ tempore fuerat laceratum, circumcirca majori præditum observabatur crassitie, adeò ut ligamenti vicem pro articulatione firmandâ præstaret. Tandem cavitatum harum oræ à parte anteriori multò minùs elevatæ advertebantur, quàm à parte posteriori; unde duo notabiles producebantur effectus: Quippe ex unâ regione satis erat opportunitatis pro meliori flexionis motû ineundô: Ex alterâ verò omnia brachii extensio impediebatur; similem ferè in modum, ac in cubiti flexurâ contingere deprehenditur.

Duo hic se se offerunt consideratû digna, & quorum rationes accuratam omninò merentur indagationem. Primum est, quomodo articulatio hæc nova fuerit continuata? Alterum verò quomodo Vir hic cubitum eô in locô flectere potuerit, cùm absque dubiô musculi novi, motui isti inservientes formati essent nulli. Quæ meæ circa utramque quæstionem sint conjecturæ, eâ nunc proferam lege, ut aliorum majori me perspicaciâ polleutium subjiciam judicio.

Quò intelligatur ratio qua articulus efformatus fuit, animo concipiatur oportet, ossium brachii, postquam utrumque transversim fractum ac penitùs disjunctum esset, extremitates nihilominùs sibi invicem oppositas, unam supra alteram ita mansisse adaptatas, ut calli materies è qualibet ossium extremitate stillans, haud dubiè illas denuò conglutinatura fuisset, nisi brachium in continuâ agitatione permansisset. Hic siquidem motus in causa fuit quod calli materia à fracturæ lateribus diffluens, quandoquidem viscida ac glutinosa

est, ossium fractorum marginibus adhæsit, ubi temporis successû limbi quædam species, cum ad modum qui etiamnum in ossium capitibus cernitur, fuerit effícta. Qui limbus cavitatis loco fuit, ex carpi potiùs quàm cubiti parte, ob declivem carpi situm. Cavitate verò sic efformatâ; in ipsis ossium extremitatibus ex parte cubiti, capitis seu apophyseos figura necessariò erat recipienda, quoniam calli materies tota exudans, mollis atque fluida, dum motû brachii ad alteras ossium extremitates vehebatur, non poterat non ad eam rationem quâ illæ erant dispositæ, formari, id est propter concavam cavitatis figuram evadere convexa.

Sed priusquam motus qui in nova hac articulatione fiebat enodetur, duo veniunt considerandâ. Primò, musculos plerosque ulnæ ac radii ossibus superstratos ubique ferè duobus hisce ossibus annexi & agglutinari, deinde carpum, veluti partem mobilem respectû cubiti, versus hunc, secundùm motûs musculorum regulas flecti. Quibus suppositis, si nova quædam formetur pars mobilis, seu quod idem est, si duo ossa penitùs frangantur, musculi agentes pro flexurâ naturali cubiti, necessariò etiam agent pro flexurâ novæ partis mobilis efformatæ. Extremitates quippe ossium eorum quæ sunt ex parte carpi, eodem modò ac si nova essent ossa evadunt mobiles respectû cubiti; unde oportet ut ratione adhærentium musculorum flectantur contractionis tempore, quia scilicet illi partes divisas, quibus adnectuntur, necessariò tum adducunt. Atque hæc motûs ratio verè est mechanica, musculorum cum ossibus connexioni tota superstructa. Verùm etiamsi talis non daretur connexio, idem tamen motus adhuc procedere posset, quia ossium ulnæ ac radii extremitates, quibuscum carpus articulatur, cum non sint stabiles, carpi motum necessariò sequi debent; idest musculi carpi, dum agunt, trahere omninò debent partes carpum fulcientes, veluti mobiles factas.

Meum non est in consequentias hic inquirere, quæ ex hâc deduci queunt observatione. Chirurgi interim exinde poterunt discere, quam necessarium sit ossa fracta, ut reuniantur, fasciis deligare, atq; immobilia servare. At alterâ verò parte observabunt inde Physici, quòd natura in rebus extraordinariis iisdem semper insistat viis, adeoque minimè credendum esse, quòd omne monstrosum nobis visum, sit fortunæ quidam effectus, aut naturæ aberratio: Sed quòd omnia potiùs in mundô fiant per constantes motûs leges, à Deô pro corporum generatione ac conservatione stabilitas. præterea certus sum alias adhuc inde sequelas, quoad succi ossium nutritii motum, & quoad rationem quâ eorum formantur articulationes, posse inferri: Verùm hic locus non est hanc excutiendi materiem.

Ad nostram jam regredior observationem, quæ rarissima videtur, maximèq; singularis, cui similem apud Autorum neminem legere licuit. Verum est quod Guilielmus Fabricius Hildanus Centur. iij. Observ 91. refert, quod in Virô quodam postquam brachium sinistrum inter cubitum & carpum fuisset confractam, duoq; ossa prorsus disjuncta, cum insigni carnis contusione, ingens orta sit suppuratio, quâ durante multa prodierint ofsicula remittentibus verò symptomatibus, ac vulneribus consolidatis, ossa nihilominùs remanserint disjuncta, ac ita quidem, ut novum quendam veluti constituerint articulum. Virum etenim hunc, ubi dextram adhiberet manum, brachium sinistrum in ipsô fracturæ locô antrorsum & retrorsum duxisse. Unde cernere est, magnam quidem inter utramq; historiam intercedere convenientiam, verùm eandem prorsùs rem nullatenus esse. Certum est in Virò de quô loquitur Fabricius Hildanus, ossa haud dennò fuisse conjuncta, quæ fuit ratio cur brachium in fracturæ locô flectere potuerit, verùm inde non sequitur articulationem aliquam inibi fuisse efformatam; quia scilicet tali in casû Vir iste absque dextræ manûs auxiliô brachium sinistrum movere minimè poterat, ut commodè faciebat ille de quô jam disserimus Quicquid itaque inde inferre licet, huc recidit; nullum callum, cum insignis facta sit suppuratio, nullaq; unà prodiderint ossicula, in casu Fabricii Hildani, fuisse generatum, pro ossibus reuniendis, hotumq; extremitates exsiccatas induruisse, abiq; eô ut invicem essent conjunctæ, vel se invicem tangerent, quemadmodum id expressis ibidem innuit verbis Hildanus, dum addit, ossa se invicem non attingere, quia eorum extremitates callo sint obductæ. Inde etenim vera quidem partium ossis arguitur separatio; sed de articulatione subsequente nihil subjungitur.

Fractura ossium cruralium multiplex, cum junctura tali dislocatione feliciter sanata.

Clariss. Theod. Zuinger's Miscell. Curios. Decur. iij Ann. 7. & 8.

Henricus Planner Campo Pagi *Lausen* in Urbis nostræ ditione, Horreum quoddam ædificaturus, Die 28. Decemb. 1697. à prandio in vicinam excurrit sylvam, Fabros Lignarios in cædendis quibusdam arboribus sibi necessariis adjuturus. Accidit verò tum; ut dum cæsa jam arbor prosternebatur, ejusdem truncus Camponis incauti, nec satis celeriter ad latera fugientis, crus dextrum arriperet, atque super integrum ferè simul humi prostrati hominis pedem devolvendo, in Femoris cuidem osse, paulò supra genu, Fracturam transversam sine vulnere, hinc maximam contusionem in Genu; porro in mediâ Tibiâ Fibulaque contritionem insignem cum vulnere, atque spinarum ossium prominentiâ, tandem & in Tali juncturâ dislocationem atque vulnus, cum Malleoli interni cartilagine obtectî expulsione, atque prominentiâ visibili extra vulnus feliciter, sieque Ægrum rigidâ hac anni tempestate, post largum sanguinis è vulneribus profusionem, semianimem relinqueret. Cùmq Locus tanti infortunii dimidiæ propemodum horæ spatio ab ædibus Patientis distaret, bihorium elapsum est, antequam domum reportari, atque Chirurgorum curæ submitti potuerit. Fuerunt autem illi è proximo nostratis Ditionis Oppido Lucis vallensi *Martinus & Samuel Gissi*, in Chirurgiæ Artis praxi satis bene versati, qui refectô primùm nonnihil per propinata juscula, atque *traumaticum Decoctum* Ægro, fotibus è *Decoctione Herbarum Nervino-Aromatico-Vulnerariorum in vino* factâ, læsas undique refrigeratasque partes probè calefecerunt; ac interea, quæcunque ad justam deligationem tot fracturarum necessaria videbantur, præparârunt. Tandem ad Ægrum accedentes antè omnia elapsum Malleolum, quomodocunque poterant, in pristinum locum repofuerunt, vulneri carpta linteorum filamenta Tincturæ *Myrrhæ, Aloës, Absynth. &c.* intincta applicuerunt, *Emplastroque Opedeldoch* texerunt, Postea Fracturam Tibiæ, abscissis, quæ prominebant, Spinis osseis, post extensionem debitam factam commodè satis adaptârunt, vulnus uti prius deligabant; ac postmodum *Emplastrum discutiens*, quod poros minimè infarciret,

infarciret, tori fermè pedi circumposuerunt, hincque Lintea quadruplicata Vino, cui traumaticas atque balsamicas Herbas incoxerunt, immersa ita applicuerunt undique, ut sine pedis commotione adimi atque bis quotidie mutari, simul ac ipsa Vulnera probè mundari, novisque remediis foveri possent. Tandem Splenia Assulasque injecerunt, & mediocriter ligârunt, ita ut sanguinis circuitus per Vasa commodè fieri pergeret. Quibus ita secundùm Artem, & quemadmodum partis multiplex læsio ferebat, institutis, (ubi fascia novem utrinque capitum sic dicta maximum præstabat commodum, ut pote quâ præsente membri elevatio sub deligatione necessaria non fuit) ad Femoris progressi sunt Fracturam, quę, licet in transversum contigerat, multùm tamen negotii Chirurgis facessebat, dum propter genu contusionem, reliquamque adhuc graviorem pedis læsionem, nesciebant commodè membrum extendere, sicque fractum Os probè adaptare, faciliorem tamen reddebat operationem vulneris absentia, ita quidem, ut extenso tandem quomodocunque membro, fracti Ossis extremitates adaptarent, statimq; Membrum Spiritu Vini Camphorato probè lotum, superimposito *Emplastro contra Fracturas* cum *Oleo Rosar* nonnihil macerato, ac spleniis assulisque probè munirent. Et postquam sic quoque ipsum Genu *Traumatico discutiente decocto vinoso* fovissent, totum Crus longæ admodum cavæque Assulæ in rem præsentem accommodatæ imponebant, ac fasciis in genu aliisque locis ita ligabant, ut neutiquam sive vigilans sive dormiens Æger genu flectere posset. Atque ita deligatus probè miser Caupo dolorum, antea propè intolerabilium, levamen insigne percipere, meliusque habere coepit; præprimis cùm jam Lecto suo peculiari impositus fuisset, ita prorsus accommandato, ut affectum Crus per totam suam longitudinem rectâ lineâ pulvinari è paleis facta incumbere, & quietum prorsus manere posset.

Peractâ sic primâ deligatione, conciliatoque, ut moris est decubitu, quo minus pes extremus ad quamcunque rem duram allidere valeret, nox inquieta valde successit, & sequenti Die 29. Decembris febricitare jam Æger incepit, sitire, cibos omnes fastidire, malique accepti enormitatem graviùs sentire. Quamobrem Chirurgi, præter usum Jusculorum carnium optimorum, Decoctique traumatici, internum, ad Venæ sectionem progressi sunt, quam non sine ratione credebant Ægrum quadragenarium, & satis aliàs plethoricum, athleticum, balsamicâ Massâ humoralis texturâ præditum, probè ferre posse; Sanguinis hinc unciæ sex vel septem circiter, ante meum adventum, à venâ brachii dextri secatâ extractæ fuerunt, citra imbecillitatem Ægrotantis ullam, qui vires per noctem, licèt inquietam non parum recollegisse videbatur. Ego verò ad Ægrum hac die, vocatus accedens, eundem satis vegetum adhuc præter spem reperi, sed febricitantem, inspectâque miserè affecti Pedis deligatione, omnia secundùm Artem, & Mali ipsius conditionem requirentem, instituta peractaque esse vidi; quamobrem Chirurgos ad continuandam suam industriam ferè admonui externè præter *Tincturam aloëticam* vulneribus continuè immittendam, adhuc *Unguentum fuscum Wurtzii* digestivi loco, nec non *stypticum Crollii Emplastrum* iisdem superimponendum commendavi. Internè verò præter usum *Decocti vulnerarii* quotidianum, ad plures hebdomadas, imo menses continuandum, simul præscripsi blanda *Diaphoretica*, sanguinis circuitum, insensibilemque transpirationem jugiter conservantia unà cum *Mixturâ Cardiaco-Diaphoreticâ* atque *Antispasmodica* per cochlearia sumendâ, sæpiusque repetendâ. ℞. *Antimon. diaphoret. Ocul. cancr. ppt. Rasur. ebor. ppt. Ungul. Alc. ppt. aa* ʒß. *Cinabar. Antimon. opt.* ℈j. *Misc. F. Pulvis, in 6. doses aequal. divid.* & aliquoties repetendus. ℞. *Aqu. Borrag. Flor. Tiliæ, Ulmar. Scabios. aa.* ℥jß. *Syrup. Idæi* ℥ij. *Confect. AlK. inc.* ʒ i ß. *Corn. C. Philos. ppt.* ʒj. *Bezoard. min.* ʒß. *Misc. ad Vitr.* & singulis horis aut bihoriis exhibeatur cochleatim. *Decoctum traumaticum* pro interno usu fuit sequens, ℞. *Rad. Caryophyllat.* ℥j. *Herbar. Virga aurea cum Florib. Pyrol. Sanicul. Alchymill. Beton. Card. bened. Veronic. Agrimon. aa. Mj. Incisa probe invicem atque in pulverem grossum redacta, dentur ad Scatul. De hoc pulv. dein pugilli duo sumuntur, atque Vini albi veteris & Aqua fontan. aa.* ℔jß. *incoquuntur aliquandiu in Ollâ probè clausâ; postea de colato decocto manè ac vesperi cyathus unciarum quatuor exhauriuntur.* Externæ eædem Herbæ unà cum *Salviâ, Majoranâ, Absynth. Scordio, Marrub. albo* permixtæ, *Vino albo* semper incoquebantur pro fomentatione pedis. Diætam præscripsi tenuem satis, à Vini, Acidorum, Flatulentorum, Salsorum valde, Dyspepstorum usu; à Tristitiâ, ab Irâ, commotione corporis noxiâ, prorsus immunem. Pro potu ordinario concessi *Decoctum Rad. Filic. Herb. Agrimon. & Tussilar. minor.* Alvus libera servabatur Clysmatibus subinde, & interdum suppositoriis, quamquam frequentem ejus solutionem haud procurabamus.

Usu itaque talium, æque internorum ac externorum medicaminum diligenter continuato; intra spatium quinque vel sex hebdomadarum, quod in talo erat vulnus, cicatrice prorsus obductum sanatumque conspiciebatur, redeunte interea simul ad digitos pedum sensu tactûs, qui antea prorsus abfuerat. Fractura Femoris ternâ vice iterum elapsa reponi debuit, ut pote satis firmam propter mala inferioris pedis ligaturam minime ferens, nihilominus tandem intervallo trium mensium callum nacta est firmum. Tibiæ autem Fractura, propter magnam ossium in minuta frustilla, sensim ac sensim prodeuntia, contritionem, ante elapsum semestre integrum neque callum satis validum, neque consolidationem perfectam admisit, tandem verò etiam integrè curata, & proba cicatrice obducta fuit, sicque Æger post semestre demum pedi tantillum insistere, nondum tamen sive in Talo, sive in Genu flectere poterat; quæ tamen flectendi potentia in Talo satis commodè, quod tendines haud essent multùm dirupti, in Genu autem tantillum saltem hucusque rediit. Atque ita per Dei Gratiam, atque inde fessum præsentium Chirurgorum industriam, Crus illud integrum fuit servatum, & vix semipollicis latitudine sano crure brevius remansit, quod certè plures alii Chirurgi, in Galliis præsertim; statim in principio amputatum voluissent.

Anatomica inspectiones.

Vincentius Balduinus, Vir infractæ ætatis, vixit aliquandiu miserandum in modum, ob humeri os intra annos quindecim quater effractum, quod paulatim intumescens, sive ex viscido contusi ossis succo, sive sanguine eo uberiùs affluente in eam tandem devenit molem, ut nec pectus nec scapula immodicum ipsius pondus fuerit ampliùs ferendo, excitatis non solùm maximis nervorum doloribus, verùm etiam summa spiritus difficultate, ob luxuriante

pondus

pondus thoracis motum continenter impediens, cum indefatigabili vigilia. Quibus è salebris quo evaderet, usus fuit consilio variorum Chirurgorum, quorum alii tumorem emollire atque in pus convertere: alii contra luxuriem ipsius arctiore fascia coërcere: ac nonnulli vitiatum os ferrulâ præcidere adnixi fuere, sed omnes successu infelici: Venæ enim ac arteriæ hujus tumoris latiores erant quàm ut pollice humano potuissent obturari, ac proinde magis impedimento quàm auxilio fuere fasciæ: mortemque adeo non distulisset, quàm maturasset amputatio improvide instituta.

Facto autem vivendi fine, docuit anatome omnia sub cute visci crassitiem ac steatomatis induisse naturam, partemque discrepasse à materia veri cancri, cujus nomen fortassis propterea huic ossis vitio haud male impositum ab industrio Celso. Ipsa verò ossa erant non modò à se invicem sejungata, verùm quasi malleo minutatim confracta, ac præ irriguo madore adeo tenera, flaccida ac mollia, ut instar ceræ scalpello facillime conciderentur. *Tulpius observat. lib.* 4 *cap.* 12.

Strenuo militiæ duci globulus plumbeus à bombarda hostili emissus, utrumque os brachii sinistri propè carpum perfregit, & vulnere penetrante sauciavit brachium: Antequam pugnâ excederet, statim intolerabiles sensit dolores, qui frigore hyberno exaucti sunt, cùm quatuor horas equitando in via impenderet, antequam in proximam civitatem delatus, Chirurgi manui subjiceretur. Sedula opera in hujusmodi casu difficili adhiberi solita, non impediit gangrænam parti læsæ imminentem, quę in externa manu & brachio se non prodit sanorum similis, Sed cum intolerabili cruciatu interno interiora pervagabatur, & dolores sensim ad totum brachium & scapulam sinistram diffundebat, cum tumore, sed striis quibusdam lividis sanguinis secundùm brachii longitudinem ascendentibus: Ampliato demum vulnere, immissique manu Chirurgus observavit interiora frigida & sphacelatam manum assistentes vidimus: cumque nihil in medicamentis spei ampliùs superesset, de mannum operatione cogitatum mature fuit, ipso etiam viro generoso urgente, ne serperet ulterius malum, quod interne latius protensum videbatur: Quamquam verò parum profuturam membri læsi amputationem judicaremus, anceps tamen remedium cum prognostico dubio experiri statuimus.

Brachium medium ferrâ resectum prognosticon ominosum confirmavit: Primò quippe copiosus ichor flavus effluxit ex musculorum intestitiis, cui tandem sanguis successit ex vasis suis, qui facilè aquâ stypticâ constitit: Septimo hæc die peragebantur, & eodem circa vesperam exspiravit æger.

In amputato brachio vulneris conditionem interiùs rimati, vidimus ulnam fractam, & læsum quoque radium, fragmenta ossium tendinibus musculorum manûs incumbentia & vellicantia, amplum hiatum fœtentem, sphacelata omnia.

Dolorum magnitudo ex tendinum punctura ab osse fracto & aculeatis ejus frustulis, necnon pilis in vulnere latentibus, à tunica pellicea sine dubio abrasis, repetenda est: Sphacelus verò à venenati globuli ictu ortus, sive veneficam qualitatem naturæ suæ debeat globulus à nitrato pulvere protrusus, sicut plurimis persuasum: sive globulus iste fatalis veneno per artem fuerit imbutus. Hisce fane vulneribus, præsertim in nervosis partibus, malignitas ferè semper conjungitur, quod ex partium affectarum decoloratione, mortificatione, leipothymiis, & celeri fato colligimus: imo febris in nostro ægro vel nulla vel exigua, mente sibi semper ad extremum spiritum constante: Ex observatione *Plazzoni* l. de Vulner. sclop. cap. 30. Vulnus à sclopeto unà cum ossis fractura illatum, si minutum sit, certissimum genus fracturæ existit: Nam carnosa & nervosa substantia non solùm à qualitate venefica, ustione, contusione & attritione læditur, sed etiam propter ossis fracturam partes magnopere alterantur, hinc & vehementes inflammationes, dolores, convulsiones & gangræna oriuntur, quæ omnia ut plurimum mortem ipsam inducunt: à convulsione tamen noster æger immunis fuit. Cæterum de globulo veneno imbuto magna nobis oborta suspicio, quia statim ab ictu accepto de immodico dolore conquestus fuerat, strenus Dux & miles: & cito ad cor penetravit mali vis: Variis tingi solet, etiam succo allii, ne vulnera admittant curationem. Globulus nobis visus, iosortunii causa, aliquod monstri videbatur alere: Incisuris enim multis distinguebatur, arte factis, quo fine nescio, certè non bono: uni incisuræ adhærebat frustulum ossis, ab ulna fracta fragmentum. Ichor verò ille flavus copiosè ex brachii amputati trunco stillans infectarum partium argumentum erat & putredini vicinarum: digito compescere voluit Chirurgus, sed eo remoto fontis instar prorupit serum; Et tale quoque ex vulnere sclopeti, putis loco, stillabat; Quicquid sit, ex levi, ut videbatur vulnere, sed lethali, magna tragœdia excitata: *Lethalissima* verò hæc vulnera globulorum pronuntiant artis periti, quod non solùm nervosæ partes solvantur sed & lacerentur, & affectio non tantùm cerebro communicetur, ratione vulneris, sed quod magis est, ratione nervorum venefica qualitas immediate cerebro communicati potest & ægrum subitò interficere: Non verò per nervos solos cerebrum inficitur, sed per vasa sanguinea, hic quoque affecta, cor ipsum infestatur. Hinc in nostro ægro leiphothymiæ anxietatesque frequentes, & ad ultimum halitum recurrentes observatæ, nec cerebrum læsum ex actionibus apparuit Forsan nisi fatum præcipitasset cor affectum, etiam ad cerebrum ferpendo pervasisset venenatus vapor. *Th. Bartholinus in Actis Medicis annor.* 1674. 75. 76.

Anno 1629. sub finem Martii, visitavimus mortuum ex vulnere femoris cum omnimoda ossis fractura. Invenimus os esse pessime repositum, ex parte tamen coaluisse: Maxima & acutissima ossium fragmina in vulnere relicta, ad minimum corporis motum dolores læo summos concitabant, novamque movebant hæmorrhagiam, unde post longam atrophiam, gangræna totum crus occupante, septimo à vulnere mense mortuus est. *H. ab Heers observ. Medic. xxii.*

Lites sequutæ ingentes, Chirurgi enim ex vulnere mortuum testabantur: Negabant Medici dicentes à petito artis curari potuisse, nec ullum vitæ, sed claudicationis periculum adire potuisse: Ego arbiter à Dom. Scabinis adhibitus, misi ex tempore qui Hippocr. meum afferret, statimq; exhibui textum qui est l. 1. de morb. sect. 5. *Hæc autem cùm fiunt ex necessitate contingunt* In vulneribus quidem si crassi nervi, & musculorum capita in femoribus præsertim vulnus acceperint, necessaria est claudicatio: Moritur etiam si quis vulneratum habet cerebrum, aut spinalem medullam, aut jecur,

jecur, aut septum transversum, aut vesicam, aut Venam multum sanguinem effundentem, aut Cor; Ex vulneribus autem minime mori contingit, si his partibus vulnus acceptum non fuerit. Hæc verba omni luce clariora, quonam Legulei litterarum aucupes torturi sunt, tempus nos docebit. *Idem ibidem.*

Obiit puer annorum 12. in Xenodochio Basileensi 20. Augusti 1673. qui saltando fregerat femur, in quo fissura, facta, Per biduum magno tamen dolore, scalas descendit & ascendit: Non observatâ fracturâ, à quodam Mago male curatus: Tandem Chirurgo accersito, omnia semper in pejus ivere, ut pure collecto febris accesserit lenta; hinc cacochymia, defluxiones ad partem debilem, os ischii & caput femoris, non sine magno dolore; Tandem luxato osse femoris ex acetabulo, & facto ulcere paulo infra trochanterem majorem, dolor mitigatus est: febre non cessante, & materia purulenta in femore multiplicata, tandem obiit.

Sectus fuit à D. D. Glaseto, qui ulcus sordidum deprehendit, & secundùm ductum vasorum & interstitia musculorum cavitatem magnam, ut & musculos ab osse femoris omnino separatos; In hac cavitate ingens puris copia visa est, quæ à genu, ubi primò tumorem fecit, premendo, ad ulcus ascendit, nec substitit prope genu, sed protraxit se secundùm ductum nervorum, & musculorum interstitia ad talum usque, ubi etiam humor & pus observabatur. Separatis à femoris osse cute & musculis, fissuram ossis deprehendimus, secundùm longitudinem simul & transversum, ut in margi e patet: musculi omnes laxi ex humoribus madefacti erant, imprimis nates constituentes: in acetabulo erat mucosa substantia indurescens: prope genu sub patella similis mucus erat: In imo ventre nullum ingens malum inventum est, nisi quod à cacochymia viscera essent debilitata & pallidiora, aliàs in statu naturali planè consistebant. *Ex communicatione D. D. Jo. Georgii Mangoldt Basiliensis. in D. Bonets Sepulchreto.*

Hinc ratio datur totius morbi, hic puer hinc inde petulanter saltans fregit os, unde derepente ingens dolor oboriebatur; domum redux intolerabilem dolorem sentit, tericens saltem, per biduum tamen adhuc (quoniam erat fissura, & dimidia pars ossis consistebat) per scalas ascendit & descendit, sed tantùm extremis digitis pedis (qui dexter fuit) innixus; Modò decumbebat modò non, dolore interim continuante, tertio; die adeo intensus est, ut fere amplius consistere non posset, propter solutam unitatem periostii & tendinum puncturam ab osse fracto: Ob istum motum autem fissura se magis dilatavit, & musculos pressit punxitque, unde motûs læsio & genu incurvatio, quod musculi genu flectentes affecti essent ab osse fracto. Quoniam autem fractura non esset nota, & parentes putassent puero à saga mali quid accidisse, accusarunt sagam, qui talia sanare profitebatur, sed hic nil profecit cùm malum ignoraret: adhiboit suæ sortis remedia & malum auxit, si quidem intumuit genu & totum femur usque ad caput femoris, nec dolor mitigatus est. Tandem frustra accersito Chirurgo perito, nomine Schvvartz, pure jam presente, dolore aliquatenus mitigato, (nam pure facto omnia mitiora fiunt) & præsente febre lenta, à materia purulenta excitatâ, ulcus factum est à natura paulo infra trochanterem majorem, unde puris copia quotidie evacuabatur, hinc tumor prope genu, & dolor plane incepit evanescere, sed diuturnitate temporis, & imbecillitate corporis secundùm musculos & vasa, pus infra genu ad talum usque intumescere cæpit: propter copiam puris ulcus toto reliquo tempore apertum servabatur; à pure musculi ab osse separabantur & semiputridi erant, quod femur esset fractum, ideo exterius tangeodo apparuit duplex os esse, aut instar ossis quædam materia juxta tendines musculosque orta; Interim cacochymia orta fluxiones ad partem debilem fiebant, hinc musculi laxi, & tandem luxatum est caput femoris ex acetabulo; Interim febre omninò consumptus & emaciatus tandem obiit. *Idem ibidem.*

Dominus Marchandus, Jurisconsultus Parisiensis, passus est defluxionem in genu articulum toto octimestri ipsi molestam, qua de causa usus est operâ plurimorum tum Medicorum tum Chirurgorum, at sine fructu, quod malum ab osse duceret originem: Dum quadam die in lecto de latere in latus se convolveret, effractum illi est os tibiæ juxta genu, morte paulo post subsequuta.

Apertum fuit Femur, repertaque fuit fractura & separatio apophysis ossis illius, quod carie & putredine infectum erat, quanquam lue nunquam laborasset. Ideoque rectè ab antiquis traditum ossa triplici morborum genere affici posse, Intemperiei, compositionis & solutæ unitatis.

Notent Tyrones ossium apophyses sæpe divelli, quod luxationis quoddam genus est vix sanabilis; teste Columbo Anat cap. 2. quod ejusmodi ossium conjunctio & συμφυσις non fiat ossis unico capite acetabulum subeunte, sed pluribus tuberculis totidem sinus subintrantibus, cujusmodi reductio difficillima est, à causa interna vel externa: externa, quandoque Chirurgi errore, interna humoribus quibusdam illapsis in quempiam articulum inibique retentis; quod in lue Venerea & Variolis sæpenumero accidere videmus, vel ob alium aliquem humorem lue non inquinatum, quod accidit prædicto Jurisconsulto, *Paræus Operum lib: 15. cap. 21.*

In Fracturis, ut aliorum ossium, ita & femoris curandis sæpe vitia advertuntur, primò in figura; deinde in callo. In figura, dum non ritè extenditur, conformatur, deligatur, deponitur. In Callo, dum ille fit nodosus, ubi conjungitur, & monstroso callo, qui insigni eminentia nodis in arborum ramis subinde compatentibus respondet; similis est, Talis monstrosus callus apparebat in utroque femore Pilæ magistri aulici lusoriæ.

Eo fortè suffocato, & post anatomen, cocto ad sceleti structuram, utreque ab iuvicem abscedebat callus, *Rolfinkius Dissertat. Anat. lib. 2. cap. 49.*

Scriba rusticanus cùm Norvvagiam, sylvis asperrimis collibus & montibus horridam, equo circumiret, procul Bergis lapsu graviore Fracturam tibiæ sinistræ passus, dolores sentit gravissimos: Vicini rustici hominem miserum hospitio excepetunt, & pedem fractum sine exteosione instrumento ligneo excavato firmiter incluserunt, summaq; cum diligentiâ oleo ex cioeribus inunxerunt; Hunc in modum lectô affixus inter rusticos aonum complevit, & taodem magna cum difficultate ex Septentrione Bergas delatus fuit, Ad consilium vocatus Medicus, deprehendit os tibiæ cum fibula esse fractum, quinque digitorum latitudine supra malleolum, ita ut pars tibiæ inferior fractæ, cum parte superiori callo ad latus firmissime conoexa fuerit, latitudine trium digitorum, fibula autem fracta inferior nusquam firmata in musculis oberraret; ut moto pede exactè sentiri posset: ob callum firmiorem extensionem nullam fieri prædixi, at rogatu amicorum instrumentum efformavit, quo utrumque os in

diversa

diversa trahebatur, sed frustraneo conatu, cùm cutis sola eò usque extenderetur, ut jam disrumpi videretur, illa præsertim in parte, cui extuberantia ossis superioris fracti subnectebatur. Ideoque & hoc in loco, & alibi, vulnus metuendum esse adstantibus monstravit, justitque ut Chirurgi instrumentum remitterent, quia nec æger ampliùs perferre posset: Inflammatio statim oborta, cui sedandæ externa applicabantur, & ad doloris mitigationem interna propinabantur: Igitur abscissionem pedis suasit Medicus, ut ad officium è lecto ediret; Sed æger acerbius credens mutilari quàm extingui, maluit, persuasus quorundam agyrtarum blanditiis, ut instar ossis fracti, jamque in suum locum repositi, pars deligaretur fortioribus adstringentibus, atque emplastro catagmatico, quod absque ulla ratione, aut consensu Medici, approbarunt Chirurgi, unde dolores fere intolerabiles cum tumore novo surrexere: Quibus nihil proficientibus, serò æger à doloris acerbitate & longo decubitu fere insanus, tibiæ magis amissionem optabat quàm cruciatus diuturniores: Die itaque 5. Martii 1655. operatio commissa est Chirurgo petitissimo, qui, carne priùs ad os incisa, nudatum os feliciter abscidit.

Peractis deinde peragendis, Dissecti membri cutem cum musculis aperuit Medicus, calli formam lustraturus: Ossa tibiæ fractæ tanta firmitudine connexa erant, ut parvo cultello dissolvete nequiverit: Ossiculum autem acutissimum cuticula adhærebat tenuissima ossi inferiori: Fibulæ ossa fracta nullo modo conjungebantur, id quod ex commotione persentiebatur antequam essent resecta; Inferior pars ossis tibiæ, ubi quædam cavitas conspiciebatur, nigricabat & sphacelum minitabatur: Optime inde convaluit æger & artificioso pede amissi damnum compensat. *Th. Bartholinus cent. 3. Histor.*85.

Nob. quidam Pomeranus annos 44. natus, circa solstitium hybernum anni 1593. gravissimis in dextro humero, nullo vel tumore vel qualitate p. n. affecto, doloribus, nocturno potissimùm tempore torquebatur: Quorum leniendorum causâ primùm Tonsoris cujusdam operâ usus est, qui neglectâ morbi causâ, parti affectæ multis septimanis medicamenta calida attrahentia, & exulcerantia applicavit: Sed magis subinde auctis doloribus, & succedente insuper femoris dextri dolore, à me consilium petiit: Urinæ tum erant aquosæ & crudæ, appetitus mediocris, mens integra, vires tantæ ut interdiu cùm dolores remitterent, in area domûs obambulare posset, Et si verò ipsi convenientia quædam remedia adhibebam, tamen parum aut nihil proficiv: Cùm post me aliorum quoque Medicorum auxilium frustra expertus esset, omnem deinceps recuperandæ valetudinis spem abjecit: Portò Dominica Exaudi anni 1594. matutino tempore è lecto in sellam sublatus, maximo tremore & concussione totius corporis oppressus, eoque simulac lectum repeteret, iterum relevatus est: Eadem die circa vesperam doloribus Femoris ingravescentibus, contenta voce exclamare cœpit: halt! halt! halt! Uxor itaque ipsius ad eum in lecto decumbentem accurrens, femur affectum utraque manu comprehendit; idque medis parte introrsum, versus sinistrum pedem subitò inflecti atque incurvari sensit, sic ut genu dextri pedis inguen sinistrum respiceret: Visa tum est ægro arbor in pedem decidere, ejusque casu, in quo se manifestum fragorem percepisse ajebat, confringi. Cùmque uxor & alii eadem cum ægro opinione essent, ac femur plane confractum esse arbitrarentur, sequenti die Chirurgum pro curatione accersiverunt, qui affectum locum diligentissime inspiciens atque contrectans, præter inflexionem, quæ postmodum in dies magis magisque aucta est, nullum vel fracturæ vel tumoris p. n. indicium in eo deprehendere potuit. Hanc femoris inflexionem octo diebus antecesserunt, & totidem etiam consequutæ sunt urinæ cruentæ, quæ tamen postea ad naturalem statum redierunt: Ratio quoque circa illud tempus ut plurimùm turbata fuit, vires prostatæ, dejectio appetitus: Facta inflexione, æger cruciatus in femore sensit intolerabiles ut se loco dimoveri non pateretur, sed quinque septimanis continuis in loco immotus jaceret, donec tandem ipsa solstitii æstivi die vitam cum morte commutaret.

Mortuo ægro femur incurvatum nullo negotio extendi atque in pristinum statum reduci potuit, ac tum demum fractura, media ipsius regione, se conspiciendam exhibuit, commissura partium fracti ossis adeo æquali ac si secta esset incisum: Similis fractura, mortuo jàm ægro, in medio quoque ossis humeri dextri deprehensa est, cujus tamen nullum ipso adhuc vivente vestigium animadverti potuit, & semi horâ ante obitum amici adstantes utrumque brachium citra omnem difficultatem ab ægro elevari atque extendi videbant. *Jacobus Seidelius observat. Medec.*vi.

Ossis femoris caries ac fractura.

Jurisconsultus de tumore dextri genu querebatur cum dolore ingenti: hocce morbo octo mensibus affligitur. Ad se interim doctissimos Medicos ac Chirurgos vocat, sed nihil auxilii attulerunt. Postea cùm lecto decumbebat, ac de latere in latus se vertebat, os femoris in duas partes prope genu diffractum est, & brevi pòst obiit.

Post mortem femur aperiebatur, ejusque os in duas partes, circa genuum apophyses diruptum cum carie inventum fuit.

Prudentissimus vir circa genu ex obstructione vasculorum quorundam tumorem habuit; liquor obstruens acidus factus periosteum corrosit, unde gravissimus dolor; corrodendo tandem ipsum os invasit, idemque totum carie usque ad ineima consumpsit, cum jam consultissimus vir se de latere in latus volvebat, non difficile fuit concipere, id præ corporis onere, quod sæpe femori innititur, in partes duas rupisse. *Stephanus Blancard in Anatom. Pract.*

Fractura brachii à globulo sclopetari.

Nobilis quidam per os brachii sclopetari globulo ictus. Vulnere accommodato, sine dolore, tumore aut inflammatione se primis viginti diebus bene habuit. Postea febre vehementissima correptus: trigesimo die obiit.

Exenterato cadavere, pulmones putridi, & schirrositatibus duris pleni. Ren dexter ulceratus, cujus purulenta in vesicam deposita.

Liquet in hoc nobili morbi causam lincæis oculis latitare; non enim vulnere obiit, sed à malo interno. Multa facto involuero tecta jacent, neq; ullis mortalibus omnia scire fas est. Inest namq; sæpe in incredibili verum, & in verisimili mendacium. *Idem ibidem.*

Fractura costarum, quam subsequebatur syderatio, hydrops Pulmonum, & Mors.

Clariss. Theodori Zuingeri, Miscell. Curios. Decur. iij. Ann. 5. & 6.

Matthias Lang. Civis Basiliensis, annorum circiter 50. fortunæ tenuioris, obesus quidem, sed ad Cachexiam inclinans *die XIII. Junii Anno* 1698. Molitoris equum fortè perterrefactum, ac citato admodum cursu per plateas unà cum alligato sibi curru profugientem, arreptâ ejus habenâ cohibiturus humi prosternitur, & partim equi pedibus calcatur, partim rotam currûs onusti super dorsum suum devolutam experitur, ita ut semianimis in proximam Chirurgi Tabernam deportatus, vix spiritum ducere valeret; paulatim tamen ad se rediens ope *Aquæ Reginæ Hungariæ* Capiti & Naribus applicatæ, conquestus est de contusionibus in Capite, Pectore atque Dorso acceptis, gravibus satis atque dolentibus, ast nihil tamen extus in corpore statim à Chirurgo videri, neque ad primum attactum visumque fractæ potuerunt deprehendi costæ; sugillationes tamen mox cum cutis intumescentia sese conspiciendas præbebant. A Chirurgo hinc confestim vena sinistri brachii fuit secta, & sanguis ad octo ferè uncias extractus; externæ verò partes contusæ ubique fomentabantur *decocto Herb. Betonic. scord. Meliss. Scabios. Absynth. Chamomill. Salv. Agrimon. Bacc. Laur. Juniper.* in vino facto; *Emplastrum discutiens* dorso applicabatur, unà cum fomentis superimpositis Linteis quoque Fotui calefacto immersis atque exinde expressis, inspergebatur *spiritus vini Camphoratus spiritu volatili Lumbricor. terrestr.* acuatus, & ita admovebantur. Tandem ego accersitus statim sequentem potionem discutientem ordinavi. ℞. *Aqu. Card. bened. Chærefol. Scabios. an.* ℥j. *Pulv. contra Casum* ʒß. ♁ *diaphor.* ℈ß. *Roob. sambuc.* ℈iß. M. F. Potio, quam una vice hausit. Præscripsi quoque species pro *Decocto vulnerario*, in media parte *vini albi & aquâ* coquendas: ℞. *rad. Virg. aureæ. Consolid. maj. an.* ʒi. *herbar. Sanicul. Pyrol. Alchymill. an. M*j. *Semin. Perfoliat.* ʒij. *Incis. & contus. d. ad chart.* pro decocto, de quo mane & vesperi quatuor vel quinque hauriantur unciæ, idque tepidè. Cùmque Æger debilis esset, deque continuâ pectoris anxietate & tussiendi quodam conatu querelas moveret, sequentem simul tulit, cochleatimque sumpsit Mixturam Cardiacam: ℞. *Aqu. Fumar. Cardiac. offic. ana* ℥iß. *syrup. Rubi Id. ac Jujub. an.* ʒiij. *Confect. Alkinc.* ʒj. *spirit. Oleos.* ℈j. *Antimon. diaphor. C. C. phil. præp. an.* ʒß. *Misc. ad vitr.* D. XIV. & XV. Pertexit in usu præscriptorum diligenter, cum aliquantillo levamine. Pro potu ordinario sitiens bibit *Decoctum Agrimoniæ, Liquiritiæ atque Hordei.* D. XVI. cùm de Agrypnia, Tussi siccâ, eâque maximè molestâ, Doloribus pectoris dorsique pungentibus, tussiendi conatum impedientibus conquereretur, simul ac febricitaret, præter continuandum *Decocti traumatici*, atque Mixturæ cardiacæ usum, simul adhuc sequentem *Pulverem* ordinavi *pectoralem demulcentem, anodynum, diaphoreticum & expectorantem*, singulis bihoriis vel trihoriis dosi scrupulorum duorum circiter assumendum ℞. *Pulver. Lichen. petr.* ʒiij. *Pulv. folior. Veronic.* ʒiß. *C. C. Philos. præp. Diaphoret. Jovial. an.* ʒj. *semin. Papav. alb.* ℈ij. *sacch. candi alb.* ʒvj.

Misc. F. Pulvis subtil. detur ad scatul. D. XVII. Anxietate pectoris semper urgente, sequens colostrum duabus dosibus noctu scilicet & sequenti mane sumpsit: ℞. *Axung. canin.* ʒj. *Spermat. Ceti recent.* ℈ij. *Essent. Croc.* ℈j. *Misc. detur ad fictile.* D. XVIII. Omnibus in pejus ruentibus sequens tulit *Eclegma Cardiaco-Pectorale* cochleatim sumendum, ℞. *Aqu. Veronic. Plantag. syrup. de Erysim. Lobel. syrup. Bellid. min.* ℥j. *Confect. Alkinc.* ℈iß. *spirit. sal. Armon. urinos.* ℈j. *Diaph. Jovialis, Oculor. Cancr. præp. ana* ʒß. *Misc. d. ad v.* D. XIX. *Electuarium confortans pneumonicum* Ægro magis arrisit, in pejus continuè ruenti, & jam Diarrhæâ laboranti: ℞. *Conserv. Bellid. min. Beton. Rosar. rubr. an.* ℥ß. *Rad. symphit. condit. Nuc. Indic. condit. an.* ℥j. *Confect. Hyacinth. inc.* ʒß. *Boli. Armen. pp. Unicorn. fossil. ana* ℈ij. *Antimon. diaphor.* ℈j. *syrup. Papav. rhoead. q. s. M. F. Electuar. ad formam Opiat. d. ad Oll.* & inde sumatur sæpe, quantum cuspis largiter cultri capere valet. *Herbæ* præterea *Traumatico-Pectorales* unà cum *Jujubis & Passulis majoribus exacinatis* in Aquâ solâ per horam decoctæ fuerunt, ut inde manè ac vesperi cyathus unciarum 5. vel 6. calidè biberetur. Externa remedia interim tumorem omnem ubique discusserunt, sed cœruleus tamen sugillationi color adhuc subsistebat. Vulnus nullum in dorso vel pectore comparuit; licèt facilè sese movere Æger, inque Lecto flectere corpus haud posset, ob dolores thoracis inde acerbiores redditos. D. XXI. Symptomatibus continuè excruciantibus & magis magisque auctis, quanquam sedatâ diarrhæâ, nunc per biduum copiosum phlegma limpidum, cruentum; minimè autem pus coctum cum Tussi expuebat; sequentem denuò præscripsi *Mixturam cardiacam* cochleatim capiendam ℞. *Aqu. cardiac. officin. Scabios. Ana* ℥iß. *Syrup. de Jujub. Rub. Idei, ac Anodyni an.* ℥ß. *Confect. Alk. inc.* ℈ij. *Rasur. Ebor. pp. Antimonii diaphoret. Ana* ℈j. *Misc. ad Vitr.* Inter usum verò hujus, aliorumque Remediorum, parum levaminis apportantium, Æger D. XXIV. Junii, postquam fortè è lecto surrexisset, inopinata suffocatione prehensus, miseram cum beata morte vitam commutavit. Cadaveris hinc lustrandi facultatem à Viduâ consecutus, eò me contuli, idque cum commensalibus atque Discipulis meis, ut & Rerum Chirurgicarum perito *Dn. Theophilo Freulero Reipublicæ nostræ Senatore.* Extus itaque in cutanea corporis expansione, à scapulâ sinistrâ usque ad Os innominatum, Inflammatio vel Gangræna certè & sideratio apparuit. Abdomen verò apertum nihil nobis insalubre aut præter naturale obtulit, nisi Hepar schirrhosum, durum, friabile tamen; & in cujus cavo Cystis fellea densa valde ac omni bile vacua extitit. Pinguedinis interea sat fuit ubique circa viscera: Intestina flatibus expansa apparuerunt; in osse sterni autem inferiores sinistri lateris cartilagines disruptas planè notavimus. Thorace post aperto, Lobus sinister Pulmonis maximè, tumidus, expansus, corruptus undique Mediastino, Pleuræ, Diaphragmati, atque Pericardio ita firmiter cohærescebat, ut sine dilaceratione inde divelli minimè potuerit. In ipsâ verò substantiâ hac Pulmonis vesiculosâ atque corruptâ, postmodum apertâ, plures amplos majores minoresve datum est cernere loculos, eosque omnes sero cruento, pituitoso, sordido purulentoque plenos, quale serum in cavitate ipsa pectoris neutiquam conspeximus. Remoto parum Lobo isto Pulmonis, Spinæ prodibant osseæ, valde acutæ, à fractis tribus Costis superioribus, propè

finistrum Spinæ dorsi latus introrsum trusis, atque in ipsam Pulmonis substantiam adactis; oriundæ: quam Fracturam, lethalem certè, incisâ postmodum Dorsi cute adhoc meliùs conspeximus, inflictam vel ab ictu pedis equini, vel à contusione per rotam Currûs acceptâ. Intra Pericardium maximè densum ac firmum, ad quinque vel sex uncias seri purulenti invenimus, atque insuper in dextro cordis ventriculo Polypum maximum deteximus tribus appendicibus prædi-tum. Denique Lobus Pulmonis dexter ab omni corruptione liber & immunis extitit.

Fractura dorsi in quinquagenario, post octo demum annos, Anatome detecta.

Clariss. Gustavi Casimiri Gahrliep, Ephemerid. Germanic. Centur. 1. & 2.

Decuriæ secundæ Ephemeridum Medico-Physicarum, anno decimo Observ. 80. inter alia de Opio singularia, Viri cujusdam eruditione ac prudentiâ politicâ apprimè nobilis mentionem feci, quâ ut & aliis insignibus virtutis rogatæ meritis Consiliarii aulici titulo ornatus, ac nobilitatis, à qua prædecessores ejus bellorum Germaniæ diuturniorum calamitatibus aliisque persecutionum injuriis, patriâ exules ac sedibus suis avitis exuti desciverant, instaurationem Regis sui Serenissimi gratiâ, æger licèt & valetudinarius in Equestrem Ordinem paucis ante obitum annis evehi promeruit, qui continuo Opii & opiatorum usu valetudinem admodum afflictam, per plures annos aliquatenus tolerabilem sibi reddidit. Hic paucis ante obitum diebus morti se vicinum animadvertens, seriò aliquoties post obitum cadaver suum aperiri, ac in causas mille malorum, quibuscum valetudo ejus tot annos conflictata fuerat, inquiri mandaverat, inprimis quid dorsi sui spinæ annos ante circiter octo acciderit, & unde dextrorsum ac sinistrorsum obliquata & aliquatenus incurvata, staturam sui corporis tres penè digitos transversos breviorem quàm antè fecerit. Medio enim sanitatis adversæ studio, cæteras inter afflictiones tussi ferinâ correptus, intempestâ aliquando nocte excitus vehementissimè tussiens, violentâ illâ thoracis ac dorsi conquassatione fragorem in dorso cum dolore, quasi baculus aliquis confringeretur, auditu perceperat, sed præter dolorem, quem sanè acutum senserat, quid actum nec ipse, nec quisquam alius vel conjecturâ assequi poterat, quibusdam vertebrarum dorsi exarthrorsin quandam insignem factam suspicantibus, sed asseverare non audentibus. Fatis itaque postquam 20. Augusti An. 1704. cesserat, Ego, qui per plures annos illi, utpote affinitate mihi satis propinquè juncto, Medicus fueram ordinarius, & Dominus D. *herch*; Aulæ Regiæ Medicus, qui postremis morbi diebus curæ ejus rationem quoque habuerat, ut eviscerationi ejus interessemus, vocato Chirurgo Aulico *Hulspax*, unà cum filio meo Medicinæ tum Studioso, nunc Doctoxe manus sectioni adhibentibus. Abdomine primum aperto, Omentum pinguedine flavâ vestitum, intestinis derelictis ac aliquousque detectis, extra naturalem situm, sinistrum versus latus provolutum ac quasi conglomeratum, intestina satis bene constituta invenimus, nisi quòd qua parte Cystidi, felle ferè vacuæ, vicina à bile effusâ flavo colore tincta essent; Verùm cùm diutino morbo, ob pronum corporis situm, thoracis regio & costarum unà cum diaphragmate deorsum solito magis vergeret, ac viscera abdominis potiora, ventriculum nimirum & hepar, aliquatenus tegeret & absconderet, sicque illa ulteriori liberæ lustrationi quadantenus subtraheret, hinc pectus simul aperiendum erat. Quo facto Ventriculus cum Hepate primò se offerens, superficie exteriori præter naturam rubente, inflammatus quasi apparuit, tunicæ ejus admodum erant tenues, chartæ paulò robustioris crassitiem vix æquantes, interior hinc inde albicans, maculis nigricantibus variata, ac venulis livescentibus hinc inde disseminatis interstinctæ, plicis autem omnino destituta. Quæ facies omnibus ferè Thee potûs helluonibus continuis ac diuturnis, me sæpius hoc in cadaveribus illorum exenteratis, ipsius quoque Doctoris Bontekoë, Magni illius, dum viveret, Thee Patroni & Encomiastæ, observante, familiaris & quasi propria est. Epar equidem quoad cætera sanum, nisi quod circa cystidem gilvum, ac parenchyma ejus exiguis sparsim calculis distinctum. Pancreas sine notabili labe; Lien flaccidus ac livido fuscoque colore fœdatus, Renum uterque copiosâ pinguedine stipatus, sinister dextro minor, bene aliàs constitutus, paulò tamen flaccidior, dexter debito major & turgidior, plurimis per substantiam hinc inde putrulentam disseminatis exiguis candicantibus glandulis fœtus, cujus pelvi, quatuor diversæ magnitudinis calculi, quorum maximus quadratus, sed inæqualium laterum, ad pisi mediocris ferè magnitudinem ascendens, inhærebant. Reliqua contenta absque insigni vitio. Quibus omnibus tandem exemtis, diaphragmate quoque à costis priùs, mox & à mediastino & pulmonum Lobis; quibus in dextro præsertim latere firmiter valde coaluerat, ægrè separato, ac sterno pertinde ad claviculas usque levato & reclinato, pulmonem tam sinistrum quàm dextrum, & coloris exterioris lividi & parenchymatis ratione planè à naturali statu alienatum, duris quibusdam grumis, glandularum instar schirrhosarum refertum; dextro imprimis lateri mediante pleurâ, hic admodum crassâ, tam validè connexum, ut vix, nisi insigni molimine, scalpelli & digitorum ope, ab illa divelli ac separari potuerit, uterque phlegmate viscido & penè purulento scatens. Tentata in superiori dextri pulmonis regione prope claviculam separatione, cum scalpello, quod digitis non valuerat, perficere Chirurgus anniteretur, ac incautiùs illud profunde nimis adigeret, ex apostemate illic latente & casu hoc aperto, magna puris sinceri copia regurgitare cœpit, cujus scaturiginem ulteriùs indagaturi in sinum incidimus fistulosum, pulmoni circa tracheæ insertionem continuum, à summitate pleuræ) membranæ aliàs instar satis tenuis, hic verò & in toto pectoris latere dextro præter naturam admodum densæ ac tergoris bovini mediocris crassitiem æmulantis) ex una parte pulmoni, ex alterâ costis firmissimè cohærentis, ac quasi duplicatæ, cujus per medium, tumoris lacearei specie, supernè ultra pollicem latum, paulatim procedendo capaciorem, sub & à claviculâ ferè, ad diaphragma usque deorsum versus descendentem, ibique infernè palmum

palmum latitudine fermè æquantem, atque spinæ dorsi contiguum, hîc luci & ad medietatem usque suæ longitudinis materiâ spissâ ac sebaceâ, quale steatomatum contentum esse solet, inde verò paulò liquidiore, ac supernè plane purulentâ aliquousque refertum, tussis illius contumacis ac diuturnæ, ut & doloris ac ardoris in dextro thoracis, quem inter scribendum, qui labor ipsi officio efflagitante ferè perpetuus, jugiter perpessus fuerat, latere mensæ incumbendo molesti fomitem, & ingentis illius, de quâ mox, rupturæ originem atque causam. Cor tandem in mediastino ac pericardio bene satis constitutis, magnum, bovinum ferè proportione æquans, sed flaccidum patuit. His demùm omnibus separatis ac è cavitate thoracis exemtis, spinaque dorsi simul ab integumentis ac adjacentibus vasis majoribus, ut & ductu thoracico nudatâ obstupuimus attoniti, dorsi nonam circiter vertebram cernentes non luxatam, sed in ipso medio transversim fractam, non exiguâ fissurâ haud superficiali, sed grandi, totam vertebræ partem superiorem ab inferiori divaricante, adeò ut earum interstitium extremum digiti minimi apicem aut pennam anserinam facile admitteret, marginemque utrinque tam supernè quàm infernè asperis & oculeatis à rupturæ apicibus armari ac quasi densati; explorantibus spiculis suis obnoxii, ipsa substantia interna & superior & inferior cruore à recenti quasi fracturâ totans, nullo tot annorum spatio subnascentis calli vel vestigio apparente, unde præsentium nonnulli cariei aliquod indicium suspicari sunt, indeque fracturæ initium deducere satagerunt, meum tamen id hebescentem jam visum effugisse fateor. Res sanè summè admiranda, & quæ omne ratiocinis acumen eludit, qui calamitoso hoc spinæ dorsi fractæ statu octo circiter annos æger hic vivere ac superesse potuerit, nullo spinali medullæ læsæ aut interceptæ manifesto apparente indicio, nullo externo insigni incommodo, nisi quod, ut suprà relatum, staturâ ob curvaturam spinæ parum decurtatâ, cernuus aliquantulum incedere ac sedere cogeretur. Cæteras tamen tàm naturales, quàm animales corporis, ut & animæ functiones & actiones durante valetudine tam enormiter afflictâ, ut ut patienter admodum toleratâ, rite satis, imò valde exactè obite atque exequi valuerit; Nonnumquam etiam æstate, sudo ac sereno cœlo, liberioris aëris capiendi ergo effedo extra pomoëria vehi sustinuerit. Num compar huic exemplo Historia Medica ullum habeat, ego saltem valde dubito.

FRENUM PENIS BREVIUS Vid. *Penis morbi.*

FULMINE ICTI. Vid. *Combustio.*

FUNGUS.

Fungus est mollis excrescentia, sensim incrementum capiens ex dilatatione aut laceratione membranarum, & circa has collectis & evasatis succis, imprimis nutritio, & ut plurimum circa articulos oborta.

Ut plurimum circa articulos apparent fungi, & membranis radicitus inhærere solent. In genu sæpissime apparent ejusmodi tumores, & dum hæc scribo infans trium annorum & juvenis 20. annorum iisdem affecti mihi curandi offerebantur.

Per se patet hujusce morbi diagnosis, nam excrescentiæ fungosæ facilè in visum nostrum incurrunt, & ex tactu ab aliis haud difficulter dignosci possunt, cùm substantiam habeant spongiosam; mollem atque albicantem & impresso digito nulla remaneat fovea, nec ægri magnum inde percipiant dolorem. Ut plurimum verò incrementum capiunt, & circa articulos observantur, imprimis circa genu, & molam seu patellam, hinc genu loco suo sæpe adeo dimovetur, ut extensioni seu deambulationi obsit pedemque ad ambulandum faciat ineptum. Cùm tamen & aliæ partes carnosiores non sint ab iis immunes, sed membranis quibuscunque inhærere queant, & à vulneratione membranæ cranii fungum enatum non ita pridem in milite observavimus. Fungosi hi tumores similes sunt strumis glandularum.

Fungi ut plurimum circa articulos oborti, fiunt ex violenta distensione, dilatatione ac laceratione membranarum, vel ex luxatione violentâ fibrarum tendinosarum, hincque effluit succus nutritius & quidem in maxima copia, ex quo caro mollis, rara & luxurians squamosa generatur, quæ dicitur fungus, qui ut plurimum post vulnera membranarum emergere solet; quòd si accedat acescentia & corrosio, fungi exoriuntur cancrosi.

Prognosin quod concernit, fungi sæpe etiam per plures annos afficiunt homines, sed præter incommodum & dolorem: nisi si contingant in articulis, motum ac sensum, premendo nervos, aliquo modo tollunt. Ob stagnationem verò diuturniam succus acrior redditur, qui facilè tumorem cancrosum producere potest. Corpus quoque ad tabem disponunt omni succo nutritio in fungo deperdito. Aliquando malum hoc lethale est.

Quod diætam refert, ista eò dirigenda, ut succi ritè constituti absque ruptione tubulorum circulentur, in quem finem aër eligatur calidus ac temperatus. Frigidus verò admodum nocet, quoniam incrassat succos nostros, transpirationemque impedit. Alimenta sint facilis digestionis, exulent acida, acria, salina, muriatica, corrosiva, exinde enim succus nutritius pessimus partibus affertur, & sic ruptio tubulorum, & evasatio succi nutritii facilè produci potest. Potus sit calidus, imprimis potus theæ, vel coffeæ, vel succolad. vel vinum Gallic. Hispan. aliudque non acidum. Vinum enim Rhenanum, Franconicum, imo ipsum sæpe Mosellanum, quatenus acido & tartaro abundant, coagulando succos maximè nocent; eligatur potius cerevisia tenuis ritè defæcata, & herbis volatilibus ac aromaticis maritata. Vigiliæ & somnus, item motus & quies sint moderata, & modum solconem haud excedant, motus enim nimius, si mox à pastu fit, chylum crudum & cum impuritatibus per alvum expellendis, permistum, in sanguinem pellitur, quies verò immodica, ut est vita sedentaria, quam experiuntur sartores, nocet, quibus propterea verrucæ fungosique tumores familiares sunt. Animus sit hilaris, nullis passionibus obnoxius. Animi enim passiones vehementiores, ad affectus hos excitandos ansam dare possunt, quæ fulminum instar sanguinem percutiunt, & inter ea potissimum quæ spiritus figunt,

figunt, debitam eorum ex cerebro in partes subjectas emanationem sanguinis ac succorum circulationem impediunt, & per consequens succis crassis ac acidis, imprimis nutritio, corrigendis ansam præbent; cujusmodi sunt tristitia, mœror, curæ immodicæ, odium, terror &c.

Fungi curatio difficilis est, eo autem strenue incumbendum, ut obstructiones reserentur & evasatio succi nutritii ante omnia impediatur, quod obtinere possumus, si particulæ acres, scindentes, ac corrodentes, è succo nutritio eliminentur, in quem finem conducunt interna sudorifera, & pro re nata interna laxantia mercurialia. v. g.

℞. Rad. scabios. enulæ camp. ana ℥ß. sarsæpat. ʒ iij. herb. scord. fumar. nummular. veron. scolopendr. ceterach. ana M. ß. flor. sambuci p. ij. hyperic. p. r. rasur. santal. citr. ʒ vr. sassafr. ℥ß. guaiac. ʒ ij. cortic. ejusdem ʒ iij. vitr. marr. ʒ iss. sal. tart. ʒ i ß. sem. dauci ℥ß. M. pro mensura iß. vini. Dein exhibeantur Tinct. antimon. tartaris. essent. viperar. essent. lignorum, aliaque. Chalybeata hîc præcipuè egregia sunt, nodulo propterea includenda, & potui ordinario indenda.

Cura autem præsertim externis peragitur topicis. Thermæ præ aliis conducunt, in quem finem artificiales facilè parari possunt. Sæpe etiam ad ferrum est accedendum & exscindendus est fungus, in casu ubi inclinat ad cancrum, & cùm hoc sit periculosum, pro partis affectæ ratione, pulveribus acidum temperantibus incrementum ejus quantùm possibile impediendum, in quem scopum conducunt omnes pulveres ex sale saturni, camphor. calce viva, tuthia, lapide calaminari, myrrh. succin. thure, C. C. usto parari. Spongiosis bis tumoribus item inspergi possunt, vitriol. alum. ustum, vel pulvis ex aristoloch. rotund. calam. aromat. caryoph. concinnatus. Applicetur etiam spir. matricalis, oliban. cum calce viva, imò instituantur varia suffumigia ex succino, sabin. oliban. mastiche &c. Vel ex herbis sale vulatili gaudentibus parentur fotus, cataplasmata, & calidè fungosis imponantur tumoribus. Nec negligenda sunt emplastra optimè resolventia, ut sunt emplastrum de thea, divin. de labdan. de ran. cum mercur. & vitriol. albo parat. vel cataplasma egregium ex cucumere asinino, limac. rubr. coctis in vin. gallic. addendo pulver. rad. jalapp. & bryon. s. q. Emplastr. de cicuta & de cumino itidem conducunt. Frequenter tumores hi non deligandi, nec, quod Chirurgicis notandum, aperiendi sunt, hinc etiam à cauteriis abstinendum est, quare ex hujusmodi tumore improvidè aperto mors sequuta est. *Joh. Doleus in Encyclopædia Chirurgic. rationali.*

Quemadmodum in stirpibus arborum humores semiputridi per corticem exuberantes in fungos coalescunt; Sic fracta exemptaque portione aliqua cranii, ac dura matre læsa, statim humores cerebri circa plagam affluunt, qui sive ossis (ut Alexander Aphrodisæus voluit) sive aëris frigiditate condensati, instar fungi concrescunt, atque interdum adeò intumescunt, ut extra cranium per foramen terebrâ factum emineant. Affectus autem ille Galen. lib. 1. de loc. affect, & 3. epidem. fungus ex similitudine nuncupatur; est enim caro mollis, levis, pallida & spongiosa, quæ quidem citò excrescit, lento verò pede retrocedit. Potest & ex flatu procreari. Si enim calor cerebri imbecillus factus in materiam quæ circa vulnus collecta est, aliquid agere intendit, flatum procreat qui cùm per tenuem meningem expirare nequeat, eam in altum elevat. Observavi enim hactenus in his qui fungis affecti mihi occurrerunt, tenuem meningem, ut plurimum integram, crassam autem disruptam fuisse. Crassa enim disrupta, factaque digestione vulneris, natura statim incipit carnem supra tenuem meningem generare, quæ loco tegumenti incumbit, ne ex aëris injuria nocumentum contrahat. Si namque humores copiosi, aut flatus circa plagam colliguntur tenuem membranam simul cum adnata carne facilè, instar fungi, in altum elevant quia caro est mollis, & radix subnixa, fungi instar, supernè latior, infernè tenuior. Augetur verò & decrescit pro materiæ affluentis copia, & chirurgi arte incrementum intercipientis. Fœtet valde hæc caro: vulgo ficum sancti Fiacrii nuncupant, quî Galeni sententiâ, partium quibus adnascitur naturam & conditionem redolet; quanquam in genere; sit de natura verrucarum malignarum.

Ad ejusmodi fungorum [illegible] removenda sunt remedia quibus specifica facultas insit absumendæ carnis superfluæ, qualia sunt quæ validius exsiccant, & blandiùs atterunt & exedunt, quale est quod sequitur.

℞. Sabin. ʒ ij. ochræ ʒ j. pulverisentur simul & aspergatur caro excrescens.

Vel, ℞. hermodact. combust. ℥ ß. fiat pulvis in eundem usum.

Vel, ℞. Fol. & flor. beton. & chamæm. melil. rosar. summit. major. torilinat. ana Mj. sem. anis. & fænugr. ana ℥ j. incidantur & contundantur pro fotu. Harum herbarum q. s. indatur sacculo ejus magnitudinis, ut mediam ferè partem capitis cooperiat, qui filo intertextus coquatur in vini & aq. comm. partibus æqualibus, & applicetur calidè. Post fotum abstergendum est caput linteis calidis, deinde sequentem pulverem insperge fungo, atque toti vulneri.

℞. Rad. caryoph. angel. calam. arom. ana ʒ ss. rad. aristol. rot. ireos Flor. lign. guajaci an. ʒ ij. flor. salv. summit. major. & ror. mar. ana p. 1. f. omnium pulvis subtilissimus.

℞. Emplastr. de beton. ℥ iiij. gumm. elemm. dissol. in aceto rosac. ℥ j. pulver. ros. rubr. myrtill. ana ʒ j. mastich. calam. aromat. ana ʒ i ss. olei rosar. q. s. F. emplastrum. Quod si ejusmodi caro fungosa, eò ut sæpe fit incrementi veniat, ut ovi magnitudinem æquet, quàm proximè radicem serico filo ligabis & constringes arctiùs, cùmque vi constrictionis deciderit commemoratis pulvisculis asperges. Sic enim certiùs quàm acrioribus cathæreticis profligatur. *Joh. Vigerius in Chirurgia sua magna.*

De Fungis tam carnosis, quàm osseis, in diversis corporis partibus nascentibus, ad Clariss. D. Danielem Sennertum.

Guilhelmus Fabricius Hildanus.

Affectus quos communicasti, tecum fungos appello, & fungos appellari posse, non est ut quispiam in dubium revocet. Etiamsi enim Authores tantummodò de fungis in capite denudatis membranis nascentibus, mentionem faciant, attamen diligenter exploratis causis fungorum, cur & in aliis corporis partibus nasci nequeant, nondum video. Sed quia id rarissimè accidit, & sæpissimè ad aliquod aliud genus tumoris hujusmodi excrescentiæ carnosæ referri possint, ut postea dicam, visum est Authoribus, illas solummodò excrescentias

excrefcentias carnofas, quæ exemplo cranio, ex membranis, aut cerebro ipfo propullulant, fungos vocitare, quum tamen, fi (ut dixi) caufas & generationem fungorum fpectare velimus, in aliis quoque corporis partibus, non minùs quàm ex ipfo cerebro, aut ejus membranis, nafci poffint. Hujus fententiæ quoque ex antiquis nonnulli funt, & quidem præftantiffimi Chirurgi, Bruno in primis, Theodoricus & Bertapalia. Quandoquidem Bruno fub nomine *Natta*, nihil aliud intelligit, quàm fungofas hafce excrefcentias. Sic enim verba ejus fonant. *Plerumque accidit in quibufdam hominibus fuperfluitas quadam, quæ vulgari nomine dicitur Natta: & eft apoftema carnofum, magnum, molle ut plurimum ficut fungus, & non eft cum eo dolor; aut fi eft dolor in eo, eft parvus, neque calor, neque pulfatio, &c.* Theodoricus eadem habet verba, non tamen Nattam, fed Naptam; ejufmodi excrefcentias: Bertapalia verò Nattam illas appellat. Et difertè dicit, effe apoftema glandulofum five carnofum; & rectè quidem. Aliquando enim hujufmodi excrefcentiæ (de fungis in capite non loquor) malignam aliquam in fe continent qualitatem, duræ inæqualefque funt. A glandulis tamen differunt, ut idem Bertapalia teftatur. Ex fupradictis itaque defcriptionibus, hæc definitio rectè elici poffe, mihi videtur, nimirum, Fungum corpus quoddam effe carnofum, ut plurimùm laxum, molle, ferè indolens, ex humoribus fuperabundantibus & flatulentis, fubitò & parvo temporis fpatio, progenitum. Ut plurimùm; inquam, fæpiffimè enim non laxa aut mollis eft excrefcentia hæc, fed dura, & glandulofa, inæqualisve, non indolens, fed cum dolore, præcipuè fi malignitas aliqua adfuerit, quemadmodum in fungis, qui in infimis corporis partibus nafcuntur, fæpiffimè adeft. In membranis verò cerebri non ita fit, & rariffimè fungi maligni, nifi infignis aliqua contufio adfuerit, & proinde putrefactio, inveniuntur: craffus enim humor, ex quo fungus malignus generatur, non facilè furfum afcendere poteft. Materia enim fungi circa menynges, ut cerebrum ipfum ut plurimùm benigna eft, & ut Joh. And. à Cruce refert, aërea, nec non vaporofa, ideoque excrefcentiam minimè malignam procreat. Excrefcentia autem illa, quia fæpiffimè parvo temporis fpatio prorumpit, mollis eft, Galeno à fimilitudine fungus appellatur. Quemadmodum enim fungi qui cœlo exiftente calido & humido, ut plurimùm una nocte è terra provenientes, fpongiofi ac molles funt, ita etiam fungi circa menynges aut cerebrum ipfum, fi humor aliquis benignus copiosè affluxerit, citiffimè exoriuntur, & quidem propter fummam naturæ providentiam. Cùm enim vix aliquid reperiri poffit, quod adeò fit inimicum cerebro ejufq; membranis, atque aër externus, illa eft providentia naturæ, ut quamprimùm ipfas tegumento aliquo muniat obtegatq; ideoq; copiosè affluente humore aliquo (non tamen putrido, à quo fungi terreftres & arborum enafci folent, fed benigno & laudabili) protinùs & caro copiosè enafcitur. Quòd fi igitur aliquis generationem prædictorum fungorum ad humores fecundarios, rorem, gluten, & cambium referre vellet, meo quidem judicio non multùm à via recta aberrabit. Eandem naturæ induftriam in offibus quoq; denudatis confpicimus, quibus, cùm aër fimiliter fit infenfiffimus, natura ea quamprimùm fungosâ quadam carne tegit. Hinc fit, ut fungus nonnunquam, durâ membranâ exiftente integrâ, enafcatur, pro ejus fcilicet præfervatione, ne uti dixi, ab aëre externo lædatur. Si enim natura eâdem providentiâ in offibus denudatis, quæ corpora folida, ficciffima, paucis venis, arteriifq; prædita, minufq; partes nobiles funt, utitur, nonne multò magis in dura menynge, membrana nobiliffima, innumerifque venis & arteriis prædita, præftabit?

In dura tamen menynge, quamdiù integra fuerit, rariùs & vix (excepto, ubi contufio & affluxus humorum fupra modum fuerit magnus, & revulfiones ab initio non adhibitæ) fit fungus ingens, & qui extra vulnus exuberare poteft, quum propter fpiffitudinem fuam difficulter in altum elevetur dura menynx. Ruptâ verò dura menynge, pia mater, unà cum adnata carne fungofa facillimè, fi flatus aliquis fubter membrana collectus fuerit, in altum elevatur, ut etiam extra vulnus protuberet. Clariffimus atq; doctiffimus vir Dn. D. *Jacobus Aubertus* Vindo, piæ memoriæ, Medicus apud Laufannenfes longè celeberrimus, fautor meus chariffimus, fungum fieri vult ruptâ dura menynge, & tenuè in altum elevatâ, fubftantiâq; cerebri repletâ. Sed hæc cum diftinctione intelligenda effe, nec fimpliciter de omnibus fungis intelligi poffe, planè mihi perfuafum habeo. Sciunt enim Practici & in primis ii, qui aliquam in Anatomicis cognitionem habent: cerebri fubftantiam etiamfi mollis & laxa fit, non facilè tamen ita diffolvi aut relaxari poffe, ut fungum hunce implere poffit. Velem itaq; fungum cerebri ita diftinguere, nimirum in fimplicem & compofitum. Simplicem voco, qui (uti dixi) pro confervatione membranarum aut ipfius cerebri, fummo naturæ beneficio atq; providentiâ procreatur. Compofitum verò, qui aut maximam contufionem, inflammationem, & intempeftivum humorum affluxum, aut fimile aliquod fymptoma adjunctum habet. In fimplici fungo præterea cerebrum fuo loco non movetur, fitq; fungus ex adnata carne fpirituque aëreo, qui membranas ipfamque adnatam carnem in altum elevat. In compofito autem, ubi propter inflammationem, & colluviem adfluentium humorum cerebrum circa vulnus veluti corruptum, & in pus converfum eft, membranæ ipfæ in altum elevatæ, etiam fubftantiâ cerebri liquefactâ & diffolutâ, implent porrò: funtq; ejufmodi fungi periculofiffimi, & ut plurimùm lethales. Ideoque horum folummodo mentionem fecit author modò citatus. Reliquos verò, quia non ufque adeò periculofi, faciliùfque curantur, propter brevitatem (quam in ifto libello ftudiosè obfervavit) omifit. Hoc quoque modo, (meo quidem judicio) locus in Paræo de fœtore fungi intelligendus eft. Simplex enim fungus in capite, (ut ego fæpiùs expertus fum) minimè fœtet, nec ufque adeò (ut Bruno & Theodoricus teftantur) dolet. Quod fi acciderit putrefactio aut corruptio aliqua, tunc ut fœtor quoque fuperveniat, neceffe eft. Præterea fungi ejufmodi ex humoribus femiputridis ad inftar fungorum arborum, originem atque ortum habere, rectè docent Paræus & alii. Joh. And. à Cruce in fungis duræ menyngis motum naturalem deperdi, fcriptum reliquit, quam opinionem effe abfurdam, aliquis exiftimare poffet. Non enim deperditur motus, fed tegitur atque abfconditur propter adnatam carnem: fed author hic excellens de eo loquitur fungo, ubi mors eft in propinquo, ut ex texto illius libri facilè colligere eft. Hæc ego propterea fcribo, ne aliquis opinionem horum doctorum virorum, & de Cheirurgia bene meritorum, ridiculofam effe exiftimet.

Cæterùm de curatione fungorum, circa membranas cerebri nafcentium, fuperfluum eft hîc differere; cùm de ea in prima Centuria Obf. 15. egerim, ex quâ reliqua facilè dijudicari ac percipi poffunt. Hoc tantùm addo, fungos ruptâ durâ menynge difficiliùs curari, quàm illâ illæsâ: caufa eft in promptu. Cùm enim dura menynx exquifitiffimo fenfu prædita fit, ac continuò moveatur, fi difrupta aut fauciata fuerit, continuò

continuò quoque affluunt humores, ex quibus incrementum fungi, nec non ſymptomata varia oriuntur. Quapropter & majorem requirit diligentiam.

Ante omnia autem proſpicere convenit, ut ſummo ſtudio humores illis qui ſurſum aſcendunt, deorſum trahantur: Deinde quoque, licet Galenus in carnis excreſcentia acria præſcribat medicamenta, hîc tamen minimè eſſe applicanda, multò minus exciſionem, quæ novaculâ fit, tentandam, imò neque ligatura, quæ filo ſerico fieri ſolet, tuta eſt, propter gravia, quæ inde ſequi ſolent, ſymptomata. Ubi tamen putredo aliqua circa membranam adfuerit, tutò Ægyptiacum applicant Practici, in exigua tamen quantitate, & quidem cum cautione, de qua re conſule tractatum meum de Gangræna, Germanicè editum, cap.28.

Hactenus oſtendimus, fungos circa cerebri membranas rarò malignos eſſe: fungorum verò in infimis corporis partibus naſcentium alia eſt ratio: humor enim, qui adfluit, non ſemper benignus eſt, ſed ut plurimum craſſus, fæculentus & malignus, ex quo corpus non molle, ſed plus aut minùs durum, prout humor, qui adfluit, plus aut minùs craſſus fuerit, procreatur. Nihilominus tamen, poſſumus ejuſmodi excreſcentias, cùm propter formam, tum etiam, quòd in momento, ut ita dicam, excreſcant, fungos appellare, cum illa tamen diſtinctione, ut alios ſimpliciter fungos, alios verò, qui duritiem aut malignitatem aliquam adjunctam habent, fungos malignos, aut etiam cancroſos appellemus. Exempli gratiâ: Ante annos aliquot, quinquagenarius quidam mihi adductus fuit, cui membrum virile in tantam molem excreverat, ut magnitudinem capitis infantuli, recens nati, ferè adæquaret. Hæc excreſcentia dura erat, & hinc inde ulceribus putridis ſcatens. Et hanc excreſcentiam fungum cancroſum appello: fungum à forma: cancroſum verò ab eſſentia, durus enim, lividus, putridus, malignuſque erat. In articulorum quoq; vulneribus, nonnunquam ſubſtantia quædam modò ex albedine rubeſcens, modò liveſcens, ſubitò excreſcit, & fluxum illum ſeroſi humoris, quem Germanici noſtri Chirurgi, ineptiſſimo vocabulo, *das Glidwaſser* appellant, ut plurimum præcedere, vel etiam comitari ſolet. Nec ſolummodò in vulneribus articulorum, verùm & in aliis circa nervos, hujuſmodi fungos excreviſſe, cùm aliàs, tum etiam ante menſes quatuor Paterniaci in quadam puella cacochymica obſervavi. Propter doloris enim vehementiam, ſanguis & humores affluunt, qui diverſa progignunt ſymptomata, veluti inflammationes, phlegmones, herpetes, fluxum ſeroſi humoris, & ejuſmodi quamplurima. Quod ſi ſanguis benignus, laudabilis & flatulentus admixto humore pituitoſo affluxerit, ac natura, quæ nunquam otioſa eſt, ex eo aliquid procreare tentaverit, ſequitur extuberantia excreſcentiaque carnis fungoſæ. Ante dies quatuordecim Auguſta Vindelicor. rediens, Lavingæ à viris Clariſſimis & Doctiſſimis, Dn. D. Bartholomæo Metcklino, atq; Valentino Rulando, Medicinæ Doctoribus, juvenis quidam mihi viſendus exhibitus fuit, cujus lingua in fungum cancroſum, qui totum fere os implebat, excreta fuit. Cujus hiſtoriam integram, qualiſnam tandem exitus erit, à Clariſſimo Dn. D. Rulando exſpecto, eamque in tertia Centuria, Deo volente, videbis.

De Uvula ſcirrhoſa, & veluti in fungum excreta, exemplum in Obſervatione 19. hujus Centuriæ vidiſti. Ficus ille cancroſus, cujus in prima Centuria Obſerv. 1. fit mentio, nonne poterit quoque fungus cancroſus appellari? Itaq; ſubjectum fungi non ſolùm cerebrum, ejuſque membranas, ſed & omnes corporis partes ſtatuendas eſſe, exiſtimo: imò & circa anum aliquando fungos naſci, teſtatur Paræus lib. 12. cap. 24. Differunt tamen primò, quoad cauſas: circa membranas enim cerebri ut plurimùm ex ſanguine benigno, aëreo, & minimè maligno generantur, in reliquis verò corporis partibus, unà cum ſanguine fæculento quædam imò & aliquando maligna, corruptaque materia adfluit. Differunt deinde in curatione: circa membranas enim cerebri præter univerſalia, blandè, uti antea quoq; monui, fungus tractandus eſt, nec ullo modo medicamentum acre eſt applicandum, quemadmodum ex Obſerv. 14. & 15. Centur. 1. colligere licet. In reliquis verò corporis partibus, præter medicamenta acria & inſigniter exſiccantia, imò & erodentia, aliquando quoq; & ferrum & ignem applicari poſſe, ſæpiſſimè cum fructu expertus ſum. In vulnerum articulorum fungis, quia ſimul dolor ingens & adfluxus humorum adeſt, victus tenuis inſtituendus eſt, corpus à pravis humoribus expurgandum, vena quin etiam incidenda. Ab initio Topica, quæ dolorem leniunt, ſunt applicanda, veluti ſequens linimentum.

R. Ceræ novæ &
Gummi elemi ana ℥iiij.
Therebinth. lotæ ʒ ij.
Ol. roſac.
Butyri recent. non ſaliti
Ol. de vitel. ovor. &
Amygdalar. dulc. ana ʒvj. Liquefiant omnia lento igne, & colentur. Deinde admiſce
Croci ʒj.
Vitellum unius ovi. Miſceatur & cum filamentis imponatur. Poſtea applicetur ſequens Cataplaſma.

R. Micæ panis albi ℔ß.
Farinæ ſem. cydonior. &
Fœnigræci ana ʒiiij. Coquantur cum lacte vaccino uſque ad conſiſtentiam cataplaſmatis, tum admiſce butyri recent.
& olei roſac.
De vitell. ovor. ana ℥j.
Axung. hum. ℥.ſ.
Croci ʒ.ſ.
Vitellos ovor. N. 2. Miſce, fiat Cataplaſma, quod calidè unà cum præſcripto unguento tantiſper applicetur, donec dolor omninò fuerit ſedatus, neque interim circa fungum multùm laborandum eſt: quod enim magis urget, ei inprimis & ante omnia incumbere convenit. Sedato dolore, & humorum affluxu, ſequens pulvis fungo inſpergendus eſt.

R. Pulv. præcipitati,
Alum. uſti ana ʒſ.
Vitrioli uſti ʒj.
Pulv. radic. angelicæ
Ariſtoloch. rotund.
Caryophyllatæ &
Iridis Florentinæ ana ʒj. Miſce.

Poſtea applicetur ſequens cataplaſma.

R. Farinæ fabar. &
Lupinor. ana ℥iiij.
Fimi columbini ℥ij.
Pulv. roſar. rubrar.
Myrtillor.
Balauſtior.
Abſynth. ana ʒij.
Salis marini ℥ij. cum lixivio fiat Cataplaſma.

Si autem durities aliqua aut malignitas, quæ naturam cancri ſapiat, adfuerit, tunc reverà levioribus hiſce medicamentis non cedet fungus, acrioribus verò, veluti arſenico, oleo vitrioli, & hujuſmodi ſepticis, eſcharoticis adhibitis; magis irritatur malum, nec non malignius efficitur: quemadmodum Obſerv. 1. Centur. 1. monui. Quid igitur inquies, faciendum? Profectò quomodo hujuſmodi excreſcentiæ, niſi radicitùs exſcindantur, tutò, citò, & abſque magno dolore, & periculo.

& periculo curari possint, nondum video, quum, quemadmodum dixi, ab acrioribus medicamentis irritentur, & majorem malignitatem acquirant. Hoc modo ante annos decem fungum illum malignum ac deploratum, in membro virili existentem, cujus antea memini, feliciter extirpavi, mitetumque sanitati restitui, qui & ad hunc usque diem in agro Lausannensi vivit, uti fusius in 3. Centuria declarabo. Sed prospicere convenit, ut hujusmodi fungi radicitùs extirpentur, alioquin mox repullulant & recrescunt, quemadmodum & in puella ista, cujus Excell. T. in prima sua historia mentionem fecit, fungum repullulasse, intelligo, quod & mihi aliquando observare contigit. Clarissimus ac doctissimus Dn. D. *Martinus Chmielecius*, Medicus Basiliensis celeberrimus, amicus meus plurimùm honorandus, cùm hisce diebus Exc. T. literas vidisset, casum sequentem, annotatione dignum, mihi communicavit. Virgo quædam ex honesta familia Basiliensi oriunda, ulcere in tibiâ dextrâ, longo temporis spatio laborabat. Ex hoc autem ulcere caro fungosa adeo copiosè erumpebat, ut Chirurgi aliquando illam pondere duarum librarum abscinderent. Quamvis autem funditùs abscissa esse videbatur, mox tamen cum impetu denuò proveniebat. Tandem tibia ex consilio Medicorum ad poplitem abscissa fuit. Post operationem abrasa carne, & osse denudato, foramen rotundum, ad medullam usque penetrans, in ipso repertum fuit. Operatio ad votum successit: sed quum cuncti ipsam evasisse sibi persuaderent, ecce fungosa caro, quæ denuò ex trunco ipso propullulat, easdemque ferè, ut antea, molestias patit: ad annos tamen circiter duos post operationem factam supervixit, & quidem utcunque commodè, adeò ut in publicum prodire, atque exercitiis sacris interesse posset. Ex his, quæ dixi, apparet, mirum non esse, si fungi oris, inprimis magni, incurabiles sint, quum neque radicitùs exscindi, neq; cauteriis exedi possint.

Atque hæc sunt, Vir Amplissime, quæ in præsens de fungis carnosis ad te scribere potui. Addam & aliquid de fungis osseis, quæ etiamsi omnium partium corporis sint durissima, & paucas venas, ac arterias, easque exiguas habeant, nihilominus tamen interdum ad instar fungorum excrescere, sequentibus exemplis confirmare tentabo.

Anno 1600. propè Lausannam ad nobilem virum, D. in Goumoins vocatus, & per dies aliquot, propter adversam valetudinem filiæ suæ ibi commoratus, interea temporis ad puellam quandam subditorum suorum 20. circiter annorum ætatis suæ, accersitus fui, eumque unà cum genere & virtute nobilissima Domina in Goumoins invisi. Laborabat autem puella ista, gravissimo in tibia sinistra affectu: pars enim illa subter genu adæquabat ferè crassitiem illam, quam crus in coxa habere debebat, quum tamen à genu usque ad coxam potius extenuatum esset crus, infinitis prætetea ulceribus putridis, malignis & dolorosis tibia hæc scatebat. Sed quod admiratione non vacat, in omnibus ulceribus os ipsum denudatum, spongiosum, cariosum, & nonnisi cute tectum cernebatur, adeò ut ulcera in ipsum penetrarent, & manifestè appareret, ossa tibiæ in istam crassitiem spongiosam excrevisse. Causa hujus excrescentiæ hæc fuerat. Laboraverat puella hæc ante aliquot annos morbo acuto, eoque gravissimo, ex quo naturæ potiùs, quàm medicamentorum beneficio (nullus enim adhibitus fuit Medicus Rationalis) ut videbatur, curata, de dolore gravativo in tibia conqueri cœpit, paulatimque natura sese in tibiam hancce exoneravit. Ab initio tamen actionem motumque ejus non aboleverat. Tandem verò cum in diversis locis ulcera sese prodidissent, lecto affixa fuit, nec ampliùs incedere potuit. Volebant autem parentes, ut tibiam amputarem, sed cùm maximam virium imbecillitatem, ac summam totius corporis extenuationem (tibia tamen hæc excepta) adesse animadverterem, ipsamq: in ipsa operatione interituram vererer, operationem hanc aggredi ausus minimè fui. itaque post paucos dies naturæ satisfecit.

Habeo in Musæo meo, ossa tibiæ, hominis mediocris staturæ, quæ apud nos in vetusto monumento reperta fuere: sunt illa duplo crassiora quàm naturaliter esse deberent, ita ut omninò appareat, illa præter naturæ ordinem excrevisse. Præterea materiâ quadam ossea, per laminas disposita, illis adhæret, non aliter ac tartarum doliis adhærere videmus, sunt tamen ossa hæc satis dura ac solida. Habeo & aliud os tibiæ, similiter duplo crassius, quàm naturaliter esse deberet, sed id spongiosum fungosumque est.

Ante aliquod tempus à nobili viro Dn. *Jacobo de Bruel*, os è pede bovis mihi communicatum fuit. Est id durum, nec ullo modo malè affectum, præterquam quòd à latere ejus ossis fungus osseus magnitudine ovi anatis excreverit. Fungus ille ad instar spongiæ porosus est, durus tamen, infinitisque hinc inde ductibus, in quos venulas ad ejus nutritionem insertas fuisse apparet, præditus.

Hæc Basileæ inter multas occupationes circa Serenissimum Principem ac Dominum, Dominum Janusium Radzivilium &c. graviter laborantem, raptim ad te scribo. Quapropter si Excell. T. exspectationi minùs plenè satisfeci, ut me excusatum habeat, & defectum occupationibus potiùs meis adscribere velit, etiam atque etiam rogo. Vale vir Amplissime, & me quod facis, ama. Basileæ 17. Junii, Anno 1610.

Fungus Scirrhosus, ex aure propullulans quomodo sanatus.

Clarissimo Dn. Petro de Spina

Guilhelmus Fabricius Hildanus

S. P. D.

Te Chirurgicis casibus, inprimis raris, Vir Amplissime, non solùm oblectari, verùm etiam non mediocriter in iisdem versatum esse, cùm ex variis nostris colloquiis, Anno supra millesimum quingentesimum nonagesimo quarto, primò Aquisgrani, deinde quoq; Heidelbergæ habitis, tum etiam ex literis, quas ante annos quatuordecim inter nos de rebus Chirurgicis, & præcipuè de vulneribus sclopetorum commutavimus; abundè mihi cognoscere licuit. Atque hæc est causa, cur ad continuandam inceptam nostram amicitiam, sequentem casum chirurgicum, & quidem non vulgarem, tecum communicare constitui; quem ut hilari fronte accipere, & impolito stylo ignoscere velis, obnixè rogo. Animus enim dolet, & tremulenta manu hæc ad te scribo. Ante paucos enim dies, duæ ex filiabus meis, peste (quæ hic & in vicinia gravissimè grassatur) obierunt, uxor mea charissima ex ea convaluit, sed filius meus major natu etiam nunc vehementer laborat.

Cæterùm, Vir amplissime, in auris meatu varii oriuntur affectus, & quidem gravissimi; omnium verò difficillimus est, si excrescentia aliqua carnis profundè ex auris meatu excreverit, summamque requirit diligentiam. Cùm enim pars sit exquisitissimo sensu prædita, neque carunculæ absque causticis & erodentibus medicamentis absumi possint, facillimè ex eorum usu dolores acerbissimi, aliaque graviora symptomata suboriri solent. Hanc ob causam, cùm præsentem casum publici juris facere constituissem, illum in artis chirurgicæ studiosorum gratiam, paulò prolixiùs & diligentiùs conscribere volui. Tu verò, Vir amplissime, ne prolixitatem ægrè feras, obsecro.

Circiter annum itaque 1594. genere & virtute vera nobilis puella, *Margarita* de *Martines*, Nobilissimi ac prudentissimi viri *Dn. J. Francisci* de *Martines*, Domini in *Bourgeou* & *Pally*, filia primogenita, ætatis annum octavum agens, variolis correpta fuit; ex quibus eò graviùs laborabat, quia pustulæ ad extremam cutem nihil ferè eruperunt. Porrò quia materia variolarum non satis ad partes externas expulsa, puella quinetiam à teneris annis scabie in capite, & circa emunctoria, parùm obnoxia fuerat, non diu post, nimirum Anno 1595. qui fuit annus 9. ætatis, dolore capitis, coque acutissimo correpta est. Dolor in meatu auris dextræ præcipuè acutus & pungens erat, ita ut tota illa pars faciei in tumorem elevaretur. Auri oleum Chamomelinum tepidum, doloris leniendi causâ, gossipio imponebant, faciemque eodem oleo inungebant. Post dies aliquot in ipso meatu auris ruptus est abscessus, ex quo primis quidem diebus materia subtilis & lotoræ carnis instar, deinde pus crassum spissumque extillabat. Dolor capitis & auris paulatim cessavit, tumefactio quinetiam faciei evanuit. Tribus elapsis mensibus, iterum materia subtilis extillare cœpit, & deinceps continuò extillavit; absque tamen dolore: quapropter nullum ex hoc malo sibi accidere posse incommodum, cuncti arbitrabantur. Circa annum verò 1600. quum auditum paulatim diminui viderent parentes, atque hac de re soliciti essent, meatumque auris inspexissent, in profundo ipsius excrescentiam quandam carnosam, & meatum planè obstruentem deprehenderunt. Interim tamen, etsi quotidie nonnihil materæ subtilis extillaret, quia tamen neque dolor, neque aliud quodpiam adesset symptoma, puella quinetiam ratione ætatis timida esset, & ab operationibus chirurgicis abhorreret, res de die in diem prolata fuit.

Anno verò 1604. quum excrescentiam illam carneam, ex meatu auris propullulantem, viderent parentes, attoniti ac perturbati fuerunt, protinusque Medicos, eosque doctissimos, inprimis verò Dn. *Martum Offredum*, & *D. Andream Benetum*, apud Genevenses Medicinæ Doctores longè celeberrimos, hac de re consuluerunt, illi quum affectum difficilem esse, & manum diligentem requiri cognovissent, ut ego vocarer, suaserunt. Vigesimo itaque tertio Decembris 1604. cùm in Perroy, ad lacum Lemanum, ad prædictum Dominum de *Bourgeou* pervenissem, & aurem inspexissem, excrescentiam in ipso meatu auditorio, magnitudinis castaneæ minoris inveni.

Caput externam cavitatem auris ejus, conchulam dictam, planè implebat. Non autem omninò rotundum, sed secundùm cavitatum figuram formatum erat: cujus pars amplior extremum, sive posteriorem ambitum auris: minùs verò ampla faciem respiciebat. Dura prætereà, inæqualis, lividaque erat extuberantia hæc. Reliqua pars hujus fungi, secundùm capacitatem meatua auditorii, tympanum versùs in apicem desinebat, habebatque planè formam fungi, nondum tamen, propter extuberantiam ex parte integet, sed tantummodò conspici potuit.

Superficie sive extuberantiâ hujus fungi, uti postea dicemus, ablatâ, quod reliquum erat, paulatim usque ad ipsius radicem, quæ prope tympanum erat, in conspectum veniebat: A forma itaque & duritie, excrescentiam hancce fungum scirrhosum appellare libuit.

Propullulabant prætereà circa ipsius radicem, alia duo parva germina, ex quibus procul dubio etiam fungi procreati fuissent, nisi angustia meatus auditorii obfuisset. Est tamen notandum, meatum huncce dextrum altero aliquomodo ampliorem apparuisse.

Videbatur enim dura ista excrescentia, interim dum accresceret puella, impedimento fuisse, quominùs proportionem suam observaret meatus iste.

Porrò quum ex colore livido & duritie, affectum huncce difficilem esse, & periculo minimè vacare, vidissem, denuò, ut prædicti Medici in consilium adhiberentur, author fui. Et quia Nobilis Dn. de *Bourgeou*, aliorum negotiorum causâ Genevam profecturus erat, voluit ut cum prædictis Medicis de affectu filiæ suæ pleniùs consulere possem. Convocatis itaque Medicis, & diligenter explorato & perquisito morbo, deliberatum fuit, ut curatio, propter maximum frigus, usque in proximum Ver protraheretur.

Vigesima itaque septima die mensis Martii 1505. cùm iterum in Perroy pervenissem, sequenti die hoc minorativum exhibui.

R. herbarum Agrimoniæ,
Betonicæ,
Veronicæ,
Scabiosæ,
Florum primulæ veris, ana M. ß.
Sem. Anisi,
Fœniculi ana ℥ij.
Liquiritiæ rasæ ℥ß.
Foliorum senæ mundat. ʒij.
Fiat decoctio in aqua, ut colatura cum forti expressione, redeat ad ℥iiij. In quibus dissolve.
Elect. diacarthami ʒiiij.
Syrupi rosati solutivi ℥j.
Misc. fiat potio.

Porrò quum nihil magis in hoc affectu verendum esset, quàm affluxus humorum, visum est, uti divulsione aliquâ insigni & continuâ; Minorativo itaque præscripto expurgato corpore, postridie cucurbitulas scapulis, cum flamma magna, & scarificatione, postero verò die, nimirum 30. mensis, setaceum vertici adhibui. Deinde pro corroboratione cerebri, & in eo humorum superfluorum desiccatione, sequens præscripsi & exhibui electuarium.

R. Conservæ florum rosmarini,
Salviæ,
Betonicæ,
Summitatum majoranæ ana ℥j.
Ligni sassaphras subtiliss. pulver. ℥ß.
Specierum Aromatici rosati, ʒij.
Cum syrupo conservationis corticum citri, fiat electuarium: de quo capiebat singulis diebus, tribus horis ante prandium, ad magnitudinem castaneæ. Sequens quoque pulvis quotidie semel capiti inspergebatur.

R. Corticum citri siccatum.
Radicum Iridis Florentinæ,
Radicum Cyperi an. ℈iiij.
Thuris,
Masticis,
Sandaracæ,
Succini,
Granorum kermes.
Rosarum rubearum an. ʒ. j.
Florum betonicæ M. ß.
Storacis calamitæ.
Spicæ nardi an. ʒj.

Fiat ex illis omnibus pulvis, inspergendus futuræ coronali, & quotidie renovandus, deterso pectine priore pulvere. Fungo verò bis in die linteum suave reduplicatum, & aquâ nostrâ ad ulcera maligna, (cujus descriptionem pete ex Obs. prima cent. primæ) imbutum, tepidè applicui: neque aliud quicquam usque ad mensem Majum cum fungo tentare volui: quò natura ante omnia ad ablegendas superfluitates cerebri, versùs setaceum sese assuefaceret. Interim tamen, uti & per totum tempus curationis, optimam victus ratione observabat.

His,

His, uti dixi, institutis, iterum me domum contuli, usque ad 13. Mensis Maji, tum denuò ad ipsam profectus, 14. sequentem exhibui potiunculam.

R. Rhabarbari electi ℈iiij.
Agarici trochiscati ʒj.
Ciusmomi ℈j.

Infundantur in aqua Cichorii & Betonicæ, per horas duodecim. In forti expessione dissolve syrupi rosati solutivi ℥j.

Elect. Diacatholici ʒij.
De Citro solut. ℈iiij.
Decocti laxitivi ℥ij.
M. fiat potio.

Postridie medianam dextram incidi, sanguinemque ad uncias septem extraxi. Decimo sexto, 17. & 18. sequens exhibui apozema.

R. Radicum oxalidis,
Cichorii,
Graminis,
Passolatum &
Liquiritiæ, aa. ʒvj.
Boraginis,
Scabiosæ,
Agrimoniæ,
Betonic.
Pimpinellæ,
Melissæ an. M j.
Capillorum omnium;
Attemisiæ an. M. ß.
Florum cordialium;
Genistæ,
Hordei integri an. p. j.
Corticum & seminis citri,
Oxalidis,
Melonum an. ʒj. ß.

Fiat decoctio ad ℔ j. in qua colata & clarificata, dissolve,

Syrupi de fumaria, &
De Cichorio simp. an. ℥j. ß.

Misce, fiat apozema pro tribus dosibus matutinis: aromatizetur ʒj. coriandri præparati.

Decima nona ad drachmas sex sequentis Electuarii, quatuor horis ante prandium exhibui.

R. Electuarii diacatholici,
Dialebesten, an. ʒj.
Elect. de Citro solutiv. &
Diapruni laxat. an. ʒvj.
Diacarthami, &
Tabellarum de Rhabarbaro, an. ℥ß.

Cum melle rosaro Laxativo q. s. fiat opiatum, de quo per totum tempus curationis, per intervalla ad drachmas sex vel septem, pro dosi sumebat; modò in forma boli, modò in forma potionis, cum decocto aliquo convenienti dissoluto. Singulis quoque septimanis cucurbitulas magnas scapulis semel applicui.

Omnibus istis, uti dixi, adhibitis, ad fungi extirpationem transeundum fuit: ea autem, quia aut abscissione, aut erodentibus & causticis medicamentis, vel ligatura fieri debebat, ante omnia nobis explorandum perpendendumque erat, quænam tutior & securior esset via atque methodus? Excisio adstantibus propter hæmorrhagiam suspecta erat, & ægra illam abhorrebat. Erodentibus quoque & causticis medicamentis massam illam fungi, qui externam partem auris adimplebat, absque periculo absumi minimè me posse sciebam. Inprimis verò, quia ex colore livido, duritie, & inæqualitate tumoris, malignitatem aliquam subesse apparebat, verebar, ne ex usu medicamentorum causticorum magis irritaretur malum, & humor ille acris, qui post applicationem causticorum ex ulceribus effluere solet, vicinas partes simul exulceraret. Malui itaque ligaturam instituere. Singulari enim, & ad hanc operationem perficiendam commodissimo à me excogitato instrumento quodam, fungum istum satis profundè in ipso meatu auditorio amplecti & ligare me posse, sperabam.

Instrumentum autem hoc ex lamina cuprea, aut argentea fabricatum esse debet, ita quidem, ut per se apertum sit, extremitates tamen digitis facilè comprimi ac claudi possint. Prædictæ extremitates quoque aliquomodo excavatæ esse debent, quo carunculam, quæ lubrica est, eò meliùs amplecti possint.

Vigesima itaque tertia Maji, electo loco splendido, ægram in sedem collocavi, & ita quidem, ut radii solares in auris meatum penetrare possent. Posteà caput, sive externam fungi exuberantiam, filo apprehendi. Hujus enim fili beneficio caput fungi suspensum tenebam. Interim funiculum cum semi nodo, intromisi, & cum Stylo quondam exploratorio, tam profundè, quantùm fieri potuit, intrusi.

Deinde ambas extremitates hujus funiculi, per foramina, instrumenti mox descripti, traxi.

Posteà instrumento tam altè, quantùm fieri potuit, in meatum auditorium, & quidem ad utrumque latus fungi intromisso, extremitatibus funiculi, ambobus indicibus apprehensis, & fortiter tractis atque constrictis, fungum arctissimè ligavi, in pedunculi sui parte circiter media. Interim autem dum filum simul & instrumentum, introducuntur, minister filo, exuberantiam fungi clementer leviterque in altum trahet: idque in eum finem, ut funiculus simul & instrumentum, eò faciliùs & profundiùs intromitti possit.

Factâ ligaturâ instrumentum clementer extraxi: filum verò suspensum reliqui. Deinde linteum reduplicatum, & sequenti liquore G. notatô, intuccatum; applicui:

R: Aquæ nostræ ad ulcera maligna ℥j.
Aquæ ranarum aquatilium
Plantaginis,
Rosarum an. ℥. ß.
Sem. Cydoniorum subtiliss. pulverisati ℈. ß.
Cornu cervi usti & ppt.
Tutiæ &
Plumbi usti an. ℈. ß.
Misce.

Monitum autem velim lectorem, funiculum in hujusmodi affectibus nullo modo, (ut in aliis quidem corporis excrescentiis aliquandò fieri solet) aquâ forti insuccandum, multò minùs Arsenico illiniendum esse, propter gravissima, quæ inde sequuntur symptomata; Funiculum tamen, ut fungum paulatim abscinderet, singulis diebus iterum immisso & adaptato instrumento, clementer contraxi, nodumque magis magisque constrinxi.

Cùm exuberantia fungi ita ligata esset, paulatim flaccescere cœpit, emanavitque ex illa humor putridus & fœtidus, is verò ne in meatum internum auris deflueret, quotidie ter, quaterve penicillis ex spongiis paratis, abstersi.

Deinde exuberantiæ undique spongias, in præscripto liquore madefactas iterumque fortiter expressas, supposui, idque in illum finem; ut humorem illum putridum fætidumque absorberent exciperentque; ita paulatim abscissa est exuberantia fungi; ita ut 27. ejusdem mensis absque dolore & hæmorrhagia excideret.

Sed quia fungum ad radicem ipsius, propter angustiam meatus auditorii ligare non poteram, quod reliquum erat, erodentibus, ut posteà dicam, absumere cogebar

cogebat: priùs tamen, nimirum 24. ad drachmas sex electuarii superiùs descripti, & B. notati, exhibui: quo optimè expurgata fuit ægra. Ad majorem quoque humorum exsiccationem sequens exhibui decoctum.

℞ Radicum sarsæparillæ ℥j.
Ligni sassaphras minutim dissecti ʒiij. Radicum chinæ in tenues orbiculos sectæ ʒj.

Macerentur horas viginti, in aquæ fontis tepidæ ℔ iij. & coquantur ad duarum partium consumptionem. De colatura moderatè calida ad ℥iiij. hora quinta matutina exhibui, interim dum utebar præscripto decocto, victum utcunque tenuem & exsiccantem observabat, à jusculis, & fructibus horariis, humidisque abstinebat, eorum verò loco uvis passulis, & amygdalis tostis utebatur. Pro potu ordinario sequens decoctum præscripsi.

R. Residuum prædicti decocti,
Passularum,
Liquiritiæ an ℥j. ß.
Aquæ fontis ℔ vj.

Macerentur per horas quindecim, deinde coquantur ad unius tertiæ partis consumptionem: paretur potio gustui grata, & aromatizetur pauco coriandro præparato.

Hoc decocto, & victûs ratione, per mensem integrum utebatur, interim quoque decima quaque die, corpus Electuario B. notato expurgavi, cucurbitulasque scapulis, uti dixi, per intervalla, cum levi scarificatione applicari jussi.

Ab initio dixi, extuberantiam fungi usque ad medium ejus pediculum, beneficio ligaturæ excidisse, nunc quibus remediis, quod reliquum erat, usque ad ipsius radicem, (illa autem prope tympanum erat) absumpserim, dicendum est. Statim itaque postquam extuberantia exciderat, iterum ægram ad radios solares in sedile collocavi: mox laminas parvas tenuissimasque, è cera fabricatas, & aliquantùm incurvatas, undique circumcirca carunculam imposui: idque in eum finem, ne medicamenta acria, quæ imponenda erant, meatum auditorium attingerent exulcerarentque, deinde penicillis ex spongiis paratis, abstersa humiditate, Escharotici nostri, ad magnitudinem capitis aciculæ imposui. Postea filamentis, & spongiis meatum implevi, & linteum reduplicatum, nec non liquore superiùs descripto, & C. notato, exteriùs aori superimposui. Medicamento quotidie bis, nimirum hora septima matutina, & quarta pomeridiana, (ad candelam enim hujusmodi operationes minimè sunt tentandæ) imposito, 28. ac 29. escharam induxi, illa verò ut abscederet, sequens medicamentum filamentis in ipso intinctis, applicui.

R. Mucilaginis sem. cydoniorum, extract. æqualibus partibus, aquæ Arnoglossæ majoris, & ranarum aquatilium ℥ij.
Cornu cervi usti & præparati,
Tutiæ pp.
Lapidis calaminatis ana ʒj.
Croci Martis,
Saturni calcinati ana ʒß.

Misce, fiatque medicam. ad instar collyrii utcunque liquidi. Signetur D. Medicamentum hoc, propter meam absentiam usque ad quartum Junii impositum fuit. Tum uti & sequenti die laminis cereis iterum investitâ carunculâ, denuò de prædicto escharotico bis in die applicui.

Sexta die ejusdem mensis, ad drachmas septem Electuarii superiùs præscripti, & B. notati, cum decocto Betonicæ, Agrimoniæ, Veronicæ, Rosmarini, Salviæ, & sem. Anisi, exhibui, quo & optimè expurgata fuit, nihilominus tamen medicamentum escharoticum ea die bis imposui. Septima, 8. & 9. ad casum escharæ collyrium D. notatum applicui. Decima eschara denuo exempta, laminâ que novâ impositâ, escharoticum ea die ter, undecimâ verò bis iteravi.

Duodecima die mensis, quia eschara satis magna apparebat, neque pinguia ut imponerentur, consultum mihi videbatur, separatoriò cultellô in cuspide ad instar hami incurvato ipsam excidi.

Excisa eschara, quia propter angustiam meatus auditorii, laminas cereas difficulter imponere mihi licuit, escharoticum applicare ausus non fui: globulum itaque lentis magnitudine, ex filamentis contortum, & sequenti pulvere immersum, carunculæ applicui: & spongiis suavi superiori medicamento D. notato, madefactis, iterumque expressis, ductum auditorium adimplevi. Spungiæ autem in purulentis auribus summopere conveniunt: materiam enim purulentam ex profundo attrahunt absorbentque, partemque affectam ab injuria aëris vindicant.

R. Pulveris præcipit. optimè rectificati ℈j.
Lapidis Bezoardici diligenter pulveris.
Saturni calcinati & abluti ana ℈. ß.

Misceantur, fiatque pulvis signetur. E.

Decima sexta, cùm beneficio speculi auris ad tympanum ferè usque inspexissem, & nonnihil de radice fungi superesse probè cognovissem, sequenti die iterum laminas cereas, eâ qua fieri potuit diligentiâ, infixi, & medicamentum escharoticum applicui. Verùm decima septima, quum domum proficisci coactus essem, sequentem pulverem præscripsi, & me absente imponere jussi.

R. Croci Martis optimè præparati,
Cornu cervi usti & præp.
Saturni calcinati & ablusi
Lapidis calaminaris præp. an. ℈.j.ß.

Misce, fiatque pulvis tenuissimus, qui filamentis Collyrio D. notato madefactis, usque ad tertium Julii impositus fuit. Quarta, quum ad nobilem ægram rediissem, & radicem fungi nondum penitus absumptam esse, imò & præter radicem duo parva germina, in prima figura E. notata, adesse cognovissem, iterum pulverem E. notatum, & spongias madefactas imposui.

Sexta Julii, speculi & radiorum solis beneficio, nonnihil puris in profundo meatus auditorii oculis sese offerebat, in quo motus, veluti diastole & systole arteriarum, conspici potuit. Absterso pure, quia radicem mali nondum omninò absumptam esse animadverti, iterum laminam ceream, cui ex una parte nonnihil medicamenti escharotici annexeram, ad radicem ipsam applicui, & spongias madefactas super imposui. Radicem præterea fungi cranio adhærentem, imò ex ipso cranio originem traxisse, bellè apparuit. Septima, de eodem medicamento escharotico ad magnitudinem capitis aciculæ bis applicui.

Octava, electuario superiùs descripto, & B. notato ægram expurgavi, post prandium, cùm radiorum solis & speculi auris beneficio meatum auditorium inspexissem, fungi vestigium nullum nobis apparuit: qua de re in posterum nihil, prætetquam pastillos Andronis, syrupo de rosis siccis dissolutos, imposui. Post dies tamen aliquot, quum in profundo auris, & illa quidem in parte, qua radix fungi fuerat, os denudatum invenissem, sequentem pulverem catagmaticum, melle rosaceo parumque spir. vini mixtum, per mensem ferè integrum, me absente imponere jussi.

R. pulv. florum Betonicæ
Rosatum an. ℈. ß.

Rad.

Rad. Iridis Flor.
Angelicæ
Cariophyllat.
Masticis an. ℈. j.
Benzoi.
Styracis calamitæ an. ℈. j. ß.
Misce.

Post mensem quum ad ipsam rediissem, nullam amplius ossis denudationem inveni: qua de re ut in posterum pro corroboratione & exsiccatione partis affectæ, linimentum ex pastillis Andronis, & syrupo de rosis siccis imponeretur, corpusque per intervalla expurgaretur, ac optima victus ratio observaretur, consului. Sic divino aspirante numine pristinæ sanitati restituta fuit, qua & ad hodiernum usque diem 24. Octobris, 1613. (quo hęc scripsi) feliciter utitur, & quidem in matrimonio non infelici, proles præterea aliquot progenuit: & auditum, qui anteà per annos aliquot deperditus fuerat, magna cum admiratione multorum recuperavit. Tam provida & diligens est natura, præcipuè si in juvenibus diligentia Medici intervenerit: Plura non adscribo, quandoquidem nobilissimum simul ac doctissimum virum, D. *Johannem De Martines*, ægræ nostræ fratrem (qui tibi, dum Heidelbergæ vixit, familiaris fuit) integram historiam, & successum curationis aliquando coram te narrasse, non dubito: quapropter ne prolixitate epistolæ metas transgrediar, sobsisto, *Deumq. Opt. Max.* suppliciter oro, ut te tuamque lectissimam uxorem & liberos, quam diutissimè conservare velit. Vale Vir amplissime, & æternùm vive, cum tuis, quos tecum ex corde saluto. Dabam Lausannæ Equestrium 24. Octob. Anno 1615.

Ex fungo cranii mors.

Cosmus Slotanus, Chirurgus præstantissimus Juvenem nobili familia natum, cui cranium fractum, portioque ejus quædam exempta fuit, unde fungus exortus, curandum habuit. Ille ab omni propemodum periculo levato ægro, & sedatis symptomatibus à curatione continuanda desistere coactus fuit, quod aulam Principis sui sequeretur. Barbitonsor cui erat demandata, contempto consilio & medicamentis *Slotani*, nullaque habita ratione loci affecti pulverem aluminis & vitrioli usti inspersit fungo. Inde exortis statim dolore vehementissimo, febre acutissima, delirio & inflammatione, paucis post diebus mors subsequuta est. *Hildanus in Observ. Chirurgicis.*

Legitima fungi curatio.

Anno 1601. 9. februar. Dom. Francisci Croserani Lustriacensis Patricii ac tribuni filius, Petrus nomine, 14. annos natus, vulnus ex casu lapidis, ex alto diruti (cujus pondo librarum duodecim cum unciis decem) in dextro bregmate cum insigni cranii fractione accepit. Ego ad curationem vocatus, puerum invenio sine loquela, visu, auditu, & ut breviter, dicam, semianimem. Vomitus aderat vehemens & continuus, & sanguinem ejiciebat, tum per os, nares, tum etiam per aures. Abrasis crinibus, dilatatoque vulnere, impressum cranium altius in substantiam cerebri & duram matrem disruptam, conspiciebamus. Exemptis eadem nocte cranii fragmentis, curationem aggredior, prout necessitas urgebat. Et quamvis gravissima essent symptomata, ita ut de recuperanda sanitate parum superesset spei, tandem nihilominus paulatim & ante vigesimum diem, morbi ex toto fere remiserunt. Pars quoque duræ matris ab impresso cranio disrupta, sensim naturę & medicamentorum beneficio frustratim excidit, ita ut sperabamus jam procul abesse à periculo. Sed elapso vigesimo die morbi, ecce novum malum, exortus enim est è vulnere fungus insignis qui intra viginti quatuor horas ita excrevit, ut magnitudine ovi gallinacei extra cranium emineret. quem divino favore infra scriptis medicamentis feliciter persanavi.

In principio, deinde alternis, ac tandem tertio quoq. die, sequens enema injeci.

℞. Radicum & foliorum altheę, malvarum, Parietariæ, mercurialis, florum Chamomill. Meliloti, florum & foliorum betonicæ ana m. ß. semin. fœnigræci, lini, anisi ana ℥ß.

Coquantur in aqua ad consumptionem tertiæ partis, in ℔. j. colaturæ dissolue benedictæ laxat. & hierę picræ compositæ an. ʒiij. Vitellum ovi, salis p. 1. Ol. chamomillæ ℥ ij. misce fiat enema Bis verò in die fomentationem sequentem vulneri applicui.

℞. Foliorum & florum betonicæ, salviæ, chamomill. meliloti, rosarum, summitatum majoranę, ros. marini ana m. j. sem. anisi & fęnigræci ana m j. sem. anisi & fænigræci ana ℥i. Incidantur & contundantur pro fotu. Harum herbarum q. s. indatur sacculo ejus magnitudinis ut mediam fere partem capitis cooperiat, qui filo intertextus, coqoatur in vini & aquæ communis partibus æqualibus, & applicetur calide, post fotum diligenter abstergendum est caput linteis calidis, deinde sequentem pulverem inspersi fungo atque toti vulneri.

℞. Radicum gariophillat. Angelicæ, calami aromatici an. ʒß. Rad. arist. rotund. iridis florent. ligni guajaci ana ʒ ij. florum salviæ. summitatum majoran. rosmarini ana p. 1. fiat omnium pulvis tenuissimus ʒ deinde sequens emplastrum applicui.

℞. Emplastri de betonica ℥ iiij. Gummi elemi dissolut. in oleo rosaceo ℥ i. pulver. rosarum, myrtillorum ana ʒj. masticis, calami aromatici ana ʒiß. cum s. q. ol. rosacei fiat emplastrum.

Hic fungus paulatim & intra quatuordecim dies subsidit. Officula quoque quæ cum aliis prima nocte extrahi non potuerant exierunt, ita ut intra hebdomadas decem plenissime convalesceret. *Fabric. Hildanus in observ. Chirurgi.*

Facis in observationibus tuis Chirurgicis mentionem fungorum, & læsis membranis cerebri, ex humoribus ad locum affectum affluentibus eos nasci doces. Quæ & aliorum Chirurgorum est sententia, ubi in mentem mihi hoc incidit dubium. An solùm membranis cerebri affectis generentur fungi? Faciunt quidem, ut vides, Medici solùm fungorum in vulneribus capitis mentionem · sed in aliis quoque partis fungos nasci posse, hæ duæ persuadere videntur historiæ, quæ superioribus annis, dùm hic VVitebergę Medicinę operam darem, acciderunt. Prior hæc est. Puer quidam annos natus circiter decem, ex saltu pedem sinistrum ad terram vehementius allisit, atque in planta è regione minimi digiti, læsit. Hinc tumor primò supra malleolum externum conspectus fuit; qui à Rustico quodam imperito (forsan luxationis alicujus reponendæ gratiâ, adhibito) postea deorsum pulsus fuit. Hinc tumor paulatim incrementum sumsit, ita ut totum pedem prehenderet cutimque insigniret distenderet, & pedes digitorum magno intervallo ob tumorem interjectum distarent. Cutis tamen colore sanæ parti planè fuit similis. Tentata, ut fieri solet, à variis varia, sed omnia frustra. Tandem ad Chirurgum perventum: qui cùm suppurationem ob insignem loci mollitiem

factam

tactam esse crederet, & dolores increscerent, aperuit locum. Parum sanguinis, puris verò nihil effluxit: mox verò prosiliuit quasi pinguedo quædam quæ vulnus claudebat. Sequentibus diebus spongiæ, nigro seroso sanguine plenæ copiosiùs erumpere cæperunt: & in planta pedis versus digitum minorem una nocte quasi *αὐτομάτως* incidit tanta, quæ dimidium thalerum æquaret. Aperta illa nihil tamen putridi decidit, & nihil mortuæ carnis separari potuit, sed fuit caro quasi spongia adusta, cruenta, sanguine turgens & stillans. Cæperunt & aliis in locis, ad latera, & supra talos fungi se efferre fœdo & horrendo aspectu, ut pars illa pedis magnitudinem capitis superaret. Tandem ad sectionem ventum, & præcisum est pedium usque ad os naviculare & calcis: quod abscissum est, caro fuit tota fungosa, partim putrida & corrupta, partim coagulata, densa & viscidæ pinguedini porosæ similis, pondere fere lb. iiij. Verùm sequentibus diebus spongiosa caro, iterum magna vi prorupit, & quantum interdiu auferebatur, tantum noctu iterum succrevit. Denique tumor magnus ad sinistrum inguen loco, quo glandulæ sunt, in femore exortus est, specie plane similis ei, qui in pedio ab initio conspiciebatur, qui & ipse postea, sua sponte ruptus est, ex quo magna spongiosæ carnis copia excrevit. Non ita multò post puer in vivis esse desiit.

Altera historia hæc est: Puer duodecim annorum, dentium dolore graviter vexatus est. Deventum tamen ad extractionem: extractus est unus ex dentibus superioribus. Oritur postea tuberculum in palato prope illum dentem, magnitudine nuclei pruni. Isthinc cùm esset molle, nec sponte aperiretur, pus subesse creditur: aperitur, sed nihil effluit, nisi aliquot sanguinis guttæ. Postea verò caro spongiosa, nigricans prorumpit; quæ usque adeo increvit, ut non solùm per os promineret, sed & per nares excresceret, puerque tandem mortem afferret. Parentes primam mali causam suspicantur hanc fuisse. Puer ictus fuit pilâ niveâ cui lapillus inclusus fuerat, ad interiorem oculi angulum. Eo loci post menses tres ortum fuit tuberculum, quod postea præsente illa carne spongiosa in fistulam quasi degeneraret. Hæc eo fine ad te vir Clariss. scribo, ut ex te audiam, quid tibi de generatione fungorum videatur. Faciunt quidem antiqui Chirurgi, Guido, Theodoricus, & alii mentionem excrescentiarum, nararum, seu napparum, ut appellant, quæ apostemata magna, carnosa & mollia, esse dicunt: fungorum tamen, quantùm quidem memini, mentionem faciunt tantùm in vulneribus capitis. Itaque ad me perscribas velim, an hi, quos in duabus historiis descripsi, veri fungi fuerint; si non pro fungis habes, ad quod genus tumoris pertineant. Si verò pro fungis agnoscis: qui fit, quod authores, saltem in capitis vulneribus de iis mentionem faciant? Verum itaque fungorum subjectum scire velim. Quid, si illud sit membrana in genere aut quodcumque corpus membranosum? Sed nihil definire volo: verùm tuum ea de re, & aliquid etiam de vera fungorum curatione (si quid præter illa, quæ in observationib. sunt, habes) expecto. *Idem ibidem.*

Fungus ex capitis vulnere pulveribus ex spica, Et schœnantho inspersis sanatus.

In consilium vocatus, vidi patientem vulneratum in syncipite, cujus vulnus ad cranium usque & duram menyngem pertingebat; cùm verò ægrum aliquot post dies à vulnere inflicto reviserem, observavi fungum avellanæ magnitudine. Consului ut inspergerent pulveres ex spica, & schœnantho, quorum usu, sequenti die attritus est, & brevi etiam propriis remediis vulnus sanatum. Quo remedio sæpius fungos sanavi, ac proinde tanquam arcanum vobis propono. *Domin. de Marchettis observ. Medico Chirurgic. Sylloge.*

Fungus Palati cum carie, scalpello & cauteriis feliciter extirpatus.

Multi magni morbi sæpius à nobis curarentur, si magis fiderent Medico, minusque meticulosi forent afflicti. Nobiliss. Dominus Coliin, Jurisconsultus, dum viveret apud Amstelodamenses meritissimus (cujus nomen propter raram & inauditam animositatem in admittendis & sufferendis remediis, licet durissimis, præter morem appono) ante aliquot annos me convenit, dicens sese aliquid incommodi in postica & laterali parte palati sentire; quo viso & bene explorato, hisce usus sum verbis, Noli Spectatiss. Domine hoc malum flocci facere, & multò minus unicuique revelare; verebar enim ne in manus incideret eorum, qui omnis generis remedia nil profutura illi præscriberent, imò periculum, quod erat præ foribus, interim augerent. Hisce auditis, rogavit me Dn. Patiens, qualis esset affectus, quomodo & quibus remediis morbo occurrere vellem? Respondi malum consistere in carie posticæ & lateralis partis ossis palati cum carnea excrescentia fungosa eandemque excrescentiam esse extirpandam, & ossis cariem inurendam. Patiens generosissimus hanc curam dia non distulit, ast verò quamprimum vocari jussit Allardum Cyprianum, Petrumque Adriani filium, Chirurgos dexterrimos; qui eandem à nobis propositam commendarunt curationem. Itaque confectis cauteriis loco affecto appropriatis, universalibus præmissis ut & dentibus aliquot molaribus qui nobis in ipsa operatione obstitissent, evulsis, aggrediebamur curam ut sequitur. Omnibus prospectis & ritè præparatis, monuimus patientem, ut digitum elevaret simul ac inustio suffocationis periculum afferret, & diutius non esset ferendo, Ipseque respirare vellet; nam experientiâ eramus edocti tantum fumum oriturum, quantus in renovandis soleis equinis excitatur: Hisce monitis frustum ligneum digiti crassitie inter utramque maxillam immisimus, ne in operatione os clauderet; posthac scalpello acuto, recurvato, & secundùm palatum accommodato, abstulit alter Chirur. totum tumorem, alter interim buccarum partem interiorem spatulâ admodum latâ muniebat, ne à cauteriis nimis læderentur, in quem finem etiam spleniis è linteo carpto confectis & aquâ frigidâ madefactis buccis prospiciebat. Ablato tumore cauteria candentia successivè fortiter unum post alterum adacta sunt, donec videretur sufficere: cùm interim patiens digitum attolleret, eduximus dicta cauteria candentia. Hisce peractis composuimus ægrum in lectum, non sine facetis verbis, quibus subsidens non alloquebatur. Interim præscripsimus hordeatum ad ardorem compescendum, ut & oris collutionem dolorem leniendi causâ. Sequenti die invenimus afflictum nemini magis esse dissimilem, quàm sibi ipsi, ita intumuerat ejus caput, propter inflammationem immanem, unde etiam à febre haud manserat immunis. Hæc omnia remediis inflammationi resistentibus oppugnantes, brevi inde cessaverunt & inflammatio & febris. Interim ad escharæ casum promovendum, decoctum malvæ, ficuum &c. usurpavimus, addendo sufficientem quantitatem mellis rosacei, quod pro re nata mutavimus. Post escharæ separationem omnibus rubicundis apparentibus, videbamus in portu

navigare.

navigatur. Paulò verò post exigua particula carnis fungosæ in conspectum sese dedit, quod nubis ansam dedit cogitandi malum non esse in totum eradicatum; Itaque novam inustionem commendavimus, quam æger neutiquam renuebat, dicens facere quod artis est. Proximo die instituimus novas inustiones cum simili ferè eventu, caput enim rursus vehementer intumuit, comite febricula, quæ iisdem profligavimus remediis, brevique post in totum convaluit patiens, qui postea per plures annos incolumis vixit. *Ruysch. observ. Anatomico Chirurgic. Centuria.*

Similis casus, dissimitis verò eventus ob Medicastrorum inscitiam.

Eodem ferè tempore quidam contra fungosum palati sui sarcoma, junctamque ei cariem, remedia quæsivit apud Pharmacopeos, & audaces medicastros, quorum cæca & stolida temeritate malum eò ducebatur, ut propemodum esset inexpugnabile. Tandem sciolorum istorum nugatoriis remediolis fatigatus me aliosque accersivit; Audito verò, sine inustione nil boni esse sperandum, recusavit nobis obedire, eo magis quòd non deessent, qui eum spe recuperandæ valetudinis inescabant, solis scilicet medicamentis loco affecto applicandis, quæ tamquam secretà nec ulli revelanda servabant. Post aliquod tempus me de novo consulu re consanguinei, dicentes ægrum inustionem admissurum: quid fit? Chirurgus, qui curationi præerat, inurere partem affectam volens, eum in finem cauteriulum, quo dentes cariosos inurere solemus, attulerat: Rogatus quid facere vellet, respondit, palati cariem inurere. Quum verò audivisset, qualibus cauteriis indigeret ad opus illud perficiendum, animus ferè illi defecit; & sic patiens defectu requisitorum remediorum miserrimè per aliquot hebdomadas adhuc vixit, donec vitam cum morte commutaret. *Idem ibidem.*

Fungus ex vulva excisus.

Fungum primùm indolentem vident Medici; Sed mox non sine alicujus doloris sensu. Qui eò plerumque fit gravior: quo plus æstu & à præassata bile; Cujus uberior affluxus, excitat in ipso non modò dolorem, pruritum, ac inflammationem, sed interdum utique livorem, & post illum, veram carcinomatis naturam. Uti evidenter demonstrant mammæ, lingua, labia, guttur, vulva; aliæve partes, vel raræ ac teretes; vel glandulis ita refertæ; ut facilè degenerent in fungos: proximum carcinomatis subjectum.

Ex cancro o oris fungo, sequitur præter ardoris, ac doloris sensum, frequens ac molestum illud sputum: quod Hipocrates in coacis prænotionibus, cap. 16. aph. 36. πτυαλισμὸν vocat cujus naturam ait... rit in eo consistere, quod præcedat pus, ex thora e ... erupium. Sed in uliginosa nostra Hollandia, terminat plerumque, ceu fidissima crisis, febres etiam vehementissimas. Utique variolas internas, & interdum contumacissimos, obstructi lienis, affectus. In quibus nonnumquam ejusmodi ptyalismus excurrit, ultra mensis curriculum.

Quòd si verò fungus aliquis vulvam occupet: irritat illam continenter, & effundit menstrua ipsius non minùs copiosè, ac si instaret verus partus: à quo tamen fixus hic tumor minimè quum expellatur; necesse est tandem confugere ad scalpellum & ejus ope radicitus evellere: quod nequiit exstirpare irritus ejusmodi partus.

Sed artis est talem sectionem vel audere, ritè perficere, in tam obscuris tenebris. In quibus tamen illam bis vidi, non minùs securè institutam; & fungum ejus loci à Bernardo Ollulario, Chirurgo dexterrimo: sine ullius partis offensa; non secus ex vulva excisum ac si subdio & in loco maximè obvio scalpellum suum direxisset.

Matrona pia ac verecunda, lacessita aliquandiu ab immodico menstruorum profluvio, incidit tamen in urgentem urinæ difficultatem: & ex illa, quasi in veri partus conamina, à quibus licèt nihil expelleretur solidi; dilatabatur tamen inde usque eo angustum vulvæ os: ut obstetrix in auxilium vocata, potuerit illic sentire fungum vulvæ tam firmiter basi sua, adnatum; ut nulla vi inde dimoveretur.

Qua propterea desperata, itum fuit ad Chirurgum jam nominatum qui (exploratâ convenienter tumoris naturâ) scalpellum suum nec timidè dimisit in sinum pudoris; nec infeliciter excidit fungum hunc uteri, æquantem magnitudine sua ovum gallinaceum: Mirabantur amici præsentes, hinc fiduciam ægræ, aliàs maximè verecundæ: illinc verò, non minùs audaciam secantis, agredientis tantâ animi præsentiâ, tam inauditum, ac insolens opus.

Cujus ope ubi exemisset fungosam hanc excrescentiam, cessabant illico dolores, menstrua inordinata; sed præcipue indefatigabiles illi conatus, quibus continenter stimulabatur uterus ad expellendum onus; plus æquo sibi molestum; quod tamen post anni curriculum sensit iterum illic increscere. Sed mutabatur brevi in pus; quo cum, frustulatim ibi excideret, liberavit ipsam à repetenda sectione, sed nequaquam à continuo fœtore, vehementibus angustiis, & frequentibus animi deliquiis. Quorum symptomatum ergo; necesse habuit deinceps integrum decennium, immundam hancce vulvæ illuviem, aliquoties abluere per insequentem clysterem.

℞. Herbarum plantaginis, boni Henrici, singulatum manipulum, Solani, pyrolæ, veronicæ singularum manipulum medium. Seminum lactucæ, cidoniorum, singulorum dragmas duas. Decoquantur ex aqua hordei, admiscendo novem ipsius uncias, succi sempervivi majoris unciam unam, mellis rosac. uncias duas, myrrhæ dragmam mediam, misce, fiat clyster uterinus. *Nicolaus Tulpius observ. Medico-Chir.*

Fungus cancrosus in interiori matricis colli parte.

Honesta quædam Vidua hic Hagæ habitans quadraginta circiter annos habens, temperamentique calidi, ac sicci, nec non atra (quam jam olim dixere) infestabile de tumore quodam extra corpus propendente mihi quæsta est, quem non parum incommodi sibi adferre, quoque velut stimulis assiduè se pungi dixit; fœtore insuper ingenti illum abundare; ac instantibus catameniis, extendi, multòque ampliorem fieri, asseruit.

Quamobrem non parum solicita meam imploravit opem. Ipse autem suasi, uti, præparato, prout deceret, corpore, quicquid hoc esset, tumoris (malignum namque perspexeram) Manuali Chirurgi opera tolli juberet. Cùm itaque (nec enim alium mali finem videbat) consentiret, rem cum fratre *Ioh. Stalpartio vander wiel*, nec non cum tunc quidem Chirurgo, nunc autem & Medico *Cornelio Solingio* communicavi.

Tumorem itaq; hunc exactè perspectum, fungum sive colli matricis excrescentiam cancrosam esse comperimus, anteriori quidem parte latiorem, posteriori verò angustiorem. Statuimus idcirco basin hujus excrescentiæ, si contingere daretur, valido cingere filo, ac quotidie paulò arctiùs vincire, ut siquidem fieri posset; tumor

à ſana parte ſepararetur. Rem itaque agreſſi dupli-ci fili circuitu anteriorem, craſſioremque excreſcentiæ cinximus partem; Chirurgus autem, quod utramque manum eodem tempore vagina non admitteret, digitis ſenſim eo uſque promovit filum, ut baſin attigiſſe crederet: tum verò ob viæ anguſtias præpediebatur vinculum contrahendi facultas. Id tamen ut perficeretur, nihil conſultius duximus, quàm ſi utramque fili extremitatem craſſiori firmiorique alligaremus ſpecillo, ut hoc contorſo, illud contraheretur, coarctaretque excreſcentiam; hoc autem ita ſucceſſit, ut illa intra quatuor, vel quinque dies alimento deſtituta prorſus decideret. *Stalpartius Vanderwiel in obſerv. Medico-Chirurgic.*

Caſum huic noſtro admodum ſimilem refert *G. Segerus miſcell. med. phyſ. Germ. dec.* 1. *an.* 2 *obſ.* 21. *fol.* 200. de honeſta & pia vidua, atque temperamento melancholico prædita, annorum circiter 47. cui excreſcentia fungoſa, fœtens, & ſphacelo poſtmodum correpta, uterique prolapſum mentiens propendebat è vagina, poſt cujus extirpationem ægra è vita deceſſit, cujus cadavere aperto ſphaceloſam illam ſubſtantiam nihil aliud fuiſſe compertum eſt, quàm excreſcentiam fungoſam ex uteri collo majori prope veſicæ orificium enatam, ac à menſium & corruptorum humorum affluxu procul dubio ampliatam, atque dilatatam. Ejuſmodi ferè excreſcentiæ mentionem faciunt dictæ *Ephemerides German. dec.* 2. *an.* 2. *obſ.* 186. *fol.* 413. *&c.*

De maligno fungo ſcribit. *N. Tulpius in obſ. Med.* qui è vagina exciſus gallinaceum æquaret magnitudine ovum; ex hoc autem proximè ſequenti anno eodem apparente loco temporis tractu malignum, fœtidumque ulcus natum, cui purgando, abluendoque mulieri aſſiduè ſyphone aquâ repleto opus fuerit, addit, cap. 34. agens de maxima uteri excreſcentia, quæ exciſa pugno magnitudine par eſſet; hanc autem craſſa, firmaque exteriùs cinctam membrana, at interiùs albeſcentem, ac glanduloſam fuiſſe ſcribit, at poſtea non rediiſſe.

Theod. Kerckringius obſ. anat. 53. de muliere quâdam memorat Coloniæ Agrippinæ habitante, cui in interno uteri ore carnoſa fuerit excreſcentia, quæ per totam ſeſe diffundens vaginam, atque extra corpus propendens multis uteri procidentia credita ſit.

Plura ejuſmodi habent *Victor Trincavellus lib.* 9. *cap.* 15. *Aretæus acut. lib.* 2. *cap.* 11. *Hieron. Fabr. ab Aquapendente oper. Chirurgic. cap.* 85. *&c.* Idem in Scholiô obſervationis mox allatæ.

De Fungis Microcoſmicis.

Juvenis XVII. annorum in ſiniſtro hypochondrio primùm, poſt circa genu illius lateris leves quoſdam ultra menſem incurrit dolores, quos, cùm negligeret, à tumore circa genu oborto claudicare incepit, donec dolor & tumor totum femur occuparet, & omnimodum pedis iſtius uſum auferret. Ad parentes ſuos Chemnicium delatus, & acerbiſſimis doloribus affectus, chirurgi noſtri Theophili Voigtii opem implorabat, qui, ut dolori occurreret urgenti, varia cataplaſmata, veſicatoria tandem, & potentiale cauterium femori applicuit. His nil juvantibus, ubi & ego vocor, ægrum à continuis doloribus tantùm non exanimatum invenio. E ſiniſtro hypochondrio materiam calidam & acrem ad genu defluere querebatur: tactu locum affectum exploranti humor ſupra genu fluctuans occurrit.

Præmiſſis igitur præmittendis, ſequenti die, ut aperiatur tumor, jubeo. Effluit cum impetu ad tres fere uncias materia ſeroſa crocei coloris, qua evacuata, & turunda molli vulnuſculo occluſo, ultra horam quieſcebat æger. Redit doloris acerbitas, materia tamen iſta evacuata remittit, & exhibitis anodynis patiens placidam tranſigit noctem. Dolore ſequenti die recrudeſcente turundam iterum removere jubeo, & ſerum loturam carnis referens, circa veſperam autem portiunculæ fungoſç ſero iſti junctæ evacuabantur, ex quo cauſſam illius doloris ſingularem, & vix curabilem affectum, cùm à fungis intra cavitates muſculorum latitantibus dependere videatur, enuncio. Nec fefellit prognoſticum; non tantùm enim ſingulis diebus notabiles fungos extrahebat Chirurgus, ſed & cùm poſt obitum femur illud & genu ipſi Cal. Maii 1673. diſſecaremus, muſculos omnes emaciatos, & ferè tendinoſos invenimus, intra eorundem autem cavitates varios fungos, tumoris & doloris autores: Conſumtum præterea in oſſe femoris conſpiciebamus perioſteum, nec oſſis ſuperficiei pepercerat humoris acrimonia, abſque tamen nigredinis aut putredinis alicujus notis: ubi caput ſeu pars femoris inferior cum tibia per γιγγλυμὸν articulatur, cartilago luxurians tumoris in genu cauſa deprehendebatur, quæ molam ſive patellam genu loco moverat, & extenſioni & ambulationi pedem fecerat ineptum. Infimum ventrem aperire erat animus, ſed parentes id piaculum reputabant, quo circa mali fontem rimari non licuit.

Occurrunt hîc quædam, quæ conſiderationem utique merentur. Materia è qua fungi generantur, aliquando è loco, in quo propullulant, aliquando è locis remotioribus ſcaturit, illaque haud rarò acris exiſtit & corroſiva, quod non ſolum dolor evincit, verùm etiam oſſium, ſolidiſſimarum corporis noſtri partium, abſumtio. Favet huic pronunciato etiam ſubſequens hiſtoriarum biga.

Fœmina quædam fungum in pollice pedis dextri geſtabat, qui à linimentis & emplaſtris à balneatore quodam illitis & applicatis irritatus, & ſenſibilia ſumebat incrementa, & dolores inferebat intolerabiles. Hic unciam pendens, unà cum pollicis anteriore articulo, amputatus, non ſolùm unguem, ſed & ipſum os in ſui ſubſtantiam converterat, immo in oſſe radices egiſſe, aut ex oſſe in mucorem reſoluto, aut tabeſcente, haut ſecus ac ex C. C. raſi ſanie (vid. Verolam. Sylv. Sylvar. cent. VI. n. 546. p. 864.) prognatus videbatur, eo, quod radix ilius cartilagineam præ ſe ferebat duritiem.

Idem mihi videre ante triennium fere contigit in quodam hujus loci pannifice, quem etiam fungus in pollice pedis dextri mirum affligebat in modum, qui unà cum pollicis articulo dextrè ablatus, eandem totius oſſis propalabat conſumptionem, ut adeo mirum non ſit, ſi ipſi fungorum ſubſtantiæ aliquando oſſicula impacta compareant. Infelicior erat pannifex illâ fœminâ, quòd facta articuli diminutione non tantùm non minuebantur dolores, ſed & è vulnere alii naſcebantur fungi: illius verò vulnus poſt duarum ſeptimanarum decurſum perfectè conſolidabatur. Cauſa fuit non alia, quàm quod materia fungorum in fœmina in loco affecto delitеſcebat; in viro in inguinis dextri glandulis, quas duras tumidaſque inſtar bubonum oſtendebat; perinde ac juvenis iſtius in parte abdominis interna. Referebat Chirurgus ſe in alio, cui in digito ſiniſtri pedis excreverat fungus, inguinis glandulas ſimiliter tumidas obſervaſſe, quo unà cum fungo pedis digito ablato vulnus quidem ad cicatricem perducebatur,

è ſup-

è suppuratis autem postmodum glandulis erupisse fungulos, mortis lentæ, acerbissimæ tamen, præcursores autoresque. Agyrtarum præterea, barbitonsorum & balneatorum gloriatio est, se curasse, aut curare posse, si fomenta non juvent aut emplastra è cauteriis, immo ipsa sectione illos, quos vocant *die Glied-Schwamme*, genuum tumores. Ego verò in his tumoribus semper cartilagineam excrescentiam adverti, qua & patellam loco movet, & pedum usum sufflaminat, & proinde illis, qui curari nequeunt, annumeravi. Quadriennium est, cùm in vicinia nasutulus quidam mulieri cauterio potentiali circa genu applicato consulere conaretur; sed non multùm aberat, quin inflammatione, tumore & doloribus excitatis gangræna superveniente in vitæ discrimen conjecisset aliàs miserrimam. Interim tumores genuum à flatibus & humoribus ortos curationem admittere neutiquam nego. *Christophor. Frider. Garmanni.*

FURFURES *Vid. Pilorum Vitia.*

FURUNCULUS.

De Furunculô vid. præcipuè sub titulô Tumor, Hic tantum de eô pauca ex Clariss. Ioh. Munnicks.

FUrunculus Latinis, δοθιὴν Græcis, Nostratibus *Een Bloet-kin*, est Tuberculum in acumen protuberans, cum inflammatione, duritie, rubore, ac summo dolore, ovum columbinum magnitudine non excedens. Similiter C. Celsus lib. 5. cap. 28. Furunculum definit, quod sit, tuberculum acutum cum inflammatione, & dolore, maximeque ubi jam in pus vertitur.

II. Species autem furunculi plures sunt: Aliud enim benignus est, ac mitis: Alius malignus, ac vehementiùs dolens. Idem observavit Paulus Æginæta „ lib. 4. cap. 23. sic inquiens: Furunculorum alius est „ clemens, alius maleficus: Clemens quidem cùm „ in sola cute coierit; Maleficus autem, curatuque „ difficilis, cùm altiùs radicibus actis in cutem erumpat.

III. Fit verò Furunculus è crasso, impuro, acido-acri, aliisve modis depravato sanguine, quem natura à reliquo puriore secernens, tanquam infensum & inutilem in corporis habitum criticè expellit.

IV. Signa quibus cognoscitur hic affectus sunt exigua inflammatio cum pustula, & vesicula sensim increscens, cum dolore, duritie, & rubore, cùm Statum attigerit, qui paucos intra dies absolvitur. Porrò tuberculum in acutum tendit, & colombini ovi magnitudinem non excedit. C. Celsus aliud signum adjungit, dicens: „ Qui ubi adapertus est, & exit, super „ apparet pars carnis in pus versa, pars corrupta „ subalbida, subrubra, quam ventriculum quidam tu„ runculi nominant.

V. Idem Celsus loco citato docet, in furunculo nullum esse periculum, etiamsi nulla Curatio adhibeatur. Maturescere enim per se, atque erumpere. Sed dolorem efficere, ut potior Medicina sit, quæ maturiùs liberet.

Dicendum ergo furunculum periculo vacare, nisi morbo grassante maligno in Anthracem degeneret. Sed quoniam Cacochymiæ soboles est furunculus, hinc fatò fit, quod solitarius erumpat, sed ferè multis corpus scateat, atque inquinetur.

VI. In curatione furunculi, quum humor hujusmodi tumorem efficiens crassus sit, impurus, acido-acris, & aliquando malignus, nunquam Repellentibus utendum est, sed ex sententia Galeni, & Pauli Æginetæ, furunculus coquendus apposito Pane masticato, & in Cataplasmatis formam redacto; vel Diachylo cum gallinaceo adipe; vel ex C. Celsi præscripto, Gummi Galbano.

VII. Igitur applicandum mox emplastrum diachylum cum gummi; vel quid simile facilè confici potest, ut Puris generatio promoveatur & acceleretur, v. gr.

℞. Picis navalis, liquidæ an. ℥ij. Gummi Sagapeni ℥iß. emplastri diachyli cum gummi ℥ß. M. F. S. A. emplastrum.

Vel ℞. Rad. lilior. alb. sec. ℥ij. cæparum sub cineribus assatar. ℥iß. fol. althææ, flor. camomillæ, meliloti an. Mj. Coctis in aqua pura, vel cerevisia tenui ad mollitiem, & In mortario contusis adde Farinę Secaliginis, mellis virginei an. ℥ij. unguenti Basiliconis ℥iß. vitellos duorum ovorum M. F. S. A. Cataplasma. Furunculo aperto, & expresso omni Pure, vix ulla ultra Curatio necessaria est. Equidem Puris eductio ut faciliùs fiat, imponendum porro emplastrum diachylum cum gummi, cum unguento basilicone, aut alio quodam mundificativo: postea emplastrum diachylum simplex, vel diapalma.

VIII. Sed malignus si sit furunculus, & ex venenata materia excitatus, malignitas illa, priusquam applicentur remedia, foras trahatur, admotâ cucurbitulâ cum multa flamma.

IX. Cæterùm ut præcaveatur ne sæpius ejusmodi tubercula infestent, præcipiunt multi ut nux moschata mas vestibus insuatur. Sed qua vi & proprietate amuletum hoc ab istis satellitibus immune corpus reddere queat, sagacioribus expendendum relinquo. *Joh. Munniks in Praxi Chirurgica.*

Finis Libri Sexti.

à sana parte separaretur. Rem itaque aggressi duplici fili circuitu anteriorem, crassioremque excrescentiæ cinximus partem; Chirurgus autem, quod utramque manum eodem tempore vagina non admitteret, digitis sensim eo usque promovit filum, ut basin attigisse crederet: tum verò ob viæ angustias præpediebatur vinculum contrahendi facultas. Id tamen ut perficeretur, nihil consultius duximus, quàm si utramque fili extremitatem crassiori firmiorique alligaremus specillo, ut hoc contorso, illud contraheretur, coarctaretque excrescentiam; hoc autem ita successit, ut illa intra quatuor, vel quinque dies alimento destituta protinus decideret. *Stalpartius Vanderwiel in observ. Medico-Chirurgic.*

Casum huic nostro admodum similem refert *G. Segerus miscell. med. phys. Germ. dec. 1. an. 2 obs. 21. fol. 200.* de honesta & pia vidua, atque temperamento melancholico prædita, annorum circiter 47. cui excrescentia fungosa, fœtens, & sphacelo postmodum correpta, uterique prolapsum mentiens propendebat è vagina, post cujus extirpationem ægra è vita diceffit, cujus cadavere aperto sphacelosam illam substantiam nihil aliud fuisse compertum est, quàm excrescentiam fungosam ex uteri collo majori prope vesicæ orificium enatam, ac à menstruum & corruptorum humorum affluxu procul dubio ampliatam, atque dilatatam. Ejusmodi ferè excrescentiæ mentionem faciunt dictæ *Ephemerides German. dec. 2. an. 2. obs. 186. fol. 413. &c.*

De maligno fungo scribit. *N. Tulpius in obs. Med.* qui è vagina excisus gallinaceum æquaret magnitudine ovum; ex hoc autem proximè sequenti anno eodem apparente loco temporis tractu malignum, fœtidumque ulcus natum, cui purgando, abluendoque mulieri assiduè syphone aquâ tepleto opus fuerit, addit, cap. 34. agens de maxima uteri excrescentia, quæ excisa pugno magnitudine par esset; hanc autem crassa, firmaque exteriùs cinctam membrana, at interiùs albescentem, ac glandulosam fuisse scribit, at postea non rediisse.

Theod. Kerckringius obs. anat. 53. de muliere quâdam memorat Coloniæ Agrippinæ habitante, cui in interno uteri ore carnosa fuerit excrescentia, quæ per totam sese diffundens vaginam, atque extra corpus propendens multis uteri procidentia credita sit.

Plura ejusmodi habent *Victor Trincavellius lib. 9. cap. 15. Aretæus acut. lib. 2. cap. 11. Hieron. Fabr. ab Aquapendente oper. Chirurgic. cap. 85. &c.* Idem in Scholiô observationis mox allatæ.

De Fungis Microcosmicis.

Juvenis XVII. annorum in sinistro hypochondrio primùm, post circa genu illius lateris leves quosdam ultra mensem incurrit dolores, quos, eùm negligeret, à tumore circa genu oborto claudicare incepit, donec dolor & tumor totum femur occuparet, & omnimodum pedis istius usum auferret. Ad parentes suos Chemmicium delatus, & acerbissimis doloribus affectus, chirurgi nostri Theophili Voigtii opem implorabat, qui, ut dolori occurreret urgenti, varia cataplasmata, vesicatoria tandem, & potentiale cauterium femori applicuit. His nil juvantibus, ubi & ego vocor, ægrum à continuis doloribus tantùm non exanimatum invenio. E sinistro hypochondrio materiam calidam & acrem ad genu defluere querebatur: tactu locum affectum exploranti humor supra genu fluctuans occurrit.

Præmissis igitur præmittendis, sequenti die, ut aperiatur tumor, jubeo. Effluit cum impetu ad tres fere uncias materia serosa croci coloris, qua evacuata, & turunda molli vulnusculo occluso, intra horam quiescebat æger. Redit doloris acerbitas, materia tamen ista evacuata remittit, & exhibitis anodynis patiens placidam transigit noctem. Dolore sequenti die recrudescente turundam iterum removere jubeo, & serum loturam carnis referens, circa vesperam autem portiunculæ fungosę sero isti junctæ evacuabantur, ex quo caussam illius doloris singularem, & vix curabilem affectum, cùm à fungis intra cavitates musculorum latitantibus dependere videatur, enuncio. Nec fefellit prognosticum; non tantùm enim singulis diebus notabiles fungos extrahebat Chirurgus, sed & cùm post obitum femur illud & genu ipsi Cal. Maii 1673. dissecaremus, musculos omnes emaciatos, & ferè tendinosos invenimus, intra eorundem autem cavitates varios fungos, tumoris & doloris autores: Consumtum præterea in osse femoris conspiciebamus periosteum, nec ossis superficiei pepercerat humoris acrimonia, absque tamen nigredinis aut putredinis alicujus notis: ubi caput seu pars femoris inferior cum tibia per γιγλυμὸν articulatur, cartilago luxurians tumoris in genu causa deprehendebatur, quæ molam sive patellam genu loco moverat, & extensioni & ambulationi pedem fecerat ineptum. Infimum ventrem aperire erat animus, sed parentes id piaculum reputabant, quo circa mali fontem rimari non licuit.

Occurrunt hîc quædam, quæ considerationem utique merentur. Materia è qua fungi generantur, aliquando è loco, in quo propullulant, aliquando è locis remotioribus scaturit, illaque haud raro acris existit & corrosiva, quod non solum dolor evincit, verùm etiam ossium, solidissimarum corporis nostri partium, absumtio. Favet huic pronunciato etiam subsequens historiarum biga.

Fœmina quædam fungum in pollice pedis dextri gestabat, qui à linimentis & emplastris à balneatore quodam illitis & applicatis irritatus, & sensibilia sumebat incrementa, & dolores inferebat intolerabiles. Hic unciam pendens, unà cum pollicis anteriore articulo, amputatus, non solùm unguem, sed & ipsum os in sui substantiam converterat, immo in ipse radices egisse, aut ex osse in mucorem resoluto, aut tabescente, haut secus ac ex C. C. rasi sanie (vid. Verolam. Sylv. Sylvar. cent. VI. n. 546. p. 864.) prognatus videbatur, eo, quod radix illius cartilaginosam præ se ferebat duritiem.

Idem mihi videre ante triennium fere contigit in quodam hujus loci pannifice, quem etiam fungus in pollice pedis dextri mirum affligebat in modum, qui unà cum pollicis articulo dextrè ablatus, eandem totius ossis propalabat consumptionem, ut adeo mirum non sit, si ipsi fungorum substantiæ aliquando ossicula impacta compareant. Infelicior erat pannifex illâ fœminâ, quòd factâ articuli diminutione non tantùm non minuebantur dolores, sed & è vulnere alii nascebantur fungi: illius verò vulnus post duarum septimanarum decursum perfectè consolidabatur. Causa fuit non alia, quàm quo materia fungorum in fœmina in loco affecto delitescebat; in viro in inguinis dextri glandulis, quas duras tumidasque instar bubonum ostendebat; perinde ac juvenis istius in parte abdominis interna. Referebat Chirurgus se in alio, cui in digito sinistri pedis excreverat fungus, inguinis glandulas similiter tumidas observasse, quo unà cum fungo pedis digito ablato vulnus quidem ad cicatricem perducebatur, è sup-

è suppuratis autem postmodum glandulis erupisse fungulos, mortis lentæ, acerbissimæ tamen, præcursores tumoresque. Agyrtarum præterea, barbitonsorum & balneatorum gloriatio est, se curasse, aut curare posse, si fomenta non juvent aut emplastra è cauteriis, immo ipsa sectione illos, quos vocant *die Glied-Schwamme*, genuum tumores. Ego verò in his tumoribus semper cartilagineam excrescentiam adverti, qua & patellam loco movet, & pedum usum sufflaminat, & proinde illis, qui curari nequeunt, annumeravi. Quadriennium est, cùm in vicinia nasutulus quidam mulieri cauterio potentiali circa genu applicato consulere conaretur; sed non multùm aberat, quin inflammatione, tumore & doloribus excitatis gangræna superveniente in vitæ discrimen conjecisset aliàs miserrimam. Interim tumores genuum à flatibus & humoribus ortos curationem admittere neutiquam nego. *Christophor. Frider. Garmanni.*

FURFURES Vid. *Pilorum Vitia.*

FVRVNCVLVS.

De Furunculò vid. præcipuè sub titulô Tumor, Hic tantum de eô pauca ex Clariß. Ioh. Munnicks.

FUrunculus Latinis, δοθιὴν Græcis, Nostratibus *Een Bloet-bin*, est Tuberculum in acumen protuberans, cum inflammatione, duritie, rubore, ac summo dolore, ovum columbinum magnitudine non excedens. Similiter C. Celsus lib. 5. cap. 28. Furunculum definit, quod sit, tuberculum acutum cum inflammatione, & dolore, maximeque ubi jam in pus vertitur.

II. Species autem furunculi plures sunt: Alius enim benignus est, ac mitis: Alius malignus, ac vehementiùs dolens. Idem observavit Paulus Ægineta „ lib. 4. cap. 23. sic inquiens: Furunculorum alius est „ clemens, alius maleficus: Clemens quidem cùm „ in sola cute coierit; Maleficus autem, curatuque „ difficilis, cùm altiùs radicibus actis in cutem erum„ pat.

III. Fit verò Furunculus è crasso, impuro, acidoacri, aliisve modis depravato sanguine, quem natura à reliquo puriore secernens, tanquam insensum & inutilem in corporis habitum extrinsecè expellit.

IV. Signa quibus cognoscitur hic affectus sunt exigua inflammatio cum pustula, & vesicula sensim increscens, cum dolore, duritie, & rubore, cùm Statum attigerit, qui paucos intra dies absolvitur. Porrò tuberculum in acutum tendit, & columbini ovi magnitudinem non excedit. C. Celsus aliud signum adjungit, dicens: „ Qui ubi adapertus est, & exit, super „ apparet pars carnis in pus versa, pars corrupta „ subalbida, subrubra, quam ventriculum quidam fu„ runculi nominant.

V. Idem Celsus loco citato docet, in furunculo nullum esse periculum, etiamsi nulla Curatio adhibeatur. Maturescere enim per se, atque erumpere. Sed dolorem efficere, ut potior Medicina sit, quæ maturiùs liberet.

Dicendum ergo furunculum periculo vacare, nisi morbo grassante maligno in Anthracem degeneret. Sed quoniam Cacochymiæ soboles est furunculus, hinc raro fit, quod solitarius erumpat, sed ferè multis corpus scateat, atque inquinetur.

VI. In curatione furunculi, quum humor hujusmodi tumorem efficiens crassus sit, impurus, acidoacris, & aliquando malignus, nunquam Repellentibus utendum est, sed ex sententia Galeni, & Pauli Æginetæ, furunculus coquendus apposito Pane masticato, & in Cataplasmatis formam redacto; vel Diachylo cum gallinaceo adipe; vel ex C. Celsi præscripto, Gummi Galbano.

VII. Igitur applicandum mox emplastrum diachylum cum gummi; vel quid simile facilè confici potest, ut Puris generatio promoveatur & acceleretur, v. gr.

℞. Picis navalis, liquidæ an. ʒij. Gummi Sagapeni ʒiß. emplastri diachyli cum gummi ʒß. M. F. S. A. emplastrum.

Vel ℞. Rad. lilior. alb. rec. ℥ij. cæparum sub cineribus assatar. ℥iß. fol. althææ, flor. camomillæ, meliloti an. Mj. Coctis in aqua pura, vel cerevisia tenui ad mollitiem, & in mortario contusis adde Farinæ Secaliginis, mellis virginei an. ℥ij. unguenti Basiliconis ℥iß. vitellos duorum ovorum M. F. S. A. Cataplasma. Furunculo aperto, & expresso omni Pure, vix ulla ultra Curatio necessaria est. Equidem Puris eductio ut faciliùs fiat, imponendum porro emplastrum diachylum cum gummi, cum unguento basilicone, aut alio quodam mundificativo: postea emplastrum diachylum simplex, vel diapalma.

VIII. Sed malignus si sit furunculus, & ex venenata materia excitatus, malignitas illa, priusquam applicentur remedia, foras trahatur, admotâ cucurbitulâ cum multa flamma.

IX. Cæterùm ut præcaveatur ne sæpius ejusmodi tubercula infestent, præcipiunt multi ut nux moschata mas vestibus insuatur. Sed qua vi & proprietate amuletum hoc ab istis satellitibus immune corpus reddere queat, sagacioribus expendendum relinquo. *Joh. Munniks in Praxi Chirurgica.*

Finis Libri Sexti.

JOH. JAC. MANGETI
BIBLIOTHECÆ CHIRURGICÆ
LIBER SEPTIMUS
De Affectibus & Operationibus Chirurgicis à Litera G incipientibus.



Allica Lues Vid. *Lues Venerea.*

GANGLIUM.

De eo videatur caput de Atheromate. Hic tantùm observationem adducemus de Ganglio Nemausi mense Novembri ann. 1682. morsu viperæ curato, quam benignè nobis communicavit Clarissimus D. Rivalier, qui illic per plures annos Medicam Artem cum magna celebritate exercuit, nunc verò Patria sua Religionis ergo exul, Lausannæ pro tempore commoratur.

Ganglium in sinistro carpo gerens Pharmacopola Nemausensis, Farie nomine, nullius non generis remedia, ad fastidium usq; per sex aut septem annos, importuno tumori adhibuerat. Fermenta, purgationes, thermas, emplastra, gummi, hydrargirum, omnia frustrà. Mactandas aliquando viperas incautè tractans, in pollice sinistræ manus commorsus est: sed ita leviter ut nullo affectus dolore, oculatorum testium fidem vix sequutus, ictum se fuisse crediderit. Sed cùm inceptum opus intentiori animo prosequeretur, nocentissimum, tamen pollicis & brachii, innotescens venenum, serò satis sibi consulendum esse docuit. Jam interiora pervadens, humoribus pestifero fermento coinquinatis, vitales partes adoriebatur, spiritibusque, præ animi terrore, aut ob humorum depravationem, in confusionem actis, apertum mortis periculum impendebat. Permultis igitur Medicis certatim Pharmacopolæ saluti studentibus, multaque promiscuè antidota propinantibus, ipse unam aut alteram viperam super craticula tostam devorabat, inciso sæpius vulnerato pollice, haustisque cardiacis, imprimis verò sale viperarum volatili; ganglio penitus evanescente, terribili periculo perfungebatur.

GANGRÆNA.

De Gangrenâ & Sphacelò, sic accuratissimè scribit Gulielmus Fabricius Hildanus Tractatu singulari.

Cap. 1. *Quid Gangræna & Sphacelus?*

Bene Cicero, *Omni* inquit, *quæ à ratione suscipiuntur de aliqua re institutio, debet à definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputatur.* Omissa autem definitione fluctuat tractatio. Est autem definitionum genus duplex unum quo rei, nomen declaratur, & nonnihil illustratur: velut cùm Etymi ratio adfertur: alterum, quo pleniùs rei natura & essentia absolvitur. Illam Nominis, hanc rei definitionem vocant Dialectici. De Gangræna agenti nominis erit definitio illa latior Etymologica: Gangræna est morbus carnem exedens: siquidem Græca vos γάγγραινα deducta est à verbo γράω, sive ut *Hesychius* γραίνω, hoc est, exedere sive rodere. At essentiales Gangrænæ definitiones plures sunt, apud idoneos scriptores Medicos utriusque ævi: quarum tamen nonnullę descriptiones potiùs, quàm definitiones. Medicarum definitionum Auctor ait: Gangrænam esse mutationem coloris naturalis, in colorem præter naturam, & mortificationem, sive adsit exulceratio, sive absit. *Galenus* sic videtur definire, initium mortificationis in parte ęgra, quę paulatim sic invadit & occupat partes vicinas, & adjacentes, ut nisi adferatur remedium, perfecta subsequatur mortificatio. Idem *Galenus* dicit Gangrænam esse dispositionem mediam inter summas inflammationes, & Sphacelum, eumque inflammationibus tantò deteriorem, quò mitior est Gangræna Sphacelo. Idem *Galenus* de Gangrænis, quę inflammationibus accidunt, ait: tum credi membrum Gangrænâ affectum, cùm propter summam inflammationem tendit ad mortificationem, nec tamen planè mortuum est, & sensu expers. Alibi dicit, locum censeri Gangrænâ affectum, cùm propter summam inflammationem incipit mutari color, & perire sensus, tenditque ad mortificationem. Omnes omnium definitiones, aut descriptiones adferre, infinitum fuerit: superiores satis sint, ceu ex quibus etiam reliquę omnes derivatę, ac penè transcriptę videntur. Nos quidem ut eam Gangrænę definitionem colligamus, quę & brevis & accommodata sit omni Gangrænę, ex quacumq; causa ortę, statuimus *Gangrænam esse principium mortificationis, eamque ut plurimum magnas inflammationes sequi, atque corrumpere partes molles corporis humani, veluti cutem, musculos, venas, arterias, nervos.* Vel Gangrænam esse incipientem & imperfectam suprà dictarum partium mortificationem.

Similiter & Sphaceli nobis tradenda est definitio, quandoquidē de eo simul acturi; cùm haud dissimilis sit affectio, imò in eam superior sæpius degeneret. Sphacelus igitur sive Sphacelismus & Syderatio Latinis, est plena, perfecta & absoluta mortificatio, non solùm suprà dictarum partium, simul & ossium (uti sæpius usurpantur apud *Hippocratem*) verùm & cæterarum omnium plus minusve solidarum. Itaq; in Sphacelo cutis, caro, venę, arterię, nervi, tendines, & ipsa ossa putrefacta sunt, ac magis magisque putrescunt: quemadmodum *Galenus* & experientia ipsa testatur, Et in summa, membrum Sphacelo affectum planè mortuum & frigidissimum est. Ideoq; Gangræna & Sphacelus à Clarissimo Viro Dn. Jacobo Auberto Vindone, olim Amico meo familiarissimo, quem honoris & amicitiæ causâ hac nomino, non immeritò inter tumores frigidos numerantur.

Cap. 2. *Differentia inter Gangrænam & Sphacelum.*

Porrò quamvis ex superiori definitione Gangrænæ & Sphaceli differentia satis manifesta sit: attamen quia nonnulli, & precipuè hi, qui nondum satis sunt versati in cognitione morbi, & praxi, vocabula hęc adeò confundant, ut ne ipsi quidem sese extricare possint: atq; nunc Sphacelum Gangrænam, nunc Gangrænam Sphacelum, Nonnulli quoq; indifferenter, & sine distinctione tum Gangrenam, tum etiam Sphacelum, aut Gangrænam, aut Sphacelum vocitent, atq; hoc modo non solùm nomina, verùm etiam (in perniciem damnumq; maximum ęgrorum, & sui ipsorum ignominiam) curationem ipsam confundant, visum est, distinctionem horum affectuum paulò prolixiùs declarare, atq; ob oculos ponere.

Licèt autem tum Gangræna, tum Spacelus non ex diversis, sed ex iisdem causis originem trahant, nihilominus tamen non exiguam inter se differentiam habent, & requirit uterq; propria sua remedia, atque curandi methodum. Primò dum membrum aliquod emoritur, nec tamen planè est mortuum, sed sensu aliquo adhuc preditum, affectus ille à Galeno aliisq; Medicis Gangræna appellatur. At quia pars affecta in Gangræna, ut plurimum maximo ardore, inflammatione, dolore, tumore, reliquisq; signis, calorem ac æstum maximum significantibus afficitur, & inflammatio atq; inflatio hæc instar ignis adjacentes partes invadit, rectè Gangrænam Germanico idiomate, *Heissen Brand* appellare possumus. Quamprimùm verò inflammatio atq; incendium hoc innatum ac ipsum calorem humidumq; radicale absumpserit, ita quidem ut membrum planè sit emortuum, tum ab Hippocrate, Galeno, aliisq; Medicis Sphaceli nomē sortitur. Nos verò, quia in Sphacelo membrum in grescit, ac frigidissimum est, nihilominus tamen (propter putredinem) proximas adjacentes partes invadit, erodit, atq; devastat, Sphacelum cum quibusdam Medicis celebribus, Germanicè (*Kalten Brand*) nuncupamus.

Gangræna

Gangræna ut plurimum est in superficie, atque (ut superiori cap. declaravimus) cutem, musculos, aliasque partes molles afficit. In Sphacelo verò non tantùm hæ partes molles, verùm etiam ossa ipsa afficiuntur. In Gangræna cutis rubet propter inflammationem maximam, in Sphacelo verò fit primò pallida, deinde livida, & mox nigra. In Gangræna nullus adest fœtor, in Sphacelo verò putrescit membrum & pestiferum emittit fœtorem. Interim dum Scalpello adhibito æger sensum exquisitum habet, Gangræna, dum verò nullus ampliùs adest sensus, Sphacelus, appellari debet. Membrum enim planè emortuum est: cautus tamen hac in re ut sit Chirurgus, necesse est: frequenter enim ægri existimant, sensu nondum expers esse membrum, digitos quoque & pedem ut plurimum movent, usque dum tibia ad genu ferè planè sit emortua. Sensus autem ille non verus est, sed fit per imaginationem præcedentis doloris, & Sympathiam partis vivæ cum illa, quæ jam emortua est. Digiti quoque & pes moventur, quamvis membrum omninò sit mortuum propterea quod, dum nervi, & musculi fœmoris, & circa genu moventur, nervos digitorum & pedis quoque movent, & ad se trahunt. Sextò & ultimò differunt Gangræna & Sphacelus curatione. In Gangræna enim totum negotium in hoc consistit, ut præcaveamus, ne putredo aliqua membrum invadat, occupetque, aut si jam adfuerit, ulteriùs non progrediatur. In Sphacelo verò superfluum est in hoc impendere laborem, quandoquidem pars illa, quæ emortua est, reviviscere non potest, ideoque ut protinus auferatur, sive id novaculâ & serrâ, sive cauterio actuali aut potentiali fiat, necesse est.

Cap. 3. *Gangrenæ & Sphaceli causæ Universales.*

Gangrænam & Sphacelum definivimus mortificatione, hanc quidem perfectâ, illam autem imperfectâ. Cum autem mortificatio sit vitæ extinctio, ac proinde calidi innati destructio, ut pote in quo vita verissimè consistat, videndum quot modis, & quibus ex causis contingat innati calidi extinctio & deperditio. Nam eædem causæ, si corripiant membrum, aut partem corporis, prout plus minusque sunt efficaces, parti illi vel Sphacelum vel Gangrænam inducunt, ac plerumque ut augentur, Gangrænam quidem priùs, deinde verò Sphacelum.

Non potest autem calidum innatum existere sine humido suo radicali, & Spiritib. suis in omnibus corporis partibus; Adeò ut graviter læso humido radicali, innati calidi fomite & alumno, læsis item Spiritibus, in quibus tanquam in subjecto insidet, ipsum quoque lædatur innatum calidum. Humidum autem radicale resolvitur, dissipatur & absumitur cibo quotidiano non satis reparatum, & restauratum: vel si occurrat illi alienus calor vehemens & diuturnus; Aut etiamsi concrescat, & veluti figatur, coganturque acutissimo frigore. Sic etiam Spiritus, qui partibus affixi, ipsum cum humorem radicalem, tum innatum calidum comitantur, possunt vel dissipari, vel suffocari, vel infici. Dissipantur negatâ refrigeratione & recreatione, per influentes Spiritus, qui à partibus primariis continenter communicantur, ac distribuuntur reliquo corpori per nervos, venas & arterias. Suffocantur abundante humore, siquidem innatum calidum assiduæ ventilationis egens, non potest integrè conservari. Inficiuntur deniq; à materia prorsus maligna, venenata & corrupta. Hinc quæcunque causæ possunt exsiccare, aut cogere humorem radicalem, quæcunq; item dissipant, suffocant, aut inficiunt ipsos Spiritus, humoris radicalis comites individuos, eædem sunt intercipiendi ac destruendi innati calidi causæ, ac proinde mortis. Et verò interitus omnis, sive naturalis, sive violentus ad aliquam ex his causis revocatur. Nam verbi gratiâ, qui leota, aut violenta febri, aut igni, aut fame, aut senio intereunt, illi, hercle, moriuntur ex dissipatione & absumtione humoris radicalis, quæ in his subitò & repentè, in illis fit lentiùs. Sic & qui rigidissimo algore pereunt, dici possunt interire propter congelatum, coagulatumve humorem radicalem. Qui ex ingenti aliquo vulnere, cum insigni hæmorrhagia vel secùs pereunt, illi procul dubio extinguuntur propter magnam dissipationem simul & semel factam. Qui strangulantur, aut submerguntur, vel qui ex hydrope, aut ingenti insignique contusione pereunt, eos verè dicimus mori propter suffocatos eosdem spiritus. Postremò, qui ictu morsuve venenato, aut toxico sumpto pereunt, in his maligna spirituum infectio mortem creat. Quod si totum corpus hoc modo interit, innato calido sic affecto, uti suprà diximus, sive penuriâ humoris radicalis, sive etiam inopiâ spirituum eum comitantium, haud dubiè quædam illius partes possunt pariter mortificari, ubi similes defectus innato calido accidunt. Tum enim necesse est illarum crasin & harmoniam dissolvi, sive subitò, sive sensim. His ita constitutis, dicimus membra sive partes corporis mortificari, seu potiùs extingui posse, ab aliquâ ex his tribus causis. Primò quidem ex vehementi alteratione qualitatis manifestæ, qualis est intemperies calida, frigida, humida & sicca. Deinde ex qualitate occulta, hoc est, materiâ malignâ & virulentâ, sive corpori ingenitâ, sive extrin ecus contractâ. Omninò enim hujusmodi materia totâ suâ substantiâ corrumpit innatum calidum, & spiritus interficit. Tertiò deniq; cùm partes corporis pariter afficiuntur, ex spirituum maximèque vitalium suffocatione, aut interceptione. Atq; hæ causæ dum exstinguunt innatum partibus illis calidum, prout sunt magis minusve violentæ, efficiunt in eis primò Gangrænam: deinde si eis non satis rectè occurratur, aut occurri non possit, Sphacelum. Hæ in universum sunt causæ Gangrænæ & Sphaceli; Clarioris tamen doctrinæ gratiâ tres hasce causas tribus subsequentibus capitibus ordine, & paulò prolixiùs declarabimus.

Cap. 4. *Prima particularis causa Gangrenæ, alteratio videlicet vehemens ex qualitate manifesta, puta intemperie calida, frigida, humida, & sicca.*

Siquidem res omnes, auctore *Galeno*, conservantur proprio calido temperato & naturali, contrà externo & præter naturam corrumpuntur, utique pars aliqua diuturnâ inflammatione affecta, per affluxum aut congestionem humoris sanguinei, aut biliosi, desinit tandem in Gangrænam, aut etiam Sphacelum. Nimirum quia humor radicalis à calido extraneo, & præter naturam exsiccatur & absumitur, unde & ipsius tandem innati calidi exstinctio. Usu venit id quoties phlegmoni temerè adhibentur frigida, & adstringentia, aut etiam emplastica, à quibus spiritus influentes, ipsumque nutrimentum primò arcentur & repelluntur, ut *Fernelius* & *alii* docent, à parte affectâ: ipsisque adeò poris eorundem medicamentorum usu constrictis, humores excrementitii pani impinguntur magis, ac veluti inculcantur; Atque ita obruitur præfocaturque quantulumcunque inest innati calidi. Ideoque non immeritò hac de re nos monet divinus *Hippocrates*, inquiens: *Erysipelas, & aliud quodcunque corporis malum, ab exterioribus & ignobilioribus partibus, verti ad interiora, ut ad partes principes & nobiliores non est bonum, quin vitæ* periculum

periculum adfert. Nam quicquid est illorum, humorum à quibus *Eryſipelas* naſcitur, ad partes principes, ut cor, jecur, cerebrum propellitur & protruditur. Ab interioribus autem ad extoriota converti *Eryſipelas*, & aliud quodvis malum interius effuſum, bonum eſt: evocatur enim ad ſuperficiem cutis ſuperfluus & malignus humor. Adſtipulatur & *Avicenna*, cùm ait: malignos interdum oriri dolores ex repercutientium uſu, ipſumque humorem ſæpius intrò pelli, unde pars affecta livida & nigricans evadat, denique computreſcat. Quidquid enim tranſpiratione minimè ventilatur, putreſcit facilè, teſte *Galeno*. Cùm enim phlegmonis antecedens & continens cauſa ſit ſanguis calidus & humidus, quantitate aut qualitate peccans, hic alio quovis humore citiùs putreſcit & corrumpitur; Si repercutientibus, aut Emplaſtricis intrò pellitur, aut alioqui retinetur in ima parte affecta: hac ex cauſa inflammationi plerumque Gangræna ſuccedit. Hîc nonnullorum Chirurgorum ignorantia, (qui in magnis inflammationibus frigida ſua, & emplaſtrica cataplaſmata, ex farina hordei, bolo Armeno, albumine ovorum, aceto, & ſimilibus frigidis, frigidè applicant, meritò eſt notanda. His enim calidum innatum non ſolùm debilitant & imminuunt, verùm etiam ut plurimum extinguunt ſuffocantque: ita ut Gangræna & Sphacelus neceſſariò ſequantur.

Altera cauſa, cur ex uſu frigidorum medicamentorum in magnis inflammationibus Gangræna ſæpiſſimè conſequi ſoleat, eſt, quòd humidum radicale gelatum, & ineptum ad caloris pabulum factum ſit: quemadmodum oleum & pinguedinem frigoris vehementiâ condenſari videmus, ut poſteà fuſiùs declarabimus. Ut autem in inflammationibus adſtringentia & emplaſtrica periculoſa, ſic & præter modum calida, pinguia item & oleoſa. Olei enim & ſimilium pinguium uſus nuſquam inflammationi, teſte *Galeno*, convenit. Arteriâ vulneratâ, cutis ſuperjecta coaleſcit, Et arteria propter continuum motum, & duplicem ac duriuſculam, quâ prædita eſt, tunicam ſeriùs agglutinatur, & coaleſcit, ita extravenatur ſanguis, & fit tumor Medicis Aneuryſma dictus. Tum ſanguis ille extravenatus corrumpitur, auctoque calore putreſcit, unde ſæpius Gangræna & Sphacelus Id accidit, quoties improvidè Chirurgus tundens brachii Baſilicam, non eam modò, ſed & arteriam illi ſubjectam pertundit. In ſectione itaque hujus venæ uti quoque medianæ, adhibenda eſt diligentia: Baſilicæ enim arteria, uti diximus, medianæ verò tendo muſculi Bicipitis ſubjacet. Quare periculoſa autem harum partium ſit punctio phlebotomiâ factâ, ex ſequentibus apparet exemplis. Anno 1587. Genevenſi cuidam à barbitonſore inciſâ baſilicâ, arteria ſimul pertuſa fuit. Non diu poſt inflatum, dolore item & inflammatione correptum eſt brachium, Advocato *Johanne Antonio Saraceno* Medico celeberrimo, ac *Joh. Griffonio* Chirurgo longè ingenioſiſſimo, inventum eſt Aneuryſma quod in Gangrænam degeneravit. Renuente verò ægro amputationem brachii, intra paucos dies naturæ ſatisfecit.

Ante annos aliquot Coloniæ in ædibus *Remundi Ringuls* pharmacopolę vigilantiſſimi, puellæ cujuſdam ex domeſticis à juvene barbitonſore, inciſâ medianâ, ſubjecta cauda muſculi bicipitis ſimul puncta fuit. Hinc ſtatim exortus eſt dolor vehemens, totius brachii inflammatio, & convulſionis periculum. Ego cum Clariſſimo & Doctiſſimo Viro *Dn. Henrico Bottero* Illuſtriſs. Juliacenſis, & Montenſ. Ducis, nec non Illuſtr. Haſſię Landgravii Doctore Medico ordinario atque Celeberrimo, vocatus, illam purgavimus, brachium Anodynis inunximus, & cataplaſmata ejuſdem intentionis applicavimus, venam in malleo incidimus, ita, ut tandem Dei beneficio convaluerit. Hæc ea de cauſa recenſere volui, ut Chirurgus in ſectione venarum cautus ſit & prudens, ut rectè monuit *Celſus*.

In Articulorum & nervoſarum partium vulneribus, & ſi Chirurgus propter imperitiam, aut negligentiam, vulneris ſimul & corporis rationem non ſatis diligentem habuerit, oriuntur dolores maximi, ſequiturque inflammatio, inprimis ſi plenitudo ad vaſa, aut ad vires adfuerit, Tandem quoque humor acris, ſubtilis, & indigeſtus, quem *Celſus* hydropem & meliceriam, noſtrates verò Chirurgi ineptiſſimo vocabulo *Gliedwaſſer* hoc eſt, aquam articulorum appellant, & eſſe arbitrantur, ſed falsò, quemadmodum in tractatu noſtro peculiari, de hoc affectu ſcripto fuſiùs declaravimus. Effluit autem humor iſte aliquando tam copioſè, uti *Langius* teſtatur, ut pars ita affecta emoriatur, & Sphacelo corripiatur. Inſignes contuſiones quales ex ſclopetorum vulneribus, & aliæ undecunque factæ partium carnoſarum, inprimis, ſi oſſa ſimul fracta fuerint, non tardò deſinunt in Gangrænam & Sphacelum; præſertim verò ſi longo tempore adſtringentibus curentur, uti fit ab imperitis. Cùm enim impeditur digeſtio, quæ fieri debet medicamentis calidis & humidis, caro contuſa, & ſanguis coagulatus facilè corrumpuntur, tandemque putreſcentes ipſum innatum calidum extinguunt.

Accidit etiam Gangræna infantium pudendis, ſive obſtetrices, dum ex utero prodeunt, eorum lumbos duriùs attrectaverint, ſive in ipſo partu nimium compreſſi fuerint. Pudenda enim, ceu mollia & ſpongioſa, facilè ſuſcipiunt ſanguinem contuſum ac liveſcentem, qui inibi corrumpitur, unde dolor & inflammatio, quæ demùm ſuffocat innatum calidum, id quod non ita pridem mihi apud diverſos infantulos videre contigit.

Enormes uſtiones interdum excipit Gangræna, vel etiam Sphacelus, quemadmodum accidiſſe comperi honeſtiſſimæ matronæ apud noſtrates Hildanos. Illa enim tempore hyemali, quodam die propter domeſtica negocia defeſſa, ad focum ſedens, & Syncope correpta, in terram, & una quidem tibia in ipſas prunas cecidit, illamque antequàm domeſtici accurrerent, graviter ſibi inuſſit. At quia hæc matrona obeſa valdè & pravis humoribus non parum onerata fuit, ſecutus eſt adfluxus humorum, dolor, inflammatio, non diu poſt Gangræna. Illa nihilominus, Dei beneficio, & medicamentis à me adhibitis feliciter curata, & in integrum reſtituta fuit. Quòd autem magnæ uſtiones interdum in Gangrænam terminantur, hiſce fit de cauſis, primò quia vaſa corrugantur uſtione, & conſtringuntur, ſicque via obſtruitur ſpiritibus vitalibus, ut nequeant liberè permeare: ſecundò, quia humor radicalis partis abſumitur, & exiccatur ignis vehementiâ. Cùm enim deſtituatur innatum calidum humore ſuo radicali, neceſſe eſt partem affectam interire. Eſt & tertia cauſa, nempe quod tum empyreuma, tum etiam corrugatio cutis ſummum accendat dolorem, ac proinde humorum affluxum excitet, quibus in parte affecta incaleſcentibus, & inflammationem concipientibus, exiccatur humor radicalis, ipſumque innatum calidum ſuffocatur.

Gingivarum inflammatio maximè in infantibus, in gangrænam interdum degenerat: partim propter abundantem oris illorum humiditatem; partim, quòd non poſſint ad juſtam morbi neceſſitatem medicamenta apponi. Morbus enim magnus, vehemens,

& peracutus, magna quoque requirit remedia: sed quis illa in ore adhibere usus? Accedit & alia difficultas, nimirum, quòd magnâ illâ abundantiâ salivæ medicamenta protinus abluantur. Hujusmodi Gangrænas non solùm in Scorbuto, verùm etiam aliis oris affectibus, & præsertim inflammationibus gingivarum laborantibus, me vidisse memini. Inflammationes quoque internæ non raro desinunt in Gangrænam & Sphacelum: cujusmodi vidimus in ipsis etiam cerebri membranis, ut patet ex sequenti historia. Fusis apud Delphinates Helvetiis Anno 1587. quendam ex eo numero curavi, robustum juvenem, bono habitu, ac capite sauciatum, hunc in modum. Ensis Helvetici ictu secta illi fuerat pars ossis parietalis, circiter palmam lata: hæc autem cuti musculosæ adhæserat, suoque loco erat reddita: quin & sanguinis & pilorum interventu concreverat veluti crusta, quæ totam illam partem contegens, impediebat, quo minùs ulla materia sex diebus totis ab accepto vulnere promanaret. Porrò abrasis crinibus apertoque vulnere, inventa est inter partem ossis separati, & duram matrem, plurima materies graveolens simul & ossium tenuia aliquot fragmenta; prætereaque, quòd majus est, vermes grandiusculi quatuor aut quinque. Insuper & dura mater denigrata & infecta erat putredine, tam diu insidente. Æger nihilominus convaluit, Clarissimi *Jani Antonii Sarazeni M. D.* Consilio, & *Joh. Griffonii* Chirurgi longè peritissimi operâ atque industriâ: quibus & ego interfui. Uxor Judicis Obertadensis ad Coloniam 24. annis scirrho hepatis laborans, tam multa subinde adhibuit emollientia, ut tandem inflammatione, deinde etiam abscessu maximo in hepate facto, abdominis musculi & cutis labem, ac demùm etiam exulcerationem senserit. Adhibitus in consilium cum Domino *Arnoldo Manlio* Medicæ facultatis in Coloniensi Academia Professore primario, deprehendi maximum tumorem in hepatis regione, paulò ante ruptum, quàm advenissemus, cum tanto fœtore, ut nihil suprà. Inibi excitatum est ulcus ingens, ex quo plurima materies sanguinolenta, subtilis & graveolentissima, simulque plures omenti particulæ, ut & hepatis loborum, planè sideratæ: unde paucis post diebus obiit. Ex quibus perspicuum fit, scirrhosis tumoribus emollientia non esse adhibenda, quemadmodum *Galenus* de simpl. Medic. facultat. lib. 5. c. 1. rectè monuit. Nec solùm schirrhosi tumores internarum, verùm etiam externarum partium, ex usu emollientium exasperantur, & in cancros convertuntur, ut in meis Observationibus variis exemplis demonstratur.

Filio meo septenni accidit magna ex cerebro defluxio in ureteres: unde urinæ obstructio tanta, ut ne guttula quidem permeare posset, & quantumvis ritè variis adhibitis remediis, sextâ die obiecit. Inciso apertoque abdomine coram Clarissimo *Joh. Slotano* M. D. inventi sunt renes cum vicinis partibus inflammati, & Gangrænâ correpti. Cæterùm cùm hîc de inflammatione renum sermo sit, sequentem casum exoticum, qui mihi à Clarissimo Domino *Dn. Bartholomæo Merchklino* Medico Palatino & Laugingano longè celeberrimo, & amico meo singulari studio observando, per epistolam communicatus fuit, in gratiam Studiosorum rerum rararum hîc inserere visum est. *Renum*, inquit, *frusta, pollicis magnitudine, per virgam maximo tormento & dolore excreta vidi in Archimagiro Dillingano, Seitz dicto, Anno 1593. tandem tamen 14. Julii mortuo. Testes oculati sunt heredes, inprimis Chirurgus peritissimus* Dn. Michaël Berchtoldus *Dillinganus, qui perpetuò ipsi adstitit.* Hac Mercklinus.

Nobilis quidam sexagenarius Dysentericus, cum quinta die morbi vitam cum morte commutasset, & venter ipsius à *Dn. Claudio Chapusio* Chirurgo celeberrimo apertus fuisset; intestina undique Gangrænosa reperta fuere, procul dubio propter ingentem inflammationem. Historiam hanc ipsemet *Dn. Chapusius* ad me scripsit Anno 1615. die 25. Februarii. Aperui olim corpora ex Iliaca passione defunctorum, in quibus omentum & intestina tota à Sphacelo tenebantur: ex his fœtor gravissimus vetuit penitiùs morbi causam indagare Breviter; nulli non corporis parti Gangræna potest accidere. Biliosis quoque inflammationibus, ut pote Erysipelati aliquando succedit Gangræna: sed inprimis quando frigidis adstringentibus, & emplastricis medicamentis calor ille adventitius intrò repellitur. Hinc extincto calore nativo, & absumpto humido radicali, emoritur pars ita affecta. Pinguia quoque & oleosa, ut Galenus testatur, hîc minimè ex usu esse debent, ut antea quoque monuimus.

Hactenus de Gangræna ex Intemperie calidâ: nunc de iis, quę ex altera activa intemperie, nempe frigidâ oriuntur, agendum. Talis ea est, qualis qua sæpè extremæ partes corripiuntur, dum summa vi frigoris humor radicalis & spiritus adeò frigescunt, ut cogantur atque concrescant, quomodo pinguedo, oleum, & ipsa aqua frigore densantur & congelantur. Humore radicali sic indurato, calido innato suum deficit alimentum: adde quod externum frigus spiritus devios ad interiora pellit. Tum verò natura novos spiritus, parti affectæ subsidiarios mittit, qui quidem malè compositam partis harmoniam nacti, illicò ad suam originem recurrunt: atque ita pars affecta calido proprio destituta interit. Idem usu venit hyeme iter facientibus per nivem, glaciem, & aquam frigidam, maximè in regionibus algidis, Alpibus inquam, Islandia, Norvegia, Livonia, & cæteris Septentrionalibus, quippe iis in locis frequens, ut *Olaus Magnus* & alii testantur, hyeme mortuorum ex frigore occursus. Plurimis extrema concidunt aurium, narium & digitorum.

Hîc memini, me Anno 1588. mense Decembri cum Clarissimo, & longè celeberrimo Viro Dn. Jano Antonio Saraceno Medico Regio, curasse Comitem Mansfeldium, cui Gangræna ex frigore utrumque pedem invaserat; unde & digiti aliquot perierunt: attamen brevi persanatus est. Curabam quoque tum temporis supra quinquaginta Equites & milites Germanos, hoc ipso morbo, ex eadem causa contracto, laborantes: ex quibus complures restitui, nec tamen sine tibiarum aut pedum, manuumve detrimento. Eo tempore (proh dolor!) dissipatas magnas illas Germanorum nostrorum in Gallia copias, hostis in Sabaudiam usque ita persequebatur, ut plerique miseri è natalis amnibus, aliisque locis nivosis superatis, vitam fugâ redimere cogerentur. Eadem ex causa paulò post obierunt plurimi Lipothymiâ, Syncope ac sudoribus frigidissimis; alii verò Gangræna & Sphacelo correpti. Hos interim boni Genevenses (quod commemorare juvat) benignè & Christianè amplexi sunt, nonnullos Xenodochio suo, alios privatis ædibus excipientes, iisque liberaliter Medicos & Chirurgos suos adhibentes, ac inter cæteros præstantissimos Viros, Janum Antonium Saracenum Med. Doct. & Johannem Griffonium Chirurgum longè præstantissimum: Sed & plerisque sanitati restitutis, & in patriam remigrantibus suppeditavere tum etiam vestimenta, quoniam spoliati nudatique venerant.

Medicamenta Narcotica, velut Opium, Cicuta, Hyoſciamus, Mandragora, temerè inflammationibus adhibita, videntur cogere humorem radicalem, ipſumque adeò innatum calidum extinguere, quod & ipſius aquæ frigore uſu venire obſervavi. Siquidem Anno 1591. ſub Canicula Hildenæ in patria, puella, Sophia nomine, laborans febri continuâ, eâque ardentiſſimâ, dum die Critico ſudore & calore ſummo æſtuat, deducitur ab impetita quadam fœmina è lecto ad puteum: hinc hauſtâ ſitulâ frigidiſſimæ (qualis eſt ferè puteorum id temporis) immerſiſque manibus ad frigus captandum, ſtatim exortus eſt dolor, quòcunque aqua attigerat, cum tumore, cui paulatim ſucceſſit livor. Propinqui neglectis remediis initiò ſalutaribus, poſt octavum demum diem, me conſuluere: tum deprehendi dextram puellæ ad carpum uſque veſicis lividis extuberantem, extrema digitorum arida, & ferè ſiderata: adhibitis tamen ſcarificationibus aliiſque idoneis remediis tantùm effeci, Deo ſic favente, ut tota propemodum manus conſervata fuerit, exceptâ primâ digitorum articulatione. Altera verò manus initio quidem tumore doloreque affecta fuerat, ſed poſtmodom omnem malignitatem in dextram quaſi depoſuerat. Vixit puella uſque ad annum 1607. menſem Auguſtum: obiit peſte Hildenæ apud Rev. Virum *Dn. Joh. Klee Sleidanum*, ejus loci verbi divini Miniſtrum fideliſſimum, cujus per annum integrum fuerat ancilla. Is mihi affirmavit, illam omnia opificia ruſticana quàm optimè & abſque impedimento peragere, imò & nère potuiſſe.

Etſi qualitas humida patiens potiùs eſt, quàm agens: tamen (ut ſupra cap. 3. attigi) ſpiritus inſiti humorque radicalis, & cum his innatum calidum, poſſunt ab ea ſuffocari. Itaque quoties pars aliqua corporis, ac potiſſimum tibiæ, & pudenda inſigni aliqua intemperie frigidâ & humidâ, eâque diuturnâ, conflictantur, facilè poſſunt Gangrænâ & Sphacelo prehendi. Verùm hæc Gangrænæ ſpecies vix aliis accidit, quàm qui diutiùs morbo aliquo laboraverint, velut hydrope aut alio quopiam graviſſimo partium internarum affectu. Neque verò exiſtimandum, ſolam per ſe id genus intemperiem, partem extimam occupantem, inibi Gangrænam efficere: at præcipua cauſa innati calidi, ſpirituum item & alimenti penuriæ adſcribenda. Iſta enim morbi diuturnitate & acerbitate plurimùm imminuuntur, maximè in partis intimis, & organicis; adeò ut partes remotas iis tandem deſtitutas neceſſe ſit interire, ut ſæpiùs hydropicis accidiſſe memini; præcipuè ſi adfuerit ſchirrhoſus tumor in hepate. *Is enim*, ut rectè docet *Valleriola*, *Vaſa de'ationis ſanguinis occludit, ita ut ſanguis bonus ad partes inferiores deferri minimè poſſit. Unde fit tandem, ut inſigniter refrigerata parte Gangræna enaſcatur.*

Sic & pudenda cùm ſint vicina hepatis emunctoriis, prætereaque ſuapte natura, rara & mollia, facilè imbuuntur humoribus ſeroſis, quibus redundantibus ſuffocatur innatum calidum, haud ſecùs, ut exigua flamma aquâ copiosâ injectâ facilè teſtinguitur. Quòd ſi quis imperitus admoverit Emplaſtica, ut fit interdum, tantò citiùs accidit ipſa ſuffocatio.

Ex eadem cauſa Gangræna in ore infantium oritur, quotieſcunque humor ſeroſus ex capite copioſè extillat, & gingivas palatumque occupat, uti accidit iis, qui cerebrum præter modum humidum habent, aut hydrocephalo tenentur.

Etſi ſicca difficilè corrumpuntur, eſt tamen Gangrænæ ſpecies, quæ non niſi ad intemperiem ſiccam revocari poteſt: & nihil eſt aliud, quàm abſumptio humoris radicalis atque exſiccatio, & quaſi marcor venarum & arteriarum, ex eo contingens, quòd nullum accipiant à partibus organicis ſanguinem: hinc enim fit, ut cùm innatum calidum, & ſpiritus inſiti non alantur & foveantur ampliùs ſanguine naturali & vitali, neceſſe ſit partem ſenſim emori, quomodo lucerna oleo aut ignis ligno deficiente teſtinguitur. Hæc Gangræna ſolis eo potiùs extremis partibus videtur accidere, præſertim digitis, tibiis, & pedibus eorum, qui morborum vi extenuantur, & contabeſcunt; verbi gratiâ, febrium tam acutarum, quàm diuturnarum, atrophiæ, phthiſeos, & ſimilium internorum affectuum. Idem ſenio, aut longâ diuturnaque fame confectis evenit. Nam & his partes intimæ & organicæ, cùm extremis ſufficientem ſanguinem & ſpiritus ſuppeditare nequeant, non vaſa modò, ſed & ipſas integras partes exſiccari neceſſum eſt. Sed & partibus deſtitutis humore radicali innatoque calido, ſenſim accenditur calor præter naturam, qui quidem eas corrumpit & putrefacit.

Majorum item articulationum, puta ſcapularum aut coxendicum luxationibus (ſive à cauſa externa & violenta, ſive ratione affluxus humidorum & viſcoſorum humorum fuerint) malè reſtitutis, ſequitur atrophia, & macies brachii, aut tibiæ: cùm quia mucoris copia frigiditate ſua obſtructionem parit, atque adeò impedit, ne nutrimentum illuc deferatur, tum etiam, quòd caput oſſis ſuo loco motum comprimat ipſa vaſa, prohibeatque, quo minùs ſanguis & ſpiritus ad partes ſubjectas deferantur, unde atrophia. Quòd ſi hujuſmodi ægri ad ſenium ætatem pervenerint, aut longiori morbo conflictentur, tandem ferè in Gangrænæ diſcrimen incurrunt. Idem accidit obſtructâ venâ cavâ, ut ante aliquot annos obſervavi. Quidam alioqui bono temperamento præditus, & ætate integra, incidit in Gangrænam utriuſque tibiæ, latente cauſa, niſi quod antea tibiæ & pedes aſſiduè frig bant, ingraveſcebant, & quaſi ſtupore tenebantur. Ut ut ſit, illi ſupervenit Gangræna, nulla præcedente febri, aut causâ externa: ita paulò poſt obiit, oborto ad uſque genua Sphacelo. Aperto cadavere, invenimus tumorem ſcirrhoſum circa venam cavam deſcendentem, nempe intra renes, ubi hæc vena ad utramque tibiam bifurcatur. Scirrhus in magnitudinem auctus, ita conſtrinxerat venam cavam & arteriam, deſcendentes, ut nullus ſanguis ad crura nutrienda & vivificanda permeare poſſet. Hæ igitur duæ poſteriores Gangrænæ ſpecies poſſunt quoque ad ſpirituum interceptionem, ceu cauſam referri. Brevitati ſtudens taceo cætera ſimilis Gangrænæ exempla, quæ habeo. Ex ſuperioribus autem omnibus colligo omnem intemperiem poſſe eſſe cauſam Gangrænæ: nec ita tamen, ut omnis intemperies neceſſariò in Gangrænam degeneret, ſed ea tantùm, quæ & vehemens eſt, & diuturna, aut contra artis præcepta tractatur.

Cap. 5. *Secunda particularis cauſa Gangrænæ, nempe alteratio vehemens ex qualitate occulta.*

Suprà de Gangrænis, quæ oriuntur ex qualitate manifeſta, hoc eſt, ex intemperie aut calida, aut frigida, aut humida, aut ſicca: ſub quibus etiam compoſitas complectimur; quando

raro

ratò sola & simplex intemperies occurrit, ut annotat *Galenus*. Nunc tradenda est altera causa, qualitas videlicet occulta, ideò sic dicta, quòd non agat in corpore calefactione, refrigeratione, humectatione, aut exsiccatione manifesta, quemadmodum superiores intemperies, sed modo quodam occulto, & mentibus nostris impervestigabili, subitò corrumpat corporum substantiam, ut fit in Gangrænis compluribus. Unde intelligimus, quàm sapienter *Hippocrates* divinum quiddam inesse morbis pluribus dixerit. Quamvis autem in Gangræna à medicamentis septicis, aut à morsu ictuve venenato, potest plerumque notari causa aliqua manifesta, nempe intemperies: est tamen præterea quiddam aliud peculiare, & supra naturam ac mentes humanas, quod vel mediocriter in Chirurgia exercitatis licet animadvertere: Quibus optimè cognitum est, quàm sævissima symptomata ex minima portione Arsenici, aut Mercurii sublimati, vix granum hordei adæquante, ulceri alicui in crure, pedibus, manibus, aut digitis imposita, non ratò suboriri, omnesque partes corporis, inprimis principes, commovere atque alterare soleant. Ita enim partes nobiles petit, ut in cerebro delirium, in corde lipothymiam excitet: calefactâ deinde à venenosa ipsius qualitate massâ sanguinis intemperies calida in toto corpore & Febris, quin etiam nausea & cibi fastidium, eructationes, aliaq; symptomata suboriuntur, ut *capite* 13. fusiùs declarabimus.

Porrò materia hujusmodi malignitate comitata, aut corpori innascitur, aut extrinsecus advenit, ex morsu ictuve virulenti animalis, aut ex adhibitis septicis. Ingenita causa dici potest, verbi gratiâ, cùm grumus aliquis sanguinis extravenatus, aut alia quævis materia corruptione tantam venenositatem & malignitatem adsciscit; ut postea, si naturæ vires tulerint, in extremitates excussa & translata, inibi suffocet innatum calidum, adeòq; brevi partes eas perdat atque corrumpat. Tale quid observavi in rustica puella, ad Dusseldorpium. Huic enim peste antea conflictatæ, cùm persanata videretur ab omnibus suis symptomatibus, puta bubonibus, carbunculis, febri, &c. subitò tantus exortus est dolor in utriusque pedis digitis, ut syderati fuerint illicò; adeòque ad ultimam usque articulationem amputandi fuerint. Quo facto, & adhibitis remediis, tandem convaluit. Verisimile, reliquam illi fuisse à pestilentia materiam quampiam malignam, quam velut per crisin natura ici extremitates excussit.

Idem vidimus in minùs malignis, ut in Variolis, naturâ criticè exonerante materiam penitùs malignam in extremitates & articulos: unde & ipsa ossa cariosa evaserant. Hujus rei exemplum singulare videre licet Observ. mearum Chirurgicarum 80. Centuriæ primæ. Vidi in sævissima pestilentia, quæ Novisiam Germaniæ, & quidem Archiepiscopatûs Coloniensis Oppidum infestavit, aliquot Anthraces, qui, si quam partem carnosam invaserant, uti clunes, femora, scapulas, mammas muliebres, ejus bonam partem intra horas 24. ita stupefacerent primùm, ac deinde etiam planè corrumperent, ut tandem pars tota excideret. Age, quis valeat tantæ malignitatis causam reddere? Et verò omnes pestilentes carbunculi, quoniam momento partis; quam occupant, nativum calorem extinguunt, malignitatem abditam & occultam, quæ totâ substantiâ agit, in sese continent. Nonnunquam in fine morbi alicujus acuti materia quædam venenosa & maligna ad pedem descendit, ibiq; calorem innatum extinguit, harmoniam partis destruit, & Gangrænam inducit, cujus rei exemplum mihi communicavit Clarissimus & doctissimus Vir Dn. Janus de Burgo Medicus celeberrimus, uti lector videre poterit. *Observat.3. Cent.3.*

Anno 1587. Nobili cuidam Orbati Helvetiorum Dn. Johanni Tomaceto, Viro Genere & Virtute, inprimis verò pietate verè Nobili, & mihi familiari, idem accidisse memini. Is enim, cùm ex febre continua & acuta curatus esset, & paulatim vires suas recolligeret, post duos menses dolore acutissimo in ipsa planta pedis sinistri correptus fuit, cui mox inflammatio, Gangræna, & Sphacelus sequebantur. Dn. Jacobo Auberto, & Dn. Abrahamo Marello, apud Lausannenses Medicinæ Doctoribus longè celeberrimis, in consilium adhibitis, & ad poplitem amputato crure, brevi convaluit, & ad hunc usque annum 1616. optima valetudine fruitur. Ex ligno autem grallam in formam cruris tam elegantem effingi atque fabricari curavit, ut ab altero crure vix discerni possit, tibialibus enim & caligis grallam illam quoque induit, imò & ocreis quando equum conscendere animus est. Post Dysenteriam puero cuidam idem accidisse, lector in 4. Centuria Observationum nostrarum videre poterit.

Ad hanc quoque causam revocanda Gangræna ex morsu & ictu bestiarum venenatarum. Quanquam enim quarundam venenum est calidum, puta viperæ & pastinacæ Marinæ, quippe quod calidam intemperiem isti parti inprimat: aliarum verò frigidum, proindeque sanguinem in venis congelans, uti Scorpii & Aspidis venenum; habent tamen particularem quandam & occultam vim putrefaciendorum humorum, & inficiendorum spirituum. Idem constat ex rabidi canis morsu. Equi & leonis morsus nonnullis venenatus creditur, ob gravissima, quæ ciet, symptomata: sed dixerim potiùs has belluas ceu longè robustissimas, vi sua contundere, & conterere musculos, venas ac nervos, imò & ipsa ossa interdum: unde acutissimus dolor & inflammatio, ac tandem Gangræna & Sphacelus, ex vehementissima (uti credo) contusione; non quod venenum ullum latere comperiatur. Si enim morsus horum animalium per se venenosi essent, tum parva vulnera, non minùs ac magna, essent periculosa, quemadmodum in morsu canis rabidi fieri videmus; ubi minimum quidem vulnus, si neglectum fuerit, mortem infert. Contrà verò in prædictorum animalium morsibus, vulnera ingentia, præcipuè ubi ossa simul sunt fracta, tantummodò periculosa, exitiosaque esse, & aliquandò in Gangrænam degenerare, experientia testatur: idque præcipuè si fracturæ nimis arctè ligatæ fuerint, ut sequens historia fidem facit. Cuidam in Belgio brachium ab Equo morsum fuit, cum maxima contusione, & ossium fractione. Fractura à barbitonsore repositâ & arctè nimis ligatâ, post paucos dies brachium inflammatione & Gangrænâ correptum fuit, ut in nostris Observationibus fusiùs declaravimus.

Luporum morsus venenatos tradit *Carolus Stephanus* in venatione luporum, quia quæ momorderint animantia ægrè sanentur, ac sæpenumero demorsæ partes computrescant. Hanc opinionem etsi aliàs in dubium vocaverim, rationi tamen consentaneam esse, & morsus hujus feræ aliquid venenosi vulneri imprimere, ac post se relinquere, ante annos aliquot experientia me edocuit, quemadmodum in quartà Centuria Observationum mearum exemplo quodam memorabili demonstrabo. Deinde septica, inprimis

Arsenicum,

Arsenicum, Sandaracha, Asiæ petreæ flos, aqua fortis, ol. vitrioli, & hujusmodi, temerè admota locis calidis & humidis, verbi gratiâ, oris, emunctoriis, pudendis, & infantium carni molliculæ, fœminarum itidem & eorum, qui in otio degunt, aut sedentariam vitam agunt, creant interdum Gangrænam & Sphacelum. Hia enim occulta vis ex tota sui substantia liquandæ & putrefaciendæ carnis, cujus vapor dum ad partes principes fertur, spiritus inficit. Memini, ut antea quoque monui, cùm vix granum Arsenici, quantumvis aliorum mistione correctum, applicatum esset ulceri tibiæ, subinde accidisse deliquia, Syncopen, febrim, delirium, & inquietem, ex quibus symptomatis facilè erat conjicere, tres partes corporis primarias, cerebrum, cor & jecur labem aliquam sensisse, transmissâ nimirum Pharmaci malignitate per arterias, venas & nervos. Sic mihi retulit Clarissimus Dn. Janus Antonius Saracenus Medicus Regius, Genevę intra paucos dies sublatum robustissimum Helvetium, cui, cùm tumore cancroso ad carpum laboraret, Chirurgus quidam alioqui doctus, & in arte sua versatus, pulverem ad cancrum, qui recipiebat Arsenici tantillum, quòque aliàs in ulceribus putridis & malignis, non tamen cancrosis, feliciter usus, adhibuerat. Liquefactâ enim; & putrefactâ carne vi arsenici, venenum simul & vapores putridi & maligni à carne liquata & putrida per arteriam, quæ in carpo est, ad cor adscendere facilè potuerunt. Monitos etenim velim Chirurgos, ne hujusmodi medicamentis septicis & venenosis, nisi summa cum prudentiâ & moderatione otantur.

Cap. 6. *Tertia & ultima causa particularis Gangrænæ; nimirum interceptio spirituum.*

Tertia & ultima causa particularis Gangrænæ est interceptio spirituum, sanguinis & alimenti, quoties videlicet arteriæ ac venæ quacunq; ex causa obstruuntur, ita quidem, ut spiritus illi & sanguis nequeant permeare, fovendo partium humori radicali, & innato calido, unde necesse fit eas interire. Tale quid nimium frequenter accidit, dum Empirici, & cæteri improvidi homines, arctiùs luxatos artus ossave fracta constringunt. Sic enim dupliciter peccant: Primò, quia majore copia, quàm par sit, sanguis & reliqui humores ad locum affectum attrahuntur, quemadmodum videre licet in venarum sectione, nisi enim arcta atque stricta ligatura injecta fuerit, sanguis vix adfluet effluetque. Secundò constringuntur vasa, putà venæ & arteriæ inprimis per istam ligaturam, hinc fit, quòd nihil humoris aut sanguinis in partem affectam influere aut effluere possit. Necesse itaque est, ut sanguis, sive extravenatus, sive quovis alio modo corruptus, aut alteratus fuerit, in parte affecta inclusus atque incarceratus remanere cogatur. Ideò *Hippocrates* aliique veteres non solùm vetant, in his curationibus tam arctis vinculis fasciisve constringere partem affectam, sed & ferulas ante septimum aut undecimum diem apponere. Hoc tempore enim dislocationes & fracturæ ossium, affluxu humorum, dolore, inflammatione, aliisque symptomatis inprimis sunt obnoxiæ. Prohibetur quoque spirituum & alimenti ad partem quampiam læsam transitus, quoties luxata pars soperior perpetam restituta est. Tum enim os, quod ex sua sede naturali excidit, vasa veluti venas & arterias, comprimit, impeditque, quo minus spiritus vitalis, sanguis item pro nutritione permeare possint, sequiturque atrophia, extenuatio, ac sæpissimè Gangræna, atque mortificatio. Idem accidit quoriescunque schirrosi tumorea circa vasa magna indurescunt, eaque vasa constringunt. Multò verò faciliùs pars aliqua Gangrænâ atque Sphacelo corripitur, si vas aliquod insigne, veluti arteria, aut vena, per transversum abscissum fuerit. Immoderato quoque usu adstringentium, quæ practicis Densensiva dicuntur, interdum adeò constringuntur vasa, ut inhibeantur, arceanturque spiritus & alimentum; refrigeranturque simul & semel insiti parti affectæ spiritus, ot elanguidis tandem fiat, & sæpe occupetur Gangrænâ & Sphacelo.

Ex interceptione spirituum animalium, *Avicenna* Gangrænam oriri statuit. Hunc sequuti ricotericorum nonnulli, Gangrænam paralyticorum ex interceptione spiritus animalis provenire arbitrantur. Verùm Gangrænam hanc ex interceptione spiritus animalis simpliciter non fieri, in ipsis paralyticis apparet, quos indies videmus paralysi corripi, ac per multos annos laborare, Gangrænam tamen inde non subsequi. Gangrænam enim & Sphacelum ex alimenti, & spirituum vitalium penuria, interceptione, corruptione, suffocatione, &c. fieri, luce meridiana clarius est. At alimentum hoc, & spiritus vitalis, à corde & hepate per arterias & venas, non autem à cerebro per nervos partibus influit. Potest itaque pars aliqua corporis vivere, & calore suo naturali prædita esse, interim tamen sensu, & motu, aut utroque carere; quemadmodum in paralysi fieri cernimus. Quomodo autem in paralyticis fiant Gangræna & Sphacelus, ex sequenti observatione facilè colligere licet: quę etsi in observationibus nostris commemorata fuit, non erit tamen contra scopum, si eam hîc summatim recensuero. *Jurgen von Bonsuel* vir robustus, altitudine sedecim pedum in terram cadens, paralysi ab umbilico ad pedes ipso momento correptus fuit. Ego tertio dic morbi vocatus, invenio ipsum maximis doloribus ventris affectum, quòd à principio morbi neque urinam neque alvum exonerasset. Exhibitis suppositoriis & clysteribus, urinam reddidit, & alvum exoneravit, dolor cessavit, sed urina guttatim exstillavit, nec excrementa retinere potuit. Ego ex consilio D. *Cosmi Slotani* Illustrissimi Clivensium, Juliacensium, Montensium, &c. Principis Archirurgi, illam, quam potui, diligentiam adhibui: nihilominus tandem Gangræna nates invasit, quas necesse fuit dissecari, ita ut 25. die à morbo contracto è vita discesserit. Causam autem hujus Gangrænæ non paralysin, sed decubitum, & exstillationem urinæ fuisse, rationi consentaneum est. Urina enim, quæ guttatim effluebat, & quę propter decubitum in dorsum excalefacta & acris reddita fuit, cutem exulceravit, hinc secuta est inflammatio, atque affluxus humorum. At quia corpus à lumbis usque ad pedes, suo spiritu animali, ac proinde facultate sentiendi destitutum erat, redditum fuit grave & immobile. hinc propter decubitum in dorsum, & molem corporis, nates continuò compressæ, excalefactæ & ab urina & excrementis humectatæ fuerunt, inde Gangræna & Sphacelus; quod mirum nemini videri debet. Vidimus enim sæpissimè in diuturnis morbis, coccygem non solùm ulcerari, verùm etiam Gangrænâ corripi, ut *Observatione 3. centur. 1.* fusiùs atque exemplo declaravimus,

In Enterocele sive hernia intestinorum fit quoque Gangræna, interceptis spiritibus & nutrimento, cùm intestini pars aliquantisper intra scrotum continetur, quæ flatuum & excrementorum copiâ plurimùm distenditur, in ipsis autem rupti peritonæi relaxati angustiis ita arctè comprimitur, ut spiritus & alimentum intercludantur; sic enim necesse locum Gangrænâ & Sphacelo prehendi, quemadmodum sæpissimè mihi videre contigit, præcipuè in Nobili matrona Margarita de Gleresse, quæ septendecim annorum spatio insigni hernia laboraverat, Anno 1597. verò torminibus maximis correpta, intestinum in abdominis relaxationem cum doloribus maximis, inflammatione, febre aliisque gravissimis Symptomatibus impulsum est. Ego tandem vocatus, inveni dextrum inguen Gangrænâ affectum: adhibitis tamen remediis convenientibus, caro putrida, & callositas rupturæ exciderunt. Excrementa quoque intestinorum per ulcus excernebantur circiter menses duos; ægra tamen divino favore, mirantibus adstantibus, tum ab ulcere, tum etiam à ruptura optimè sanata fuit, nullâ relictâ fistulâ ut *Obs. 55. Cent.* 1. declaravimus. Recensuimus & alia exempla *Observ. 72. ejusdem Cent.* quæ Lector ibi videre poterit.

Corripit & talum Gangræna, qualem nuper observavimus in Ornatissimo Viro Dn. *Henrico Balbani.* Quoties enim propter fracturam, vulnus ulcusque tibiæ pes diutiùs erectus insistit talo, inde talus contunditur & comprimitur, atque ex ista contusione & compressione, tandem oritur primò inflammatio, dolor & affluxus humorum; secundò comprimuntur ex ista situatione tibiæ venæ atque arteriæ, quæ ipsum crus & tibiæ pulpam decurrunt, ita ut spiritus & sanguis nequeant liberè ad talum penetrare. Hinc quoque facit assidua tibiæ extensio, per quam distensis etiam vasis innatum calidum, & sanguis nequeunt descendere in partem affectam, unde tandem ea frigescit & interit. Eâ porrò distensione vasorum posse frigescere partem affectam ex eo intelligitur, quod equitando per frigidam tempestatem, si pedes diutius intra fulcra pedum equestria contineantur, frigent impensissimè: sin extra fulcra propendeant, per se ocyus incalescunt. Sanguis enim & calor nativus patentibus ipsis vasis, illico ad pedes recurrunt. Videat itaque Chirurgus, ne tibias confractas aut vulneratas diutiùs talo insistere permittat; sed nunc in hanc, nunc in illam partem disponat.

Cap. 7. *Signa Gangrænæ ex intemperie.*

VErissima est sententia ab *Hippocrate* prolata: Medicus si quidem suffecerit ad cognoscendum, sufficiet etiam ad sanandum. Tanta enim cognitionis morbi est necessitas, ut sine ea methodica curatio institui non possit. Si enim prima curandi indicatio à morbi naturâ sumenda, Medicus ut morbi notitiam habeat, necessariò sequitur: id quod passim *Galenus* in libris meth. med. aliisque in locis fusiùs demonstrat. Quicunque verò Medici aut Chirurgi in hac parte Medicinæ non satis sunt edocti, atque exercitati, multos gravissimosque circa ægros committunt errores, ut in observationibus nostris de quibusdam Chirurgis, qui tumorem cancrosum à Phlegmate, & cicatricem ad papillam cum ungula non distinguebant, aut potiùs inter se non cognoscebant, annotavimus. Sic accidit D. *Eliæ Banqueto*, Paterniacensi Senatori, is inflammatione hepatis cum maximis doloribus & torminibus ventris correptus, incidit in manus pharmacopolæ, qui eum colicâ laborare arbitrabatur, quapropter furfures avenamque in sartagine calefactam, & in sacculum projectam loco dolenti applicuit: hinc dolores, febris, vigiliæ, aliaque symptomata adeò aucta sunt, ut de vita periclitaretur. Quibus verò remediis Dei singulari beneficio sanatus sit, lector *ex 2. centur. observat.* 48. *Chirurgic.* videre poterit. Recensere hasce historias breviter visum est, ut iis tyrones ad studium Semeioticum invitarem. Ut itaque hujus tam magni tamque gravissimi morbi Chirurgus pleniorem notitiam habeat, signa ordine recensebimus, & quidem à Gangræna ex intemperie calida, ut quæ omnium est frequentissima, incipiemus.

Signa autem Gangrænæ ex inflammatione sive intemperie calida sunt hæc: dolor pulsans, qui præcessit cum inflammatione, multò remissior est; Mutaturque rubicundus inflammationis color in pallidum, fuscum, & livescentem. Exoriuntur & pustulæ grandiores plenæ ichore, loturæ carnium simili. Hæc autem omnia contingunt, quod locus affectus tendat ad mortificationem, sanguisque & calor partim recurrant ad centrum & originem suam, cor & jecur, partim corrumpantur. Inde enim pallor in parte affecta, remittitque dolor pulsatilis, qui ante extitit, ex elevatis propter conflictum innati calidi cum calido, præter naturam vaporibus humorum putrescere incipientium. Nisi verò superatur præsenti remedio morbus, revocato innato calido ad partem affectam, & expulso eo calore, qui est præter naturam, evacuatisque simul & semel humoribus jam corruptis, tum quoque desinit arteriarum pulsus, quia spiritus non transmittitur, aut si transmittitur, invenit partem tam malè affectam, ut ab ea recipi nequeat. Sic deficiente spiritu vitali, pars oppletur excrementis & humoribus unde ea mollescit & relaxatur, atque adeò si comprimas, remanet impressum vestigium, ceu à compresso œdemate; Quod tamen vestigium difficulter, & nonnisi tractu temporis propter spirituum & caloris nativi penuriam in altum elevatur. Denique sensus nervorum minuitur, ut tandem secari, vellicari & uri possit locus absque ægroti sensu, aut perceptione distincta. Hujusmodi res accidit Nobili fœminæ Coloniensi, cujus tibiæ Gangrænâ affectæ tria aut quatuor cauteria actualia applicui, coram Clarissimis Medicinæ Doctoribus D. D. *Heinrico Bottero* Illustrissimi Principis Juliacensis, Clivensis, Montensis, &c. & illustr. Langtavii Medico, & D. D. *Joh. Kuento Bridbachio.* Tantùm verò abest, ut conquereretur de cauteriorum ustione, ut contrà subinde exprobraret, à nobis applicatam nivem, glaciem aut frigidissimum quippiam; Erat enim tempore hyemali. Hæc privatio sensûs non Gangrænæ tantùm, sed & Sphaceli, adeoque imminentis mortis signum est longè certissimum; Eo quòd putredo tanta venis, arteriis & nervis concepta est, ut inde non minima portio ad partes principes deferatur. Hanc quoque ob causam febris acutissima cum syncope; dolor capitis, delirium, vomitus eructationesque, aliaque & pessima & graviora symptomata, & oriuntur & augentur.

Signa Gangrænæ ex flava bile ortæ, à superioribus non multùm discrepant, nisi quod in his inflatio aut tumor non æquè ac in phlegmone sit magnus. Pustulæ quoque minores sunt, sed plures in numero, ex quibus aqua, quæ effluit, multò subtilior, magisque flavescens, quàm in pustulis ex phlegmone ortis, cernitur.

Gangrænę ex frigore facile est indicium. Ex frigore enim subitò magnus dolor oritur pungens & mordax, ac initio rubor scintillans, eo quod cutis meatibus, frigore constrictis, calor abundè

concurrit,

concurrit, atque in ipſa parte retinetur: aut paulò poſt locus ex rubeo fit lividus & frigidiſſimus, frigore depellente ſanguinem, & innatum calidum, adeòque refrigeratis & diſſipatis inſitis ſpiritibus. Itaque pars privatur motu & ſenſu, accedente horrore, ſive tremore, qualis ſolet quartanam præcedere. Præterea ex ipſo ægro ſcire poteris, utrumne nives, aut aquas frigidiores trajecerit, ex quibus frigus contraxerit. At ſi tam diuturnum ſit frigus, ut loci innatum calidum nequeat amplius reſiſtere, ſuperveniet Sphacelus, & omnimoda mortificatio. Frigidum enim oſſibus, dentibus, nervis, cerebro, ſpinali medullæ (utpote quæ ſint aut ex ſemine, aut exiguo calore prædiiæ) adeoque vitæ noſtræ, quæ quidem in calido humidoque temperatis conſiſtit, adverſiſſimum & inimicum eſſe, nos docet *Hippocrates*.

Signa Gangrænæ ex intemperie humida ſunt hæc: Locus jampridem affectus fuit ingenti tumore, aquis & humoribus ſeroſis, ac œdematoſis referto, ita ut compreſſo digito, relictum ſit veſtigium atque fovea, quæ tamen paulatim denuo in priſtinam altitudinem elevata fuit. Æger præterea eſt debilis, macilentus, cachecticus, imò etiam plerumque hydropicus. Talis ferè Gangræna pudendis & tibiis accidit, nullum tamen antea dolorem magnum paſſus eſt æger. Neque enim humida intemperies dolorem gignit, niſi extenſione ob ingentem humorum copiam. Attamen membro extinctioni proximo, dolores acerbiſſimi, non ſecùs ac in aliis Gangrænæ ſpeciebus, ut plurimum ſupervenire ſolent: tum quia humores illicò ex corpore ad partem affectam confluunt, atque ſenſûs organa, membranas ſcilicet, nervos & tendinea diſtendunt; Tum quia propter putredinem maximam, calor præter naturam exoritur, ex quo dolor augetur. Poſtremò arteriarum pulſus deſinit, liveſcitque locus, ac ſenſus paulatim imminuitur, deperditurque. Malum hoc, ſi faucibus & gingivis acciderit, quemadmodum aliquoties in pueris eveniſſe obſervavi, tunc genæ antea ſimili tumore œdematoſo affectæ fuerunt. Puer ut plurimum cachecticus eſt, aut hydrocephalo laborat.

Gangræna ex intemperie ſicca, deficiente videlicet alimento, eò primum cognoſcitur, quòd nullus adſit dolor, inflammatio tumorve ab initio, deficiente nimirùm affluxu ſive copia ſanguinis, aliorumve humorum, inflammationi conficiendæ paratorum. Deinde hæc Gangrænæ ſpecies accidit corporibus macilentis, infirmis, & extenuatis, ſive ſenio, ſive diuturno & gravi morbo quorum, vires elanguidæ, alimentumque abſumptum eſt. Tertiò, pars ſtatim à principio refrigeratur, ac ſtupeſcit, eò quòd ſpiritus animales, vitales, & nativi in ea minimè vigeant. Quartò hæc Gangræna extremis accidit, puta tibiis & pedum digitis plurimùm, aliâs etiam manuum digitis, extremo naſo, & auriculis. Interim æger morbum vix ſentit: at ubi tandem exoriuntur puſtulæ, aut bullæ aquâ rufa plenæ, quarum ima pars, ſi exciderit, conſpicitur livida, nullo aut exili ſenſu, cùm acutiſſimi dolores, febris aliaque ſymptomata utplurimum ſuperveniunt, arteriarumque motus & pulſatio ſiſtitur: ut plurimum, inquam; Aliquando enim totum ferè crus, in hac ſpecie Gangrænæ, quæ ex intemperie frigida & ſicca, ſive penuriâ alimenti & ſpirituum, ortum habet, abſque dolore emortuam fuiſſe obſervavi. Præcipuè autem in Dn. *Jacobo Marquardo*, Archigrammate Moraten ſi, huic cum in decrepita ætate frigus moleſtum, & ſtupor in crure ſiniſtro exortus eſſet; Gangræna ſecuta eſt. Ego cùm tandem Annò 1611. 5. die Septembris advocatus eſſem, tum crus in ipſam ſuram uſque Sphacelatum, & inſtar carbonis nigrum, frigidum item & rigidum inveni: dolor tamen nullus, neque ab initio morbi ad illud uſque tempus adfuerat: & vix arterario in pulſu percipi potuit, uti fuſiùs in 4. cent. *Obſervationum mearum Chirurgicarum* declarabitur. *Henricus Smetius* Comitis Palatini ad Rhenum, & Electoris Medicus ordinarius; ac longè celeberrimus, mihique familiaris, hac de re obſervationem ſingularem in ſuis miſcellaneis habet, quam hîc in gratiam lectoris adſcribere placuit. Weſaliæ in principatû Clevenſi, inquit, coriarii cujuſdam Galli uxor, alterum pedem aridum, nigrum, abſque tumore emortuum, nempe ſyderatum, aut ſphacelatum, ſine ullo motu, aut ſenſu aliquamdiu geſtaverat, abſque ſeparatione à parte ſana, quam tamen multò poſt factam intellexi, & ſpeciem linguæ, bovillæ fumo induratæ, præ ſe tuliſſe.

Cap. 8. *Signa ſecundæ ſpeciei Gangrænæ, nempe ex qualitate occulta.*

Quantum ad Gangrænas ex qualitate occulta, videat Chirurgus, ut eas diligenter, & accuratè diſtinguat à Gangræna ex frigore aut intemperie ſicca: quia, ut dictum eſt, ſi intemperies in cauſa eſt, ſymptomata interna, puta febris, ſyncope, deliria &c. obſcura erunt, nec priùs ſeſe patefacient, quàm pars extima corruptionem capeſſat: At ſi qualitas occulta, materia videlicet maligna corpori ingenita, quam ab intimo corpore ad extimas partes depellat natura, tum erit ingens naturæ cum morbi cauſa conflictus: unde etiam ſubitò febris, alteratio, ſyncope, nauſea, eructationes. Poſtea verò pars extima, in quam humor malignus atque peſtiferus decubuit, primò livida, poſtea nigra fiet, tandemque emorietur.

Sin Gangræna fuerit ex morſu, aut ictu beſtiæ venenatæ, aut carbunculo peſtilenti, aut ſeptici alicujus applicatione; Id per ſe facilè & ægri, & adſtantium ſermone intelligi poteſt. Et ut paucis multa comprehendam: Si Gangrænæ materies innata ſit corpori, ſymptomata interna apparebunt primò, antequam Gangræna ſeſe patefaciat: ſin extrinſecùs aliunde advenerit venenata materies, contrà eveniet.

Cap. 9. *Signa tertiæ & ultimæ ſpeciei Gangrænæ, ex interceptione ſpirituum.*

Signa Gangrænæ ex ſpirituum interceptione, maximè ex arctiore ligatura in fracturis, & luxationibus hæc ſunt: Pars prætumida eſt, dura & diſtenta, nempe quia conſtrictione illa plurimus ſanguis, aliique humores evocantur, qui vehementes dolores faciunt, & inflammationem. Exoriuntur etiam bullæ majuſculæ, ichoris plenæ, lotuiam carnium repræſentantes. Præterea pars affecta ingraveſcit, & fit immobilis, quia deficiunt ſpiritus: ex eadem etiam cauſa impreſſi digiti veſtigium in ipſa parte remanet, ipſaque cutis à carne diduci videtur. Diſtenditur & nonnunquam pars flatibus, ita ut ſi contrectes, non aliter crepitet, quàm vitulina caro, quam lanius ſuo flatu impleverit. Si pungas ſcalpello, exit flatus, cum humore pauco ſtridens, haud ſecus atque cùm ex ferventis ollæ anguſto foramine quidpiam effunditur. Hæc omnia ſigillatim Coloniæ Agrippinæ obſervata Anno 1595. cùm à me ipſo, tum à clariſſimo & celeberrimo Viro Dom. *Johanne Kvenio*,

Breidl achio

Breidvachio Med. Doct. in famulo ornatissimi Dn. *Gualteri à Prato*, p. m. compatris mei longè clarissimi, Denique ex ægro ipso etiam poterit rescifi, num quod ingens vulnus acceperit, ex quo vasa, arteriæ nimirum & venæ, per transversum secta fuerint: aut num luxatio malè fuerit restituta, num ve adstringentia emplastra diu gestaverit.

Cap. 10. *Signa Sphaceli.*

Tribus præcedentibus capitibus signa Gangrænæ diversa notavimus, prout ex causis quoque diversis orta erat: at Sphaceli quantumvis è diversis orti causis, illa planè eadem.Nam sive ex calida, sive ex frigida, sive ex humida, sive ex sicca deniq; intemperie, aut ex ipsa spirituum interceptione oriantur Sphaceli, omnes sunt inter se simillimi, hoc uno excepto, quod in Sphacelo ex qualitate occulta. graviora cernuntur symptomata, febris, inquam, syncope, delirium, &c. quàm ex causâ manifestâ, sive fuerit intemperies, sive interceptio spirituum.

Sphaceli autem signa sunt. 1. Pars affecta multò gravior est, ita ut æger etiam vix, aut omninò nihil possit movere; idq; propterea, quòd spiritus, sanguis, & cum eo calor nativus & vita, non amplius in partem affectam influant. 2. Rubor & genuinus color depereunt, fitq; pars livida, atra, graveolens, instar cadaveris. 3. Pars antea, dum vigerat Gangræna, mollis, per Sphacelum exiccatur. 4. Cutis apprehensa & digitis in altum sublata videtur à carne deduci. 5. Sensus exquisitus & perfectus nullus amplius adest, ita ut facilè sit secare, ligare, urere, & quamlibet operationem moliri, citra sensum ægri. Quod si quid æger sentire videatur, id profectò non aliunde accidit, quàm ex prioris doloris phantasia, aut ex operationum, quæ fieri debent, apprehensione. Præcedentis enim doloris tanta apud ægros est efficacia, ut non solùm ante abscissionem membri, quantumvis jam planè emortui, & revera omni sensu destituti, verùm etiam per multos menses, imò annos post abscissionem, ingentes pati dolores sibi imaginentur, cujus rei exempla Lector in secunda Centuria Observationum mearum videre poterit.

Quod ad motum extremorum, qui diutissimè perstat, prudens Chirurgus propter eum non differet amputationem. Cùm enim musculi caput movetur, ejus cauda nempe tendo motum eum sequitur: Sic cùm moventur tibiæ musculi, pedis insequuntur digiti, quamvis fortè ante quatriduum mortui sint digiti. Prudenter igitur hac in parte ut agat Chirurgus, atque tum saluti ægri, tum existimationi suæ consulat, necesse est. Quapropter quamprimum cognoverit digitos pedum, & manuum emortuos esse, præsentibus adstantibus & familiaribus, ægro tamen inscio, emortuas particulas, novaculâ undique pungere & secare debet, ut nullam ampliùs adesse vitam, amputationemque pernecessariam esse, cuncti adstantium agnoscere possint.Porrò etsi Sphaceli signa quædam cum Gangræna sint communia, veluti color lividus, gravitas, sensus depravatio &c. ea tamen in Sphacelo, quàm in Gangræna evidentiora, & longè vehementiora visuntur.

Cap. 11. *Prognostica Gangrenæ & Sphaceli.*

Cognitâ Gangrenâ & Sphacelo, antequam Chirurgus curationem aggrediatur, prospicere debet, quis morbi futurus sit exitus, utrumne sanabilis sit, an etiam diuturnus futurus.Omnes enim morbos sanare impossibile, teste *Hippocrate*, quamvis illud optabilius foret, quàm præsagire impostérum eventura.Atque id, cùm fieri nequeat, Medicus ut utatur providentiâ necesse est. Significare itaque Chirurgum oportet ægri familiaribus, quis futurus sit morbi eventus. Quia autem malum hoc adeò grave, ut plerumque de recuperandâ valetudine, nulla ampliùs supersit spes, quæstio est, sint ne desperati stringendi, necne? Nonnulli ex antiquis, quibus nomen divinum tetrusum, absconditumq; fuit, desperatos relinquendos esse voluerunt: idque illam ob causam, ne infamentur præsidia, quæ multis aliis profuerunt, neve videatur Medicus eum occidisse, quem sors peremit. Ego verò Christianam charitatem aliud nos jubere, planeque inhumanum esse, ægrum sine artis auxilio derelinquere, assero. Quòd si tamen Chirurgus affectum planè insanabilem esse cognoverit, cavere debet, ne ea, quæ præstare non potest, promittat. Hoc enim faciunt non viri boni, artisque periti homines; sed Empirici, atque impostores, qui lucrum proprium potiùs, quàm salutem ægrotorum quærunt. De periculo itaque ac immedicabili malo admonitis amicis, atque adstantibus ægro, si illi rogent, invocato priùs auxilio divino, suscipienda est curatio, talis quidem, quæ si morbum tollere non queat, ejusdem tamen acerbitatem atque tyrannidem, quantum quidem fieri potest, refrenet, doloresque leniat, demulceatque. Idq; præcipuè in eum finem, quò æger in ipsis quoq; mortis angustiis Deum Creatorem, atq; Jesum Christum Salvatorem suum acclamare; peccata quiu etiam sua, & anteactum vitæ suæ miserrimum statum, simul & mysteria salutis suæ, rectè perpendere, tandemq; vitæ suæ finem piè imponere possit.Quis enim hominum hæc præstare poterit, quis peccata sua enumerabit, si corpus doloribus acerbissimis, estorqueatur, si vigiliis, inquietudinibus, nauseis, æstu febrili, aliisque gravissimis symptomatibus, quæ dolorem veluti umbra consequuntur, vires prosternantur, mensque simul & intellectus invertantur? Atque hæc prima & præcipua est causa, cur desperati minimè relinquendi. Accedit & alia causa, nimirum quod sæpissimè observatum sit, derelictos, & pro deploratis habitos, adhibitâ diligentiâ Medici, in integrum restitutos fuisse.Tertiam causam addit Amplissimus ac Doctissimus Vir, Dn. Petrus Pavius Anatomicus & Botanicus longè celeberrimus, amicus meus singularis: *Nam vel hoc*, inquit, *mortem accelerare ægro possit, à Medico ac Chirurgo se deseri si animadvertat.* Sunt itaque attingendi, non autem relinquendi desperati; de eminenti tamen periculo, ut antea quoque monui, priùs factâ prognosticatione; quæ hic simul & in omnibus morbis gravissimis necessaria est: quandoquidem quæ ex arte fiunt præsagia, primò Medicum, ut docet *Galenus*, à mortis crimine vindicant. Tanta enim est imprudentia, ne dicam impietas, apud indoctum vulgus, ut si quando res pro voto non successerit, & mala, ut *Hippocratis* verbis utar, malis necessariò superaccidant, omnem culpam, imò & causam mortis in Medicum transferant. Si verò prædixerit Chirurgus, quæ supervenient ægro, tum nihil illi ab ægro, aut adstantium turba, utpote qui ex arte omnia, quæ supervenerunt, prædixerit, imponi poterit, omnique prorsus culpâ vacabit. Secundò, redduntur præsagia ægros obtemperantiores, & magis atque libentiùs, ut *Hippocrates* docet, se concedunt Medico. Percipiunt enim ægri Medicum penitùs agnoscere naturam morbi, ac proinde symptomatibus, quæ ventura sunt, atque periculis obviam ire posse confidunt; Porrò bene prædictum, atque prognosticaturus Chirurgus, tria consideret, primò Essentiam atque naturam morbi, hoc est, gravis sit, an levis; secundò vires ægri, aut vegetas, aut imbecilles: tertiò partem ægram. Nam si levis est morbus, & quidem

quidem in membro à partibus principibus remoto veluti in brachiis, aut tibiis, vires autem vegetæ & firmæ, facilè sanabitur. Sin omnes hæ conditiones, aut earum pars contra sint, æger in vitæ, aut diuturnioris morbi periculo, versabitur. Verùm hæc fusiùs & accuratiùs declarantur hunc in modum. Gangrænam, authore *Celso*, si nondum planè tener, sed adhuc incipit, curare non difficillimum est, præcipuè in corpore juvenili. Attamen summa diligentia & industria desideratur; corpus itidem vegetum, ac robustum esse par est; alioquin frustra nitente Chirurgo desinet Gangræna in Sphacelum & eum quidem insanabilem, authore *Paulo Æginetа*, nisi tota pars viriata amputetur, atque separetur.

Gangræna in partibus humidis, gingivis, palato, naribus, pudendis, osculo uteri, & intestino recto, rarò sanabilis: in Sphacelum autem degenerans insanabilis: propterea quòd partes illæ sint & humidæ, raræ, spongiosæ, adeoq; plurimis humoribus, & excrementis suscipiendis opportunæ. Præterea verò ipsum innatum calidum, cùm facilè succumbat in illis partibus, eo etiam citiùs suffocatur.

Gangræna partium internarum, jecoris, lienis, renum, &c. non solùm periculosa, verùm etiam lethalis est, quemadmodum quarto capite exemplis nonnullis declaravimus. *Quibus cerebrum Sphacelatum est, intra triduum pereunt: Si verò hoc superaverint, sani fiunt*, inquit, *Hippocrates*. Tum enim spectandum est morbum declinare, & vires esse validas, quæ corruptionem vincere possint. Attamen *Galenus* in commentario istius aphorismi negat, *Hippocratem* intellexisse. quem nos Sphacelum vocamus, sed Gangrænam potiùs, aut ingentem aliquam inflammationem: atque ita Sphaceli nomine priscis Græcis dictam interdum Gangrænam testatur. Si enim: inquit *Galenus*, *Sphacelus est corruptio partis cujusque quam is occupat, insanabilis est:* at *Hippocratis* Sphacelus sanabilis est nonnunquam. Non est ergo verisimile eo loco pro priore significato accipi Sphacelum, sed pro Gangræna potiùs verè dicta, quæ est quasi via ad Sphacelum, & illius velut anteambulo.

Gangræna hydropicorum tibiis superveniens, rarò sanabilis, sæpiusque in Sphacelum degenerat. Quod si relevetur æger, restabit tamen ulcus, non nisi longo tempore sanandum, teste *Hippocrate*. Cùm enim non sanentur ulcera, nisi exactè priùs desiccata, quod in hydropicis fieri nequit, propter nimiam humiditatis copiam, necesse est hydropicorum ulcera difficilè sanari, quamdiu saltem eorum corpora ita affecta sunt.

Perniciosa est talis Gangræna, propter symptomata, quæ secum invehit, ratione magni tendinis, acutissimo sensu præditi. Quod si os tali corrumpitur, ut plurimum æger pedis actionibus privatur: tum quia corruptio ea non nisi difficillimè corrigi potest: Os quippe molle & spongiosum cùm sit, facilè humores allicit, & combibit, qui cariem augent ac fovent:) tum quod tendo ille à talo veluti solvitur, atque ita divellitur, ut ipsius pedis motum deperdi necesse sit.

Sphacelus à pede, aut tibia ortus, indeque genu ipsum transcendens, lethalis ut plurimum: pars enim illa femoris carnosa, putredo facilè serpit, & in musculos ita sese insinuat, ut nequeat penitus tolli, quamtumvis tibia ipsa amputetur.

Gangrænæ ex causâ primitiva, puta contusione, ustione, fracturâ, &c. ferè sanabiliores, & minùs periculosæ, quàm quæ ex antecedente causa ortum ducunt. Hujusmodi enim Gangræna interna viscera testatur adeò malè affecta, ut medicamentis vix ullus sit locus.

Gangræna ex siccitate, & atrophia, difficile & tardè sanabilis: in Sphacelum verò desinens penitùs insanabilis est & lethalis; maxime si æger sit provectioris ætatis, debilis, & macilentus, morbus autem in tibiis sit, & pedum digitis. Id enim extremam siccitatem arguit, quæ insanabilis est, *Galeno*.

Gangræna ex qualitate occulta perniciosissima, ac plurimum deplorata & lethalis, præcipuè si in Sphacelum transeat: siquidem ex partibus Sphacelo affectis virus, sive vapor quidam venenatus attollitur, qui partes nobiles plane inficit.

Gangrænæ ex prohibitione ac interceptione spirituum vitalium, & naturalium, ac potissimum quæ luxationibus malè restitutis superveniunt, & quæ à vasis transversis sectis proficiscuntur, difficillimè sanantur; in Sphacelum verò degenerantes, lethales. Rei causam præcedentibus capitibus declaravimus.

Gangræna quoque, uti & alia vulnera quemadmodum doctè ostendit clarissimus Dn. *D. Pavius*, loco præallegato, pag. 63.) æstate superveniens, periculosior, quàm quæ hyeme. Primò, quòd innatus calor alacrior, & plus potest hyeme quàm æstate. Secundò, æstivi aëris nos ambientis æstus evocat, dissipatque nativum corporis calorem. Tertiò minùs periculi est à calamitosis, quæ æstivo tempore supervenire solent, symptomatibus.

Ulcus in Gangræna & Sphacelo considerandum quoque diligenter. Nam si sit lividum & aridum, aut nigrum & aridum, parum aut nibil egerens materiæ, pro magnitudinis ratione, inclinent autem ægri vires, certa mors intra paucos dies expectanda: quippe adeò immutatur altrix facultas, ut nequeat ampliùs transmittere sanguinem, aut alimentum parti affectæ, sed eam siccari sinat. Quod si qua fortè materies corrupta intrat corpori, antea evacuari solita per ulcus, cùm sit facultas expultrix infirmior, quàm ut valeat transmittere, & propellere ad partes remotiores, ea manet in corpore, & partes primarias lædit: unde interim & ipsum quoque ulcus siccum & aridum conspicitur.

Ex Gangræna, & inprimis ex Sphacelo moribundis, plurimùm adest frigidus sudor universalis: sive quia totum corpus ita abundat humoribus frigidis, ut neque nativo, neque febrili calore possint incalescere: sive quia natura vel juxta *Hippocratem*, perquam imbecille est. Accidunt quoque syncope & cordis palpitationes, exhalatis ad cor vaporibus putridis. Interim pulsus obscurissimus & vermiculans est, propterea quòd arteriis vaporum copia oppletis prohibentur diastole, & systole. Adsunt quoque deliria, & paraphrenitides propter vapores copiosos sublatos ad caput, & cerebrum offendentes. Ut autem Gangrænæ variæ sunt causæ, ita & varius est ex ea morientium status. Alii enim veluti sopiti moriuntur, alii etiam inter loquendum: plerosque tamen comitantur acutissimi dolores, spasmus, deliria, &c. Quibus enim Gangræna orta ex intemperie sicca, aut quibus ætas grandior, & extenuatio multa, hos ferè mors opprimit loquentes. Quibus autem Gangræna ex intemperie calida, ferè morte violenta perimuntur, quam comitantur febris, syncope, delitia, paraphrenitides & spasmi, præsertim si juvenis, & robustus æger fuerit. Contrà quibus intemperies humida in causa est, hi somnolenti, & sopiti pereunt. Hujus rei exemplum Anno 1604. Paterniaci in sexagenario Viro Dn. *Philiberto Ruerat* ibidem Patricio, & Senatore Prudentissimo, mihi videre contigit. Is enim desperata hydrope laborans, cùm suo & adstantium desiderio, atque efflagitatione maxima, crura (non tamen sine prognosticatione de futuro atque præsenti periculo) scarificassem, ad tempus quidem levamen

aliquot

aliquot percepit, quin etiam tussicula, quâ antea laboraverat, multùm immutata fuit, tandem nihilominus Gangrænâ correpta fuerunt crura, ex qua 12. Novemb. Anno 1604. quasi somno & sopore correptus, placidissime & pie naturæ satisfecit.

Cap. 12. *Gangrænæ curatio universalis.*

PRobè cognitâ Gangrænâ, ac de ea prudenter prognosticatione factâ, ad curationem deveniendum est, ea verò in remediis tum universalibus, hoc est, Gangrænæ, cum aliis morbis communibus, tum particularibus consistit. Universalia sunt; verbi gratiâ, diæta, evacuatio corporis, adhibitis purgationibus, phlebotomiâ, cucurbitulis, frictionibus, &c. Particularia traduntur scarificationes, cauteria, sive potentialia, sive actualia, & quæcunque hujusmodi putredini & malignitati repugnant, caloremq; nativum, ac humidum radicale refocillant, atque instaurant, de quibus *infrà* fusiùs. In administrandis remediis universalibus accuratè perquirenda est causa antecedens sive interna; ut ab ea sumatur prima curationis indicatio. Nam si Gangræna proficiscitur ab influxu humorum calidorum, & humidorum, oportet diætam, & sex rerum non naturalium usum tendere ad refrigerandum, & exsiccandum: sin verò adfuerit febris (rarò autem occurrit Gangræna, quæ non sibi adjunctam habeat febrim) tum diæta paulò humidior præcipienda est ægro, juxta illud *Hippocratis*: Victus humidus, adde & frigidus febricitantibus ut contrarius confert, præsertim pueris, & qui tali victu uti consueverunt, consuetudo enim consimilibus indiget, naturam imitans. Eadem quoque victûs ratio convenit, si materia calida & sicca fuerit. Purgatio siquidem erit necessaria, perficietur Cholagogis, uti electuariis Diasebesten, Diaprunis, solutivo Mesuę, de succo rosarum, syrupo rosato solutivo simplici, & compos. cum rhabarbaro, agarico, & sena, cassia, manna, & similibus. Phlebotomia, & cucurbitulæ, hirudinumque applicatio conducibilis, cùm ad revulsionem, & derivationem, tum ad humoris peccantis evacuationem, præsertim in Gangræna ex affluxu sanguinis. Venæ sectionem enim, ut docent celeberrimi Medici, præscribimus, ut morborum incrementum impediamus, inflammationes vitemus, meatus aperiamus, transpirationem liberam reddamus, peccantem materiam minuamus, corpusq; refrigeremus. Illa autem vena secanda est, ut *Galenus* docet, quę ab ipsa affecta particula sanguinem celeriter avertat: inprimis si præter affectum externum interna inflammatio quoq; adfuerit. Cæterùm etsi nonnulli etiam in non plethoricis, non secus ac in plethoricis corporibus, venam secare jubent, in ægris tamen Gangrænâ laborantibus, cautè hac in re agendum est. Si enim Gangræna ex intemperie frigida & humida, veluti in hydropicis acciderit, venæ sectio vix locum habebit. Multò minùs adhibere convenit, si Gangræna ex intemperie frigida & sicca, abr propter penuriam alimenti vel etiam propter senectutem decrepitam, originem traxerit. Sin mera bilis flava, hoc est humor cholericus præ aliis abundaverit, phlebotomiæ parcendum est: quippe sanguis veluti frenum humoris biliosi est. Hinc fit, quod *Galenus* in erysipelate & herpete venam minimè secandam, sed corpus à flava bile potiùs purgandum esse doceat. In erysipelate tamen phlegmonoso venæ sectionem rationabiliter adhiberi posse *Tagaultius*, & alii testantur. Sed quia hac de re apud classicos auctores variæ sunt opiniones, nec cuivis Chirurgo datum: ut possit distinguere, an sola bilis prædominetur, an verò alios sibi adjunctos habeat humores, perquam necesse est, ut Medicum in consilium quoq; adhibeat æger, quo omnia ritè & cum præmeditatione adhibeantur. Unum tamen ut sciat Chirurgus (non enim semper sibi adjunctum potest habere Medicum) necesse est: nimirum si in facie fuerit erysipelas, & suffocationis periculum, sanguinem detrahendum esse. Cùm enim erysipelas, non tantùm ratione qualitatis humoris, & sanguinis, verùm etiam suæ qualitatis, vehementissimas inflammationes excitet, insignem refrigerationem requirit. At refrigeratio illa, quàm periculosa sit in facie, etiam tyronibus notum est, quandoquidem refrigerantium, & repellentium vi, materia ad partes nobiles, in primis ad cerebrum, protruditur. Quapropter non solùm Topicis, verùm etiam victûs ratione, internisq; medicamentis corpus refrigerandum est, & enemate exonęratâ alvo, sanguis ex brachio lateris dolentis detrahendus; & quidem copiosè, ne inflammatio in Gangrænam transeat. Id enim cuidam fæminæ 24. circiter annorum ætatis, in pago Pulli propè Lausannam habitanti, quin advenerit, parum abfuit. Huic cùm ãno 1615. mense Aprili materia quædam catarrhosa in dextram partem faciei decubuisset, & circa labium superius pustula cum ingenti dolore exorta fuisset, octava die morbi me accersivit. Tum totam faciem, imò & ipsam linguam & collum adeò intumefacta inveni, ut vix cibum, aut potum deglutire posset. Febris aderat continua, nausea, & capitis dolor. Inflammatio erat maxima, cum quadam lividitate, & ita quidem, ut nihil aliud, quàm Gangrænam in proximis esse, & de vita periclitari ægram vereter. Curationem porrò sic institui, laxatâ alvo, venam in cubito dextro pertudi, & ad uncias decem (erat enim plethorica) sanguinis extraxi, mox sequens cataplasma applicui.

R. Sempervivi minoris
Geranei ana M.j.
Farinæ hordei ℥iiij.

Commisceantur diligentissimè in mortario, fiatque cataplasma, addendo aquæ rosarum q. s. applicetur tepidè. Eadem nocte meliùs habuit: postera die corpus cholagogo expurgavi, tenuissimamque victûs rationem præscripsi. Primam potiunculam propter colluviem pravorum humorum in ventriculo collectorum, cùm evomuisset, sequenti die illam iteravi; idq; maximo cum successu. Intra paucos dies enim summa cum admiratione adstantium pristinæ sanitati restituta fuit.

In Gangręna ex qualitate occulta venæ sectio vix locum habebit. Verendum enim esset, ne maligna illa qualitas ab externis partibus, ad partes nobiles rapeeetur, mortemque acceleraret. Quapropter sanguis præcipuè in plethoricis, scarificationibus, sanguisugis; cucurbitulisque ex parte affecta potiùs, quàm alibi incisâ venâ, evacuandus est. Quod si Gangręna jam in Sphacelum abierit, maximaque putredo adfuerit, eandem ob causam venæ sectionem vix administrare licebit, quemadmodum capite 18. declarabimus.

Porrò siderum adspectus, an in venæsectione observandus, inter se discrepant Medici. *Alii* enim inquit *Horatius Augenius, dies quosdam infaustos & infelices observant, tum pro purgatione, tum etiam pro vena sectione.* Quam opinionem ab Ægyptiis proditam fuisse, idem *Augenius*, post *Guidonem* & alios testatur: & *Ptolomaus* hæc habet verba: *Membrum* inquit *ferro ne percutito, cùm luna signum, quod ei membro dominatur, obtinet. Hæc enim totum corpus humectat, præcipuè verò membrum signo subiectum, quod tunc ipsa percurrit, cujus profectò largiore humectatione magnum illi nocumentum adferatur, si ferro tunc ictum fuerit:* Hæc *Ptolomaus*, cui & nonnulli ex neotericis adstipulantur

adstipulantur. Apud *Hippocratem* verò & *Galenum* ne verbum quidem de hisce observationibus Astrologicis me legisse memini. Legimus apud *Galenum* suo tempore vixisse Medicos, qui ante tertium diem morbi venam non secabant. Non quidem ratione siderum, sed ut dignotionem aliquam haberent, qualis sit forma & morbus, totaque suâ naturâ morbus. Hi Diatritarii appellabantur contra quos *Galenus* disputat, loco præallegato, tandemque hæc addit verba. Quoniam verò, inquit, temporis progressu in plurimis morbis virtus exolvitur, ideò mittendi sanguinis occasio dierum numero amittitur. Hæc si quis ad observationes Astrologicas quoq; referre velit, meo quidem judicio à via rectâ minimè aberrabit. Dum enim benignum vultum siderum expectamus, occasionem, quæ præceps est, amittimus. Quapropter non immeritò *Horatius Augenius* loco antea citato hæc protulit verba: *Ego*, inquit, *nihil conferre ejuscemodi observationes non rarò sum expertus, & meritò quidem. Primùm, quia cœlum universalis est causa, qua non agit, nisi causa particulares bene disposita fuerint: tum etiam deinde quia Astrologia judicia plurimùm incerta sunt, varia, ambigua, suosque opifices illudentia, ob diversitatem proximarum causarum. Idcircò in agroto homine temerè eam admittimus, cùm plurimum urgeat occasio.* Hactenus *Augenius*. Hujus quoq; sententiæ fuisse insignem illum Philosophum ac Medicum *Levinum Lemnium*, patet ex libro ejus 4. de occultis naturæ miraculis c. 15. ubi hæc habet verba: *Cæterùm cùm luna decursus magnâ ex parte damna ac detrimenta corporibus infirmis & valetudinariis inferat, in controversiam, ac disputationem vocari possit. An in ea parte qua consistit ac moratur luna, incidenda? nam in hac re plerique meticulosi sunt, nec tale quiddam tentare audent, etiamsi morbus urgeat, atque hujusmodi præsidium confestim exposcat. Ego verò intrepidè, magnaque subsidii, morbique propulsandi fiducia, maturè id aggrediendum judico: acuti enim celeresque morbi, nullas admittunt inducias, nullas moras, aut deliberandi spacia: sed ut hostis in bello, ut incendium in ædibus, pestis in urbe, in agro ac segete rubigo & depopulatio grassantur atque in perniciem properant. Nec quis etiam deterreri debet, aut ab incepto desistere, etiamsi adverso, aut maligno sidere id teneri videatur. Sic in pleuritide; angina, pulmonis atque hepatis inflammatione, neglecta astrorum anxia observatione, ac siderum adspectu, maturè ad venæ sectionem properandum, etiam in ea membri parte, quam luna occupat.* Plura hac de re lector videre poterit apud *Arnoldum de Villa nova*, *Guidonem*, *Ioubertum*, & alios.

In extirpatione morborum Gangrænâ affectorum, cum imperitis de electione signorum cœlestium, non rarò mihi certare quoque opus fuit; etiamsi periculum quàm maximum in mora esset. Sed laus sit Deo, qui semper mihi suâ gratiâ ita adstitit, ut etiam in gravissimis operationibus, & in diebus infaustis (ut loquitur vulgus) imò & in ipsissimo membro, cujus signum tunc Luna obtinebat, administratis, omnia tamen ad votum successerint. Et sincerè dico, ne minimam quidem alterationem post venæ sectionem, aliasque operationes contra regulas Astrologicas factas, unquam secutam in tota praxi mea me observare potuisse. Videant igitur tyrones, ne ab instituto facilè deterreantur. Si enim præclara illa lumina *Hippocrates*, *Galenus* & *alii*, quos citavimus, observationes illas Astrologicas flocci fecêre in venæ sectione: quantò, quæso, minùs in aliis quamplurimis gravissimis periculosissimisq; operationibus, ubi minimè procrastinandum, & benignus aspectus siderum exspectandus, locum habebunt? In peracutis enim morbis vel purgandi, vel venam secandi opportunitatem à cœlo petendam non esse, docent viri docti.

A vino quoque, cerevisiâ generosâ, & calidis omnibus, abstineat æger: bibat verò Ptisanam, cui sint incocti Tamarindi, Oxalis, addito syrupo citriorum, aut de succo limonum, de acetosa, aurantiorum acetosorum, granatorum, & similium. Aut utatur decocto Agrimoniæ & veronicæ cum suprà dictis syrupis, emulsiones seminum frigidorum, & lac amygdalatum, hîc summopere conveniunt.

Sin ex causa frigida & humida sit morbus, diæta, & sex rerum non naturalium usus vergant ad mediocrem calorem & siccitatem. Quamobrem addantur in cibis rosmarinus, hyssopus, thymus, majorana, cinamomum, macis, crocus, & similia. Apozemata quoque alterantia, & obstructiones aperientia exhibenda sunt. Postea pituita purganda electuario Indico majore, & minore, diaturbith, diaphænico, diacarthamo & similibus, pro ratione ægri, ætatis & virium. Tandem quavis arte corpus à pravis humoribus evacuandum, & exsiccandum. Partes item nobiles, imprimis jecur, trochiscis de rhabarbaro, de eupatorio, diarrhod. Abbatis, confectione alkermes, & similibus roborandæ sunt. Venæ sectionem quoque nisi particularis aliqua occasio intervenerit, non usque adeò hîc, propter hepatis ut plurimum imbecillitatem approbare possum.

Prædominante humore melancholico, sive atra bile, abstineat quoque æger à cibariis crassioribus, & concoctu difficilibus, salitis & fumo exsiccatis carnibus, piscibus, aromatis, leguminibus, ferinâ, avibus aquatilibus & similibus. Ac ubi præparatus fuerit humor syrupis de epithymo, de fumaria, & lupulorum, sumptis cum aquis distillatis, aut decocto earundem herbarum, purgetur diasenna lenit. pulv. senæ præpar. confect. Hamech. aut pilulis de fumo terræ. Dissolventur isthæc electuaria in decoctione fumariæ, epithymi, rad. polypodii, lappat. acuti, & corticum radicum frangulæ.

Si Gangræna proficiscatur ex siccitate, & ex atrophia; erunt internæ partes humectandæ bono alimento, veluti jusculis carnium, recentium pullorum, gallinarum, caponum castratorum & similium. Totum item corpus oleo amygdalarum dulcium, liliorum alborum, violarum, pingued. gallinæ, & similibus, ut calor nativus conservetur, inungendum est. In hac Gangrænæ specie nocet venæ sectio, itemque frictiones, & cucurbitæ: nisi fortè ipsi parti affectæ adhibeantur, alliciendorum gratiâ spirituum & sanguinis, quo ipsa alatur. Ætas quoque, temperies corporis, sexus, regio, & anni tempestas indicant, quid facto sit opus. Amplius enim refrigerantia desiderantur in habitu bilioso, æstuosa regione, tempore, & anni tempestate itidem calida, quàm si omnia secus habuerit.

In topicorum quoque usu habenda erit ratio, nempe 1. causæ. 2. ætatis 3. sexus. 4. virium. 5. partis affectæ. 6. omnium verò maximè vehementiæ, & magnitudinis morbi. A causa morbi, quemadmodum ab initio hujus cap. iis quoque monstravimus, præcipua & prima sumitur indicatio. Nam si fuerit affluxus plegmonicus, potentiùs refrigerandum est, & evacuandum, quàm si causa in humore pituitoso consistat. Præterea humores arcendi sunt defensivis. Si verò causa Gangrænæ intemperies sicca, & defectus nutrimenti, atque sanguinis fuerit, quocunq; modo id fieri poterit, ad partem affectam nutrimentum atque sanguis attrahendus est. Evacuationes quoque corporis, venæ item sectio, & usus cucurbitularum, atque defensivorum hîc minimè conveniunt. Rursum si causa sit arctior ligatura, ea solvenda, & medicamen

adhibendum

autem illam incidendis, abstergendis, & deliccandis humoribus retentis circa ligaturam, quò pateat spiritibus via. Si erit luxatio, aut ossium eminentia, suo quoque loco restitui oportet, quò ad fieri poterit. Tumores schirrhosi, aliaque præternaturalia, si circa vasa magna induruerint, sanguinique & spiritibus, ne perfluant, impedimento fuerint emolliendi, & discutiendi sunt.

Secunda indicatio ab ætate desumitur. Nam juveni ægroto caro, & partes omnes molliculæ: sunt proinde medicamenta adhibenda minùs efficacia, quàm quæ provectioribus. Horum enim caro & partes duriores, verbi gratiâ agricolarum, nautarum, venatorum, bajulorum, & aliorum ejusmodi laboriosam vitam agentium. Et ut verbo dicam: necesse est, ut medicamentum cum natura, ætate, ac viribus ægri suam habeat proportionem.

A sexu itidem indicatio. Ferè namque delicatiùs tractanda mulier, aut puella, quàm vir quispiam, aut habilior adolescens: similiter & molliùs otiosi, ac delicati omnes: Itemque Eunuchi, quàm superiores illi agricolę aliique id genus.

Ab ægri quoque viribus quarta sumitur indicatio. Nam si firmæ fuerint, Chirurgo integrum erit applicare valentia remedia, & necessarias operationes exequi. Sin morbo jam dejectæ vires, vix præstari poterunt, quæ alioqui necessaria forent. Est itaque prudentis hominis, (quemadmodum Celsus docet, eum, qui servari non potest, non attingere, ne videatur occidisse, quem sors ipsius peremit.

Quinta indicatio petitur à parte affectâ. Nam oculi, os, pudenda, uterus, anus, articuli, vertebræ, & alia id genus, itemque partes exquisito sensu prędite, sunt molliùs tractandæ, quę sunt musculosæ, uti brachium, tibia, &c. Ita sese gerat Chirurgus, quoad ejus fieri poterit pro ratione indicationum, quę sese offerunt.

Sexta & postrema superest indicatio, quę propemodum omnia subvertit, nempe morbi magnitudo. Itaque si recens est morbus, & putredo tantummodò superficiaria; sat est, leviter scarificare partem affectam, & adhibere Ægyptiacum nostrum suo loco descriptum, vel simplex vel melle rosaceo temperatum, pro partis affectę natura, proque ætatis & sexûs ratione. Sin gravis sit morbus, mineturque Sphacelum, scarificanda, & incidenda est pars altiùs, apponendumque Ægyptiacum, aut ruptoria, & cauteria potentialia: aut ipso actuali cauterio, si quidem fieri potest, auferendum quicquid corruptum est. Nihil enim in tam diro morbo, in quo non solum de parte aliqua, verùm etiam de toto corpore agitur, clementer agendum; maximè cùm degenerat in Sphacelum. Quapropter si superiores indicationes vel tantillam spem faciunt, protinus adhibendum est extremum remedium, juxta Hippocratis Aphorismum: *Extremis morbis & maximis, quales sunt peracuti, quibus periculum impendet, extrema remedia, ut est victus tenuissimus, & alia præsidia maxima, sunt adhibenda.* Interim tamen nihil temerè sed omnia secundùm rationem, & non nisi factâ prognosticatione, coram astantibus facienda sunt. Non enim agitur hic de corio boum, sed de homine, ad imaginem DEI facto. Attamen remedium simul & operatio si cum morbo Analogiam habuerint, non possunt non esse utilia, quamtumvis violenta fuerint. Sic Helvetio illi in capite vulnerato, cujus capite quarto mentionem fecimus, vidi præstantissimum Dn. *Johannem Griffonium* Chirurgum longè excellentissimum adhibuisse supra duram matrem syrupum ex unguento Ægyptiaco, liquidissimam scilicet ipsius unguenti partem quæ pulveribus subsidentibus innatat: unde statim cohibita est putredo, quæ duram matrem occuparat: alioquin remedio imbecilli nihil fuisse effectum, erat verisimile: Sicque extremus morbus extremo curatus fuit remedio. At Ægyptiacum hic valentissimum, aut extremum appello remedium, habitâ partis ratione, cui apponebatur; quod alioquin extremum dici non possit. Monitos interim velim Chirurgos, ne hæc aliave id genus valentia remedia adhibeant; cerebri membranis; nisi manifestâ putredine seu corruptione tentaris; qualis in illo Helvetio cernebatur, in qua medicamentum suas operationes cum fructu perficere potuit. Deinde ut iis parcè utantur, ac cùm primùm vehementia morbi inhibita fuerit, ab iis desistant. Bis itaque aut ad summum ter membranis cerebri imposito syrupo isto Ung. Ægyptiaci, & quidem in maximis putredinibus, sufficit. Deinde mitiora applicanda sunt. Filamentis autem nequaquam applicandum est medicamentum hoc, modum enim excederet, & ad partes sanas defflueret, maximaque symptomata excitaret: sed penicillo minimo pictoris, prædicto syrupo intincto superficies membranæ parcè, uti dixi, leviterque illinenda est. Est enim medicamentum summè acre, respectu membranarum cerebri, quę exquisitissimo sensu sunt prędite. Quapropter graviter errant barbitonsores nonnulli, quorum nomina, studio hic supprimo, qui oxymel in vulneribus capitis, & quidem detectis membranis, copiosè applicant. Propter acrimoniam enim aceti gravissima excitat symptomata, præcipuè autem dolorem ingentem ac maximum; quem è vestigio membranarum inflammatio, febris, delirium, spasmus, paralysis, tandemque mors sequuntur. Quapropter ego in detectis membranis cerebri vix melle rosaceo per se, nisi cum aliis mixto, uti ausus sum. Meninges enim cerebri, quia exquisitissimo sensu sunt prędicæ, nihil acre sufferre possunt.

Porrò, quia omnis in universum Gangręna & Sphacelus, putrefactionis virtute, veneni plus minusve particeps est, pro ratione morbi majoris minorisve, conservandæ, firmandęque partes primarię, cerebrum, cor & jecur, ut ne vaporibus & exhalationibus, à putredine ista subortis tententur, idque remediis tum internis, tum externis.

Cor omnesque partes nobiles egregiè corroborat, easque à vaporibus malignis tuetur lapis Bezoar, cum aqua aliqua appropriata, veluti buglossæ, borraginis, cardui benedicti, aut melissę exhibitus. Ego ut plurimum nonnihil confectionis Alkermes, & aquæ cinnamomi destillatæ sine vino addo; non solùm, quòd cor partesque nobiles roborant, verùm etiam ut sint veluti vehiculum lapidis, qui alioquin tardè operatur. De Dosi hujus lapidis authores inter se non conveniunt, cùm alii magnam probent, alii verò ipsum in exigua quantitate exhibeant, de quo vide Dn. *Casparum Bauhinum*. Ego à granis quatuor ad sex vel octo exibeo. Sequens quoque pulvis cor partesque nobiles mirum in modum roborat.

℞. Lapidis Bezoar
Ossis de corde cervi ana ℈j.
Margaritar. pręparat. ℈ij.
Cornu cervi usti, pręparat.
Terræ sigillatę ana ʒj.
Sacchari candi ʒiiij.

Misce, fiat pulvis, de quo drachma una, cum aqua appropriata, ut dictum est, exhibeatur.

Os quod in corde cervi reperitur, insignem habere vim corroborandi cor hominis, indubium vocare minimè

minimè contendam; sed quia in corde boum hujusmodi ossa quoq; reperiuntur, & plerumq; à Pharmacopolis pro ossibus de corde cervi substituuntur; Videat Medicus ne decipiatur. Ego expertus loquor, pharmocopolam enim & aromatarium quendam celebrem familiariter cognovi, qui quorquot laniones mactabat boves, eorum corda sibi afferenda curabat: à quibus extracta ossa, pharmacopolis in nundinis pro ossibus de corde cervi vendebat. An autem crudum, aut potius ustum & præparatum exhibendum sit, postea dicam. Quibus non suppetit Bezoar, per intervalla scrupulus terræ sigillatæ, aut boli Armenæ aut cornu monocerotis exhibendus: huic tamen, ut testantur viri docti, cervi cornu haud multùm cedit contra venena, & venenatos morbos: à malignis enim vaporibus cor defendit, & ut *Gregorius Horstius* testatur, viscositatem humorum incidit, internorum viscerum obstructiones aperit, & vi sua penetrandi putrescentibus humoribus resistit, adeoq; Balsamica quadam virtute malignitatem humorum corrigit: unde *Jouberto* maximè Cardiacum dicitur.

Calcinatum autem & præparatum, teste *Horstio*, loco ante citato, non crudum exhibendum est, cùm crudum propinatum frequenter eodem modo, ut fuit exhibitum, per alvum, sine omni alteratione reddatur. Spirituosa enim substantia, omnis actionis causa, per fœculentam materiam additam, colligata, impeditur quo minùs virtutes suas exercere possit, ita ut in crudo vis illa quasi sepulta jaceat: imò sal etiam balsami sui vires exercere nequit, nisi terrestribus suis vinculis expediatur. *Cum igitur vis illa diaphoretica*, inquit idem *Horstius*, *quæ propter salem fixum inest huic remedio, unà cum aliis qualitatibus ab impedimentis suis post calcinationem, & præparationem maximè liberata sit, ideò concludimus, magis conveniens esse cornu cervi ustum & præparatum quàm crudum, imò tam tutum & jucundum in gravissimis quoq; morbis hoc medicamentum est, ut omni ætati, ipsis etiam recens natis commodissimè, necessitate urgente prabeatur*. Hactenus *Horstius*.

Eadem quoq; methodo in exhibitione ossis de corde cervi (quod hominis cor, ut testatur *Quercetanus*, quadam substantiæ similitudine roborat, & ad cardiacam affectionem, syncopemq; inprimis utile est) procedendum esse existimo Illud enim nisi prius calcinatum, & præparatum fuerit, propter suprà dictas causas veluti inutile esse, & vires suas minimè exercere posse, sed cum excrementis sine omni alteratione per alvum excerni, quis quæso in dubium vocare poterit?

Hic autem negligentia, aut potiùs imperitia quorundam Pharmacopœorum notanda est, qui cornu cervinum non in catillis fusoriis, aliisq; vasis ad præparationem medicamentorũ aptis, sed simpliciter inter carbones comburunt: præparatio profectò, quæ uti compendiosa, & Pharmacopœis facilis, ita etiam sordida ægrisque exitiosa est. Quandoquidem carbones malignum & pestiferum in se continere vaporem, inde manifestum fit, quod accensi in loco aliquo occluso dolorem capitis, nauseam, & lipothymiam excitent, mortemq; aliquando immaturam accelerent, uti Coloniæ Agrippinæ circa annum 1593. duobus accidisse memini: qui cùm noctu in platea, *die Kleeker Gasse* appellata, vigilias agerent, & in domuncula quadam ad id extructa, carbones ligneos incendissent, mortui reperti fuere: tertius verò etiamsi velut in agone versaretur, ad aërem tamen deportatus, adhibitisq; ipsi, quæ adhibere debuerunt, pristinæ sanitati restitutus fuit. Cæterùm cornu cervinum, dum in carbonibus istis comburitur, cineresq; undiq; ipsi adhærent, facilè aliquid malignitatis ab ipsis carbonibus retinere posse, ratio suadet.

Succus citriorum cum saccharo, & prisana, aut decocto agrimoniæ & veronicæ, in eundem usum efficacissimus, Theriaca, & Mithridatium laudantur, si solvantur aqua, aut decoctione cardui benedicti, & ægro præbeantur à scrupulo uno ad drachmam unam. Sunt quoq; conservæ rosarum, violarum, hugloffi, & nenupharis utilissimæ. Et si vehementior sit febris, cordialibus (theriacæ, & Mithridatio) addendum est aliquantum throchiscorum de camphora. Camphora enim inter fortissima alexiteria non immeritò à viris doctis numeratur: putredini enim mirum in modum resistit. Quapropter non solùm vapores, qui ex corrupto & putrefacto membro versus cor ascendunt, repellit; verùm etiam maximum illum calorem internarum partium temperat. In magnis tamen capitis & ventriculi doloribus hâc cautè utendum esse monet *Minderernus*: *Licèt* inquit, *extrinsecus frontis embrochis splenis & perfusionibus indita, semper nobis visa sit plurimum profuisse*. Sequens itaque potiuncula per intervalla ægro exhibenda est:

R. Theriacæ optimæ ℈ij.
Cornu cervi usti & præparati ʒß.
Syrup. de succo citronum ℥j.
Trochiscot. de camphor ʒß.
Cum aq. card. bened Fiat. potiuncula.

Pueris delicatulis, qui præscriptam potionem propter saporis gravitatem bibere non possunt, detur sequens potiuncula.

R. Lapidis Bezoardici,
Margarit. præpar. ana gr. iiij.
Cornu Cervi usti & præpat. ℈ß.
Cum decocto agrimoniæ & veronicæ, fiat potiuncula.

Confectio Alkermes quoque per se coe partesque nobiles roborat, & malignos vapores repellit, præcipuè si scrupulum unum, aut alterum cornu cervi usti & præparati admiscueris.

Extrinsecus applicandum est sequens epithema:

R. Aquarum rosarum.
Buglosse
Borraginis ana ℥ij.
Vini Malvatici ℥j.
Aceti ʒß.
Specierum diamargar, frigid.
Ligni Aloes.
Corticum citri
Rasuræ eboris ana ℈ß.
Croci gr. vj.

Misce, fiat epithema, applicetur tepidum cordi regioni, cum panno purpureo.

In pauperiorum gratiam æstate accipitur borrago, acetosa, & melissa; contundantur in mortario cum cyatho vini albi & pauxillo aceti rosati, expressioni addatur cinnamomum & crocus, pulverisata, dein applicabuntur, ut suprà.

Contemperandus quoq. vehemens jecoris caloe; idq; exhibito ægrotanti syrupo citriorum, granatorum, acetosæ, violarum, oxalidis, de agresta, aut de ribes, cum aqua buglossæ, borraginis, aut acetosæ; Aut dentur cum decocto agrimoniæ, veronicæ vel cum prisana. Poterit quoq; parum specierum diamargariti frigidi admisceri. Interim à vino aliisq; calidis prorsus abstineat æger. Extrinsecus jecori sequens epithema tepidè applicetur.

R. Aquarum endiviæ,
Agrimoniæ,
Cichorii,
Lactucæ,
Absinthil an. ℥ij.
Aceti, ʒß.
Specierum diarrhod. Abb. ʒj.
Sandali rubri ʒß. Misce.

Si

Si turis tuti, desintque aquæ destillatæ, harum loco herbæ illæ aut omnes, vel pleræque omnes usurpentur: succus exprimatur, aut fiat earundem decoctio, deinde addito pauxillo aceti, & caphuræ, applicetur tepidè jecori cum panno rubro.

Si capitis dolor vehemens sit, nec æger somnum capiat, vapores clysteribus & suppositoriis revellantur: inungantur tempora, & frons unguento populeo, vel sequente.

R. Ol. rosarum,
Nenuphatis an. ℥. ß.
Caphuræ,
Opii dissoluti in aqua betonicæ an. gr. vj.
Misce, fiat linimentum.

In eundem usum applicato frontale ejusmodi

R. Aq. Rosarum
Betonicæ ana ℥ij.
Aceti.
Ol. Rosacei.
Misce, applicetur tepidè.

Si dolor capitis, vigiliæ, & inquietudines maximæ fuerint, detur ægro aliquid laudani, aut triphetæ magn. cum opio.

Æger, uti dictum est, abstineat à vino & cæteris rebus calidis, aut concoctu difficilibus, quippe ex his vapores ad cerebrum copiosi transmittuntur: quos ut inhibeas, post cibum sumere poteris aliquantum ex miva cydoniorum sine speciebus, è conserva rosarum, rob de ribes aut berberis & similibus.

Defensiva loco affecto applicata impediunt quoque, ne vapores ad caput ascendant, sed cautè eis uti licet. Ex immoderato enim usu adstringentium, aliquando Gangrenam fieri *cap. 6.* declaratum fuit.

Cap. 13. *Curatio Gangrænæ particularis, nempe ejus, quæ ex alteratione vehementi per qualitatem manifestam ortum ducit.*

IAm proximo *præcedente capite* attigimus, quæ in genere ad curationem Gangrænæ pertinent: sed cùm non veniat in Chirurgi manus gravior, aut difficilior morbus, haud erit abs re, eundem paulò fusiùs persequi. Ubi igitur ex ante commemoratis signis perspexeris, ortam Gangrænam ex intempestivo affluxu, & inflammatione sanguinis, perpendendum est, sistaturne materia, an verò adhuc defluat in partem affectam. Materiam autem defluere judicabis, si dolor ingens, inflammatio item magna, ac vehemens febris fuerit, axillarumque, aut ilium glandulæ subtumidæ sint ac dolorificæ. Tum quavis arte primò inhibenda est defluxio: deinde eadem aliò derivanda: tertiò & evacuandum, quod in loco affecto jam congestum est.

Primum illum scopum assequemur adstringentibus, sive defensivis, quibus defluxio potest arceri à parte affecta. Chirurgus itaque statim ab initio post præscriptam victûs rationem, qualis antea proposita est, applicet loco affecto defensivum sequens.

R. Boli armeni ℥iiij.
Terræ sigillatæ ℥ij.
Cornu cervi usti &
Rasur. eboris an. ʒij.
Caphuræ ʒiij.
Ceræ ℥iij.
Ol. rosati ℔j.
Aceti ℥iiij.
Aquæ rosar. ℥ij.
Album. ovorum num. ij.

Misce, fiat unguentum, quod diu servari potest. Aut quod parabilius est, impensæque minoris.

R. Farinæ hordei ℥iiij.
Boli armeni albi ℥ij.
Pulv. gallarum virid.
Nucum cupressi
Corticum granatorum an. ʒj. ß.
Caphuræ ʒj.
Cum oxymelite, fiat cataplasma.

Alterutro in eundem usum promiscuè, aut aliò quopiam ad arbitrium uti potest Chirurgus: mihi posterius usitatum est. Oleosa enim mihi omnia, aut quovis modo pinguia suspecta sunt in Gangræna: poros enim obstruendo, transpirationem inhibent, & vapores putridos in parte affecta retinent. Cessante defluxione, possunt defensiva intermitti, ut innatum calidum minore negotio penetrare queat in partem affectam, Sin aliquod corruptionis principium sese patefaciet, tum erunt continuanda defensiva, ad arcendos vapores, qui ex putredine ad partes primarias attolluntur.

Alter scopus est aliò revellere, & derivare humores in partem affectam affluentes idque quàm citissimè, adhibitis purgationibus, phlebotomia, cucurbitis, hirudinibus, aliisque id genus remediis. Corpus purgandum medicamentis lenientibus, puta bolo sequenti:

R. Cassiæ recens extractæ ʒij.
Elect. diacathol. ℥ ß.
Cum sacch. fiat bolus.

Aut dissolvendo in aqua buglossæ, aut decocto endiviæ, lupul. scabiosæ, cichorii, & florum cordialium, fiat potio. Alvus laxa servanda: lubrica reddetur quoad ejus fieri poterit usu, seu clysterum & balanorum, seu etiam prunorum dulcium decoctorum in infusione sennæ, mechoacan. & rhabarb. si animus est purgare validiùs.

Secanda vena, nisi ætas, tempus, aliudve quippiam obstiterit, & multùm sanguinis extrahendum à sumpta indicatione à magnitudine morbi, & virium ægrotantis. Vena aperiatur, quæ consensum habeat cum parte affecta, observatâ interim fibrarum rectitudine.

Hic quoque utiles cucurbitæ, iis præsertim, qui phlebotomiam ferre nequeunt: Sic & hirudines ano adhibitæ, ad evacuandum humorem atrabilarium. Arctior quoque ligatura remotarum partium utilis: ac frictiones, quæ fiunt manu, & linteis calidis, noxiæ, sanguinem enim & humores subtiliores & actiores reddunt.

Tertius scopus est, ut pars in pristinum, ac naturalem statum restituatur. Id fiet evacuato accuratè sanguine, & cæteris humoribus parti affectæ impactis, ac in ea conclusis. Itaque quamprimum prospiciendum est, quid facto sit opus, & scalpelli acie tentandum, sit ne gangræna profundior, an superficiaria: tum pro diversitate ratione scarificationes leviùs aut altiùs imprimendæ: dein satis magna sanguinis quantitas sinenda effluere. Quin etiam si qua sit in parte affecta grandior insigniorque vena, ea audacter, & sine mora incidenda: sic enim sanguis & humores exonerantur, pars affecta refrigeratur, & aperitur pororum obstructio, quæ arteriarum systolen & diastolen inhibeat. Id tamen nequaquam aggrediendum, nisi morbus gravissimus, & æger juvenis; & vires firmæ fuerint. Nervos autem majores, tendines & arterias, nefas attingere, nisi maxima & insignis adfuerit corruptio: alioquin metuendum à convulsione, motus deperditione, doloribus

doloribus acerbissimis, sanguinis profluvio, & spirituum vitalium resolutione, syncope, imò & morte.

Præter scarificationes Avicenna & alii scriptores jubent apponere hirudines, quo plus depleatur sanguinis & humorum: id quod & ipse soleo facere, quoties potissimum sanguis parcus educitur scarificatione. Si desint hirudines, aut si æger eas respuat, soleo tres, aut quatuor cucurbitulas minores applicare: majores enim cucurbitæ vehementiùs attrahunt. Hirudines tamen aptiores, proposito convenientiores. Evacuato sanguine abluenda pars aceto, & sale marino simul liquatis: hæc enim putrefactioni plurimùm repugnant; At si profundior fuerit Gangræna, efficacior adhibenda lotio, qualis ea est, quæ sequitur.

R. Lixivii fortissimi
Aceti optimi ana ℔iij.
Scordii utriusque
Absinthii
Rutæ
Lupinorum contusorum ana M ß.
Rad. Aristoloch. rotund.
Vincetoxici ana ʒß.
Salis marini ℥iij.

Coquantur ad consumptionem tertiæ partis, in colatura dissolve.
Aloës
Myrrhæ ana ℥ß.
Aq. Vitæ ℥ij.
Camphoræ ʒß.

Quoties remedia permutare necesse fuerit, lavare oportebit partem fotu illo tepido: nam præterquam quod plurimum resistit putredini, etiam revocat innatum calidum, resolvit & exsiccat corruptos humores inibi conclusos. Insuper toti parti affectæ scarificatæ imponendum unguentum Ægyptiacum Mesues, quod componitur hunc in modum.

R. Æruginis ℥v.
Mellis optimi ℥xiiij.
Aceti ℥vij.

Coquantur omnia simul donec fiat unguentum spissum & purpureum.

Quod si corruptio major est, soleo idem unguentum sic componere.

R. Æruginis ℥v.
Mellis optimi ℥xiiij.
Aceti ℥vij.

Coquantur omnia simul donec fiat unguentum spissum, & purpureum.

Quod si corruptio major est, soleo idem unguentum sic componere.

R. Æruginis ℥iiij.
Mellis optimi, & cum decocto absinthii, & scordii despumati ℥xvj.
Aceti scillitici ℥vj.
Aluminis rochæ
Salis ammoniaci ana ʒj.
Succi rutæ
Scordii utriusque &
Alliariæ ana ℥iij.

Coquantur ad spissitudinem mellis, deinde admisce
Theriacæ optimæ
Mithridatii ana ʒiiij.
Camphoræ (plurimum enim penetrat, & putredinem inhibet) ʒj.

Sic præparatum unguentum non solùm resistit putrefactioni, sed & temperat, ac minuit vaporum malignitatem, qui perpetuò attolluntur à parte obsessa Gangræna, & læcunt principes. Breviter Ægyptiacum præstantissimum & primarium est in Gangrenæ remediis, separatque mortuam carnem à viva & laudabili gignens escharam. Ubi tota pars Ægyptiaco correcta fuerit, insuper applicari potest cataplasma sequens, quod & ipsum resistit putredini, exiccat humores excrementitios, doloresque sedat.

R. Farinæ lupinorum
Lentium
Fabarum
Lolii
Salis marini an. ℥iij.
Pulv. Summitat. absinth.
Scordii utriusque
Alliariæ
Rutæ ana ℥j.

Coquantur in oxymelite simplici, & fiat cataplasma. Refrigerato adde
Aloës
Myrrhæ ana ℥j.
Aq. Vitæ ℥j.
Misce.

Prædictæ autem farinæ, inprimis lupinorum, mirum in modum in Gangræna, aliisque putridis ulceribus conveniunt: exsiccant enim, discutiunt, & putredini adversantur; Quemadmodum *Dioscorides, Galenus, & alii* testantur. In præparatione autem & usu farinæ, sive lupinorum, sive lentium, aut fabarum fuerit, diligenter prospiciendum est, ne diu cum reliquis pulveribus coquantur. Fieret enim nimis viscosum, glutinosumque, ac proinde inutile cataplasma. Viscosa enim omnia, quia poros obstruunt, vaporesque putridos in parte affecta retinent, in Gangræna, omnibusque ulceribus venenosis ac putridis exitiosa esse, aliâ quoque monui. Atque ego hanc autumo causam esse, cur *Nicolaus Goddinus* in Chirurgia militari has repudiat, utpotè ad Gangrænam inutiles: siquidem emplasticas putat. Quamobrem lævissimè tantùm excoquendæ cum pulveribus. Hæc autem remedia omnia, ablutio, cataplasma, &c. tepidè sunt admovenda, linteisque præterea calidis obvolvenda pars affecta, etiamsi Gangræna orta sit ex inflammatione. Sic enim penè exstinctum, & intermortuum innatum calidum, revocatur, & quasi rursum accenditur in parte affecta.

Chirurgus, quoties ad ægrum accedet, his remediis excitatæ escharæ summam partem tollere conabitur; aut scalpelli acie incidat, usque ad partem sanam, quo detur medicamento quacunque penetrandi via, ad corrigendum, quicquid depravatum, & corruptum est: nec alia procedet methodo, donec videat morbum superatum, & evictum. Id verò ex eo deprehendet, quòd malum non latiùs serpet: & circa ipsum apparebit circulus exactè rubens, & exquisiti sensûs: Separationem enim carnis mortuæ à vivâ naturæ & medicamentorum beneficio fieri indicat: prætetea in isto circulo rubro, materia spissa & alba reperitur. Corriguntur etiam corruptio & caro emortua cauterio, tum potentiali, tum actuali. Pro cauterio potentiali *Johan de Vigo*, & quidam *alii* utuntur arsenico, & sublimato, aut per se, aut cum unguento Ægyptiaco misto, in hunc modum:

R. Floris æris
Aluminis,
Mellis,
Aceti ana ℥ij.
Arsenici pulverisati ʒij.
Sublimati ʒj.

Bulliant omnia simul, priùs pulverisandis pulverisatis, usque ad spissitudinem.

Sed videamus nunc, an arsenicum sive purum, & in pulverem redactum, ut docet *Fallopius*, loco allegato, sive unguento Ægyptiaco permistum tutò in Gangræna applicari possit? Censetur autem Arsenicum in numero medicamentorum, quæ à *Galeno* & aliis

& aliis ſeptica dicantur, hoc eſt, putrefacientia, & uſtoriam vim habentia: Colliquare enim, ut *Galenus* loco proximè allegato addit ſunt nata, & potiſſimùm carnem teneram. Hujus quoque ſententiæ fuiſſe *Avicennam*, ipſius ſcripta teſtantur, his verbis: Putrefactiva verò eſt illa, videlicet medicina, cujus proprietas eſt, ut corrumpat complexionem ſpiritus, pervenientis ad membrum, & complexionem humiditatis membri ejus cum reſolutione, ita quod non eſt conveniens, ut ſint pars illius membri, & non pervenit ad hoc, ut adurat ipſum, & corrodat, & reſolvat humiditatem ejus: imò dimittit in ipſo humiditatem corruptam, in qua agit aliud à caliditate naturali, quare putreſcit. Et hujuſmodi quidem exemplum eſt Arſenicum. Hactenus *Avicenna*. Quibus verbis quid de Arſenico cenſendum, & quàm periculoſus ipſius uſus ſit in Gangræna, ſatis ſuperque docet. Gangræna enim cùm nihil aliud ſit, quam putrefactionis principium, quæ ex calido & humido gignitur, ac ſimilia ſimilibus conſerventur, augeanturque, ut *Galenus* multis in locis teſtatur; non video, quomodo arſenicum, cùm putrefaciens ſit, & humiditatem corruptam, ut *Avicenna* teſtatur *loco prævilegato* in membro relinquat, quicquam laudabile hic efficere poſſit, cùm ſit potiùs putrefactionem promoturum. Ex his apparet, *Fallopium* aliàs virum de Chirurgia optimè meritum, ſibi ipſi contradicere: Libro enim *de tumorib. c. 26.* hæc habet verba: *Fit quinto*, inquit, *Gangræna, cùm medicamentum erodens parti applicatur, ut riſagallum & ſimilia, cùm ſine ratione applicantur, tunc introducitur intemperies calida, deſtruens caliditatem naturalem partis.* Huc in loco applicationem riſagalli, hoc eſt, arſenici, veluti cauſam Gangrænæ poſuit. At paulò poſt & quidem *eodem capite* jubet in Gangræna arſenico, & ſublimato pari pondere pulveriſatis, & commixtis ſciſſuras explere, imò & ſecundò iterare, & ſi prima vice non ſatis operatum fuerit.

Andreas Veſalius inſtitutionum Chirurgicarum *lib. 5. de tumoribus cap. 12.* eadem habet verba. Verùm opinionem illam non genuinam, & *Veſalio Proſpero à Burgarutio* falsò adſcriptam eſſe exiſtimo. Utut autem ſit, non video, quomodo Arſenicum, ſi membro alicui corporis, Gangrænâ minimè obſeſſo, applicatur, Gangrænam procreare, eamque introducere, & è contra Gangrænam jam factam evincere atque extirpare poſſit. Præterea practici, qui ulceribus, ſcrophulis, & fiſtulis applicuerunt unguenta & trochiſcos ex Arſenico paratos, facilè potuerunt obſervare, quàm gravia exoriantur ab eo ſymptomata, nempe dolor ingens viginti quatuor horis ad minimum perſeverans, febris, delirium, deliquia, & ſyncope. Hæc autem ſymptomata ex eo ſiunt omnia, quòd Arſenicum tranſmittat vapores ſuos malignos ad partes principes, illiquatâ prius carne in materiam corruptam, quæ illi pro vehiculo eſt, ad deferendam illius qualitatem malignam, ad eas partes primarias, & quamvis ulcera ſint remota à partibus primariis, ejus tamen malignitas ad eas facilè pervadit per medias venas, nervos, & arterias: cujus rei exemplum lector circa finem quinti capitis videre poterit. Hinc intelligimus, Arſenicum nihil ad Gangrænam conferre: Quapropter *Paracelſus* hujuſmodi cauſtica ex Mercurio ſublimato, & ſimilibus parata, artes carnificum appellare conſuevit. Itaque ſi quando applicanda ſunt cauteria potentialia, feliciùs & tutiùs mihi uſurpari poſſe videntur cauſtica, parata ex fortiſſimo lixivio, è cineribus ſarmentorum, & calce viva. Hujuſmodi enim ruptoria operantur præſentiſſimè, & levi cum dolore, quippe vix ad horulæ ſpatium perſeverat: contrà Arſenico excruciatur æger ad viginti quatuor horas, imò & totum biduum cum ſymptomatis longè graviſſimis. Adhæc cùm Arſenico diſſolvatur, liquefiatque caro, ruptoria contra extenuent, deſiccent, & diſſipent humores ſuperfluos: item cùm maligna & venenoſa qualitas ſoleat pervadere ad partes principes, ut dictum eſt, ruptoria, cùm ſint craſſioris ſubſtantiæ, in ea tantùm agunt, quæ proximè contingunt. In applicatione autem cauſticorum ſive ruptoriorum, magnitudo quoque morbi diligenter perpendenda, & pro ipſius ratione ruptorium aut parcè, aut copiosè applicandum eſt; quapropter Gangræna an profunda, an ſuperficiaria ſit, inprimis acie ſcalpelli pervestigare convenit. Factâ eſchatâ excidenda eſt ipſius ſuperficies, ut carnem vivam proximè attingat, ſin nondum ſatis profundaverit ruptorium, denuò illud applicare convenit. Deinde medicamenta, quæ eſcharam auferunt, applicanda ſunt, de quibus poſtea dicemus.

Sequitur nunc cauterium actuale, nempe ferrum ignitum, quod uti ſupremum remedium, ita quoque maximum putatur, quapropter non immeritò in curatione Gangrænæ & Sphaceli potentiali, ab authoribus claſſicis, dignitate videlicet & præſtantiâ præponitur. Primò, quia potentia ignis, teſtante *Albucaſi*, ſimplex, & omnis alienæ qualitatis expers eſt: quapropter nihil aliud præterquam calorem, & empyreuma poſt ſe relinquit: cum potentiale è contra, inprimis arſenicum, ſublimatum, & hujuſmodi venenatam & malignam qualitatem habeant; & poſt ſe in parte affecta relinquant. Secundò, quia ignis actionem habet determinatam; quapropter ferrum candens non ultra arbitrium Medici operatur: cauterii potentialis verò operatio, nequaquam in poteſtate Medici, ſed in ipſa proprietate medicamenti ſita eſt. Tertiò, præfertur cauterium actuale potentiali, quia propter ignis vehementiam è momento operatur: Potentiale verò, quia ipſius vis atque urendi facultas in potentia tantùm ſita eſt, tardè. At cùm Gangræna ſit morbus peracutus, quique non dat inducias, promptiſſimum quoque remedium celeriter, & abjectâ cunctatione ſecundùm *Hippocratem*, adhibendum eſt: tale autem eſt ferrum candens. Quartò, cùm ut plurimum in Gangræna & Sphacelo ſit humorum excrementitiorum abundantia, medicamentum in ſummo gradu calidum requiritur: At tale eſt ferrum ignitum, non autem cauterium potentiale, præcipuè arſenicum. Etiamſi enim calidum ſit, relinquit tamen poſt ſe humiditatem corruptam, ut *Avicenna* loquitur: Quintò, cùm pars, quæ Gangrænâ laborat, ſupra modum ſit debilis, & propter excrementitiorum humorum abundantiam, laxa, ut corroboretur, & exſiccetur neceſſe eſt. Corroborat autem & exſiccat cauterium actuale, humectar, & debilitat, uti dictum eſt, potentiale; cùm, quia loco affecto malignam infligit qualitatem, tum etiam quia ipſius operatio tarda eſt, ſimul & doloroſa: hinc fit, ut humores ratione doloris copioſiùs affluant, partemque magis magiſque laxam ac debilem efficiant. Dolor verò cauterii actualis momentaneus eſt: quamprimum enim ferrum candens amovetur, deſinit, præcipuè ſi anodynum aliquod applicetur. Quid plura? *Cauterizatio* (*Avicenna* verbis lib. 1. fen. 4. cap. 29. mihi pag. 156. utor) *eſt medicamen valdè utile, juvans ad prohibendum, ne corruptio ſpargatur & ad confortandum membrum, cujus complexio eſt frigida, & ad reſtringendum ſanguinis fluxum.* His verbis quatuor utilitates, in curatione

Gangrænæ

Gangrænæ maximè necessarias, ex cauterio provenire testatur *Avicenna*. Docet enim, 1. cauterium prohibere ne corruptio vicinas partes invadat, 2. ipsum confortare membrum, cujus complexio frigida est. At in Gangræna, etiamsi ex intemperie calida orta fuerit, constitutio tamen partis affectæ frigida est, propter caloris innati defectum atque imbecillitatem. 3. resolvere materias corruptas in membro contentas. 4. & ultimò docet cauterium actuale sistere sanguinis fluorem. Atque hæc omnia in curatione Gangrænæ summoperè sunt necessaria. Ex quibus error simul & inscitia *Felicis Wirtzii* luce meridianâ clariùs apparet: Libro enim 1. cap. 4. de hoc à tot seculis, & à tot viris in arte Chirurgica eruditis, approbatissimo remedio loquens, ad illam usque impudentiam devenit, ut illud à carnificibus inventum fuisse, & non nisi latronibus adhibendum esse, scriptum reliquerit. Nullam tamen aliam causam adfert, quàm quod nervi à cauterio actuali lædantur, contrahanturque: quasi Chirurgus rationalis, & in operibus artis exercitatus, confusè, & absque judicio & ratione operaretur, neque discrimen ullum inter nervos, aut nervosas partes, & venas aut arterias faceret. Venæ & arteriæ ut anatomicis notum est, cuti proximè, nervi verò multò altiùs jacent: quomodo igitur cauterizando venam, aut arteriam, nervi læderentur. Deinde non utimur cauterio actuali ad sanguinem sistendum, nisi maximâ urgente necessitate, & ubi reliqua medicamenta frustra adhibentur, & æger de vita periclitatur. Sed & ex duobus malis, ut sonat proverbium, minus semper eligendum: Si itaque contractio aliqua nervorum pertimescenda esset, nonne tamen præstaret incommodum hoc, quàm mortem subire? Desinant itaque *Wirtzii* Avorum nostrorum divinam scientiam, quâ tot ægri conservati fuerunt, stultè irridere, desinant inquam, remedium hocce, cujus efficacia talis est, quemadmodum divinus *Hippocrates* docet, ut quæcunque ulcera putrida ab ipso non sanantur, insanabilia putare oporteat, contemnere, & ludibrio afficere.

In Gangræna tamen ex intemperie calida sine affluxu, uti quoque in illa, quæ ex siccitate, & penuria alimenti existit, cauterium actuale mihi suspectum est, ut suo loco fusiùs declarabitur. Escharâ his remediis factâ, curandum quamprimùm excidat. Id tamen fieri non debet remediis, applicari solitis ad relaxandum Escharam, puta butyro recenti, basilico, oleo dulci, adipe suis, anseris, caponis, & cæteris id genus; quæ cùm sint calida & humida, possunt novam generare putredinem, simulque ulcus sordidum reddere. Itaque ex *Galeni* sententia applicandus est succus porrorum cum sale: hic enim penetrat & exsiccat plurimùm, sicque putrefactioni repugnat. Adde quod relaxat, & adjuvat Escharæ casum humectatione sua, ut testatur *Hippocrates*.

Morbi vi superatâ, Paulus Æginetà vult applicari farinam hordeaceam decoctam in hydroleo, aut, (quod magis probatur) farinam orobi cum melle. Utile quoque ad Escharæ casum unguentum sequens, itemque ad ulcus abstergendum, & mundificandum.

R. Farinæ ervi
Rad. Aristoloch. rotundæ
Iridis Florentiæ
Vincetoxici
Angelicæ ana ℥ß.
Theriaces ʒij.

Cum s.q. mellis rosati, fiat unguentum.

Verumtamen hìc meminisse oportet eorum, quæ supra monuimus, videlicet non expectandum, dum naturæ beneficio, aut medicaminis ope Eschara separetur. Natura enim cùm sit debilis, tardior esset, ac interim posset regigni nova putredo sub Eschara. Adde quod Eschara, cùm non debeat humectari oleis, pinguedine, & similibus, exiccatur, ac proinde contrahitur & corrugatur, idque non sine dolore.

Si fuerit Gangræna ex erysipelate malè curato, aut ex proprio partis calore incenso, diæta præcipiatur frigida & humida, exhibeanturque sæpè hordeacea aliqua juscula, ex vervecina, aut volatilium carne, in coctis lactucis, portulaca, acetosa, borragine & similibus. Corpus quoque sic purgandum.

R. Catholici ʒvj.
Rhabarbari in ℥iiij. aquæ endiviæ cum paululo cinnamomi & anisi infusi ʒj.
Syrupi rosati solutivi compositi cum Rhabarbaro, agarico & senna ℥j.
Misce, fiat potio.

Pars affecta scarificetur ad vivum, exin lavetur decoctione sequenti

R. Aquarum endiviæ
Lactucæ an. ℔j.
Aceti ℔ß.
Lupinorum ℥j.
Rutæ
Scordii utriusque
Salis an. M. s.

Coquantur lento igne ad consumptionem tertiæ partis. Parti ad hunc modum lotæ applicandum Ægyptiacum nostrum, deinde cataplasma sequens

R. Farinæ fabarum
Lupinorum
Hordei an. ℥iij.
Scordii pulverisati ℥ij.

Cum oxymelite q. s. fiat cataplasma.

Sin propter doloris, reliquorumque symptomatum violentiam, ac continuationem pars affecta repletur humoribus, quantumvis prima causa fuerit humor biliosus, aut inflammatio sine affluxu, nempe ex proprio partis calore, ad valentiora remedia progrediendum est, nempe cauteria actualia, vel potentialia; Escharæ item casus procurandus ad modum antè propositum. In cauterii actualis tamen applicatione cautè hic procedendum, ac non nisi summa urgente necessitate replicandum est. Biliosæ enim inflammationes, cùm suapte natura sint calidæ & siccæ, eas cauterium magis magisque desiccat, & maligniores reddit. Sin autem quemadmodum antea dixi, propter doloris vehementiam sanguis & humores copiosè effluxerint, putredinemque procreârint, tunc cauterium actuale locum hìc quoque habere poterit.

Si ex congelatione sit Gangræna, propter universalia (quæ judicabit necessaria Chirurgus) videndum est accuratè, incipiatne tantùm affectus, an jam aliquantisper perseveraverit: id autem ab ægro & adstantibus simul ex sequentibus signis promptum est rescire. Morbus enim potest intelligi incipiens duntaxat, si pars eximio rubore scintillet, dolor autem sit vehementissimus, punctorius & exurens. Sin verò utcunque inveteratus est morbus, pars erit livida & frigida, uti *cap.* 7. diximus. Ergo si incipiat tantùm morbus, non statim admovendus ignis, aut calida quælibet apponenda: quin potius aquâ frigidissimâ irriganda est pars, aut nive perfricandâ: sic enim ea poterit restitui, & paulatim incalescere. Hoc ipsum quilibet facilè hyeme experitur, si manus frigore propè congelatus fricet nive, aut aquâ gelidâ: sic enim subitò incalescent, at igni admotæ magnum sentient dolorem eumque punctorium. Præterea si quis poma aut rapas congelatas injiciat in aquam frigidissimam, videbis ipsum gelu internum foras quasi allici, ita ut fructus illi redeant ad suam naturam pristinam.

pristinam. Sin verò demergantur in aquam calidam, aut tepidam, confestim flaccescent, & paulò post nigrore contracto computrescent. Istiusmodi porrò curatio Livoniæ, Irlandiæ, Norvvegiæ, & exterarum Septentrionalium plagarum incolis usitatissima est. Neque enim vesperi ingredientur in diversorium aut ad ignem, vel vaporarium accedunt, nisi egregiè perfricatis priùs manibus, extremo naso, & auriculis plurimâ nive. Quod si cui vecto trahâ, pro regionis ritu manus pedesque probè congelati fuerint, cùm primùm diversorium ingressus est, non dubitant illicò immergere partes gelidas in aquam frigidam, aut nivem, & sic eum refovent; frigore enim, quod inest aquæ vel nivi, per antiperistasin repellente, & cogente in unum, quod reliquum est calidi innati in partibus affectis, ipsum innatum calidum ita invalescit, ut frigus ceu adversarium expellat. Generosus Vir *Dn. Bernhardus ab Hatzvelt*, *Dominus in Wildenberg*, Vir pius & fide dignus narravit, se, cùm eas regiones peragraret, incidisse aliquando in viatorem secundùm viam frigore rigidum, ac penè mortuum: quem plaustro suo impositum, cum deduxisset in diversorium, hospes illicò demersit in frigidam: quo facto undiquaque erupit gelu, ut ipsius corpus glacie ceu ferro contectum conspiceretur. Tum quoque propinatum illi, ajebat, cyathum ampliorem hydromelitis, quo illi ceu potu ordinario utuntur, addito pulvere cinnamomi, caryophyllorum, & macis, unde sudor in lecto provocatus est: atque ita ægrum ad se rediisse, & convaluisse, amissis duntaxat manuum, & pedum extremis articulis. Hinc intelligimus, hanc methodum sanandi congelatos veram & tutam esse, ac eam etiam probant summi Philosophi, & Medici, inprimis verò *Avicenna & Levinus Lemnius*, qui regiones illas frequentavit. Sic enim scribit *Avicenna*: *Sunt præterea*, inquit, *hominum quidam, qui ponunt in aqua frigida & faciunt utilitatem, ac si nocumentum ab eis removeretur, quemadmodum fructibus accidit congelatis. Cum enim in aquam projiciuntur frigidam, fiunt quemadmodum si ab eis extraheretur congelatio, & ab eis labitur, & leniuntur, & aquantur; & si igni applicatur, corrumpuntur.* Hactenus *Avicenna*. *Levinus Lemnius* verò de hac re scribit: *Partes quoque sic affecta, modò ne prorsus frigore rigescant, ac nonnullus sanguis subsit, aquâ gelidâ immersa, eaque subinde irrigata, in pristinum vigorem restituuntur, ac sensim incalescere incipiunt.* Et paulò post: *Sic poma congelata in aquam frigidam demersa ad naturam suam redeunt.* Hæc tamen distinctio diligenter observanda est, nimirum, ut statim ab initio adhibeantur hujusmodi frigida, neve frigore prorsus rigescant partes, ac nonnullus calor subsit. Nam si innatum calidum exstinctum, aut exstinctioni proximum sit, tum aqua frigida nunquam revocabit, imò vix etiam medicamentum ullum: Quamvis tamen ratione illiciendum erit in partem affectam frictionibus & cæteris, quæ paulò post in medium afferentur.

Conjiciens autem Chirurgus ex sedato dolore pungente, ipsam quoque congelationem magna ex parte mitigatam, missam faciet, aquam frigidam, aut nivem, & lenes frictiones adhibebit: deinde fotus è lacte dulci, cui lauri baccæ, rosmarinus, salvia, lavendula, & similia calida incocta fuerint. Jus è capite, pedibus, & intestinis vervecinis, incoctis herbis iisdem, aptissimum est alliciendo sanguini, partique affectæ in pristinum vigorem restituendæ. Raparum decoctio, aut eædem rapæ coctæ & cum butyro recenti, Ol. Rosac. & vitello ovi in mortario plumbeo contusæ, plurimùm juvant, teste *Vigone*. His peractis componendus æger in lecto, probèque contegendus, circumponendæque partibus congelatis vesicæ, plenæ jure illo, modò dicto aut lacte dulci. Deinde per os exhibendum, quod calidum innatum, & sanguinem vitalem partium intimarum ad extimas impellat. In eum verò usum laudatissima theriaca electa, in vino albo, eoque generoso, dissoluta, cui nonnihil conf. Alkermes, lap. Bezoar, & cornu cervi, addi poterunt. Perendie continuandi fotus ex jure intestinorum, & herbarum suprà dictarum. Dein illinenda pars affecta Ol. de lateribus, de terebinthina, de cera, semine urticæ, nasturtii, &c. Quin & aliquoties theriacæ usus ex vino iterabitur. Sin frigore vehementissimo & diuturno planè suffocatum sit innatum calidum, ipsaque Gangræna multùm invaluerit, tum adhibenda est scarificatio, aliaque ante proposita remedia.

In Gangræna ex congelatione, defensiva ab initiò morbi locum non habent: nulla enim adest affluxio humorum. Sin repletio sive ad vasa, sive vires in ægro adfuerit, tandemque propter doloris vehementiam affluxio humorum, & inflammatio supervenerint, tunc non tam ad præcedentem causam, quàm ad præsentem affectum respiciendum est. Poterunt itaque tunc quoque applicari defensiva ad repellendos humores, qui affluunt. Interim tamen calidum innatum partis malè affectæ, quia ex præcedenti frigore & congelatione multum in modum labefactatum, conservandum & refocillandum est, adhibitis assiduò vesicis, plenis sequenti decoctione.

R. Fol. Lauri
Melissæ
Rosmarini
Rutæ
Origani
Scordii utriusque
Absinthii ana M. ß.
Rad. Vincetoxici
Angelicæ ana ℥ij.

Coquantur in vino albo ad consumptionem tertiæ partis.

Quoniam in Gangræna ex intemperie frigida & humida, morbi origo ut plurimùm consistit in partibus intimis, hepate, splene & cæteris, habenda est inprimis ratio harum partium, & præcipienda diæta, purgationes & cætera, prout earundem dispositio postulabit. Hic autem consulendus est doctus Medicus; Gravissimus enim est morbus, & ut plurimùm lethalis, quemadmodum ex eis, quæ antea dicta fuere, satis colligere licet.

Quoad remedia topica, si adsit magnus humorum pituitosorum affluxus, applicandum est defensivum, non tamen ex simplicibus frigidis & siccis, uti in affectibus calidis, sed ex eis, quæ mediocriter calefaciunt, & propter vim suam adstrictoriam, partes roborant, compositum. Ab *Avicenna*, *Vigone*, & aliis varia proponuntur, ego sequenti utor.

R. Fol. Rosar. rub.
Absinthii vulgaris
Schænanthi
Stœchados ana M. ß.
Scordii M. j.
Baccarum myrtillorum & juniperi an. ℥j.
Sampsuchi
Anthos ana ʒj.
Nucum cupressi
Aluminis an. ℥j.
Salis marini ℥ij.

Incidantur & contundantur omnia grosso modo: deinde bulliant omnia cum vini & lixivii barbitonsoris

bitonsoris æquis partibus, addito pauco aceto, ad consumptionem tertiæ partis: deinde colentur. Tandem

Accipe farinæ fabarum
Lupinorum
Lentium
Hordei an. ℥iij.

Misce, fiat cum præscripto decocto cataplasma, addendo in fine pulveris cinnamomi opt. ℥. ß. croci ʒ. ß.

Johannes de Vigo præscripto emplastro oleum rosaceum, chamomelinum & spicæ addit: Verùm oleosa & pinguia, quia poros obstruunt, & perspirationem impediunt, non sine maxima necessitate, quemadmodum ante quoque monui, in Gangræna usurpanda sunt.

Sin affluxus nullus, nihil defensivo opus, nisi putrefactio plurimùm progressa fuerit, parsque Sphacelo sit proxima: tum enim defensivo cohibendi vapores putridi, quo minus ad partes principes pervadant. Applicato defensivo, quavis ratione desiccanda est humorum copia ingens, loco affecto inclusa, exhalandusque calor extraneus, qui putrefactionis fuit in causa. Itaque scarificatis locis omnibus suspectis, sive altiùs, sive superficietenùs, prout malum magis minusve altas radices egerit, fovenda est & lavanda calidè pars affecta decoctione sequente.

R. Lixivii barbitonsoris ℔ viij.
Calcis vivæ, ℔j.
Coquantur parùm.
In colatura iterum coque Lupin. M. j.
Scordii utriusque
Absinthii
Rutæ
Salis marini an. M. ß.

Tandem coquantur ad consumptionem tertiæ partis. Colaturæ fortiter expressæ admisce
Aquæ vitæ
Aceti scillitici an. ℥iij.
Aloës
Myrrhæ an. ℥ij.

Postea ubique applicandum Ægyptiacum nostrum antea descriptum, aut etiam ruptorium, si sit necesse escharam profundiorem excitare, ac tandem induenda pars sequenti cataplasmate:

R. Farinæ lupinorum &
Lolii an. ℥iiij.
Summitatum absinth.
Scordii utriusque
Rutæ an. M. j.
Radic. vincetoxici
Angelicę an. ℥ij.

Omnia in pulverem redigantur, levitetque cum lixivio jam præscripto coquantur: deinde cùm penè refrixerit, admisce
Aloës
Myrrhæ an. ℥. ß.
Aquæ vitæ ℥iiij.
Misce, fiat cataplasma.

Pars sic curata calida est in lecto continenda; in idque plurimum laudo fragmenta lapidis molaris calefacta, & parti circumposita. Is enim lapis præterquam quod calidum innatum revocat, exsiccat quoque & resolvit plurimùm. Chirurgus dum cataplasma detrahet, conabitur scalpelli acie, aut separatoriis, ad calcem hujus capitis adumbratis, escharam unguento Ægyptiaco, vel ruptoriis, aut quovis alio modo inductam, separare, deinde abluet decoctione partem antè dicto fotu, adhibebitque Ægyptiacum & cataplasma, ut antè: nec aliter se geret, donec sisti malum animadverterit. Tandem nitetur separare escharam pharmacis ante commemoratis: continuando interim cataplasma, quod putrefactioni repugnet. Quod si Ægyptiacum, aut ruptoria non satis valeant contra vim putredinis; adhibendus erit cauter actualis, qui mihi in hoc Gangrænæ genere probatur, propterea quod egregiè deficcat, resolvit & roborat partem affectam, ejusque calor agens penetrat altiùs quovis remedio.

In Gangræna ex intemperie sicca, nimirum ex atrophia, & penuria alimenti, quavis ratione humectandum est corpus, tum commodo victu, tum his, quæ sequuntur. Igitur est necesse diætam ægri & aërem, in quo moratur, tendere ad calorem & humiditatem: debet ergò cibis uti, sanguinem & alimentum plurimum gignentibus, concoctu facilibus, & juribus collatitiis, & restaurantibus, aliisque bonis jusculis, è vervecina, gallinaceis, pullis & capis: hordeo item mundato bene cocto, dein colato, muliebri quoque lacte, vel si desit, asinino. Lac autem summo mane recens emulctum cum pauco saccharo & sale bibendum est, & quidem jejuno stomacho. Necesse quoque est, ut æger per horas ad minimum tres post sumptum lac, neque bibat, neque comedat quicquam. Dum utitur lacte, ab omnibus acidis veluti aceto, succo citronum, aurantiorum, & similibus abstineat ægee, ne lac in stomacho coaguletur, putrefcatque. Cubiculum meridiem spectet: in summa, humectandum est corpus, vitatis quæ exsiccant, qualia sunt vehementer purgantia, sudorifera, & diuretica omnia.

Extrinsecus inungendum corpus oleo amygdalarum dulcium, liliorum alborum & violarum: ut hoc modo comprimantur pori, & innatum calidum intus conservetur. Partes, quæ sunt supra affectam partem, puta totam tibiam, ad femur usque, si pes æger sit, inungendæ sunt succo lumbricorum terrestrium, ad eum modum parato, qui ad finem hujus capitis describetur. Succus ille longè optimus est, quia calefacit & humectat, aperitque simul & seminalium obstructiones, ut eò liberiùs sanguis & spiritus à corde & epate ad locum laborantem permeare possint.

Quod ad partem affectam, videndum est, num intemperies sicca, veluti causa futuræ Gangrænæ, solummodò adsit; an verò Gangræna ipsa jam invaserit? Si nihil aliud præter intemperiem siccam adfuerit, quavis ratione humectanda est pars affecta, & alliciendum alimentum in partem ægram. Quare fovenda jure tepido intestinorum, capitis & pedum vervecis; quod si manipulum unum aut alterum lumbricorum terrestrium aquâ lotorum, & incisorum admiscueris, majorem efficaciam habebit decoctum. Postquam per quadrantem horæ pars affecta, prædicto decocto ita fota fuerit, cucurbitulæ nonnullæ applicandæ sunt, citra tamen scarificationem. Interim autem, dum adhærent, tegendus est locus linteo duplicato, aut spongiâ, filtro intincto in jure antè dicto; his continuatis, usque dum locus incipiat rubescere, illicò demendæ sunt cucurbitulæ, simulque lintea calentia, ne resolvatur & evacuetur, quod attractum fuerit: dein inungenda pars sequenti unguento.

R. Ol. amygdalarum amararum
Ol. synapi ana ℥ij.
Succi lumbricorum terrestr. ℥iiij.


Misce, & applicetur tepidè. Deinde sequens emplastrum applicandum est.

R. Picis liquidæ ℥vj.
Farinæ lolii, &
Lupinorum quantum satis erit ad inspissandum.


Sin

















Merf fc.

Sin Gangræna jam invaserit, & putredinem conciplat locus, duplex aut triplex sumenda erit indicatio, prout erit morborum & symptomatum complicatio. Enim verò, quia totius morbi causa est atrophia, alimentum quavis ratione attrahendum est, frictionibus mediocribus (asperæ enim protinus deficcant, & evacuant, quod attractum est) vel linteis calidis, vel manu inunctâ oleis suprà memoratis, cucurbitulis, &c. Quia etiam jam adest putredo, hæc evacuanda est, sive scarificationibus, sive hirudinibus, & Ægyptiaco applicato: deinde applicandum cataplasma sequens, putredini obsistens simul & nonnihil attrahens.

℞. Farinæ lupinorum,
Lolii ana ℥iiij.
Summit. absinth.
Scordii utriusque
Folior. rutæ an. M. j.
Rad. vincetoxici &
Angelicæ ana ℥ß.

Misce, fiatque omnium pulvis, cui admisce plcis liquidæ, quantum sufficit ad figendum emplastrum.

Cauterem actualem hic ex *Albucasis* doctrina improbamus. Cùm enim maxima adsit extenuatio & ficcitas, ac cauter mirum in modum deficcet, non video, quomodo prodesse possit, nisi quando ad amputationem membri devenlendum est: tune enim cautetlo carere non possumus, ut postea dicemus. Cùm autem subitò inducenda est eschara, applicanda erunt ruptoria: vel novaculâ rescandum est, quicquid corruptum est: deindeque apponendum Ægyptiacum, & procurandus eschatæ casus, velut antè monuimus.

Hæc Gangrænæ species planè abhorret à defensivis, siquidem defensiva adstrictione sua prohibent spiritus & alimentum à parte affecta: in desperata tamen Gangræna, quæ in Sphacelum degeneravit, ubi nulla amplius spes est, ut membrum conservari possit, etiam locum habent defensiva, in eum finem, ut vapores putredinis arceantur à partibus principibus. Amputato verò membro, non ampliùs conveniunt, nisi de novo symptoma aliquod, quod ea requirat, suboriatur.

Antequam autem pars amputetur, necesse habet Chirurgus ventura pericula prædicere, eaque palàm commemorare apud ægri amicos, & adstantes omnes. Nam etsi amputetur aliàs pars affecta, in ipsa quoque carne viva, tamen malum, ut plurimùm truncum iterum invadit atque occupat. Cujus rei lector exemplum habet Observation. 89. Centuriæ 2. item Observ. 92. Centuriæ 4. de sene quodam *Jacobo Marcuardo* nomine. Atque ut paucis dicam, Gangræna omnis ex ficcitate, ut plurimum lethalis est, ut ante dictum undecimo capite. Idque revera mirum nemini videri debet, morbi enim ex ficcitate & humidi primigenii absumtione, insanabiles sunt, quod & ipsemet *Hippocrates* testatur, cùm dicit, convulsionem ex helleboro lethalem esse. Indicat enim, humidum radicale à pharmaco absumptum esse: At longum tempus exigitur, ut *Galenus* docet, ad ficcitatem nervorum removendam, morbi autem acerbias tempus non expectat: quin citò vires dissolvit, & subitò exitium affert: Quæ omnia ad hanc speciem Gangrenæ optimè adaptari possunt.

Sedatâ Gangrænâ, mundificandum & incarnandum est ulcus. mundificativo nostro, de succo apii infrà cap. 18. describendo, aut melle rosato, addito pauxillo aquæ vitæ, & theriacæ, idque citra pinguedinem ullam. Tandem incarnandum & cicatrice obducendum sequenti pulvere.

℞. Radicum iridis flor.
Aristoloch. rotund.
Angelicæ ana ℥ij.
Foliorum scordii ℥ß.
Olibani
Masticis ana ℈ij.
Lapidis Bezoardici.
Croci ana ℈j.
Cornu cervi usti & præp. ℥j.

Misce, fiat pulvis tenuissimus, qui ulceri inspergatur. Si ad cicatricem inducendam majore exficcatione opus fuerit, addatur parum tutiæ, cerussæ, lithargyrii aurei, aluminis usti, lapidis calaminaris, & cornu cervi usti, & præparati.

Succus lumbricorum terrestrium, *suprà* memoratus, variè componitur. *Johannes Wierus in tractat. de Scorbuto*, lumbricos usurpat cœmiteriorum pinguissimos, quos aquâ primùm, deinde vino appriмè lotos, minutim incidit, & phialæ indit, pastâ obvolutæ, hanc furno inferit cum alio pane, hocque cocto phialam simul extrahit pastâ obvolutam, ac ubi refrixit, mergit in aqua, hincque mollescente pasta, ac phialam deserente, lumbrici resoluti in liquorem sese offerunt: percolatus liquor reservetur ad usum, sed alterno quoque die renovandus est; citò enim corrumpitur, præcipuè æstatis tempore. *Nicolaus de Metri* eodem modo liquorem illum præparat, nisi quòd nonnihil olei olivarum vermibus affundit. *Cosmus Slotanus* Illustriss. Juliacensium, Clivensium, & Montensium, &c. Principis Archichirurgus, usuius hoc succo ad atrophiam, & extenuationes particulares, aut ad Gangrænam ex ficca intemperie, sumebat eosdem lumbricos, eosque, ut *suprà* mundatos, collocabat in magno recipiente: deinde fat copiosum oleum amygdalarum dulcium & violarum affundebat demum per cineres calentes resolvebat in liquorem, quo post fartem expressionem colato, utebatur.

Hæc autem mihi longè præstantissima compositio videtur, in ficcitate particulari: quoniam hoc modo integrè servatur utraque facultas, & olei & lumbricorum. Succus lumbricorum propriâ & peculiari vi penetrat illicò, permeatque ad nervos; & nervosa omnia, ipsasque adeò venas & arterias, quarum tunicæ nervosâ constant substantiâ, & eas quidem partes succus ille roborat, alit & calefacit mediocriter, tollendo, quæ in iis sunt, obstructiones. Inest præterea compositioni huic qualitas viscosa ab oleis, cujus ratione statim atque succus penetravit, olcum poros claudit & obstruit, atque ita cohibetur innatum calidum, & intra partem affectam veluti concluditur.

Vid. Tab. VI. fig. 1. & 2. ubi reperitur

Delineatio cultellorum & hamulorum ad separandas escharas.

Cap. 14. *Curatio secunda speciei Gangrænæ, ex alteratione videlicet vehementi, per qualitatem occultam.*

C*Apite* 5. diximus, esse Gangrænę speciem, quæ quidem ortum non ducit ex causis manifestis, intemperie videlicet calida, frigida, humida aut ficca; verùm ex qualitate & malignitate occulta, nostrisque mentibus impervestigabili, unde sequitur, non esse instituendam curationem solis pharmacis operantibus per qualitates manifestas, sed illis etiam,

etiam, quæ occultis agunt qualitatibus, sive ore sumantur, sive foris adhibeantur. In his autem excellunt Theriaca, Mithridatium, Bezoardicus lapis, dictamnus Cretensis, scordium, radices vincetoxici, angelicæ, & succus citriorum. In hac autem Gangræna summâ vigilantiâ opus est, quia plurimùm lethalis: quippe ilicò appetit, læditque partes principes. Quamobrem Chirurgus aggrediens ad curandam id genus Gangrænam, nec plenè compertam habens, ut sibi à calumnia præcaveat, faciatque, quæ decent, suæ eruditioni diffidens, consulat præstantissimum aliquem Medicum, aliosve doctos, in arte Chirurgica plurimùm exercitatos.

Ubi autem Chirurgus ex signis istis, *cap.*8. enumeratis, cognoverit, Gangrænam ex qualitate occulta ortam, ilicò infundas ægroto, si stipata est alvus, clysterem lenitivum, aut suppositoria subdat, factâ eorum operatione, sequentem potum propinet.

R. Radic. angelicæ
Vincetoxici ana ℥iiij.
Scordii utrinsque,
Rutæ,
Dictamni Cretici ana p. j.

Coquantur in s. q. aquæ buglossę, & cardui benedicti, ut colatura redeat ad uncias duas, in quibus dissolve
Theriacę opt. ʒj.
Succi citri ℥ß.
Misce, fiat potiuncula, detur calidè.

Pro pueris & delicatulis, qui prædictam potionem propter saporis injucunditatem bibere non possunt, præparetur sequens:
R. Lapidis Bezoardici gr. vj.
Cornu cervi usti & præp. ℈.jß.
Syrupi de succo citronum ʒß.
Cum aqua cardui benedicti, fiat potiuncula.

Poterit & aliquid confectionis Alkermes, & aquę cinnamomi admisceri, hunc in modum:

R. Lapid. Bezoard. gr. vj.
Cornu cervi usti & præp. ℈j.
Margaritarum præp. ℈ß.
Confect. Alkermes. ℈j.
Aquæ cinnamomi ℥ß.

Cum aqua cardui benedicti, aut decocto suo, pro potu ordinario, cujus descriptio mox sequetur, fiat potio.

Æger sumpto potu tegatur aliquantisper, dum promoveatur sudor, ut hoc modo materia maligna à partibus principibus arceatur. Foris etiam applicetur cordi epithema, quale capite 12. descripsimus: Iterentur item præscriptæ potiones auctâ imminutâve ingredientium dosi pro ægri ætate & habitudine. Quamvis autem ad singulos haustus non procedat sudor, minimè tamen is utilis esse desinet. Quippe hujus ope materia maligna, si qua fuerit corpori ingenita, foràs ad extrema detruditur procul à corde, & cæteris primariis partibus: Sin verò extrinsecus propter morsum, aut ictum bestiarum venenatarum adveniat, corroborat etiam ac tuetur partes primarias, dum ab illis malignitatem arcet. Hìc vehementes purgationes minimè conveniunt, uti nec phlebotomia, aut somnus diuturnior, ne forte retrahatur venenum ad partes primarias.

Quòd ad victus rationem spectat, vitet æger cuncta difficilia, salita, & piperata, aut alioqui acria: sorbeat cremorem hordei ritè cocti, aut jufcula vervecina; pullis gallinaceis vescatur, aut caponibus, incoctâ copiosâ boragine & acetosâ. Loco vini bibat ptisanam, in qua acetosa, pruna, aut tamarindi cocti sint, aut sequens decoctum.

R. Herbarum agrimoniæ M. j.
Veronicæ M. ß.
Rasuræ cornu cervi crudi ℥iij.

Coquantur in ℔ aij. aquæ, donec quarta pars sit absumpta: aromatizetur cinnamomo & saccharo.

Utatur frequenter succo citri, tum in ptisana, tum etiam in jurulentis. Hujus succi loco potest etiam usurpari syrupus ex eodem succo, item ex succo acetosæ, granatorum acetosorum, & berberorum.

Quòd ad topica, Chirurgus summo studio debet extrahere & evacuare materiam malignam: Itaque scarificabit profundiùs, quæcunque videtus obrepere Gangræna, & quantum satis sit sanguinis effluere finet: vel adhibebit hirudines, vel cucurbitulas: prçtereaque abluet partem decoctione sequenti.

R. Radicum angelicæ
Vincetoxici,
Lupinorum ana ℥j.
Herb. Scordii utriusque,
Absinthii,
Dictamni Cretensis,
Rutæ ana M. j.

Coquantur in lixivio barbitonsoria ad consumptionem tertiæ partis, in ℔ij. colaturæ dissolve
theriacæ ℥ß.
succi citri ℥j.

Hac decoctione calidè diligenter ablotis scarificationum vestigiis, & unguento Ægyptiaco nostro, præcedenti capite descripto, applicetur cataplasma sequens calidiusculum.

℞ farinæ lupinorum,
fermenti acris.
alliorum sub prunis coctorum ana ℥ij.
Pulv. foliorum rutæ.
scordii, dictamni Cretensis,
Rad. angelicæ,
vincetoxiei ana ℥ß.
theriacæ optimæ
mithridatii ana ℥j.
Cum decocto scordii, fiat emplastrum in mortario.

Exinde pergens Chirurgus in ægri curatione, auferat escharam, si adsit, deinde scarificet denuò partem affectam, ad educendum sanguinem: & applicet cucurbitas, ac hirudines: locum abluat, & applicet Ægyptiacum cum cataplasmate, & in iis perseveret, donec malum superatum fuerit.

Tandem nitatur escharam removere succo porrorum, vel (quod magis placet) novaculà, aut cultellis delineatis. Exin ulcus diu apertum teneat, quò materia maligna continuò effluere possit. Ex intervallis quoque ægro præbeatur theriaca, Mithridatium, terra sigillata, cornu cervi ust. & præp. cornu monocerotis, Bezoar, confect. Alkermes, aqua cinnamomi, aliaque, quæ partes nobiles corroborant, & à venenatis vaporibus defendunt.

Cùm verò Gangræna oriunda est ex materia extra corpus genita, velut à morsu venenato, aut septicis adhibitis, unde periculum, ne malignitas communicetur partibus principibus, necesse est cauterii actualis ope urere & absumere subitò, quicquid ejus malignitatis est particeps: aut etiam, (quod magis probatur) abscidi potest novaculâ aut cultellis separatoriis, quicquid suspectum est: Et cùm sanguis pro virium tolerantia effluxerit, adhibendum est Cauterium actuale. Demum abluendom erit ulcus decocto suprascripto: tandemque unguentum Ægyptiacum nostrum, & cataplasma

& cataplasma præscriptum applicandum. Forti quoque defensivo arcendi sunt vapores maligni à partibus principibus. Sin verò Gangræna orta fuerit ex materia maligna, corpori ingenita, quæ ad partes externas feratur, defensivo, aut quibusvis adstringentibus nullus est locus.

Sedatâ Gangrænâ, superest ut mundificetur, & incarnetur ulcus mundificativo nostro de succo apii, aut melle rosato, mixto cum pauxillo aquæ vitæ & theriacæ. Deinde incarnetur pulvere sarcotico, ad finem præcedentis capitis descripto, & cicatrice obducatur.

Cap. 15. *Curatio tertiæ & ultimæ speciei Gangrænæ, ex spirituum interceptione.*

IN hujus Gangrænæ curatione, præscriptis universalibus, nempe diæta, sive usu sex rerum non naturalium, ut & phlebotomia, purgationibus, & cæteris, pro morbi ratione, & ægroti viribus, diligenter inquirenda erit causa, ob quam spiritus arcentur à parte affecta, eaque si fieri possit, statim tollenda Itaque si arctior sit ligatura, laxanda est: deinde adhibenda pharmaca resolventia, exsiccantia, & incidentia quicquid ligaturâ illâ attractum est. Tale est catap asma sequens:

R. Farinæ lupinorum,
Fabarum,
Lentium ana ℥ij.
Pulv. Summitat. absinth.
Scordii,
Flor. Chamomillæ ana ℥ß.

Cum oxymelite, aut syrupo de succo acetosæ, fiat cataplasma.

Si invalescat nihilominus ægritudo, statim scarificandus locus, & apponendæ hirudines, Ægyptiacum nostrum, aliaque remedia, uti dictum est, *cap.* 13. in curatione Gangrænæ ex intemperie calidâ & humidâ.

Si in causa sit defensivum adstringens, ante emplastrica adhibita, hæc pariter protinus auferenda sunt: deinde frictionibus moderatis & calidis revocandum innatum calidum, aut locus fovendus forti lixivio, cui incoquantur lupini, scordium, & folium rutæ cum pauxillo aceti, sub finem addito, ut hoc modo sursum aperiantur pori, & detergatur ab emplastrico medicamento inducta viscositas.

Si sint tumores scirrhosi, circa majores arterias, venas, & cætera vasa, qui spiritus ipsos arceant & inhibeant, emolliantur ii hoc vel simili unguento:

R. Ping. Gallinæ,
Anatis,
Ursi ana ℥j
Ol. Liliorum albotum ℥ß.
Succi Lumbricorum ℥ij. Misce.

Deinde applicetur emplastrum ex mucilaginibus, aut ex ammoniaco dissoluto in aceto. At si tumor in quapiam parte sit, in quâ tutò possit operatio perfici, præstiterit incidere cutim, deinde separare tumorem, usque ad ipsius radicem, quâ ligatâ filo reduplicato, abscindendus est tumor, ut expeditior spiritibus sit via. Hic autem diligenter cavendum, ne attingantur, aut transversim secentur vasa: id enim aut subitam mortem, aut Gangrænam insanabilem adferre posset. Verùm ut hujusmodi operationes tutiùs exsequi possit Chirurgus, summopere necesse est, ut in Anatomicis eruditus sit. Anatomia enim, ut *Galenus* scriptum reliquit, nos docet accuratissimè proprietatem essentiæ uniuscujusque partis. Quapropter Chirurgus, qui hujus scientiæ penitus ignarus fuerit, non nisi summo cum periculo hujusmodi operationes administrare poterit, ut ex sequentibus historiis videre licet. Anno 1596. unà cum Clarissimo Viro Dn. Doct. *Jano Antonio Saraceno* puellam strumâ laborantem vidi. Strumam verò hanc cùm asperæ arteriæ, nervis recurrentibus, & venis jugularibus hærentem cognovissem, manum adhibere nolui, etiamsi mater maximopere id à me efflagitaret. Non diu post, temerarius operator, cùm advocatus esset, & strumam exstirpare vellet, puella in ipsa operatione animam, mater verò, quia hanc unicam prolem tantummodò habebat, in longum tempus lachrymas, & quidem copiosè effudit.

Illustri cuidam Germano, cùm temerarius Empiricus, & rerum anatomicarum planè ignarus, tumorem scirrhosum: ex interna parte femoris excindere vellet, & novaculam nimis audacter, nimisque altè infixisset, ramumque istum venæ cavæ, qui ad poplitem descendit, abscidisset, in ipsa operatione, propter ingentem hæmorrhagiam, & penuriam cauterii igniti, ab hac luce subtractus fuit, ut in 3. Cent. Observat. 82. fusiùs declaratur.

Sin Gangræna ex retentione, & obstructione spirituum animalium fuerit, ut in paralysi & spasmo accidit, spina dorsi, veluti origo nervorum, simul cum ipsa, parte affecta, sequenti linimento inungatur:

R. Succi Lumbricorum ℥iij.
Ol. Costini ℥j.
Ol. Terebinth.
Ol. Ceræ &
de lateribus ana ℥ß. Misce.

Ante inunctionem autem origo nervorum, simul & pars affecta decocto florum chamomillæ, salviæ, betonicæ, primulæ veris, lavendulæ, baccarum juniperi, & similium vino coctorum calidè fovenda est.

Quòd si Gangræna accidat coccygi, aut clunibos, æger decumbet modò in sinistrum latus, ad levandam partem affectam. Est & in tali Gangræna, sive ex alia quapiam causa, pes ita locandus, & ad latus reclinandus, ut ne talus offendatur.

Si sit paralysis in vesica, & guttatim stillet lotium, id diligenter excipiendum est: comparatum in id vasculum, à nobis excogitatum & hîc adumbratum. (*vid. Tab.* vi. *fig.* 3.) Nam si tibiæ simul & semel cum vesica fuerint resolutæ, ita ut æger in lecto decumbere cogatur, incalescet lotium, tandemque exulcerabit coccygem, qui deinde proclivis erit in Gangrænam, uti sæpiùs accidisse memini.

Tab. vi. *fig.* 3. *Denotat*

Vasculum ex stanno aut argento fabricatum, ad urinam involuntariè effluentem excipiendam, aptissimum. Hujus autem hæc est explicatio.

A.A. Capacitas hujus vasculi est, quæ tanta esse debet, ut libram circiter contineat: Posterior pars autem D. notata obtusa est, paulatimque in acutum desinit, quò meliùs inter clunea intrudi & limbus ille C. notatus, parumque elevatus perinæum immediatè attingere; & urina per foramen ipsum B. notatum in vasculum instillare possit.

D. Manubrium est, cujus beneficio vasculum intruditur in clunes; iterumque pro necessitate extrahitur.

In viris sat est, si membrum virile in foramen B. notatum propendeterit. In fœminis verò, ut limbus C. notatus perinæum attingat necesse est.

Cæterùm si causa Gangrænæ sit luxatio, ea restituenda est, & os in suo loco fasciis & ptygmatiis sive pulvillis ex stupis, aut linteis reduplicatis facta, continendum. In locum suum repositu osse adstringentia parcè adhibenda sunt, ac potiùs inungenda pars affecta succo lumbricorum terrestrium, cui tantillum olei rosati, aut myrtillorum pro corroboratione partis & dolore leniendo addi poterit. Si autem pars infra luxationem sit præsicca, macilenta & extenuata, ea fricanda, & cætera necessaria peragenda, quæ cap. 13. dum de Gangrænæ ex intemperie sicca curatione egimus, commemorata sunt. Conveniunt quoque scarificationes; vehementer enim attrahunt, ut *Galenus* testatur. Priùs verò fovenda est pars jure tepido intestinorum, capitis, & pedum vervecis, quemadmodum cap. 13. diximus. Ante scarificationem tamen perpendendum est totumne corpus siccum atque extenuatum sit, an verò pars affecta tantùm. Si totum corpus extenuatum fuerit, frustra erunt scarificationes, sin succulentum utilissimæ.

Cap. 16. *Sphaceli curatio.*

SI quantumvis sedulam Chirurgi vigilantiam & adhibita remedia natura morbo succumbens, ita cludat, ut desinat Gangræna in Sphacelum, sive mortificationem perfectam, tunc non erit ampliùs sumenda indicatio à causis antecedentibus, aut pro illarum ratione & varietate mutanda remedia. Sive enim Gangræna orta fuerit ex intemperie calida, sive frigida, humida, aut sicca, Sphacelus semper est idem, nempe extinctio caloris nativi, destructio humidi innati, ac proinde mortificatio ejus partis, quam occupat.

Cùm igitur Sphacelus (ut sæpiùs dictum) sit perfecta mortificatio substantiæ partis affectæ, ut loquitur *Galenus*, quæ quidem partes vicinas sensim inficit, & corrumpit, fieri nequit, ut ei, quod plenè mortuum est, vita restituatur. Unica igitur hæc erit curandi Sphaceli ratio, nimirum ut pars sincera & sana conservetur. Id autem fit primò applicatis defensivis, quæ impediunt, ne mortificatio altiùs serpat, partesque sanas occupet; Secundò extirpato eo omni, quod corruptum est: Ergò paulo supra, aut circa partem jam emortuam applicandum erit defensivum, quale suprà cap. 13. præscripsimus. Et quamvis nonnunquam nulla detur spes conservandi partem sanam (sæpissimè enim Sphacelus adeò vehemens est, ut nullo remedio quantumvis ex arte præscripto, & adhibito cedat) nihilominus tamen defensiva sedulò sunt applicanda; ut hoc modo vapores ex putredine exhalantes arceantur à partibus principibus, veluti à corde, cerebro & hepate.

Cæterùm, corrupti extirpatio variis fit modis. Nonnulli scarificationi altiùs factæ inter sanam partem, & mortuam, inspergunt pulverem ex arsenico, vel unguentum Ægyptiacum induunt, arsenico fortificatum. At nos jam antea docuimus arsenicum in medicamentis septicis censeri, atque dira & periculosa inferre symptomata, ac proinde alienum esse ab hujus morbi curatione.

Loco arsenici mirè placent ruptoria facta ex cinere sarmentorum & calce vivâ: quippe ilicò, & ferè sine dolore profundam, gignunt, escharam, & cùm nulla qualitate maligna sint prædita, nequaquam partes principes, veluti cor, cerebrum, & hepar lædunt, ut facit arsenicum.

Ruptoria autem prope carnem sanam applicanda sunt, nec opus est, prius scarificare carnem; per se enim satis valida sunt, & altè penetrant. Escharâ verò factâ, non est ejus casus exspectandus naturæ, aut medicamentorum ope; sed removenda, separandaque est novaculâ, alio ve instrumento idoneo. Tandem, si videat Chirurgus carnem mortuam nondum penitus exstirpatam, denuò applicabit, ut antè, ruptoria, eaque reiterabit, quoad quicquid est putre, à sana separatum sit.

Alter modus exstirpandi, quod corruptum est, cauterio actuali perficitur, dum uritur, quicquid infectum, & corruptum est, removetur eschara novaculâ vel pharmacis, veluti succo porrorum, alilsque antè cap. 13. propositis.

Tertio modo resecamus primùm una eademque vice novaculâ quicquid corruptum & mortuum est; idque quàm proximè accedentes ad sanam & sinceram carnem: deinde cautere actuali vulnus inurimus, tum sistendi sanguinis gratiâ, tum etiam siccandarum, & absumendarum reliquiarum sanguinis & humorum corruptorum in parte affecta: postmodum aggredimur, ad removendam, ut antè escharam.

Veruntamen si insit parti vas aliquod veluti arteria, aut vena, operatio tantò erit periculosior, quantò hæ grandiores fuerint. Itaque si metus est hæmorrhagiæ, præstabit cautere potentiali & actuali operationem exsequi, quàm novaculâ (præcipuè si æger exsanguis & imbecillus fuerit) quamvis hæc ratio tutior, & securior est, tum quia, dum amputatur caro emortua, fit simul & semel sanguinis, & corruptorum humorum evacuatio; unde pars nonnisi plutimùm levari potest, tum quia, dum primùm secatur portio carnis corruptæ, cauter actualis altiùs penetrat, adeòque exsiccat potentiùs corruptionis reliquias: contrà verò si relinquatur caro mortua, cauter subitò gignet escharam durissimam, sub qua putredo manebit conclusa, citra perspirationem ullam; itaque res erit loco, quàm antè, pejore.

Hæ operationes possunt exerceri, cùm Sphacelus inest parti corporis, quam non sit necesse, aut possibile totam exstirpare, veluti gratiâ femori, clunibus, & cæteris id genus partibus. At si sit in manu, pede, brachio, tibia, totumque membrum occupet, id unum restat extremum nimirùm remedium, hoc est, ut non solùm partes carnosæ, sed ipsum os, totumque membrum exstirpetur. Verùm antequam declaremus operationis modum, videamus, quo loco tutiùs, & commodiùs ea possit institui.

Cap. 17. *De Amputationis loco.*

DIcturis de loco, in quo amputatio facienda est, consideranda occurrit partis affectæ differentia. Quare si Sphacelus sit in pede, aut tibia, operatio facienda est quatuor quinqueve digitis infra genu, nempe sub poplite. Etsi enim Chirurgus tenetur, quantum potest, corpus quàm integerrimum conservare, amputatio tamen nullo alio in loco, quàm prope genu, uti diximus, fieri debet. Sic enim æger commodiùs utetur ligneâ tibiâ, firmiusque incedet, alinquin reliquus tibiæ truncus impedit, & ita quidem, ut nonnulli, quemadmodum testatur *Paræus*, iterùm subire periculum, reliquamque partem trunci ad poplitem sibi amputandam curare coacti fuerint. At si Sphacelus genu superarit, quàm minimam sinceri resecandum, quoad ejus fieri poterit. Primò, quia operatio tantò periculosior, quantò trunco corporis est proximior, propter vasorum, venarum scilicet, & arteriarum amplitudinem. Secundò, quia lignea tibia difficulter adaptari potest, si crura supra genu abscissum fuerit. Idem de manu judicium: in qua operatio commodè fiet ad carpi articulationem, ut tantum è brachio conservetur, quantum commodè alligandæ & aptandæ manui ferreæ sufficiat.

Cæterùm

Cæterum monitos velim Chirurgos rationales fideles, ne in abscissione manuum & digitorum eos (nisi maxima urgente necessitate ut postea cap. 19. fusiùs dicam) sequantur, qui membrum in scamnum collocant, & apposito scalpro, aut securi, ictu mallei carnem & ossa simul & semel maximâ cum vehementia, maximoque cum impetu abscindunt. Est enim operatio nimis violenta & crudelis, ac proinde rationali Chirurgo indigna: ægris verò planè exitiosa, propter maxima, quæ ipsam sequuntur, symptomata. Non solùm enim hac operatione partes nervosæ, & musculosæ supra modum contunduntur, & conquassantur, verùm etiam ossa ipsa ad proximam articulationem usque, ut plurimum finduntur: hinc etsi ossa nullum habeant sensum, ratione tamen periostii dolores gravissimi, inquietudines, vigiliæ, inflammationes, convulsiones aliaque pessima symptomata sequuntur, imò & nonnunquam Gangræna de novo suboritur, ægrumque perimit. Sin verò hujusmodi symptomata omnia non supervenerint, ulcus tamen, & non nisi maxima cum difficultate ad cicatricem perducitur, idque propter maximam confractionem, & comminutionem ossium, quæ hinc & inde per partes musculosas remanent, & ad tempus periostio adhærent, tandem verò paulatim beneficio naturæ rejiciuntur, atque expelluntur, cujus rei exemplum memorabile hic in gratiam tyronum inserere non gravabor.

Anno 1578. juveni cuidam propè Novisiam, in Episcopatu Coloniensi, cùm crepitu bombardæ sinistra perfracta fuisset, Magistro *N. Clout*, barbitonsori Novisiensi, se curandum commisit. Is (ad imitationem Leonhardi Botalli,) in scamnum collocatâ manu, securim, quâ rustici findunt ligna, parti, ubi abscindenda erat manus, apposuit. Deinde quendam cordatum hominem ex adstantibus jussit, ut ponderoso quodam malleo ligneo, quo rustici ad findenda ligna utuntur, tergum securis fortissimo ictu percuteret: quod quidem ita ad votum successit, ut manus primo ictu abscissa fuerit. Ab initio gravissimi quidem dolores, vigiliæ, aliaque supra commemorata symptomata supervenerunt: post longum tempus tamen, & ingentes dolores evasit, corporeque convaluit. Ulcus verò difficulter ad cicatricem perduci potuit, propter officulorum fractorum & comminutorum abundantiam, quæ menstruales ferè molestias, novaque symptomata ægro paraverunt.

Ex his manifestum fit, quàm ineptus, quàmque periculosus sit modus abscindendi membra, quem Johannes Schenckius observationum medicinalium libr. 5. mihi pag. 791. ex Leonhardo Botallo lib. de vulneribus sclopetorum proponit, his verbis: Cæterùm inquit, major cura est adhibenda in magnis membris amputandis, quàm si digitus tantùm sit: nam hic facilè demitur: collocatur aut super banco, fixo, aut exiguo pulvillo ex gossipio submisso, mox illi acies gladii, vel scalpelli plani ac lati optimè acuminati, quasi ad perpendiculum aptatur, & instar cunei ligneo malleo adigitur, ut unico ictu opus peragat.

Pro magnis verò membris alius est modus excogitatus: nempe cultri duo lati, quorum unus intra duas columnas ligneas cippo infixus est, aciem sursum producens, alter verò intra easdem columnas superiore loco ponitur, qui ad amussim descendat, ut aciem acie fricet. Hic autem quo minus labatur, sulco in utraque columna facto recipitur, ut quasi fistuca sursum deorsumque liberè ferri possit, non ultrò citroque: & quò suo solo descensu ad pondere tortum membrum detruncet, cippo vel plumbo oncrandus est, quantum satis esse videbitur, vel ipse quoque cædendus est ingenti & gravi malleo ligneo, ut unica illisione absolvatur opus: sed melius est si instar fistucæ cadat. Modus autem hic, eo qui ferrâ efficitur, multò tutior est, facilior & celerior, imò etiam fermè citra dolorem: adeò ut Regius Chirurgus Magister Jac. cognomine, Vir in arte suâ cùm doctrinâ, tum experientiâ exercitatissimus, fateatur, suâ operâ vivere nonnullos, simili instrumento truncatos mutilatos, qui putabant ex lychnio ignis scintillam super pedem incidisse, cùm detruncatum membrum esset; quod non evenit, nisi actionis ejusdem instrumenti celeritate, quæ quantum commodum ferat, solummodò prudens artifex novit, & qui in talem calamitatem incidit. Nam præter id, quod dolor exiguus & momentaneus est, ex arbitrio etiam artificis illicò arteria & vena occluduntur; quod non parvi est momenti. Imò quidem ex iis, qui à cæsis membris intereunt, plures ob effusum sanguinem occidunt, quàm ob aliam causam. Nam interea dum ferrâ ossa secantur (præter id quod & plerumque multas nervosas partes à novacula relictas hæc miserè laceras) perpetuò sanguinem & spiritus fundunt sectæ venæ & arteriæ, quare non possum non vehementer hoc loco serram vituperare, & [redacted] adverso cultros laudare ac commendare. Sed qui vel animi prudentiâ, vel stupore, vel artis imperitiâ non facilè ad insueta transeunt, statim opponunt ossium confractionem, vel carnosæ partis contusionem, vel operis crudelitatem. Ast hæc nulla prorsus est, si cum eâ, quæ serram consequitur, conferatur: & contusio nulla fit, si culteri acies, prout licet, fuerit adducta: nullius etiam momenti est ossium confractio, cum facilè fragmenta hoc loco arte deducantur, vel à natura rejiciantur. Cùm igitur negotium ipsum obeundum est, candentia cauteria habenda sunt præstò apponenda ad axillam, vel inguen repellentia, aures obturandæ, oculi avertendi, & membrum, prout dictum, est ligandum, postea sic inter utramque est collocandum, ut (si intra cubitum vel genu sectio fiat) ambo ossa æqualiter inferiori aciei insistant, non autem unum alteri superstitat, (non idem observandum est, si supra genu vel cubitum secare expediat, quod unicum tantùm os sit) deinde repentè à sano segregandum, mox ad cauteria deveniendum est, quibus arteriæ & venæ cohibentur: incepto opere ab arteria: nam sanguinis aliquid effluere utile est: deinde protinus tennis crusta inducenda, perinde atque alibi jussum est: inde vincula solvenda, & totum ulcus cum adjacentibus partibus obtegendum medicamento confecto ex rosaceo, ovo, & bolo armeno, quod tepidum applicetur: usurpetur hoc biduum. Hæc Botallus, quæ quidem, mi candide lector, non adscribo, ut modum ac methodum illam approbem, quin potiùs ut tyrones, quibus methodus illa facilis esse videbitur, admoneam, ut diligenter sibi ab ea caveant. Causam, ut multis verbis exponam, supervacaneum esse existimo; Unicum enim illud exemplum, superiùs commemoratum, de juvene, cui Magister Clout, Barbitonsor Novisiensis, manum abscidit, tibi sufficiet. Ego operationi non interfui: eram enim tunc temporis adhuc juvenis, quæ verò recensui, ex viris fide dignis habeo, partim quoque propriis oculis vidi; ægrumque cùm in istis miseriis esset, cognovi. Nunc iterum ad institutum nostrum.

Alii membrum, inprimis verò digitus tenaculâ incisoriâ, & ad id aptatâ abscindere tentant. Quæ quidem operatio absque maxima contusione, & dilaceratione nervosarum partium, ossiumque comminutione, ac periculo ægri fieri non potest; Hujusmodi enim tenaculis ferrum, similisque materia dura, potiùs & faciliùs, quàm nervus, aut nervosum quid abscindi potest: quod diligens Chirurgus etiam

etiam in brutis experiri facilè poterit. In extractione fœtus mortui, aliquando ut brachia in ipso humero abscindantur, necesse est, sciunt practici. Ab initio itaque cùm operationem illam administratem, & abscissionem novaculâ, non nisi summo cum periculo fieri posse perpenderem, ad tenaculam incisoriam confugi, eaque parvo cum negotio abscissionem brachii perficere me posse sperabam; Verùm fefellit me opinio, aliaque instrumenta ad operationem illam exequendam excogitare coactus fui. Quid plura? cùm contusa vulnera, ut experientia docet, reliquis semper sint periculosiora, suadeo, ut Chirurgus ab hujusmodi operationibus ineptis atque periculosis, ne dicam crudelibus, abstineat. Quomodo autem membra sint abscindenda, posthac declarabimus.

Porrò docent nonnulli ex neotericis, & quidem magni nominis Medici, partem resecari in ipsa carne mortua, ac corrupti etiam nonnihil relinqui, ad vitandam hæmorrhagiam, dolorem, & convulsionem: ac nihilominus censent, quicquid putredinis reliquum est, absumendum cauterio actuali. *Andreas Vesalius* Institutionum Chirurgicarum lib. 5. c. 14. eadem habet verba. Quamen opinionem falsò *Vesalio* adscriptam fuisse, vel solus ipse stylus testis est. Non enim *Vesalius* illo in loco loquitur, sed alius, magni tamen nominis Medicus, ex quo *Dn. Prosperum Borgarutium* qui Chirurgiam *Vesalii*, ipso defuncto, in lucem edidit, locum illum de verbo ad verbum transcripsisse, vix unâ voculâ immutatâ, facilè animadvertet, qui verba unius atque alterius authoris inter se conferre velit.

Opinionem autem hanc ex *Johanne Vigone* deceptam fuisse, verisimile mihi videtur: *libro* enim 4. cap. ult. jubet, ut de carne putrida atque corrupta, propter causas antea recitatas, nonnihil relinquatur. Verùm locum istum inscitiâ amanuensis, aut forsan ipsius typographi depravatum esse neque hanc fuisse mentem *Vigonis*; scripta ipsius luculenter ostendunt. Sic enim scribit lib. 2. cap. 17. *de cura Gangrænæ, & Sphacheilos & esthiomeni*; *Ultimò*, inquit, *loco, si ista corruptio transire videtur ad esthiomeni dispositionem qua (ut superius diximus) corrumpit membrum, in quo talis reperitur indispositio, in tantum, quod ossa etiam dicuntur vitiari*; *Tunc statim pro ejus curatione succurrendum est, sequestrando à sano* totam partem corruptam, *novacula bene incidente*; *Deinde os serrâ secandum est*, &c. Ubi dictiones *totam partem corruptam* notandæ sunt: nullam enim in se continent exceptionem. In compendio verò suo l. 2. c. *de curatione Gangrænæ mihi* pag. 851. Etiamsi ipsummet *Vigonem* aliter sentire videatur, cùm membrum corruptum in carne mortua, & putrefacta amputandum esse refert: attamen quia *eodem capite*, uti & *capite* 13. l. 8. doctrinam suam authoritate *Celsi* probat, atque stabilire nititur, certum est, ipsum cum *Celso* consentire; Alioqui in quem, quæso, finem ipsius authoritatem protulisset; At *Celsus* potiùs de parte sana aliquid excindendum quàm de ægra & corrupta quicquam relinquendum esse, postea addit. Hinc ita argumentari potest. *Celsus* post *Galenum* membrum Sphacelatum inter carnem sanam & corruptam abscindendum esse docet; Ita tamen, ut potiùs de carne sana non nihil excindatur, quàm de corrupta quicquam relinquatur.

Vigo opinionem suam, de abscissione membri Sphacelati, authoritate *Celsi* duobus in locis confirmat.

Vigonem itaque cum *Celso* consentire, ac membrum potiùs in parte sana, quàm in carne mortua amputandum esse, sequitur. Hæc propterea adscribo, ne aliquis celeberrimum, atque de Chirurgia optimè meritum virum Dn. D. *Vigonem* hujus controversiæ primum fuisse authorem existimet.

Quod ad *Galeni* doctrinam attinet, ea videtur pugnare cum *Celsi*, & complurium antiquorum, & recentiorum usurpata praxi: sic enim scribit: *Etenim cùm ita membrum affectum est mortuum, ut nec punctionem, nec sectionem, nec etiam ustionem sentiat, statim ipsum rescindere oportet, qua vicinam sanam partem attingit*. Verùm intelligendum est, *Galenum* spectasse, quod præcipuum est potiùs, hoc est, ad radicem mali, quàm quæ ex eo consequuntur. Quia ergò putredo semper altior est in ima parte, ceu calidiore & humidiore, ut postea fusiùs dicam, noluit *Galenus* inchoari amputationem extrinsecus à mali radice, ita ut relinquatur præcipua radix & putredo in ima parte nimirum inter musculos, & vasa; ibi enim vera putrefactionis radix, non item foris in cute; ut igitur tollatur radix illa, necesse est, sinceri aliquid resecari, idque extrinsecus, quemadmodum *Celsus* & alii docent.

Est præterea modus loquendi passim à *Galeno* aliis quoque in locis usurpatus. Sic enim scribit, de arte curativa ad Glauconem lib. 12. c. 10. ubi de excisione cancri ait: *At scopus*, inquit, *in hujusmodi curatione est, totum, qui circumstat, tumorem præter naturam, qua partibus sanis adhæret, abscindere*: quibus verbis *Galenus* tumorem propè carnem sanam excindendum esse docet. Alibi verò, nimirum Methodo Medendi lib. 14. hæc habet verba. *Ubi verò quod vitiatum est, prorsus excideris, sic ut nulla supersit radix, sines effluere sanguinem*, &c. Et libro de atra bile: *Omnes*, inquit, *exulcerationes ab atra bile, sunt insanabiles, nisi quis sanationem appelles, ut affecta pars tota circumquaque ad partem sanam abscindatur*. Hinc manifestum fit, *Galenum* cum *Celso* consentire; Ac proinde membrum potiùs in parte sana, quàm demortua abscindendum esse. Atque hanc fuisse opinionem atque mentem *Galeni*, *Aëtius* disertè testatur. Cùm enim curationem Gangrænæ & Sphaceli ex *Galeno* operi suo inseruit, hæc habet verba. *Proinde*, inquit, *partem mortificatam celerrimè resecare oportet, quatenus contingit vicinam sanam, ita, ut nihil prorsus putridi ac exesi relinquatur*. *Bartholomæus Maggius* sententiam *Galeni* & *Pauli*, in excisione non totius membri, sed partis alicujus corruptæ, intelligendam esse, testatur, & membrum Sphacelatum in parte sana amputandum esse, docet.

Sed redeamus nunc unde digressi fuimus, & videamus, an operatio illa, quæ fit in carne mortua & putrida, secundùm tria illa præcepta *Galeni*, quæ lib. 4. cap. 13. meth. med. protulit, fieri possit: ubi operationes *citò*, *tutò* & *jucundè*, hoc est, absque dolore fieri debere præcipit.

Extirpationem membri, quæ fit in carne mortuâ, citò fieri non posse, ut demonstrem, illud *Galeni*, Sphacelum scilicet corruptionem esse substantiæ partis, quam ipse occupat, ita, ut etiam ossa ipsa labem sentiant, iterùm in memoriam revocandum est. Inde enim apparet, quicquid putridum est, absumendum esse; At non video, quomodo extirpatio illa citò fieri possit, si toties iteranda erit operatio. Ad carnem enim putridam ad os usque incidendam: deinde eandem ad vivam carnem usque cauteriis multis ignitis absumendam, & os serrâ abscindendum, profectò tempus longum requiritur. Et quia hujusmodi operatio etiamsi in carne mortua fiat, dolorosa, ut postea demonstrabo, ac interim æger ingenti

ingenti horrore perstringatur, deficiuntque vires, si longa fuerit operatio. Abscissio verò quæ fit in carne viva, præcipue si Chirurgus diligens, & manu promptus fuerit, ferè, ut ita dicam, momentanea est, uno enim ictu caro ad os usq; inciditur. Quòd si Chirurgus ad carnem incidendam cauterio cultellari, ut postea dicam, uti voluerit, vasa quoque simul constringet, & hæmorrhagiam impediet. Sin novaculâ carnem absciderit, facilè tamen, & parvo temporis spacio, vasa aut ligabit, aut cauterio actuali claudet. Hæc non ex conjectura scribo, sed expertus loquor. Citò itaq; abscissio membri, quæ fit in carne corrupta, fieri non potest.

Nunc an tutò fieri possit, videndum est, ubi verba proxima ex Galeno allegata, iterùm sunt perpendenda. Si enim Sphacelus partem, quam occupat, ita corrumpit, ut etiam ossa ipsa labem sentiant, non satest extrinsecam cutem conspicari, sed quousq; pervadat malum attendere, ut tota pars affecta extirpetur: alioquin futura est inutilis operatio: nempe quia corruptio ossi impressa denuò inficiet partem sanam. Advertendum præterea, quò calidiores & humidiores sunt partes, eò faciliùs eas putrescere. Est autem certum, musculos & vasa in intimis sita partibus, multò calidiora & humidiora esse, quàm sit cutis extima, ac proinde putredini & corruptioni magis obnoxia. Hinc sequitur, corruptionem & putredinem altiorem esse sæpenumero in Ima parte, quàm foris in summa cute appatet. Itaq; si juxta id, quod apparet, operationem tuam administraveris, frustra ægrum cruciabis, dum carnis emortuæ plurimum in ima parte relinques; Quemadmodum ex sequentibus historiis manifestum fit. Anno 1586. cum præstantissimo illo Chirurgo, Dn. *Iohan. Griffonio* Genevâ in Sabaudiam ad virum quendam juvenem robustum Gangrænâ in tibia laborantem, profectus fui. Gangræna ad poplitem usq. ascenderat. Ut igitur genu conservare possemus, tibiam ad ipsam radicem mali abscidimus: deinde truncum diligenter, quoad fieri potuit, ferro candenti decoximus, ut si quid forsan reliquum esset putredinis, id Cauterio absumeremus. Verùm frustrà languens æger excruciatus fuit. Abscissâ enim tibiâ sub genu, ubi vasa magna descendunt, & propè os Gangræna jam multò altiùs, quàm in cute apparebat, ascenderat. Aliud & quidem recens exemplum satis memorabile addam. Juvenis quidam duodecim annorum ætatis, Coppetl ad Lacum Lemannum, cùm ex Dysenteria curatus esset, Gangræna in dextro pede exorta est, quæ in Sphacelum degenerans, totum crus invasit. Naturæ autem beneficio per se in ipso genu substitit, ibiq; in fœtidissimum ulcus degeneravit, Ligamenta erosit, ipsamq; juncturam disjunxit: Ego cùm ultima die Januarii Anno 1614. accersitus essem, crus supra genu, & quidem in ipsa carne viva ad duos digitos in latitudine positos abscidi. Alterâ die cùm truncum denudassem, os ante carnem prominentem, & musculos versus coxam retractos & longè altiùs, quàm extra in cute apparuerat, ab ipso osse separatos esse reperi. Sphacelus enim etsi miro beneficio naturæ in ipso genu, ut dixi, substiterit: putredinem tamen ulceris longè altiùs in centro partis affectæ, hoc est, circum circa os serpsisse, ipsumque os carie contaminasse, postea manifestè apparuit, quemadmodum in Centuria quarta Observationum mearum fusiùs dixi. Simile videmus in pomis & pyris, in quibus nonnunquam extrà in cortice macula solummodò nigra conspicitur, cùm tamen intra ad nucleum usque, aut etiam ulteriùs, putrida cariosaque sint.

Nunc, quid de hæmorrhagia censendum, & an illa tantoperè in amputatione membri formidanda sit, investigandum est. Ubi constitutio ægri perpendenda est. Æger enim si supra modum debilis, atq; extenuatus fuerit, quemadmodum juvenis ille Copetl, cujus jamjam mentionem feci, sanguis, quoad fieri potest, conservandus est. Conservatur autem, si caro ad os, cauterio actuali, & in formam cultri fabricato, abscindatur, & vasa cauterio obturata fuerint. Hæmorrhagiam quoq; impedies, si arctissimè constringas lorum, quod superligatur parti, cui serra adigenda est: Sic enim venarum & arteriarum vasa ita constringuntur, ut vix tres quatuorve sanguinis unciæ in amputandâ tibiâ pereant, modò Chirurgus industrium sese gesserit. Tamen, etiamsi paulò plus pereat, non est existimandum, superiùs omnem prodire, sed partem etiam ex ipsa parte amputata manare, quæ quidem quicquid continebatur sanguinis effundit. Sin verò æger juvenis, robustus, & plethoricus fuerit, tantum abest, ut hæmorrhagia sit evitanda, quin potius ex præstantissimorum Medicorum atq; Chirurgorum sententia, operatione facta, sanguinis quantitas aliqua sinenda effluere; neq; absq; re. Enimverò sanguis putredini, sive carni mortuæ contiguus, cùm jam quodammodo corruptionem conceperit, nonnisi nocere potest, quàm diu in parte moratur: imò nisi sufficienter evacuatus fuerit, paucis post operationem diebus, Gangræna rursus truncum invadet, aut saltem inflammatio phlegmoneve, aut dolor, & cætera gravia symptomata supervenient; quapropter nonnihil sanguis ut effluat, necesse est, habita tamen ratione virium.

Porrò; an operatio in carne mortua facta, jucundè, hoc est absq; dolore, ut illi existimant, fieri possit, nunc quoque perquirendum est; Excitatur dolor in amputatione membri Sphacelati, ratione nervorum; membranarum, & periostii. Quòd si itaque volueris operationem absq dolore fieri, hæ partes ut planè sint corruptæ & emortuæ, necesse est: At verò nervi & nervosæ partes propter suam siccitatem, multò tardiùs carne corrumpuntur: ubi iterùm apparet, aut multùm relinquendum esse carnis putridæ, aut operationem dolorosam esse, etiamsi in carne mortua fiat. Sæpissimè enim, etiamsi cutis, & caro sint emortuæ, nulloq; sensu præditæ, interim tamen nervi majores, & periostium sensu nondum destituti sunt. Quapropter cùm os serrâ resecandum venit, tum acutissimi percipiuntur dolores, non quidem ossis ratione, quod insensibile est, sed ipsius periostii, quod acutissimo sensu præditum. Ut igitur operatio fieret citra dolorem, necesse foret totam partem ita corruptam esse, ut illi etiam membranę corruptio communicaretur: Id, si ita se haberet, annon, quæso, & ipsum os tali imbutum esset corruptione, & ossi adhærens itidem corrupta, putris & emortua multò profundiùs, quàm extimam cutem spectanti videretur? cùm caro illa ossi vicina proclivior sit ad corruptionem, quàm quæ cute proxima, sicut ante quoq; monuimus. Sic autem inutilis foret operatio, cùm reliqua corruptio nunquam possit cautere corrigi.

Isti autem, dum vitare dolorem nituntur, eundem duplo videntur augere. Ubi enim tantum emortuæ carnis absumendum est, quantum relinqui volunt, vix satisfacient duo, tresve cauteres, imò etiam quinque, sexve cum ardentissimo igne desiderabuntur, usq; dum, inquam, eos percipiat æger: alioquin irritus labor. Cæterùm summo cauteriorum ardore liquantur adeps, ac reliqui humores, imò & effervescunt, atque ita uruntur, & immodicè calescunt partes sentientes, quales sunt nervi, tendines, & panniculi, unde acutissimus dolor, inflammatio, vigiliæ,

fibris, convulsiones, aliaque gravissima symptomata. Hinc *Avicenna* monet; *Cauterizator*, inquit, *sibi cavere debet, ne fortitudo cauterizationis ipsius ad nervos perveniat, neque ad chordas, neque ad ligamenta: quòd si propter sanguinem, qui fluit, cauterizaverit, oportebit, ut cauterizatio sit fortis, adeò ut crusta grossitiem habeat, & spissitudinem, & citò cadat, &c.* Alterum præterea, ex fortissima illa cauterizatione fit incommodum, nimirum quòd eschara illa, sive crusta durissima & densa malignorum & putridorum vaporum exhalationem inhibeat, unde fit verisimile, eas ad partes principes ferri. Neque sic possunt omnia cautere exsiccari, quin remaneat aliquantum novæ quasi corruptionis fermentum, dum eschara putrescit. Præterea carne mortua sic absumptâ, cutèque cauterum vi contractâ, magna ossis eminentia relinquitur, ac fortè talis, quæ serræ opus denuò efflagitet. At si perpetuò incidenda pars in carne mortua, quid fiet in pedis Sphacelo? nunquid magna tibię portio tibi relinquenda erit; aut exspectandum, dum corruptio aut putredo altiùs pervaserit? Hoc autem ægro erit periculosissimum, illud eidem molestum, ac laboriosum. Sed & arcta ligatura Chirurgis usitata spiritum animalem impedit, quo minus vigeat in parte affecta, adeò, ut veluti obstupescat, propterea quæ novaculâ optimâ sectio prius absolvitur, quàm ipsam vix animadvertit. Non potest itaque fieri operatio in carne mortua *citò*, multò verò minùs *tutò* & *jucundè*, hoc est, absque dolore. Præterea cùm ars Medica sit nobilis, subjectum verò Medicinæ nobilissimum, æquum est operationes cum ornatu & splendore quodam fieri. At verò in operatione ista, quæ fit in carne mortua, ubi primò caro & os inciduntur, deinde cauteria ignita toties iterantur, ut non solùm domos, verùm etiam platea, tetro isto odore impleantur, quemadmodum *Fallopius* de quodam scribit, & ægri in longum tempus mirum in modum tormentis lacerantur, nullum ornatum, nullumque splendorem video. Operatio verò, quæ fit in carne viva, veluti momentanea, securissimaque est, fitque sine magno dolore.

Sed videamus nunc, quid de convulsione censendum sit, anque illâ factâ amputatione in parte viva, potiùs metuenda, quàm si in parte corrupta fieret? Convulsionem fieri aut à repletione, aut ab inanitione, *Hippocrates & Galenus* docent. Neoterici etiamsi multas statuant causas, omnes ad prædictas illas duas ab *Hippocrate* traditas, referri possunt. Verùm in amputatione alicujus membri, si convulsio supervenerit, illa erit vel propter immodicam hæmorrhagiam, aut ingentem dolorem, vel denique ex materia aliqua maligna, ex parte affecta ad cerebrum ascendente. Si ex nimia hæmorrhagia fuerit, periculosa erit, testante *Hippocrate*: fit enim ex siccitate: quapropter Chirurgus, ut sanguis conservetur, diligens esse debet, præcipuè in delicatulis, aut quovis modo extenuatis corporibus. In robustioribus & plethoricis verò, ut aliquid sanguinis post amputationem membri effluat, necesse esse, antea demonstravimus.

Impediet autem Chirurgus hæmorrhagiam, si loco novaculæ cauterio cultellati, ac bene ignito utatur, diligens, & manu promptus fuerit. Anno 1600. Paterniaci brachium ad humerum, præsente reverendo Viro Dn. *Joh. Merula*, verbi divini ministro, & Dn. *Petro Frenderich*, ibidem Oeconomo, abscidi: in qua operatione vix unciæ duæ sanguinis emanarunt. Anno 1614. Coppeti similiter tibiam in ipso femore abscidi, ubi similiter vix uncias tres sanguinis amisimus. Erant autem hi supra modum extenuati & debiles, alioquin non soleo tantopere esse sollicitus, etiamsi aliquid sanguinis post operationem effluat.

Ratione doloris supervenit convulsio, cùm nihil sit, ut testatur *Galenus*, quod magis profluvium exciret, sanguinemque attrahat, quàm ipse dolor: hinc inflammatio, & convulsio sequuntur, quæ quidem, ut *Hippocrates* docet, lethalis. Non quidem tanquam ex immensitate, ut addit *Galenus* in comment. sed tanquam adeò crebrò. At operationem illam in carne viva factam, ferè absque dolore fieri, ante demonstratum est: est enim dolor ille, ut ita dicam, momentaneus, respectu doloris, qui fit, si in carne mortua abscissio facta fuerit. Adde quoque post operationem dolorem illum, medicamentis mediocriter refrigerantibus, & repellentibus, facilè leniri posse. Nervi enim in ipso momento, quo abscinduntur, sursum retrahuntur, & à carne teguntur: factâ verò abscissione in parte mortua, etiamsi nervi versus originem retrahantur, propter cauteriorum tamen numerum, & ignis violentiam liquantur, & effervescunt humores in ipsa parte affecta, & circa nervos, nervosasque partes, ac proinde maximos dolores inferunt, quemadmodum antea quoque demonstravi.

A maligno vapore fieri convulsionem, sciunt practici. Interdum, *inquit Joh. de Vigo, putrefiunt nervi, ex qua putrefactione materia venenosa elevatur in fumum, & per nervos rapitur ad cerebrum: quamobrem necessariò cerebrum, sentiens nocumentum venenositatis materiæ, quæ causat mollionem cerebri, compassione movetur, ad expellendum nocumentum veneni.* Hactenus Vigo. Cæterùm in parte viva abscisso membro, quomodo quæso superveniet convulsio ex malignis vaporibus, ad cerebrum elevatis? cùm quicquid putridi est, abscissum sit. Contrà in parte mortua factâ amputatione, remanet tamen pars aliqua putredinis circa nervos, imò & in ipsis venis & arteriis: quæ etiamsi à cauterio exsiccetur ex parte; non tamen omninò absumitur, sed ratione ignis effervescit acriorque efficitur. Post dies itaque aliquot affluentibus humoribus, magis magisque incalescit pars affecta, & quia eschara illa spissa, ne effluat materia illa acris, & putrida, obest, malignitatem acquirit, ex qua postea malignus & pestiferus vapor ad partes nobiles ascendit per nervos ad cerebrum, ubi nunc convulsiones, nunc vigilias, inquietudines & delirium procreat; per arterias adscendendo ad cor, spiritus vitales inficit, & lipothymias, viriumque prostrationes excitat. Per venas verò majores ad hepar si pervenerit maligna illa qualitas, massam sanguineam inficiet, intemperiemque calidam cordi, totique corpori inducet. Hinc videmus, convulsionem potiùs supervenire posse, si membrum in parte putrida abscindatur, quàm si in carne viva facta fuerit operatio. Ego multa abscidi membra, eaque omnia in carne viva; nunquam tamen (Deo opt. max. sit laus atque gloria) convulsionem ægris meis supervenisse, Deus testis est.

Est itaque amputatio illa, quæ fit in parte viva, securissima, certa ac vera, nec non à *Galeno & Celso* approbata. Hujus quoque opinionis fuisse *Avicennam*, hæc ipsius verba fidem faciunt. *Cùm autem*, inquit, *confirmatur corruptio in carne, tunc necessarium est, accipere totum ipsius. Aëtium* similiter cum *Celso* consentire, & mentem *Galeni* explicare, ante demonstratum est. *Albucasis* verò de hac controversia sic scriptum reliquit. *Si ergò*, inquit, *corruptio, aut percussio est in extremitate digiti, tunc incide digitum, & non des spatium corruptioni, ut*

perveniat

perveniatn ſque ad reliquam manum. Et ſimiliter ſi accidit in manu, tunc incide eam ex radice, nihil de corrupta parte relinquens, &c. Hujus quoque ſententiæ ſuiſſe *Theodoricum, Bertapalliam, Guilhelmum de Saliceto, Guidonem de Cauliaco, &* neotericos ferè omnes, ipſorum ſcripta luculenter fidem faciunt. Sic enim *Theodoricus*, de Sphacelo loquens, ſcribit: *Unde mox, ut ſanatio evenerit, ferro ſecari debet uſque ad vivum, & uſque ad locum ſanum, ita ut nihil de mortua carne remaneat, &c.* & eodem cap. *Si neceſſe fuerit amputari, aut ſecari aliquod membrum corporis, uſque ad loca ſana abſcindat, ita ut nihil carnis putrida derelinquas, ſed magis de viva, aut ſana carne aliquid auferas: ſic enim meliùs & citiùs curabis. Bertapallia & Guilhelmus de Saliceto* eadem habent verba. Uti & Rulandus *lib. 3. c, 31.* de cancris & fiſtulis, & aliis puſtulis in genitalibus conſurgentibus. *Theodoricus lib. 3. c. 10. Bertapallia de Apoſtematibus c. 7. Guilhelmus de Saliceto, c. 58. Guido de Cauliaco tr. 6. doctr. 1. c. 8. Gualterus H. Reyſ. in Chirurgia ſua magna, parte ſexta. Felix Platerus, tract. 2. c. 17. de curatione doloris ſuperficiei corporis. Angelus Bologninus lib. de cura ulcerum c. 16. Bartholom. Maggius lib. de vulneribus Sclopetorum cap. de membri Sphacelo affecti & corrupti exciſione. Johannes Guinterus Andernacus de Medicina veteri & nova cognoſcenda commentario 1. dialog. 8. Paulus Offredus in quadam Epiſtola ad me ſcripta, & Cent. 4. Obſ. mearum inſerenda quæ ſic incipit. Non ſine voluptate tuas perlegi, &c. Antonius Buſſennius comment. in Galeni librum de inæquali intemperie. Antonius Chalmeteus Enchiridio Cheirurg. lib. 1. cap. 4. S. Ambroſius Paræus lib. 12. cap. 29. Joſephus Quercetanus lib. de Sclopetor. vulnerib. c. 5. Petrus Francus lib. de Herniis c. 95, & 103. Johannes Jeſſenius à Joſſen Inſtitut. Cheirurg. c. 21. Johannes Andreas à Cruce l. 1. tract. 3. c. 18. Stephanus Gormelienus l. 2. cap. de Eccope. Johannes Tagautius Inſtit. Cheirurg. lib. 1. cap. 10. Laurentius Joubertus l. de Sclopetor. vulnerib. mihi pag. 113. Leonhardus Bottallus de vulnerib. Sclopet. cap. 22. Petrus Pigry lib. 1. cap. 9. Jacobus Guillemius lib. 10. cap. 4. Sebaſtianus Franciſcus Ranchinus Tract. de morbis ſubitaneis c. 29. Cortilion Inſtit. Cheirurg. lib. 1. c. 3. Johannes Emberiza à Chotieborzen Bohemus Probl. Therapeut. decad. 3. quæſt. 10. Rodericus à Caſtro Luſitanus de Medico Politico l. 3. cap. 18. Jean Vegierenſa Chirurgie des ulceres chap. 52. Claude Darios in verſione Gallica Cheirurgia Paracelſi lib. 1. tract. 3. c. 12. Petrus (von der Sulle, im andern Theil ſeines Handbuchs der Mundarkenen im erſten) tractat. cap. 4. (wie auch im erſten Theil) quæſt. 23.*

Concludemus itaque ex prædictorum Medicorum, atque Cheirurgorum ſententia, operationem adminiſtrandam eſſe in parte ſana: cùm ſatius ſit ſyncerum aliquid reſecare, quàm emortuum quippiam relinqui. Neque *quicquam intereſt*, ait Celſus, *an ſatis tutum ſit remedium, quod unicum eſt.* Et cùm morbus ſit extremus, quis non fateatur adhibendum extremum remedium? Denique ſi tutò operetis, feliciorem ſpetabis eventum, quàm ſi ſecus feceris. Nullo verò modo tuta operatio eſt, quæ fit in carne mortua, quoniam mali radix relinquitur. Quid plura?

Cuncta priùs tentanda ſed immedicabile vulnus
Enſe recidendum eſt, ne pars ſyncera trahatur.

Quod ſpectat ad eam quæſtionem, quæ proponitur: Liceat ne membra Sphacelo affecta in ipſa articulatione amputare, nec ne? Scio quoſdam, & quidem magni nominis Medicos eſſe, qui illam minimè admittunt. Primò, inquiunt, propterea, quòd vulnera articulorum periculoſa, imò & mortalia eſſe ſolent, propter graviſſima quæ ea ſequuntur ſymptomata, cùm ſint partes nervoſæ, ac proinde exquiſitiſſimo ſenſu præditæ. Deinde, quia oſſa circa articulos lata ac magna, caro verò exigua, ac calor nativus imbecillis, difficulter iterum ad cicatricem perduci poſſunt. Ego verò cum *Guidone, Laurentio, Jouberto, & aliis* ſentio, membrum in ipſa articulatione minori cum difficultate, & citra periculum amputari poſſe; idque ſæpiſſimè expertus ſum. Minore cum difficultate fit amputatio in ipſa articulatione: quia uno ictu novaculâ optimè cædente, præcipuè ſi promptus manu fuerit Chirurgus, fieri poteſt: nec opus eſt ſerrâ, aut quovis alio inſtrumento; quapropter dolor non uſque adeò magnus: nunquam enim tam præcisè amputes & ſepares nervorum & membranarum portiones, quin aliquatenus ſerra in eas incidat, eaſque divellat, cum vehementiſſimo ægri cruciatu. Citra periculum verò, quia nervi & tendines penitus abſciſſi ſurſum contrahuntur, eoſque caro operit, unde nec ſpaſmi, nec alius ſymptomatis metus eſt. Deinde, quia juncturæ carne deſtitutæ, ac venæ magis conſpicuæ, faciliùs ſanguis ſupprimitur. De cicatrice inducenda nulla eſt difficultas, ſatis enim circa articulos eſt carnis, & calor nativus ad cicatricem inducendam ſatis vegetus eſt. At hîc rurſum pro partis affectæ differentiâ adminiſtranda operatio. Nam ſi malum ſit in pede, aut tibia, inciſio facienda circa poplitem, ut eo commodiùs aptetur ægro lignea tibia. Sin Sphacelus poplitem ſuperarit, in ipſa genu articulatione inciſio facienda veniet. Quod ſi malum totum digitum occupaverit, ad metacarpum in ipſa articulatione abſcindendus eſt. Hanc operationem cùm aliàs, tum præcipuè Anno 1581. Düſſeldorpii in Viro robuſto triginta circiter annorum ætatis, *Rutgero Piſtore*, ex voto ſucceſſiſſe obſervavi. Hunc enim cùm bombarda diſſiliendo ſiniſtram mirum in modum laceraſſet, *Dn. Coſmus Slotanus* Chirurgus præſtantiſſimus, præſente Viro Clariſſimo atque Doctiſſimo *Dn. Galeno Wiero* Illuſtriſſ. Principis Juliacenſ. Cliv. & Mont. Doctore Medico, aliiſque Viris doctis, manum in ipſo carpo feliciter abſcidit. Nullum ſupervenit ſymptoma moleſtum, & brevi ſanitati reſtitutus fuit.

Cap. 18. *Quomodo corpus ante operationem ſit præparandum?*

EXploratis ac ſatis deſignato loco amputationis membri corrupti, ſtatim ad operationem perveniendum eſſet. Verùm unum obſtat, præparatio nimirum corporis ægri. Id enim, niſi probè, & ut decet, ad operationem præparatum fuerit, non video, quomodo operatio ad votum ſuccedere poſſit. Pravi enim humores, quibus corpus oneratum, ratione doloris ad locum affectum, veluti ad cloacam confluunt, ac graviſſima ſymptomata excitant. Videmus id quotidie in praxi Empiricorum, artiſque imperitorum hominum, qui (cùm lucrum proprium potiùs, quàm ſalutem ægrotum quærunt, & vix inter ligna lapideſq. ac corpus humanum diſtinctionem faciunt) tot ægros ad ſummam miſeriam redigunt.

In præparatione autem corporis, iterum indicatio ab eſſentia & magnitudine morbi ſumenda eſt. Si enim morbus peracutus fuerit, & corruptelo partes ſanas celeriter invaſerit, non dantur induciæ, ut corpus ante operationem, prout neceſſitas poſtulat, expurgetur: ab eo enim, quod magis urget, ſemper

inchoandum

inchoandum est. Clystere itaque exoneratâ alvo, jusculo & ovo sorbili, nec non haustu vini, exhibitis, & epithemate regioni cordis & carpis applicato, protinus membrum amputandum est. Post operationem verò corpus clementer purgandum est: non tamen secundo, aut tertio die, ne propter motum & agitationem corporis, & præcipuè internorum viscerum, hæmorrhagia de novo excitetur. Interim tamen alvus enematibus, aut suppositoriis lubrica retinenda est. Sin morbus mitior, præstat ante operationem illud præparare, hoc est victûs rationem præscribere, pravos humores educere, vires reficere, cor partesque nobiles corroborare, reliquaque, quæ necessaria sunt, ex arte administrare.

In victûs ratione à viribus sumenda est indicatio; Si enim æger juvenis, robustus, & plethoricus, morbus verò acutus fuerit, victûs ratio tenuis instituenda est, juxta illud *Hippocratis*: *Ubi morbus peracutus est, statim extremos habet labores & extremè tenuissimo victu utendum est.* Corpus aliquoties à pravis humoribus mannâ, cassiâ, rhabarbaro, electuario lenitivo, diacatholico, de succo rosarum, syrupo rosato solutivo, composito cum rhabarbaro, agarico & senna, & similibus expurgandum. Si plethora maxima adfuerit, diminuendus est sanguis, ne factâ operatione intempestivè ad locum affectum fluat: circumspectè tamen hac in re agendum est. Nisi enim magna fuerit plethora, missio sanguinis ante operationem locum non habet; sed deperditio illa sanguinis, quæ in ipsa operatione sequitur, sufficit. In Gangræna ex qualitate aliqua occulta, vel ubi putredo jam majora vasa occupaverit, phlebotomia quoque minimè convenit, putredo enim ad partes traheretur. In his sanguis, ut post amputationem membri, si vires adfuerint, effluat, summoperè necesse est.

Si verò æger senex, aut ratione morbi imbecillis fuerit, cibis boni succi, cujusmodi sunt jusculo carnium recentium, veluti caponum, gallinarum & similium, antè & post operationem reficiendus est, ut ante suo loco diximus. In his purgationes fortes minimè conveniunt, corpus nihilominus medicamento aliquo lenitivo, nisi vehementia morbi obstiterit, ante operationem expurgandum est: Id si fieri nequit, alvus clystere lubrica reddenda est. In his venæ sectio quoque minimè convenit.

Omnibus autem, quibus membrum aliquod amputandum est, per dies aliquot (si maturè advocatus fuerit Chirurgus) ante operationem, ut epithemata regioni cordis & corporis quotidie ter quaterve applicentur tepidè, necesse est. Quotidie bis terve nonnihil de sequenti cardiaco exhibendum est.

R. Lapidis Bezoardici
Off. de corde cervi præp. an. gr.vj.
Cornu cervi præp. ℈ij.
Margaritar. præp. ℈j.
Confect. Alkermes ℈j.ß.
Aquæ cinnamomi ℥j.
Buglossæ &
Calendulæ an. ℥i.ß.
Syr. de succo citronum ℥j.
Misce.

Fiat potioncula, de qua detur bis aut ter in die ad ℥j. plus aut minus, ad libitum Medici.

Ea die, qua operatio fieri debet, paulò ante operationem jusculum, item ovum recens & sorbile, nec non haustus vini offerendus est. Tandem domesticis & amicis convocatis, & flexis genibus, & ad cœlum elevatis cordibus, Deus pro felici successu operationis (quod & in aliis magnis operationibus soleo facere) suppliciter invocandus est. Deinde iterum factâ prognosticatione de periculo, & an amici & parentes omnes ad operationem consentiant, postquam perquisitum ac iterato epithemate, operatio eâ, quâ fieri potest, dexteritate exequenda est.

Cæterùm in exhibitione cibi & potus, diligenter prospiciendum est, primò, ut cibus, qui ante operationem exhibetur, concoctu sit facilis: deinde, ut paucus sit, & per horam unam, aut alteram ad minimum ante operationem offeratur, idque in eum finem, ut tempore operationis ventriculus sit vacuus: Ventriculo enim cibis onerato, vomitus vehemens (qui partes omnes, cùm internas tum externas concutit) syncopen, viriumque prostrationem excitat, & hæmorrhagiam adauget. Ventriculus enim oneratus, hepar simul & venam cavam comprimit, sanguinemque exprimit. Cujus rei exemplum Anno 1609. 31. Maii, Paterniaci mihi observare contigit. Fœminæ enim cuidam *Tomace* nomine, quadraginta circiter annorum ætatis, cùm propter ulcus inveteratum & incurabile, tibiam ad poplitem feliciter amputassem; interim dum ego in sistendo sanguine, & deligando trunco occupatus eram, in tantum animi deliquium incidit, ut adstantes mecum nihil aliud, quàm ipsam mortem obiisse putarent. Sanguis quoque, etiamsi eamem cauterio cultellari & maximè ignito abscidissem, adeò copiosè effluere cœpit, ut nisi alia cauteria in promptu habuissem, de ipsa actum fuisset. Restrictâ hæmorrhagiâ, fasciisque involuto trunco, ac ægrâ veluti mortuâ in grabatum positâ, sequentem potiunculam, quæ in promptu erat, exhibui.

R. Confect. Alkermes ℈ij.
Aq. cinnamomi destillatæ sine vino ℥j.
Aq. calendulæ
Buglossæ an. ℥iß.
Misce.

Potiuncula hæc quamprimum ad ventriculum pervenisset, vomitus adeò copiosè secutus est, ut pelvim cibo indigesto, quem me absente atque inscio devoraverat, adimpleret. Ventriculo satis exonerato, cùm iterùm non nihil de præscripta potiuncula sumpsisset, vires recolligit, & ad hunc annum 1616. quo hæc scripsi, vivit, optimeque valet.

Præterea, quæ in & post operationem necessaria esse possent (ne aliquid desit in operatione) ante præparanda sunt. Primò prædicti potiuncula ex confectione Alkermes, & aquis destillatis, ut in triplo aut quadruplo in promptu sit, necesse est; Serræ item duæ, sed ejusdem spissitudinis, ut si forsan in ipsa operatione una frangeretur, alia ad manus esset, & commodè in tramitem prioris serræ intromitti possit. Ne forsan accidat tibi, quod negligenti cuidam tonsori Neocomi Helvetiorum accidisse memini. Illi enim, cùm tibiam ad poplitem amputaret, in ipsa operatione rumpitur serra: ita ut ad Arcularium M. Pierre sans fin nomine, alioquin Roscium in sua arte, excurrere, & aliam repetere necessum habuerit. Accurrit Arcularius ipse, & exprobando Barbitonsori negligentiam, ipsemet sectionem ossis absolvit, ægrumque ex tanta hæmorrhagiâ languidum & penè exanimem feliciter liberat. Hæc non solùm ex ingeniosissimo Arculario, amico meo singulari, verùm etiam ex ore aliorum virorum fide dignissimorum habeo. Serra autem, quod quoque notandum, si membrum aliquod magnum, veluti tibia, aut brachium, amputandum est, magna esse debet; Parva, si parvum fuerit

furrit membrum, velut digitus, aut tibia, vel brachium infantulorum. Novaculæ, forcipes, cauteria ignita, pulvis ad sistendum sanguinem, tenacula ad liganda vasa; defensiva, fasciæ madefactæ oxycrato, pulvilli, stuppæ albumini ovi intinctæ, & pulvere ad sistendum sanguinem adspersæ, vesicæ bovinæ, & si quæ alia in opere necessaria esse videbuntur, antè omnia diligenter præparanda.

Instrumenta simul & medicamenta ita sunt collocanda, & ordine disponenda, ut in ipsa operatione, unum alteri minimè sit impedimento, quemadmodum cuidam Chirurgo, cujus meminit Dn. Dn. *Michael Doringius* accidit: Ille enim dum crus Sphacelo contaminatum abscinderet, & in medio esset opere, serra fasciæ (quâ cutem & carnem sursum reduxerat) ita involuta fuit, ut ab opere aliquandiu desistere cogeretur, dum serram è fascia iterùm extricaret.

Cap. 19. *Amputandi membrum ratio.*

Corpore omnibusque ad operationem necessariis (uti in præcedente capite declaravimus) præparatis, & ordine dispositis, ad operationem perveniendum est. Quapropter si tibia amputanda occurrit, collocandus æger supra scamnum, quò firmior maneat tibia. Tum Chirurgus sursum retrahet musculos, & cutim, arctissimoque vinculo partem sanam constringet, paulò supra locum amputandum: erit id vinculum è tenui redimiculo, cujusmodi illud est, quo mulieres ad religandos, nodandosque suos crines uti consueverunt. Usus ligaturæ duplex. Primùm enim ita comprimet venas & arterias, ut non usque adeò metuenda sit hæmorrhagia. Deinde compressione sua inhibebit spiritum animalem, quò minùs per nervos deferatur; Unde reddetur pars quasi stupida, adeoque incisionem faciliùs perferet. *Guido* vult vinculum alterum adhiberi parti mortuæ, ut inter duo illa fiat incisio: nec malè fortassis. Cùm enim adstantes terreantur hæmorrhagiâ, seu sanguinis eruptione, quæ sæpiùs Chirurgum calumniandi occasionem præbet, hujusmodi ligaturâ coërcetur languis intra vasa partis emortuæ, ne tam copiosè diffluat. Alii supra genu vinculum adhibent, si sit amputanda tibia, circa poplitem, ac sub cubito, si sit incidenda manus ad carpum, ut sit, inquiunt, obscurior sensus. At præterquam quod nervi ibi sint profundiùs siti, quàm ut eos ligatura valeat comprimere, contunduntur sæpiùs istiusmodi compressione partes musculosæ, & nova fit spirituum interceptio.

Arctâ ligaturâ sic factâ, Chirurgus ad extremum scamnum locabit tibiam, ita ut illius extremitas perveniat infra genu, & ferè ad locum illum, in quo amputatio fieri debet: tum fasciâ alligabit genu scamno, ne quâ fortè demoveatur. Femur autem & genu, ut scamno commodè annecti possint, necesse est, ut extremitas scamni ex utraque parte aliquantulum excavata sit, quemadmodum sequens figura indicat. (*Vid. Tab.* VI. *fig.* 4.)

Genu scamno diligenter fasciâ annexo, in promptu sit manica, ex alura aptata, hunc in modum. (*Vid. Tab.* VI. *fig.* 6.) Longa sit circiter spithamam unam, lata verò, ut tibiam ea in parte, quâ amputanda est, præcingere possit. Ex utraque parte aperta esse debet, ita tamen ut anterior pars A. notata, ad formam crumenæ duplici funiculo claudatur: quemadmodum sequens figura denotat. Funiculus autem ut lubricus sit, & in actu faciliùs constringi possit, rotundus, & oleo inunctus esse debet. Superior pars hujus manicæ, quæ A. B. C. notata est, aperta esse debet, nisi quod in utraque extremitate, uti & medio, simplici filo connexa sit, quò absciso osse, celeriter forfice dissolvi & abjici possit.

Usus autem hujus manicæ triplex est. Primò enim sanguinis impetum cohibet, Ita ut Chirurgus multò meliùs videre possit, quo in loco apponenda sit serra. Secundò æqualiter, & parvo quidem cum negotio, musculos & cutem sursum trahit, quæ factâ operatione iterum descendit, extremitatesque ossium cooperit, atque ut truncus faciliùs cicatrice obduci possit, efficit. Tertiò, ne serra carnem attingat, atque dilaceret, impedit.

Figura autem hujus manicæ hæc est: (*Vid. Tab.* VI. *fig.* 6.)

Guido & *alii* loco hujus manicæ carnem linteo cooperiunt: præstat tamen manicâ uti; ut enim caro ad os incisa, linteis obtegatur, longum requiritur tempus: deinde facillimè serra in ipsa operatione linteo ita involvitur, ut difficulter extricari possit: quemadmodum cuidam accidisse, ad finem superioris capitis ex Dn. D. *Doringio* declaravimus, Manicæ verò longè alia est ratio: celeriter enim mediantibus funiculis, undique circa os constringitur, cutemque simul & musculos æqualiter in altum, uti dixi, trahit. (*Vid. Tab.* VI. *fig.* 6.

Sin verò Chirurgus præscriptâ manicâ uti noluerit, vinculo præscripto superiori ex utraq; parte tibiæ laqueus adaptandus est, quemadmodum proximè præcedens Figura indicat: *Vid. Tab.* VI. *fig.* 7. idq; in eum finem, ut ministet, qui genu tenet, indice & medio laqueos illos apprehendere, & factâ incisione carnis usque ad os, illam horum laqueorum beneficio in altum trahere possit. Hoc modo aliquot membra feliciter abscidi, neque manicam, multò minùs lintea, secundùm mentem *Guidonis* adhibui. Genu scamno, uti dixi, annexo, inducenda est manica, ita ut inferior pars B. notata, genu cooperiat; altera verò, quæ in modum crumenæ constringitur, ad superius vinculum ita colliganda est; ut factâ incisione carnis usque ad os, minister, qui genu tenet, illam protinus vulneri imponere, & circa os constringere possit. Pars autem illa, quæ aperta & A. B. notata est, ut ex superiori parte tibiæ fit, necesse est; idque eam ob causam, ut factâ amputatione, prædicta fila ex utraque parte, simul & funiculi, forcipe protinus abscindi, & manica abjici possit.

Ita, ut dixi, indutâ atque adornatâ manicâ, aliud scabellum, quod cum priori scamno ejusdem sit altitudinis, pedi tibiæque supponendum, & fascia alliganda est. Tandem adsint tres cordati ministri, quorum unus ad scapulas, alter ut pedem cum scabello contineat, tertius verò ad genu collocandus est, firmiterque teneat ægrum, ne in operatione in hanc vel illam partem vacillet. Qui autem ad genu tenendum constitutus est, ut indicibus, & mediis digitis funiculos manicæ, aut vinculi superiùs adumbrati apprehendat, pollicibus verò & reliquis digitis, ut annexa figura indicat, genu amplectatur, necesse est. (*Vid. Tab.* VI. *fig.* 8)

Quòd si nervi ita retracti, & genu adeò incurvatum fuerit, ut æger illud extendere non possit, in solum conclavis collocandus est æger, tibia verò ita in altum elevanda, ut scamno, eo in loco, quo excavatum est, annecti possit, quemadmodum sequens figura indicat. (*Vid. Tab.* VI. *fig.* 9.)

Processus

Processus autem ille, meo quidem judicio, minimè spernendus est. Primò enim tibia, cùm jam sit mortua, aut quovis alio modo corrupta, arctissimè scamno absque periculo alligari potest: At sciunt Practici, quantò arctiùs membrum, quod abscindendum est, scamno alligatur, tanto minori cum difficultate fieri amputationem. Secundò, hoc modo institutâ operatione, æger in dorso decumbit, ac proinde lipothymiæ minùs obnoxius est. Tertiò, minùs metuenda est hæmorrhagia, cùm tibia in altum sit elevata. Vinculum tamen sub genu cum suis laqueis non est omittendum; Et ut minister in ipsa operatione carnem & cutem in altum trahat, prospiciendum.

Cæterùm videat minister ille, qui scapulas tenet, ne brachiis suis ægrum amplectatur, aut quovis modo pectus aut ventrem comprimat: si enim pectus compresserit, respirationem impediet; Sin ventrem amplectendo, stomachum, hepar, cæterasque partes contentas, augetur hæmorrhagia propter compressionem venæ cavæ, satius itaque erit, si scapulas & brachia tenuerit.

Monitos autem velim Chirurgos, ne operationem hanc, in lecto decumbente ægro, incipiant, nisi fortè eo modo, à nobis in proxima præcedenti figura proposito, collocatus fuerit: aut brachium vel manus amputanda sit. Membrum enim, quod amputandum, inprimis femur & genu, nisi firmiter scamno annexum fuerit, operatio vix dextrè fieri poterit. Ante annos aliquot unà cum clarissimis viris D. D. *Jano Antonio Saraceno*, & *Georgio Jenischio* Medicinæ Doctoribus, ad ægrum, cui tibia amputanda erat, vocatus fui. Illum cùm Chirurgus in lecto decumbentem reliquisset, & tibiam scalpello solùm annexisset, femur verò simul & genu omninò libera essent, multùm & quidem in longum tempus sustulit æger. Præ dolore enim, cùm ex una in alteram partem sese projicere coactus esset, serra hinc & inde, & quidem aliquoties osse implicata fuit.

Si verò æger propter imbecillitatem lectum egredi minimè poterit, asserculum spondæ annectendum est, deinde æger ita collocandus, ut totum corpus præter tibiam inter pulvinaria in lecto conquiescat, femur verò & genu prędicto asserculo firmiter annexa sint. Brachium similiter, aut manus, si amputanda occurrunt, æger inter culcitras manere poterit, brachium verò aut manum extendere, quæ scabello, aut asserculo aliquo spondæ annexo fasciâ alliganda est. Ut autem sive tibia, sive brachium, quod abscindendum, eò firmiùs scamno annecti possit, neque ex una in alteram partem vacillet, sequens instrumentum excavatum, scamno annectendum & infigendum est. (*Vid. Tab.* VII. *fig.* 1.

Femore & genu scamno, ut dictum est, annexo, ministris constitutis, omnibusque, sive medicamenta fuerint, sive alia ad operationem necessaria, ordine dispositis, novaculâ probè exacutâ, aut alio quovis cultro incurvato, & ex utraque parte acuto, (*Vid. Tab.* VII. *fig.* 2.) incidat carnem usque ad os, separans simul & semel periostium, quoad fieri poterit: Si duo sint ossa parallela, veluti infra genu & supra carpum, cultro incurvo & acuminato separanda est caro intermedia, ne quod serræ obstaculum occurrat.

Incisio autem carnis ex superiori parte ossis tibiæ, & ad latera incipienda, ibique periostium diligenter ab osse separandum est, semel enim absque impedimento si serra apposita fuerit, postea non facilè ac levi aliquo obstaculo remorari potest. Inferior verò pars tibiæ, sive sura, postremò incidenda, & ab osse separanda est. Ea enim in parte cùm majora vasa venarum & arteriarum descendant, si primò incideretur, multùm deperderetur sanguinis interim, dum cutis & caro in superiori parte separaretur. Omnia tamen quàm celerrimè, festinanterq; & tutò perficienda sunt.

Cùm primùm caro ad os usque abscissa fuerit; videat minister, qui genu tenet, ut protinus limbum manicæ incisioni imponat, funiculorumque beneficio circumcirca os constringat, carnemque æqualiter in altum trahat, ut Chirurgus os altiùs carne amputare, cicatricemque firmiorem, & tempotiùs inducere possit. Tandem serrâ resecabit os, quantâ poterit agilitate & dexteritate. (*Vid. serræ iconem Tab.* VII. *fig.* 3.) Abscisso osse, protinus forcipe separanda, & abjicienda est manica, incisis funiculis A. B. notatis, superiùs in delineatione manicæ.

Deinde ubi sanguinem effluere siverit, pro ratione plenitudinis, & virium ægri, cauteriis vasa inuret ad sistendum sanguinem, ipsumque etiam os, quò citiùs excidant ejus fragmenta. (*Vid. Tab.* VII. *fig.* 4.)

Restincto sanguine, solvet vinculum, quod est supra incisionem, & applicabit prygmation è stupis, intinctum priùs Oxycrato, dein ovorum albuminibus, & adspersum pulvere sequenti plurimo,

R. Farin. volat. ℥vj.
Sanguinis draconis
Thuris an. ℥j.
Boli armen. orient.
Terræ sigillat. an. ℥ß.
Gypsi ℥j. ß.
Ranarum aquatilium præparatarum (mirificè enim & proprietate quadam occulta sanguinem sistunt) ℥j.
Musci cranii humani ℥j.
Pil. lepor. minutissimè incisorum ʒij.
Pulv. albuminum ovorum sole caniculari exsiccatorum.
Spumæ maris
Spongiæ novæ torrefactæ an. ℥j.
Misce, fiatque pulvis subtilissimus.

Ranæ autem quomodo præparandæ, lector ad finem hujus capitis videre poterit.

Postea defensivo applicato, ac trunco vesicâ bovinâ involuto, revinciet omnia fasciis, intinctis in oxycrato, nec mutabit hunc apparatum ante secundum diem, si æstas fuerit, aut tertium, si hyems. Defensivum tale sit, quale descriptum est capite 13. aut etiam hujusmodi.

R. Boli armeni albi
Sang. draconis
Masticis
Gypsi ana ʒi.
Ol. Rosacei &
Myrtini ana ℥j. ß.
Albumina ovorum num. ij.
Aceti q. s. Fiat unguentum in mortario.

Defensivum autem non circa ipsum truncum, sed supra genu, si tibia ad poplitem; aut circa cubitum, si manus abscissa fuerit, applicandum est. Impedit enim defensivum, quo minùs vesica trunco commodè adaptari possit. Deinde singulis diebus iterandum est defensivum, quod fieri nequiret, si circa truncum applicandum fuerit.

Inferior autem pars vesicæ bovinæ madida, superior verò ubi aperta est, sicca esse debet: sicca, inquam, ut extensa & aperta remaneat, & faciliùs, celeriusq; trunco indui possit: madida tamen ex inferiore parte; ut æqualiter ac firmiter stupas cum pulvere contineat.

Nonnulli


Tab. VII




























Morff fc.



Nonnulli, quò securiùs præcaveatur hæmorrhagia, ligaturæ: aut vinculi, ex superiori parte incisionis, solutionem differunt in secundum apparatum. At hoc non nisi cum ægri damno fieri potest, quoniam vinculum illud magnos excitat dolores, attractionemque promovet sanguinis, atque humorum, qui accensi tandem in parte suppurantur; unde nova pravorum symptomatum occasio.

Alii unico tantummodò cauterio, eoque adeò lato, ut totum truncum obtegere possit, utuntur, eoque vasa omnia venarum & arteriarum corrugare tentant: Verùm incerta, ne dicam, inepta est operatio. Venæ enim simul & arteriæ cùm primùm abscissæ fuerint, sursum retrahuntur, ita ut cauterium illud latum illas, propter eminentiam ossis, attingere non possit. Interim cutis propter vehementiam ignis comburitur & contrahitur, curationemque difficiliorem, ac cicatricem imbecillem reddit. Præstat itaque ad vasa constringenda cauterio Sphærico, ad os verò lato ac plano, qualia antè depinximus, uti.

Cauteria autem absque manubriis, non sine causa depinxi. Cauteria enim dum calefiunt, relaxantur manubria, ita ut in operatione hinc & inde vacillent, & difficiliorem efficiant operationem: quapropter extremitates cauteriorum stupis involvo, quas interim dum igneſcunt, unus ex ministris continuò aquâ frigidâ irrorat.

Porrò ante operationem vires ægri perpendendæ sunt. Si enim æger debilis & extenuatus fuerit, & putredo locum amputationis nondum attigerit, eâ, qua fieri potest, diligentiâ profusio sanguinis cohibenda est, ne unà cum sanguine spiritus dissipentur, viresq; dissolvantur, & æger periculosa syncope corripiatur. Quapropter majora vasa cauterio actuali corruganda sunt, neque pulveri ulli ad sanguinem sistendum, quantumvis probatissimo, fidendum. Impetus enim sanguinis medicamentum repellit, impeditque, quò minus ad vasa aperta pervenire possit, ut ibi vires suas exerceat. Graviter itaque errant Cheirurgi, qui præstantissimum hocce remedium in abscissione membrorum, aliisque magnis operationibus, in perniciem ægri rejiciunt, illudque præter omnem rationem vituperare, & maledico dente carpere non verentur. Interim verò, dum suis pulveribus in sanguine sistendo occupati sunt, multùm sanguinis deperditur, sæpiusque æger in ipsa operatione extinguitur; quemadmodum ante cap. 15. & Centuriæ tertiæ Observ. 82. de Illustri quodam Germano fusiùs declaravimus. Quapropter cùm partes animantis non solùm ex sanguine alantur, sed & calor nativus mansionem ex sanguine obtineat, perinde atque ignis, qui in foco est ex lignis, ad attendendum idoneis, à quo totas ædes calefactas conspicimus, summo studio, & quantum quidem fieri potest, conservandus est. Quod si tamen corruptio atque mortificatio ad locum, ubi amputatio instituta est, pervenerit, necesse est, ut nonnihil sanguinis effluat, ne sanguine corrupto in vasis relicto, de novo putredo truncum occupet: sensim tamen ut profluat, danda est opera idque optimè fiet cauterio ignito, si vasis leniter leviterque tantisper admoveatur, usque dum nonnihil sanguinis effluxerit. Tandem verò, ut sanguis omninò sistatur, cauterium fortiter admovendum est. Ne autem interim, dum vas unum cauterio clauditur, ex altero sanguis nimis copiosè profluat, soleo duobus cauteriis, uno dextrâ, altero sinistrâ apprehenso, uno eodemque tempore operari; idque alias quàm sæpissime, tum non ita dudum in puero Coperi ad Lacum Lemanum, cujus antea mentio facta fuit, feliciter mihi successit. Cheirurgus itaque ut ambidexter sit, necesse est.

Cæterùm ad impediendam hæmorrhagiam, aut ad minimum ipsius impetum veluti freno compescendum, Cheirurgi cauterium cultellare excogitarunt, quo & ego multoties maximo cum fructu ægrotum usus sum: quandoquidem incidendo carnem usque ad os, venas quoque & arterias simul comburendo corrugat. Dorsum autem hujus cauterii, ut pollicis spissitudinem superet, necesse est, alioquin non satis diu calorem suum conservare poſſet. Ut autem caro, quæ est inter utrumq; os, eo quoq; abscindi possit, acuminatum esse debet, quemadmodum sequens figura indicat. *(vid. Tab.* VII. *fig.* 5.)

Quòd si præter spem atque opinionem, etiamsi cutis & caro cauterio actuali abscissa fuerint, sanguis, uti sæpissimè mihi accidit, profluxerit, protinus cauteriis sphæricis sistendus, tandemque os serrâ abscindendum est, inprimis si æger extenuatus ac debilis fuerit.

Porrò excellentiam hujus cauterii non satis extollere possum. Primùm enim, ne sanguis impetuosè profluat, ac spiritus dissipentur, impedit. Secundò, minus dolorosa est operatio, quàm si novaculâ cutis carnisque amputatio fieret, imò tota curatio minori cum dolore absolvitur, quemadmodum eventus in multis me edocuit. Hujus autem rei causa hæc mihi videtur, quòd nervi partesque nervosæ, inprimis periostium, cùm primùm ferrum ignitum sentiunt, protinus sursum retrahantur, & ita quidem, ut ferrà illas non attingat. Novaculâ verò, quomodo periostium exactè, & ita quidem, ut serra liberam inveniat viam, separari possit, nondum video. Serra itaque undique offendens periostium, maximos excitat dolores, vigilias, febres, phlegmones, aliaque gravissima symptomata: idque præcipuè propter dilacerationem periostii membranæ, exquisitissimo sensu præditæ. Accedunt præterea & alia, quæ malum adaugent. Cùm enim calor nativus in parte affectâ maximè sit labefactatus, cum, si caro & nervi cultro frigido incidantur, & postea medicamenta frigida ad repellendos affluentes humores applicentur, magis magisque debilitari, & dolores insuperabiles, juxta illud *Hippocratis*; *Frigidum ulceribus mordax*, &c. procreari, quis, quæso, in controversiam vocare poterit? Cauterio verò cultellari periostium, uti dixi, omninò separatur. Cùm primùm enim ignem persentit, veluti pars nervosa sursum deorsumque retrahitur, & serra tramitem à partibus nervosis liberum invenit. Deinde mediante calore isto simplicissimo, & elementari ignis, resocillatur calor nativus, in parte affectâ labefactatus, ac veluti prostratus. Et quia calidum, ut idem *Hippocrates* docet, ulceribus, ossibus denudatis, nervis, ac omnibus partibus nervosis amicum, dolorumque lenit, sequitur mox digestio vulneris, ità ut omnia salva sint. Expertus loquor: multis enim hac methodo membra amputavi, iterumque truncum sanitati restitui, ut vix de dolore conquerentur, multò minus intumefactio aliqua circa truncum apparetet. Sed videtur obstare locus *Hippocratis*, qui habetur *libro de Articulis*, ubi ignem nervis inimicum esse, scriptum reliquit. Sed loquitur *Hippocrates* eo in loco de nervis, non abscisis, aut malè affectis, sed adhuc integris & sanis, quibus revera ignis, ut qui omnium calidissimus & tenuissimus, ac minimo negotio ad illos penetrat, adversissimus, illosque contrahit, & dolores excitat. De nervis verò malè affectis alia est ratio. Cùm enim multa ignis commercio reddantur meliora, ut *Galenus* docet, ignisque omnia dissolvat, ut idem *Galenus* author est; quis, quæso, non videt, cauterium in tanta putredine circa nervos collecta,

collecta, multum prodesse posse? Hæc etiamsi ita se habeant, non sequitur tamen, methodum illam amputandi membrum in parte mortua, reliquamque putridam carnem cauterio comburendi approbandam esse. Ex maxima enim combustione illa, non solùm nervi supra modum incalescunt, verùm etiam (quia adhuc in parte demortua hærent, ita ut quantumvis abscissi, minimè tamen sursum retrahi possint) vi ignis ita comburuntur, contrahunturque, ut maximi dolores, vigiliæ, aliaque, symptomata inde sequantur. Effervescunt præterea in parte affecta adeps, cæterique humores, & continuò otendo, de novo affluxum excitant, quemadmodum c. 17. diximus. Alioquin calidum nervis maximè convenit, doloresque sedat, ut antea ex *Hippocrate* demonstratum est. Cujus rei exemplum non vulgare ante annos aliquot mihi observare licuit Matrona Paterniacensia à catne rabido in digitum medium morsa fuit: circa septimum dolor acutissimna exortus est: cùm verò balsamum abietinum calidè vulneri iostillassem, ac ægra maximum levamen inde perseosisset, petiit, ut patum calidius illud infunderem; Tandem eò usque, rogante ægrâ, gradum caloris auxi, ut ferventi balsamo vulnus adimplerem, quo facto dolor iotra paucos dies remisit. Integram historiam pete ex Centur. 3. Obs. 58.

Si verò æger juvenis, robustus, & plethoricus fuerit, viresq; constiterint, putredo quinetiam ad locum ferè amputationis pervenerit, necesse est, ut factâ amputatione membri, nonnihil sanguinis effluet: hinc enim totum corpus aliquo modo refrigeratur, & veluti onere quodam gravi deposito allevatur, viresq; iterum colligit, omniaq; symptomata imminuuntur. In hujusmodi ægris amputato membro, pulvere meo præscripto aliquoties hæmorrhagiam absq; cauterio actuali cohibui. Interim tamen, ut Cheirurgus cauteria in promptu & quidem ignita habeat, suadeo: ut si forsan propter impetum hæmorrhagiæ pulvis non sufficeret, ad cauterium confugere possit.

Pulvis autem non unico pulvillo magno ex stupis præparato, ut nonnulli facere consuevere, sed variis applicandus est. Unico enim applicato ad vasa, quæ statim post amputationem sursum retrahuntur, cùm vix pervenire possit, veluti inutilis est; impetus enim sanguinis pulverem repellit & abluit. Habeat itaq; Chirurgus multos pulvillos parvos, spissos, bene compactos, albumine ovi madefactos, & pulvere nostro ad sanguinem sistendum copiosè adspersos; quoa ad ora venarum & arteriarum trudat, unum post alterum, donec truncus undiq; sit coopertus pulvillis. Habeat deinde pulvillum ejus magnitudinis, ut totum truncum obtegere possit, qui similiter ovi albumine imbutus, & pulvere adspersus esse debet, quo applicato, protinus omnia vesicâ bovinâ, ut dictum est, madefactâ, obtegenda sont: deinde fasciis oxycrato madefactis diligenter deliganda, ut pulvis circa ora venarum & arteriarum remaneat.

Galenus, & post ipsum *Avicenna*, *Celsus*, & alii, aliam Methodum sistendi sanguinem, & quidem aptissimam excogitarunt, vasorum scilicet ligationem. Convenit autem præcipuè in robustioribus & plethoricis corporibus, & in eis, in quibus hæmorrhagia non usq; adeò pertimescenda est. Ad liganda enim vasa, unum post alterum (nisi Cheirurgus manu promptissimus fuerit) tempus requiritur: at quia sanguis interim profluit, ac deperditur, non nisi in plethoricis & robustioribus tentanda est: In delicatulis verò & extenuatis, absque periculo administrari, non potest: in his enim sanguis propter causas, quas antea recensui, protinus sistendus est. Quod si necessariò membrum circa ipsum radicem carnis putridæ abscindere coacti fuerimus, methodus hæc sistendi sanguinem locum quoque oon habet: Cauterio enim actuali, ut corruptio illa castigetur, necesse est. Convenit præterea & in eis, qui animo sont pusilli, ac ferrum ignitum supra modum metuunt.

Comprimum itaque os ferrâ abscissum fuerit, apprehendat Cheirurgus forcipe hìc adumbratâ, (*Vid. Tab.* VII. *fig.* 6.) vas, quod reliquorum erit maximum, & cùm aliquantulum illud ad se attraxerit, protinus ministet vinculum, ex filo canabino factum & A. notatum, vasi injiciat, illudque arctè constringat. Interim autem, dum Cheirurgus & minister vas unum, uti dixi, amplectuntur, atque constringunt; tertius quidam digitis reliqua vasa obturet, impetumque hæmorrhagiæ, quantum fieri potest, impediat, & si forsan nonnihil carnis unà cum vena, aut arteria apprehenderit, nihil nocere potest, & faciliùs obturabitur vas. Vincula ita diligenter vasis injectis, ad majorem securitatem pulvilli ex pilis leporinis, aut gossipio factis, ovi albumine madefacti, & pulvere ad sistendum sanguinem adspersi, ad ora vasorum, quemadmodum superiùs diximus, imponendi: deinde omnia vesicâ bovinâ, fasciisque diligenter vincienda atque deliganda sunt.

Explicatio fig. 6. Tab. VII.

A. Laqueus est ex filo canabino reduplicato; & interlaqueato, quorum Cheirurgus quinque aut sex paratos, & in prompin habere debet. Ad ipsam autem forsicem adaptari debent, quemadmodum ex delineatione videre est, idque in eum finem; ut cùm primùm Cheirurgus vas aliquod apprehenderit, minister eò faciliùs laqueum ad ipsum vas usque detrudere, nodumque conficere possit.

B. Plectrum est, quod forcipem apertam tenet.

Sin verò vena aut arteria sursum retracta fuerit, ita ut præcedenti forcipe, quia lata & in formam rostri anseris fabricata, apprehendi non possit, sequentem forcipem, in formam rostri ciconiæ factam, in promptu habet. (*Vid. Tab.* VII. *fig.* 7.)

Nonnulli resecto membro, & restricto sanguine, acu oblongâ, & filo æquali ac levi, quale est sericum, labia vulneris decussatim, quantum fieri potest, contrahunt: Verùm methodus illa mihi non probatur. Cùm enim truncus post operationem intumescat, sutura hæc dolores mirum in modum adauget, filum quoque hoc, intumescente carne, cutem abrumpit, quapropter sutura relaxatur, ita ut planè inutilis sit. Impedit præterea sutura hæc, quò minùs pulvilli ad ora vasorum commodè applicari possint, si forsan de novo hæmorrhagia superveniret. Præstat itaque, loco suturæ glutino uti, quemadmodum postea dicam.

Restricto sanguine, fasciisque deligato trunco, in tertium usque diem (nisi dolor obfuerit, quemadmodum *cap.* 24. dictum sum) relinquendus est primus apparatus, propter metum hæmorrhagiæ. Interim tamen totum femur, aut brachium, quotidie bis oleo rosaceo, aut myrtillorum innungere, defensivum quin etiam singulis diebus iterare convenit. Postea cùm proximum apparatum abjicere voluerit Cheirurgus, iterum tres, aut quatuor pulvillos parvos ex stupis, aut gossipio paratos, albumine quin etiam ovi madefactos, & pulvere nostro ad sistendum sanguinem adspersos, in promptu habeat. Omnia clementer admovenda sunt, pulvilli tamen, qui in primo

primo apparatu vasis impositi fuere, si aliquo modo, quantumvis levissimè adhæserint, propter metum hæmorrhagiæ, in sequentem usque diem relinquendi sunt. Sin verò facilè, & veluti per se deciderint, recentes vasis imponere convenit, ossi filamenta sicca, reliquo vulneri sequens digestivum applicetur.

R. Therebinth. lotæ in aqua plantaginis ℥iij.
Ol. Rosacei.
amygdalarum dulcium ana ℥j.
Gummi Elemi dissoluti cum prædictis oleis, & colati ℥ß.
Croci ℈j.
Misce, fiat unguentum, addendo vitellum unius ovi.

Neque verò mutabuntur hæc remedia ante digestionem factam; in primis defensivum; adspergaturque vasis pulvis noster ad sistendum sanguinem, quoad non sit ampliùs ab hæmorrhagia periculum; Tum remoto digestivo detergebitur ulcus mundificativo nostro de succo apii, cujusmodi infrà extremo hoc capite, aut etiam sequente.

R. Terebinth. lotæ in vino ℥iij.
Pulv. rad. aristolochiæ rotundæ
iridis florent.
farinæ hordei ana ʒiij.
mellis rosacei ℥j.
aquę vitæ ℥ß.
theriac. optimæ ʒij.
Misce, & fiat mundificativum.

Interim nitendum deorsum trahere cutem, ac musculos, qui sursom attracti fuerant, ut paulatim denuò contegant ossium incisorum extrema, utque post cicatricem inductam cutis ea, & ipsi musculi pulvini instar extremis illis ossibus substernantur. Quamobrem solent nonnulli decussatim ipsa vulneris labia suere, statim ab ipsa operatione, sicque cutem & carnem appropinquant. Qui modus mihi non probatur propter incommoda, quæ inde sequuntur, quemadmodum antea ostensum est. Placet itaque loco suturæ, quæ fit in carne & cute, uti pulvillis, spleniis, fasciisque, aut glutino ad id apto, & sequenti modo applicato.

Digesto vulnere, & inflammationis experte, linteum, ejus longitudinis, ut totum truncum ambire possit, induco sequente emplastro, aut glutino, & ad labia vulneris applico; Ita tamen; ut labia minimi ferè digiti sit inter labia vulneris & emplastrum. Posterâ die siccato emplastro, & tenacissimè hærente, acum filo trajectam insero, sicque vulneris labia haud aliter conjungo, quàm si ipsam cutem & carnem perforassem. Glutini, quo ego utor; descriptio hæc est.

R. Farinæ volatilis ℥j.
Masticis
Thuris
Sang. draconis
Pulv. Rosar. rub.
Gummi tragacant. ana ʒij.

Misce, fiatque pulvis tenuissimus, cui adde albumen unius ovi, aquæ rosarum q. s. ut crassitiem mellis adipiscatur glutinum. Maneant in infusione per noctem: sequenti die si nimis spissum fuerit medicamentum, iterùm affunde aquæ rosarum, aut plantaginis quantum satis est: deinde utere quemadmodum dictum est.

Loco glutinis utimur emplastro de pelle arietis, aut aliquo alio ex pice navali, colophonia, & similibus confecto.

Relaxatur autem aliquando glutinum, aut propter abundantiam puris, aut quia Cheirurgus medicamentum aliquod humidum applicat. Si propter abundantiam puris acciderit, inspergatur vulneri sequens pulvis, qui exsiccat absque mordicatione, & casum extremorum ossium procurat,

R. Rad. Aristoloch. rotundæ,
Peucedani
Iridis Florentinæ
Corticum pini
Ligni Guajaci ana ℥ß.

Misce, fiatque pulvis tenuissimus, qui ulceri quotidie semel, aut bis inspergatur.

Linteum glutino obductum si deciderit, novum applicandum est, idque toties, quoties opus fuerit. Est enim tutissimum remedium, minimè dolorosum, & periculi expers, quo in omnibus vulneribus, quæ suturâ indigent, uti possumus.

Tandem dum curatur vulnus, procurandus casus extremorum ossium, quæ aëris & serræ contactu alterata fuerunt, aspersis pulveribus catagmaticis, cujusmodi est iste, paulò antè descriptus.

Ab omnibus autem humidis & oleaginosis in denudatis ossibus, in quacunq; parte corporis fuerint, planè ut abstineat Chirurgus necesse est. Quapropter statim ab operatione filamentis siccis, nec non pulveribus catagmaticis ossa diligenter tegenda, ac munienda sunt. Accelerat quoq; casum ossis, si post amputationem cauterium actuale, ut suo loco diximus, ossi leniter leviterq; applicatum fuerit. Etenim actualis ignis proculdubio, quod potentialis non potest, absumet, ossi robur addet, & plura alia dabit commoda, ut eruditè monet Anatomicus & Botanicus D. PETRUS PAVIUS. Leviter autem ossa cauterio actuali, tractanda; Primò quia nulla adest caries Sed solummodò alteratio quædam à serra, & aëre externo contracta. Secundò ne medulla vehementiâ ignis nimiùm incalescat, ac novam inflammationem excitet. Euphorbium quoq; (certè si, ut verisimile est, genuino & legitimo *Dioscoridis* caremus) separat & deturbat ossium cariosorum fragmenta, quemadmodum Obs. 92 Centur. 3. fusiùs demonstravimus: velut & emplastrum de betonica.

Ab initio autem, ut antea quoq; monui, diligenter filamentis os denudatum obtegendum est, donec natura carne aliqua spongiosa id obtexerit, quod circa decimum, aut decimum quartum diem post amputationem fieri consuevit. Cum n. aër ossibus denudatis sit adversissimus, ea statim carne aliqua fungosa tegit natura, sub qua nihilominus partem illam ossis ab aëre, aut medicamentis, vel etiam à serrâ alteratam, paulatim separet, & per carnem illam fungosam expellit: os verò carne solidâ, & laudabili tegit. Itaque non satis rectè, nec prudenter faciunt nonnulli, qui in ossibus denudatis quotidiè ferè (ut ego apud quosdam vidi) scalpris os abradunt; Aut carnem istam fungosam causticis absumunt. Hinc multoties ex recenti vulnere fiunt ulcera maligna atque diuturna. Extrema autem fragmentave ossis minimè vi sunt extrahenda; Sed interdum concutienda & commovenda leviter, reliquum naturæ & pharmacis permittendum. Non est interim expectandus horum casus ante trigesimum vel quadragesimum diem ab amputatione. Est & excrescens in trunco ipso caro coërcenda pulvere aluminis usti, aut sequente.

R. Aluminis usti ʒij.
Lapidis calaminaris
Plumbi usti
Cerussæ ana ℥j.
Vitrioli calcinati ʒß.
Misce, fiat pulvis tenuissimus.

Deinde inducenda est cicatrix emplastro palmeo, de cerussa cocta, unguento desiccativo rubro, diapompholygos & similibus.

Manus si sola contaminata fuerit, in ipso carpo amputanda est sequenti modo. Cutis versus cubitum reducenda fortiterque liganda est; Quemadmodum de abscissione tibiæ diximus: Postea circumcirca juncturam linea atramento ducenda est. Tandem minister aliquis cordatus brachium firmiter teneat; Cheirurgus verò sinistrâ manum, quæ amputanda, apprehendat, dextrâ autem cutem & carnem secundùm lineam atramento inductam cultro ante delineato incidat, parumque manum deprimat, sic enim articulus protinus disjungitur & novacula absque ullo obstaculo, & celeriter quidem operationem absolvit. Truncus postea curandus est, quemadmodum de tibia diximus.

Sin verò brachium extra articulum amputandum est, cutis & caro usque ad os incidenda est, aut cauterio cultellari ante depicto, aut aliis cultris: Deinde os non scalpris, aut securi, ut nonnulli artis imperiti homines facere consuevêre, sed serrâ præcidere convenit. Operatio autem ut dextrè perficiatur, brachium scamno annectendum est, quemadmodum de tibia diximus. Quod si Chirurgo libuerit, poterit quoque applicare & uti manica, antè in abscissione tibiæ descriptâ & depictâ.

Digiti, ut capite 17. fusiùs diximus non forcipe incisoriâ, ut vulgus Chirurgorum facit, aut scalpris, sed novaculâ, vel serrâ amputandi sunt. Novaculâ quidem parvâ, & acuminatâ, si in ipso articulo facienda est operatio: serrâ verò si extra articulationem. Minister itaque brachium & manum teneat, Chirurgus verò forcipe apicem digiti apprehendat, firmiterque sinistrâ teneat, tandem serrâ minimâ os abscindat. Operatio hæc cùm aliàs, tum Anno 1591. in puella quadam Hildenæ, cui omnes digitos dextræ manus abscidi, feliciter successit, de qua vide historiam capite quarto. Præterea in peregrino quodam Gallo, qui Anno 1600. Româ rediens, & in monte S. Bernhardi à via deflectens, & inter nives pernoctans, tantum frigus passus fuit, ut extremitates omnium digitorum dextræ manus (extinctis in istis calore nativo) Gangræuâ correptę sint quemadmodum in 2. Cent. Obs 87. fusiùs declaravimus. Porrò in abscissione digitorum, talis observandus est ordo, videlicet, si apex pollicis, apud Vesalium, de corporis humani fabrica *Lib.* 1. *cap.* 25. *fig.* 1. C. notatus, abscindendus fuerit, fiet id in prima articulatione, & quidem non forcipe aut scalpro, sed novaculâ. Si verò putredo primam articulationem transgressa fuerit, proximamq; in eâdem figurâ T. notatam, nondum contaminaverit in medio, ubi B. notatus, abscindendus est digitus; caro quidem ac reliquæ partes molliores novaculâ, os verò serrâ exiguâ. Quod si dimidia illa pars ossis B. notati, reservari quoq; non posset, abscindatur in ipso articulo, T. notato. Si pars illa pollicis in prædicta figura A. notata, reservari quoq; non potest, non tamen in medio, ubi os in prædicta figura A. notatum est (id enim Chirurgo in operatione perquam difficile, ægro verò molestum esset, & deformitatem pareret) sed ad quintum brachialis os P. notatum, abscindendus est pollex, sequenti modo. Adsit minister cordatus, teneatq; firmiter sinistrâ suâ (si abscindendus est pollex, aut alius digitus dextræ manus) brachium ad Carpum, dextrâ verò digitos omnes arripiat, leviterq; ad se trahat. Dum Chirurgua sinistrâ suâ pollicem apprehendat, & nonnihil ad se trahendo, videlicet pollice, incisionem ad ipsum articulum T. notatum, novaculâ bene acuminatâ inchoet, & rectâ ad quintum os brachialis ducet, sic ad se trahendo pollice, primo vel altero ictu ipsum facilè abscindet. Si verò pollex sinistræ manus abscindendus est, minister dextrâ suâ brachium ad carpum, sinistrâ verò digitos teneat, eodemq, modo, uti jamjam dixi, procedat Si corruptio, aut caries indicem occupaverit, prædicta methodus non est mutanda, facillimèq; ad metacarpum, sive postbrachiale os, in 1. & 2. figura I. notatum, hoc est, in tertia articulatione abscinditur, quemadmodum ego in aliquibus expertus sum. In abscissione minimi digiti eodem modo procedendum est: potest tamen ad brachiale us ubi in prædictis figuris N. notatus est digitus, parvo cum negotio quoq; abscindi. In abscissione medii atq. annularis digiti, si corruptio aut caries eo usq; pervenerit, ut ad tertiam articulationem, sive postbrachiale os, abscissio instituenda necessariò fuerit, hactenus non exigua fuit difficultas: Idq; propter septum digitorum. Tertiò enim iterandus fuit ictus scalpri, vel novaculæ, ut ex adjuncta figura facilè colligitur. Primus ictus digitum in postrema articulatione à metacarpo separabat. Secundus, & tertius septum digitorum, ex una atq; altera parte digiti, incidebat, ut sequens figura indicat.



Per septum autem digitorum, intelligo partem illam carneam, quæ sita est inter tertiam sive postremam juncturam digitorum & secundum articulum versus, uti videre licet, & figura 2. cap. 25. lib. 1. Vesalii, à litera R. ad D. Porrò in hac operatione ac tertiò repetito ictu scalpri, in uno aut altero angulo, *a* & *b* notato, facillimè carnosum aut membranosum quid à scalpro, intactum remanere, & operationem difficiliorem, longioremque reddere poterit. Hæc apud me perpendens, & quomodo hac in re, tum ægris, tum etiam Chirurgis succurrere possem, nervos intendens, sequens instrumentum excogitavi quo digitus in extrema articulatione, unà cum septo, ex una atque altera parte, unico ictu facillimè & sine difficultate abscinditur. In abscissione digitorum pedum eodem modo procedendum est. Est autem scalprum peracuminatum, & alatum, cujus postica pars A. notata semicircularis, ejusque est magnitudinis, ut cum osse, quod amputandum, justam habeat proportionem. Alæ B. & C. notatæ; pollicem cum dimidio sint longæ, acuminatæque ut ex sequenti figura, ad vivum depicta videre est. (*Vid. Tab.* v11. *fig.* 8.)

Operatio autem sequenti modo instituenda est, præparato corpore, manus in scamnum aut tabulam collocanda, & à Viro Cordato tenenda est: deinde articulus, in quo ampitatio peragenda, diligenter atramento notandus est, & apposito scalpro, malleo id tam validè percutiendum, ut unico ictu digitus abscindatur. Mox quæ sanguinis fluxum cohibent, & dolorem leniunt, applicanda sunt, de quibus suo loco fusiùs.

Cæterùm, Candide Lector, etsi antea cap. 17. usum scalpri & tenaculæ in abscissione membrorum improbaverim, in hoc tamen casu, quia aliter fieri nequit, ex duobus malis minus eligendum, & extremum remedium potiùs adhibendum, quàm ægrum, in periculo constitutum, derelinquendum esse existimo. Cæterùm quomodo post curationem lignea tibia, aut ferrea manus adaptanda sit, Lector apud Ambrosium Paræum *l.* 23. videre poterit.

Sunt

Sunt præterea, qui ægro ante operationem soporiferum aliquod præbent, ut minùs sentiat dolorem. At nos ex boni *Guidonis de Cauliaco* sententiâ abstinebimus; Quippe ista narcotica perquàm periculosa sunt, propter gravissima, quæ inducunt, symptomata, imò & mortem: quemadmodum posthac *cap.* 24. exemplo quodam demonstrabimus. Quare de iis agere supersedebo.

Mundificativum nostrum de succo apii, ad mundificanda & incarnanda Gangrænæ ulcera, aliaque sordida & maligna, sic præparatur:

R. Succi apii,
Scordii,
Arnoglossæ majoris,
Rutæ ana ℥iiij.
Mellis rosati ℔. j.
Coquantur ad consistentiam syrupi, tum admisce.
Farinæ lupinorum,
Pulv. rad. Aristoloch. rotundæ,
Angelicæ,
Vincetoxici,
Theriaces ana ʒß.
Aquæ vitæ ℥j.

Misce, fiat unguentum, quod servetur in vase vitreo. Ranas, quarum antè in descriptione pulveris nostri ad sistendum sanguinem memini, sic præparo. Accipio ranas aquatiles, suspendo illas in cucurbitam, ita tamen, ut fundum non attingant, ne in carbones comburantur, & aqua, quæ exstillat, odorem gravem acquirat. Accenso igne aquam in arena clementer extraho, & ad usum reservo. Est enim preciosa in ulceribus malignis & cancrosis, item in polypo, ozena, aliisque pudendorum & sedis ulceribus: inflammationem extinguit & malignitatem corrigit. Ignem non extinguo, usque dum omninò exsiccatæ fuerint ranæ, nec ulla ampliùs exstillet aqua. Illam tamen, quæ circa finem exstillat, separatim colligo; odorem enim aliquo modo graviorem habet, & in ulceribus oris & narium minùs grata est. Ranas ita exsiccatas in catillum fictilium projicio, ac in albissimos cineres comburo. Valent non solùm ad sistendum sanguinem, verùm etiam in omnibus ulceribus malignis, & sordidis, si eis inspergantur, mundificant, abstergunt, & malignitatem corrigunt.

Cap. 20. *De symptomatibus, quæ post amputationem membri supervenire solent, deque eorum causis.*

Cæterùm, etiamsi Medicus & Cheirurgus summam adhibuerint diligentiam, corpusque ante operationem ritè præparaverint: æger tamen non semper à symptomatibus immunis esse potest. Primò, quia Medico non obtemperat & in victus ratione peccat: aut quia adstantes officio suo minimè funguntur. Est enim verissimum, quod *Hippocrates* scriptum reliquit: nimirùm non sufficere, si Medicus officium suum circa ægros fecerit, omniaque summâ cum diligentiâ adhibuerit ad morbi oppugnationem, nisi æger ipse & qui circa ipsum constituti sunt, officio suo quoque fungantur: & quæ à Medico præscribuntur, diligenter observent. Primò itaque, ut æger obediens sit, & in omnibus Medici consilium sequatur, necesse est. Secundò ministros, qui ægro inserviunt, diligentes & vigilantes esse convenit. Tertiò exteriora quoque, veluti aër secundùm morbi naturam, victus ratio, & habitatio commoda, requiruntur. Sin verò æger morosus & inobediens, habitatio ægri incommoda, & victus ratio prava fuerint; rarissimè scopum suum attinget Medicus, etiamsi diligentissimus fuerit.

Secundò superveniunt symptomata post operationem, quotiescunque corpus pravis humoribus, sanguineque onetatum est. Cum impetu enim ad truncum confluunt, aut symptoma aliquod molestum in corpore excitant.

Tertia causa symptomatum ad morbi magnitudinem referenda est. Si enim membrum aliquod magnum, veluti femur, aut brachium, abscindendum est, aut in vulneribus capitis membranæ, læsæ fuerint, quis quæso à gravioribus symptomatibus securus esse poterit? Tandem imperitia & negligentia Cheirurgi sæpissimè multorum gravissimorum symptomatum causa est: nonnunquam enim affectum, causas & symptomata, propter imperitiam non satis agnoscunt, at quis symptomata præcavebit, nisi morbi habuerit notitiam? Alii ab initio affectum negligunt, & flocci faciunt, ac interim dum corpus ægri expurgare, victus rationem præscribere, aliaque ad præcavenda symptomata, administrare debeant, ventri & voluptatibus dediti sunt. Hinc occasionem, quæ, ut rectè *Hippocrates* docet, præceps est, negligunt, sicque aliquando ex levissimo aliquo vulnere gravissimus affectus, qui ægrum aut extinguit, aut ad summum periculum perducit, maximaque incommoda post se relinquit.

Vulnus simplex facilè curatur, imò natura, quæ, teste *Hippocrate*, morborum est medica, per se & absque medio aut Cheirurgo, sæpissimè vulnera consolidat: symptomata verò cùm supervenerint, omnes naturales operationes invertunt maximasque molestias, ac ingentes labores aliquando Medico pariunt. Ut autem Cheirurgus symptomata, quæ vulneribus aliquando accidere solent, præscire, præcavere, vel etiam ex arte curare posit, non satis est, ut nudam solummodò habeat experientiam: ratio (ut rectè monet *Galenus*) atq; doctrina quoq; requiruntur. Sed proh dolor, quorsum nunc devenit ars Cheirurgica? jacet profectò, & priscus ipsius splendor, apud multos veluti caligine quadam sepultus est. Multos circumforaneos, barbitonsores & castratores cognosco, quos vulgus ad cœlum usque extollit; quorum tamen nonnulli maternam linguam legere & scribere ignorant, malvam, aut parietariam vix cognoscunt: Hi nullâ habitâ ratione corporis ægri, herniosis testiculos evellunt, calculos extrahunt, aliasque gravissimas operationes, non purgato corpore, maximo cum detrimento ægrotum perficiunt. Factâ enim operatione, humores ratione doloris, veluti ad cloacam, circa locum affectum confluunt, gravissimaq; quandoque symptomata excitant. Illa autem, quia non rarò totum negotium invertere, majoresque molestias ac labores, quàm ipse morbus procreare solent; necesse est, ut Cheirurgus rationem subjecti sui habeat, morbum, ipsiusque causas, naturam ægri, simul & facultates atque vires medicamentorum rectè agnoscat, eaq; ex arte præparare, & adhibere sciat: quæ omnia ex ipsa scaturigine artis, nimirùm ex *Hippocratis, & Galeni, Avicennæ, Celsi*, aliorumq; antiquorum, ac neotericorum Medicorum atq; Cheirurgorum scriptis potissimùm haurienda, & ità collocanda sunt, ut ratio & experientia simul conjungantur. Deinde, & quidem potissimùm quia omnia bona dona à Deo proveniunt, quemadmodum divus Apostolus monet, item quia Medicina à Deo creata & data est, & absq; benedictione Creatoris nihil operatur, videat Chirurgus, ut in omnibus suis actionibus & operationibus Deum invocet, & quantum fieri potest, piè & Christianè vivat. Circa ægros vigilans sit, summamque diligentiam adhibeat. Et quia, ut antea quoq; monui, symptomata sæpissimè totam curationem prioris morbi invertunt, ideoque quomodo illa removenda, hîc in gratiam tyronum annectere visum est.

Symptomata autem, quæ post operationem potissimum supervenire solent; hæc sunt; Syncope, & virium prostratio, hæmorrhagia, febris, dolor, inflammatio, phlegmone, vigiliæ, phrenesis, convulsiones, atq; Gangræna & Sphacelus de novo. De quibus omnibus ordine & sigillatim, breviter tamen dicturus sum, præterquàm de Gangræna & Sphacelo, quæ si denuo supervenerint, præcedens curatio iterùm adhibenda est.

Cap. 21. *De syncope, & quomodo ea præcavenda & removenda sit?*

Syncope, quæ præceps virium lapsus est, & in hujusmodi gravioribus operationibus non rarò accidere solet, periculo non vacat: nonnullos enim in ea exstinctos fuisse, observatum est. Videat itaq; Chirurgus, ut ante operationem eis omnibus, quæ in syncope requiruntur, instructus sit.

Multis variisque de causis præceps virium prostratio oritur, de quibus Lector *Galenum*, aliosq; authores videre poterit. In gravissimis verò operationibus has potissimùm ob causas accidit. Primò, propter maximam dissipationem & deperditionem spirituum vitalium. Hinc enim cor aliquo modo refrigeratur, ac prosternitur, donec cætera viscera iterùm novom præsidium ad ipsum miserint. Hujusmodi autem lipothymiæ supervenire solent, quotiescunque Cheirurgus in gravissimis operationibus cauterium actuale improbat, & in sistendo sanguine aut negligens, aut tardus fuerit. Cum sanguine enim spiritus simul effluunt, atque dissipantur. Cujus rei exemplum Lector *cap. 15.* de illustri Germano videre poterit.

Altera causa est, quando sanguis & spiritus repente & nimis copiosè, sive sit propter iram, timorem, vel aliam aliquam causam, circa cor confluunt, spiritusque vitales veluti suffocant.

Tertiò supervenit lipothymia, quotiescunque vapor putridus & malignus ex trunco per arterias ad cor ascendit, spiritusque vitales inficit. Quapropter quotiescunque membrum aliquod putridum in parte mortua absciinditur, & quod reliquum est carnis putride, cauteriis actualibus in eschatam comburitur, lipothimiæ gravissimæ & mortales pertimescendæ sunt. Vapores enim putridi, vi ignis excalefacti, subtiles & acres facti, facillimè per arterias ad cor adscendunt.

Quibus orificium ventriculi exquisitissimo sensu præditum est, facillimè syncope corripiuntur, si bilis flava, aut aliquis alius humor acris sursum regurgitaverit: Uti accidisse memini, cùm Empirici, & imperiti barbitonsores hujusmodi, aliasque operationes, non purgato corpore administrant. Civi cuidam Bernensi, *Hieronymo Zobel* nomine, cùm Anno 1614. Aventici venam, non purgato corpore, in sinistro cubito incideret barbitonsor, cardialgiâ primò, mox quoque epilepsiâ correptus fuit: finito paroxysmo epileptico, imprudens barbitonsor protinus venam in dextra manu incidit, multumque sanguinis extrahit. Quid fit? iterum cardialgiâ, mox quoque epilepsiâ gravissimâ & periculosâ correptus fuit; uti lector *in 4. Cent. Observ. nostrarum* fusius videbit. Corpus itaque antequam vena incidatur, aut membrum aliquod abscindatur, ab excrementitiis humoribus ut evacuetur, plus quàm necesse est.

Ubi lipothymiæ invadunt, pulsus languidus, & ita obscurus fit, ut quandoque difficulter percipi possit: Sudor frigidus in facie, aliquando quoque circa pectus erumpit: Nausea, non rarò quoque vomitus superveniunt, frequenterque oscitat æger: Sanguis ex toto corpore ad cor confluit: quapropter externæ partes frigent: faciei nitor & color vividus aufertur; nasus acutus & oculi cavi apparent. Sanguinis quoque fluor ut plurimum, fluente ad interna sanguine, remittit, nonnunquam tarissimè tamen, augetur, propter retentricis facultatis labefactationem, atque summam prostrationem; quod & eis, quibus vena secta, & sanguis nimis copiosè extractus fuit, accidisse memini. Corpus, ut semel dicam, prostratum, & sine motu ac sensu jacet, nec quicquam videt, neque audit æger eorum, quæ circa ipsum fiunt.

Cùm autem remedia secundùm causam morbi sint mutanda, & adhibenda, necesse est, ut Cheirurgus ex sequentibus signis edisćat, an syncope propter dissipationem spirituum, vel ex eorundem oppressione proveniat? idque primò ex pulsu cognosćere licet. Solutæ enim vires inquit *Galenus*, parvum, languidum, ac valde frequentem pulsum efficiunt: oppressæ verò pulsus mutant, cùm in reliquam omnem Inæqualitatem, & ordinis confusionem, tum in eam, quæ in vehementia spectatur & magnitudine. Nam inæqualitates hæ oppressarum virium maximè propriæ existunt. Secundò, virium lapsus propter dissipationem spirituum semper post ipsam statim hæmorrhagiam accidit. Ex oppressione verò spirituum etiam ab initio operationis, & antequam sanguis profluxerit, supervenire consuevit. Si syncope circa finem operationis, aut etiam absoluta operatione pervenerit, haud difficulter ex sanguinis, qui effluxit, quantitate conjiciet Cheirurgus, syncope, an ex spirituum vitalium dissipatione fuerit, nec ne? Tertiò, in syncope ex retentione spirituum, item ex magna crudorum humorum copia, præcordia inflantur, & totum corpus majorem naturali molem habet: & color aliis in albidiorem, & aquosiorem speciem mutatur; aliis ad nigridiorem, ac lividiorem. Quartò, æger, si optimo corporis habitu præditus, cordatus & animosus, nihilominùs tamen lypothymiâ correptus fuerit, verisimile est, malum propter dissipationem spirituum accidere: propterea quod æger ante operationem intempestivè per alvum, aut sudores expurgatus fuerit, aut in ipsa operatione multùm sanguinis profuderit. Sin verò æger delicatulus fuerit, stomachum debilem habuerit, intempestivè expurgatus non fuerit, neque hæmorrhagia usque adeò magna supervenerit, certum est, liporhymiam propter retentionem & suffocationem spirituum accidere: propterea quod aut ratione timoris, aut aliquam aliam ob causam, sanguis, humores, & cum ipsis spiritus intempestivè confluxerit. Ignosce, candide Lector, si in enumeratione signorum prolixus fuerim. Id enim eam ob causam feci, quò tyrones, junioresq; Cheirurgi hujus affectus plenissimam notitiam habere possint. Quàm grave enim & periculosum sit symptoma, Medicis in confesso est, & sequentes observationes finem faciunt. Duo ex domesticis serenissimi Principis ac Domini, Dn. *Jannis à Radzevil* Lituaniæ, &c. Ducis, cùm in decertatione unus ex illis gladio parùm supra genu vulneratus fuisset, protinus in lipothymiam incidit, vitamq; posuit, antequam Cheirurgus Principis accurreret: etiamsi nulla supervenisset hæmorrhagia, & vulnus non usq; adeò profundum esset. Hæc ex relatione serenissimi Principis habeo.

Gersheimensis quidam barbitonsor, *Wilhelmus Fix* nomine, cùm velitando cum Düsseldorpensi quodam in via, haud procul ab ipso oppido, circa carpum (si rectè memini) sinistrum, vulnus exiguum recepisset, protinusque syncope correptus fuisset, in ipsa extinctus fuit, etiamsi nulla supervenisset hæmorrhagia.

Ambos

Ambos autem istos viros propter conceptam iram extinctos fuisse, verisimile mihi esse videtur. Dolor enim itaque, ut Pontanus refert, mentem præcipitant: Sanguis enim, & spiritus cum impetu ad cor confluunt, calorémque vitalem extinguunt, quemadmodum videmus flammam in lampade extingui, si nimium olei affunditur. Adde quoque conturbationis proprium esse, ut idem *Pontanus* docet, mentem labefactare: at altercatio illa absque conturbatione fieri non potuit. Honesta quædam matrona Hildenæ, cùm An. 1502. 4. Septembris per totam diem in administratione rerum domesticarum occupatissima, ac proinde defessa fuisset, & quoad cœnam ad focum sederet, periculosissimâ lipothymiâ correpta fuit: quemadmodum lector in tractatu, de combustionibus fusiùs videre poterit.

Quamprimùm itaque Chirurgus ex supradictis signis cognoverit, lipothymiam in propinquis esse, protinus ut secundùm causas adhibeat remedia, necesse est. Quapropter ne in ipsa operatione longos dolores patiatur æger: aut multùm sanguinis profundatut, viresque dissolvantur; cordatum & manu promtissimum convenit esse Chirurgum. Habeat præterea in promptu pulveres, ad sanguinem sistendum exquisitissimos, simul & cauteria ignita; ut venas simul & arterias protinus obturare possit. Adsint etiam ægro Ministri divini, qui consolationibus piis ipsi animum erigere possint. Sin verò virium lapsus, propter spirituum circa cor collectorum copiam acciderit, non usque adeò opus est, confestim restinguere sanguinem, imò expedit, ut sanguis & spiritus iterùm ex interioribus ad exteriora, beneficio hæmorrhagiæ, & arctissimis ligaturis evocentur. Verùm enim verò in his omnibus virium inprimis habenda est ratio. Cùm primùm autem supervenerit lipothymia, ægrum protinus in dorsum collocare convenit, ita tamen, ut caput & pectus aliquo modo elevata sint, ne membra nutritioni inservientia, veluti ventriculus & hepar, diaphragma reprimant, pectusque coarctent. Hanc quoque ob causam vestimenta, & quæcunque circa pectus & ventrem sunt, protinus relaxare convenit: quo membra respirationi inservientia libera esse possint.

Portò si lipothymia propter dissipationem spirituum fuerit; exterius adhibenda sunt ejusmodi, quæ poros obturare, sanguinem quinetiam caloremque nativum simul & spiritus iterùm ad interiora propellere valeant. Quapropter facies, tempora, & carpi, aquâ rosarum, plantaginis & aceto rosaceo sunt irroranda: Sin prædictæ aquæ minimè in promptu fuerint, aqua communis, acetum item commune substituendum est. Aqua autem (quod notandum) cum impetu, & ægro nesciente, in faciem projicienda est: sic enim spiritus veluti sopiti excitantur, & ad fontem vitæ recurrunt. Os præterea & nares digitis comprimantur, quò inspiratus aër versus interiora recurrens, exealefactusque cor calefaciat, & spiritus reficiat. Protinus quoque parum vini, aut vini Malvatici, vel nonnihil aquæ cinnamomi, in qua aliquid confectionis Alkermes dissolutum sit, ægro propinandum est. Crines trahendi, & spiritus circa cor sopiti, vociferationibus excitandi sunt. Cùm primùm lipothymia nonnihil remiserit, buccella panis vino aut vino Malvatico madefacta, ovum item sorbile, & jusculum ex optima carne, haustusque vini ægro offerendus est. Sin febris ardens adfuerit, vinom ptisanâ, aut decocto agrimoniæ diluendum est. Sequens quoque epithema regioni cordis, temporibus item & arteriis brachiorum applicetur.

℞. Aquarum rosarum.
Buglossæ.
Borraginis.
Acetosæ.
Aceti rosarum ana ℥j.
Corallior. præpar.
Santalorum omnium.
Specier. diamargariti frigidi ana ʒj.
Confect. Alkermes ℈ij.
Ossis de corde cervi.
Caphuræ.
Croci an. ℈ß.

Misce, fiat epithema, ut dictum: Ori præterea & naribus continuò linteum aut spongia epithemate isto insuccata admovenda est. Odores enim suavissimi, ut postea dicam, vires quoque reficiunt, instaurantque.

Quod si syncope propter sanguinis copiam, aut ex putridis & malignis vaporibus, ex membro putrefacto ad cor elevatis advenerit, sanguis, ut post amputationem membri nonnihil fluat (secundùm tamen virium tolerantiam) necesse est. Sic enim vapores putridi iterùm ex partibus nobilibus ad truncum trahuntur. Hanc quoque ob causam ut vinculum illud paulò supra locum amputationis, protinus solvatur, non usque adeò est necesse: sed poterit per quadrantem horæ relinqui, ab interioribus enim ad exteriora quoque trahit. Quapropter in maximis & periculosis lipothymiis, brachia & crura arctè ligare solemus. In dorsum similiter collocandus est æger, & pectus à vestimentis liberandum. Facies vino, in quo flores spicæ macerati fuerint aut etiam aquâ spicæ: labia verò & lingua theriacâ confricanda sunt: parumq; th. riacæ vino malvatico dissolutæ, ex cochleari exhibeatur. Aut

℞. Aquæ cinamomi
Buglossæ ana ℥ß.
Confect. Alkermes ℈j.
Lapidis Bezoar. gr. vj.

Misce, fiat potiuncula.

Naribus suaviter redolentia, veluti aqua cinnamomi, in qua confectio Alkermes dissoluta, aut storax, Benzoi, ambra, moschus, crocus & similia macerata fuerint, admovenda sunt. Hujusmodi enim spiritus recreant, viresque, ut *Galenus* & alii docent, instaurant. Sin autem lipothymia propter vitium aliquod matricis acciderit, aut ægra hysterica fuerit, naribus, non suffitus ex odoratis, sed fœtidis, veluti asa fœtida, fumus item plumarum perdicum combustarum, aut cornu cervi ustum, aut solearum calceamentorum, corticum cæparum, & id genus aliorum; pudendis verò odorata adhibeantur. Ita etiam, si capitis dolor ingens ac magnus adfuerit, suffitus aromatum naribus admotos minimè convenire, nos docet *Hippocrates* his verbis: *Suffitus aromatum, & ex odoramentis, muliebria ducit.* Sæpius verò ad alia utilis esset, oporte ad omnia frigida & humida corporis, uteri præsertim mala; nisi capitis faceret gravitatem, quippe vapores suffitu, utpote tenniores, ad caput feruntur, idq; complentes, gravitatem ejusdem efficiunt. Quod si syncope adeò gravis & vehemens fuerit, ut de vita periclitetur æger, extremitatibus, veluti brachiis & cruribus vincula dolorosa protinus injicienda sunt. Naribus pennâ pipere confricatâ, inditâ, aut nonnihil pulveris piperis albi calamo inspirati, sternutamenta cienda sunt, quo spiritus sopiti excitari possint. Hanc quoq; ob causam pennâ oleo communi inunctâ, & œsophago intrusâ, vomitus provocare convenit. Nonnunquam enim ob crudorum humorum, vel etiam cibi copiam, in hujusmodi

operationibus lipothymia gravissima accidere solet, quemadmodum cap. 18. exemplo de gulosa quadam ostendimus. Interim autem, dum Chirurgus sternutamenta evocat, aut vomitum excutit, diligentissimè ut prospicias, plusquam necesse est. Quapropter hujusmodi præsidia non nisi maximâ urgente necessitate, adhibenda sunt. Cordi sequens epithema applicetur.

R. Aquarum Borraginis.
Buglossæ ana ℥j.
Melissæ ℥ij.
Vini Malvatici ℥iij.
Electuarii de gemmis ʒj.
Croci ℈j.
Misce, fiat epithema.

Sequens elixir vitæ quoque mirum in modum in lipothymia, & virium lapsu convenit: quandoquidem cerebrum, cor, ventriculum, omnesque partes internas roborat, spiritus recreat, ac humidum radicale instaurat, noxiosque vapores à partibus nobilioribus ad ignobiliora expellit. Detur à drachmis duabus ad unciam semis, per se, aut pauco saccharo, vel confectione Alkermes dulcorata.

R. Aquarum rosarum odoriferarum,
Melissæ,
Buglossæ ana ℔j.
Aq. Cinnamomi ℔iij.
Garyophyllorum confractorum,
Nucis Muschat.
Macis,
Benzoini,
Storacis calamitæ,
Cortic. Citronum,
Aurantiorum ana ℥j.
Florum anthos,
Salviæ,
Betonicæ,
Primulæ veris,
Buglossæ,
Borraginis,
Violarum,
Summitatum majoranæ ana M. ß.

Incidantur & contundantur, quæ contundenda, deinde cum aquis commisceantur, & digerantur in Sole per dies 24. vase diligenter cerâ obturato. Tandem per alembicum vitrum in balneo Mariæ lento igne destillentur. Aqua excipiatur ampullâ vitreâ. Ex remanentia s. a. extrahatur Sal, & admisceatur aqua, item
Moschi ℈ß.
Ambræ gr. vj.
Croci ℈j. ß.

Misceantur omnia, & reserventur in ampulla diligenter clausâ ad usum. Præstans est, ut dixi, si ex cochleari exhibeatur, naribus quin etiam, fronti, & arteriis brachiorum admoveatur.

Sequens quoque pulvis summopere convenit in lipothymia, naribus & ori calamo inditus.

R. Rosarum odoriferarum ℥ß.
Storacis calamitæ
Benzoini ana ʒij.
Mosci &
Ambræ ana gr. vj.
Misce, fiat omnium pulvis subtilissimus: reservetur in vase vitreo, cerâ diligenter obturato.

Cap. 22. *Qualisnam victus ratio ægro post operationem præscribenda sit.*

Peractâ operatione, & remotâ lipothymiâ, si forsan supervenit, victus ratio talis, quæ reliqua symptomata partim removere, partim quoque præcavere possit, præscribenda est: ubi iterum essentia & magnitudo morbi, simul & vires ægri perpendendæ.

Porrò Gangræna cùm sit ex numero gravissimorum morborum, extrema & exquisita remedia, juxta *Hippocratem*, convenire, omnibus in confesso est: Victus itaque tenuissimus præscribendus esset ægro, nisi vires ut plurimum contrarium suaderent. Humidum enim radicale cùm propter morbi violentiam, dolorem gravissimum, & sanguinis deperditionem, sit absumptum, & spiritus vitales dissipati, omnesque actiones corporis prostratæ, pleniori victus ratione iterùm ut instaurentur, reficianturque, perquam necesse est. Major enim error, ut testatur *Hippocrates*, in tenui victu intempestivè adhibito fit, & graviùs vires læduntur, quàm in paulò pleniore victu, præsertim ubi vires prostratæ fuerint. Quâ victus verò ratione id fieri debeat, alibi nos docet *Hippocrates*, his verbis: Victus humidus aut frigidus actu, aut potentiâ talis, febricitantibus confert; at in hujusmodi gravissimis periculosissimisque operationibus, semper adest febris: quapropter cibi boni succi, qui humectando simul refrigerant, æger nutriendus est. Hujusmodi cibus autem est, jusculum carnium recentium, caponum inprimis, gallinarum, & castratorum, hordei mundati, & avenæ decorticatæ, & similium: conveniunt & panatellæ, ut vocant, emulsiones seminum frigidorum, amygdalarum, & ova recentia. Cum carne coquendæ sunt herbæ refrigerantes, veluti borrago, buglossa, acetosa, lactuca, cichorium, spinacia, cerefolium, & flores calendulæ. Spiritus enim vitales recreant. Conveniunt quoque pruna damascena, & uvæ passulæ, aquâ & sacch. ro coctæ. Aromata, præcipuè piper, zingiber, garyophylli, item alia, cæpæ, raphanus, sinapi, & hujusmodi omnia, quæ insigniter excalefaciunt, summoperè nocent. Ab initio vinum, omniaque potulenta calida, omninò interdicenda sunt, nisi vires planè prostratæ, lipothymiæ frequentes adfuerint, tunc enim per intervalla vinum aquâ dilutum exhibere convenit, alioquin bibat ptisanam, in quâ pruna, aut tamarindi incoctæ fuerint: vel detur decoctum agrimoniæ & veronicæ saccharo dulcoratum, & cinamomo aromatizatum, vel lac amygdalarum. Ptisanæ quoque & decocta agrimoniæ admisceri poterunt, syrupus citronum, de limonibus, de succo acetosæ, de agresta, de succo berberorum & similia. Loco Syruporum succi quoque conveniunt. Si verò tussis adfuerit, aut æger vitio aliquo pectoris laboraverit, ab omnibus acidis ut abstineat æger, necesse est: præcipuè ab initio morbi, ne auctâ tussi propter concussionem corporis, sanguis circa truncum iterùm erumpat.

Alvus ut lubrica sit, prospicere oportet, ubi enemata lenientia, suppositoria, & pruna aquâ & saccharo cocta conveniunt. Ita præterea, tristitia, omnesque affectiones animi vitandæ sunt. Gaudium mediocre, uti spiritui recreando convenit; Sic risus inprimis immoderatus supra modum nocet: Ridendo enim cor totumque nervosum genus maximo cum impetu moveri, atque ex una in alteram partem ferri, *Centuria prima Observat.* 23. annotavimus. Hinc perspicuum fit, duabus de causis risum nocere eis, quibus membrum aliquod amputatum est. Primò, quia ridendo nervi contrahuntur, unde dolor, & convulsiones: secundò, quia ex maxima illa concussione, & agitatione corporis & musculorum, venæ quoque & arteriæ agitantur & commoventur, ac proindè sanguis iterùm erumpit, quemadmodum loco jam jam allegato fusiùs monstrávimus & exemplo non vulgari

vulgari in Nobilissimo & Strenuo viro Dn. *Imberto à Diesbach*, Domino ad S. Christophorum observato, confirmavimus. Prædicta victûs ratio non solùm amissas vires instaurat: Verùm etiam quàmplurima symptomata, quæ ægris insidias parare solebant, avertit.

Cap. 23. *Quomodo hæmorrhagia, si post primum apparatum iterum supervenerit, prohibenda & compescenda.*

OMnium symptomatum, quæ vulneribus superveniunt, hæmorrhagia meritò periculosissimum est censendum, præcipuè autem, si arteria aliqua aperta fuerit. Ex arteriis enim sanguis longè impetuosiùs, quàm ex venis prosilit; Et propter continuum motum earum, densam duplicemque tunicam, difficulter obturari possunt. Hinc æger in vitæ discrimine versatur. Cum sanguine enim spiritus dissipantur, vires dissolvuntur, humidumque radicale exhauritur: hinc partes nobiles adeò labefactantur, ut sæpissimè obstructiones gravissimæ viscerum, ictericia, & hydrops sequantur. Quòd si singultus supervenerit, de ægro actum est. Ubi enim sanguis plurimus effluxerit, à quovis loco, sive à naribus, sive ab ore, thorace, ventriculo, utero, hæmorrhoidibus, singultus, qui ventriculi depravatus motus est, aut convulsio superveniens, malum. Fit enim hujusmodi singultus ex inanitione & absumptione humidi radicalis, quapropter ut plurimum lethalis est, ut *Hippocrates* & experientia docent. Hanc ob causam prospiciat Chirurgus, ut diligentes & fideles ministros ægro adjungat, qui omnia, quæcunque necessaria videbuntur, adhibeant: Inprimis autem manu madefacta oxycrato, stupas cum pulvere continuò per vices contineant debent, ne sanguis erumpat. Prospiciant præterea, ne multum se commoveat æger, sternutet, vociferetur, tussiat, rideat, aut corpus culcitris multùm oneret. Quid plura? quæcunque corpus commovent, aut quovis modo calefaciunt, vitanda sunt.

Monitos autem hîc velim juniores Chirurgos, ut interim dum æger dormit, vigilans & diligens ipsi adsit minister: ne æger propter falsas imaginationes, quæ aliquando supervenire solent, truncum commoveat, iterumque sanguis erumpat, quemadmodum cuidam ægrotorum meorum in agro Paterniacensi accidit. Huic cùm brachium ad cubitum amputassem, ille verò tertio die, me absente, brachium, (quod minimè sibi amputatum esse persuadebat) extendere, & manu, nescio quid, apprehendere vellet; denuò apertâ venâ, hæmorrhagia magna & virium prostratio secuta est, ita ut paucos post dies è vita discesserit. De hujusmodi falsis imaginationibus videat Lector *Observ.* 14. & 15. *Cent.* 3. item *Laurentii Jouberti* tractatum *de vulneribus Sclopetorum.*

Quod si hæmorrhagia supervenerit, non illicò tamen amovendus est primus apparatus, sed prius tentandum, an aliis remediis retineri possit. Protinus itaq; unus ex ministris manu stupas cum pulveribus contineat, fortiterque contra oscula venarum reprimat. Ne autem incalescat manus, sæpissimè oxycrato immergenda est. Alius præterea adsit minister, qui superiorem partem trunci, linteis oxycrato madefactis involvat.

Si amputatum fuerit crus, brachia ad cubitum arctissimo vinculo constringenda sunt, erit id vinculum è tenui redimiculo, cujusmodi illud est, quo mulieres ad ligandos nodandosque suos crines uti consueverunt. Sin amputatum fuerit brachium, crura ad poplitem constringere convenit: Ligatura enim hæc sanguinem protinus attrahit, & hæmorrhagiam sæpissimè impedit. Ad eandem intentionem summoperè quoque convenit venæ sectio, in opposita parte facta: hoc est, si crus dextrum amputatum fuerit, in cubito dextro secanda est vena: si verò brachium abscissum, venam in poplite secare convenit. Quod si vena in poplite non appareat, in pede secanda est, dummodò id absque immersione pedis in aquam calidam fieri poterit. Quandoquidem in his frigido, frigidaque aquâ utendum, unde fluit sanguis, aut fluxurus est. Immersis enim pedibus manibusque in aquam calidam, totus sanguis incalescit, adeòque effervescit, ut difficulter restingui possit. Quapropter etiam frictiones eis, quibus sanguis fluit, aut fluxurus est, minimè convenire, rationi consentaneum est. Evacuatio autem hæc non solùm in hæmorrhagia convenit; verùm etiam reliqua symptomata, veluti febrem, dolorem, inflammationem, & similia arcet atque impedit.

Ante venæ sectionem autem diligentissimè perpendere debet Chirurgus, an æger sit plethoricus, juvenis & robustus. Si enim cacochymicus, senex, aut mulcùm imbecillis fuerit, minimè aut in paucissima saltem quantitate detrahendus est sanguis.

Si intemperies maxima hepatis adfuerit, sequens epithema tepidè applicare convenit regioni hepatis,

> R. Aquar. endiviæ,
> Cichorii,
> Lactucæ,
> Absinthii an. ℥ij.
> Aceti rosacei ℥. ß.
> Specier. diarrhod. abbatis
> Diatrion santalor. an. ℈ij.
> Caphuræ ℈. ß.

Misce, & applicetur, ut dictum, cum filtro aut spongia, vel etiam linteo reduplicato.

Aer, in quo æger versatur, frigidus ut sit, necesse est: quapropter, si tempus calidissimum fuerit, cubiculum aquâ frigidâ aspergendum & foliis plantaginis, salicis, quercinis, rosarum, gramine, & similibus hinc inde sparsis, calor attemperandus est.

His adhibitis remediis, si sanguinis fluxus non sistitur, fascias, vesicam, reliquaque omnia clementer solvere & amovere, iterumque renovare necesse est. Quod si vena, ex qua sanguis profluit, in conspectum venerit, forcipe apprehendenda, & filo reduplicato liganda est, quemadmodum superiùs dixi. Si verò impetuosè profluxerit sanguis, ita ut de vita periclitetur æger, frequenti cauterio candente compescendus & restinguendus est. (*Vid. Tab.* VII. *fig.* 9.)

Tandem stupæ cum pulvere ad sanguinis fluorem sistendum, vesica item, ac reliqua, quemadmodum *cap.* 16. declaravimus applicanda sunt. Adsit quoque minister, qui manu oxycrato madefacta, stupas cum pulveribus ad oscula venarum reprimat.

Cap. 24. *De dolore, inflammatione, & intumefactione, & quomodo hujusmodi symptomatibus occurrendum.*

POst hæmorrhagiam, omnium symptomatum periculosissimum dolor meritò censendus est, cùm sit mater, ex qua quàm plurima mala generantur. Quapropter non sine gravissima causa monet *Galenus*, vulnera blandè esse tractanda, ne dolor suboriatur. Etiamsi enim corpus ante operationem eâ, qua fieri potest, diligentiâ expurgatum sit, attrahit nihilominus dolor, maximè cum impetu, sanguinem & humores ex toto corpore ad truncum, iterumque inflammatio, intumefactio, phlegmone, convulsiones, aliaque symptomata suboriuntur. Ratione item doloris vigiliæ, inquietudines

inquietudines, phrenesis, lipothymiæ, prostratio appetitus viriumque consequuntur. Digestio quoque non tantùm ventriculi, verùm etiam vulneris impeditur, ita quidem, ut sæpissimè Gangræna iterùm circa truncum suboriatur. Monitos itaque velim juniores Chirurgos, ut in omnibus operationibus illam adhibeant diligentiam, quo omnia, quantum quidem fieri potest, absque dolore perficiant: Id n. verò *Galenus*, cùm operationes jucundè fieri debere præcipit. Quapropter omnes meritò vituperandi sunt, qui ægros nulla urgente necessitate, doloribus ac tormentis lacerant.

Dolor autem prævacetur internis externisque remediis. Internis quæ affluentes humores, & sanguinem, sive is qualitate sive quantitate peccaverit, evacuant: Externis, quæ eosdem humores sanguinemque à parte affecta repellunt, alterantve. Quod si circa truncum aliquid dolorificum à Chirurgo commissum fuerit, hoc est, si medicamentum aliquod acre applicuetur, aut vinculum (uti nonnulli faciunt) ad truncum relinquetur, id protinus quoq; corrigendum & removendum est.

Cæterùm sedatur dolor tribus modis, 1. auferendo causam, 2. corrigendo intempetiem, quæ partem læsam afficit, 3. stupefaciendo & sensum partis hebetando. Quapropter si dolores ex affluxu humorum acciderint, corpus iterum secundùm humoris prædominantis naturam expurgandum est. Id tamen, nisi violentia morbi obsuerit, ante operationem fieri debet: quo facta operatione corpus putum fit, ne forsan ex motu isto sanguis iterum erumpat. Sin verò corpus ante operationem expurgatum non fuerit, & dolor ac inflammatio supervenerint, post operationem (si vires permiserint) clementer expurgandum est. Ne autem, dum æger è lecto ad exonerandam alvum egredi cogitur, hæmorrhagia iterum supervenìat, sequens vasculum ad excipienda excrementa aptissimum ipsi supponatur.

Vasculum autem illud ex cupro, aut stanno fabricatum, & rotundum esse convenit, latum pollices 13. altitudo pollices quatuor non excedat. In superiori parte foramen habeat rotundum, & pollices septem longum, cujus limbus aliquo modo depressus sit; quemadmodum sequens figura indicat. (*Vid. Tab.* VII. *fig.* 10.)

Explicatio fig. 10. *Tab.* VII.

A.A. Vacuum sive ventrem vasculi denotant.
B. Foramen rotundum, in superiori parte pollices septem longum, adumbrat.
C. Limbus est vasculi, nonnihil impressus, idque in illum finem, ne æger ab ipso lædatur, sed commodè ei insidere possit.
D. Operculum fistulæ E. notatæ, per quam pelvis mundatur, denotat. Est quoque loco manubrii, quo vasculum sub ægrum intruditur iterumque extrahitur.

Quò lector figuram vasculi, & inprimis limbi depressionem, eò meliùs intelligere queat, apposita est figura altera; quæ vasculum per medium dissectum repræsentat.

Interim autem, dum æger alvum exonerare nititur, ministet, ut manu posca madefacta pulvillos, fasciam & pulveres ad sanguinem sistendum, versus vasa reprimat, necesse est. Clementer tamen omnia facienda sunt, ne dolor excitetur. Victûs ratio talis præscribenda est, qualem c. 22. & alibi fusiùs indicavimus. Si plethora maxima adfuerit, & sanguis in partem læsam confluxerit, doloremque excitaverit, incidenda est vena, dummodò vires consentiant, & æger sit juvenis, neque in ipsa operatione multùm sanguinis profusum fuerit: Quandoquidem venæ sectio in omnibus doloribus, præcipue qui ex plenitudine sanguinis proficiscuntur, singulare præsidium est.

Solent nonnulli Chirurgorum vinculum ex superiori parte amputationis, in secundum apparatum relinquere: idque in eum finem, ut oscula venarum, simul & arteriarum constringantur. Sed perperam profectò faciunt. Vinculum enim hoc maximos atque continuos dolores, ingentesque cruciatus excitat. Hinc inflammationes, febres, vigiliæ, aliaque Symptomata suboriuntur. Attrahit enim cum impetu sanguinem, atque humores ex toto corpore ad partem læsam. Hanc quoque ob causam primus apparatus, si ullo modo fieri possit, aut ad summum secundo, aut tertio die removendus est. Fasciæ enim & vesica bovina, cùm circumcirca truncum exsiccantur, doloresque non spernendos excitare solent. Nonnulli ab initio linteaminibus, ac culcitris calidis ita soleut obvolvere truncum, ut inde (maximo ægrorum damno) præter modum incalescat, atque ratione suæ caliditatis, sanguinem humoresque ex corpore attrahat. Hæc, si causa doloris fuerint, corrigenda quoque erunt.

Unica superest causa doloris, quæ removeri non potest, nimirùm, quæ propter puris præparationem accidit, ac præcipuè tertio, quarto, ac quinto die ægrum infestare solet. Pus enim, *Hippocrate* teste, dum conficitur, dolores fiunt, ratione quâ materia circumstantes partes intendit, ob ipsius fusionem, & spirituum dissolutionem. Febres item accidunt magis corde jam concalefacto, quàm jam confecto pure: quippe materia tum attenuata est, & multùm spirituum exhalavit, putrida denique concocta sunt, atque effluunt. Hoc itaque tempore æger blandè & circumspectè tractandus est, omniaque, quæ dolorem excitare solebant, evitanda, atque removenda sunt.

Secundò sedatur dolor, corrigendo intemperiem partis affectæ. Ratione enim solutionis continui, pro plenitudine & cacochymia corporis, humores in partem affectam plus minusque confluunt, & excalefaciendo, ac partes nervosas extendendo & alterando, dolorem atque intumefactionem excitant. Itaque statim ab initio, quemadmodum antea quoque monui, repellentia applicare convenit. Quapropter totum membrum bis aut ter in die oleo rosaceo & myrtillorum ut inungatur, & defensivum applicetur, necesse est. Pulvilli item & fasciæ oxyerato imbuendæ sunt. Hæc omnia enim non solùm affluentes humores repellunt, verùm etiam calorem partis affectæ ad temperiem reducunt.

Etsi autem hujusmodi frigida parti affectæ applicare necesse sit; Ipsum tamen vulnus, ut temperatè sit calidum, prospicere debet Chirurgus. Quamobrem digestivum utcunque copiosè filamentis & pulvillis applicandum, & ne oxycratum aliaque frigida ad ipsum vulnus perveniant, danda est opera. Frigidum enim, inquit *Hippocrates*, ulceribus mordax, non quidem erodendo, quod continuum est; Sed potiùs divellendo cutem obdurat, substantiam ejus densans & constringens, dolorem importabilem facit, eò quod nativum calorem, qui suppurationis causa est, extinguat; livorem obducit, & denigrat, rigores febriles; convulsiones, distentiones creat, non quidem per se, ut rectè docet *Lygæus*, sed ex accidente: Nam conclusis corporis meatibus putredinem, & subinde febrem excitari, necesse est. Summa, ut verbo dicam, pars affecta ad temperiem, quantum quidem fieri potest, reducenda est: hoc est, ut neque nimis sit calida, frigida, humida, aut sicca: Quandoquidem, nisi pars affecta quàm optimè fuerit temperata, minimè curari posse, *Hippocrates*, & experientia fidem faciunt. Sin verò materia effluens

effluens pituitosa fuerit, victûs ratio utcunque calida & sicca instituenda est, uti *cap.* 12 in victûs ratione, in causa frigida & humida, fusiùs declaravimus. Tronco non frigida, sed temperatè calida, veluti unguentum basiliconis, aureum, cataplasma item ex farina fabarum, lupinorum, baccarum lauri, floribus chamomillæ, sambuci, meliloti, rosarum, & summitatum absinthii, omnibus vino rubro coctis, applicanda sunt. Truncus quin etiam linteis & stupis calidis involvatur, & digestio vulneris celeriter promovenda est. Venæ sectio hîc vix locum habebit, quin potiùs corpus à pravis humoribus expurgare expediet.

His, uti dixi, adhibitis, si præter spem atque exspectationem dolor, inflammatio, affluxus humorum & febris iterùm supervenerint, denuò corpus secundùm humoris prædominantis modum expurgare, venam secare, & defensiva applicare, & truncum totumque membrum sequenti linimento calidè inungere necesse est.

R. Ol. rosarum.
Myrtillorum.
Anethi.
Lumbricorum an. ℥j.
Misce.

Interim tamen etsi inflammatio aliqua adsit, vulneri tamen, ut omnia tepidè applicentur necesse est. Calidum enim, ut *Hippocrates* testatur, pus movet, cutem emollit, dolorem sedat, rigores, convulsiones, & distensiones mitigat. In hunc itaque finem sequens digestivum vulneri filamentis copiosè imponendum est.

R. Terebinth. claræ & aquâ betonicæ, aut Veronicæ lotæ ℥jß.
Ol. Rosacei &
de vitellis ovorum ana ℥j.
Gummi Elemi &
Ceræ novæ ana ʒvj.

Dissolvantur lentissimo igne, & percolentur: postea admisce
Croci ℈jß.
Vitellos ovorum nom. ij.

Misce, fiat unguentum, quod filamentis tepidè applicetur, & emplastro basilicone cooperiatur. Aut applica sequens cataplasma, quod dolorem mirum in modum mitigat:

R. Medullæ panis ℔. j.

Coquatur cum lacte vaccino, ad formam cataplasmatis; Deinde admisce
Ol. Amygdalarum dulcium;
de vitellis ovorum ana ℥j.
Butyri recentis ℥ij.
Croci ℈j.
Vitellos ovorum num. ij.

Misce, & applica calidè.

Oleum autem de vitellis ovorum, & amygdalarum dulcium, quod diligenter notandum & observandum, non ex vitellis aut amygdalis cõbustis (quemadmodum nonnulli seplasiariorum, quo oleum copiosiùs & minori cum labore extrahere possint, facere consueverunt) sed leviter calefactis, eâ, quâ par est diligentiâ, extrahendum est. Combustis enim vitellis amygdalisve oleum quidem facilè, sed sordidum, fœtidum, & ad sedandos dolores ineptissimum elicitur.

Sequens item fomentum dolorem lenit:

R Flor. Chamomillæ,
Meliloti,
Rosarum rubearum,
Absinthii ana M. ß.
Rad. Altheæ ℥j.
Sem Anisi.
Fœnigræc. ana ℥ß.

Incidantur omnia in minutissimas partes, & coquantur in lacte vaccino, in quo spongiâ aut filtro madefacto calidè applicetur loco dolenti, & cùm primùm refrigeratum fuerit, iterùm prædicto lacti calido intingatur.

His si non sedatur dolor, ad narcotica transeundum est: à levioribus tamen incipere convenit, hunc in modum:

R. Syr. de papavere ℥j.
Aq. Lactucæ
Papaveris albi, &
Buglossæ
Aq. Cinnamomi ana ℥ß.
Confect. Alkermes ℈j.

Misce, fiat potiuncula, detur duabus horis post cœnam.

Si ad fortiora transire necesse fuerit, detur Philonium Romanum, Triphera magna cum opio aut Laudanum *Paracelsi.* Vulneri emplastrum ex hyoscyamo, floribus nenupharis, sem. papav. albi, opio, & similibus applicetur. Cautus tamen hac in re ut sit Chirurgus, necesse est, præsertim in exhibitione *Laudani:* quamvis enim sit medicamentum præstantissimum, quendam tamen, cùm eo abuteretur, mortem sibimet intulisse observavi. Fuit is Nobilis, haud procul à Coloniâ habitans, & quinquaginta circiter annorum ætatis: Is cùm dolore Nephritico, simul & Arthritico mirum in modum excruciaretur, Coloniam ad Medicum mittit, auxiliumq; ejus exposcit. Præparat Medicus doses aliquot *Laudani*, & ad ægrum transferendas tradit tabellario, cum instructione, quomodo medicamento isto uti deberet. Servus ad Nobilem suum reversus, medicamentum quidem tradit, schedam verò in via amiserat: Æger præ maximo dolore cùm veluti prostratus esset, neque ut famulus Coloniam rediret, iterumq; instructionem Medici exposceret, expectare posset, medicamentum, quod pro aliquot dosibus miserat Medicus, unâ vice deglutiit. Dolores ità sedati fuêre, somnoq; tam profundo correptus fuit æger, ut dormiendo inter homines esse desierit. Basileæ in duobus ægris idem accidisse, ex relatione *Dom. D. Caspari Bauhini* habeo. Hasce adscribere volui historias, non in eum finem, ut medicamenta hæcce præstantissima utilissimaque improbare velim, quin potiùs juniores Chirurgos admonerem, ut circumspectè & prudenter ea exhibeant. Ante exhibitionem tamen *Laudani*, aut cujusvis medicamenti arte chymica præparati, prospiciendum est, ut fideliter & ab exercitato artifice sint præparata. Et quia in præparatione maxima difficultas sita (uti alibi fusius demonstravimus) caveat sibi Chirurgus, ne facilè præscribat medicamenta chymica, nisi ipsemet, aut exercitatus & peritus pharmacopæus illa præpararit: cautiones præterea; quæ apud *Dn. D. Osvvaldum Crollium*, & alios leguntur, in eorum exhibitione diligentissimè observandæ sunt. Atque hæc sunt præsidia, quibus dolores sedentur, inflammatio extinguatur, & intumefactio partis malè affectæ consumatur. Quod si inflammatio in abscessum abierit, sequenti cataplasmate procuranda & acceleranda est suppuratio:

R. Medullæ panis albi ℥vj.
Radicum althæ ℥ij.
Pulv. seminis lini, &
fœnigræci an. ℥j.
Ficuum num. vj.

Cum decocto radic. althex, fiat s.a. cataplasma; addendo in fine butyri recentis,

Axung. porcin. recent. an. ℥j. ß.
Vitellos ovorum n. ij.
Croci ℈jß.

Misce, fiat cataplasma, quod calidè applicetur: lenit dolores, & suppurationem accelerat.

Rupto

Rupto abscessu, mundificandum & incarnandum est ulcus, ut artis est. Sin verò inflammatio de novo in Gangrænam terminaverit, remedia, quæ in curatione Gangrænæ tradita sunt, iterùm admovere convenit.

Cap. 25. *De immoderatis vigiliis, inquietudinibus, & mentis alienatione.*

Vigiliæ inquietudinesque, ex numero quoque sunt gravissimorum symptomatum, quæ post operationem ægros torquere solent. Ratione enim vigiliarum, & inquietudinum, digestio stomachi simul & suppuratio vulneris, impediuntur retardanturque, vires quoque prosternuntur, & humidum radicale absumitur: cujus loco viscera pravis humoribus gravantur. Moxque febris oritur, tandemque mentis alienatio, & quandoque phrenitis, symptoma longè periculosissimum sequitur. Maturè itaque ægris prædictis symptomatibus correptis succurrendum est. Inprimis autem, quàm diligentissimè perquirere convenit, quæ vigiliarum sit causa, eaque auferenda est. Ea si fuerit dolor, sedandus est, quemadmodum in præcedenti capite fusiùs declaravimus. Si febris adfuerit, purgandus est æger; vena item (dummodò vires adfuerint) secanda, & victûs ratio præscribenda, de quibus omnibus antè satis prolixè dictum fuit.

Animi perturbationes, inprimis mœrores, apud hujusmodi ægros, quibus membrum aliquod amputatum est, vigiliarum & inquietudinum non rarò in causa esse solent. Quapropter, ut gratissimi amici ægrum adeant, ipsumque blandè alloquantur, animumque ipsius à sollicitudine abducant, perquam necesse est.

Ira similiter summoperè vitanda: impedit enim non solùm somnum, & quietem, verùm etiam, sanguinem & humores ita incendit, ut febris inde alienatio mentis, & nonnunquam mors sequantur. Quòd si splendor Solis quietem retardaverit, linteis nigris fenestras obscurare, lumenque recludere convenit. Quandoque fluxus alvi ægro adeò est molestus, ut somnum capere non possit: quapropter restinguendus est; Cibus quin etiam talis exhibendus, qui non solùm facilè concoquantur, multùmque nutriat, verùm etiam humectet, somnumque conciliet. Cum carne itaque lactuca, folia violarum, borrago, buglossa, portulaca, item hordeum decorticatum, & hujusmodi coquènda sunt. Aut exhibeantur emulsiones sem. frigidorum, & sem. papaveris albi. Mitissimum & optimum remedium, quod potest dari cùm debilitate virium, est tale hordeum mundatum refrigerans.

℞. Hordei mundati, diutissimè cocti ℥ij.
Amygdalarum dulcium insus. in aq. frig. & rosarum tantundem.
quatuor sem. frig. majorum mund. ana ℥ß.
Sem. papav. albi ʒ j.
Sacchari rosati q. s.

Fiat hordeum mundum, contundendo omnia simul, & coquendo parùm post impositionem sacchasi rosati; Detur post cœnam in introitu lecti, nec sit spissa sorbitio. Conciliat somnum humectando & refrigerando, & vires imbecilles reparat.

Sequens quoque potio intemperiem calidam internarum partium mitigat, somnumque provocat.

℞. Fol. Lactucæ.
Portulacæ ana M. j.
Flor. Nenuphar. &
Violarum ana M. ß.
quatuor sem. frig. major. ana ʒij.
Papaveris albi ℥j.
Liquiritiæ &
Passularum ana ℥ß.

Fiat decoctio in aqua ad consumptionem tertiæ partis. In ℔. j. colaturæ dissolve syrupi de papavere, & nenupharis an. ℥j. f. Misce, fiat potio, de qua bibat æger bis, aut ter in die, jejuno scilicet stomacho, & duabus horis post sumptam cœnam, ad ℥iiij. pro dosi. Si recentes herbæ in promptu minimè fuerint, sumendæ sunt aquæ destillatæ cum syrupis.

Laudanum quoque opiatum, triphera item cum opio, philonium Roman. & requies Nicolai, somnum provocant, intemperiemque calidam internarum partium mitigant, sed cum judicio hæc omnia exhibenda sunt, quemadmodum *præcedente capite* juniores Chirurgos monui.

Sequens enema somnum quoque provocat, incendiumque renum mitigat.

℞. Hordei mundati ℥ ij.
herbar. plantaginis,
Violarum
Portulacæ ana ℥ij.
Quatuor sem. frig. maj. ana ℥ij.
Sem. papav. albi ʒj.

Fiat decoctio in aqua ad consumptionem tertiæ partis in ℔j. colaturæ dissolve
Ol. Violarum &
Nenupharis ana ℥jß.
Caphuræ ℈ß.
Misce, fiat clyster.

Si maximus tamen capitis & ventriculi fuerit dolor, caphurà cautè utendum esse, monet Dn. D. *Raymundus Mindererus*, quapropter medicamentis sive per os exhibitis, sive per alvum infusis, aut exteriùs admotis, camphoram, si dolor capitis adfuerit, minimè admiscere soleo.

Frons & tempora bis aut ter in die sequenti Linimento inungere quoque convenit.

℞. Ol. rosacei &
Nenupharis ana ʒj.
Opii dissoluti in aqua rosacea
Caphuræ ana ℈j.
Aceti rosacei ℥ß.
Misce.

Tempore æstatis nodulus ex sequentibus herbis fieri, & naribus admoveri poterit.

℞. Florum, aut folior. papaveris.
Folior. hyoscyami.
Mandragoræ ana M. ß.
Caphuræ.
Opii ana ℈ß.
Aceti parum. Incidantur & contundantur simul in mortario ad usum.

Uno vel altero prædictorum medicamentorum exhibito, fronte item & temporibus inunctis, & nodulo naribus admoto, fenestræ obscurandæ sunt, & ut omnia placidè, & suspenso gradu circa ægros agantur, adstantibus injungendum est.

Si phrenitis causa vigiliarum fuerit, injecto priùs enemate, & sectâ venâ in cubito, si vires constiterint, iterùm corpus Cholagogo aliquo medicamento, veluti ex rhabarbaro, electuario de succo rosarum, syrupo rosato solutivo, cum aqua cichorii & lactucæ dissoluto expurgare, cucurbitulasque scapulis & nuchæ applicare convenit. Victus frigidus ac humidus præscribendus est. A vino omninò abstineat æger, cujus loco prisanam, aut decoctum agrimoniæ, cum succo berberorum, citronum, granatorum, & syrupo violaceo, & de succo acetosæ bibat. Potio somnifera, reliquaq; omnia superiùs commemorata, hîc quoque conveniunt. Topica ab initio sint frigida; & repercutientia. Abrasis itaquè crinibus inungatur caput unguento populeonis recenti, antiquum enim calefacit: Deinde,

R. Aquæ

R. Aquæ rosarum,
Nymphea,
Solani,
Betonicæ ana ℥ij.
Aceti rosacei ℥j.

Misce, & applica tepidè cum panno. Tempore æstatis, contusis herbis exprimatur succus, & cum pauco aceto applicetur. Ad somnum conciliandum adde capita papaveris albi, aut eorundem stillatitium liquorem. In augmento morbi multis repellentibus pauca resolventia addenda sunt, ut:

R. Ol. violarum &
Rosarum ana ℥j.
Ol. chamom. ℥ß.
succi aut aquæ betonicæ ℥j.
Misce, pro linimento.

Vigiliæ quàmprimum remiserint, & phrenitis in declinatione fuerit, ab omnibus medicamentis, quæ opium, mandragoram, papaver, & hujusmodi recipiunt, abstinendum est, ne temperamentum cerebri, quod frigidum & humidum est, destruatur. In declinatione itaque cùm resolvendum est, catulus aut columba per medium dissecta, & calida applicata, summopere conveniunt: uti quoque pulmo arietis calidè applicatus Hæc verò quamprimum refrigerata fuerint, auferenda sunt. Pulmonem tamen aquâ, in qua betonica, rosmarinus, rosæ, & flores chamomillæ incoxerint, iterum excalefacere soleo. Sequens quoque pulvis capiti inspergatur.

R. Flor. Betonicæ,
Anthos,
Salviæ,
Rosarum odoriferarum ana p.ij.
Rad. Iridis Florentinæ,
Caryophyllatæ ana ℥iiij.
Styracis calamitæ ℥j.
Misce, fiat pulvis.

Cap. 26. *De Spasmo.*

SPasmus quoque nonnunquam ægrum post operationem non tantùm excruciare, verùm etiam non raro trucidare solet: quapropter ipsius curatio minimè hic omittenda.

Spasmus autem sive Convulsio, ut docet *Galenus* est, qui nervos & musculos in eum cogit affectum, in quem ab animali facultate, cùm naturalem habitum servarent, ducebantur. In hoc enim malo nervi & musculi in eas partes attrahuntur, quibus innascuntur, verùm id motu quodam violento, ac præter voluntatem ægri fit.

Convulsio est aut universalis, aut particularis, Universalis triplex est: aut enim caput, totumque corpus in pectus contrahitur, aut caput cervixque ac reliquum corpus ad posteriora, & dorsum convellitur; Aut corpus immobile manet neutramq; in partem inflectitur; sed recta in utramque partem intenditur. Convulsio particularis est, quæ partem aliquam corporis saltem occupat. Fit autem hic morbus vel ex repletione vel exinanitione, aut propter putridos & malignos vapores, ad cerebrum & originem nervorum elevatos, de quibus vide suprà *cap.* 17.

Omnis convulsio periculosa est. præsertim ea, quæ fit ab inanitione. Nervi enim post immoderatas purgationes, vomitum, hemorrhagiam intempestivam, & febrem ardentem exsiccari, non facilè humectari possunt, ita quidem, ut morbi acerbitas vires exsolvat, exitiumque afferat, priusquam nervi iterum humectentur, & ad temperiem reducantur. Quapropter convulsionem ex helleboro lethalem, rectè pronunciavit *Hippocrates*, fit enim, propter immodicam evacuationem, quam sequitur siccitas incurabilis. Convulsionem ex vulnere lethalem esse; docet *Hippocrates*, accidit enim propter nervosarum partium læsionem, & inflammationem, quibus de causis dolor ingens oritur, qui propter consensum cerebrum gravissimè afficit. Convulsio ex malignis vaporibus non minùs periculosa est. Vapor enim malignus non solùm cerebrum afficit, verùm etiam per arterias ad cor ascendit, spiritusque vitales inficit.

In curatione causa morbi diligentissimè perquirenda est. Si ex repletione fuerit convulsio, evacuationem requirit, docente *Hippocrate*. Quapropter victus tenuis instituendus, corpus expurgandum, & vena secanda, parsque affecta, totaque spina dorsi sequenti linimento inungenda est.

R. Ol. Lumbricorum,
Vulpini ana ℥ij.
Terebinth.
Ceræ,
de castoreo ana ℥ß.
Axungiæ humanæ ℥iij.
Succi lumbricorum ℥j.
Misce, applicetur calidè.

Si verò convulsio ex inanitione & siccitate fuerit, nequaquam purgantia, aut sectio venæ adhibenda, quin potiùs corpus, quantùm fieri potest, cibis euchymis nutriendum, & humectandum est; de quibus abundè *cap.* 13. ubi de curatione Gangrænæ ex intemperie sicca, & penuria alimenti egimus. Si sitis magna fuerit, sequens potio exhibenda est.

R. Aquar. buglossæ.
Rosarum &
Violarum ana ℥iiß.
Syrup. violacei ℥iiij.

Misce, fiatque julapium, de quo sumat æger quotiescunque sibi libuerit.

Emulsiones sem. frigidorum, & lac amygdalarum quoque conveniunt; uti quoque conserva violarum, florum nenupharis & borraginis.

Alvus si non responderit, clyster injiciendus est. Sit autem emolliens simul & nutriens, veluti ex decocto carnis vervecinæ, caponis, & gallinæ cum vitellis ovorum parumque pulveris croci, macis, & aquæ cinnamomi.

Pars affecta, totaque spina dorsi sequenti linimento inungenda est.

R. Pinguedinis humanæ,
Ol. violarum &
Amygdalarum dulcium ana ℥ij.
Succi lumbricorum Wieri ℥iij.
Misce, & applica calidè.

Si convulsio propter consensum, hoc est, ratione doloris, inflammationis & intumefactionis trunci fuerit; dolor sedandus, inflammatio extinguenda, & intumefactio membri resolvenda, ac dissipanda est. Quo in casu sequens linimentum mirum in modum convenit.

R. Ol. Salviæ,
Anethini;
Chamomil,
Vulpini,
Succi lumbricorum terrestr. Wieri;
Pinguedinis humanæ ana ℥ij.
Ol. terebinth,
Aquæ vitæ ana ℥j.
Croci ʒj.
Misce, fiat linimentum.

Ambrosius Paraus Cheirurgus æternâ laude longè dignissimus; sequens linimentum in affectibus nervorum præcipuè ex causa frigida ortis summoperè laudat.

R. Salviæ,
Chamæpithyos,
Majoranæ,
Rosmarini,
Rutæ,
Lavendulæ ana M. j.
Flor. Chamomil.
Meliloti,
Anethi,
Hyperici ana pug. ij.
Baccar. lauri &
Juniperi ana ℥ij.
Radic. pyretri ʒij.
Masticis.
Aliæ odoratæ ana ℥j. ß.
Terebinth. Venetæ ℔.j.
Ol. Lumbricorum.
Anethi.
Catellorum ana ℥vj.
Ol. Terebinth. ℥ iij.
Axungiæ humanæ ℥ ij.
Croci ʒj.
Vini albi odoriferi ℔j. ß.
Ceræ q. s.

Contundenda contundantur, pulverisanda pulverisentur; postea coquantur cum oleis & axungia prædict. in vase duplici, fiat linimentum secundum artem. Adde in fine aquæ vitæ ℥iij.

Quòd si convulsio ex pravis & malignis vaporibus, ad cerebrum aliasque partes nobiles ex trunco elevatis, fuerit, acceleranda est digestio & suppuratio vulneris. Defensiva aliaque frigida circa truncum applicata, etiamsi elevationem vaporum impediant, quia tamen suppurationem vulneris retardant, nervisque nocent, non sine maximo judicio in spasmo uti iis licet. Acceleranda itaque est digestio, uti jam jam dixi, ut cum pure unà quoque vapores maligni exhalare possint. Id autem fit calidis & humidis temperatis, de quibus suo loco abundè dictum est. Saltem hoc addo; Linimentis, quæ vulneri imponuntur, semper nonnihil theriacæ, Mithridatii & lapidis Bezoar addendum esse. Mithridatium quoque, theriaca, Bezoar, cornu cervi, aliaque alexipharmaca, de quibus *in præcedentibus* diximus, per os exhibita, summoperè conveniunt. Regioni cordis, uti quoque carpis, epithema applicandum est.

Cap. 27. *Ægri à præcedente curatione victus ratio.*

NEque verò in curatione tantùm cauta esse debet ægri diæta; verùm etiam, si favente Deo liberatus fuerit à tam dira & funesta lue, aliquantisper sibi temperabit, laudabili victu contentus, omnem intemperantiam, seu in potu, seu etiam in cibo vitabit, multò magis, quàm antehac, subtietari studebit, quandoquidem imminuto corpore non tantùm alimenti desideratur. Si fuerit juvenis quispiam robustus, & sanguine copioso præditus, purgabitur interdum & venam ad minimùm bis in anno, præcipuè autem in Vere tundendam curabit. Venas autem malleoli præ cæteris incidere convenit. Plurimùm enim, quibus amputatum est brachium vel crus, accidit, ut dum natura de more transmittit sanguinem alimentarium, ut antè solebat, is obstructâ viâ, cogatur sursum regurgitare, & inflammare partes intimas, hepar nimirùm, pulmones, diaphragma, & cæteras id genus partes.

Cuidam ex militibus Germanis, quorum *cap.* 4. mentionem fecimus, cùm utramque tibiam ad poplitem amputassemus, trunci quinetiam cicatrice obducti essent, ac æger nihil aliud quàm tempus vernum, quo ad suos se conferre posset, expectaret, circa principium mensis Aprilis dolore torminibusque maximis ventris, febre continuâ, ac tandem Dysenteriâ quoque correptus, à qua quinto die morbi extinctus fuit. Causam hujus morbi, regurgitationem sanguinis ad partes Nobiles, hepar inprimis, fuisse, Medici mecum suspicabantur: Cùm enim propter lautam victus rationem, & constitutionem temporis, sanguis in hepate auctus esset, cumque natura deorsum ad crura alenda mitteret, sursum regurgitasse, & in ipso hepate, & venâ cavâ propter sui copiam inflammatum fuisse, & acrimoniam contraxisse, rationi consentaneum esse mihi videtur. Humorem porrò illum cùm vesicula fellea ex officio copiosè attraxisset, & ad intestina effudisset, secutus est dolor maximus, tandemque dysenteria. Quapropter omnes, quibus membrum aliquod magnum amputatum est, admonitos velim, ut in victus ratione omnem excessum, vitamque desidiosam, & quæ viscera interna sanguinemque excalefaciunt, evitent: Econtrà verò iis, quæ viscera sanguinemque aliquomodo refrigerant; veluti sunt syrupus granatorum, de succo limonum, acetosæ, violarum, rosarum, de succo berberorum, & de agresta, utantur. Corpus per intervalla syrupo rosato solutivo, rhabarbaro, electuario de succo rosarum, lenitivo & similibus expurgandum est, venæ item poplitis, aut malleolorum incidendæ. Si verò utrumque crus amputatum fuerit, venæ brachiorum pertundendæ sunt.

Venus maximè nocua, in ipsa quidem curatione lethalis, & multos etiam post dies plane periculosa. Ejusce rei fidem faciet historia memorabilis Nobilis cujusdam, cui *Cosmus Slotanus* experientissimus Cheirurgus, Valentiæ lævam amputarat, ex ictu Sclopeti contusam. Ægrotanti juveni voluptatibꝰ dedito, disertè interdictus erat cum uxore congressus: at is vulnere propemodùm persanato, & sedatis symptomatibus omnibus, eam interpellavit, quâ renuente propter seria *Slotani* monita, ipse emisit sperma citra coitum, atque hinc recidit protinus in febrim, delitia, spasmos, aliaque gravia symptomata, tandemque obiit quarta post die. Ex his intelligimus, quàm infesta sit Venus nervis & nervorum vulneribus, æquè ac capitis & articulorum affectibus. In aliis quoque morbis acutis nocentissimam esse Venerem, cùm aliàs, tum in Coloniensi quodam observavi. Is enim ex pleuritide ferè liberatus, cùm decima die morbi uxorem amplexus fuisset, iterùm in febrem incidit, & decimo tertio naturæ satisfecit.

Super Amputatione partis Gangrænosæ hîc rursus, subiungamus quod paucis admodum lineis tradit Clariss. Antonius Nuck in suis Experiment. Chirurgic.

Quotiescunque corporis nostri pars vel sphacelata, vel gangrænata, aut alio modô malè affecta, ne vicinis labem inferat, ut inutile pondus tollenda occurrit; toties, aut supra, aut infra articulum, si fieri potest, in parte sanâ Amputatio instituenda.

Cibô itaque potûque, vel spirituosû quôdam, aut aromaticô medicamentô roboratus patiens in sedili, ut decet, locetur; hinc sana cutis cum carne subjectâ sursùm trahatur; mox ad duorum digitorum transversorum latitudinem supra locum incidendum vinculô fortiori, quod ligneô bacillô, *Torcular* propterea dictô, contorqueatur, pars amputanda arctè constringatur; quibus peractis, cultro falcatô celeriter in orbem dissecetur, periostiumque (& si duplex os occurrat caro & ligamentum intermedium simul separandum) ilico ab osse abradendo separetur. Non tamen diu huic separationi incumbendum, quoniam magnæ utilitatis sæpe non est, & Patienti maximam molestiam afferre solet.

Mox

Mox *Serrâ acutiori* ossa præcidantur, & hęmorrhagia, si major fuerit, Cauterio Actuali sistatur, dummodo eschara ejus beneficio inducta, postea decidens, novæ hæmorrhagiæ causa non existat.

Nonnulli hæmorrhagiam inhibere laborantes, abscissa vasa *Tenaculâ* apprehendunt, eaque filo deligant; verùm cùm hic modus admodum sit molestus, & Patienti dolorificus, illum omnino improbamus.

Præstabit itaque *Pulverem stypticum* Albumini Ovorum permistum, cum Plumaceolis, Petiisque applicare: vel Fungum illum *Bovist*, qui in sanguine sistendo non ignavam semper navat operam, partibus sanguinem eructantibus admovere.

Stypticum interim multoties felici cum successu adhibitum sequens esto:

℞. *Bol. Armen.* ℥iij.
Calc. Viv.
Vitriol. Ust.
Alum. Ust. aa. ℥j.
Lap. Hæmatit.
Aloes Lucid.
Sang. Dracon.
Terr. Lemn.
Croc. Mart.
Mumia aa. ℥iij.
Mastich.
Thur.
Oliban. aa. ℈ij.
M. F. Pulv.

Si verò Hæmorrhagia minor fuerit, sunt, qui statim, factâ Extirpatione, filo cerâ obducto, quatuor in locis cutim cum carne perforant, hinc priori vinculo soluto, eandem deorsum ducunt, atque ita cutis extremitates propius ad se invicem accedentes externum aërem excludendo, subjectum os à corruptione præservant, vulnusque citiùs curatur. Verùm hæc methodus jàm apud plerosque inoluit, & modò præscripta familiarior est.

Styptica igitur admota, beneficio *Emplastri defensivi & glutinantis* in situ convenienti detinentur: quod Emplastrum in crucis formam præparari debet, ut extremitates ejus eo melius parti affectæ adaptari possint; quibus omnibus Vesica bubula superinducitur, & admotâ compressâ unâ aut alterâ, *Fasciatio Cruciata* instituitur.

Nonnulli Manum *Sphacelo* correptam aut occulto *Cancro* affectam (factâ prius ligaturâ) *Scalpro* majori, cum successu amputare solent. Corrupti verò digiti aut pollices, facili negotio vel forfice vel forcipe robustiori abscinduntur.

Fusius hactenus de membrorum, vulgari methodô decurtandorum ratione ex Clariss. Viris Gulielmô Fabriciô Hildanô, atque Antoniô Nuckio, egimus; in illisque meritò subsisteremus, ni aliam, eamque & curiosam, & forsan etiam utilissimam in hac operatione perficiendam methodum nobis exhiberet Celeberrimus ac Peritissimus Petrus Hadriani F. Verduin apud Amstelodamenses Chirurgus felicissimus: Cujus propterea Dissertationem Epistolicam cum adiectis figuris, recensebimus, anno 1696. vulgatam, *additâ etiam in eôdem argumentô, observatione, & animadversionibus quas in Epistolâ suâ Anatomicâ problematicâ decimâ quartâ, Praeclarissimus adfert Fridericus Rhuischius, Sit itaque primò,*

Illustrissimo, Nobilissimo, & Amplissimo

VIRO

NICOLAO VVITSEN,

Urbis Amstelædamensis Consuli ac Senatori,

In Concilium Delegatorum Hollandiæ sæpius,

In Consessum Ordinum Generalium quondam Delegato,

Fœderati Belgii ad Magnæ Britanniæ Regem

GUILIELMUM

Exlegato Extraordinario.

Societatis Indiæ Orientalis Assessori &c. &c.

S. P. D.

PETRUS HADRIANI F. VERDUIN.

Diu multumque dubius hæsi, Vir Amplissime, an Te, maximis Reipublicæ, ac quidem hoc tempore calamitosô, negotiis occupatum, & non nisi solidiora studia meditantem, levioribus hisce meis interpellare essem ausurus: Verùm Tuâ fretus facilitate, quâ omnes, etiam minimos, qui tuum implorant auxilium, audire non dedignaris, haud ægrè Te laturum spero, si à Te modestè petam, ut novum hoc meum, quod vidisti & probasti, de crurum amputatione inventum, Illustrissimo Tuo Nomini inscribi permittas. Promulgandum equidem, cum aliis viris doctis, judicasti; & cùm nihil mihi sit antiquius nihilque religiosius, quàm Tuis obtemperare mandatis, è re meâ esse credidi, hoc qualecunque inventum, Tuis sub auspiciis, publicum facere. Tu enim, qui apud omnes nationes multis nominibus notus es, fortiter illud tueri, magnumque ipsi pondus adferre potes. Moram minùs hâc in re trahendam putavi, hôc opportunô id experiundi tempore, quô, ex infestissimô inter omnes ferè Christianos bellô, multi artubus truncati, multi cruribus orbi redduntur, qui hâcce nuvâ meâ methodô, breviùs non tantùm & feliciùs restitui possunt, sed ut etiam genu flectere, & ipsâ truncatâ parte inniti, imò ei insistere, maximô commodô queant.

A multis jam annis observavi, plura circa ἀκρωτηριασμὸν desiderari, plura minùs rectè perfici; cùm respectu ipsius operationis, tum etiam ratione apparatus ad eam, & maximè quidem fasciarum, quę magno molimine, & multò majori quàm natura rei requirit, adhibentur: Unde factum est, ut pedetentim novum omninò & succinctum apparatum invenerim, quem facilè & procul ab omni periculô quisq;, etiam minus in arte exercitatus, imitari posset; cùm è contra, vel versatioribus Chirurgis, quandoq; infeliciter contigit, ut ex vulgatâ fascias involvendi normâ, Gangrænam parti induxerint. Decurtationem ipsam quod spectat; mirum in modum me semper affecit, promptum illud & stupendum naturę opus, in partibus sibi invicem agglutinandis, licèt longissimè dissitis, si abscissâ cute, labra earum vulnerata & sanguine madentia, proximè duntaxat ad invicem jungantur, ac probè conjuncta serventur, cujus rei frequentissima in praxi meâ habui exēpla, inprimis in

restituendis labiis leporinis, etiam maximè distantibus; unde mihi aliquoties in mentem venit, an non in decurtandis artubus simile quid præstari posset? insignis obstabat difficultas; quòd scilicet animadverterem, partem, in quâ operatio est instituenda, maximè esse osseam, parum carneam: videram equidem aliquoties in vulneribus capitis aliisque, denudatum etiam os, si aëris inquinamentum subitò ob ipsâ arceretur, agglutinationem superinductæ carnis tulisse; verùm id in truncatô osse, & medullam continente, nunquam fuerant expertus: nec etiam sufficiebant, ad illud os tegendum, laxata cutis & caro, solitô more, ante mutilandæ partis constrictionem, sursùm, quamvis fortiter, attractæ. Hæc meum torquebant ingenium, & tentamen morabantur; præcipuè cùm operatio hæc per se esset ambagibus plena & crudelis; in quâ & æger & adstantes, multô terrore perculsi, non facilè dubium & difficile experimentum in se primis admittunt. Poetò dum varios, & primam familiam ducentes Chirurgos consulo; inter antiquos nempè Hippocratem, Cornelium Celsum, Paulum Æginetam; inter recentiores Ambrosium Paræum, Gasparum Taliacotium, Guilhelmum Fabricium Hildanum, Hieronymum Fabricium ab Aquapendente, aliosque præclaros Viros, video sanè illos, etiam de truncandis artubus, & eorum Chirurgiâ ex professô agentes, tamen ne verbum quidem, de artuum per infitionem curandorum methodô protulisse. Atqui etiam, quanquam in magnis aliquid quoq; tentasse, laudabile est, faciliè quis calumniæ metû nova experiri vereatur, *virtuti enim comes invidia*: & sæpiùs profectò illô metû, me, quæ & artis etiam & rationis facere, deterritum atque retentum confiteor. Hic enim dolere possem, quoties, supra vulgus in meâ professione sapere annisus fui, & majora in arte mo iri (tametsi id masculè fecissem ac feliciter, ut, si Deus siverit, observata mea, ubi in publicum prodierint, aliquando probabunt) nihilominus tales, qui quæstui ducunt malè loqui de melioribus, illa vel vituperasse vel minoris fecisse.

Dum sic protraho hujus operationis instituendæ desiderium, en mihi literas cujusdam Londinô scribentis amici, olim mei Discipuli, & qui apud me vixerat: ille, qui noverat quantâ ego illustrandæ artis arderem cupiditate, scribit Profecerum suum, inter Londinenses Chirurgum dexterrimum, hanc, quam meditabar, methodum ex parte instituisse; scilicet in cruris decurtatione servasse suram, eamq; truncatis ossibus applicuisse, idq; eò successû, ut sibi invicem adhæserint ac coaluerint; parum vel nihil de cæteris circumstantiis. Vereor imperfectiorem fuisse ejus instituendi rationem cùm, quantùm rescire potui, nullus alius ibi ipsum fuerit imitatus; hodieque in ipsâ Angliâ æquè parum ac in cæteris orbis regionibus hæc Methodus invaluerit. Imò & inter illos nuper Vir Nobilis & in rebus medicis multùm versatus, hanc à me peractam operationem per literas cujusdam familiaris edoctus, per eundem petiit, ut integram hujus instituendi historiam, ad se transmitterem, quam, tanquam rem novam, ratam & scitu apprimè necessariam Societatis Regiæ actis inseri volebat.

Verùm, Vir Nobilissime, ne in publica commoda peccem, si longiore sermone tua tempora morer, rem ipsam aggrediar, & primò instrumenta, quibus uti solemus, & plurima à nobis aut excogitata aut emendata, describam: deinde ipsum operandi modum, & in illô observanda, verbis quàm perspicuis, adjungam; postremò utilitates & commoda, quæ ex eô proveniunt, subjiciam: Imò, quò faciliùs & clariùs hæc intelligantur, muita, juxta eorum adhibendi methodum æris incisa, artis Chirurgicæ cultoribus ob oculos ponam.

Instrumenta autem, tam ratione materiæ, quàm temporis, quô applicanda, sunt varia: Alia enim ex coriô, alia ex ferrô, alia ex chalybe vel quavis alia materiâ idoneâ sunt fabricata: Respectu temporis; alia in operatione, alia post illam, alia denique Sanatione peractâ adhibentur.

In Operatione.

1. Requiritur Cingulum quoddam latum constrictorium, ex coriô vitulinô, quod vulgò pingue audit, fabricatum, & ad crassitiem femoris decurtandi cruris accommodatum, cum tribus corrigiis & duobus Inris appendentibus; juxta internæ externæq; faciei, Tabulæ A. Figurâ primâ & secundâ delineationem.

2. Lamina concava, ex ære, aut aliâ quâvis materiâ ductili, ad mutilandæ partis peripheriam complectendam, parata: secundùm Tabulæ, A. figuram quartam.

3. Zona gracilis ex prædictô coriô confecta; alterô extremô fibulâ æneâ munita, alterô multis foraminulis ex ordine, & exiguis interjectis spatiis, pertusa: quam figura undecima Tabulæ A. denotat.

4. Sex singulæ, quibus corrigiæ, iuta & Zona clauduntur; quas ubique à fibulis liberas reliqui, ne ullus corrigiarum, Lororum, aut Zonæ, inter claudendum, fit retrocessus; qui evitari nequit, si lingulæ, ut solent, fibulis sint affixæ. Harum quinque Tabulæ A. figurâ tertiâ, & una Tabulæ ejusdem figurâ undecimâ literâ A. notata, sunt delineatæ.

5. Duo Splenia tertia & crass, duos tresve digitos transversos lata, & Spithamam circiter longa; ut figurâ quintâ, & sextâ Tabulæ A. exprimitur.

6. Linteum quadruplicatum, cingulô constrictoriô majus: figurâ septimâ Tabulæ A. demonstratum.

7. Tænia vel vitta lata ac validâ; Tabulæ A. figurâ nonâ denotata.

8. Bacillus, ad vittam prædictam contorquendam, ejusdem Tabulæ figurâ decimâ depictus, & eorum usus Tabulæ A. figurâ decimâ octavâ.

9. Sint in procinctû duæ tresve vesicæ bubulæ; quarum una parata & aquâ emollita, figurâ decimâ sextâ ejusdem Tabulæ est delineata.

10. Totidem fasciolæ emplastrô glutinosô (exempli gratiâ Emplastrô Diachalciteos tantillo Terebinthinæ commistô) illitæ; duos tresve transversos digitos latæ, tres, plus minus, spithamas longæ, alterâ extremitatum paululum incisæ; ut eâdem Tabulâ figurâ decimâ septimâ denotatur.

11. Sit quoque in promtu fungus orbicularis vernaculè *Bovist*, Linamentum, & Stupa; quorum quædam frusta, plumaceoli & pulvilli, figuræ decima tertia, decima quarta, & decima quinta ejusdem Tabulæ, demonstrant.

12. Ne sit etiam penuria Lintei detriti & mundati; ex quo Splenia, plagulæ & fasciæ requisitæ ac in Iconibus designatæ, parantur.

13. Catillus cum aquâ tepidâ & molli spongiâ; quem Tabulæ ejusdem figura duodecima indicat.

14. Culter falcatus & anceps, quorum duo diversæ magnitudinis, Tabulâ A. figurâ 23. & 26. sunt delineati.

15. Separatorium potest esse paratum, si cui eô uti lubeat, cujus effigiem, ejusdem Tabulæ figura 24. habet.

16. Binæ serræ, tenuissimarum laminarum, acutissimisque dentibus præditarum, quarum Schemata eâdem Tabulâ, figurâ 22. & 25. videbis: alteram majorem, in femore, aut crure obelô adhibendam; cujus arcûs extremum manubriô, literâ A figuatô, munitum est; quô, dum adhibetur, manû arreptô, Serra majori vi reciprocari & adigi potest, ut eô citior ossium fiat dissectio: Alteram minorem, in minoris crassitie extremitatibus idoneam,

Post

Post Operationem, & quidem primò apparatû remotô.

Instrumentum Retentivum, cujus prima pars, femoris postico lateri, laneô pannô, aut linteô complicitô priùs vestito admoveatur; altera pars carnem trunco adjunctam, & plagulâ tectam sustineat. Cujus integri Schema, nec non in partes divisi, Tabula B. figuris 1.2.3.4. invenies.

Panniculum, plagulas & fascias, quæ ad ejus applicandi modum requiruntur, eadem habes Tabula, figuris 5.6.7. & 8.

Ipse verò modus applicandi & usus, ac etiam quæ ad vulnus tractandum requiruntur, Tabulæ B. figuris nonâ, decimâ, undecimâ, duodecimâ, & decimâ tertiâ describuntur.

Vulneris Sanatione consummatâ.

Crus artificiale, ex lignô aut alia qualibet materia levi fabrefactum. Pulvillus ex setis equinis contortis aut coctis & alutâ tectis compositus, mutilatæ parti subjiciendus, quorum formas, & usum Tabulæ B. fig. 16.17. & 18. indicant.

Deniq; caliga ex aluta, ad trunci, genu, & femoris crassitiem & formam accommodata, quæ figurâ 16. Tabulæ B. est depicta.

Hactenus quæ ad hunc actum ex arte perficiendum à nobis necessaria judicantur, enumeravimus arma: Quibus si superesse quid aut deesse quis putet, quippiam addere aut demere, per me integrum erit; quippe quæ facilè quandam admittunt mutationem: Sæpe etiam pro re natâ, & loci ac temporis opportunitate res sunt disponendæ. Nunc eorum, apertissimis, quantum poterimus, verbis usum tFademus.

Si igitur Chirurgo crus auferatur decurrandum, ante omnia ægri examinandæ sunt vires, an operationi ferendæ sint pares: Præterea pars affecta; quæ quò magis integra & carnea, eò aptior: cautè enim prospiciendum, ne Sphacelô in totum affectô cruri, aut aliis morbis nimiùm corrupto, culter adhibeatur; vana enim & inutilis foret operatio. In homine itaq, haud malè habitô, atq; crure torosô, operatio sequenti modô est instituenda.

Ægrô luci clariori opposito, femori denudato, primò Splenia teretia, unum in poplite, inter tendines crus flectentium, alterum ad internum femoris latus, ubi magna sita sunt vasa, applicantur. Tegantur hæc, nec non infima pars femoris & genu quadruplicato linteo, quæ fasciolâ, ut suo loco maneant, obvolvi possunt. His cingulum latum constrictorium superimponatur, quod ope brevium corrigiatum, fibulæ & lingulatum, firmiter in poplite clauditur, ut valorum sanguiferorum fiat coarctatio: Majoris tamen constrictionis gratiâ, Tæniâ lata ac valida omnibus superinjiciatur, quæ bacillô, inter operandum, à famulô contorqueatur: quod instrumenti genus apud Gallos audit *Tourniquet*, & ab illis subinde hîc loci, subinde circa inguen, femori admovetur.

His ita præparatis, illa pars cinguli, quæ genu tegit, cum loris dependentibus; retrorsùm, ne operantibus obsint, flectatur.

Deinde crus, gracili Zoâ, paulò supra locum, ad amputationem destinatum, arctè constrictum, à duobus viris intrepidis, alterô crus circa Zonam, alterô pedis articulum amplectente, immobile teneatur.

Mox sura, lævâ manu arrepta, cultrô falcatô & ancipiti, ab ipsâ Zonâ crus coarctante inchoando, juxta cruris longitudinem, pone ossa, deorsum abscindatur. Reliquæ verò cutis carnisque partes, ut moris est, transversim incisæ, separatô nunc, eôdem cultrô, periostiô, unà cum ossibus Serrâ decuttentur, retroductâ interim, ob læsuræ Serræ metum, prædictâ avulsæ carnis portione. Extemplo jam vulnus recens, molli Spongiâ, aquâ tepidâ uvidâ, abstergendum, ne quid scobis vulnere remaneat, quod sanationem temorari posset. Quô factô, ac Zonâ constrictoriâ solutâ, remota carnis portio dictô citius, antrorsum est reflectenda, & mutilatæ parti coaptanda. Vulneris oræ fungô, linamentô, stupâ aut aliô quôvis stipticô idoneô (pauxillum enim requiritur) totusq; truncus vesicâ bovinâ, aquâ egelidâ emollitâ, tegantur, quæ fasciolâ, emplastro viscoso oblitâ, circumvolvantur: Necessitate autem urgente, altera vesica, more prædictô, superinjici potest.

Deligatû hôc modô vulnere, plagula seu linteum complicatum trunco imponi debet, illi verò lamina concava, quæ prolixioribus cinguli constrictorii (cujus pars anterior jam genu est adaptanda) loris decussatim aptata, sursumq; quadantenus tracta, mediocriter, quamvis arctè etiam latis, in genu duabus fibulis suisq; lingulis clauditur; atque sic, vel copiosior commodè & tutò inhiberi consuevit hæmorrhagia.

Modus hic deligandi Tabulæ A. Figurâ 20. liquidò designatur. Et, ne quicquam suo loco recedat, unde nova hæmorrhagia, aut aliud quid incommodi posset oriri, fasciolam muniendi causâ addere solemus.

Illâ supra genu injectâ & contortâ Tænia jam est laxanda, quæ quidem, si novæ hæmorrhagiæ non esset metus, (quam nunquam, adhibitâ hâc vulneris deligatione, etiam in vulgari amputandi methodô, me vidisse affirmo) mox posset auferri.

Si etiam cingulum constrictorium plus æquô constringere videatur, facilè tantillùm, remissis pauxillulum corrigiis, laxari potest, quod in fasciarum usu non item; id nihilominus quibusdam horis post operationem fieri, latius est.

Habes hîc, Vir Illustrissime, insolitam hanc, & à nobis excogitatam corruptos, nec ullâ arte redintegrandos, artus demendi rationem ac methodum: In brachiis enim, imò in femoribus æquè ac in cruribus eam adhibendam censeo, si sagax modò Chirurgus, ea quæ ad rem requiruntur, pro partis decurtandæ statû ac conditione scitè mutare atque disponere noscat. Quæ an distinctè satis hisce meis verbis, quantùm potui, dilucidis (brevis enim, attamen perspicuus esse laboro) proposuerim, perspicaci Tuo judicio subjiciuntur: Si verò descriptioni quid desit, id ex adjunctis iconibus probè Te intellecturum nullus dubito.

Hactenus instrumentorum adhibendorû, vulnerisq; optimum certissimumq; deligandi modum exhibui; quem dexterrimis Chirurgis latiùs exponere supervacaneum foret, unde, ut in diverbio est, *manum de tabulâ*. Verùm cùm & hanc, in tyronum & minùs exercitatorum manus incursuram prævideam dissertationem, operæ pretium me laturum putavi, si in eorum gratiam, qui sanari hoc vulnus debeat, adjungam. Sciant ergo tyrones, ejusmodi vulnera, & quidem maximè in principiô, admodùm cautè esse tractanda, ne qua proxima pars ullo modo lædatur, nedum abscedat, verùm potiùs mutilatæ parti conjuncta servetur, quò faciliùs unitæ jam partes in unum coalescant; quem in finem aliud quoddam, haud contemnendum, excogitavi instrumentum, Tabulæ B. *fig.* 1.2. 3. & 4. delineatum, necnon ejus usus ejusdem Tabulæ Figurâ nonâ; quod, primò apparatû remotô, in usum est revocandum; qui est partes sibi invicem unitas conservate; ne, vel inter curandum, ullô modô discedant, relictis ad id vulneris oris in totum liberis.

Instrumentum hoc, cui nomen Retinaculi imponere lubet, duas habet partes, altera est lamina ferrea vel cuprea tenuis, ad dimidiam femoris truncati cruris peripheriam & formam incurvata; hujus extremitatum alteri vagina ex eâdem substantiâ obliquè sit affixa, quæ eminentiam alterius partis capere, & cochleâ, quæ in vaginæ posticâ est parte, clausâ, retinere potest: al-

tera pars rotunda est lamella, cochlearis instar utcunque cava; cui eminentia prædicta fit affixa, ut in Tabulæ B. figuris primâ, secundâ, tertiâ & quartâ videre licet.

Modus applicandi hic esto. Primum panniculus aut linteum complicitum posteriori femoris lateri, & huic prima pars instrumenti accommodetur, tali modò ut truncus vaginæ incumbat: hæc fasciâ femori alligetur, & truncus vaginæ aliâ fasciâ.

Deinde eminentia alterius partis in vaginam est immittenda, usque dum lamella cava, carnem mutilatæ parti adjunctam linteôque tectam, suffulciat; postremò cochlea in posticâ vaginæ parte, est torquenda, ne, eâ clausâ, lamella discedat; sed ita carnem mutilatæ partis carni probè coünitam conservet, etiam interea dum vulnus, fasciâ & plagulâ solutis, quotidie curatur; ut in Tabulæ B. figurâ nonâ, ubi ejus usus demonstratur, dilucidè patet.

De Medicamentis ad vulnus sanandum necessariis, non est quod multùm dicam, nec non qui vulnus ipsum sit tractandum, quoniam qui artem modò a limine salutarint, facilè scient, quid ad recens vulnus consolidandum, atque cicatrice obducendum, desideretur; nec eos latebit splenio esse tegendum, & fasciolâ obvolvendum.

Ipsas jam varias utilitates atque commoda, quæ ex nostrâ hac profluunt agendi methodô, cognoscere si desideres, Vir Illustrissime, hæc sunt præcipua: Copiosissima, frequens aliàs, sanguinis profusio, debilitatis plerumque causa, è vestigio supprimitur; ut sileam ingruentis nonnunquam Gangrenę metum exulare. Atque hæc, ut vera dicam, sola in causâ fuere, quare jam dudum, imò in triviali decurrandi modô, antiquum illum fasciarum usum rejicere, ac certiorem morem circumspicere fuerim coactus: Quid enim molestius, quid periculosius, quàm arctissima illa longissimorum involucrorum compressio? unde perfacilè Gangræna; quæ constrictio si minor fiat, novum sanguinis oboritur profluvium: Quam Scyllam & Charybdim hâc pyxide navigantes tutò evitabunt Chirurgi: Et eò magis hâc Operandi methodô, quod caro carni junctâ, hiantia Vasorum oscula ipsâ carne obturentur.

Aliud fanè commodum non minimum videtur, cùm aliàs crebrò soleant separari ab osse aëre tactô quædam fragmina, sæpè numero omnimodam sanationem impedientia, aut ad minimum protrahentia; quæ nulla hanc nostram methodum sequentem Chirurgum temoratur. Nec est quod quis timeat superficiei ossis, crudò aëre, aut ferrâ tactæ separationem; cùm jam olim multoties observârim, hanc non adeò, ut quidam volunt, esse necessariam. Insuper, quod miratu dignum, & scrupulum injicere posset, ne ipsa quidem supereminens caro, quâ vulnus tegitur, ut ut magna, quippiam adfert incommodi, tantum abest ut dematur; quandoquidem labia illa ita contrahuntur, ut parva admodum cicatrix, in anteriore, aut, si mavis, superiore tibiæ parte relinquatur; ut in Tabulæ B. figurâ 14. manifestè liquet: Ex quibus etiam multò citior vulneris est Sanatio.

Ex prædictô commodô tertia, quæ si qua alia, ipsi ægro quidem maxima, oritur utilitas: ut scilicet parti, hôc modô mutilatæ percommodè adaptari queat, ex quâvis levi materiâ, arte factum, caligâ calceôque ornandum, atque ita naturale mentiens, crus: cujus ope haud secùs ac alterô posset incedere: Quapropter hîc monendum est, ut quàm longissimus, in decurtandô, servetur truncus, ut eò firmius crus factitium illi adjungatur. Nec est quoque quòd quis metuat, ne agglutinata illa decurtato artui caro incommodum adferat, cùm eâ è contrario resectum crus tanquam pulvinari, sine ullô dolore, innitatur & incessum admittat; remanente quoq; in genû motû voluntariô, qui, si subinde inter sanandum genu non moveatur, omnino aboleri videtur.

Deniq; silentiô prætetire non possum aliud quoddam emolumentum, nequaquam pœnitendum; nimirùm, quòd hôc modô restituti non conquerantur, ut quidem alii, de dolore Sympathethicô in pede cruris ablati, qui dolor magnus, ut alios multos, idque per diuturnum molestissimè infestat tempus, ita ab his ne minimus sentitur; quod & denuò me docuit usus in virô paulò post memorandô, qui antea, solitô more, pede truncatus, hôcce dolore admodum infestabatur: jam verò genu propiùs crure decurtatô, ac per infitionem, juxta methodum nostram curatô, dolor iste planè cessavit. Cujus rei causam, licet Philosophis rerumque naturalium abditarum indagatoribus investigare maximè proprium sit, tamen si meam (salvô aliorum judiciô) liceat proponere sententiam, hinc deduci posse arbitror; quòd nervorum extremitates, in vulgari modò truncatis, levi duntaxat cicatrice obductæ, & aëris aliisque injuriis expositæ, facili negotiô tangantur atque offendantur; unde illicò ex spirituum ad cerebrum recursû, in mente, præcedentis in pede incommodi recordante, antiqui doloris fit perceptio: Quod in his, ubi nervorum extremitates tantâ carnis mole sunt coöpertæ, locum habere minimè potest. Quæ res sanè non exiguum adfert commodum, & quidem ex præcipuis est causis, quòd æger mutilatâ parte inniti & incedere queat; quæ aliàs minimam non fert pressuram.

Plura enomerare non est animus, suffecerit vel hoc unum, quo prædicta confirmare queam, subjicere; quod meus hic agendi modus tam prosperis fuerit institutus avibus, ut hujus Urbis Nosocomii Chirurgi, mea vestigia pressè secuti, virum triginta præter propter annorum, secundâ vice, altero pede truncarint, & per insitionem sanarint: & quidem adeo feliciter, ut nullus dubitem, quin iisdem emolumentis brevissimè fit gavisurus æger, quibus noster fruitur adolescens; Truncato enim non tantùm insistit ac incedit cruri, verùm tam liberè genu flectit, ut internoscere sit difficile, quo crure magis laboret truncato-ne an integro; ut in Tabulæ B. *fig.* 18. videre est.

Vale, Vir Illustrissime, meosq; conatus, quò soles aliorum, favore prosequere. Ita fier, ut Spartam hanc, quam nactus sum, Chirurgicam, ulteriùs, Tuô sub præsidiô, sim exornaturus; sumturusq, impetum plura non indigna hâc, cui præes, Republ. elaborandi, & magnô miserorum hominum bonô evulgandi.

Amstelædami Sexto Iduum Junii. cIↄ Iↄcxcvi.

Tabula A. figurarum Explicatio.

Fig. 1. & 2. Cinguli lari constrictorii facies interna externaque demonstratur.

Fig. 1. A. Facies ejus interna, & quidem partis femori applicandæ.
B. Pars genu adjungenda.

Fig. 2. A. Facies externa partis femori applicandæ.
B. Ejusdem faciei pars genu adjungenda.

Fig. 1. & 2. ccc. Tres corrigiæ, quibus cingulum in poplite clauditur.

Fig. 2. D. Fibula tribus foraminibus oblongis, ad prædictas corrigias transmittendas, pervia.

Fig. 1 & 2. E.E. Duo lora, quibus lamina concava clauditur.


Fig. 2. F.F. Fibulæ duæ, quarum foraminibus extremitates lororum sunt trajectæ.

Fig. 3. Quinque lingulæ, foraminulis tam corrigiarum quàm lororum, transmittendæ.

Fig. 4. Lamina concava, trunco post decurtatum crus, adjungenda.


NB. Methodus horum instrumentorum applicandorum hujus Tab. Fig. 18. & 20. ostenditur.

Fig. 5.












John Mason sculp.






Fig 1
A
B
Fig 3
D
C
Fig 2
Fig 5
Fig 7
C
Fig 4
B
D
Fig 8
Fig 6





Fig 12
Fig 13
Fig 9
A
K
Fig 10
Fig 11


Fig 18
F
H
C
B
D
A


Fig 14
A
B
C
D
E
Fig 15


Fig 16
F
G
H
C
E
D
A



Morff fc.

Fig. 5. Splenium crassum, popliti imponendum.
Fig. 6. Splenium paulò latius, interno femoris lateri adjungendum.
Fig. 7. Linteum quadruplicatum, quo totum femur, genu & splenia teguntur.
Fig. 8. Fascia, quâ prædicta quadantenus possunt obvolvi, ut suo locô maneant.
Fig. 9. Vitta vel Tænia.
Fig. 10. Bacillus Ligneus, ad Vittam contorquendam.
Fig. 11. Zona Gracilis, cum sua lingulâ A.
Fig. 12. Catillus cum aquâ & spongiâ.
Fig. 13. Frusta Fungi orbicularis.
Fig. 14. Plumaceoli ex linamentô.
Fig. 15. Pulvilli ex Stupâ.
Fig. 16. Vesica parata & aquâ emullita.
Fig. 17. Fasciula Emplastrô Glutinosô oblita.
Fig. 18. Femur & partem Cruris, cui altera pars est dissecta, demonstrat; relictâ carnis portione mutilatæ parti adaptandâ.
- *A.* Pars femoris
- *B.* Linteum complicatum femur tegens.
- A. Cingulum constrictorium.
- B. Ejus pars Genu tegens, cum loris E. E. retrorsum flexa.
- C.C.C. Tres Corrigiæ, quibus Cingulum clausum est.
- D. Fibula ænea, cui corrigiæ per tria foramina sunt traductæ.
- E.E. Duo Lora.
- F. F. F. Lingulæ tres, quibus corrigiæ sunt clausæ.
- G. Tænia vel Vitta.
- H. Manus quæ Vittam, ope bacilli I. contorquet.
- I. Bacillus manu arreptus.
- K. Genu.
- L. Pars Cruris.
- M. Zona, crus arctè constringens.
- N. Portio Carnis ex Surâ excisa.

Fig. 19. Pars cruris amputata.
- A. Locus ubi portio carnis excisa est.

Fig. 20. Totum apparatum, crure jam deligatô, ostendit.
- *A.* Femur.
- *B.* Linteum complicatum,
- A. Cingulum constrictorium.
- B. Ejus pars antrorsum in genu jam reflexa.
- C.C.C. Tres corrigiæ.
- D. Fibula ænea.
- F. F. F. Lingulæ tres.
- G. Vitta jam laxata.
- E.E. Duo Lora, quibus Lamina concava H. decussatim amplexa, & trunco adjuncta est.
- H. Lamina concava.
- I. I. Duæ fibulæ, per quarum foramina lora traducta, & lingulis suis K. K. clausa sunt.
- K.K. Duę lingulæ prædictę.
- L. Vesica trunco applicata.
- M. Fasciula emplastro glutinosô illita.
- N. Plagula, trunco ante laminæ applicationem, admota.

Fig. 21. Fascia, quâ lora & totus truncus, ne quid suô locô decedat, obvolvuntur.
Fig. 22. Serra Major, in femoribus aut cruribus ubi usis utenda; cujus arcus extremum manubrio, literâ A. signato, est munitum; quò, dum utimur, manû arreptô, Serra majori vi reciprocari & adigi potest, ut eò citior ossium fiat dissectio.
Fig. 23. Culter falcatus major, qui etiam est anceps, quo solo omne quod scindendum & separandum est, exceptâ ossium dissectione, absolvere consuevimus.
Fig. 24. Separatorium: Si cui eo uti lubeat.
Fig. 25. Serra Minor, in tenuioribus amputandis artubus idonea.
Fig. 26. Culter falcatus & anceps minor.

Figurarum Tabulæ B. *interpretatio.*

Figuræ 1. 2. 3. & 4. Instrumentum retentivum sive *Retinaculum*, cum annexis, designant.
Fig. 1. Pars prima ex tenui laminâ ferreâ, A. ad dimidiam cruris periferiam incurvata.
- B. Vagina ferrea, priori affixa.

Fig. 2. Altera ejus pars, cochlearis instar, utcunq; arcuata C. cui eminentia Æ. vaginæ immittenda, est affixa.
- Æ. Prædicta eminentia.

Fig. 3. Cochlea, cujus ope eminentia, in vaginâ premitur, clauditur & retinetur.
Fig. 4. Partes prædictæ conjunctæ.
- A. Pars prima.
- B. Vagina ejus.
- C. Altera pars, cujus eminentia in vaginam est inserta, & cochlea D. clausa.
- D. Cochlea, quâ eminentia premitur & ita retinetur.

Fig. 5. Panniculus femori, priusquam prima lamina adjungitur applicandum; cujus loco linteum complicatum adhiberi potest.
Fig. 6. Fascia, quâ femori alligatur.
Fig. 7. Fascia, quâ truncus vaginæ annectitur.
Fig. 8. Plagula seu linteum complicitum, carni adjunctæ priùs imponendum; postea lamellâ cavâ fulciendum. Quę omnia hujus Tabulæ figurâ nonâ demonstrantur.
Fig. 9. Usus Retinaculi, priùs designati indicat.
- *A.* Femur nudum.
- *B.* Panniculus posticum femoris tegens latus.
- A. Lamina primę partis, femori applicata.
- B. Vagina ferrea, priori laminæ affixa.
- C. Lamella concava, carnem suræ trunco conjunctam amplectens & sustentans
- D. Cochlea, mediante quâ eminentia Æ. in Fig. 2. in vaginâ B. premitur & detinetur.
- E. Fascia, quâ lamina prima femori annectitur.
- F. Fascia, quâ truncus vaginæ alligatur.
- G. Plagula, vaginæ imposita.
- H. Linteum complicitum, quô caro adjuncta coöperta est.
- K. Genu.
- L. Pars cruris mutilati.
- M. Caro excisa prædictæ parti adaptata.
- N. Vulnus crudum.

Fig. 10. Plumaceoli unguento illiti, vulneri applicandi.
Fig. 11. Emplastrum his imponendum.
Fig. 12. Plagula seu splenium ad partem regendam.
Fig. 13. Falcia, quâ tota pars obvolvitur.
Fig. 14. Tota Pars jam sanata, omnibusq; emplastris ac vinculis soluta & libera:
- A. Femur.
- B. Genu.
- C. Truncus, seu pars mutilata.
- D. Caro Suræ, parti mutilatæ adnata.
- E. Vulneris cicatrix, in Tibiâ vel cruris anticô latere.

Fig. 15. Caliga ex alutâ, trunco & femori induenda.

Fig. 16. Crus artificiale designat.

A. Pes ligneus caligâ & calceo ornatus.

B. Vagina ex laminâ æneâ, duobus locis, ad truncum immittendum, incisa.

C. Fibula, quâ vagina post immissum truncum, quadantenus clauditur.

D. Locus ubi vagina pedi ligneo est affixa.

E, E. Duæ laminæ ferreæ, quarum ope crus ad Genu latera flectitur.

F. Instrumentum femorale, constans ex laminâ ferreâ anticum femur ambiente, & corio vestitâ: quod testat femoris corio circuitu, & in postico femore ligamine G. notato ordine connectitur.

G. Ligamen prædictum.

H. Flexuræ locus cùm crus incurvatur.

I. Caliga ex alutâ, quâ truncus & femur sunt vestita.

Fig. 17. Pulvillus, ex setis equinis contortis & alutâ vestitus; cui truncus subjicitur antequam in vaginam immittitur, ut eò commodiùs incumbat.

Fig. 18. Æger jam sanatus & restitutus, crureq; arte factô innitens & incedens.

ADMONITIO.

Sciat Lector benevolus, hocce cruris Schema, non, ut in omnibus casibus sit exemplar, hîc esse delineatum; talia autem pro ægrorum statu, conditione ac ætate sunt paranda: In adulto enim, qui cautè & modesto gradu scit incedere, ex ferro, ære aut aliâ quâlibet materiâ idoneâ, crus multò aptius fabricari posset; in quo pedis articulus concinnè esset imitandus, qui, vi elasticâ, ex instrumentis chalybeis, adeò mobilis foret, ut, à naturali motû parum differens, rigidus ille incessus, qui, ex pede ligneô & circa malleolos immobili, semper reperitur, admodum corrigeretur. Istiusmodi verò crus velle parare adolescenti (cui, propter enormem motum & continuum corporis incrementum, id sæpius est renovandum) multùm requireret laboris, nec minùs sumptus.

Hactenus Celeberrimus Petrus Verduin, cui commodè jam succedet Praclarissimus Rhuischius, Cujus superiùs indicata Epistola Anatom. Problem. hac habet.

Clarissimo Doctissimoque Viro

FREDERICO RUYSCHIO, &c.&c.&c.

S. P. D.

MAURITIUS à REVERHORST.

Litteræ tuæ nuper ad me datæ gratissimæ fuêre præcipuè quum ex adjectis relationibus circa Methodum secandi Fratris *Jacobi de Beaulieux*, vulgò Eremitæ, intelligere licuerit, qualem successum in suis patientibus, vestrâ in civitate, habuerit, quum de illo tam variè apud varios differatur; hi enim Manum ipsius in secando tanquam optimam, dexterrimam & quasi cœlitus datam deprædicant; alii contrà ipsam pariter cum famâ ipsius rejiciunt, fœdisque proscindunt conviciis, quum nos tamen æque ac illi, quibus Lugduni Batavorum cura illorum patientum mandata fuerat, satis felices in curatione fuerimus; quippe è tredecim diversi sexus & ætatis, tam à Calculo, quàm diversâ Herniarum specie sectis, non nisi duo fatis cesserunt, ambo quinquagenariis majores; quorum prior à diuturno Vesicæ ulcere, macie confectus, quin & Calculo ipso satis magno, aspero & inæquali, non nisi cum insigni Hæmorrhagiâ extracto, intra novem hebdomadarum spatium, usque eò pristinæ valetudini fuit restitutus, ut ille, qui antea nimiis doloribus, continuisque vigiliis & Vesicæ ulcere attritus, & penè consumptus erat, jam multò obesior appareret, quin etiam jam urinam ad aliquod tempus retineret, & per cubiculum suum obambularet, & munia sua in ipsâ officinâ (faber enim ferrarius erat) utcunque obiret; adeoque, si in ullo patiente salutis spes affulgeret, hîc in nostro fuit, qui tamen ex Incendii alicujus terrore è lecto suo prosiliens, variisque in diæta erroribus commissis, incidit primò in Febrem continuam cum tussi, à qua corporis vehementi agitatione, vulneris labia, jam fere coalita, iterum disrupta fuêre, & variæ Calculosæ incrustationes, ab urinâ perfluente sese continuò lateribus apponentes, nostræ curationi remoram injecêre, dum interim in urethrâ ipsâ, variis in locis Caruncula obortæ, liberum urinæ effluxum prohiberent; sic ut reliquis Symptomatibus cum Febri auctis, hic noster patiens vitam cum morte commutaverit: quid autem in corpore ipso latuerit, Cultro Anatomico indagare nobis non licuit. Quid verò notaverimus in altero nostro patiente, itidem ab illo à Calculo secto, cujusque cadaver à nobis inspectum est, à Petro Adriani Verduyn, ejusve Filio absque dubio intellexisti, tam de statu ipsius corporis morboso, utpote anteà Apoplectico, Mictu cruento, & nonnunquam Urinæ suppressione laborante, nec non Herniâ ejus intestinali, operationis tempore prolabente, ut & altero rene ab ulcere consumpto, cæterisque præter naturam in corpore repertis, & observaris, unde hoc infelix omen satis prævisum fuit: hæc & pleraque alia, hunc casum spectantia, & notatu dignissima, non dubito quin intellexeris, quocirca longiori narratione illâ de re hic supersedebo, cum adhuc ex dictis illis tredecim patientibus, D.T.O.M. sit gloria! undecim qui vivunt valentque, satis de illâ secandi Methodo testari possint. Interim nullus etiam dubito, quin suo tempore aliquis Gallus, aut alius, qui ipsius secandi Methodum pernoverit, quique politioris styli est ac dictus Eremita, hanc ejus methodum contra sinistros ejus famæ obtrectatores sit defensurus, uti ex nuperis litteris ex Arce Versaliâ ab ipso ad nos missis non obscurè colligere potuimus, ubi simul, sed obscuriùs, loquitur de novâ Hernias (absque Testis jactura secandi Methodo, quam se jam aliquoties instituisse perhibet, quæq; multas ob causas antiquæ præferenda foret, uti dies docebit: Sed hæc de Eremitâ ejusque litibus, quas uti meas non facio, ita quoq; illas componere nolo; progredior ad aliam, & novam quoque, seu nupere propositam in illâ arte (videlicet amputandi) Methodum, quam P. A. Verduyn nupere proposuit, variisque experimentis ab illo tempore, ipsi oblatis, confirmavit, quâ de Methodo tantò lubentiùs tecum agam, quoniam illam nuper Amstelodami Te præsente à P. A. Verduyn, ejusque Genero & Filio, præclaris illis Rei Chirurgicæ luminibus, ipsam institutam vidi, eademque Amputatio apud nos quoque paulo post, non in Manu, non in Juvene, non novâ illâ Methodo,

sed

sed in Pede, in Virgine, idque antiquô modô instituta fuit à Stephano de Rouvy, & Adolpho Stukely, juvantibus Abrahamo van Kervel, & Everardo van Outik, Chirurgis apud nostros in suâ arte non parum versatis, spectantibus verò, seu potiùs patientis curam habentibus, Jacobo de Bye atque me M.D.S.

Casum nostrum prius ego hîc exponam, deinde quid à Te, vestro in Casu, desiderem, addam.

Virgo triginta duorum annorum ante hos decem undecimve annos ab ustione dextri pedis circa talum diu malè tractata, & ut in adultis nunc his, nunc illis remediis adhibitis, aluit ab illo tempore, hac in parte, ulcus cum Carie tam Apophysis ipsius ossis Tibiæ, Fibulæque, quàm reliquorum adjacentium ossium totius Tarsi, interim jam hâc, jam illâ in parte, aliqua curationis spes affulgebat, sed quod ad cæteras corporis functiones rectè sese babebat, & quamvis usu hujus pedis malè affecti (utpotè plerique Ligamentis, quæ hæc ossa aliàs continent, jam ab ulcere consumptis digitisque versùs terram omninò & præter naturam protractis) destituta esset, tamen beneficiô scipionis satis benè sese movebat, adeò ut Scalas quoq; promptè conscenderet, cæterisque suis muneribus alacriter fungeretur; interim nescio quo malo lapsum patitur, ex quô ossa illa, præcipuè Calcis, non tantùm fracta, sed & tota corporis mole desuper incidente, omninò comminuta fuerunt, cum tantô Sanguinis profluviô, ut vix evasura videretur, quô tamen sublatô, & vulnere pro temporis ratione tractatô, nec ullâ restitutionis spe, nec pedis usû affulgente, unanimi consensû in illud omnes convenêre, ut ille pes paulò infra Genu rescinderetur; quæ Operatio quamvis dextrâ pariter atque celeri manû instituta fuerit, quinetiam ipsa Curatio satis feliciter pro tempore succederet, optatumque eventum polliceretur, contrarium tamen videre coacti fuimus; nam præter continuos & ferè intolerandos dolores, tam in parte affectâ, quàm jam ablatâ, de quibus continuò conquerebatur, incidebat primò ante justum tempus in Mensium fluxum, cum magnis intestinorum Cruciatibus, & assiduis dejectionibus, qui simul ac componebantur ac sistebantur, statim conquerebatur de Faucium anxietate, & Respirandi difficultate, quod in principiô pro Passione Hystericâ, utpotè malo ipsi familiari, habebatur; sed Colli dolore, ejusque motû molestiore, & Masticatione æque ac Deglutitione aliquô modô impeditâ, cum aliquâ oris Clausurâ, & Musculorum Faciei distorsione, aliud cogitare cœpêre, præcipuè illi, qui unâ nobiscum ex patientibus, ab Herniâ Intestinali ab Eremitâ Sectis, quique jam saluti proximi videbantur, nihilominus lethale uti plurimum extitisse, fuerant comperti; illi, inquam, qui hoc antea nobiscum notarant, non sine ratione utut landabilia omnia in vulnere apparerent, nihilominus aliquid finistri ominabantur, præcipuè cùm enarrata Symptomata neque externis, neque internis remediis minuerentur, sed contrà febris magis intenderetur, quinetiam jam quoque de difficultate tam in reddendâ urinâ, quàm in excludendis alvi fæcibus conquereretur, quod malum tamen applicatis Clysteribus aliquô modô levati videbatur; hôc non obstante, doloribus tam in abdomine, quàm in parte jam ablatâ (præcipuè ubi Ulcus fuerat, hæc enim pars continuò ipsi in animô versabatur, utpote nervi, nervosæque partes terminum suum jam in vulnere ipsô obtinentes, & aëris incommodis aliisque injuriis externis obnoxiæ, jamque male affectæ, hanc menti ideam obruêre) his, inquam, cum febre & deliriô magis auctis; huic nostræ patienti Mors sæpius optata finem dolorum imposuit.

Quid jàm dicemus de dextrâ sic operandô manu? Curatione ad tempus satis felici? Si tam tristem eventum obtineant; quare non tantùm cum Hippocrate in suis Aphorismis notare debemus *Experimentum periculosum esse*, atque idcircò alia excogitanda media, quibus tam infelici successui, cæterisque Symptomatibus enarratis obviam camus; hæc enim omnia quis dicet non provenire ex Nervorum Nervosarumque partium consensû atque cohæsione? Quæ in hac extirpatione, vel continui Solutionem patiuntur, vel aliô modo malè affectæ, dirupta, dilaceratæ, vel ab aëris injuriis minùs sunt vindicatæ; an non illa Methodus, quam P. A. Verduyn nuper proposuit, quamque in Tuâ præsentiâ ab ipsô satis feliciter institutam, vidi, an non illa, & quibus modis, antiquæ præferenda foret, utpotè ubi Curatio non tam diuturna, neque dolor post operationem tantus, nec tum quoque talis Hæmorrhagiæ metus, nec ossis separatio expectanda venit, & Nervi Nervosæque partes, Tendines earumque Fibræ & Vasa ipsa jam tecta, & à frigore cæterisque molestiis & incommodis externis ab applicatâ Musculosarum partium mole satis conservata videntur: non quòd ego hic novam illam Methodum, solùm quia nova est, introducere velim, sed quòd in curatione sit minùs dolorifica, paucioribusque Symptomatibus stipata; an non ideo amplectenda, veterique præferenda videtur?

Jam nihil est quod avidiùs expectemus; quàm ut tua illa Observatio in lucem prodeat, & quid in Curatione ipsâ acciderit, & quot quibusve modis antiquæ Methodo aut præferenda aut postponenda veniat hæc nova, tam respectû doloris, & moræ in Operatione ipsâ, quàm reliquorum Symptomatum post ipsam institutam, nec non intumescentiæ illorum Musculorum; quibus Ossium, & reliquarum partium extremitates tegendæ veniunt; quod ad reliqua non dubito, quin Manum ipsam amputatam dexterrimâ tua Methodo contra omoem interitum defensurus, ærique, uti assoles, incidendam daturus sis, idque si fieri possit, formâ naturali, cùm aliàs Judicium non tam accuratè fieri possit, uti in Severino Lib. de nov. observ. absc. similem ferè Casum proponente liquidò apparet: certiores sine dubio nos quoque facies de qualitate illorum tumorum, qui sese in manu offerebant, & an Cartilagineæ, an Osseæ, an verò (uti Cl. Pechlin. Obs. lib. III. Obs. XLVI. habet) Glandulosæ indolis fuerint, nec non quibus cum partibus cohæreant, seu potiùs, unde primùm originem sumpserint, cuiq; natales debuerint, an propriis vasis ab ipsis primordiis, unà cum forti Imaginatione tempore Gestationis, his tumoribus à naturâ datis, an ex communibus, an ex tendinibus earumq; involucris, an ex periostio, an verò ex ipsô, tanquam ex fonte, & primâ Scaturigine principium suum duxerint; uno verbô, quid solita tua solertia in eruendis corporum abstrusissimis mysteriis ulteriùs detexerit, avidi à Te expectamus; interim ut diu vivas, valeasq;, & Artem Anatomicam novis & hactenus inauditis tuis inventis ulteriùs ornes, ex animo precor.

Hagæ Com. xlj. Kalendas Martii, clↄ Iↄ ccI.

FREDERICI

FREDERICI RUYSCHII
RESPONSIO,

Ad Clariſſimum Virum

MAURITIUM à REVERHORST,

Med. Doct. & Anatomiæ Profeſſorem.

SUPER

Nova Artuum decurtandorum Methodo.

Litteræ Tuæ, Vir Clariſſime, & longè chariſſime, ad meas quidem pervenerunt manus; arduum autem mihi erit, nodum, in iis propoſitum, diſſolvere: Si enim ulla in te judicium difficile ſit, ut air magnus ille ſenex, certè illa, à Te exhibita, haud exiguam hactenus crearant Medicorum filiis moleſtiam.

Quod ad relationem attinet, de operationibus Lithotomicis, Hagæ-Comitis, à Fratre *Jacobo Beaulieux* inſtitutis, jamdiu eſt quod veram hujus rei relationem deſideravi. Gratulor quod inter 13, quos à calculo Veſicæ, Herniaque liberavit, 2. tantùm fatis conceſſerint; quot hîc Amſtelodami, poſt calculi ſectionem evasêre, ex relatione, typis mandata, cernere quoque licuit.

Novam methodum amputandi membra quod ſpectat, in ea varia conſideranda veniunt, quæ, ſi conferantur cum antiquo exſtirpandi modô, longè inter ſe differre, palam erit; Uter horum ſit præferendus, Tibi, aliiſque in Anatomicis & Chirurgicis verſatiſſimis, judicandum relinquam; ego interim, quid ſentiam revelare non detrectabo, poſtquam ſuccinctè retulero operationem nou ſolùm, in juvenis brachio inſtitutam, in Tuâ, meâ, & aliorum præſentiâ, verùm etiam quicquid in curatione ſeſe obtulerit, in quâ Te præſentem ſiſtere haud potuiſti.

Juvenis quidam, cui nomen Chriſtianus Veldmet, 16. annos præter propter natus, nuper ad noſtras venit ædes, correptus non ſolùm tumoribus magnis in dextrâ, verum etiam ſiniſtrâ manu, uti & in utroque pede, eorumque digitis, qui tumores admodum duri, extrinſecus accurate Radices Cyclaminis, aut potiùs Chryſanthemi Americani, radice tuberosâ, æmulabantur, ſicuti in annexis figuris repræſentantur.

Hujus mali cauſam nobis expiſcantibus, retulerunt ægrotus, ut & anus quædam, quæ dicebatur ejus matertera, quòd mater imprægnata impensè appetiverat dictas Radices Chryſanthemi Americani, quas tamen impetrare haud potuerat; fœtû jam in lucem editô, reperti ſunt, uti ajebat anus, exigui tumores in manibus atque pedibus, qui temporis ſucceſſu in tantam excreverunt molem, præſertim in ſiniſtrâ manû, ut brachium diutiùs ſuſtinere vix potuerit, imò coactus fuerit dextra ſiniſtram ſuffulcire. Tandem, cùm unus ex iſtis tumoribus ulceroſus factus, emiſiſſet aliquoties multùm ſanguinis, & patiens manus ponderoſitatem, doloreſque imminentes diutius perpeti haud poſſet, totios manus extirpationem nobis propoſuit. Nos autem, conſideratis conſiderandis, annuebamus quidem ejus petitioni, aſt verò abſque Magiſtratûs conſenſû, variorumque Expertiſſimorum Medicorum & Chirurgorum adſtipulatione, operationem non aggreſſus eſt Magiſter Petrus Verduyn, auxiliantibus ejus Filio, ut & genero Gomaro à Borrel.

Die igitur conſtitutâ ad dictæ manûs amputationem, præſens fuiſti Clariſſ. Vir, præſentes quoque ſeſe ſiſtêre Medici expertiſſimi Ulackveld, Smedingh, Schyn, Valentyn, La Grue, Smit, nec non exercitatiſſimi Chirurgi, Aurick, Dentelius, Pothuyſen, &c. Patiens brodiô confortatus, admodum erat animoſus, operationemque perpeſſus eſt ferè abſque ejulatu, ut omnes, qui operationi interfuêre, admirati fuerint.

1. Humeri pars ſuperior circumducebatur ſpleniô quadruplicatô, ſuperimpoſitô ſpleniô longitudinali, lateri interiori brachii & quidem ſecundùm longitudinem, ut hujus & funiculi ſeu cinguli conſtrictorii ope, vaſa tutiùs & minori cum noxâ inter operationem comprimi poſſent.

2. Hôc factô Dn. Smith. Hafnienſis injungebatur cingulum conſtrictorium bacilli ope leniret, & in operatione ipsâ, fortiùs contorqueret, partim ad ſanguinis profuſionem inhibendam, partim ut pro tempore, brachii ſtupor excitaretur, & dolor arceretur.

3. Anſâ gracili arctè circumducebatur cubitus infra juncturam. Hiſce peractis, Magiſter van Borrel; gener Magiſtri Petri Verduyn, partem muſculoſam ſiniſtrâ arripiens, dextrâ cultellô ancipiti & mucronatô eam perfodit, quàm proximè fieri potuit, ad oſſa cubiti & radii. Hæc initiô facta latere interiore Brachii, quem locum quoque occupabat Operator dictus. Perfoſsâ parte muſculoſâ, cultrum ulteriùs adegit, inciſionem continuando donec ſufficere videbatur pro vulneris tegmine, & ſic ulteriùs tranſverſim carnem abſcindebat. Porrò Magiſter P. Verduyn cæteram partem carnoſam circulariter & celeriter incidebat cultro falcatô ad oſſa uſque, & perioſtiô abrasô, utrumque os ſerrâ dividebat: Interim ne caro propendens à cultrô aut ſerrâ offenderetur Mag. Adrianus Verduyn proſpiciebat.

Manû amputatâ & ſpongiâ madidâ raſurâ oſſium ablatâ, vulnus, & per conſequens ut iuſque oſſia extremitas tegebatur quidem à dictô Magiſtrô carne propendente & reſervatâ; aſt verò propter carnis contractionem, quæ illicò fit poſt inciſionem, totum vulnus ex votô contegi haud potuit: itaque, quod reſtabat vulneris; ut & totius membri amputati truncus fruſtrò planô fungi Orbicularis, obducta & contecta fuerunt, ſuperimpoſitâ Veſicâ madidâ, & ſuper eam alterâ madefactâ, quæ priori aliquantò major erat: Hæ binæ Veſicæ, ut firmiùs cuti adhærerent, comprimebantur & ſtabiliebantur circulariter fruſtrô Emplaſtri conglutinantis, cujus latitudo erat unius unciæ, longitudo autem Spithamarum duarum.

Hôc factô tertia quoque Veſica madefacta ſuperimpoſita fuit, hæmorrhagiæ metu. Iſthæc præcedentibus longior & eôdem modô ſtabilita altiùs brachium coôperuit.

Hiſce ita munitis, lamina concava, ſplenio quadruplicato intus obducta, membri extremo applicata fuit, ea intentione ut deligatione peracta, famuli manû laminâ comprimeretur truncus, hæmorrhagia inhiberetur, & ligaturas laxius applicare liceret: ut autem dicta lamina cava trunco cohæreret, duo fruſta empl. conglutinantis crucíatim adhibita ſunt, ejuſdem naturæ ac ſupra citatum. Hiſce peractis & cingulo conſtrictorio (Gallicè *Tourniquet*) diſſoluto, membri extremo applicarum

fuit

fuit alterum splenium ex linteô confectum, præcedenti majus & crassius, illudque firmatum fuit fasciâ simplici capite prædità.

Deligatione ita peracta composuit se patiens in lectô ad quietem; quam ut faciliùs acquireret, Emulsio ex hordeo ad Crep. coctò, Sem. Cucum. & Amygdal. præscripta fuit, additâ Syr. Diacodii dimidiâ unciâ; sub noctem sese mediocriter habens & alimentum petens parum dicti brodii exhibitum fuit, & sic sese ad quietem composuit, noctemque transegit satis tranquillam, nullo sanguinis profluvio suborto.

Die insequente brachium bene videbatur constitutum, nullo tumore insigni obsitum, patiens quoq; immunis ab omni febre.

Hisce visis consultum duximus, patientem ex ædibus Magistri Verduyn transfere in locum quietiorem, obi illum inviserunt Magister van Bortel & Verduyn, qui deligationis exteriora abstulerunt, vulnusque mitiùs deligarunt, id quod levamen patienti adferebat. Tertiâ die sub meridiem integra deligatio simul cum Vesicis ablata fuit, invenimusque separationem Epidermidis, seu Hydaridem onustam humore loturæ carnis æmulo, idque parte anteriore juncturæ cubiti, eâque apertâ, reperimus subsitam cutim nonnihil quoque infectam, & gangrænam ulteriorem mentientem; eôdem quoque tempore patiens non immunis erat ab omni febre, & membri extremitas, justò magis tumefacta: Vulnus tamen magnâ ex parte carne, quæ in amputatione conservata fuerat, coopertum invenimus, sine sanguinis profluviô. Quia autem omnis hæmorrhagiæ novæ metus nobis nondum erat ademptus, in deligationis renovatione haud omissus fuit Fungus Orbicularis, munitos Empl. Diapalma dissolut. spleniô quadruplicatô & ligaturâ convenienti.

4. Die pulsum invenimus concitatiorem, & vulnus non minùs extumefactum, itaque ablatô fungô leniter tantùm adducebatur caro in amputatione conservata, idque fasciolâ Empl. Glutinosô oblinitâ, vulgò sututa sicca dicta, pottò totum vulnus tegebatur Empl. Diapalma dissol. plumaceolis, ex linteo carptô confectis, haud neglectis. Die insequente quæ erat quinta ab amputatione, res eôdem ferè modô sese habuit, nec febris quoque mitior facta: itaque eôdem ritû remissiùs deligatum fuit vulnus, ast vero eô locô, ubi Gangrænæ metus fuerat, sc. circa juncturam cubiti, Gangræna jam prodiit levis, quapropter consultum videbatur cautiùs prospicere huic symptomati, quàm trunci integumento carneo: itaque lenissimè tantùm adductâ carne reservatâ, Cataplasma ad Gangrænam sistendam applicatum fuit. Die insequente vulneri prospeximus digestivô Cataplasmate superimpositô: die autem 7. truncus non nihil detumuit & vulnus quoque humidius apparebat; interim locus, Gangrænâ obsessus, magis magisque intumuit, doluitque, nec patiens à febre immunis, ita ut magis metueremus abscessum quàm Gangrænam profundiorem, qui tamen haud supervenit. Altera die, eôdem modô res sese habuit, exceptô, quòd nonnihil mollior pars tumefacta nobis obvenitet, die autem 9. haud pejus res sese habuit quoad truncum, Gangræna verò in pejorem statum erat redacta: Itaque post ablutionem cum Sp. Vini calefactô factam, applicati sunt plumaceoli, tetrapharmacô cum digestivô permixtô, illiti, nec non in Spir. Vini humectati, superimpositô Cataplasmate, Spirit. Vini aspersô.

10. Autem die febris remissior facta, trunci vulnus pure coctô obsitum, Gangrænæ tumor quoque minùs durus: hôc tempore nihil immutatum fuit circa deligationem, patiens verò eodem die primâ vice questus fuit de dolore pollicis membri detruncati, & præsertim quidem, cùm inopinatò pollicem extendere conaretur aut mentiretur, non autem cùm in animô haberet eum flectere, de cæteris digitis nullæ erant quetelæ, illud enim distinctè interrogavimus.

Die undecimâ major spes affulgebat, quandoquidem omnia in melius vergebant, pus enim laudabile promanabat de vulnere trunci, tumor diminutus, escaræ peripheria humida cum aliquali separatione: in hâc renovatione omissa fuit Cataplasmatis applicatio supra truncum, non autem supra partem Gangrænâ infectam: Caro autem reservata, quæ ob symptomata supra citata, haud satis erat adducta, & propterea retracta, jam denuò fasciolâ Emplastrô Glutinosô oblinitis reducta & vulnus maximâ ex parte coopertum fuit.

Die 12. patientis status non erat quidem deterior, sed verò Gangrænam, profundius egisse radices, videbamus, utpote separatione partim facta; imò tendines musculorum non fuisse immunes à dictâ Gangrænâ, ita ut varii quoque separarentur. Jam à Cataplasmatis usû destitimus, dictò loco prospeximus digestivô, & carnem reservatam dictis fasciolis, ut antea, adduximus.

Die 13. patiens immunis erat ab omni febre, placidè dormiverat, cibum appetebat, truncus carnis adductione maximâ ex parte coopertus erat, & quod restabat vulneris, applicuimus Unguentum, *fac totum* dictum, ut cicatrice ulteriùs obduceretur vulnus: quicquid autem emortuum & Gangrænâ infectum fuerat sub cubiti juncturam, partim forcipe excisum, partim à naturâ separatum erat, adhibitis plumaceolis Ung. Digestivô, basilico permixtô, oblitis. Diebus insequentibus meliùs atque meliùs sese habere cœpit patiens; imò paucis post diebus prorsus fuerunt curatæ dictæ solutiones continui, quin etiam quò magis appropinquarunt earum curationes, eò majores erant querelæ de dolore amputati membri, & nunc quidem circa volam manus, nunc verò de dolore totiùs manûs; & quoties quis leviter tantùm comprimeret cicatricem infra juncturam, ubi Gangræna fuerat, summis cruciabatur doloribus; interrogatus, quâ in parte? tegerebat in digitis amputatæ manus, compressâ autem in parte dictæ cicatricis confiniô, nullum sentiebat dolorem.

2. Consideratione dignum esse censeo, nos nullam sensibilem separationem extremitatum ossium cubiti, & radii in curatione offendisse, quia minùs aëris injutiis expositæ fuerunt dictæ extremitates ossium.

3. Comprimendo trunci extremum, cicatrice obductum, dolor sursum vergebat versùs brachium.

4. Truncum flectendo, sibi imaginabatur, quod simul quoque digiti flecterentur, idque sine ullò dolore: pollex verò videbatur illi rigidus & sine motû.

5. Quum dextrâ fricaret, supra juncturam trunci, idq; parte exteriore, dicebat nobis, sese non solùm sensum motumq, hujus fricationis in digitis membri detruncati percipere, verùm etiam cùm fricatet sese in latere Thoracis sinistrô: id quod (quamvis non obscurè nobis arguere videatur consensum membranarum, nervorumque in corpore nostrô,) magis mirandum, quàm explicandum.

6. Contractionem

6. Contractionem singularem præstare poterat in trunci cicatrice; quam quasi corrugabat, dicens, jam mihi videor digitos flectere, jam denuò extendere.

Hisce à nobis observatis, impofterum expiscandum, utrùm dicti dolores, quos videbatur passus in manû extirpatâ patiens, & à quibus haud immunes sunt homines, quorum artus vulgari modô extirpati sunt semper supervenirent patientibus, quibus eô, quô retuli modô, extirpata fuit manus, an verò hisce ansam dederit Gangræna, circa cubiti flexuram prognata, an ex aliâ causâ ortum duxerint, occasione data inquirendum esset, quandoquidem Magister Petrus Verduyn testatur in Epistolari sua Dissertatione, sese quidem bis hanc operationem in pede instituisse, idque eadem methodo, & quòd tales dolores Sympatheticos nondum offenderit. Verba ejus hæc sunt, *denique silentiô præterire non possum aliud quoddam emolumentum, nequaquam pœnitendum; nimirùm quòd hôc modô restituti non conquerantur, ut quidem alii, de dolore sympatheticô in pede cruris ablati, &c.*

Hæc sunt Cl. Vir, quæ nobis in, & post extirpationem, observate licuit. Quid autem de hâc extirpationis methodô sentiam, à me scite cupis, in quâ, ut rectè censes, *curatio non tam diuturna, neque dolor post extirpationem tantus, nec tum quoque talis hæmorrhagia metus, nec ossis separatio exspectanda venit, & nervi nervosaque partes, tendines, eorumque fibræ, & vasa ipsa jam tecta, & à frigore cæterisque molestiis & incommodis externis ab applicatâ Musculosarum partium mole satis conservata videntur, &c.*

Hisce concessis, ut revera concedenda esse putem, amplectenda videtur hæc nova extirpandi methodus.

Fateor quidem in manûs aut brachii amputatione, nos semper sollicitos esse, ut tantùm membri conservetur, quantùm fieri potest, quia ad nonnulla munera obeunda illud inservire potest, & si velimus truncum membri amputati mole carneâ tegere, quæ in cubiti extremô nimis exigua, quàm ut eâ contegi possit, necesse foret in altiore loco membrum decurtare, sicuti, uti fateor, in hôc patiente, factum. Verùm enim verò in posterum minùs sollicitus ero, de coopertione trunci carneâ mole; existimo enim sufficere, si truncus tegatur cute manûs, quæ totô dursô vel volâ manûs separati & conservari posset; Contrà in pedis exstirpatione necesse est partem detruncatam carne surali integere, uti olim factum à Magistris Exercitatiss: Petro Verdoyn, VVilhelmo à Vleuten, & Adriano Coenerdingh; dico *necesse esse*, sc: si per insitionem curari, & parti detruncatæ, non verò genu insistere atque incedere velint homines: caro enim reservata mutilatæ parti pulvinaris locô est.

Circa hancce hactenus inusitatam amputandi methodum, non nulla adhuc consideranda veniunt, &

1°. Quidem, si in crure facta operatio, & patienti in animô sit per insitionem ulteriùs curari, an non obstaculo erunt excrescentiæ seu exostoses, quæ in homine vegetô observantur aliquandò è truncô emergere.

2°. Si in cubiti extremô instituenda sit operatio, an cutis, quæ in manû est, sufficiens est pro vulneris integumentô?

3°. An in novâ hâc methodô major aut minor gangrænę supervenientis ansa detur?

Quoad 1um, nempe ossium excrescentias: Resp: in cubiti aut manûs amputatione non est cur de eâ solliciti simus, membro enim detruncato non incedit homo: verùm enim verò in amputatô crure ejusmodi excrescentiæ admodum nocivæ forent, hæ enim carnem conservatam compungerent incedendo continuè, si nempe per insitionem ulteriùs incedere vellet patiens. Hoc incommodum, si Magister Petrus Verduyn inter curandum inhibere valeat, (sicuti affirmat) idque suo apparatu novo, soluta est isthæc difficultas.

Demonstravit quoque nobis puerum, qui crure amputato, crure artificiali incędit, currit, genu flectit, extenditque pro lubitu. Vide ejus dissertationem Epistolarem de novâ Artuum decurtandi ratione, Anno 1696. in lucem editam; in quâ exhibetur Instrumentum retentivum, ut & lamina excavata, quibus factâ amputatione in pede aliquot post dies, cùm dicta excrescentia metuenda sit, trunci extremum ita comprimitur, ut illud incommodum inhibeatur.

Quod ad 2m. attinet, sc: an cutis manus sufficiens sit pro vulneris integumentô, propter retractionem cutis? Resp. si non sufficiat omnino, saltem magnâ ex parte truncum coöperiet, id quod de vulgati amputatione dici non potest, & quò magis nervi, tendinesque abscissi propriô tegmine conteguntur, eò remissiora exspectanda symptomata; præterea curatio citiùs quoque absolvetur; imò Auctor esset, ut in eô casû carnosum & cutaneum volæ manus arriperemus, & in auxilium vocaremus, pro trunci nervorum ac tendinum tegmine. Præterea amputatô membro Chirurgi applicare assolent pulv: adstringentes, quos inter varii Pulv: Escarotica recipiunt ad sanguinis hæmorrhagiam inhibendam, id quod planè rejiciendum censeo, propterea quòd illi suâ acredine nervosis partibus nocere valeant: in hâc autem operatione tale quid non adhibetur, sed vulnus tegitur propriô involucrô.

Quoad 3m. attinet, sc: an in hâc novâ methodô, major aut minor Gangrænæ metus adsit? Resp. si non minus Gangrænam minatur operatio isthæc nova, saltem haud major erit hujus symptomatis metus, modò deligatio ritè peragatur. Fateor quidem illam in supradictâ curatione nobis obvenisse, verùm circa cubiti flexuram sedem fixit, forsan à ligaturâ, justô arctiùs circumligatâ, id quod multùm negotii nobis facessivit, & hoc præcaveri poterit in posterum, præstabitque laxiorem adhibere ligaturam, & per 12. imò 24. horas truncum manû continere & comprimere, & hoc ut æqualius fieri possit, in auxilium, ut dixi, revocanda lamina excavata, quæ ante compressionem applicanda.

Pergam ulteriùs ad ea, quæ Cl. Vir me admonet, sc: brachii amputati conservationem, ut & naturali magnitudine delineationem, *cùm alias judicium tam accurate ferri nequeat, uti in Marcô Aureliô Severinô, de Nov. observ. abscess: similem ferè casum proponente, liquidò apparet.*

Rectè adstruis, objecta naturali magnitudine semper esse delineanda, si quis proposita accuraté demonstrare satagit, & hoc quoque in omnibus meis Epistolis Anatomico-Problematicis observavi. Est mihi in animô hanc manum amputatam ita sepelire, ut quicquid in figuris expressum fuerit, semper demonstrari possit. Porrò unum ex istis tumoribus in manû existentibus, ut me monuisti, examini subjeci, reperique, illum neutiquam esse Glandulosæ indolis, at Cartilaginosæ, imò & Osseæ, eratque quasi ex innumeris minoribus tumoribus partim Cartilaginosis, partim



Tab. D

Fig 1

C

B

A

D

Fig 2

Morff fc



Tab. C

Fig. 1

C D B G E F * A







Moeff f

partim Ossis, compositus; singuli autem eorum denuò ex innumeris minoribus humore succosô, gelatinosô repletis Vid. Tab. D. figur. 2. Impossibile autem mihi fuit indagare, an ex ossibus manus, tendinibus, aut periostiô, tanquam ex fonte, & prima scaturigine originem duxerint: Omnia enim ita sunt confusa & connata, ut ulteriori indagini haud fuerit locus; cùm illud perscrutarer, sub cute conspicienda sese exhibebant vasa sanguinea, quæ cùm ceraceâ materiâ replevissem, distinctè videre licuit eorum cursum, & capacitatem: Venæ per dorsum manûs disseminatæ, calami scriptorii capacitatem adæquant: horum ramuli minutissimi à naturali cursû quoque recedunt; quin etiam circa cutem observatio dignum esse censeo, sc: quòd cutis in hâc ingenti tumorum excrescentiâ, tenuior facta aliquid visui offert, quod in cute sanâ non tam accuratè occurrit: Imò cutis de sua integritate & compositione aliquid in viâ amittit, quod cutis incrementum insequi non potest. Id quod jam sese videndum luculenter exhibet, sunt papillæ cutaneæ, extra cutem nonnihil protuberantes: Vid. Tab. C. Fig. 4. ut & Fig. 5. Lit. C. ubi ordine naturali dispositæ: illud autem quod in excrescendô amittit cutis, sunt eædem papillæ cutaneæ, quæ circa basin tumorum, non in apice videri possunt. Plura ob cœli serenitatem non addam, illa enim me invitat, ut bisce diebus æri incidi curem, quæ in stomachi structura, ab aliis nondum sunt detecta. Præterea multùm molestiæ mihi creavêre hisce diebus, quæ in oculô adhuc sunt ostendenda, putà vasa sanguinea per tunicam humoris crystallini disseminata, &c. hæc enim Thesauro secundo inserere mihi in animô est. Hisce Vale, Vir Celeberrime, & ut artem Anatomicam magis magisque nobilem promoveas, ex animô optat, Celeberrimi Nominis tui,

Cultor

FREDERICUS RUYSCHIUS.

Amstelod.
19. Junij. 1701.

TABULÆ C. Expositio.

FIGURA I.

A. Pars Brachii amputati cum manû, in quâ pars supina videri potest.
B. Pollex.
C. Index.
D. Digitus Medius.
E. Annularis.
F. Minimus.
* Arteriolæ cutaneæ.

FIGURA II.

Digitum exhibet parte supinâ, cum suis papillis cutaneis, ordine debitô sitis.

FIGURA III.

Demonstrat digitum parte pronâ.

A. Papillæ cutaneæ epidermide destitutæ, & confuso ordine compositæ.
B. Pori cutanei, sitû, nullum ordinem servantes.
C. Papillæ cutaneæ naturali ordine sitæ.

Circa has Papillas considerandum, sc. eas epidermide artificiosè destitutas, extra cutem nonnihil prominere.

TABULÆ D. Explanatio.

FIGURA I.

Demonstrat partem Brachii supra citati cum annexâ manû, parte supinâ.

A. Pollex.
B. Digitus medius.
C. Index.
D. Tumor maximus.
E. Ulcus.
* Arteriolæ cutaneæ.

FIGURA II.

Repræsentat Tumoris maximi portionem abscissam, ut constitutio intrinseca compareat, quæ partim cartilaginea, partim cartilaginosa substantia æmula, cellulosa, & mucaginosa.

Iis quæ jam ex Celeberrimis Viris Petrô Verduin, ac Fredericô Rhuischiô attulimus, liceat superaddere, quòd artuum decurtationi, novâ hâc methodô à peritissimô ac verè industriô apud nostros Chirurgô, D. Sabourin felicissimè peractæ, interfuerimus; quòdq; non ita pridem viderimus virum utroq; crure eadem methodô truncatum per vicos urbis nostræ maximè declives, bacillis quos in utràque manû gestabat innixum, satis commodè incedentem.

Consultationes.

Gangræna Pollicis sinistræ manus lethalis.

Filia Josuæ Hessi, Ecclesiæ Megagestinensis Pastoris, ex inflammatione pollicis manus sinistræ gangrænam contraxerat, quam quum negligentius haberet in sphacelum degeneravit; accersitus Chirurgus quidam Castrensis Paullus Polt, digitum uno vehementique ictu paullo infra articulum amputavit, atque sanguinis profluvium sisteretur, ferro candenti adussit: hinc dolores acutissimi, vigiliæ perpetuæ, animi deliquia, convulsiones, aliaque suborta symptomata, quæ etsi adhibitis idoneis remediis quandoque mitigarentur, subinde tamen recruduerunt, donec tandem è vita decederet ægra.

Inflammationes partium insignientes, quandoque in gangrænam abire sphacelum, vulgo notum est, quatenus à copia sanguinis humorum calor nativus partis affectæ suffocatur: qua via autem quibusque remediis præcaveri possit, ne in gangrænam degeneret inflammatio, apud authores passim obvium est.

Curationem verò quantùm attinet & in specie quidem sphaceli, nullâ aliâ ratione perfici ea potest quàm amputatione, siquidem quod planè jam corruptum est vitam amplius recuperare non potest ac propterea, *Ense rescindendum est ne pars sincera trahatur.*

Quibus autem modis & instrumentis hoc fieri debeat, alii aliter sentiunt: quidam carnem mortuam prope sanam multis sectionibus tectis & obliquis scarificant, idque satis profunde usque ad os, postea vulneribus pulverem ex arsenico & sublimato inspergunt, ut pars mortua à sana separetur. Alii cauterio quod corruptum est, adurunt, usque dum dolor percipitur in parte: alii sectione amputant corrupta: Idque vel novacula, vel serra, aut modiolo, vel securi.

Verùm quàm noxia fit arsenici sublimatique vulneribus scarificatis inspersio: docet Paræus; quàm perniciosa cauterisatio demonstrat Fallopius; quàm periculosa per modiolum aut lecurim amputatio, exemplia evincit Fabricius, quibus meritò accenseruř hoc nostrum, in quo triplex error commissus videtur.

Primus quidem in eo quòd pollicem infra articulum resecuit Chirurgus, cùm rectiùs & cum minori periculo & dolore in ipso articulo fiat amputatio: nervi enim & tendines incisi sursum contrahuntur, carne conteguntur, neque ulla sequitur convulsio.

Alter verò, quòd ictu adeo vehementi & per modiolum pollicem amputavit, id quod novaculà meliùs expediri poterat. Fieri enim non potest quin percussionis violentia nervi & tendines contundantur, tumpantur, ossaque conterantur & immanissimi cruciatus, inflammationes, tumores, convulsiones, aliaque prava symptomata excitentur, ut in tractatu suo de gangræna & sphacelo cap. 17. annotavit Gulielmus Fabricius.

Tertius denique in sistendo per ferrum candens sanguine, siquidem ut Paræus monet, ustiones non tantùm summum dolorem inferunt, sed & partibus nervosis prava accidentia inducunt, multumque saniæ carnis absumunt, unde ossa denudantur, & caro ac cicatrix summa cum difficultate vel planè non obducitur.

Quæ cùm observare ex usu sit, in gratiam Tyronum hoc loco inserenda duxi, ut cautiùs de corio humano ludere discant, & sic ubi ferro aut igni agendum est, diligenti cum præmeditatione, & circumspectè hoc faciant. Arduæ enim & difficiles sunt hæ operationes, & quandoque etiam peritorum eludunt conatus, adeoque temere non tentandæ, nisi ubi nullum aliud est præsidium, tunc satis tutum est, ut Celsus loquitur, quod unicum est, modò exquisitè sit comparatum. *Balthassar Timæus in casibus Medicinalibus.*

Gangræna brachii & sphacelus ex ulcere pedis intempestivè occluso.

Vir quidam Consularia ulcere Rheumatico pedis sinistri per multos annos affectus, tandem consolidato ulcere, in vehementissimos capitis dolores incidit, quibus cùm per integram hyemem conflictatus, circa æquinoctium vernum anni 1652, subito vehementique dolore brachii ejusdem lateris prehensus est, cum insigni ardore & inflammatione, quæ cùm à Chirurgo ejus loci initio negligentiùs haberetur, in gangrænam & paulo post in sphacelum desiit, amputato brachio, æger quadriennio post apoplexia forti extinctus est.

Quàm periculosa sit ulcerum fluentium maxime inveteratorum occlusio, suprà lib. 2. casu 26. & lib. 6. casu 24. dictum est, ubi enim natura longo tempore assuevit humores noxios ad partes ignobiliores detrudere & per ulcus apertum subinde evacuare, fieri non potest, quin præclusa via in partes principales regurgitent, ægroque certissimam pemitiem, aliquando interitum adferant, nisi tempestive sufficienterque evacuentur & exsiccentur, quod cùm in præsenti casu neglectum sit, mirum non est quòd à multis annis per ulcus pedis effluena humor exitu denegato, ad cerebum delatus, capitis dolores, postmodum cum impetu in brachium decumbens, gangrænam & sphacelum excitaverit. Humores enim pravos à natura in membrum aliquod detrusos subitò id mortificare posse multiplici experientia constat & suprà lib. 5. casu 8. demonstratum est. Accessit & culpa Chirurgi, qui initio malum hoc plane neglexit, nihilque applicandum sed pannia calidis solummodo fricandum, tegendumque suasit, unde proculdubio attractis per frictiones & calorem humoribus exasperatum est, quanquam & in eo peccatum, quòd postmodum suasu Balneatoris vehementer repellentia, refrigerantia & adstringentia, ut succua sempervivi, acetum vini & id genus alia imposita, quibus pori constipati calorque nativus suffocatus est, ut in responsis nostris prolixiùs docuimus. *Idem ibidem.*

Gangræna scroti.

Nobiliss. D. Petrus *Von Sovenhausen* cognatus meus ex dysenteria in hydropem ascitem incidit, cui cùm scrotum supra modum intumesceret, apertionem ursit. Ego dubii eventus auxilium, quòd paucis, bene, multis malè cesserat animo volvens, tandem ex arbitrio Celsi, meliùs esse anceps quàm nullum remedium, ratus, ministrante lithotomo, scrotum uno vulnere, eoque satis amplo aperui & primo quidem die serosi humoris libras circiter duas per cannam argenteam vulneri impositam, partitis viribus, eduxi; secundo tres, tertio quatuor, quarto supervenit gangræna, suasi scrotum illico sectionibus multis undique scarificaretur & postmodum decocto sequenti probè ablueretur.

℞. Rad. vincetoxic. ireos, aristoloch. rotund. an. ℥ß. scordii, absinth. flor. sambuc. lupinor. ana m. ß. acet. vini & lixivii fortiss. an. ℔ ij. coq. ad tertias; in colatur. dissolv. theriac. andromach. ℥ß. aloes, myrrh. an. ℨ iij. mell. rosar. colar. ℥j. spir. vin. opt. ℨ iij. m.

Facta ablutione unguentum Ægyptiacum & supra id cataplasma ex scordio, absinthio, lolio, junipero, myrtha, aloë, farina lupinor. aliisque putredini resistentibus, applicuimus, simulque convenientem victus rationem præscripsimus, corpus per intervalla hydragogis convenientibus blandè purgavimus, nihilque eorum quæ ad viscerum roborationem facerent, intermisimus. Scrotum sphacelatum partim naturæ beneficio sponte decidit, partim novaculà resectum est, ut testiculi nudi conspicerentur, qui tamen medicamentis exsiccantibus & incarnantibus, carne ex inguinibus succrescente quasi novo involucro obducti sunt.

Interea natura multùm humoris serosi per hanc viam deposuit, ut brevi tempore totum abdomen detumesceret, nec exigua reconvalescentiæ spea affulgeret, ægro jam ad consueta munia redeunte.

Verùm major erat viscerum labes, ut in cadavere apertione deprehendimus, quàm ut superari posset, unde cumulato iterum sero & supervenientè alvi profluvio, æger fatis concessit, cùm paulo ante, multa cruenta ἄνω καὶ κάτω rejecisset. *Idem ibidem.*

Gangræna faciei, palpebrarum & utriusque oculi.

Vir quidam Nobilis & de Patria optimè meritus, erisipelate faciei affectus, postquam ad restinguendum ardorem, aquà frigidissimà totam faciem repetitim perfunderet, gangrænam primò in genis

in genus, postmodum etiam in palpebris, ipsisq; oculis contraair, adhibita varia & exquisite comparata remedia, Medicis & Chirurgis dies noctesque excubantibus, sed frustra, malo in dies angelcente, donec sphacelatis faciei & palpebrarum musculis, totaque oculorum substantia, misere, pie tamen & constanti in Deum fiducia, interiret æger.

Discant ex hoc Tyrones, quàm periculosum sit humores, quos natura à partibus interioribus ad exteriores protulit, rursum ad interiora repellere, naturamque rectè agentem in munere suo impedire, imprimis verò in erysipelate, ubi materia quam natura expellit, per refrigerantia & repercutientia plerumque in ipsa parte affecta concluditur, unde putredo & suppuratio, non rarò gangræna & membri νέκρωσις oritur, ut docet Hipp. 7. Aph. 2. in rustico quodam observavit Guilielmus Fabricius Cent. 1. obs. 82. *Baltassar Timæus in casibus medicis.*

Gangræna pedis.

Vir 40. annorum robustus, post cœnam, bene potus, media hieme, in stabulo, cujus fenestræ erant apertæ, se ad dormiendum composuit. A somno surgens, pedes vix poterat movere, in iisque exiguus erat sensus, ac color in iis apparehat lividus.

Partes affectæ in hoc ægro sunt pedes; quod eorum stupor, movendi difficultas & livor probant.

Morbus quo laborat, est intemperies frigida & putrida atque contagiosa pedum, quæ sensus stuporem, & movendi difficultatem ac livorem, ex caloris nativi extinctione inchoata, inducens, & ad vicina facilè protepens, gangræna appellari solet.

Causa hujus morbi externa est aëris frigus, in quo æger noctu, corpore non satis adversus aërem frigidiorem munito, dormivit. Frigoris enim vehementia calor nativus in pedibus valde fuit extinctus; quo fibrillæ nervorum pedibus insertorum, ita fuerunt vitiatæ, ut motum pedibus impressum, ad cerebrum, sensationis excitandæ causâ, satis valide transmittere nequeant; partesque insensibiles cutis & vicinarum partium, propter ingentem putredinem & corruptelam, ex frigore illo inductam, ita fuerunt corruptæ, ut pedes jam liveant & stupeant.

Morbus hic est periculosissimus, cùm sit magnus à naturali statu recessus, & magna adsint symptomata: malumque hoc valde protepere, & brevi in sphacelum converti soleat.

Celerrima itaque & prudentissima curatione mox erit aggrediendus eaque in corruptelæ partium ablatione, & intemperiei correctione, & denique in partium, quę aperientur, consolidatione consistet.

Statim itaque pedibus applicetur tale emplastrum, calefaciens & corruptelam sistens.

℞. Rad. raph. hort. rapi ana n. ij. contund. in mortar. addendo sem. sinap. ℥j. pulver. caryophill. ʒiij. olei sem. lini, juglard. veter. ana q. s. M. & fiat emplastr. calidè applicandum pedibus per unum diem, ægerque in calido loco decombat.

Si contingat malum ad internas partes extendi, illico scarificationes satis profundæ, usque ad vivam carnem sunt adhibendæ ita ut sanguis egrediatur;

Deinde partes laventur aquâ salsâ, vel spiritu vini in quo unguentum ægypriacum est dissolutum; & lotio sit valde calida. Postea adhibeatur tale unguentum, quod præstantissimum est ad omnem putredinem, & ulceris malignitatem sistendam & tollendam.

℞. Flor. æris, alum. rochæ, mell. comm. ana ℥ij. aceti acerrimi ℥v. sal. comm. ℥j. vitriol. rom. ℥ß. sublim. pulver. ʒij. Bulliant & fiat unguentum.

Si ita putredo superetur, eschara separanda est apposito emplastro ex quinque farinis, fabar. scilic. lini, fænugræci, hordei, lupinorum, vel alio simili.

Quod si neque per hæc sistatur corruptela, igne utendum.

Eoque nihil etiam proficiente pedes exscindendi: ex Patæi sententia, in carne viva; ex Fallopii, in parte mortua, in confinio vivæ; quæ deinde post sectionem cauteriis actualibus adurenda, donec æger dolorem cauteriorum sentiat. *Henric. Regius apud Theod. Craneu. Medication. lib. 4.*

Observationes

De Gangræna ex contusione, quæ totum crus, scrotum & inguen, spatio 19. horarum mirà cum celeritate invasit, atque ægrum è medio sustulit.

Die 21. superioris mensis Julii, Stephanus Stoppinus, civis Fassaciensis, Oppidi hic in vicinia ad lacum Neocomensem siti, quinquagenarius, robustus, & optimo corporis habitu præditus, cùm in maximis messis occupationibus, ipsemet plaustrum vacuum ducere tentasset, ac currendo in terram procidisset, rota internam partem sui sinistri cruris dilaceravit, cum tibiæ ossis, à periostio suo ad longitudinem Spithamæ, denudatione; neutrum tamen os fractum aut fissum fuerat, ita ut pedes domum, à qua erat dimidiæ horæ absuerat, se conferret.

Ego eodem die vocatus, illico totum crus cuxamque olei rosar. ℥iß. inunxi. Vulneri prius vino rubello & aqua tepida, à sordibus & arenâ abluto, digestivum sequens imposui.

℞. Terebinth. lotæ ℥j. ceræ ℥ß. gummi elemi ʒij. ol. de vitell. ovor. ℥j. dissolve lentissimo igne, postea admisce croci ℈ß. vitell. ovor. n. ij.

Ut autem affluxum humorum impedirem, fasciâ intinctâ poscâ, totum crus involvi, victumque optimum ac tenuem præscripsi, & pro potu ordinario decoctum agrimoniæ & veronicæ ordinavi. Hinc dolor plurimùm remisit, noctem tamen eam, utcumque inquietam transegit. Circa scapulam quoque & humerum sinistrum (licèt nullum manifestum contusionis indicium appareret) quia tamen eo loci de dolore conquerebatur, eodem oleo rosar. inibi bis illum in die inunxi, adeo ut dolor scapulæ intra biduum cessaverit. Die 22. Julii sequens medicamentum ei exhibui.

℞. Syr. rof. solut. compos. cum rhabarbaro, Agarico, & senna ℥iß. pulver. sennæ præpar. ℈ij.

Cum decocto agrimoniæ & veronicæ fiat potiuncula, qua corpus leniter purgatum fuit. Paulo post deligatione soluta, optima futuræ digestionis signa apparuerunt: Denuo itaque præscriptum digestivum imposui;

imposui, totumque crus oleo rosar. inunxi, & fascia posca imbuta, omnia colligavi. Circa vesperam eadem reiteravi, qua nocte optimè quievi.

Die 23 Julii summo mane basilicam dextram (sinistra enim propter cicatrices ad cubitum nullo modo in conspectum sese dabat) incidi, sanguinisque ad ℥vi. extraxi, soluta deligatione vulneris partem illam suræ dilaceratæ & à subjecta carne disjunctæ, quia livescebat, ac ad gangrænam tendebat, abscindere visum fuit. Qua parte in præsentia reverendi D. Joban. du Moulin ejus loci præsbiteri, abscissa, eaque aceto & sale abluta, Ægyptiacum nostrum ad radicem putredinis, reliquiæ verò parti vulneris digestivum imposui. Postea sequens cataplasma, quod putredini resistit, applicui.

℞. Farinæ fabar. ℥iiij. salis marini ℥j. pulver. summitat. absynth. vulg. scordii utriusque, rutæ ana ℥j.

Coquantur in oxymelite simplici, fiatque cataplasma, addeodo sub finem myrrhæ, aloes, an. ʒß. fiat cataplasma.

Circa vesperam rursus eadem methodo processi, sed quia nox subsequens ei non admodum quieta futura videbatur, grana aliquot laudani ei exhibui. Qua nocte nullos dolores persensit, sed quietè & securè dormivit.

Die 24. Julii mane soluta deligatione, putredinem inhibitam, neque gangrænam amplius proserpere, certis signis conspicere licuit. Ad majorem tamen securitatem, unguentum Ægyptiacum, ut antea filamentis complicatis, & ad radicem putredinis, totamque partem læsam, supradicto cataplasmate cooperui. Intemperies nulla neque inflatio aut dolor aderat. Domum itaque me confero; circa tertiam pomeridianam illico, & quidem me absente, in alterius tibiæ, nimirum externa parte suræ dolore acutissimo corripitur.

Ego circa nonam noctis horam ad ipsum veniens, maximis quidem doloribus ipsum vexari facilè conjicere potui, absque ullâ tamen intemperie manifestâ, aut inflammatione conspicuâ. Unde Hippocratis sententiam, libro de vulneribus capitis animo volvens, videlicet, carnem contusam necesse esse putrefieri, & in pus converti, ab inceptis desistere nolui, sed denuo digestivum imposui, tibiam oleo rosar. inunxi, ac rursus tempore somni nonnihil laudani ei exhibui. Verùm tantùm abfuit, ut somnum capessere potuerit, quin potiùs circa tertiam horam noctis me accersivit, si fortè aliquo modo dolorem lenire possem. Deligatione ita rursùs solutâ, externam partem suræ, & quidem ipsum locum dolentem ex parte lividum deprehendi. At quia dolor magnus, nihilque aliud in promptû erat, illicò cataplasma ex micâ panis in lacte coctâ, additis vitellis ovorum, parumq; butyri recentis, calidè applicui. Hinc dolor aliquô modô sedatus fuit, parumque æger quievit.

Die 25. circa septimam horam matutinam solutis fasciis, partem externam suræ palmæ latitudine nigram & sphacelatam offendi. Subitò ergo Paternlacum me recepi, ut ea, quæ pro morbi magnitudine necessaria, videbantur, præpararem. Circa meridiem instructus omnibus necessariis ad ægrum rediens, statim sic exclamat: ô utinam attulisses serram, tibia enim hæc est amputanda, quò dolore & cruciatû possim allevari.

Solutis ergo denuo fasciis, totam externam partem suræ, & ipsum pedem sphacelatum, vesicis etiam nigris & maximis, nec non aquâ loturæ carnis similis, repletis, animadverti. Internum tamen nonnullis in locis, dolores & maximi & continui aderant. Efflagitantibus itaque tum amicis, tum imprimis ægrotô ipsô, ut tibiam amputarem, denuò me domum contuli, & instrumenta cum omnibus ad hanc rem necessariis mecum attuli, atque circa horam secundam pomeridianam ad ægrotum redivi, tumque totam tibiam, præter illam partem vulneris cui præcedentibus diebus Ægyptiacum applicueram, syderatam & in locô sanô non ampliùs abscindi posse comperi. Supra genu item ad externam partem in quôdam locô, crines novacula abradens, sonum quasi vacuum aliquod subfuisset, percipere potui. Inde malum inibi subesse conjiciens, adstantibus atque amicis, significare cæpi, amputationem plane infructuosam & inutilem fore, & ut alios Medicos atque Chirurgos in consilium advocarent, suasi. Post duas horas iterum soluta deligatione, locus iste, in quo antea sonum audiveramus, prorsùs sphacelatus deprehensus est. Circa decimam horam noctis in inguine ad scrotum, vesica ovi magnitudine nigra, & aquâ loturæ carnis simili plena, & sphacelata conspiciebatur. Intra horas duas scrotum in magnitudinem capitis intumuit & syderatum est. Tum æger sudoribus primò calidis, postea frigidis correptus, circa tertiam post mediam noctem horam, quæ quarta dies sui morbi cum undecim horis erat, ab inceptâ verò gangrænâ, hora vigesima quarta, placidè, & inter loquendum ferè expiravit.

Post mortem totum latus & caput paulatim ita intumuerunt, ut sequenti die, cùm cadaver inhumare vellent, capulam ampliare necesse esset. Sub hypocondrio sinistro vesica, quæ magnitudinem capitis adæquabat, nigra & aquâ sanguinolentâ plena, exorta est. Ex ore quoque & naribus aqua ista sanguinolenta tam copiosè emanavit, ut per cubiculum instar rivuli deflueret. Ex cadavere item talis fœtor expiravit, ut adstantes in fugam converteret. Ab initiô morbi usque ad finem vitæ, vix ulla febris in illô cognosci potuit, nullumque symptoma febrile, veluti dolor capitis & renum, sitis, siccitas & ariditas linguæ, aut pulsus à naturali statu recessus, apparuerunt. Urinæ tamen statim ab initiô morbi ad finem usque vitæ sanguinolentæ erant.

In istâ autem recitatâ historiâ, nonnullæ occurrunt difficultates quarum aliquæ, quamvis ex Doctissimo tuô Tractatû facilè discuti possunt, cupio tamen hac de re Excell. T. judicium atque sententiam, si quando sibi per ocium licuerit ulteriùs intelligere.

Primò quidem, an gangræna hæc tam furiosa, tamq; dira & immanis, ut vix unquam similis conspecta, ex contusione sola, vel ex causa aliqua interna & occulta, orta sit necne?

Ego ex sola illa contusione tibiæ, tam horrendum malum oriri non potuisse, planè sentio.

Primò enim contusio in tibia etsi magna pro magnitudine tamen gangrænæ non respondebat: erat enim cutis tantummodò cum carneâ membranâ à subjectô musculô separata: ita quidem, ut ne ramus ille insignis qui per musculum, suræ partem internam constituentem (qui crus moventium in ordine primus) superficie tenus descendit, dilaceratus, aut disruptus fuerit; denudatus tamen, & integer conspiciebatur. Hanc quoque ob causam pars illa cutis dilacerata & à subjectis partibus separata, nutrimentô suô destituta, necessariò gangrænâ

& sphacelô

& sphacelò correpta fuerat. Hâc verò parte abscissâ, gangrena protinùs inhibita fuit, quemadmodum antea dixi, neque postea ullum indicium gangrænę apparuit, usque dum totum crus invaserat. Secundò, si gangræna ex internâ parte furę ad externam serpendo penetrasset, vulnus priùs labe ista infectum fuisse, quàm vicinas partes invadere potuisse, luce meridianâ clarius existit: at penetratio illa, quomodo sine dolore, inflammatione & inflatione maxima fieri poterat, nondum video. Post primam autem noctem usque ad 24. mensis diem, quæ fuit tertia morbi dies, nullum (pro magnitudine vulneris) dolorem, nullam que præterea inflammationem adfuisse, sed optima signa digestionis apparuisse, testabuntur & fidem facient adstantes, quorum ex numero erant Rever. Joh. D. du Moulins, ejus loci Presbiter; uti & D. Emanuel Vistitius Philosoph. mag. & Medicinæ Candidatus, convictor meus suavissimus. Adde quòd extremâ furæ parte nullum unquam indicium contusionis apparuerit. Tertiò non potuit gangræna hæc ab externâ parte ad coxam nisi serpendo, ac in transitû partes, unam post alteram inficiendo, pervenire. Ac in hôc casû gangrænam cùm tibiam, tum etiam femur, inguen & scrotum, quasi unò eôdem momentò (interim tamen hinc inde partes nonnullas illæsas relictas) invasisse, ex præcedenti historia elicere licet. Potuit itaque contusio hæc in crure, meô quidem judiciô, esse causa adjuvans, præcipuum autem materiam aliquam venenatam ex corpore eò propulsam fuisse planè sentio. Quamvis enim antea morbis non adeo obnoxius homo iste, quia tamen tota, totum latus transgressa fuerat (id quod dolor circa scapulam indicat) potuit facillimè sanguis, aliquô in locô coercetus ac putrefactus, in pestiferum hocce venenum conversus, postea verò à natura expulsus hocce crudele malum generare. Gravissima enim quandoque ex sanguine coagulatò, Fernelió de abditis rerum causis lib. 2. cap. 15. teste, symptomata oriuntur. Idem testatur Fernelius aliquando se partem sphacelari vidisse sine causâ externâ, sine tumore aut rubore conspicuô, oboriô primùm dolore immanissimô, tandemque ægrum extinctum fuisse, sine febre, sine symptomatis admodum gravibus, idque in hôc ægrô bellè observare licuit.

Ex modò dictis autem oritur secundum dubium, nempe, quomodo natura hancce pestiferam materiam absque symptomatis conspicuis, puta febre, syncope, deliriis & similibus, tam diu retinere, multò magis ad extimas partes corporis propellere potuerit? Tertiò quomodo factum fuerit, quòd caput & totum cadaver, exceptâ tibiâ dextrâ, post obitum in monstrosam hancce magnitudinem intumuerit: Cùm animæ facultates, animale extinctô, omnes abolitæ sint ac cessent.

Prolixè & ordine hancce historiam recensere placuit, propter varias & ineptas, quæ hâc de re apud vulgus habentur opiniones. *Gulielmus Fabricius Hildanus in Observ. Chirurg.*

De gangrana gravissima ex morsu equi progenita.

Casum de gangræna, ex morsu equi cujus in via Mildunam versus, mentionem fecimus nunc T. Excell. penitus adumbrare statui, dum tamen de venenositate vulnerum à feris inflictorum prius verbum unum aut alterum præfatus fuero. Percrebuit apud vulgus Chirurgorum opinio morsus equorum, canum, ursorum, leonum, ac similium belluarum, maximum ac exitiosum in se continere venenum. Hujus opinionis in causa sunt symptomata gravissima, quæ hujusmodi vulnera sequuntur, & præcipuè quod sæpissime in gangrænam terminantur. Chirurgum non mediocriter in operibus artis chirurgicæ versatum, familiariter novi, qui hac imbutus opinione, omnes morsus animalium, etiam non venenatorum, aut ferro candenti, aut oleo fervanti, protinus inurebat, atque hac occasione plerumque sibi nomen crudelis parabat. Ego etsi hujusmodi vulnera non nihil malignitatis in se continere profitear, quemadmodum postea dicam, attamen quomodo eorum opinio qui ipsa absolute venenosa esse sentiunt, fulciri possit, nondum video. Si enim morsus horum animalium, per se & absolutè venenosi essent, tunc profectò parvum quandoque vulnus, ab ipsis inflictum, non minus ac magnum, malignæ qualitatis particeps esset, quemadmodum videmus in morsu canis rabidi, ubi minimum quidem vulnus, si neglectum fuerit, mortem infert, potens est. Contrarium in prædictorum animalium, (nisi rabie infecta fuerint) morsibus observatur. Ingentia enim ac magna ab ipsis inflicta vulnera imprimis ubi ossa simul sunt fracta periculosa exitiosaque esse, necnon aliquando in gangrænam terminari experientia fidem facit: præcipue si fracturę arcte nimis ligatæ aut error aliquis in curatione commissus fuerit. Unde igitur, inquies, pessima illa symptomata? Profectò ego plane sentio, ipsa magis ex contusione quàm ex venenosa aliqua qualitate horum animalium accidere. Cùm enim sint robustissima, vi sua contundunt, & conterunt musculos, venas, arterias, imo & ossa ipsa. Hinc dolor, hinc inflammatio, humorum affluxus, tandemque spirituum suffocatio & gangręna. Cujus rei exemplum memorabile mihi videre contigit, quod tibi viro doctissimo & chirurgicarum operationum avidissimo, prout promiseram, communicare non gravabor.

Anno 1579. quum Noviſiæ Chirurgiæ operam darem, civis quidam in oppido Zoons ad Rhenum, ab equo in brachio graviter morsu vulneratus fuit, cum carnis dilaceratione & ossis fractione. Advocatus Barbitonsor, ossa fracta in sedem naturalem reposuit: vulneri digestivum, fracturæ verò medicamentum ex bolo armeno, farinâ & albuminibus ovorum confectum, applicuit. Fascias item ferulasque apposuit, & fenestellam, qua vulnus quotidie absque fasciarum solutione curari posset, reliquit. Sed quia fascias ferulasque nimis arcte constrinxerat, auctus est dolor, auctus est & affluxus humorum. Et quia corpus neque à pravis humoribus, neque ab abundantia sanguinis exoneratum fuerat, sequuta est inflammatio, tandemque gangræna. Magister Joh. Dumgens, apud Novisienses Chirurgus exercitatus, præceptor meus plurimùm honorandus, in consilium adhibitus, brachium scarificavit, unguentum ægyptiacum, reliquaque medicamenta, quæ ad curationem gangrænę requiruntur, applicuit; ita ut gangræna remiserit, tandemque brachium sanitati restitutum fuerit: sed curatio fuit & longa & laboriosa, non quòd qualitas aliqua admodum maligna animadverterem, sed quia os fractum fuerat, & gangręna supervenerat.

Ante paucos annos mulirr quædam Bernæ cùm ursis, qui continuò ibi in propriis fossis asservantur, escam obtulisset, ac ursus ipsius manum, ni fallor dextram, per cancellos arripuisset, adro manum & brachium momordit, ut illud abscindere necesse esset. Non quòd medici venosam aliquam qualitatem in morsu isto agnoscerent: sed quia caro simul & ossa penitus contusa, contritaque fuerant.

Cæterùm etsi in morsu animalium prædictorum & per se non venenatorum, illam quam vulgus Cheirurgorum ipsis adscribit venenositatem, ut antea quoque dixi non inveniam: non negarem tamen, ab ipsis inflicta vulnera ab aliia, ense & cultro incisis, non nihil differre, imo etiam nonnihil in se continere posse malignitatis, atque proinde peculiarem curandi methodum requirere. Itaque ut omnia rectè, & ut artis est administrentur, morsus beluarum sive equorum, sive ursorum, canum, leonum, aprorum (ut & de hominis morsu obser. 84. cent. 1. scripsimus) sic distinguo. Aut enim animal rabiosum est, aut solummodo commotum, & simpliciter iratum, cum morsu violat: (donec enim mansuetum, & minimè irâ percitum, neminem mordebit, ut quidam morsum carnis distinguit.) Unde affectus quilibet, peculiarem requirit curandi methodum. Si enim animal rabiosum fuerit, vulnus sive inurere expedit, reliquaque media, quæ observatione 87. cent. 2. & observ. 98. hujus centuriæ recensentur, applicanda erunt. In morsu verò ab animali non rabioso facto, inustione opus non est, ea tamen remedia quæ ab alto ad superficiem trahunt, usurpanda sunt idque in eum finem, ut si quid maligni subesset, paulatim educeretur. Primò itaque vulnus aceto, in quo theriaca dissoluta est, abluo: postea si vulnus parvum fuerit, spiritum vini cum theriaca, filamentis impono, & emplastrum Basiliconis applico.

Aut ♃. Pulveris radic. Angelicæ aristoloch. rotundæ, vincetoxici, caryophillatæ an. ʒ r. folior. scordii, rutæ an. ℈jß. theriacæ, extract. card. benedicti an. ʒij.

Cum s. q. mellis rosacei fiat mixtura in forma, unguentum hoc in omnibus vulneribus ac ulceribus malignis & venenosis, anthrace & similibus præstantissimum est. Sin vulnus magnum & contusio ingens fuerit, ut quamprimum digeratur, affluxus humorum evitetur, necesse est, alioquin inflammatio, dolor ingens, aliaque pessima symptomata ferenda erunt. Statim itaque victus tenuis instituendus, corpus à pravis humoribus evacuandum, & vena, si nihil est quod obstat, tundenda erit. Membrum verò malè affectum oleo myrtino & rosaceo inungere convenit, Defensivum quoque ut affluxus humorum impediatur, applicandum. Vulneri verò sequens digestivum imponendum.

℞. Ceræ novæ, colophoniæ, gummi elemi an. ℥ß. terebinth. lotæ in aqua cardui ben. ℥j. olei rosacei, Amygdalar. dulcium, de vitellis ovorum an. ℥j. liquefiant lento igne & percoleutur, deinde admisce croci ℈j. theriacæ, extract. cardui bened. an. ʒiij. vitellos ovorum 2. misce fiat unguentum.

Vulnere hoc modo satis digesto, imponatur antea descriptum unguentum ex pulvere radicum Angelicæ, Aristolochiæ rotundæ, tandemque emplastro diapalmeo, aut de cerusa, vel simili aliquo medicamento inducatur cicatrix. Si dolor supervenerit nimius; applicetur cataplasma aliquod anodynum, ex tractatu nostro de gangræna, vel de combustionibus, excerptum. Si fractura adfuerit clementer & absque violentia reponantur ossa, diligenterque in sede naturali retineantur, absque ferularum tamen nimis arcta ligatione, ne fiat humorum attractio, calorisque & spirituum suffocatio, quemadmodum in viro illo, cujus antea memini, accidit. Pura astringentia, vel etiam emplastica hîc, propter insignem contusionem non conveniunt: sed quæ simul digerunt. Inuncto itaque toto membro oleo rosaceo & mirtyno, sequens applicetur cataplasma.

℞. Farinæ hordei ℥ij. pulv. rosar. rubear. myrtillor. fænigræci an. ℥ß. pulv. scordii folior. rutæ an. ʒij. coquantur cum vino rubro, ad formam cataplasmatis: tum admisce. Croci pulverisati ℈j. ol. rosacei, myrtillor. an. ℥j. de vitellis ovorum ℥ß. vitellos ovor. n. 2. applicetur tepidè singulis diebus semel, præcipuè si contusio magna fuerit, idque usque ad decimum quartum diem, donec vulnus optimè digestum sit, & graviora symptomata non ampliùs sint timenda. Tum in fasciis & linteaminis quæ fracturæ circumponuntur, fenestella, ut vocant, per quam vulnus singulis diebus mundetur, relinquatur, fractura verò quarto aut etiam sexto quovis die tantummodo deliganda erit. *Idem ibidem.*

De gangræna ex frigore, ac congelatione.

Anno 1600. peregrinus Britannus Româ rediens, & in monte S. Bernardi à via recta deflectens, ac inter nives pernoctans, tantum frigus passus fuit, ut extremitates omnium digitorum dextræ manus, extincto in ipsis calore nativo, gangrænâ correptæ sint. Exorto statim dolore vehementissimo viriumque prostratione, maxima nonnisi cum difficultate Sedunum Vallesiorum pervenit, ejusque loci Chirurgum quendam diligenter satis in consilium adhibuit. Is videns gangrænam jam in sphacelum degeneratam, apicesque digitorum plane emortuos esse, carnem digitorum circum circa ossa, prope carpum incidit, necnon ad proximum articulum usque separavit: digitos quin etiam in ipsis articulis novaculâ abscidit. Idque tali artificio & dexteritate perfecit, ut postea gangræna ulterius & partes sanas invadere non potuerit. Sed quia serrâ ad hujusmodi operationes aptâ, bonus iste vir minime instructus, forcipe verò aut scalpro (ut plerique Chirurgorum facere consuevere) ossa abrumpere, rem nefariam, ac artifice indignam esse censuit, miserum huncce peregrinum Lausannam ad me misit: ubi præsente viro clariss. ac doctiss. Dn. Alberto Roscio, ejus Reipubl. Doctore, Medico ordinario atque celeberr. Reverendo item viro Dn. Johan. Rrtherio ibidem linguæ sanctæ professore dignissimo, multisque aliis, ossa omnium digitorum dextræ manus ad metacarpum serra abscidi, quo facto brevi convaluit, & in patriam rediit *Idem ibidem.*

Gangræna ex intemperie frigida & sicca, cum defectu alimenti curata.

Cùm senectus (Gal. Teste) intemperies quædam sit, ad frigiditatem & ad siccitatem declinans, mirum nemini videri debet, morbos ex hac intemperie ortos, in senibus vix curari posse: Deficit enim in iis calor nativus, qui omnia vivificat, concoquit & restaurat, deficit & humidum radicale, quod

quod omnes partes corporis humectat, atque calori nativo pabulum subministrat. E contra abundat hæc ætas humoribus excrementitiis, quorum illuvie sæpe numero calidum innatum paulatim suffocatur, aut ad minimum debilitatur; inde diminuuntur vires, ita ut morbi minime resistere possint. Hinc fit ut gangræna ex intemperie frigida & sicca omnium sit periculosissima, præcipuè autem in senibus, & quibus partes principes male afficiuntur: Incipitque hæc species gangrænæ circa extremitates, quum partes illæ priùs nutrimento destituantur. Non immeirto itaque Benivenius scriptum reliquit, gangrænam à digito pedis (id quod de hac specie gangrænæ intelligendum) incipientem mortalem esse. Ego (ut ingenuè fatear) inter omnes quotquot hactenus gangrænâ ex intemperie frigida & sicca, vel alimenti penuriâ laborantes vidi, unus tantummodo evasit. Quam historiam hîc in gratiam juniorum Chirurgorum subjungere placuit, ut semper in morbis, quantumvis desperatis, de sanitate bene sperent, atque ad eam recuperandam summam diligentiam adhibeant.

Anno 1582. die 20. Augusti, cùm essemus apud Illustrissimum principem Cliviacensium, & Iuliacensium, Montensium &c. In arce Beneburgensi, Presbiter quidam homo septuagenarius & decrepitus, Gangrænâ ex intemperie frigida & sicca, vel (ut rectiùs dicam) defectu caloris nativi & alimenti, in dextra tibia correptus fuit fine causa aliqua externa. Nullus in principio morbi dolor aderat, nullumque inflammationis indicium, sed potiùs frigus in crure persentiebatur, unde statim ad se accersivit Clariss. D. D. Galenum Wierum Archiatrum Principis, ac Cosmum Slotanum, ejusdem principis Chirurgum primatium Præceptorem meum summè honorandum. Invenimus autem paulo supra talum postulam nigram nucis avellanæ magnitudinem vix excedentem, & (ut dictum) fine dolore, inflammatione, & tumore. Qua pustula incisâ, non nihil ichoris, coloris flavi effluxit, subjecta verò caro livida, & sensus expers erat, Pustula in fœtidissimum ulcus degeneravit, quod intra paucos dies tantâ sævitiâ crus invaserat, ut una ex parte semimortuum conspiceretur. Unde ex consilio Clariss. ac Doctiss. Wieri crus, ubicunque suspicio aliqua gangrænæ aderat, scarificavimus, cataplasmata item, ungenta, aliaque plurima, quæ putredini adversantur, & nativum calorem simol & nutrimentum attrahunt, applicuimus. Cæterum Clariss. D. Doctor Wierus particularibus quibusdam internis medicamentis calorem nativum refocillavit & continuò bonis ac euchymis alimentis instantavit. Sic Dei beneficio & Medici hujus ac Chirurgi diligentiâ summâ, atque industriâ, revocato tandem colore nativo, & humido radicali, putredo remisit, reliqua quin etiam symptomata paulatim cessarunt. Mundificato dein ulcere & penè sanato, Clyviam reversus est æger, ubi domi suæ adhuc ad tempus aliquod supervixerat. *Idem ibidem.*

Quidam cùm supra modum incaluisset, & ipsius corpus aquâ frigidâ perfusum fuisset, gangrenâ & sphacelo in tibia corripitur.

Cæterùm antequam ad problemata tua respondeam, affectum gravissimum tibi communicare visum est. Superiori æstate, cùm Basileæ apud serenissimum Principem ac Dn. D. Janutium Radzivilium Lituaniæ &c. Ducem, per menses aliquot (ut ex præcedentibus meis ad te litteris intellexisti) moram traherem, accidit noctu ut in platea quæ portui proxima est, domus quædam incenderetur.

Cùm verò cives accurrerent, ac quidam juvenis, viginti circiter annor. ætatis, robustus, plethoricus, & optimo corporis habitu præditus, tectum proximum conscendisset, ibique cùm propter caloris ab incendio vehementiam, tum etiam propter labores, supra modum incaluisset, rogavit socios ut aquâ frigidâ sibi corpus perfunderent: hoc enim nisi facerent, æstum maximum non ampliùs se sufferre posse, sed de vitâ periclitari, aiebat. Affundunt aquam eamque copiosè, ita ut vestimenta omnia ipsumque corpus undique madefactum esset. Quid fit? corripitur horrore, ita ut vix eo tecto descendere & ad ædes suas pervenire posset. Postero die, ac deinceps etsi graviter laboraret & maximum incendium internorum viscerum persentiret, morbum tamen neglexit. Circa quartum natura cùm per criticam expulsionem sese exoneraret, crus dextrum quoque intumuit, & inflammatione correptum fuit. Ad Xenodochium itaque deducitur, ubi clariss. ac æterna laude digniss. Viro Dn. D. *Jacobo Zwingero*, piæ memoriæ, & Chirurgis commissus fuit. Post dies aliquot, cùm inflammationem in tibiâ ad gangrænam tendere videret Dn *Zwingerus*; rogavit me, ut miserum quoque inviserem, ad ægrum itaque me confero, tibiamque ad poplitem fere usque, gangrænâ corruptam animadverto.

Porro etsi vires prostratas, febrim maximam, tibiam quin etiam ad coxam fere usque supra modum intumefactam, ac proinde rem istam in angustiis positam esse, satis superque videremus, attamen quia sæpissimè, etiam in desperatis, divina clementia atque Potentia, præter spem atque opinionem Medicorum sese patefacere solet; & semper (ut divinus Hippoc. lib 2. Aphor. 25. nos monet) omnia secundùm rationem sint facienda, ejus undique scarificavimus, unguentum Ægyptiacum, aliaque medicamenta quæ putredini adversantur, applicuimus, sed frustra, sequenti enim die, ad coxam regionemque hepatis usque livida reperta fuit, Lipothymiæ, frigus extremitatum & sudor frigidus aderant, & eadem die vitam cum morte commutavit. *Idem ibidem.*

De gangrena & retentione urinæ; historia singularis, in quâ rara nonnulla recensentur.

Cæterùm quia statum generosi nostri ægri scire cupis, ipsius jussu paucis, sed ordine ipsum tibi aperiam: Reversus hic ex magna Britannia sæpissime de ardore urinæ, nonnunquam quoque de ipsius retentione conquestus est, sed sumptis emulsionibus à te præscriptis Enematibusque, adhibitis quoque candelulis facilè restituebatur. Ex sinistrâ tamen parte peritonæi à duabus aut tribus mensibus ante morbum, usque dum ruptus fuit abscessus in perineo, ut postea intelliges dolorem pungitivum, non usque adeo acutum tamen continuò persensit. Circa principium verò mensis Aprilis hujus anni, cùm præscriptam victus rationem non satis exactè observasset, in exercitiis quinetiam corporis, modum excessisset, fœtorem quendam in urinâ percipere cœpit. Fœtor ille paulatim adeo auctus fuit, ut mirum sit, quomodo talis putredo absque febre, nauseâ, aliisque gravissimis symptomatibus in corpore tam dio delitescere potuerit. Eodem quoque tempore in fundo urinæ, materia quædam viscida, spermati ranarum non absimilis conspiciebatur. Præterito mense Majo, cùm ad Alpes prædia sua invisendi gratiâ, profectus esset & scopulos pedes ascenderet descenderetque, & proinde præter modum ac consuetudinem suam incaluisset, longè vehementiùs quàm antea ipsum invaserunt symptomata. Reversus Bernam cùm esset, Emulsiones exhibui, Enema ex

lacte quod præscripsisti, injeci aliquoties: Renes unguentis & oleis refrigerantibus inunxi, post dies quoque aliquot corpus medicamento eboleggo leniter expurgavi, venamque in brachio incidi. Et quia materiam illam fœtidam & viscosam cum urinâ copiose ipsum excernere videbam; suasi, ut per dies aliquot sero lactis cum sacchato uteretur. His per dies quatuordecim adhibitis medicamentis, & exquisitissimâ observatâ victus ratione, cùm omnia salva esse videbantur, fœtor quio etiam urinæ omnino nihil remittere videretur, Solodurum ad Illustrem Dn. Metonium Christianiss. Regis legatum vocor. Non diu post meum abitum, malum & longè acerbius & crudelius quàm unquam antea, ipsum invasit, non solùm enim febris ardentissima & continua, cum urinæ retentione, verùm etiam phlegmone in ipso perinæo exorta est. Quapropter me absente, Dominum Davidem Regem, hujus Reipubl. Doctor. medicum ordinat. & doctiss. appellare coactus fuit. Insistit & ille Emulsionibus Enematibusque & locum affectum oleis convenientibus inungit; semicupio quoque propter doloris vehementiam, uti coactus fuit. Interim ego accersitus adeo anxium ægrumque veluti in agone reperio. Febris etiam vehemens, syncopæ frequentes, nausea, cibi fastidium, urinæ ardor & retentio, omniaque fere signa, quæ mortem præsentem præcedere solent, aderant. Phlegmone in perinæo magnitudine ovum anserinum adæquabat cum maximo dolore pungitivo, tumore & duritie scroti & virgæ. Dn. D. Rex ante meum adventum anodynis, & quæ discutiunt ac resolvont simul usus fuerat, sed frustra; quapropter ad pus moventia nobis transeundum fuit: Sequens itaque cataplasma applicuimus.

℞. Radicum & folior. altheæ, malvæ, an. m. i. coquantur & pistentur, ut atris est, quibus admisce farinæ tritici, ℥. ii. farin. sem. fœnigræci, & lini. an. butyri recentis, Olei liliorum albor. & unguent. de althæa an. ℥. i. ſ. croci. ʒ. ß. vitell. ovor. num. ii. misce, fiat cataplasma, quod calidè applicuimus bis terve in die. Vigesima nona maii cum in medio perinæo & quidem in ipso tauro ruptus fuisset abscessus, pus adeò putridum & fœtens in copia effluxit, ut totum conclave, incredibili & plusquam cadaveroso suo fœtore adimpleret. Fœtor ille per dies aliquot continuavit; talis enim erat sphacelosa putredo, ut totum perinæum emortuum excideret, & ulcus ingens post se relinqueret. Interim ego quæ putredini resistunt, applico, ulceri unguentum Ægyptiacum meum in tractatu meo de gangrænâ descriptum, cum filamentis & duabus turundis, quarum una versus scrotum ascendebat, altera deorsum versus podicem descendebat, imposui; postea sequens cataplasma applicui.

℞. Farin. lupinor. fabarum an. ℥ i ß. Pulver. summitat. absynthii, scordii, rutæ, an. ʒ ii. coquantur in oxymelite simplici, fiatque cataplasma: adhuc calenti admisce. Aloes, myrrhæ, an. ʒ i ß. carnem autem emortuam quotiescumque ulcus deligavi, forfice & scapellis ad id aptis, quantùm fieri potuit, excidi, pus cum penicillis ex spongiis in decocto scordii, rutæ, absinthii, & lupinorum, addito sale, madefactis abstersi. Sic per singularem Dei misericordiam putredo paulatim, & quidem intra triduum cessavit, nec ulterius serpsit: quapropter usum ungoenti Ægyptiaci intermisi, & linimentum ex pulveribus radicum Aristolochiæ rotundæ, Iridis florentinæ, Angelicæ, Aloes item & myrrhæ, cum Extracto scordii, parumque vitelli ovi mixtum, ulceri imposui. Cataplasmate tamen præscripto ultra hebdomadas tres usus fui. In perinæo autem non solùm cutis & caro à putredine erosa fuit, Verùm etiam membranæ multæ putridæ, ductus urinarii, procul dubio tunicæ, exscindendæ atque extrahendæ nobis fuerunt: quapropter omnis fere urina per ulcus effluxit, idque lo longuio, ut postea dicam.

Circa initium junii in medio virgæ, & quidem in ipso latere dextro tuberculum, quod ab initio ferè morbi duriusculum fuerat, in abscessum abiit, qui paulo post ruptus quoque est, non tamen ad ipsum ductum urinarium penetravit: quapropter adhibitis emollientibus, digerentibus, & mundificantibus haud difficilè coaluit. Triduo à rupto in virga tuberculo, humor qui antea per totum scrotum expansus erat, in imam ipsius partem, versus ulcus in perinæo decubuit, ibique extuberantiam quandam duram effecit.

Postquam verò applicuissemus sacculos emollientes, unguentum item de althæâ, & Emplastrum ex meliloto; materia ibidem collecta, per ulcus in perinæo paulatim evacuata fuit.

A carne putridâ & membranis sphacelatis satis mundificato ulcere, decocto Traumatico ex pyrolâ, alchimilla, sanicula, consolida saracenica, artemisia, & beta rubra, cum vino rubro styptico usi fuimus, hoc modo: bibit æger haustum tribus horis ante prandium & totidem post cœnam: cum siphone quoque ulceri illud bis in die calide injecimus: duabus quinetiam cum turundis eodem decocto madefactis ulceri immisimus, unâ videlicet sursum, alterâ deorsum versus protrus. Tandem linteum reduplicatum in eodem imbutum calide applicuimus. Non tantùm autem ulceri cum siphone decoctum, verùm & ipsi ductui urinario, tam sursum quàm deorsum infudimus. Id verò ut commodè fieret, rostrum siphonis incurvatum fieri curavimus.

Non autem admiratione caret, in hac gravissima maximaque putredine sphincterem semper salvum & incolumem extitisse. Apparet id inde, quod æger etiam in morbi ipsius vigore urinam semper retinere potuerit, nec unquam illa involuntarie effluxerit. Ulcus nihilominus quod deorsum versus vesicam tendebat profundum erat, & ad ipsas Prostatas, quas ego à longo tempore male affectas fuisse existimo tendebat. Quotiescunque autem urinam excernebat, partim quoq; per ulcus effluebat, absque ulla tamen difficultate & dolore. Prædicto decocto Traumatico, eo modo ut dixi, in tertium mensem usus est, ita ut paulatim ulcus plenissime consolidatum fuerit, nec fistula ulla remanserit. Faxit Deus Opt. Max. ut recuperata valetudine diu ad Dei gloriam frui possit. Porro præter Topica enumerata etiam in universalibus nihil prætermissum fuit. Ab initio vires præter modum labefactatas cibis optimi succi, cordialibus item medicamentis, quantùm fieri potuit, instauravimus. Deinde paululùm recuperatis viribus, de triduo in triduum, aut etiam alternis diebus, nonnihil Terebinthinæ optimè exhibuimus, cujus beneficio alvum lubricam fecimus, & vias urinarias simul expurgavimus. Renes unguento rosaceo cum camphora inunximus, & laminam plumbeam ejus magnitudinis ut lumbos & os sacrum cooperiret, applicuimus. Nunc optimâ valetudine, laus sit Deo, fruitur generosus ille, nec ullum incommodum hujus mali gravissimi persentit. Urinam absque ullâ difficultate & impedimento excernit, præterquam quod cùm post cœnam ipsam reddit, pruritum quendam dolorosum, eo in loco, ubi antea fuit ulcus, persentiat. In urinâ præterea nonnunquam surfures conspiciuntur. Præterea quotiescumque vult ipsam excernere, guttula una materiæ viscidæ, albæ & glutinosæ in extremitate ductus urinarii ante excretionem urinæ apparet. Qualis illa sit materia, & unde

provenıat, ex Te scire, cupit generosus? Ego materiam illam ex labefactatis & nondum satis corroboratis prostatis pervenire existimo, esseque veluti excrementum seminis, beneficio naturæ ad extremitatem virgæ projectum. Deinde etiam quærit, cur pruritus ille dolorosus in urinæ excretione, post cœnam, cùm cubitum iturus est, solummodo, non autem mane aut interdiu persentiatur? Arbitror ego, naturam locum illum membranâ suâ destitutum, noctu, cùm naturales operationes præcipue fiunt, viscosa quadam & glutinosa materia in eum finem, ne ab acrimonia urinæ lædatur, munire: Interdiu verò urinam, quia aliquoties excernitur, materiam illam abluere, partemque adhuc debilem vellicare. Hæc si non probabilia, verisimilia tamen mihi esse videntur. Sed ampliorem declarationem, & quomodo hisce symptomatibus impostèrum occurrendum sit ex Te nobilissime vir, avidè expectamus.

Generosum ægrum porrò quod attinet, etiam nunc optimam exquisitissimamque observat victus rationem. Per intervalla quin etiam utitur Terebinthinâ. Præterito quoque autumno Apozemate laxativo corpus expurgavimus & venam in brachio sinistro secuimus. *Idem ibidem.*

De admirandâ curatione scroti post gangrænam delapsi.

Anno Domini 1616. mense Junio, vir quidam honestus, annorum circiter quadraginta, vino obrutus, cùm repente in scroti tumorem cum febre acuta, & virium subita dejectione incidisset, à Chirurgo vocato remedium petiit, qui cùm livorem istius partis cum exulceratione penis totius, imo periculum, quod manifestam gangrænam deprehenderet, notaret, de cura solicitus, petiit consilium Medici. Ego vocatus injecto prius clystere, quoniam alvus à biduo non responderat, præscripsi cataplasma ex scordio, ruta, farina lupinorum, orobi cum oxymelite, vino & similibus. Per os exhibui diasenam Hieron. Fracastorii, subinde aquam Theriacalem, quòd malignitatem cordi communicatam observarem, sine hac enim vix respirare potuit. Die sequenti deposito cataplasmate super cuticulam, quam Epidermidem vocant, separatam vidimus: tertio die scrotum sponte apertum, circa vesperam vel libras aquæ decem effluxisse. Quarto die testes ex toto nudatos conspeximus, deciderat enim scrotum à pectine usque ad perinæum. Hic quod facto opus deliberavimus, resiccantibus & incarnantibus remediis, quatuordecim dierum spacio tantum profecimus, ut non tantùm testes scroto munirerimus; sed & natura scrotum novis pilis vestiverit, glans peni redierit integra, omnia ulcera penis consolidata fuerint, & officium viri deinceps patiens præstare potuerit. Ego nec quisquam Medicorum nostrorum similem nec vidit, nec audivit: luis venereæ nulla suspicio: nunc inculpata fruitur valetudine.

Ego naturam potiùs in conservatione speciei quàm individui solicitam esse dixi: studet enim perpetuitati, ut cùm individuum servare non possit servet speciem, quod præstat partibus, quibus sobolescimus. Si molestum non fuerit, & negotia sinant, judicium Cl. T. officiose peto, *Idem ibidem.*

De Gangræna Perinæi & scroti admirandâ curatione.

Monstra in morbis fieri, Vir nobilis, Amplissime, Avertœm, summum illum Philosophum rectè scriptum reliquisse, indies experimur. Testis est admirandus & fortè inauditus ille casus, quem Clarissimus vir mecum communicavit. Ego infinitos propemodum vidi ægros, gangrænâ scroti laborantes, sed, ut ingenuè fatear, ne unus quidem testiturus fuit. Pudenda enim cùm partes corporis sint humidissimæ, raræ & spongiosæ, facilè excrementitios humores ex corpore descendentes recipiunt, sequiturque gangræna, uti sæpissimè in hydropicis observamus, in quibus gangrænam pudendorum, propter cachexiam corporis, & labefactationem viscerum, nec non caloris nativi partis affectæ imbecillitatem, plane insanabilem esse existimo.

Ægrum autem de quo Clariss. vir scribit, non fuisse diuturno aliquo morbo affectum, ex litteris clarissimi viri colligo: scribit enim, ipsum vino obrutum repente tumore scroti cum febre acutâ correptum fuisse. Vires itaque non fuerunt à diuturno aliquo morbo, quemadmodum fit in hydropicis, consumptæ, sed adhuc integræ: quapropter morbum faciliùs debellare potuerunt. Simile quid videre mihi licuit.

Generosus quidam Bernensis, quadraginta circiter annorum ætatis, à multis annis carunculâ laboraverat, quæ ipsi multùm negotii facessebat. Ante annum, circa principium Aprilis, cùm præscriptam à Medicis victus rationem non satis exacte observasset & in corporis exercitiis modum excessisset, primò fœtorem cadaverosum in urina (quæ sedimentum viscidum, spermati ranarum non absimile habebat) percipere cœpit. Ego quæ teneri, viasque urinarias abstergunt & mundificant, præscripsi, interim tamen fœtor ad septimanas aliquot continuavit. Tandem penitùs suppressâ urinâ, & exortâ inflammatione, in ipsô perinæo gangræna sequuta est, ita quidem ut totum illud interstitium, quod est inter podicem & scrotum, ductus item urinarius partim exciderit, partim quoque exscindendus fuerit. Longa esset ratio, si omnia quæ annotatione digna in hôc ægrô occurrerunt, recensere vellem. Clariss. Vir omnia ordine videbit in v. Centuriâ Observationum meatum, observ. 64. in quâ paulatim progrediot. Tandem omnibus admitantibus, veluti ex cymbâ Charontis evasit, & nunc integrâ fruitur valetudine, neque ullam molestiam in reddendâ urinâ sentit. Carunculæ enim omnes, quæ antea ductum urinarium coarctabant, erosæ & ablatæ fuerunt. Exigua prætetea fistula in perinæô remansit, & maximô quidem cum ipsius commodô; Viscidi enim atque excrementitii homores, qui ex superioribus & labefactatis partibus veluti renibus, vesicâ & vasis spermaticis, descendunt, liberè per ipsam effluunt, non tamen involuntariè sed cum ipsâ urinâ, quam pelvicula, ad id ex industria fabricata, excipit. Observatione autem dignum est, ante menses aliquot, cùm ulcus illud in perinæô, ita volente & jubente ægrô, me verò dissuadente, maximâ adhibitâ diligentiâ, cicatrice obductum fuisset, ægrum retentione urinæ aliisque incommodis, quæ carunculas comitari solent, de novô tanrisper afflictum fuisse, donec fistula iterum rupta fuerit. Porro ut redeam, unde digressus fui, nisi juvenis adhuc esset generosus hic æger robustus, optimô quin etiam corporis habitû præditus, vix evasisset.

evasisset. Natura enim ut Clariss. Vir rectè quoque sensit, semper sollicita est in conservatione individui sui, morbisque sese opponit: sed prout valida aut imbecillis fuerit, aut victrix evadit, aut victa succumbit. Memini aliquoties ex Du. Cosm. Sloano. p. m. Chirurgo præstantiss. intellexisse curationem admirandam, nec absimilem illi, cujus Claritas tua mentionem facit, cujus etiam memini centur.1. observ.48. Est autem talis.

Quadragenarius quidam Coloniensis, robustus, optimô corporis habitû præditus, cùm æstatis tempore supra modum, incaluisset, & maximum haustum frigidæ bibisset, post dies aliquot febre continua correptus fuit. Ex qua potiùs naturæ beneficio & industria, quàm arte & medicamentis Medicorum curatus fuit: interim tamen intemperies & vitium in hepate remansit, quapropter paulo post in cachexiam incidit. Et ita quidem, ut primò Ictericiâ, postea quoque Ascite prehenderetur. Advocatus Dominus Doctor Bernardus Cronenburgius, si rectè recordor Medicus Coloniensis longe celeberrimus, omnia quæ ad morbum debellandum necessaria esse videbantur, adhibuit. Tandem veluti per criticam expulsionem in scrotum delapso humore Dom. Sloanum quoque vocarunt in consilium. Ambo omnem adhibent diligentiam atque industriam. Interim tumor scroti non cedit, sed paulatim eò in locô, extinctô calore nativô, in gangrænam desinit. Scrotum itaque undique phlebotomô scarificant, sale marinô & theriacâ acetô dissolutâ abluunt: Unguentum Ægyptiacum & cataplasma ex farinâ Juniperorum, lolii, aloë, myrrhâ, scordiô, aliisque putredini resistentibus applicant, nec quidquam eorum quæ ad universalia spectant, prætermittunt. Optimam victus rationem præscribunt, corpus per intervalla leniter, leviterque expurgant: Corroborantia & obstructiones aperientia, cùm intus exhibent, tum capiti, hypochondriis, & ventri applicant. Interim dum aqua copiosè per scrotum effluit, æger meliusculè habere, viresque recolligere cœpit. Demum scrotum sphacelatum, partim naturæ & medicamentorum beneficio decidit, partim quoque quod sphacelatum erat, à Dn. Sloano novaculâ resectum fuit, ita quidem ut testiculi nudi conspicerentur. Ulcus per menses aliquot apertum mansit. Interim natura quidquid humoris excrementitii visceribus inhærebat, per hanc viam ita evacuavit, ut partes nobiles in integrum restituerentur, & à morbô planè liberaretur æger. Circumcirca autem testiculos, quod notandum, natura cicatricem duram, adeoque callosam procreavit, ut ipsos vice scroti, ab externis injuriis vindicare sufficiens esset. Sic Dei beneficiô omniò restitutus fuit æger, & ad multos annos in matrimoniô vixit, liberosque aliquot progenuit.

Ante annos aliquot cùm Lausannæ Medicinam facerem, venit ad me Sabaudus quidam 41. circiter annor. ætatis, cujus nomini de industriâ parco, huic ulcus ex lue venereâ ortum plusquam dimidiam partem scroti & testiculorum erosera. Adhibitis à me medicamentis, Deo benedicente restitutus fuit, & liberos ex uxore suâ suscepit. Hanc coronidis loco addo historiam, etsi à præcedentibus diversa sit. *Gulielmus Fabricius Hildanus in observationibus Chirurgic.*

Gangræna Universalis.

Seni fatuo, neque heri, atque hodie, sed diutissime debili facescebant tandem usque eò, cùm languidum cor, tum effectus partium calor: ut à nimia corporis offensa, sequeretur protinus perniciosissima gangræna. Dispergens se per iners hocce corpus, tam liberè, ac latè ut id intra paucos dies, consumpserit universum.

Non licebat illi, vel natibus insidere; vel cubito incumbere; nedum calcem pavimento imponere, vel scapulam in parietem inclinare, quin protinus extingueretur calor: & à gangrænâ obsideretur non minus pars premens, quàm pressa. Quæ labes, tam præpete penna, corpus universum, ubi pervolatet: vidimus brevi, vix ullam partem intactam: quin omnia jam emortua, antequam verè emoreretur, miserrimum hocce, lascivientis mortis ludibrium. *Nicol. Tulpius Observationum Medico-Chirurgic. lib. 3.*

Gangræna pedis.

Lucas Sircus, geometer Amstelredamensis, contraxit ex penuria caloris innati, gangrænam pedis sinistri. Cujus digitis à parte sana jam avulsis, obtulit nonnunquam, homo naturâ jocabundus, Chirurgo suô; ubi jam meliusculè ipsi foret, pedem dextrum: quasi recreandi causâ.

Sed eo, eadem labe paulo post, itidem infectô; deseruit illum illico intempestiva hæcce hilaritas, & quasi desperata, jam tum omni salute, credidit firmiter, pœnam hanc cælitus sibi immitti: quod tam intempestive joculatus fuisset. Quæ certe tristitia non deseruit ipsum, antequam deseteret ipsa vita. Adeò periculosum in seriis nugari.

Infortunium autem, quod ipsum oppressit, circumvenit plerumque, quoscunque à simili gangræna detentos. Neque fuit forsassis, ipsius conditio, eo deploratior, quod peccatum hoc, peccasset: sed quia cordis robur fuit imbecillius, quàm ut convenienter ab interitu vindicaret pedes; ceu longissime, à se remotos. Quarum partium exitium, propterea judicium facit circumspectis medicis, brevi usique pessum iturum, totum hominem. *Idem ibidem.*

Gangræna partium naturalium.

Innumera in fœminas cadere incommoda, menstruis post partum minus prospere succedentibus, vel Tyroni notum, at cui cognitum, explorarumve? Omnem expurgationis uterinæ impetum consertim propelli, in partes naturales, illasque inde, non tantum extrinsecus protuberare, Verùm gangræna etiam obsideri, quorum fælicissimorum eventuum dum nobis oblata fuere Exempla, & utrumque puerperis æque exitiale.

Materna locuples difficillimè enixa, cui nihil post partum, ex naturæ lege, à vulvâ secederet, doluit impensè circa naturalia, præ insigni illorum tumore, quem tamen invitissima quum ostenderet, fategimus quidem cùm per clysteres ac potiones; tum per fomenta ac olea opem adferre, sed oleo ac opera deperditis, maloque in dies invalescente evicit tandem pudorem, factâ copiâ illius tumoris, quem necessitas non sinebat ulterius celare.

At fluxus uterinus tam libere, tantoque impetu jam tum, se effuderat, in declives hasce partes, ut erosæ ac distentæ ab acri ac fervido hoc uteri excremento, jam induissent naturam gangrænæ; cum cute nigra, febre ardente, crebro animi deliquio imi ventris dolore, ac summis præcordiorum angustiis,

angustiis, quorum gravissima symptomatum vehementia, adactus Chirurgus, aperuit non solùm scalpello locum, eximitque inde plurimum concreti ac grumosi sanguinis, seu veras infusorum menstruorum reliquias. Verùm fategit quoque loca sincera desedere, & quod induruerat, in pus convertere, cujus voti propemodum compos, conceperat certe non exiguam sanitatis spem.

Sed heu vanas hominum spes & incerta conceptæ valetudinis argumenta. Vix animos fecerat sperata victoria, quin protinùs in pejus ruere, atque ante duodevigesimum intervenire puerperæ inexpectatum vitæ exitium, secundùm illud Celsi: Adeo in medicina, ubi etiam perpetuum est, quod fieri debet, non tamen perpetuum est id quod sequi convenit. *Idem ibidem.*

Vulvæ Rectique Intestini gangræna & perforatio feliciter curata.

In gravioribus affectibus haud decet Medicum facilè desperare; sæpius enim fiunt, quę fieri posse pernegares. Reperiuntur ardeliones qui non verentur mox exclamare: *Non curabitur, non eluctabitur, Moriendum est ægro &c.* Attamen si nomini & famæ cuperent consulere, cautiùs certe prognosticari deberent. Uxor cujusdam Pistoris Amstelodamensis, ob partum difficilem, incidit ante aliquot annos in vulvæ intestinique recti gangrænam adeo enormem, ut multi existimarent afflictam brevi è vivis excessuram. Post gangrænæ separationem foramen vulvæ à nobis repertum fuit tantum esse, ut facillimè nux juglans viridi cortice obducta per illud ad intestini recti cavitatem inferi potuisset: unde fœcibus alvinis dabatur locus, ut ex intestino recto ad vulvam nullo negotio transirent, id quod in tali casu admodum familiare, Vulva enim tam arctè cohæret intestino recto, ut quasi continuum sit corpus. Itaque si alterutra pars afficiatur, altera nequit remanere immunis. Chirurgus qui mecum curationem suscipiebat, excogitabat instrumentum è bracteâ confectum, in forma pessarii excavati, cujus superficiem exteriorem obducerat sarcotico medicamento: quale juxta Theoriam Chirurgicam equidem non erat improbandum, sed tamen in praxi præsenti inutile fuit repertum, neque enim illud perferre potuit ægra. Itaque dictis medicamentis, plumaceolis exceptis, aperturæ dictarum partium prospeximus, quibus brevi in totum reconvaluit hæc puerpera. Ubinam jam sunt scioli, qui effutiunt ejusmodi malum esse incurabile, & sine fistula remanente nunquam curam posse absolvi? sciant non solùm hanc puerperam in totum fuisse restitutam, ita ut nulla superesset labes, verùm etiam diversas ex eodem affectu à nobis esse curatas. Hoc verò discrimen in gangrænis partium animadverto: Scilicet, si partes posteriores, nempe, quæ os sactum respiciunt, tali afficiuntur morbo, facilius curantur, propter intestini recti carnositatem, valvæque dispositionem, quæ versus intestinum rectum non gaudet tot rugis transversis, nerveis & duris, curationi obstaculum inferentibus, sed quod omnia ibidem molliora, curationique magis prona. Præterea in parte anteriore, nempe, quæ meatum urinarium respicit, propter continuum urinæ stillicidium sanatio præpeditur, onde tum sæpissimè fistula relinquitur incurabilis. *Freder Ruysch. observ. Anatomico-Chirurgic. Centuria.*

Sphacelus strictiorem ligaturam sequutus.

Patitur puer quidam rusticus IX. annorum in agro Gorlicensi fracturam sinistræ manus in medio cubiti & radii: Ligatur ab imperito ędituô istius loci nimis arctè, unde subsequente aurora, rubore nigricante in manu subortô, cum sanguinis eruptione circa apices digitorum manus cœpit gangrænescere cum infelici ejusdem sphacelo, factaque hinc amputatione. *D. Ehrenfrid. Hagendorn.*

Gangræna brachii ab incautâ venæsectione.

Nobiliss. & magni nominis Jure-Consultus D. Oe. à S. Patricius Norimbergensis, tum juvenis, ex Hispania redux, Monspelii in galliis ex præcipitantia, Chirurgi aliàs percelebris, sanguinis missionem procurantis, in extremum fere vitæ discrimen inciderat. Nam iste, conspecta quadam in medio brachii flexu cicatrice, profundiorem venæ sectum conjecturans, cultelli (*Lancette* galli vocant) cuspide justô longiùs arreptâ, non venam tantùm infelici ictu pertuderat sed simul nervum quoque sub vena latenti gravissime læsit. Ast Oe. infelicię hujus sectionis ignarus, cùm subsequente die horrorem febrilem sentiret, in emittendo sanguine ex altero brachio, ejusdem Chirurgi operâ, sed feliciore ausu, usus est. Sequentibus diebus, in primis septimo, brachium dextrum supra modum extumescebat, inflammabatur, ac tandem in sphacelum converti videbatur, tanto cum patientis exquisitissimo cruciatu & dolore, ut plurima sanguinis & saniei copia excreta, ad interitum fere decumberet; variis quidem medicinis intus & extrinsecus, frustra tamen applicatis. Et quamvis singulatis fomentationis beneficio ex catellis & felibus recentissime editis, atque summo studio ad id requisitis dolores aliquantulum mitigarentur, atque calor brachii naturalis omnihil redintegraretur; ipsum tamen malum à gangræna conceptum non nisi cum brachii abscissione, vel funesta totius corporis pernicie, curari, aut deponi posse credebatur. Quapropter totum Medicorum Collegium Inclytæ inibi Academiæ in consilium convocatum, præmissa inspectione oculari, unum ex istis tribus ægro eligendum pronunciabat, vel brachium ob incidens gangrænæ malum incurabile, amputandum; vel nervum cum amortizatione totius brachii dissecandum; vel vitæ subsidium quodcunque. Is reputans seu sub toga, seu sub sago, se brachio indigere, ultimum eligens, maluit vitam cum brachio amittere, quàm sine brachio eandem misere & otiose producere. Ob id in tam desperato casu Medici & Chirurgi abeuntes ægrum miserè reliquerunt. Postero verò die ordinis Medicorum illius loci supremus, D. Joh. Hucherus de Bellovac, ad ægrum jam quasi conclamatum accessit, narrans in simili plane casu, olim Carolum IX. Galliarum Regem provida cujusdam Medici ope & arte curatum fuisse, si æger dubio artis eventui se committere, & tam ad gravissimos dolores obduratum, quàm ad sumptuum plurium erogationem lubenter paratum præstarę vellet, suum quoque scientię & operæ studium adhibiturum se fidenter promisit. Annuente ægro Huchetus novaculâ arreptâ, in affecto brachii loco novum vulnus cruciatim incidit, & ægrô ipso vulneris incisi partes forcipe tenente & dilatante, fruticula quædam inserta, vulnereque rursus colligato, paucis diebus

diebus id effecit, ut vena perforata & nervus læsus conspicerentur. Cùm verò fomentationibus præmissis, fervido & bulliente oleo locum affectum Medicus crebro perfunderet, eo ipso patienti tantum cruciatum causavit, ut viribus plane consumptis denuo in mortis vicinia versaretur. Tandem immensis doloribus paulatim remissis, ligatura aperta, notabiliter apparuit, quomodo nervus præscissus infusi bullientis olei beneficio coaluerit, ac quasi conglutinatus fuerit, quo & peracto, vulnereque persanato, ipsum brachium pristinas vires indies recipere, & patiens præter omnem expectationem in integrum restitui cœpit. *D. Thom. Bartholini.*

An gangrana pedis ex Sp. C.C. rectificati inunctione processerit.

Amplissimi Viri amicæ petitioni satisfacturi, perlegimus justâ diligentiâ transmissum Casum Medicum, & ad quæstiones propositas brevissimè respondimus. De facto tamen judicium nostrum suspendere debuimus, quia deficiente Medici Semproaii relatione, circumstantiæ variæ desiderantur de ægræ Viduæ statu, malo præcedente, remediis adhibitis &c.

Interea ad Quæstionem Primam officiose respondetur, videri pustulam in pede excitatam, fuisse mali moris ante farinarum Medicatum applicationem, alioquin enim cessisset, ad minimum ex parte, post admotas farinas, quin & pravitatis ejus iudicium esse, quod totus ille prior dolor, & cordis, & aliarum partium superiorum, desierit velut in punctum aut centrum pustulæ, adeoque ibidem tanto vehementiorem in angusto spatio excitarit dolorem. Putamus autem minus convenienter illitum postea Spiritum Cornu Cervi rectificatum, præsertim si purus ille fuit, & non temperatus misturis aliis, qualem scilicet mitiorem nostri pharmacopœi divendunt. Opportuniùs adhibuisset Sempronius diaphoretica interna, quàm externum illum vehementem liquorem, qui non potest non, præcipue in affectu non frigido, causari tandem dolores & alia incommoda. Neque spiritus ille in hoc casu salutari potest *Schmerz. stillender* spiritus, si accuratè loqui placeat. Solent tamen Medici in Inscriptionibus medicamentorum propter diversas intentiones ludere quandoque vocabulis, atque id innoxie.

Deinde, postquam ex superioribus constat, pustulam fuisse pravi & mali moris, non credimus inflammationem illam, & supervenientem gangrænam, in totum Spir. illi Cornu Cervioi adscribendam esse, cùm etiam sine illo medicamento potuerit sensim ex pustula illa ceu fonte infecto manasse, præsertim si corpus fuerit Cacochymicum, & ætas in senium declinans. Potuisse tamen dolores accelerare, & aggravare non negamus. In sana autem carne gangrænam ab liquot guttarum illitu, ctique quarterve repetito, excitatam fuisse, hactenus non observavimus.

Tandem, quanquam Theriaca diatessaron succo Sambuci permista cum fructu applicari possit erysipelati incipienti, adultæ tamen inflammationi sistendæ quomodo servire potuerit, non videmus, Solum rob Sambuci applicitum fuisset innoxium.

Conclusum in Collegio nostro Medico, Hafniæ 26. Martii CIↃ. IↃC. lxxix. Th. Bartholin. Er. Bartholin. W. Worm. Ol. Borrichius. Gasp. Bartholio. Th. F. *E. Clar. Thom. Barthol. Act. Hafn.*

Remedium ἰωτήειον ad Gangrænam

Acceptis Miscellaneis Academiæ vestræ Curiosæ gratias ago, quòd me inter Principes Archivos primum in Scenam producere volueris. Instituto præclaro Deus annuat, ut tantum opus quod molimini in Republ. Medicæ emolumentum cedat. Alias Observationes superadderem, sed Vulcanus omnes turbavit meos calculos. Quia aliis subsidiis jam destituor, prona voluntas inserviendi ǫui bonique consulenda, donec ad me ipsum rediero, interea tantùm unam alteramve mitto historiam, quę scribenti occurrit. Grassabantur nuper apud nos Morbilli maligni; facies exinde puellæ gangræna adeo defædata, ut labia pene fuerint consumpta. Sedavi statim serpentem gangrænam aqua marina, cui absinthium incoxeram, quod experimentum in aliis quoque gangręnis opposui felici cum successu. Dn. Th. Bartholini *in Lit. Hafnia Danorum ad D. Sachsium datis.*

Scholion.) Remediorum simplicium maximam esse varietatem, nemo est qui dubitet, habuerunt Græci sua remedia, suppeditarunt Mauritani maximam eorum sylvam, sed ut Rombæus ait Ep. 28. p. 98. Videmus adhuc alia in usum cessisse, quæ illi ne attigerint aut viderint unquam. Quanta non Remediorum cornucopia inaudita pri'cis seculis emergit inde ex utraq; Iodia, & ejus adjacentibus Insulis, adeò rectè dixit Comicus,

Usus, ætas, tempus aliquid apportat novi,
Ut quæ te modo scire credas, nescias.

In Gangræna tali messe plurimi non sine certa ratione Remedia apud nos nata Exoticis præstantiora judicant, ut pote tum ob familiaritatem cum nostræ naturæ constitutione, tum quod frustra foris petantur aux'lia, quibus domi abundamus, ut censet Andr. Libav. Ep. ad Schniz. 44. p. 135. in cista Horoung. Agoovit hoc inprimis Exc. Joh. Beverovicius Med. Dordrecht. qui Lugd. Bat. Anno 1614. edidit elegantem tractatum αὐτάρκεια Batavia s. introductionem ad Medicinam indigenam, in qua demonstrat cuilibet Populo satis apud se esse ad necessitatem, cuique proinde morbo sua ubivis remedia, & cum Natura μάτε μωδὲν, ποιῦ μά τιω μάτε ὑπὸ λείπει τ ἀναγκαῖων nec frustra quicquam faciat, nec deficiat in necessariis) cur Orientis illa solum sit mater fæcunda in superfluis largiendis; reliquarum verò terrarum injusta noverca, quæ cogeret ex alieno orbe advehere remedia. Indigena remedia sane quoad certitudinem, vigorem, puritatem, impensas, convenientiam cum natura incolarum (Beverovic. l. 2. cap. 2. pag. 65.) majorem habent, quamvis longe petita plerumque æstimentur. Eandem simplicium defensionem suscepit Primeros. de Error. in Medic. lib. 4. cap. 7. jam suo tempore Plin. (quanquam fere nimis acerbe) L. 24. cap. 1. exoticis indigena prætulit, quando inquit. Ex terra nascentibus Medicina: hæc sola Naturæ placuerat esse remedia, parata vulgo, inventu facilia, & sine impendio, ex quibus vivimus: postea fraudes hominum & ingeniorum capturæ Officinas invenere, in quibus sua cuique homini venalis proponitur vita. Statim compositiones & misturæ inexplicabiles decantantur. Arabia atque India in medio æstimantur, ulceriquę parvo Medicina a rubro mari imponitur, cùm remedia vera pauperrimus quisque cœnet. Id l. 22. cap. 24. non placent remedia tam longè nascentia, non nobis gignuntur, imò ne illis

illis quidem, aliàs non venderent. Hæc Plinius. Eundem in finem Excell. Thom. Bartholin. conscripserat libellum, cui titulus: Medicina Danica inquilinis remediis propriis morbos sanans, sed in miserando illo elapsi anni Incendio cum reliquorum librorum incomparabili jactura periit. De eodem hæc ipsemet scribit in de Incend. Biblioth. pag. 69. vulgo inservire placui, non doctis, quanquam malam gratiam inire videar à Pharmacopæis: Dedit Deus inquilina remedia pro curatione morborum domesticorum, quibus uti potest quisquis ab officinis Pharmaceuticis remotior, nec Medicos habet, quos consultat, nec marsupium, quod peregrinis remediis impendat. Sic Paralisin lateris sinistri curavi Spiritu frumenti cui herba paralysis incocta, Pleuritides populariter grassantes solo decocto hordei sanavi; Scorbuticos folio aquatico in Cerevisia veteri decocto: hydropicos purgavi foliis tenerioribus Sambuci. *Hæc Bartholinus.*

De malo Gangrænoso totius corporis.

Describit tale ferè malum à scorbuto Eugalenus de Scorbuto pag. 191. quale non ita pridem in Xenodochio S. Crucis Goslariensi observavimus, in quodam cœlibe XL. annorum. Hic ab aliquot mensibus rigidior incessit, & quasi immobilis, ut pedes & crura, immo ipsum dorsum non satis ex animi sententia flectere valuerit. Ante aliquot hebdomadas fit clinicus, & in lumbis oritur primo intuitu quasi excoriatio, quæ à diuturno decubitu aliàs oriri consuevit. Hæc primis diebus ab ipso ægro negligitur, post paucos tamen dies advocatur, qui manum Chirurgicam admoveret. Ille pro viribus eam tentat; sed perperam, quippe malum ipsos lumbos & dorsum adeo infecerat, ut ad interiora serpendo ipsas vertebras lumborum & os sacrum denudasset, cum insigni & intolerabili putredine: & ipsa caro lumborum plane indolens apparebat, &, quasi carnes dilacerassent, ipsam hanc musculosam carnem. Accedebat ἀναισθησία inferiorum partium & abdominis, quippe injussa & excrementa & urina, modò corpus moveretur, effluebant. In pedibus & brachiis utcunque apparet macula nigricans, altera die tumor, tertio die subsidebat tumor, & apparebat ulcus gangrænosum fœtidum, uti & utrumque calcaneus brevi spatio sensum & vitam exuit. Hunc, rogatus, miserrimum die ante suum obitum eorum desperato morbo, visebam, ubi vix intolerabilem fœtorem cum aliis perferre poteram. *D. Joh. Georg. Trumphii.*

Sphacelus fracti cruris.

Ratisbonæ observavi in Viro quodam, ac juvene alio, quod, cùm in cura & deligatura fracti cruris calcaneus non ritè & subtus concave ponebatur; hunc brevi sphacelo infestari. *D. C. B. Winclerì.*

Scholion Schrockii.

Calcaneus cùm in parte posteriori magis præ cruce exstet ac promineat, adeoque in supino decubitu concavitatem aliquam efficiat, si illa suppositis pulvillis non expleatur, cruris ossa, ob fracturam tono suo & robore orbata, pondere quasi concidunt, adeoque partes circumjacentes molliores comprimendo, vel etiam distendendo, inflammationem facilè atque sphacelum inducere valent. Siquidem ut Hippocrates in lib. de Officina Medic. scribit, jacere eo habitu convenit, qui secundùm naturam sit; & dolorem minime faciat; quod paulo post calcaneo in specie applicans, in prominentibus, inquit, corporis positus mollis, æquabilis esse debet, & qui sursum tendat, velut in calcaneo & coxendice, ita ut neque reflectantur, neque evertantur. Et lib. de fract. hæc habet: Ubi devinxeris, supra molle aliquod & æquabile deponere, ut ne in hanc vel in illam partem pervertatur, aut in anteriorem aut posteriorem partem inflectatur. Ad id verò plurimùm confert pulvinum lineum, mollem non durum, medium in longitudinem, aut aliud quid tale cruri supponere.

Gangræna sanata.

Nobilis à *Grutschreiber* laborabat Gangrænâ, Chirurgus imposuit jus sive muriam de Brassica acida feliciter.

Brassicam acidam egregiam vim refrigerandi habere, nemo est qui negat. Memini Dominum Capitaneum à Weixel mihi enarrasse, quòd aliquando pulvere pyrio adustus felicissime seipsum sanaverit, imponendo Brassicam acidam. Sic *D. D. Sim. Pauli* 4. part. Bot. p. 16. refert: Gangrænam in femore sola applicatione pomorum putridorum contusorum, sine affusione ullius liquoris coctorum sanatam. De Brassica Gal. l. 2. simpl. med. dicit; Brassica esculenta desiccandi vim habet, tam esa quàm foris imposita. Quantùm Brassicæ acidæ ad usum usque tribuat *Hippol. Guarinonius ita Grevel der Bernustunge. Menschen Geschelis. p. 570.* videri potest. *D. C. Winclerì.*

De Natibus sphacelatis.

Glutæos sphacelatos videre frequentissimum mihi fuit in febribus malignis & chronicis multis à diuturniori decubitu supino. Licet autem ex illis amplæ habenæ atque lamellæ defectæ sint, atque optima quæque antiphagædenica tam intus, quàm extrà fuerint adhibita, mortis tamen præda fuerunt, uno duntaxat excepto, vegetiore viro, belli duce, purpurata febre correpto, de quo mihi toties à Chirurgis inclamatum, *tuère vità præsidia, nos externis prospecturi sumus.* Et revera quisque nostrum suas partes feliciter peregit, instaurando salutem Numinis afflatu. *E. Clar. viri Car. Drelincurtii Collegiis, communicante Excell. D. Guyot Med. D.*

Gangræna ex Elleboro lethalis.

Rustica mulier juvenis, doloribus ventriculi molestata, infusum, è cortice radicum ellebori albi cum vino paratum assumpsit. Hausto pharmaco incidit in Dyspnæam cum strangulationis sensu; cardialgiâ, pulsu debili & frequente, sudatiuncula, extremorum frigore, tussi, sputoque cruento. Ter aut quater alvum deposuit, postridieque cum tribus aut quatuor sedibus, lumbricos dejecit, cum intenso frigore universum corpus obsidente, dolor in dextro crure oboriebatur. Non fomenta ex vino rubro cum herbis nervalibus parata, non spiritus vini applicatio, membri mox emoriturì frigus sustulerunt. Sensim evanescente dolore, qui per biduum misellam cruciaverat, nativus cruris color in purpureum lividumque mutatus fuit, membrumque sensu

sensu & vità carere compertum est. Nulli fuere auxilio scarificationes, permultaque alia Medicinæ præsidia. Amputata infra genu tibia, nullus manavit sanguis. Interim serpens & interiora pervadens gangræna ægrotantem è vivis abstulit. *Ex communicatione Clar. D. Rivalier Medic. Doct. Celeberrimi.*

Gangræna pedum podagram mentiens.

Clariss. Marci Gerbesii, Miscell. Curios. Decur. iij. Ann. 1.

Egregiè post Galenum de gangræna & sphacelo Hieronymus Fabricius ab Aquapendente Pentat. Chirurgi l. 1. c. 19. dicendo: Gangrænam esse mortificationem partis, quæ inflammatione tentata est; Sphacelum verò affectionem, in qua pars omnino emortua est. Causam verò eorum inter cætera quandoque etiam esse influxum pravorum, & quasi venenatorum humorum, in corpore à pravis cibariis genitorum in partem aliquam. Communiterque incipere solere in digito magno pedis, & mox inde progredi ulteriùs, ita ut brevi tibiam, & totam coxam apprehendat. Omnem etiam gangrænam quidem esse adeò curatu difficilem, ut nisi quis præsentissimis remediis occurrat, pars continuato quodam motu sensim emoriatur, ac brevi temporis spatio hominem juguler: eam tamen, quæ ex humorum affluxu contingit, esse omnium deterrimam, & planè raro feliciter terminari, imò homines senes subinde intra diem necare. Curationem verò tentari posse, (1.) Sanguinis emissione. (2.) Peccantium humorum correctione. (3.) Eorundem humorum expurgatione. (4.) Doloris lenitione (5.) Caloris nativi in parte affecta resuscitatione, aut, si is jam planè emortuus est, quod quidem saltem in malo jam ulteriùs progresso, & in sphacelum commutato fit, partis affectæ à non affectis omnimoda separatione (6.) Virium conservatione. Quemadmodum hæc omnia unà cum Remediis ad id idoneis, pluribus videre licet loco citato.

Reverendissimus & Illustrissimus Comes Octavius Bucellenius Præpositus Labacensis, hujus inclytæ Provinciæ Carniolïæ Deputatorum Præses, vir omni virtutum genere ornatissimus, & patronus olim meus gratiosissimus, ætate sexagesimo anno propinquus, temperamenti cum prædominio melancholici, habitûs gracilis, & diætę aliàs observantissimus, podagricis tamen doloribus, jam à pluribus annis valde obnoxius, circa finem Decembris anni 1691. postquam cum familiaribus suis præter suum morem in novo vino nobis *Prosseckher* dicto, vino, si ejus claritatem excipias circa illud tempus gustuosissimo, nonnihil excessisset, & fortè quoque in aliis deterioris succi cibariis, in alvi quendam fluxum incidit, adeò quidem tolerabilem ut Ordinarius suus Medicus Excellentissimus Dn. D. Andreas de Coppinis, in scientiâ Medicâ aliàs nulli facilè palmam concedens, eum exceptâ probe diętæ observantiâ nullo alio remedio indigere judicaverit, quemadmodum malo in dies decrescente, res tandem etiam eò devoluta est, ut diarrhœa in totum cum ægri levamine cessaverit, sed cum quo tamen eventu, audiamus.

Dum Illustrissimus Patiens se ita planè in salvo esse existimat, nullìusque ulterioris remediis egēre, in pedis dextri extremis digitis dolorem quemdam ardentem percipit; podagricum tamen, cui, uti priùs innui, valde obnoxius erat, desluxionem ratus, nihil minùs, quàm infausti quid inde sibi metuit. Ast invadit idem ardor & alterum pedem non minori cum furore & pauli post utriusque pedis digitos, immobilitas quædam in aliis podagricis paroxysmus insueta, unde ad scrupulum sibi hac in parte adimendum, mox ordinarium suum Medicum advocari curat, qui, re & sibl suspectâ visâ, author fuit, ut pro re exactiùs dignoscenda adhuc alii in arte versati viri advocarentur. Et advenimus nostrum tres, qui viso in pedum digitis livore quodam insueto, & immobilitate, mox de gangrænâ præsente & à materia quadam atrabilari, valde calida, acri, & quasi malignâ, ex alvi fluxu fortè residuâ, illuc tanquam ad partes ob toties perpessos podagricos dolores debiliores à naturâ præcipitatæ progenitâ, suspicari cœpimus, & proinde, quò allegatis superiùs ex Hieron. Fabricio ab Aquapendente in simili casu indicationibus cum aptis remediis tempestivè satisfaciendo, ulteriorem mali progressum satis maturè præcaveremus, omnem quidem lapidem movimus; sed priusquam ferè aliquid, excepto acri clystere, qui mox ab habito consilio injiciebatur, in usum tractum erat, jam actualis sphacelus adfuit: Dolor scilicet cessavit, pedum digiti adeò arefacti, quod quidem fidem superare videtur, conspiciebantur, ut in fumo magis exsiccati viderentur, reliqui verò pedes pallore quodam insueto, frigiditate, flacciditate mollitieve ita affecti sunt, ut contrectacato œdematis ad instar facilè ad intrò cederet, & cutis, quasi à substratis carnibus avulsa esset, digitis elevari potuerit, cum succedente per interiorem tibiam livore quodam, insensibilitate & immobilitate, ut propterea de actuali sphacelo jam præsente, nemo nostrûm ampliùs dubitare potuerit. Hinc de quinto superiùs memorato scopo cum emortuarum partium ab adhuc sanis actuali cum sectâ abscissione exsequendo mox quidem solliciti fuimus, quod vires tamen valde prostratæ, ætas utcunque provecta, & ferè inevitabilis sub ipsa operatione ingens hæmorrhagia simile remedium nobis dissuadere videretur, evidensque periculum minari, ne æger sub ipsa operatione succumberet, judicatum est, consultius esse mitioribus, & qualia proponit citato loco rursus Aquapendens emortuarum partium istam à sanis separationem tentare. Unde mox applicata fuere sanis adhuc partibus defensiva, emortuis verò præmissâ profundissimâ scarificatione, putredinem corrigentia & carnem emortuam à sana separantia, ast quibuscunque non obstantibus, malum insensibiliter earenus proserpebat solâ partium immobilitate, & cutis aliquali validitate paulò post verò etiam insensibilitate se prodens, ut Illustr. Dn. Patientem planè interfecerit. Sed quàm insueto mortis genere! quasi mors metuisset tantum subjectum palàm, & modo aliis mortalibus usitato aggredi, sed potiùs coactu fuisset simile stratagema studio excogitare, & mutuatâ à podagra larvâ, ab extremis pedibus quasi clam sursum serpendo nobilissimo illam lectissimisque virtutibus ornatam animæ sedem, cor invadere. Usque adeò moriendum esse cunctis certum est, mortis verò genus & tempus incertum.

Gangræna

Gangræna in pede curata.

Clariss. Christiani Helvichii, Miscell. Curios. Decur. iij. Ann. 4. p. 92.

Cùm animi relaxandi gratiâ brumali tempore iter in pagum suscepissem, Rusticola quidam me accessit, referens in filiæ 20. circiter annis natæ pede alterutrô primò quidem visam esse inflammationem cum ruborâ, tensione, deinde verò eam de dolore jam pulsatorio, jam scindente, æstu quoque & siti graviter conquestam esse, mox visas aliquas vesiculas cum maximo sensu doloris, modò pedem esse lividum & in parte quadam nigrum, foetore putridô ac cadaverosô circumstantibus perquam gravem, ac jam stupidum fieri, motumque perire: ego hisce intellectis periculosissimum affectum esse agricolæ significavi, me ex ore ejus modo audivisse signa gangrænæ, imò sphaceli sive perfectæ cessationis vitæ, jubeo denuò explorare diligenter, an supersit adhuc sensus in organô, si aut pungatur, aut putrescens caro præscindatur, quòd si nihil sentiat, unicum servandæ vitæ modum esse præscissionem scilicet & amputationem, si vires adhuc Ægræ constent, ne pars sincera trahatur, & quo modo in vicino oppidô Chirurgus sese gerere debeat, scriptâ Epistolâ doceo, quòd si sensûs indicium aliquod se se prodat, jubeo aquâ calcis partem affectam lavare, & lotæ, Emplastrum Diasulphuris applicare; recordabatur enim Martinum Rulandum cum felici successu his euporistis triste malum stitisse; ipse extremam caussabatur paupertatem, & cùm meo sumptu vel Spiritum salis Armoniaci aut oleum Terebinthinæ, vel ex acidis ex fide multorum bene se gerentibus, oleum vitrioli emere vellem, iter etiam detrectabat, instanter orans, ut nominarem vegetabilia Germanicis nominibus: Laudo Scordium, Card. bened. Centaurium minus, Radicem Galangæ, Rutam & alia alcalica ac balsamica non effœta, quia verò Tinct. Bezoardica more Michaëlis parata ad manus erat, imò etiam constituentia eam & spir. vini muneris locô allata amicô, offero homini, usumque Tinct. internum, specierum verò cùm Spiritu vini externum mando, & hac ratione ex loco discedo. Post quinque menses cùm redirem, diligenter percontabar, quid post abitum meum contigisset; Rusticus narrabat, sese domum revertentem nullum planè sensûs indicium in pede isto ampliùs offendisse, nec tamen paupertatis suæ sibi conscium advocasse Chirurgum, postea in festo memoriæ S. Jacobi sacrô tibiâ & fibulâ citra adminiculum quasi serra, ut loquebatur non procul è genu abscissis, decidisse pedem, nec serpsisse malum longiùs aut genu transcendisse, & cum antea TRam Bezoardicam ad guttas aliquot porrexisset, alteri pedi idem malum minanti Species Spiritu vini impregnatos imposuisse, & (sic evanuisse periculum & filiam de nullo amplius morbo conqueri, ac amisso altero pede domestica pro virili negotia tractare. Ex his igitur evidenter patet, Gangrænam non tantùm arteriosum, venosum ac nervosum genus infecisse, sed etiam ossa corrosisse. Quantùm verò conjicere ex relatione hominis licebat, ex frigore nimio nuda enim pedibus obambulaverat sævienti brumâ) in hoc malum inciderat, frigus verò circulationem sanguinis sine dubio impedivit, fibræ enim & propagines nerveæ in corrugationes & spasmos adactæ, Spiritibus in fugam conjectis, aut distractis, vasa sanguifera ab ipsis circumligata strinxère, hinc orta stagnatio & inflammatio; per hanc autem notabili temporis morâ sanguis acredinem Spiritibus & humoribus inimicissimum & corrodentem videtur acquisivisse; unde necesse est prædicta mala consequi. Hæreo verò anceps, quî malum nullo ab arte impedimento facto in altero pede sese non diffuderit latiùs, an unius Bezoardicæ T. RÆ usus fortassis obicem posuit?

Pollex pedis gangrænosus feliciter separatus in septuagenario.

Clariss. Joh. Pauli Wurffbainii, Miscell. Curios. Decur. iij. Ann. 9. & 10. p. 436.

Hieronymus Schedel, ob formæ pulchritudinem in juventute, Hieronymus formosus dictus, ex eo Textorum genere qui ex stamine lineo, trama verò vel sericea vel bombycina telam conficiunt & quod circa annum. 1488. è Suevia familias suas transtulerint Norimbergam, hodienum Textores Suevi vocantur. Anno 1700. in pedis pollice dextro, insignem percipit dolorem, nullo tamen sive tumore sive rubore conspicuo, quem Arthritidem credidit eò faciliùs, quo frater Podagricus constanter hoc affirmavit, remedii tamen nihil applicavit, nisi quod propriâ salivâ jejunus adhuc, pollicem non sine levamine, ut putavit, quotidie inunxerit.

Elapsó quadriennio rediit dolor, priorem tamen atrociâ longè superans, & clavum fortiter adactum; simulans, cum tumore & inflammatione insigni, cui vicinorum suasu Linteamina Lacte caprillo calido madefacta, non sine tumoris decremento, mox pessimo consilio, Terebinthinam ovi albumine mixtam, applicuit, exsudante deinceps materiâ purulentâ, quæ mox copiosiùs abbreviatô à Balneatore ungue, affluebat, guttulis aliquot sanguineis mixta, sequebatur, elapsis aliquot diebus sanguis grumosus, putridus, nec sine foetore, augebatur dolor indies, ita ut insomnes planè æger consumeret noctes, non sine virium notabili læsione, & quod maximum, livescebat pollex, & sphacelum minabatur præsentissimum; conterritus hac rerum facie, Balneatoris ad insigne Rosæ beatè defuncti, Minister Gotofred. Pau Lissâ prope Gòrlicium oriundus, Medici consilium summe necessarium, & absque ulla mora implorandum esse aiebat. Vocatus ab Ægri filio, d. 22. Maij. Anno 1704. accuratè omnia inspicio, & tam ex pollicis nigredine, quàm striis rubris à pollice ad suram usque jam ascendentibus, gangrænam cum summo vitæ periculo adesse, Conjugi & adstantibus denuncio; & internè Confortantibus sic dictis fractas resuscitare vires, Gangrænæ verò putredini resistentibus, admixtis simul antiscorbuticis obviam ire intendo, externè verò Spiritum Vini Camphoratum myrrhatum cum plumaceolis ulceri imponere, quàm linteaminibus totum pedem cum Tibia, quousque nempe se extendebant striæ, involvere jubeo, non sine effectu laudabili, brevi enim striæ modò dictæ imminentis sphaceli prodromi, disparebant; pollex magis quidem nigrescebat & corrugabatur, gangrænosis tamen partibus à sania rubicundo apparente circulo, optimo sane præsagio se separantibus

rantibus ac discedentibus; erexi ergo ægrum nostrum senem solatio, decurtandum tamen esse pollicem si prolongare velit vitam suam, dixi, annuit senex, animo fortissimo, & die 26. Maii Anno 1704. ætatis verò suæ septuagesimo quinto (natus est Anno 1630. d. 6. Maii) sustinet intrepidus; sed delitescebant adhuc bina appendicis Metapedii fragmenta, quæ post aliquot septimanarum effluxum à benignissima Matre natura, non sine admiratione separabantur, & foras protrudebantur (quæ unà cum pollice inter varia curiosa servo) lymphâ hactenus emanante, sensim emanente, carne sana cavitatem replente, cuteque omnia debito rursus modo investiente, ut ædes pro lubitu perambulare, templa frequentare & pro senii satis aliàs vegeti ratione, vivere queat pancratice.

SCHOLIUM) Naturam in senibus, tantaenim esse virium, ut ossium fracturas consolidare, fissorum lamellas & squamulas separare, ulcera mundificare, carnem sanam regenerare, cutemque superinducere queat, dubitare omnino licet, cùm hæc omnia succum requirant nutritium copiosum & gelatinosum, in senibus verò cutis rigescat, musculi languescant, membra incurventur, non alia certe ratione, quàm quòd pleraque viscera succi hujus nutritii elaborationi dicata languescant, ut sensim deficiat, vel non satis sit glutinosus, unde non potest non fieri, quin fibræ exsiccentur, vasa contrahantur, pori ductuumque meatus immutentur, corpusque nostrum stirpium instar exarescat; Meritò hinc vegetum adhuc Textoris hujus senium, succique nutritii & copiam & bonitatem, quem ex effectu hoc satis raro, probamus, miramur, simulque concludimus, Gangrænosos affectus à causa externa, extirpatione Membri vix curari meliùs, ab interna verò ortos, nec igne curari, nec ferro, sed morte, ut plurimum, & hic lineam esse rerum ultimam.

GASTRORAPHIA vid. de eâ in *Vulneribus Abdominis*.

GENU immobile quomodo curatum ab Aquapendente. Vid. sub titulô *Articuli*.

GIBBOSITAS.

De Gibbis quædam videri poterunt ex Marco Aurellô Severinô *sub titulô* Luxatio, *in fine, ubi de Luxationibus internis, seu ab internâ causâ. Hic autem primò trademus quod de ejusdemodi infirmitate habet in Dissertationibus Medicis Selectis Clariss.* Wolfgangus Wedelius. *Sic autem ille.*

Ne in frontispiciò starim propositi nostri mæandris implicemur, sed succinctò & solido tramite procedamus, more recepto à vocis significatu initium facturi sumus. Nomina enim sunt εἰκόνες sive imagines rerum, quibus intellectui propositis ipsæ res, uti sunt, exprimuntur, & concipiuntur prout par est. Hinc eleganter Plato in Gorgiâ: ὅς ἂν τὰ ὀνόματα εἰδῇ, εἴσεται καὶ τὰ πράγματα, nominum gnarus, gnarus rerum. Consistit autem illa nominum cognitio in tribus: *Etymologia, Homonymia, & Synonymia.*

Gibbus itaque, si *etymologiam* spectemus, nomen græcum est & latinitate donatum, descendit enim à κύπτειν inflectere incurvare, à cujus præterito medio κέκυφα, abjecto augmento κε, & mutato α, in ος, dicitur κυφὸς incurvus. Alii hoc nomen derivare allaborant ab ὑβὸς curvus, inflexus. Hinc ὕβωσις, ὕβωμα, curvamen, tanquam ab ὑβόω curvo, quòd illi, qui hoc affectu afficiuntur, non erecto sed magis depresso & inflexo incedant tergo; quæ tamen derivatio cum priori eadem est. Videri de hac Philologia inprimis meretur Pergamenus l. 6. aphor. comm. 45. Ex quo ipso loco & rei ipsius fundamentis potissimum arguere licet, quidnam sentiendum sit quoad.

Homonymiam, magni momenti quæ est, ut rite procedamus hinc in dicendis. Notandum enim est, sumi gibbi vocem 1. latissime pro omni convexo & extuberante, etiam naturali, unde notum est, non solùm montes ab Helmontio & aliis dici gibbos terræ; verùm specialim hepar dividi in partem gibbam & simam, convexam & cavam. Referri huc meretur, quod ipse Cous spinam scribit à sacro osse usque ad magnum verticulum κυφὸν gibbosam esse, lib. de ossium natura c.2. t.6. Quod repetit lib. de articul. c.41. t.8.

2. Late & improprie paulo gibbus notat omne vitium ossium circa ipsam cratem sive spinam, à statu recto in curvum abeuntium, & eminentiam inde consequentem, qualis tum in aliis ex consuetudine observatur, tum frequenter in senibus jam decrepitis, potissimùm procerum corpus habentibus, quibus corpus præ siccitate aut imbecillitate nimia in anteriora incurvescit ac inflectitur, quæ tamen potiùs curvitas, quàm gibbositas nominanda, ut quę nullo pectoris aut spinæ vitio accidat.

3. Strictè magis gibbi dicuntur in universum, quibus luxatæ suoque loco dimotæ prominent spinæ vertebræ. Hæc autem luxatio varia est, & deprehendimus illius quatuor vel quinque potissimùm annotari differentias, quas communi & recepto ordine recensebimus. Una fit extrorsum, quum foras sive in posteriorem spinæ partem, vertebrę convertuntur, Græcis κύρτωσις, sive κύφωσις Latinis gibber gibbositas dicta. Altera fit introrsum, quum in partem interiorem vertebræ luxantur, ita ut in dorso sit cavitas, in pectore circa sternum præcipuè tumor Græcis λόρδωσις, Latinis repanditas, recurvitas. Tertia ad spinæ latera, quando nempe vertebræ neque ante, neque retro recurvantur, sed in obliquum sive ad latus declinant, Græcis σκολίωσις. Latinis obstipitas, divaricatio: est autem sic dicta, quòd tortuosum vel lumbricum terrę reptantem referat spiratum similitudine. Refert etiam Hieronymus Cardanus in Comm. de causis, Signis & Locis morborum part. 3. §. 56. id quod etiam obtigit citanti id. M. A. Severino, l. de gibb. c. 1. p. 324. & D. D. Præsidi, visam sibi puellam, flexa ita spina, ut literam S. referret. Quarta est, quum vertebræ in loco quidem suo manent, earundem tamen compages laxatur, cum æquali magis in sedendo incurvatione, quod in tenellis infantum corporibus speciatim visitur, non item in senibus, exceptis, quibus id vitium incuratum remansit, qualem sartorem novit D. D. Præses, qui continuò incurvato & prono fere corpore incedit, non aliter ac si aliquid amissum studio curioso semper quæreret. Græcis dicitur σεισμὸς, Latinis commotio sive concussio, quassatio vertebrarum. De singulis his speciebus videri potest Galenus l. 4. de loc. aff. c. 3. & comment. 3. de artic. t. 2. Quinta est, quando tum vertebris dorsi,

dorsi, tum lato ossi pectoris, quod sternum dicitur, ut incorventur intus & extus, accidit, fœdaque corporis existat figura cum depressione colli & elevatione humerorum, atque exsiccatione coxarum. Et ista corporis tortura vocatur ante & retro gibbositas.

Ex quibus patet, tum singulas species probe discernendas, tum unamquamque illarum strictissima acceptione venire posse, cumprimis verò, & magis κατ' ἐξοχὴν, gibbi nomine venit, quando, quod frequentissimum est, extrorsum fit spinæ protuberantia, qua de etiam impræsentiarum agemus potissimum, ita tamen ut reliquarum hæc ipsa sit velut quædam norma, juxta quam illis opem ferre queamus.

Si Synonymiam spectemos, variis hic affectus gaudet nominibus. Dicitur enim Græcis, præter dicta, κῦφος, κῦβος, κύφωσις, κύβωσις, κύρτωσις, Latinis gibbus, gibber, gibbositas, gibberositas, & qui hoc affectu laborant, vocantur gibbi vel gibberosi. Germanis *der hokerode der puckel.* Et hæc de definitione nominali. Plura hac de re scire si quis desiderat, Philologorum consulat oracula. Nos hac vice de nomine non ulterius sollicitii, progressum facimus sine ambagibus ad ipsam definitionem realem.

Jam investigavimus Gibberis nomen, ejus denique nominis significationem examinavimus, nunc ipsam quoque ejuidem definitionem producimus.

Definitur autem gibber, quòd sit eminentia præter naturam, in dorso cumprimis, vel thorace, cum deformitate & motûs impedimentis, sine febre, dependens à spinæ dorsi luxatione vel contorsione.

Genus est eminentia seu tumor, in hoc enim gibberis essentia & formalis ratio consistit, ut sensu teste, id deprehendatur, in omni proprie dicto gibbo esse extuberantiam, etiam quando cavitatem extrinsecus videatur exhibere. Omne siquidem convexum corpus sua gaudet cavitate.

Qui verò per contorsionem spinæ morbum hunc definiunt, causalem definitionem offerunt, neque nobis hinc contrariantur. Præter hioc vitium esse structuræ, tum in conformatione, quoad figuram, quandoquidem quæ recta vel recti æmula debebat esse spina dorsalis, & in longum magis excurrere incurrere incurvatur, & actionem naturalem in motu lædit, ac symptomatum diversorum causa existit; tum in compositione, situ & connexione mutata.

Differentiam specificam constituunt reliqua definitionis verba, ut facile γεννητὸν εἶναι tumoris pateat; esse nimirum tumorem ob partes solidas sede sua dimotas. Ut enim ossa loco, suo excidentia partes ad quod contorquentur, intumescere faciunt, illo verò loco, ubi exciderunt, cavitatem efformant, quod luxationis nomine in scholis Medicis venit; ita ad hujus latitudinem etiam gibbus pertinet, & simili contento solido est conspicuus.

Limitatum id speciatim fuit ad dorsum & thoracem, tanquam partes ad hunc affectum recipiendum quàm maxime convenientes. Reliquæ enim partes corporis, præter dorsum, non facilè & fermè in totum non sustinent gibbum, ut mox dicemus pluribus. Limitatum etiam ab adjunctis velut individuis comitibus primariis, deformitate & motûs impedimentis, aliisque verbis, ut iis conjunctim spectatis facilis oriatur distinctio ab aliis tumorum generibus in dorso evenientibus, siquidem partibus ejus musculosis, seu mollibus in genere, affectis enormes sæpe tumores, imò nonnunquam scirrhosos quoque & rebelles, ibidem oriri & gestari experientia rerum magistra loquitur.

Sede morbi priùs bene perspecta atque perpensa, feliciùs hinc in ejus notitiam & curationem pervenire quemque posse, monet Celsus l. 4 de medic. c. 1. Cujus monitum ut nos quoque sequamur, in gibberis subjectum seu partem affectam jam inquiremus.

Subjectum Principale gibberis sunt vertebræ spinæ dorsalis enim præcipuè affici sensu & ratione patet; Adæquatum verò constituunt vicinæ & connexæ cum iisdem partes osseæ aliæ thorax, sternum, costæ, scapulæ. Neque enim nisi gradibus læsionis & speciali loco different tumores circa scapulas, dorsum, humeros gibbosi. Remotius subjectum est totum corpus. Unde ossium horum consideratio, quomodo affici possint, multum ad investigationem causarum penitiorem faciet.

Certum enim est 1. effatum generale Hippocraticum, præcipuè huic parti conveniens, l. de ossium natura c. 7. t. 1. & 2. (qui de venis in edit. Linden. inscribitur) τὰ ὀςέα τῷ σώματι ςάσιν, καὶ ὀρθότητα, καὶ εἶδος παρέχειν, τὰ δὲ νεῦρα κάμψιν καὶ ξυντάσιν καὶ ἔκτασιν, ossa corpori stabilitatem, & rectitudinem, ac formam exhibere, nervos flexionem & contractionem ac extensionem.

2. Constat verò per Anatomen, spinam non uno osse continuo gaudere, sed pluribus, quæ spondyli sive vertebræ audiunt, à vertendo dictæ, quòd harum beneficio spina in omnia motus genera aptari & verti possit, flectendo corpus antrorsum, retrorsum, dextrorsum, sinistrorsum.

3. Vertebras hasce sibi invicem superponi, foventes in centro suo medullam à cerebro prolongatam, ut velut columna quædam sit, morbi iis tamen, ut & conjunctis iis corporis sustinere moles queat, & iisdem conjunctim & æqualiter inflexis & curvatis motus peragi.

4. Ipsam spinam secundùm longitudinem ἰθυσκολιὴν rectobliquam, & in quatuor velut sectiones exporrectam esse, collum, dorsum, lombos & os sacrum. Ex his verò dorsi vertebræ, quod antica parte thoracem constituit, frequentissime, hinc lumbi afficiuntur cumprimis & gibbum pariunt.

5. Ut motus fluxionis & extensionis possit confici, γεγιγγλυμῶσθαι τοὺς σπονδύλους, copulari sibi invicem vertebras per γίγγλυμον & motum conspicuum edere; circumfusas cartilagine insigni utriusque extremis, quibus se excipiunt; connexa præter συγχόνδρωσιν nexu firmissimo per ligamenta & vincula crassa valida ac dura, implicari processibus, & præcipue vinculum membranis validis intextum universam spinam extrinsecus obvolvere, à quo robur & firmitudinem acquirit. Connexæ sunt vertebræ (ut loquamur cum B. Rolfincio dissert. anat. l. 2. c. 35. p. 278.) dura extrinsecus membrana: intus verò ligamento membranosa, duro & robusto, à summa cervicis vertebra ad os sacrum producto. Elegans connexionis hujus exemplum per speciale membraneum vinculum, à suprema contignatione spinæ protensum, curiosa speculatione videri potest in halecibus, modò certa ἐγχείρησις adhibeatur, ne à carnibus separatum oculis pateat, ad cujus flexionem & spineam cratem curvari oportet. id verò non nisi in coctis apparet. Neque obstat, non perfectum attribuere alios ossibus hisce γίγγλυμον, quod non fiat hoc loco mutua duorum ossium insertio,

sed moveri potiùs eadem per ἀρθρωδίαν: Sufficit enim, concedendum omnino esse ut motum quendam & articulationem, ac eundem in finem & vertebras sibi invicem incumbere, flecti aptas, & articulari earundem apophyses ascendentes & descendentes inter se.

6. Speciatim etiam vertebras dorsi, sive thoracicas, costas excipere, firmare, & hinc inde ad vicinas partes nervos emittere, ubivis annexas inflectentibus musculis.

Qua viscera spectant, vertebras rotundas esse cum substantia tenera magis & rara, extrorsum verò processibus eminere, per σύμφυσιν connexis, & æquali positu rectitudinem proportionatam servantibus. De quibus evolvi præter alios possunt. *Archangel. Piccolhom. prælect. Anat. l.8.p.367.seqq. Rolfinc. l.c.7. & 37.*

Ex hisce, ut alias mittamus, clarum esse potest, illi principaliter morbum esse assignandum, ubi læsio contingit, & consequens vitiosa conformatio. Fitque id ipsum modò per essentiam, proprio & domestico vitio, quod frequentius est, modò per consensum aliunde morbo inducto, ita tamen, ut successu temporis essentialis labes fiat.

Ut ut verò sint, qui subjectum hoc latius extendere velint, & præter spinam dorsalem gibbum pati etiam alias partes extra hoc clima medium, uti Severinus l. de recond. abscess. nat. manus & pedes quoque huc refert, cùm hæ partes æque distorqueri queant, adducitque exemplum in adolescente, quod videri potest l. c. p. m. 342. Propriè tamen loquendo reliquæ dictæ partes corporis substinere quidem possunt luxationem perfectam, vel imperfectam, curvitatem, eminentiam, at gibbum non item, illa ergo solùm comperit spinæ & præcipue quidem, quoad dorsum frequentissime, cum annexis thoraci partibus, hinc & lumbos.

Cùm itaque plurimum referat causam nosse, & in morbis his conformationis ad oculum patet, non cognitam eandem nec auferri posse, merito ad hujus inquisitionem provehimur.

Causa immediata est vertebrarum spinæ dorsalis luxatio, laxatio, subluxatio vel διαστροφὴ distorsio, seu contorsio nominata Hippocrati l. de art. c. 45. c. 5. ut μετάστασις τῶν σπονδύλων Galeno l. 4. de loc. aff. c. 3. quibus innuitur articulationem earundem esse læsam, συγχόνδρωσιν, συνδέσμωσιν νύσσαρκωσιν non pristino naturali deprehendi in statu, vel laxara vincula, quod in σὺρξ potissimùm visitur, vel luxatos penitus verticulos. Hisce enim luxatis & non mature repositis, statim aliqua eminentia, aliqua protuberantia conspicitur.

Notari verò meretur, laxationem hîc accipi paulo latius non pro dislocatione omnino perfectâ, violenta, & simul ac semel contingente, quæ majorem vim causarum externarum sequitur, & si vera fit ob spinalis medullæ compressionem, præviâ communiter paralysi nervos inde accipientium partium, & aliis symptomatibus, ut plurimum lethalis esse consuevit, vel alia facie saltem visenda; qua de re videri potest Celsus l. 8. c. 14. p. 580. sed imperfecta, minus respective violenta, & successiva, unde è sede sua sensim sensimque dimotis verticulis nutritiva & suctris vix à limite suo aberrat.

Causarum Mediatarum Proaimiorum vicem sustinet quæcunque ἕλκειν τὰ νευρώδη σώματα trahere vel distendere nervosa corpora vertebrarum possunt, quas commodè in externas & internas dividere licet. Internæ, quoad essentiam, sunt vel vaporosæ, vel humorosæ. Vapores quidem concurrunt, quòd videantur debiliores ex ordine suo dimovendis vertebris; si tamen impetum horum respiciamus, etiam suo loco aliquid conferre poterunt, exemplo illorum, qui juxta 6. aphor. 46. ex tussi & asthmate gibbi evadunt, quatenus coactiva expansione thoracis in anxiâ illa respiratione etiam vertebræ in dispositia extrorsum coguntur cedere, successivè impressa debilitatis nota, licèt magis videatur loqui aphorismus de asthmate & tussi, tubercula latitantis comitante.

Hinc si retento anhelitu comprimatur abdomen, sæpe manifestus hujus rei sensus in dorso se exerit.

Humores verò potissimam absolvunt paginam si peccent, quoad essentiam, serosi cumprimis, luxare & laxare præ reliquis apti nati. Quoad essendi modum verò considerati, si delinquant quantitate, qualitate, & motu.

Quantitate, partim in excessu, tum primario interdum, tum secundario & dispositive, facilitantes dimotionem illam, si male sint dispositi, si humores in articulis & juncturis acerventur, qui articulationis ipsius ligamenta primùm madefaciunt, dein laxiora reddunt & tandem ob copiam os ipsum è sede sua protrudunt; partim in defectû, si sufficiens humiditas desit, ipsaque ligamenta velut magis nuda, minusque investita partibus carnosis & adiposis contractioni faciliùs auscultent.

Qualitate peccant, si vel alimentarem blandam, roscidam oleosam deponant naturam, & acidis vel alcalinis particulis scateant, unde aridius corpus consurgit, & tenerius, vel ichoresçant, concepta facili labe ab extravasatione vel σήψει.

Maxime ergo accusandus venit eorundem motus, tum generationis, tum localis. Generantur sæpe in parte affecta ipsa per συναθροισμὸν seu congestionem paulatinam, inductam ob debilitatem nativam vel acquisitam, ob intemperiem humidiorem, vel errores externos, unde non legitime nutriuntur partes teneræ, molles, cartilaginosæ, nec debitam acquirere possunt consistentiam.

Idque ut paulatim magis fit, ita majori cum ὀργασμῷ & impetu, si extra locum affectum generari vitiosi humores, seu latex vitiatus ad spinalem medullam ejusque vertebras per ῥευματισμὸν appellat, unde considerabimus, partem mandantem, recipientem, vias & modum.

Partis mandantis vicem obtinet totum aliquando corpus, ob cacochymiam serosam, acetosam, nervisque & ossibus minùs benignam, unde ut ex hoc fonte seri vitiati σφάκελος, sæpe consurgit; ita speciatim quoque hæc gibbum conjunctum frequenter habet. Plethoricos verò minus vides gibbosos, quòd in iis torosiores musculi minùs læsionibus sint obnoxii. Interdum viscerum δυσκρασίαι concurrunt particulares, ventriculi, hepatis, lienis, cerebri, depuratione & cohobatione sanguinis minùs rite peracta, unde promptus laticis decubitus, & spiritus animales minùs vegeti in nervis decurrunt.

Pars recipiens est spina dorsalis, sustinendo corpori dicata. Cùm ergo pars hæc sit spermatica, à sero incrementum sibi capiens, mollis naturâ suâ & frigidior, adeoque ibi jam tum glutinosus humor existat, si huic ipsi alius & quidem in excessu peccans superveniat, haud difficulter vitium & tuberculum aliquod excitari potest.

Viæ sunt arteriæ advehendo, venæ & vasa lymphatica non recipiendo superfluum.

Modus fit ὠθήσει καὶ ἕλξει. Pellit continuo spirituosi sanguinis & succedentium sibi undarum impetus; obice ergo posito, sive concepto calore pori magis rarefiunt,

ratefiunt, seu dolore velut spina infigatur στάσις prompta est; verbo, circulatione sanguinis vel lymphæ impedita hoc vel illo speciali loco, promptus affluxus & φυματισμὸς consurgit, hujusque hinc affectus, tubercula seu abscessus. Sane summi Medicorum proceres Hippocrates & Galenus, binas has præcipuas & unas fere causas gibberis laudant, quas verbis Galeni proferemus ex 6. aph. comm. 46. ὑβὸς ταχὺς, inquit, ὅτι μὲν γίνεται διά τινα πληγὴν ἢ κατάπτωσιν, δῆλον· γίνεται δὲ καὶ διὰ τινα φύματα σκληρὰ συστάντα κατὰ τὴν προσω χώραν. Gibbositas spinæ fit aliquando propter ictum aut casum, fit etiam propter quæ in parte anteriore consistunt. Et paulo post asserit, omnes qui sponte seu citra externam aliquam causam, sine ictu vel casu gibbosi fiunt, propter dura & concoqui difficilia tubercula tales fieri, ἐπὶ φύμασι σκληροῖς ἢ ἀπέπτοις τοιοῦτοι γίνεσθαι. Quæ ipsa mens quoque est, imo verba eadem, divini senis lib. de artic. c. 37. t. 11. nisi quod ἀπέπτων loco ἀπεπτίων meminit, additque plerique propter tales συστρέψεις, collectiones, morbum fieri.

Quomodo verò à tuberculis hisce tractio, tensio & consequenter contorsio vertebrarum fiat, indeque modò introrsum, si una saltim parte resideant, modò extrorsum, si utrinque, modò latrorsum vertebrarum exturbatio contingat, pluribus l. cit. *l. 4. c. 3. de loc. aff. & comm. 3. l. de artic. l. 2. Galenus* explanat elegantissimè, ibidem videndus. Sufficerit nobis, exemplo tumorum extrinsecus oculis occurrentium idem concipi & illustrari posse. Constat enim v. g. in colli tumoribus inflammatoriis, ea, qua residet malum parte, tensione fibrarum inæquali & laterali magis inflecti caput & curvari velut ad latus, & si in oppositum reclinetur, dolorem mirum quantum augeri, quòd hoc pacto major fiat tensio & consequenter dolor; ab æquali verò & majori in oppositum magis verti. Eadem ratio est, si tumor in inguine consederit, aliisque locis, ubi flexura inprimis opus est. Tacemus exemplum mechanicum corporum flexibilium, bacillorum recentium, & calamorum scriptoriorum, itidem Galeno & ex eo Severino laudatum. Ut in aliis quoque luxationum generibus, quando tendines & ligamenta extenduntur, nimis laxantur, flaccidiota evadunt & hinc dimittunt ex acetabulo suo ossa; ita & in affectu hoc nostro plurimum ipsi ligamentorum & nervorum vitio adscribendum est. Facta horum tensione, necessum est vertebras etiam unà nunc dextrorium nunc sinistrorsum, aliàs introrsum rapi, sicque sua sede dimoveri & luxari. Et hac ratione tubercula quicquid præstant, quod non exiguum sed plurimum est, præstant virium affricando illis corporibus, quibus vertebræ alligantur.

Hinc cùm molem superpositam ferre non sustineant vertebræ, non firmatæ nec ferruminatæ, uti priùs, sensim fatiscunt, cedunt, & anomalias in figura patiuntur, dimotæ magisque è loco suo. Pro varietate ergo loci, ex quo dicto modo ligamentis & vertebris dislocationis intentatur vitium, etiam modò hic, modò illic, idq; iterum variè, conspicuum concitar malum consectarium. Confer *Mayovv. lib. de rachit. pag. 124.*

Præter internas has proximiores, etiam causa externa considetanda venit, cujus vicem obire potest omne illud, quod corpus grave durumque quassat, allidit, percutit, qualia sunt ictus, casus violentus in scapulas vel coxas, nimiæ compressiones, inflexio nimia & similes causæ violentæ, αἱ κυφώσιες αἱ ἐν τῷ σφονδύλῳ ματιν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ γίγνονται ἀπὸ τοιούτων ἰσχίων, ἢ ἀπὸ τῶν ὤμων πίσω. Gibbositatea ex casibus contingentes pleræque fiunt, si aut in costas innitatur, ac impingat, aut in humores cadat, inquit Cous l. c. 45. t. 2. Quo pertinet etiam nutricum imprudentia, quando infantes fasciis nimis arctè aut inæqualiter constringunt, (quod Hildanus in multis observavit, ob strictiorem scil. involutionem gibbum infantibus frequenter accidere: siquidem ossa adhuc tenera, mollia, cetera quasi & cartilaginosa facilè sectorquentur, extraque sedem naturalem reprimuntur, quæ dein paulatim excrescentiâ indurescunt) aut in brachiis gestant priùs, quàm spina tam firmata est, ut erecti sedere possint; ut si dum infantes è cunis elevant, dorsum manu altera non fulciunt. Huc referenda est & vestimentorum nimia constrictio & angustia, dum puellas stultæ matres junceo corpore esse student, tenella enim ista ætate mollia nimium & mucosa spinæ dorsi ligamenta eam rectò & constanti casu continere nequeunt, sed sequacia nimium ejus vertebras in interiorem, exteriorem aut lateralem partem proruese & projicere se facilè permittunt.

Est & ex causis externis memoranda consuetudo, corpus quoquoversum inflectendi, atque inflexum continendi. Quemadmodum enim virgultis & viridibus ligna pondere pressis, assidueque contortis, ita & dorso nostri corporis curvitas accidit sub opificiis diversarum artium & sub institutis vitæ diversis. Ad hanc consuetudinem referendus videtur & indecorus juvenilium & mollium adhuc corporum situs & positus in stando, ambulando, saltando, gesticulando, aut simile quid agendo, & de quibus omnibus plura legi merentur apud *Severin, l. c. c. 3. p. 327.*

Prædictis causarum generibus obstetricantur tum προηγουμεναὶ seu antecedentes, tum προκαταρκτικαὶ; seu occasionales, quas sub naturalium, nonnaturalium & præternaturalium notione complectemur.

Ex Naturalium causarum censu est dispositio corporum, si non hæreditaria, tamen individualis, quà alii præ aliis procliviores sunt ad hujus mali fomitem recipiendum, nam omne agens requirit patiens dispositum ad agentis energiam recipiendam.

Quoad Dispositionem Hæreditariam, licet gibbus non sit morbus æque seminalis propriè sic dictus, nihilomious tamen multùm ad illum producendum conferre valet vitiosa in utero conformatio. Hæc autem facilè contingere potest ibidem vel interno humorum vitio à matre traductorum, tum quoque, ut colligere non ineptum aliquando est, ex situ fœtûs mutato, & exantlatis gravioribus in partu angustiis, præcipuè in primiparis. Hinc rectè Helmont. libro Retenta inscripto p. 497. Ad continentis morbos; ait, spectant quoque spontaneæ excrescentiæ, gibbositates, luxationes & exarthroses, Quæ quia innatam toboris inæqualitatem sequuntur, semini parentum plerumque vel nutricum defectibus acceptum ferunt.

Temperamentum frigidum & humidum, ut & frigidum & siccum maximopere ad hanc proclivea reddit labem. Nec solùm totius temperamentum corporis, sed etiam & quidem præcipuè reliquorum corporis nostri viscerum attendendum venit. Ventriculus si non rectè dispositus, non rectè concoquit cibum sed corrumpit, ex quo haud laudabilis fit sanguis, sed cruditatibus cumulatur corpus, quod vitium concoctionis primæ non corrigitur in secunda, moltò minùs in tertia. Cor si non bene sese habet, non bonus elaboratur sanguis, & mala fit nutritio, cor enim est primaria sanguinis officina.

Ætas unice huc facit & præ aliis quadrat infantilis & puerilis 3. a. 26. Illa quidem, quando consiste incipiant, αὐτὸν frequentiùs patiur, hinc & κύρτωσιν quale exemplu m xvi 1. mensium infantis recenset Theodos. ep. 42. p. 250. & similia in praxi sæpe occurrunt, hæc quando jam ambulare cœperunt, anno cumprimis quarto, quinto & sequentibus, donec ex ephebis excesserint. Rarius paulo ultra septimum annum provecti gibbosi, ab interna maxime causa, redditi observantur, vel saltem quò serius malum hinc impetit corpus, eò minus incrementum vitiat.

Inprimis verò id fit, si accedat habitus corporis gracilior & textura tenerior ac serosior, unde spina debilior, ex cartilaginibus magis quàm ossibus adhuc constans, pro sustentanda capitis mole fulcrum minus firmum præbet, prompteque si præsertim ictus vel casus superveniat graviori oneri cedit, & rectitudinem suam non sine insigni costarum sterniique contorsione amittit. Hinc Hippocr. lib. de articul. c. 6. carnosis minùs contingere luxationes, scribit, & si fiant, difficilius restitui, contrarium verò λεπτοτέροις καὶ ξηροτέροις tenuioribus & magis ex carnibus accidere.

Juvenilis verò, crescendi terminum supergressa, ut & media consistens ætas libera ab hoc malo ferè est, nec hujus insultum facilè experiri cogitur, si quidem de gibbositate proprie dicta sermo sit. Talis enim incurvatio æqualis magis etiam in ætate senili & decrepita visitur, seu quod vires sint debiliores, unde imbecillitas corporis in genere multùm huc confert, seu nimis exsiccata vincula & contracta, unde minus onus corporis sustinere norunt, quin spina nutet & incurvetur; hæc autem imbecillitas fit partim ex copia pravorum humorum, partim ex penuria succi alimentitii. Sin illud accidat, id magis extraordinariè & à causa graviori fieri putandum est, uti exemplum de coquo recenset lib 5. epidem. c. 22. § 4. Hippocra. de quo infrà agemus mox.

Quoad sexum, apprehendit hoc malum frequentiùs fœminas, & quidem magis urbanas præ rusticolis, quàm viros, fœminæ enim majorem præ viris habent mollitiem, teneritudinem & serositatem sive fœminæ serosiores sunt viris, unde ipsarum corpora deprehenduntur laxiora, & citius adolescunt quàm viri.

Nec causæ non naturales suis destituuntur viribus penitus ad gibbositatem juvandam & producendam.

Aër qui inevitabile & perpetuum corporis velut integumentum est, crebris suis mutationibus, cùm partium anni, tum ventorum vaporumque putridorum admistorum respectu, in alterando saltim sero maximarum est virium, idque tantò magis, quantò corpora sunt teneriora. Sic frigidus & humidus hunc facit, quatenus calorem nativum obtundit, humoresque in corpore auget. Calidior verò æstivus, ob exsiccationem majorem.

Cibus & potus si peccent substantiâ, quantitate & qualitate multùm ad hujus affectus γένεσιν conferre queunt. Sic commune puerorum vitium ἀδηφαγία corpus vitiosis replere succis apta nata est inprimis si assumantur, quæ minùs laudabile præbent nutrimentum, sed tantùm generant pravos humores, ut sunt lacticinia, piscium largior esus, fructus quoque nimis frigidi & humidi ὡραῖα ut cerasa, pruna cerea, melones, cucumeres, fungi & similia terræ ulcera aliaque pituitam cumulantia. Tacemus, aquas crudiores, nivosas, usu suo continuato multum conferentes. Cerevisiæ minùs defecatæ ex aquis palustribus & putidis coctæ nec lupulo bene conditæ usus huc facit, vini item intempestivus usus tenellis corporibus infantum summe nocet, eferando humores & exsiccando nimis.

Motûs summa vis est ad distorquenda ossa tenella, quocunque demum modo excedat, sive tendatur nimis corpus, seu contrahatur, seu tensum & contractum teneatur, unde ligamenta articulorum facile fatiscunt, & ex ordine dimoventur.

Nec quies omnino culpâ vacat, cùm videamus etiam adultos sedendo & incurvando dorsum hinc positum corporis obstipum reportare. Multò magis in infantibus id valet, quando erecto corpore superiori immature desidere coguntur, plusque ipsis, ut solet, vitium tribuitur, quàm sustinere corpus queat.

Par ratio est somni & vigiliarum in accumulandis vel dissipandis humoribus. Excreta & retenta magni etiam sunt momenti, non solùm quando crassiora excrementa per alvum & urinam reddenda restitant, unde vitiosi humores cumulantur, & exinde semina pro morbo hoc excludendo sparguntur in reliquum corpus; verùm etiam & potissimum tenuia per habitum corporis exhalari solita. Hinc retentis humoribus & transpiratione prohibita facillime febres & tubercula interna enasci solent. Sin nimiis sudoribus fatigentur succosa corpora & depauperetur serum alimentarium ultra sphæram ætatis, tum nutrimenti tum augmenti defectus oboriuntur necessariò.

Tandem Animi Pathemata ad hunc affectum producendum sua etiam non carent virtute, quo loco saltim memorabimus iram, si, contra Apostoli monitum, irritentur ad excandescentiam infantes & pueri, atque inde in inconditos ploratus, cum pectoris singultuosa quasi concussione, adigantur, facilè noxa ad ossium & ligamentorum stimulum redundante.

Nec causæ præter naturales silentio sunt prætereundæ. Intemperies & humida & sicca hîc occurrit accusanda; illa quatenus ligamenta vertebrarum laxat, distendit & tandem è suo loco dimovet; hæc quatenus ariditate vincula vertebrarum spinæ in anteriora protrahuntur, sicut in ardente potissimum febre visitur.

Pertinet huc exemplum ab Hippocrate visum l. c. τῷ μαγείρῳ, inquit, ἐν ἀκάνθῃ τὸ κύφωμα ἐκ φρενίτιδος ἐγένετο. Coquo in spina gibbositas facta est ex phrenitide.

Quòd angina ad gibbum facere possit, legi meretur Cous l. 2. epid. f. 2. t. 66. seqq. quòd dolores, idem l. de artic. c. 45. t. 1. Gibbositatem ex longo ventris dolore observavit Epiph. Ferdinand. hist. 84. p. 279. seu ob conjunctam frequentem, longam & diuturnam ventris compressionem, & consequentem vertebrarum dimotionem, sive decubitum humorum ad spinam, uti notum est πάρεσιν aliàs ex colica non rarò oboriri, & tantò quidem magis, quia tumore hoc apparente dolore evanuit.

A palpitatione cordis costas è suo loco motas esse post Fernelium l. 5. pathol. c. 12. observavit Horstius l. 3. obs. 17. p. 139.

Ex dysenteria prægressa gibbum factum in puello quinque annorum notavit D. D. Præses, ubi gravissimo malo succis vitalibus depauperatis curi via ossibus hæsit, & hinc vertebræ ex sede sua sensim excreverunt. De aliis externis injuriis jam satis diximus superiùs, hæ verò frequentissimæ sunt causæ.

Si Res Supernaturales addere lubeat, certum est, per veneficia quoque & incantationes ut contracturas & convulsiones horrendas, ita quoque gibbos oboriri posse. Neque opus fuerit immediato damno, satis est per diabolicas artes casus, ictusque in partes osseas hasce & consequenter gibbum concitari posse. Aliàs verò ope Diaboli in αὐτοχειρίας talia contingere luxationum stupenda exempla notum est, & tale refert *Hildanus Centur. 5. Observat. 68. pag. 158.*

Cognitis

Cognitis nunc causis, differentias ut proponamus, ordo postulat: Præter differentias itaque gibberis essentiales, quas repetere denuo non opus est, alias quoque considerare operæ pretium fuerit, quandoquidem hæ & diagnosin & prognosin, adeoque ipsam quoque curationem limitant & modificant.

Ratione Generis, alius gibbus est major, alius minor, unde & minor vel major deformitas: alius in acutum magis, alius in orbem magis versis vertebris.

Refertur huc, & nominatim ad *σιῶν*, etiam à Sennerto l. 2. p. 2. prax. c. 21. p. 294. affectus, quem Germani *das Gebthun* appellant, à tensione membrorum & ligamentorum circa vertebras itidem ortus.

Ratione subjecti, gibbus alius est in cervice, alius in thorace; alius supra, alius infra septum; alius in lumbis. Quemadmodum enim vertebræ sunt inter se distinctæ pro vario situ, quem in spina obtinent; ita gibbositas, quæ vertebrarum spinæ vitium est, quoque variat, pro earundem inducta læsione, unde & diversitas symptomatum, quæ singulæ secum invehunt.

Ratione Causarum tot sunt differentiæ, quot causæ, ex recensitis petendæ. Alius fit à causa interna, alius ab externa; alius à repletione, alius ab inanitione; alius ex intemperie frigida & humida, alius ex intemperie calida & sicca. Alius ab humorum influxu citatiori, & inflammatione; alius à congestione, alius cum fractura, cum ulcere, alius sine his.

His omnibus missis, advertimus vertebras interiùs rarissime, exteriùs frequentissime, ad latus vero frequenter obliquari.

Si ullis in morbis diagnosi opus est, sane in gibbosis quàm maxime id valet; adeoque & hîc quæ Coi verba sunt, solus is, qui signorum horum cognitionem habuerit, rite curationem aggredietur.

Duplicia verò signa Diagnostica sunt ratione Gibberis, alia imminentis, alia præsentis. Indicia incipientis gibbositatis, verba sunt Rolfinc. epit. affect. part. l. 4. c. 2. p. 350. adeo interdum latent musculosis in spatiis occultata, ut etiam peritos fugiant. Augescens omnium exposita est oculis. Illa verò metuere oportet, quando ea jam dicendis minori gradu se *φαινόμενα* exhibebunt.

Spectabimus ergo ordine fontes consuetos, ut demonstrative hinc concludere liceat, gibbum adesse, vel non.

Ex Essentialiter inhærentibus, quæ quidem hoc in casu ipsos in sensus incurrunt, vitium adest in situ, in figura, & rectitudine, cum magnitudine aucta, quoad locum affectum, ita ut non instar carinæ in navi decurrat *ὀρθότητα* ac *ςάσιν* præbeat spina dorsalis, sed modo extuberent ante & retro vertebræ, ut in gibbere proprie dicto, modò velut excavato dorso intro spectent, ut in *λορδώσει*, modò sinuentur in latus, modò viminis in modum incurventur universæ, ut in reliquis speciebus. Junctim verò reliquæ quoque partes figuram vitiatam exhibent, sternum magis acuminatur, scapulæ, costæ magis protuberant, prout varia præcessit læsio, caput thoraci arctiùs insidet, breviori collo.

Ex Essentialiter consequentibus symptomata gibbum patefaciunt varii generis; in actionibus læsis animalibus cumprimis motus imminutio evidens fit. Neque enim *ὀρθοςάδην* stricto sensu possunt, stare diu nequeunt, neque sedere, nisi corpus vel mentum fulcitur manu, donec confirmato vitio aliud consuetudo & adultior ætas induxerint. Inflecti dorsum renuit versus inferiora, ut si terram contingere manu velint demissis poplitibus id facere cogantur. In sternutando molestiam sentiunt, magis ob angustiam concussis partibus. In vitalibus pulsus celerior, respiratio difficilis, defluxiones frequentes, asthma & tussis succedunt, idque tantò magis angustatur spatium thoracis, & vice versa. Cùm enim in thorace cor & pulmo resideant, horum actiones potissimùm lædi necesse est. Variant ergo hæc ratione loci, seu partis affectæ specialis, si enim infra septum transversum malum contingat, minus hæc observantur. In naturalibus actionibus nutritio & actio mirum quantum fatiscunt corporis succedit macies & incrementi penuria, ut ad solitam proceritatem non extendatur corpus æqualiter, neque incrementum sumant unà carnes. Haurire hæc ex fontibus Hippocraticis operæ pretium est, ex quibus quippe alii fere hæc sua fecere. Quibus inquit divinus senex, gibba fit spina, dum pueri sunt, priùs, quàm corpus ad augmentum plenum perfectum fuerit, his corpus juxta spinam *ξυναύξεσθαι* coaugeri non amat, sed crura quidem ac manus perficiuntur, illæ verò partes defectuosiores fiunt. Et quibus supra septum transversum gibbositas est, his & costæ in amplitudine augeri non solent, sed in anteriorem partem, & pectus acutum fit, sed non latum ipsique & difficulter spirant & stridulam faucium asperitatem habent l. de artic. cap. 37. t. 4. seqq. Causæ maciei potissimùm debentur cum rectitudini vitiatæ, unde in latum magis quàm in longum fit extensio; tum sero nutr bili magis rarefactio. Aliæ videri possunt apud *Helmont. l. vita brevis p. 388. Barthol. de lact. thorac. c. 14. p. 107.*

Notatu dignum verò est & hoc phænomenon peculiare in gibbosis, quoad thoracem occurrens, quod nempe abdomen superiori parte circa epigastrium contrahatur, & eructuram quasi patiatur, durante exspirationis actu, quod sine dubio contingit ob diaphragmatis vitiatum unà situm & tractionem. Constat enim per Anatomen, testante Galeno l. 4. de loc. aff. c. 3. septi transversi nervos sub quartâ vertebra emergere. His igitur patientibus necessariò motus hujus, uti decet, expediri non potest, sed magis versus superiora trahitur, unde non sola angustationis culpa libera spiratio impeditur, verùm etiam plurimum, ut ad respirationem aliàs, confert diaphragmatis consensus hic, ut & musculorum pectoralium & intercostalium ipsorum.

Quandoque & paralysis succedit, sed rariùs, quale exemplum notavit. D. D. Præses Ann. 2. Ephemer. Germ. observ. 20. p. 333. & Hildan. cent. 5. obs. 7. eâ tamen differentiâ, quòd posteriori casu dolor & affluxus præcesserint, à cujus decubitu & *μετάςασει* successit crurum resolutio; in priori non item. Licet enim non subitanea eque vertebrarum dislocatio in gibbere fiat, ipsa tamen paulatim hæc & pedetentim facta nonnunquam obstructiones pororum nerveorum causari potest.

In excretis sæpe tentantur hæmorrhagia narium; quod & angustiori spatio decurrere cogatur sanguis, & ob respirationem difficiliorem moveatur velocius, unde quocunque errore externo, vel aliunde rarefactione majori inducta, prompte stillant nares, illic exitum affectante sanguine.

Causæ Prægressæ quoque patefaciunt affectum, sive externæ, præcesserit ictus, lapsus, contorsio violenta, vel alia injuria evidens; sive internæ, quando nil tale deprehendi potest, dolores, pectoris angustia, febris & similia.

Hæc

Hæc ipsa etiam ad signa causarum lustranda faciunt. Si læsæ fuerint æqualiter magis vertebræ, quoad ἁρμονίαν, per quam sibi connectuntur secundùm corpora, mediante cartilagine non pauca, fit σίμωσις, seu incurvatio æqualis; si versus interiora fiat extensio fit λόρδωσις: si versus exteriora, qua processus, ubi per σύμφυσιν fit connexio, fit gibbus, & κύρτωσις κατ' ἐξοχὴν dicta. Par ratio est costarum, scapularum, versus exteriora protensarum; sin ad alterutrum latus σκολίωσις.

Nec Similitudo abludit, sed hæc omnia confirmat magis, sive ægri spina cum alterius sani hominis comparetur, sive ad priorem sanum statum ipsiusmet cogitatione recurratur.

Signa subjecti specialis, ex visu & sensu patent. Si superiori parte malum hæreat, caput humeris contiguum, cervix & collum brevior deprehenduntur, humeri non depressi, sed velut alati; in inferiori non item.

In morbis etiam externis hisce multum interest, ut munimentum famæ Medici prognosis observetur, ne vel temerario promisso desperato malo promittatur salus, vel prognostico relinquatur, cui adhuc mederi licuerit.

Eventûs prædictionem quod concernit, illa in salutis & mortis, curationis item possibilis vel impossibilis signa concinne dividi potest. Quoad priorem quidem distinguendum meritò & hoc loco est inter luxationem perfectam ac repentinam, quæ à solo casu externo graviori accidere potest; & imperfectam, successivam, propulsoriam. Illa ut vel lethalis est, vel satis gravis; quando scil. angulosa fit spinalis medullæ luxatio, cùm non paulatim sed affatim, perinde ac si frangeretur, pars aliqua curvatur, subjectas partes omnes lædi necesse est, paulatim verò facta luxatione atque in orbem magis, nihil notatu dignum patiuntur partes teste Galeno l. 4. de loc. affect. c. 3. Ita secundariò magis huc spectat. In gibbere verò videnda in se lethalis minus est, licet satis molesta, nam juxta Hippocratem l. c. de artic. c. 45. t. 5. spinalis medulla ejusmodi distorsiones faciliè fert, eo quod circularis ipsi distorsio contingit, non angularis, sive in acutum.

Id ipsum tamen quoque intelligendum est de violenta magis in angularem seu acutam figuram propulsione. Dari enim casus possunt, ubi, citra illam prægressam, id minus periculum infert. Ita ferulis teretibus, ligneis, cavis itidem spinam lumborum in acutum gibbum una aut altera vertebra prominentem in infantibus quinque, sex, septem mensium, quod sæpe contingit, aliquoties correxit B. *Rolfincius l. 4. epit. affect. part. c. 2. p. 381.*

Quoad posteriorem, ratione Essentialiter inhærentium λορδώσεως omnium difficillimè curatur, imo ferè incurabilis est, ob inaccessam opem medicam, ut extrudi possint & exporrigi vertebræ. Post hanc κυφὸς à casu non facilè etiam cedere consuevit, nisi læsio fuerit levior & recens. σκολίωσις verò & σίμωσις cumprimis faciliùs ferè auscultant medicæ arti. Omnibus verò commune est, quod non nisi recenti malo & imminente nondum facto & confirmato, eoque minori & in corpore adhuc molliori, tereo & succulento, ubi flexilis adhuc spina commodiùs tractari & pro lubitu decenter flecti potest, æquè curabile sit malum; sed satis grave, tantoque gravius, quo magis à statu naturali, & διαφορὰ naturæ facta est mutatio.

Quo magis itaque æqualis fuerit & pluribus vertebris communis distensio, eo levius & facilius curatu est malum judicandum, & contra. In lumbis si extiterit prominentia, facilior curatu est, imo quo magis versus inferiora declinat, eo etiam promtius cedit; quo magis versus superiora pectoris, eo difficilius, tum ob alias causas, tum quod ibidem commodior & constantior fieri potest deligatio & compressio, hîc verò minor.

In essentialiter consequentibus, quo faciliùs fertur malum in respiratione, motu, incremento aliisque; eo etiam mitius est, & contra. Intuitu causarum, si malum fuerit hæreditarium, diu duraverit, & callum jam contraxerit, desperatum est. Ab externa exortus gibbus curationem magis admittit, tanquam magis evidente & obvia; non item ab interna, nisi mature obviam eatur per discutientia & roborantia.

Quoad tempus eventus, seu longitudinem & brevitatem, variat id ipsum pro læsionis, pectoris angustia majori vel minori, adeoque tolerantia & respiratione facili vel difficili. Hinc assertum Hippocraticum 6. aphorism. 46: Qui gibbi ex asthmate aut tussi ante pubertatem fiunt, moriuntur; non alio quàm hoc intuitu videtur intelligendum, quatenus producta sunt hæc duo à tuberculis latitantibus, ut suppurentur, & in bronchia pulmonum effundantur, unde vel suffocationem, vel phthisin post se trahunt, utramvis vitæ insidiantem mature, idque ut plurimum. Confer Galenum in comment. Neque opus est, quod Severinus contendit, ut in græco textu loco ἐξ legatur ἔξω, cùm, quòd sciamus, unanimis sit illa lectio.

Et sane anni pubertatis de salute & morte in posterum definiunt ferè prognosin in gibbosis quandoquidem vel incrementum tunc aliquod capiunt mutatione illa solemni ætatis, quod eo usque dilatum fuerat, ut hinc ætatem reliquam faciliùs assequantur; vel sensim ad mortem fit transitus, exacerbatis symptomatibus. Hinc diuturnum est malum gibbus, ad plures annos ductus & [illegible], ita tamen, ut præter dicta, etiam εὔφοροι & εὔχυμοι facile ac sanorum more degant maxime illi, quibus ad carnositatem ac pinguedinem promotum fuerit corpus. Pauci verò talium sexaginta annos superarunt, plerumque brevioris vitæ, teste Coo l. de artic. cap. 38. t. 5.

Quin & omnis quæ sperari potest curatio, si σίμωσις exceptis in parvulis, lento & paulatino fere gressu fit, non citâ manu.

Modus eventûs ad salutem fit repositione vel perfecta, vel quasi tali, ut saltem tolerabilius sit malum & ad naturalem modum magis pertingens, cavendo hoc ipso, ne nimis excrescat, majoremque deformitatem acquirat. Inferiorem finitam in nonnullis dysenteriâ & varicibus memorat Hippocrates l. cap. 37. t. 4. Ad mortem suffocatione, asthmate, phthisi omnibus fere pulmonum morbis expositis hisce ægris, nonnunquam & apoplexiâ, quod D. D. Præsidi visum est in juvene, terminari consuevit.

Cùm Gibbus ex illorum morborum censu sit ubi natura cedit arti, ejusque opem & auxiliares manus unice exposcit, ad curationem devolvimur. Absolvitur hæc ipsa, ex Medendi Methodi regulis, indicationibus, morbis figuræ & sitûs aliis communibus, & indicatis seu materiis præsidiorum huic fini aptatis.

Curatoria morbum ipsum respicit per repositionem, adæquationem & complanationem partis affectæ eminentis, ut figura naturali conformis, quantùm omnino possibile est, consurgat, quorsum solitæ illæ luxatorum indicationes subordinatæ, extensio, repositio, deligatio & collocatio spectant. Ut enim videmus in vegetabilium genere, quæ curvitatem crescendo affectant, facta ad rectos comites deligatione, inflexione blanda vitium corrigi, ita etiam in corpore se res habet. Totum enim & præcipuum artificium curandi gibbi in hoc consistit, ut exuberantia vertebrarum reprimatur retrorsum, seu in locum pristinum, alioquin omnia frustra tentantur.

Præter-

Præservatoria causas vel internas affluxu suo malum foventes, vel externas, morbum deteriorem indies reddentes, removet, & reposita firmare jubet.

Vitalis denique viribus subvenit, & symptomatibus urgentibus, atrophiæ, respirationi difficili & aliis occurrit.

Materiæ Præsidiorum ex Chirurgico, Pharmaceutico, & Diætetico fontibus delumuntur.

Maxima spes in Chirurgia sita est, quæ sola suppetias & genuinum juvamen ferre apta est, vel primario saltem, reliquis ministrantibus, tum revera, tum palliative, prout conditio obvenientis mali variat. Cùm ergo ἀρθρεμβόλῳ, seu reductione vertebrarum læsarum & contortarum in suum locum, opus sit, triplex etiam hic modus usitatus locum obtinet: palæstrites, methodicus, & organicus, pro apparatu scilicet minori vel majori ita dictus, pro ratione subjectorum, malique majoris vel minoris accommodando.

Primus Palæstrites dictus, præ aliis est ἐκπιέσει, sola manûs Compressione, vel Extensione proprie dicta instituendus. Illa in tubere ipso & in plerisque gibbi speciebus, hæc in vicinis quoque locum habet, in λορδώσει, item & luxatione recenti leviori & graviori. Extensio hæc, quorsum & conjuncta concussio pertinet, mature facienda, quod unice prosit, in locum reducendis quoque modo vertebris. Solent id & vulgo frequenter cum successu instituere in quassatione aliquali vertebrarum, de quo consuli potest Sennertus l. c. qui modum vulgi describit, licet ad superstitionem sæpe & accusetur illa & curetur, præsertim in infantibus. Cùm verò rarò statim in ipso principio factæ læsionis extrinsecæ advocetur Medicus ubi extensio primariò instituenda fuerit; facta jam extuberantia, compressio in ejus locum cedit. Τὰ μὲν γὰρ ἐξέχοντα, ἐς τὴν χώρην ἀναγκάζει ἡ ἐπίπεσις ἰέναι, nam ea, quæ extant, ad locum suum redire cogit depressio.

Modus nempe hic est: fota prius parte affecta vel solo vino calefacto, vel cum nervinis mixto, ut cedere faciliùs & emolliri partes ligamentosæ queant, sinistra manu sterno apposita dextra, interjecto linteamine, vel in pugnum conformata fit intrusio, continuo velut semicirculo per motum ejus facto, vel, quod Hippocrates l. c. 45. vult, imposita manus vola supra gibbum; & altera manu insuper alteri superimposita deorsum cogitur, habita ratione loci affecti & status p. n. diversi.

Et hæc coagulatio maxime innoxia & tuta est, cui affinis & altera, cujus meminere etiam laudati medicinæ proceres, quando insidere vel pede inambulare gibbo jubent, quod tamen minùs fere usitatum est. Inde verò emplastris, unguentis, fotibus subjunctis, & ex fonte pharmaceutico repetendis, deligatio instituitur, quo magis magisque & intro adigatur tumor, ut decet, & firmentur repositæ partes. Tali usus est *Epiphan. Ferdinand. hist. 84. p. 280. seqq.*

Ministrant hinc deligationi fasciæ, splenia & alia, in situ suo detinentia vertebras affectas, adminicula. Et convenit maxime hæc operatio in tenellis & aliis personis, solaque fere sufficit in κυφώσει, hinc & in reliquis, si cætera consentiant; Præcipue verò in lumbis, ubi fortiùs comprimere licet. Utiliter adhibetur eadem in σκολιώσει scapulæ & aliis lateralibus eminentiis, in sterni acuminatione ipsâ, redigens in ordinem thoracem.

In cervicis verò gibbere & λορδώσει extensio magis administranda, quæ ipsa & conjuncta concussio etiam in reliquis in principio statim, recenti adhuc malo, spem restitutionis in integrum facit.

Alter Methodicus modus eidem fini dicatus, sed mediis diversis, locum habet magis pro successiva impulsione. Referemus huc primò Ferulas, quas teretes, cavas seu imbricatas adhibere consultum est, seu ligneas quales l. c. B. Rolfincius utiliter adhibuit, seu æneas, quæ in σκολιώσει sub axillis commodè gestantur, erigentes corpus & rectum tenentes. Sufficiunt illæ sola cum deligatione in climate lumbari, cui paria faciunt etiam alibi, æque ac ferulæ pro re nata applicandæ, laminæ ferreæ plumbeæ itidem imbricatæ, magnitudini gibbi conformatæ, aliaque spleniorum in modum compressioni velificantia. Sic M. Antoninus Imperator, cùm esset longus & senex, adeoque exacta ætate nimiam ob proceritatem incurvesceret, tiliaceis tabulis infasciabatur, ut rectus incederet, quod refert Julius Capitolinus in ejus vita. Vid. etiam Scaliger. lib. 1. de plantis p. 286. qui thoracem, ait, tiliaceis assulis illum corrigere solitum, potiùs quàm aliis, propterea quòd calore suo foverent senem. Ipse tamen non tam ob calorem expetitam ad Imperatoris fomentum tiliam addit, quàm quòd mediocris est inter rigiditatem ac lentitudinem. Valet id quoque in λορδώσει cum primis ipsa.

Deinde in dorsali & thoracis regione eximius est thorax, seu coriaceus uti ex cute humana, præcipue ejus parte crassissima in dorso gestarum costas à gibbo distortas intra limites fidelissime coercere asserit Rolfinc. l. c. p. 381. Seu lineus, firmus tamen & ossibus seu setis balenarum interstinctus, ut firmetur rectitudo & erectum teneatur corpus; seu ferreus quoque, sive postica parte firmandus, si antica compressio magis requiratur, seu antica, si contra. Singuli hi iterum vel minoris vel majoris sunt apparatus, qui posteriores ad tertium magis modum referendi.

Notabile tamen est: 1. thoracem talismodi magis convenire emollitis priùs cartilaginibus & ligamentis.

2. Obduci posse commode corio, & leviores cùm sint laminæ, per se gestari, vel quoque, quo leviores sint & perspirabiles magis multis & crebris foraminulis pertusæ, corpori aptæ.

3. Continuandum esse usum thoracis hujus per bene multum tempus, donec imbecillitas membrorum & mollities plenarie cessaverit.

4. Pro corporis increscentis & mali remittentis modulo novum fabricari & aptari posse, exactis aliquot mensibus.

5. Constrictione interim probe facta, ad κυφώσιν tamen, & juncto, si opus fuerit pro extensione cervicis, in thorace postice firmato, capitis elevatorio, gradibus additis, pro majori vel minori intensione vel remissione variandis.

6. Thoraces hi in iis magis usum habent, qui incrementi adhuc magis sunt compotes, qui enim incrementi sui modum maximam partem acquisiverunt, minùs ab iis ipsis quoque juvantur, nisi forsan, ut firmetur magis debilior ossium crates, suadendi illi & tunc videantur. Confer Hildan. cent. 5. observ. 69. pag. 458. Paræum l. 22. c. 8. qui thoraces tales depingit, & alios.

Pertinet huc quoque ὁπλομόχλιον Fabritii ab Aquapendente, cujus icon antica & postica parte videnda in operibus ejusdem depicta visitur. Consulendus etiam seorsim idem pag 187. operat. Chirurg.

Porro huc etiam pertinet suspensio artificialis, quando firmatum sub axillis corpus, capite sub mento seorsim fasciâ excepto, ansisque geminis aptatis manibus, liberò in aere libratur agitaturve corpus pendulum una alteraque hora de die, ut hoc pacto pondere suomet extendat & exporrigat curvaturam, id quod non minùs, ac reliqua plura, cumprimis succedit ex voto quando inferiùs paulo declinat gibbus, non

non æque quando superiori loco resedit. Meminit hujus etiam Mayovv. l. c. p. 148. Cujus succedaneum est, si capite manibus utrinque prehenso sustollatur corpus per vices.

Tertius denique mechanicus compressionem extensionemque; expetitam absolvit, vel intendit potiùs, scalarum, scamnorum, torcularium comprimentium & laqueorum beneficio, de quibus Hippocrates, Galenus, Oribasius aliique legi possunt. Memorandum hîc quoque est instrumentum mechanicum, quo aurigæ utuntur ad attollendas rotas & ponderosiora, cujus mediante impulsu gibbositatem curatam refert River. obs. commun. p. 668.

Genuinum tamen & probe attendendum monitum est Hippocraticum aureo libro de articul. c. 39. t. 1. parum sæpe his effici extensionibus, adde & compressionibus, quin sæpe optimum remedium est, graviori malo & frustra tentatis reliquis, remedio non uti, nisi nempe in principio statim adhibeantur, priùs quàm callo obducto, vel ossibus etiam coalitus, malum desperatum sit. Ita luxationem ipsam vertebrarum dorsi introrsum factam hoc modo curatam legere licet Ann. 4. Ephemer. Germ. obs. 77. p. 64.

Pertinet huc extremum illud spinæ reponendæ, In χειρῶνες puta, remedium quòd præviis incisionibus manu in ventrem injecta perficitur, ex interna parte ad externam manu facta retrusione, quod mirum est Hildanum, tam insignem Chirurgum, centur 5. observ. 69. p. 460 admittere & commendare, imo tenacula manûs loco adhibere velle, quod latius ibidem videri potest, cùm tamen divinus Senex l. c. c. 43. t. 6. id in mortuo quidem fieri posse, in vivo autem non item, expressis verbis edixerit. Quin visus fuit aliquando abscessus in dorso ortus, spontaneo naturæ conatu, citra tamen mali ablationem.

Hæc verò proposita hactenus ut propria quasi sunt parti hîc affectæ; ita communia præsidia chirurgica huc arcessi quoque possunt, si eadem indicata ex usu esse videantur, quod tamen rarius paulo fit. Ita venæsectio non habet locum, nisi forsan lapsu vel ictu graviore facto statim in principio ad revulsionem.

Sin affluxus seri major & copiosior ad spinam dorsalem fiat, consentientibus reliquis, cauterium potentiale vel fonticulus admoveri potest, quale exemplum recenset Poterius cent. observ. c. 38. p. 136.

Cùm chirurgia ipsa ex fonte pharmaceutico sibi mutuatur remedia, etiam ad gibberis curationem, tum ipsa pharmacia non minimam de suo addit momentum, potissimum si ab interna causa ortum suum trahat, si cacochymia conjuncta eundem foveat, si laticis vitium sit extantius, quæ præsidia ordine brevi videbimus.

Ex universalium penu lenientia serosiorem & laxiorem habitum corporis, eductis è primis viis quisquiliis, & omnino respiciunt, ipsaque pro re nata propriè dicta purgantia. Notum quippe est, non solùm optime ferre purgantia infantes, contra ac nonnullis visum est, verum etiam non minùs ac alias ætates admittere, imo opus habere iisdem, & indicare, siquidem ob ἀδηφαγίαν facilè cumulant recrementa, & corpus infarciendo vitia in nutritione & auctione accersunt. Tacemus mature sese exerere salium scorbuticorum vel hæreditariam labem, unde expurgati postulant corpora nonnunquam & ut præserventur à morbis, & ut faciliùs curentur gibberis fientis vitia.

Notabile quin etiam est, in abscessibus internis latitantibus sæpenumero purgantium insignem fuisse virtutem observatam. Cavendum solùm, ne hypercatharsin patiantur tenella corpora, & hinc exhausto & depauperato nutritio succo nutare occipiant corporis sustentacula, partes osseæ, robur omne suum à spina dorsi velut basi quadam derivantes.

Hunc in finem dari possunt seligenda & individuis aptanda purgantia ex gialapa, mechoacanna alba, manna, rhabarbaro, aloe, sena Alex. & exin præparatis, sir. ros. solut. de cich. c. rhab. elect. lenit. resin. scammon. aliisque abunde notis.

Præter hæc, ut potiora saltim libemus, plurimum opis situm est in usu Diaphoreticorum. Cùm enim hæc ipsa omnem στάσιν seri & sanguinis, ubi fientem & factam, disjiciant, affluxum arceant, & circulum humorum vitalium in ordinem redigant, merito suo à Serverino l. c. c. 4. p. 35. habentur præcipuum & primarium ad morbi hujus causas aut eximendas & minuendas. Laudari hunc in finem merentur antim. diaph. C.C. phil. bez. martiale cachect. ens veneris Boylei, seu flor. sal. armon. vitriol. seu ex terra vitrioli dulci sublimati, M. S. sp. tart. tinct. bez. Exteriùs verò æstuaria, balnea laconica, tepidaria, thermæ, ad tolerantiam habitus corporis, ætatis, naturæ instituenda.

Par ratio Diureticorum, quæ aperiendi & resolvendi virtute serum superfluum partim imminuunt, partim in ordinem cogunt, ex succin. alb. ppr. magist. oc. cancri arcan. duplic. cujus insignis vis in atrophia ab obstructione glandularum mesentericarum, si à martialibus abierimus, accuratioribus practicis dudum notata est; arcano tartari & similibus.

Alterantia specifica interna, licèt non adeo prostent, vel ad gibberis curationem venditentur; summo tamen jure huc referri possunt & pro his haberi (1) Resolventia ex lap. cancr. antim. diaph. sperm. cet. mater. perlar. ppr. pulv. absorbente Wedel. pulv. contr. casum; cerefolio, scabiosa, cinnabari nativa, quod divinum ad omnia seri stagnantis vitia remedium laudes omnes superat, & aliis. Non sine causa etiam horum censum subeunt laudata jam diaphoretica & anodina ipsa, singula uni eidemque intentioni debita.

(2.) Aperientia, quorum nomine complectimur, quę glandulas intestinales obstructas reserant, amurcam venarum extergunt, humores acetosos saturant, edulcant, absorbent quin & diluendo temperant, sicubi deficiat humor debitus. Talia cumprimis martialia esse queunt, quæ instar omnium sunt, modò humectantia & roborantia in sicciori statu magis eligantur, ut tinct. mart. pomata, cydoniata mart. solar. cum arcano tartari tincta, tartari balsamica, Zvvelfferi; essentia mart. antim. tartar. anima rhabarbari, elixir antiscorbuticum, ut alia antiscorbutica taceamus.

(3.) Nervina & Cephalica, illa præcipue quæ & vincula roborant balsamica virtute, & seri ichorescentiam & fluxilitatem peregrinam salinam corrigunt, ex chamædr. chamæpit. rosmar. salv. major. stœchad. arab. castor. rad. chin. sarsæparill. essent. succin. lignor. specif. cephal. cinnabarino, pulv. epil. March. & similibus.

(4.) Traumatica, quæ characterem suum alcalinum vel balsamicum sanguineæ massæ, & latici præcipuè impertiunt, ut impedimentis γλισχρότητος convenientis ablatis, solidescere magis in cartilaginosam & osseam duritiem possit, ut decocta, aquę & infusa ex plantis vulnerariis, facilè cum resolventibus & nervinis miscendis, essent. traumat. Rolf. Wedel. quæ omne absolvit punctum, seu per se, seu cum tinct. bez. elix. pector. essent. succin. anod. prout indicantia variant, miscenda; ut lapides cancr. illorumque infusum vel decoctum cum vino non denuo laudemus.

Inter roborantia hæc (5.) reponi merentur & Pectoralia, tussi, respirationi difficili, phthisi, seu mitigandis, seu præservandis, appropriata, non omissis, quæ calorem hecticum, si quis obrepat, attendunt. Hinc polv. pector. D. D. Præs. uterque, elia. pector. spec. diamarg. fr. pulv. Haly contra phthisin. rec. disp. hîc nominari merentur. Quin imo ipsa quoque pinguedo canina recens juículis non inutiliter inferri potest, ad oleosiorem reddendum lactem.

Tandem & alterantia externa seu topica recensenda veniunt, quæ vi traumatica, nervina, analeptica, emolliente, vel roborante sunt conspicua. Sic fieri possunt Fotus ex cephalicis & roborantibus cum vino vel sp. vin. infusis & digestis; ex aq. anhaltina, essent. rosmar. castor. ejusque spiritu, sp. lumbric. junip. &c. Unguenta ex oleo momord. laurino, lumbric. lil. alb. ophiogloss. euphorb. n. m. petrol. medull. crur. vitul. sev. hircin. pingu. human. taxi, unguent. dialth. agripp. martiat. nervin. popul. resumptiv. additis quoque oleis destillatis pro lubitu. Sunt qui pinguedinem anseris, muribus juvenibus pluribus impleti & assati, pro secreto remedio habent. Quod tamen præstat, sine dubio, arcessendum est ab emolliendi virtute, cum aliis communi. Compositum tale unguentum ad gibbositatem infantum describit Sternberg. tr. de aff. puer. p. 61. Emplastra ex cerato citrino, sandal. empl. ad fractoras & ruptur. usit oxycroc. emplastr. ad gibber. Hildan. descripto cent. 5. observat. 67. pag. 458. de rad. althææ, opoteldoch. Rolf. & additis adstringentibus, roborantibus & discutientibus, pulv. lumbric. terr. g. tacamah. carann. &c. Tale quoque est à Foresto commendatum l. 29. obs. 23. in schol. p. 824. simplicius quidem ex gummi ammon. & ladano, pro pueris, & compositum magis si desideretur.

Ex his verò non difficile fuerit medico rationali & experto seligere pro causarum & subjectorum diversitate, quod magis ex usu puter, Alia enim ratio est sicciorum, alia laxiorum vinculorum habenda, unde & emollientia & adstringentia, sed diverso tempore & respectu prosunt, cujus rei exemplum videri potest apud *Amat. Lusit. cent. 5. cur. 47. p. 143.*

Feliciorem tandem curationem præstat victus ratio, seu vivendi regimen, Diæta, quæ in genere ita comparata esse debet, ut ætatis & corporis temperiei sit conveniens.

In naturali cibus præbeantur εὔχυλα & πολύτροφα, inprimis si siccitas conjuncta sit major & aridura. Vitentur verò nimis viscosa, salsa, infumata, frixa, aromatisata, obstructionibus generandis vel rarefaciendo sanguini magis apta.

Potus sit cerevisia defecata; recens & vetusta nimis noxia. Vinum parca præbeatur manu, imprimis generosum.

In vitali aër eligendus temperatus. Frigidus cùm nervosis partibus inimicus sit, & tussi ac catarrhis generandis aptior, à corpore arceatur. Nocet verò & calidus nimis, sanguinem ad motum magis ciens ac sudorem.

In animali quies cordi habeatur præ motu. Infirma illa corpora omnia lassantur & læduntur motu, qui jamdum difficilis succedit, & respirationem adauget magis.

Somnus cùm humectet, & humidum, quo nutrimur, magis ad lentorem debitum disponat, convenit præ Vigiliis. Opus sæpe est & de die & noctu simul gestare thoraces & ligamenta, ut constantiùs & reprimantur & reposita firmentur ex ordine dimota. Supinus decubitus, capite tamen paulo acclivi, hic reliquis modis fere præferendus. Vitandæ & in lecto, quas vocant, jectigationes.

Alvus & vesica recrementosas, spissas & tenues alimentorum partes justo reddant tempore, ne desidia vel exiccatione nimia indurata scybala conatum in egerendo majorem inferant, unaque ossibus laborem fœnerent.

Animi Pathemata ad rationis justæ normam moderari fas est. Gaudium moderatum infantum & crescentium ætatum reliquarum temperiei est aptissimum. ita terror, metus & tristitia, quæ exiccant ossa, absint. Lachrymandi & plorandi occasiones, quantum licet, vitentur. *Excell. Fridericus Kaseberg. in Dissertat. Medic. select. Clar. Wedelis.*

Gibbositatis ab humorum affluxu incipientis cura propria, quam maximo cum successu sæpius adhibuimus, hæc est.

℞. Turbith. gummosi, fol. senn. mundat. radic. mechoacan. hermodacty. cremor. tart. diagrid. cranii hom. extract. liquirit. ana ʒß. M. F. pulvis dividendus in doses 12. totidem septimanis assumendas.

2. ℞. Baccar. juniperi ℔ß. castor. camphor. ana ʒvj. rad. imperator. ℥j. flor. chamom. lavendul. ana ℥iß. conscindantur & contondantur omnia atq; immittantur lagenæ vitreæ, superaffusis sp. vini ℔. v. insolentur, aut igne arenæ digerantur per dies 14. post destillentur organis vitreis.

Spiritu hocce, singulis diebus, bis aut semel gibbus incipiens prope ignem per horæ quadrantis spacium perfricetur.

3. ℞. Fol. salv. recent. major. menth. crisp. rutæ, lavendul. paralys. hyperic. chamomill. summit. anethi ana Mj. baccar. laur. & junip. ana ℥j. rad. pyretr. ʒii. Conscindantur & contundantur. post infund. per septimanas tres loco calido, in olei lumbricor. hyper. rosat. anethi ana ℥iij. additis axungiæ human. catellorum, cati sylvestr. ana ℥j. Insolatione, aut infusione in locô calidô peracta, coquantur omnia vase clausô ad humidi absumptionem; post colatis, & fortiter expressis, adde olei terebinth. ℥j. mastich. pulver. ʒß. terebint. Cypr. ℥iiij. tinctur. benzoini ℥j. ceræ albæ ℥iij. Coquantur rursus horulæ spacio, materias continuò agitando, ut fiat balsamus, seu unguentum.

Eo inungatur Gibbus post perfrictionem factam ex spiritû mox descriptô.

4. ℞. Emplastr. de gratia Dei, de pelle arietin. & consol. maj. ana ℥j. balsami sulphur. tantundem, M in emplastrum, quod toti gibbo post inunctionem applicetur. Removendo & reapplicando bis de die, ter, in singulis perfrictionibus & inunctionibus.

Potus sit decoctum radic. chinæ paucô cinnamomô aromatisatum, & saccharô ad gratiam conditum, illudque vel solum, vel pauco vino admistum.

Consultatio.

Gibbositas cum torpore partium infernarum.

Nob. Adolescens vigesimum primum annum agens, temperamenti & habitus melancholi, à

nativitate caput Morphæa sive lactumine affectum habuit, quæ affectio progressu in Tineam migravit, quæ decimo sexto suæ ætatis anno Topicis remediis absque diligenti totius expurgatione omnino cessit, sed quinque abhinc annis successit destillatio quædam à capite per dorsum, quę circa mediam spinalis medullæ partem firmata dolorem quemdam gravativum & obtusum excitabat, ad pectus & costas mendosas sese extendentem, & exiguo temporis spatio curvaturam eidem spinæ induxit, figuram ad instar S. repræsentantem, sicque non exiguam gibbositatem; neque toto jam dicto præterito tempore ullum internum fuit administratum medicum præsidium. Æstate autem proxime præterita semitti cœpit in illa spinæ parte atque costis jam dicta molestia, sed supervenit difficultas quædam deambulandi, cum pedum & crurum imbecillitate, & dolor gravativus atque obtusus qui antea mediam spinæ partem occupabat, lumbos molestare cœpit cum quadam musculorum atque tendonum sub genibus contractione. Tunc convocati fuerunt Excellentiss. Viri Urbis primates, & consultum fuit Nob. Adolescentem generosis remediis fore curandum, cujus curatio mense Septembri proximè præterito incepta fuit, ad redundantiam excrementorum melancholicorum atque pituitosorum deponendam. In quem finem primis viis expiatis, eductus fuit sanguis, primò ex brachio, deinde ex hæmorrhoidibus; præterea reseratæ fuere obstructiones quædam in visceribus existentes, inde totum venosum genus fuit diligentes expurgatum, mox caput ipsum, tandem institutum fuit Decoctum ex China, salsa, visco querc. santalis, necnon cichoraceis & capitalibus herbis paratum, & sudor moderatus in lecto fuit excitatus. Præterea inunctiones partibus læsis administratæ. Conservæ capitales cum cranio humano & ungula Alcis atque succino in usum ductę fuere. Progressu jam dicti decocti melius habere videbatur; verùm ambientis invalescente frigore, in deteriorem statum quàm antea lapsus est; siquidem impotentia ad ambulandum adeo adaucta est, ut fere ex toto motus progressivus ablatus sit cum torpore & stupore in cruribus & pedibus ipsis, quinimo quandoque motus aliquis convulsivus qui contrahit crura ipsa, observatur. Interim de capite nulla adest querela, licet prægressi fuerint timores, animi agitationes ob varia contingentia accidentia. Modo de agendis & quando pro salute consulit.

Mirandum quidem, quod Nob. Viri parentes statum ejusdem morbosum tamdiu neglexerint; siquidem licet lactumen seu Morphæa in infantia, progressu in Alopeciam sive Tineam conversa, bona fuerit, ut causa, mala tamen, ut signum, procul dubio semper fuit. Etenim aut totius venosi generis impuritatem, aut capitis insignem intemperiem, aut utrumque nobis significabat, & ideo radicitus extirpanda; quod cum fuerit omissum, ætatis progressu capitis cute cum membrana carnosa crassiori atque densiori reddita, & ideo excrementorum egressum impediente; factum est ut ipsa Tinea evanuerit, sive potius non amplius apparuerit, superstite tamen humore excrementitio, ejusque reproductione vigente, quem à prædominio pituitosum fuisse in capite genitum, subdominio verò melancholicum atque serosum, à toto ad caput transmissum credendum, qui vias ad egressum sibi impeditas inveniens, quinque abhinc annis per spinam ad vertebras dorsales decumbere incipit, & sua acrimonia, seu potius aciditate partes nervosas vellicans atque pungens, dolorem quendam excitavit, sicut multo magis vertebrarum ligamenta madefaciendo atque laxando, ejusdem spinæ illa parte contortionem, sicque gibbositatem induxit, postremo verò, ut magis compressis nervis ab adaucta gibbositate, aut quia humor redundans inferius ad vertebras quoque lumbares pervenerit, compressione potius, quàm obstructione infernarum partium motum diminuit, imo tandem fere ex toto ademit, præter torporem stuporem etiam inducto, diminuto nimirum etiam sensu cum ipso motu. Nec mirum motum convulsivum etiam quandoque observari, qui tamen vera convulsio non est, quoniam non ex nervosæ substantiæ repletione, sed ex irritamento, vel ab aciditate melancholici humoris, vel ab aliqua molestia, à vertebris male suo situ dispositis, eidem illata provenire speramus, nisi forsan potius aliqua melancholicæ serositatis à nervorum principio per medullam quoq; spinalem sese insinuaverit, ut non semel in praxi à nobis observatum fuit, quod Deus avertat. Deus, inquam, hoc avertat, quoniam non solùm infernæ partis, verùm & supernæ, futuræ Paralysis ratò curabilis periculum immineret: sicut si extra nervosam substantiam repetiatur jam dictus humor mistus, non adeo difficilis evadet curatio: & si causa morbifica immediata adaugeatur, compressio nimirum vel à vertebris ipsis, vel ab humore multiplicato, motum quoque naturalem infernarum partium abolere, & præter naturam, convulsivum scilicet, frequentiorem ac molestiorem reddere valebit.

Quoniam verò ex adducta relatione comprehendimus malum hoc quotidie magis ruere in deterius, idcirco quamvis anni tempus vernum exigat ipsa curatio, ad eandem tamen festinandum esse credimus: duorum enim mensium spatio tantam posset vim assumere morbus ipse, ut difficiliem curationem non sine vitæ discrimine admitteret. Quare statim sepetenda curatio, primas vias mundando. Secundo totum venosum genus depurando. Tertio caput expurgando. Quarto materiam ad vertebras jam fluxam resolvendo. Quinto intemperies partium mandatorium corrigendo. Sexto caput nervosumq; genus roborando; & tandem vires totius conservando.

Tribus autem prioribus intentionibus iisdem jam administratis remediis erit satisfaciendum, omissa tantùm ex hæmorrhoidibus sanguinis eductione. Quartæ quoque intentioni adimpiendæ, decoctum sudorificum erit instituendum, præscripto non dissimile: quod parari poterit in aq. stillat. cich atque beton. addendo pulv. vipetini gr. xv. aut xx. Sed quod omnino necessarium censemus, est sudoris provocatio in hypocausto, ultra horæ dimidium nunquam moretur Nob. Patiens; & in hoc remedii genere supra trigesimum perveniat; ideoque non adeo tenui victu utendum, licet à vino eo tempore sit semper abstinendum.

Terminato sudore, in vipetini pulveris usu erit perseverandum, ut diaphoresis adaperta servetur de quo dicebat Gal. quod extenuantis est facultatis, valde enim exiccat ac digerit, & ad cutem properat; & interim non interposità morà ad Thermas sulphureas Aponitanas sese conferre debet, ut luta prius emollientia, si opus fuerit, deinde certò resolventia spinali medullæ administrari possint: & forsan etiam Balnea sulphurea, ut faciliùs sulphurea vis emolliens atque resolvens penetrare valeat; quo tempore & capitis stillicidium non parum profuturum credimus; tuncque & de aliquo ferreo instrumento adaptando cogitari poterit, sicut forsan & in præsens: quod excellentiss. præsentibus atque videntibus committere debemus. Interim ut humor magis incrassetur

ioctasset atque exiccetur, quotidie exterso sudore tota spina inungenda usque ad os sacrum, inunctione parata ex oleo lil. alb. de lumbricis, vulpino & viperino: non autem crura ubi deficit motus, exemplo Pausaniæ: sub genibus tantùm ratione motus coovolsivi, oleum lil. alb. cum amygdalino conveniens erit.

Quibus jam dictis omnibus congrua victus ratio erit addenda; à vaporosis omnibus, tum calidis, tum humidis abstinendo, vinumque medicatum pro mensa parando, ligno totis mar. visco querc. lentisco & santalis alteratum; cæteraque observando quæ Viris Excellentiss. præscribenda, sicut reliqua omnia dijudicanda atque corrigenda relinquimus. *Raym. Joh. Forti Consult. & Respons. Medic. T. 1. Cent. 1.*

Observationes.

Gibboso cuidam Puero nobili, cui spina dorsi extrorsum admodum extuberabat, thoracem ferreum qualem armati ferre solent, ex tenuissimis laminis fabricatum, atque intus fortisque ac nimium illum premeret, pannis suffultum, indutum ut gestaret docui, quo facto, cùm eum integri anni spatio, dies noctésq; gestasset, eiq; sic assuevisset ut non magnam inde sentiret molestiam, sensim pressa illa curvatura, spina rectitudinem iterum suam naturalem est adepta, postea; semper recto corpore incedens, procerus admodum est factus. Felix Platerus. observat. lib. 1. pag. 164.

Puellula quædam octodecim mensium excrescentiâ vertebrarum dorsi laborare cœpit. Ad eam vocatus, tertiam & quartam vertebras lumborum extuberantes inveni ad ovi Anatis magnitudinem, quas secunda & quinta nonnihil sequebantur, ita ut in maximum gibbum extreverit spina, præcipue versus sinistrum latus: quapropter sinistrum crus dextro longe imbecillius fuit. In curatione sequenti modo processi.

Primò dorsum totumq; crus sequenti aqua ad nervos corroborandos inunxi.

℞. Aquæ gran. juniperi sine vino destillat. aq. salviæ, betonicæ, lavendulæ, an. ℥ ij. pulveris radicis bistortæ, tormentillæ, rosarum an ʒij. M fiatq; infusio in ampulla magna per dies octo vel decem. Dein per inclinationem à pulveribus separata aqua ad usum reservetur. Post inunctionem, sequens Emplastr. quo etiam in fracturis ossium otor, applicui.

℞. Emplastr. Slotani ℥v. ceræ novæ ℥ij. lapidis ostocoll. ℥j. pulveris radicis consolid. majoris, terræ sigillatæ an. ʒiij. pulveris balaust. nucis cupressi rosarum odoriferatum an. ʒj. misceantur lentissimo igne, fiatque emplastrum, addendo ol. rosar. aut mastich. quantum satis, totum autem præcipuumque artificium in curatione gibbi, in hoc consistit, ut extuberantia vertebrarum reprimatur retrorsum, alioquin omnia frustra tentantur. In hunc itaque finem laminam ferream, aliquantum incurvatam, & ejus quidem longitudinis & latitudinis, ut totum gibbum cooperiret, in thoracem ex reduplicata tela ita adaptavi ut extubetantes vertebras reprimere posset. Laminam tamen carbaso obtexi, ut puellæ minus esset molesta: thorax nudo corpori induatur & ita quidem adaptandus est, ut totum ventrem ad muliebria usque comprehendat: Per medium ventrem ligula oblonga constringatur; circa pectus quidem mediocriter, ne metaphrenum & costæ constringantur; post costas verò mendosas usque ad imum ventris arctissime, quo lamina ferrea extuberantes vertebras reprimere possit. Ne autem thorax à scapulis sursum trahatur, fasciæ duæ transversum digitum latæ, in utroque inguine annectendæ erunt thoraci, quæ descendentes subter nates, in utroque latere thoraci ligulis annectendæ. Emplastrum autem & inunctiones de quarto in quartum, aut etiam de sexto in sextum diem renovavi, coxam verò totumque crus singulis diebus, præscriptâ aquâ inungere jussi, sic divino favore, intra menses sex, gibbus depressus fuit, thoracem verò, laminamque propter imbecillitatem & molliriem membrorum in secundum usque annum gestavit. Nunc cùm annum ætatis tertium attingit, quàm belle se habet. *Guilielmus Fabricius Hild. obs. 67. cent. 5.*

Anatomicæ Inspectiones.

Gibbositas ob sinistrum Pulmonem & Pericardium firma cicatrice costis adnata

Quidam purulenta tussiens, circa diaphragma sinistrum vehementissime doluit, tandem ascitide obiit. Aperto cadavere, parenchyma sinistri pulmonis fere totum consumptum; bronchia verò relicta cum pauco parenchymate, & ipso pericardio firmissima cicatrice, ceu callo, costis adnata coaluere, ita ut propter diuturnum dolorem, hoc latere compresso depressoque, gibbosus altero latere factus fuerit miser. *Sal. Reiselius in miscell. cur. anni 1673. Observ. 191.*

Gibbositatis causa in capite reperta, ob vitiosam ossis Ethmoidis conformationem.

Adolescens à pueritia Gibbo & asthmate vexatus, tandem ex phthisi obiit, circa annum ætatis *16*. Hujus cranium aperui, & inveni prorsum sive interstitium, aut septum illud quod eminet in medio ossis ethmoidis, seu cribrosi (qui processus crassitiem papyri excedere vix solet) in latitudinem & altitudinem ita auctum, ut ferè totum os cribrosum obtegeret, adeò ut foramina hujus ossis, per quæ pituita ex cerebro ad nares solebat effluere, planè oppleta viderentur, & quamvis percocto cranio, vix eorum ullum pateret. Denique officula superioris maxillæ, quæ in magno oculi cantho conspiciuntur, adeo excreverant, ut septum nasi hinc inde propemodùm attingerent: Hanc præcipuam fuisse gibbositatis causam verisimile est: nam cùm pituita per nares minime posset expurgari, versus spinalem medullam tendebat, sicque vertebræ, earumque cartilagines, assidue irroratæ pituita viscida & relaxatæ, tandem excreverunt in gibbum maximum. Nec solum pars illa Dorsi ex hac defluxione & irroratione pituitæ relaxata fuit, verùm etiam omnia ossa à collo usque ad pedes præcipue vertebræ, os sacrum, os pubis, ossa pedis, deoique omnes epiphyses sive appendices, præter consuetudinem molles ac tenellæ erant, ita ut fere instar ceræ tractari possent. Illud præterea in hoc cadavere notandum visebatur, quod *6. 7. 8. 9. & 10.* vertebræ metaphreni, quæ Gibbum efficiebant, exesæ erant carie, præcipue autem *7. 8. & 9.* quarum nihil præter exteriores semicirculos, & eorum processus conspiciebantur. Interiores autem partes harum vertebrarum, in quatuor aut quinque fractas partes, non sine admiratione, in ipsa pulmonis substantia invenimus; Pulmo enim in parte, quæ dorsum respiciebat, ulcere magno & calloso laborabat, per quod ea fragmenta, ex continuo pulmonis motu attracta

attracta fuisse, dubium non est: Tanta enim est pulmonis ad se attrahendi facultas, ut nonnunquam tuundas et vulneribus pectoris penetrantibus ad se traxerit, Fabritius Hildanus cent. 1. Observ. xlv. Diximus in Gibbo illo 7. 8. & 9. vertebram metaphreni ita exesas fuisse, ut nihil præter exteriores semicirculos & eorum processus repertum fit: ubi admiratione non caret quomodo spinalis medulla conservata fuerit, Erat enim plane denudata, & nonnisi membranâ suâ coopertu: interim tamen insigni illa putredine ossium cariosorum, & ulceris pulmonis sordidi circumdata, neque tamen sequutum ullum symptoma ex iis quæ spinali medullæ læsæ accidunt. *Idem cent. 5. Observ. 66.*

Gibbositas Pectoris & Dorsi à magnitudine Hepatis extraordinaria, Rachitis Anglis dicta, Tabes Pectorea.

Pectoream Tabem appellamus, non quæ intra Pectus sedem habeat, quo facto Phthisis Pulmonia eo nomine comprehenderetur, sed in qua ipsa Pectoris crates vitietur, id quod fit in morbo quem describendum suscipimus. Est autem hic Puerilis duntaxat seu infantilis, & vulgatissimus in Anglia, uti & in Hibernia ab aliquot annis, ubi antea solebat rarissimus esse ac vix cognitus. Invadit autem non grandiusculos tantùm infantes, sed & valde teneros ac recens natos: Sicuti contrà rarissime trimis majores adoritur, & ut plurimum intra bimatum se continet. Multæ corporis partes in hoc morbo afficiuntur, pectus, caput, artus, aliæ, sed præ omnibus ac ante omnia pectus, cujus pars anterior, quæ lata esse debebat ac plana, angustior fit, & utrinque acclivis in medio, seu sterni regione, altiùs assurgit, tandem prorsus carinatur. Costæ inferiores, ad latus foveæ ventriculi, introrsum retrahuntur, ac quodam utrinque velut scrobem faciunt, toroque sui ductu, quibusdam velut nodis asperantur ac inæquales fiunt: vitiata pectoris figura respirationem facit impeditiorem ac crebriorem, quam etiam tussicula plerumque sicca, comitatur: Caput grandescit ultra debitum modum, ac inferiores corporis partes, coxæ, femora, crura, extenuantur & debilescunt, unde infantes incessui inepti redduntur; non modò illi qui nunquam adhuc eo usi fuerant, sed & qui firmiter admodum agiliterque incedere ac discurrere cœperant, diu antequam hoc morbo prehenderentur: Dorsi spina in multis curvatur, atque arcûs instar in exteriora flectitur: Ossa articulorum in brachiis & cruribus, non omnium, sed carporum ac talorum augentur, ac tantopere protuberant ac si duplicata essent fere eorum moles; unde etiam *Doubling ofthe joints*, i. e. junctutarum duplicationem id vitium nominant Angli, qui morbum ipsum, hoc symptomate stipatum *Tene* indigitant: quum alioquin eum generaliori vocabulo, omnemque ejus speciem includente *The Rickets* appellent; Præter hæc omnia dextrum hypochondrium intumescit totum, tumore æquali, magno ac renitente, sic ut digitos sub costas nothas adigere non possis: Et sane omnis mali vel origo vel fomes latet hoc in loco: Tumor iste cum pectoris aliqua angustia, statim initio morbi apparent, sic ut interdum quidem ambo ista simul, eodemque tempore se prodant, aliàs verò vel hoc vel illud altero nonnihil anterius sit: Nodi in costis, ac scrobes istæ in imis oris pectoris postea accedent: quando etiam pectus fit magis magisque angustum: Capitis incrementum illis posterius est, nisi quod pectus toro morbi decursu artius redditur, donec ad summam angustiam deventum sit, sic ut carinæ instar acutum fiat, ac promineat, quod fere non fit nisi paucis ante mortem diebus: Est enim lethalis hic morbus, si vel negligatur penitus, vel serò ant prave curetur, plurimosque quotidie absumit, neque ullus est annus quo non aliquot millia infantium pereant: Articulorum grandiras fere nonnisi ultimo loco supervenire solet: quanquam multi sint qui eam nunquam patiuntur, ac moriuntur priùs quàm ad eam devenlatur: sicuti rursus ex iis, quibus illa accidit, permulti evadunt, etiamsi incuriosius habeantur, quippe haud ita periculosa est illa Tabis Pectoreæ species quæ hoc symptoma trahit, quàm quæ eo caret.

Origo hujus labis à Jecore est, persæpe non vitiato ullamve noxam passo, sed supra modum adaucto, ita ut plerumque duplo, imo fere triplo majus sit quàm par erat, totamque anteriorem epigastrii partem occupet, & ipsum quoque sinistrum hypochondrium attingat, interdum quoque impleat Jecur sic adauctum, cùm in ipso ventre non inveniat spatii satis, ubi se commode explicet, à thorace mutuatur quod ipsi deest, ac versus superiora assurgens, diaphragma longe impellit, adeo ut interdum pectoris cavo vix dimidiam partem spatii ipsi debitis relinquat: Pulmones sic in arctum redacti, contrahunt sese ac in sese colligunt, unde fit ut pectoris quoque crates, ipsorum causâ facta, iis se accommodet ac angustior evadat; Quandoque ab ipso pectore & pulmonibus incipit malum, hectica quadam siccitate, cum nonnullo etiam caloris excessu, obsessis, qua sensim marcescentes illæ partes, ac sese contrahentes, quum vix ullum nutrimentum tunc capiant, sanguinem quem in statu naturali valde copiosum ad se trahere ac absumere solent, Jecori refundunt; quod eò circumfluens, plus justo increscit, atque in omnem partem sese adauget: cujusmodi nimium Jecoris incrementum principalis hujus morbi causa est, ita in hoc quoque non parum ad eundem fovendum confert, atque in progressu eadem omnia mala importat, quæ modò memoravimus, atque sic morbum, quanquam non ab ipso cœptum, fovet tamen & magnopere adauget: Neque in hâc Pectoreæ Tabis specie ullum magnopere periculum est, donec ista à Jecore noxa supervenerit: quæ & supervenit semper si diutius trahatur malum, neque statim initio curetur, aut ab alia causa præmortuua infans fuerit. Ego sane, quum plurima corpora, utravis hujus morbi specie extincta secuerim; autopsia deprehendi rem ita se habere; neque unquam mihi adhuc infantis, isto morbo defuncti, corpus aperire contigit, in quo non prægrande ejusmodi Hepar reperirem.

Mali hujus originem infantes sæpe in utero matris contrahunt, idque vel mox in ipso conceptu, vel gestationis tempore: Prius evenire solet ubi vel pater, vel uterque parens calida & sicca utriusque visceris, Jecoris & Pulmonum, vel alterutrius intemperie laborat: Alterum à sola matre proficiscitur, quando ea in victu multùm peccat, interea dum uterum gerit, atque vinum, cerevisiam fortem, aquam vitæ crebrius ac largius ingurgitat: Eodemque vel matris, vel adscititiæ nutricis, vitio, hæc labes accersitur etiam infanti, qui alioquin ei ab ortu obnoxius nequaquam fuerit, si liberaliori cujuscunque Siceræ potui crebrius ac largius indulgeant, istoque pacto lac suum inficiant, ac naturalem ejus bonitatem corrumpant: Quandoque cœcæ huic malo causæ subsunt, infantesque ejus initia

inicia secum ex matris utero deferunt; vel postmodum id contrahunt, absque eo ut ullus ejusmodi defectus vel in parentibus vel nutrice compareat. Sane ut in aliis permultis humani corporis affectibus, ita in hoc quoque astra plurimum pollent, certorumque siderum ictus isti vel procreando vel fovendo magnopere inserviunt. Morbus iste ægriùs tollitur si à jecore cœpit, quàm si à pectore; magisque etiam si à primo ortu infans ei obnoxius fuerit. Quando in pectore ipse originem habet, curatio ejus satis facilis est; quum siccitas, etiam hectica, quæ in corporibus adultis fere immedicabilis, in corpore infantili cum minori difficultate emendetur. Curatur autem balneis unguentisque emollientibus atque chalasticis, aliisque ad humectanda pectoris ossa pulmonesque accommodatis: inter quæ pellis ovi aut agnu recens detracta, & adhuc calens admota, atque aliquot horis relicta, mirifice multis profuit: Quod si jam in progressu est morbus, atque jecur superaugeri cœpit, aut si ab ipso jecore processit malum, isti quoque medicatio adhibenda est, omnibusque modis conandum ut incrementa ejus obsistatur, atque intra naturalem modum coerceatur: quam in rem, non linimenta modò & unguenta, aliaque topica, sed interna quoque in usum trahenda: sic tamen ut non salubritatis tantùm ratio habeatur, sed & teneræ isti ætati effectus ac sapor medicamentorum attemperetur. Pari quoque prudentia cavendum ne dum refrigerare ac contrahere Jecur nitimur, obstructiones aliaque mala in eo generemus, nimio adstringentium, aut intempestivo emplasticorum usu, atque sic geminam pro simplici labem accersamus, morbumque penitus incurabilem reddamus: Super autem omnia sciendum pro internis & externis medicamentis, ea hic deligenda, quæ & Jecori privatim amica sint, & præter communes cum aliis multis Refrigerandi & Adstringendi facultates, peculiarem aptitudinem huic operi necessariam, sortita sint. Purgatio hic nullum locum habet, nec sanguinis quidem missio, nisi morbo longiùs progresso, ac capite jam nimium aucto: quando sanguisugæ venis post aures, atque in fronte & temporibus utiliter admoventur, multùmque ad universam curationem conducunt; ideoque si res ita ferat secundò ac tertiò usurpandæ sunt: Victûs ratio longe alia in hoc morbo instituenda est quàm imprudentioribus, ac naturam ejus non satis perspectam habentibus, videri posset: Non enim Atrophiæ, qua infantes contabescunt, per se attendendum est, neque conandum ei occurrere plenioreci-batu ac validiùs nutriente, quod esset oleum addere camino, sed contrà omnis opera in id adhibenda est, ut exuperans sanguinis copia compescatur, ac nimius ejus fervor, nimiaque tenuitas & acrimonia coerceantur; quod quibus potissimùm rebus effici debeat neminem doctum Medicum latere debet: Quod si ita teneri sunt infantes, ut nihil dum præter lac nutritium assumant, matri vel nutrici ea danda sunt quæ prædictis scopis inserviant; ac lac earum debito modo attemperare valeant: In iis verò infantibus qui grandiusculi jam, nondum tamen ablactati, & ubera sugunt, & alios præterea cibos ac potus assumunt, utroque modo agendum est, & illum ipsorum, tum nutricum victus ita ut diximus ordinandus. Hæc curationis via sollicite admodum observata, & diu admodum continuata (nihil enim hic parvo temporis spatio effici potest, præsertim ubi altiùs hæsit malum) feliciter curatur iste morbus.

Morbum istum non in Anglia duntaxat & Hibernia, sed & in aliis quoque regionibus grassari verisimile est, & de Gallia quidem mihi certissime constat: diversus enim Parisiis infantes vidi eo laborantes. *Arnoldus Bootius de affectibus omissis cap. 12.*

GINGIVARUM MORBI.

Gingivarum caro spongiosa ac glandulosa pluribus morbidis affectionibus sedem præbet, quarum præcipuæ sunt earundem cruentatio, corrosio, ulceratio, (etiam in fistulam abiens, imo & gangrænam) flacciditas, tumefactio, ac excrescentia, abscessio à dentibus, pruritus, ac parulis. De gingivis cruentis, corrosis, ulceratis, flaccidis, tumefactis, vide quæ capite de scorbuto; de fistula & gangræna, vide quæ propriis capitibus; de abscessione à dentibus, vide in dentium morbis; de pruritu, vide de morbis infantium; de parulide, vide in epulide. Hic itaque tantùm pauca.

Consultatio.

Pro egregio quodam viro scirrho canchroso cum ulcere circa gingivam in inferiori mandibula ad dextras existente detento.

Tumor præter naturam, qui gingivam in inferiori mandibula ad dexteras occupat, scirrhus existit; nam ibidem cum duritie, atque renixu aucta magnitudo reperitur, & quoniam nullus dolor, nullusque sensus, saltem secundùm dextram partem adest, ideo scirrhus secundùm hanc legitimus est habendus, verèque scirrhus, ut habetur à Galen. 14. Meth. & 2. ad Glauconem, præterea est immobilis ad Strumæ, & glandulæ differentiam, quæ etsi scirrhi dicantur, mobiles tamen existunt; Cæterùm hunc non esse simplicem scirrhum, sed complicatum cum rudimento quodam cancri, ita ut scirrhus cancerosus dici possit, facilè est ex inæqualitate, & livore in ore ad partem illam perceptis ostendere, atque adest & ulcus, quia continuò ichor fœtidus graveque olens emanat ab eminentiis quibusdam erosis dolentibus ad tactum aliquo modo secundùm partes internas; rursus quoniam ex Paulo, Cancer ulceratus vel est fordidus, vel purus, hic, de quo agitur, purus profectò est, quoniam cum livore erosor quidam, & materia tenuis excernitur.

Causam scirrhi immediatam, humorem constituo pituitosum crassum, & lentum per congestionem, non autem per defluxionem à capite (de quo nulla querela à patiente nostro habita fuit) ibidem collectum, item humorem melancholicum naturalem simul mixtos. de humore melancholico fidem faciunt prægressa quartana, nec non subdominium melancholicum in proprio patientis temperamento. Concedo equidem antea tumorem à simplici pituita ortum duxisse, nam veluti meliceris fuit, uti à suppuratione substantiam similem melli reddente colligere potuit unusquisque; sed nunc ob colorem fuscum partis internæ humorem melancholicum admisceri pro certo habeo, ab his autem duobus humoribus & seorsim divisis, & conjunctim unitis scirrhos fieri posse scribitur lib. de Atra bile, & 14. Meth. Cæterùm duritiem acquisivit scirrhus prædictus tum à repletione partis ob copiam humoris, tum à concretione à frigiditate ossis mandibulæ facta, imo & ab ipsa

ab ipsa ficatione, qua nimirum celebrata suppuratione, disruptoque apostemate pars tenuior est excreta, & quicquid crassum est remansit. Verùm quoniam cancer fit ex melancholia genita per adustionem, vel melancholiæ naturalis, vel flavæ bilis lib. de Atra bile cap. 3. dico, præsens cancri rudimentum suam habere occasionem ex Atra bile genita per adustionem bilis, quod ætas juventutis confirmat, necnon habitus, ac ægri temperies biliosa, quam pili flavi in toto fere corpore enascentes ostendunt.

Sed & causæ remotæ ejusdem tumoris tum externæ, tum internæ non sunt contemnendæ, priores in errata externa, in quæ juvenes incurrunt, referuntur omnes, posteriores verò, & moventes esse, & generantes non hæreo, moventes ad facultatem expulsricem totius, partisque laborantis imbecillitatem refero, nam partes oris laxæ, admodum sunt, & humidæ, ob idque ad suscipiendum aptæ, meritò quarum causarum humores per transmissionem, cogentibus his quæ sanguinem acuunt, usu nempe alimentorum calidorum, motuque corporeo, quibus patiens usus fuit, ad locum confluunt affectum, causæ demum generantes in alimenta ad generandos humores dictos idonea, in jecorisque caliditatem meo judicio referuntur.

Hinc scopos Medicos facilè est elicere, tum præservativos, tum curativos, præservativi in causarum ablatione consistunt, primò scilicet in totius evacuatione. Secundò in prohibenda humorum dictorum per sublationem causarum moventium, & generantium, fluxione, atque generatione, proindeque refrigerandum jecur, ventriculus calefaciendus, & pars affecta attemperanda, roboranda, & constringenda, quibus scopis Morbi tantum augmentum prohibebitur; Scopi verò curativi in unicam partis affectæ evacuationem reducuntur.

De prognostico ita sentio, quod liceat. s. scopos præservativos obtinere, quoniam patiens est ætatis juventutis aliqua occurret difficultas, quoniam magnus observatur recessus à naturæ statu, causæ valenter agunt, præsertimque intemperies calida jecoris est in habitu: At scopos curativos absolvere per ea, quæ discutiunt, apud me est impossibile, nam facultas partis est abolita, medicamentaque actuari minime possunt.

An verò possit per recisionem, quæ fit & ferro candenti, & medicamentis corrodentibus malum hoc deleri, meritò dubitari potest: nam ex una parte id fieri posse videtur, quoniam pars est ignobilis, cui nulla vasa insignia, alicujusve momenti assistunt; præterea, ibidem aliàs est facta sectio, cujus occasione nil mali fuit subsequutum, & jure quidem quia contra verum cancrum haud agebatur, hinc non obstat Aphorismus ille sextæ sectionis trigesimus octavus, ut pote qui de veris cancris, intimis, & non ulceratis, adhuc ægros fatigantibus, & magnis existentibus, 2. ad Glauconem, loquatur, non autem (ut notat Gal. ibidem) de his, qui in summa cute exulcerati, & in parte, quæ rescindi possit existunt. Et si aliquis objiceret ex Gal. ulcera ab Atra bile esse prorsus insanabilia, responderi posset pro hac parte, quod Galeni sententia de ulceribus ab Atra bile sincera genitis, venit intelligenda. Ex altera verò parte (quod erat principale institutum) recisio nullo pacto videtur convenire, non quidem per ferrum candens, quoniam aliàs absque fructu tentata fuerit, & summa cum ratione, in similibus namque tumoribus dubio procul vasa materiam continuò suppeditant; adhibito autem igne, insignis à vasis fieri solet attractio, hinc augmento tumoris perbelle datur occasio; præterea corrosiva partes penitiores non petunt, quocirca frustra adhiberentur; demum incisio scalpello non probatur, non enim est tuta propter vasa externa.

At quid ego sentiam nunc, ubi de materiis chirurgicis loquar brevibus aperiam; quas materias respicio, primùm ut disponentes; quæ sunt sectio venæ in subito dextro, & hirudines ano applicitæ. Secundò ut curantes, inter quas ego seligo ferrum candens; Ad propositam autem difficultatem respondeo, quod tametsi non possit ita perfectè sanari vitium hujusmodi, potest tamen ea ratione præcaveri, qua saltem ne augeatur, prohibetur, nam aliàs posset ad tantam pervenire molem, quæ omnino intolerabilis existeret; tandem materias chirurgicas ut præservantes intueor, ac inter has unam instar omnium propono, cauterium in brachio dextro.

Medicamenta, quæ totum respiciunt, primùm occurrunt, hinc pro lenienda alvo, casia cum electuario lenitivo probatur, pro præparandis humoribus decoctum cicoreaceorum, lupulorum, & fumariæ cum suis sirupis, pro quibus humoribus educendis infusum Rhab. & senæ cum manna, pilulæque aggregativæ conveniunt, quinimo statutis quibusdam intervallis non desisterem ab usu syrupi de polypodio Magist. cum syrupo ros. solvente, vel ab infuso Epitimi, ac myrab. citreo. Et pro evacuatione insensibili Chinæ decoctum cum sandalis, cicoraceis, ac liquiritia arbitror præstantissimum.

Atque pro alteratione jecoris thermæ frigidæ Lucenses, vel Beatæ Virginis Patavii, vel Calderianæ, serum, & lac caprinum bibita, balneumque aquæ dulcis sunt admodum accommodata.

De topicis medicamentis ita statuo, ut alterum horum affectæ parti admoveatur; primum est unguentum, quod ex virgæ aureæ, seu tabacci succo, cum oleo rosato, & cerâ ductis in mortario plumbeo conficitur; alterum est aqua ex mercurio, & antimonio stillatitia. Tertium est Cinis Antimonii, postremum pulvis ex duabus partibus tutiæ, unâ Arsenici sublimati, pluries lotis, & in aqua plantaginis ebullitis, verùm & aquam stillatitiam ex ranis viridibus, vel pulverem ab humano stercore, & anetho crematis, tanquam à proprietate agentia non damno.

Et dum hæc administrantur, studendum est, ut patiens probe, & apposite vivat; utatur inquam probis alimentis, cibis cum simplicibus refrigerantibus medicatis, vescatur ptisanâ hordeaceâ, ferculis ex cucurbita, endivia, lactuca, ac similibus, utatur vino oligophoro, aquâ hepaticæ, & boraginis diluto, in reliquisque omnibus modum servet jam dictis respondentem, sic etenim, Deo favente, melius in dies se habebit. *Julius Cæsar Claudinus in Consultationibus Medicinalibus.*

Observationes.

Gingivarum Gangrena, unde mors.

Gangrænam gingivarum & oris præcipuè in pueris rarò sanabilem, in sphacelum autem degenerantem, insanabilem esse, quibusdam jam observationibus confirmare operæ pretium existimavi.

Puella 4. annos nata ex morbo acuto sanata catarrho vehementi ad gingivas cum nausea & capitis dolore correpta fuit. Tota facies in tumorem œdematosum elevata fuit. In sinistra malâ tumor

rotundus,

rotundus; durus & lividus, non adeo tamen magnus apparebat: gingivæ verò & sinistra pars oris gangrænâ correpta fuit. Multa sed frustrà ipsi adhibuimus remedia. Itaque tandem exesis gingivis, labiisque ad nasum usque, è vita discessit.

Genevæ cum Clar. Jano Anton. Saraceno M. D. & Joh. Griffonio Chirurgô præstantissimô in duabus puellis similem penè casum observavi. In curatione, nihil quod necessarium videbatur prætermissum fuit: nihilominus eæ laborantes febre, deliriis, syncope, vomitu & spirandi difficultate tandem è vita decesserunt.

Filius avunculi mei erosione gingivarum propter scorbutum vehementer laborabat; tandem in gangrænam degeneravit erosio illa, & ut priores è vita decessit cum doloribus maximis aliisque pessimis symptomatibus. Summa igitur adhibenda est diligentia in hujusmodi morbis oris: præsertim in junioribus qui putredini obnoxii sunt: tum quia pars oris per se calida est & humida, tum etiam quod constitutio puerorum talis sit. Ideoque prospiciant tyrones chirurgi ne temerè polliceantur ægris, quæ præstare nequeant; & quæ queant fideliter præstent. *Guilielm. Fabric. Hildanus observat. Chirurgic. Cent. 1.*

De Epulide insignis magnitudinis feliciter ablata.

Ut molestum, inquit Nobiliss. Tulpius Observ. 49. lib. 1. sic quoque periculosum sanguinem profluere ex oculis, auribus ac dentibus, sive quoad venas arteriasve, ex quibus facilè plus effluit, quàm partes quibus destinantur, sint ferendo. Sive quod remedia hujusmodi profluvio necessaria, ægerrimè perducantur ad loca diversorum vasorum, sanguinis ex hac illâve parte affluxus præternaturalis graviter sæpius commovet homines, sic ut deliquium non rarò superveniat.

Nutrici cuidam, *Emmetie Gerrits*, virgini floridæ ætatis, dens extractus maxillaris cariosus, sequuta maxillæ, dentibusque adnatæ carnis gingivalis ex exulceratione consumptio, illius imprimis, quæ oculari maxillariumq; primò adhæret.

Ex loco læso fungosa quædam caro, eaq; satis magna, propullulabat, hanc, quòd sanguinem copiosè funderet, loquendique difficultatem induceret, præterquam quòd in cancrum commutari posse sibi persuaderet ægra, instrumento apto extirpari conveniens videbatur.

Primum hoc in casu à nobis usurpatum, medium illud erat, cujus meminit Aëtius sermon. 8. cap. 25. At sine successu adhibitum. Consultum adeoque visum, atram bilem præparans expurgansque decoctum, per vices assumendum præscribere.

℞. Rad. cichor. cum toto m. j. petroselin. fœniculi an. ℥j. polypod. quercin. ℥ß. herbar. scolopendr. betonicæ, scabiosæ an. m. j. becabungæ, buglossæ an. m. ß. flor. borragin. bugloss. beton. an. p. ij. fol. sennæ el. mund. ʒvj. semin. anis. fœnic. an. ʒij ß. passular. corinth. ℥ß. decoq in s. q. aquæ comm. in colat. ℔ j. dissolve syrup. scolopendr. fumar. an. ℥j. diacnicu ℥iß. f. apozema.

Per quatriduum Apozemate hoc usa fuit, singulisque diebus moderate per alvum dejecit. Eo consumpto instituta à nobis Venæ brachii sinistri, hinc etiam pedis sinistri, ad malleolum, sectio, extractæque quavis vice sanguinis unciæ octo.

Hisce sic usurpatis, peractisve, quòd sanguinis fluxio ex ore continuaret, molesta valde ægrotanti, ad operationem Chirurgicam devenire necessarium duximus; quam ubi aggredi constitutum, Cauteria quædam, igni imponimus, ut, si forsan vasa quædam abscissa sanguinis nimium effunderent, pulvereque nostro styptico usuali adstrictio debita perfici non posset, omni medio sanguinis fluxum sistendi destitueremur.

Hoc præmisso ægrotantem sedili commodo impositam luci, quo ex debito fungum tractare nobis liceret, oppositam, bono animo esse jussimus, brevi molestam hanc carnem nos ablaturos. Instrumentum ad ejus extirpationem convenientissimum nobis videbatur, quod parte 5. obs. 27. delineavit *Hildanus*.

Instrumenti hujus ope, celeri manu, ablato fungo, sanguinis, rivulosè admodum; eo imprimis loco, qui denti oculari ac maxillari interjectus, effluentis impetum sistere coacti; hic multùm effecimus pulvere nostro styptico; beneficio lintei combusti vulneratæ parti applicato, descriptio ejus hæc est:

℞. Nuc. Gall. immatur. ℥ij. Boli Armen. ʒ ij. Terræ Lemniæ ʒiij. Vitriol. Cypr. ʒß. Alumin. Crud. ʒj. M. F. Pulv. subtiliss.

Pulveris hujus usus in eo consistebat, ut primo conficiatur mixtura quædam ex albo ovi conquassato & spir. vitriol. gut. aliquot, huic imponatur linteum combustum, hinc linteo hoc excipiatur pulvis loco vulnerato applicandus debite & per fasciam externam, & per manum ægrotantis in suo situ detinendus.

Cauteriis in hujus fungi ablatione haud indiguimus. Sequenti die adstringentia hæc vulneri applicata auferri curavimus eorumque in locum substituimus decoctum hordei, cui aliquid unguenti Ægyptiaci mixtum, pro collutione usurpandum.

Tandem ad omnimodam consolidationem mel rosat. præscripsimus, cui gut v aut vi. sp. vitrioli mixtæ, pro linimento. *Job. a Meekren in Observation. Medico-Chirurgic.*

Gingivarum erosio incurabilis à vermium abundantia in intestinis.

Puer quidam Dusseldorpiensis erosione gingivarum à longo tempore gravissimè divexabatur; multa remedia frustra adhibita; tandem vitam cum morte commutavit. Aperto corpore tanta inventa est abundantia vermium, ut à quibus in locis intestina erroserint, multique in vacuo ventris reperti fuerint. *Guilielmus Fabric. Hildan. observat. Chirurgic. cent. 1.*

GLAUCOMA Vid. *Humorum oculi vitia*,
Titulo Oculorum Morbi

GLANS PENIS per Circumcisionem detecta, quâ operatione ex Celsô id fiat. Vid. sub titulô *Penis morbi*.

GLOBULI Plumbei, quomodo extrahendi Vid. sub titulô *Vulnera Sclopetorum*.

GLOSSOCOMIUM Hippocratis Vid. *Instrumenta Chirurgica*.

GONORRHOEA.

GOnorrhœam melioris doctrinæ ergò duplicem facimus, *veram* scilicet & notbam. *Vera* est, quando vera materia seminalis, aut ipsi saltim proxime similis in testibus tamen elaborata, crebrò nimis excernitur. *Notha gonorrhœa* verò est, quando alia materia vitiosa locô seminis excernitur.

Gonorrhœa vera, est triplex. Fit nempe 1. à nimiâ copiâ & abundantiâ seminis; unde non tantùm uberior veneris stimulus: Sed etiam ubi serum paulatim turgescere incipit, impetu facto ex vesiculis seminalibus prorumpit; id quod contingit præprimis nocturno tempore, dum supini jacent, ubi scilicet propter sanguinis circa partes dorsi inferiores & posteriores, & istarum partium inferiorum incalescentiam, semen abundans calefactum turgere & erumpere solet; Id quod fit non tantùm in juvenibus, sed etiam in viduis, qui à venere solita abstinere coguntur. Dico fieri in primis nocturno tempore; sin verò cum hac seminis abundantia conjuncta sit laxatio quędam vesicularum seminalium, aut certè quòd harum ipsarum meatus in urethram sint paulò patentiores facti: in talibus etiam interdiu seminis fit effluxus, accedente membri tensione, & aliquali venereo pruritu: quod excernitur semen est copiosum, crassum, spissum & naturaliter coctum. 2. Fit gonorrhœa vera à seminis acrimonia præternaturali. Unde & irritantur partes continuo pruritu venereo, & præterea ista irritatione vesiculæ stimulatæ vicinæque musculosæ partes se contrahere & ita semen stimulans exprimere incipiunt. Præcesserunt inprimis causæ quæ semen acrius generare valent, ut sunt aromata copiosiùs assumpta, in specie piperata: Sic enim Schenck. Observationum lib 4. refert de quodam qui semper quoties voluit, sisimbrio seu nasturrio gonorrhæam provocare valuit, ex acrimonia scil. sal. volatil. assumpti nasturtii, quæ stimulando semen copiosum genitum talem producit gonorrhæam. Imo & purgantia acria assumpta venerem stimulare & interdum gonorrhæam provocare solent. Exempla vid. in Plater. & Timæo, quin & cantharidum abusus hoc ipsum malum, acuendo semen, inducit. Facit & huc constitutio massæ sanguineæ, paulò acrior, aut serô salsiore temperata: quod ipsum serum acrius imminuens chylosam materiam, semen reddit acrius & stimulans: & tales continuò stimulô venereô, ac tentigine, sæpius urgente fortiori titillatione, excernere solent, idque non absque voluptate venerea, die ac nocte. 3. Fit gonorrhœa ex nimiâ tenuitate & fluccilitate seminis, concurrente tunc simul laxitate nimia vesicularum seminalium, non secus ac prostatarum glandulosarum: Unde & aquosum semen effluit; & hinc laxatis ac atonia, seu nimia relaxatione affectis vesiculis istud continere, aut retinere nequeunt: unde sine voluptatis insignioris & tentiginis acutioris sensu interdum non advertentibus effluit tale semen, aut statim ad levem imaginationem veneream, vel ad levem fœminæ contactum hoc ipsum sponte quasi prolabitur, & est tenue admodum & fluidum plus solito. Vitium in primis hæret in testibus in hoc casu eorumque fermento debilitato, quod ineptum est elaborando semini, & hinc vitium est in vesiculis seminalibus nimium laxatis; si nempe illud citò elaboratum, & hinc non convenientem naturam seminis induxerit. Hæc posterior gonorrhœæ species sæpissime à damnata oritur manustupratione, qua sæpius reiterata, & testes laxantur, & fermentum eorum debilitatur. Exemplum hujus rei habet Timęus cas. 49. lib. 3. de studioso juris, qui tali damnato modo gonorrhœam sibi contraxit.

Species gonorrhœæ veræ sunt variæ, sed ex modò dictis facilè possunt dignosci. Hoc tantùm addo, quòd dum locǫ seminis effluentis continui novum supplementum ex massa sanguinea suppeditatur, oriatur denique ut defraudata massa sanguinea succo suo chiloso corpus tabescat, & in primis tales ægri debiles & pallidi fiunt, oculorum orbitæ excavatæ apparent, & fulgor oculorum deficit, quin potius oculi cornei, & minus lucidi videri videntur, cùm semper cum semine aliquid spiritus animalis simul effluere soleat.

Tales gonorrhœæ ex se quidem non adeò insignis sunt momenti: verùm si diutius continuentur hominem contabescere & succumbere lethaliter cogunt. Supervenit inprimis febris hectica similis cum tali atrophiæ specie, qualis est tabes dorsalis noviter nuptorum. Qualis hectica tunc difficillimæ est curationis. Ulteriùs: Gonorrhœa diuturna subitò nimis non est supprimenda, imprimis ubi nonnihil inclinat ad virulentiam veneream: metus enim est, ne suppressa subitò materia antea copiosiùs affluente, hæc ipsa stagnando in testibus occasionem tumori suppeditet; undè postmodum periculosius malum superveniat.

In hoc in primis sunt causæ removendæ, & ita semen imminuendum, aut ejus fervor temperandus, aut denique testium fermento roborato partium tonus legitimus restituendus, laxusque nimis adstringentibus firmandus.

His scopis quæ satisfaciunt remedia, in primis quæ semen, aut copiosum turgescens, aut acrius stimulans compescunt, sunt, præ cæteris radix nymph. albæ & flor. nymph. item sem. agni casti, seu viticis, uti etiam semen malorum, papaver. alb. lactuc. plantag. in specie semen cannabis ad inveteratas etiam, & tantùm non despertas gonorrhœas conrundatur; si ex eodem, non secus ac ex reliquis seminibus fiant emulsiones; quæ tamen emulsiones cum cautelâ usurpandæ propter admistam vim narcoticam: Convenit præterea urtica mortua, seu galeopsis flore albo, quæ ex signatura commendatur Carrichtero, egregio in hoc puncto botanico, si decoctum propinatur in vino. Præterea res nota est de mentha, item de ruta, de portulaca & similibus. Millefolium item laudatur, si nempe succus millefolii ad ℥iij. exhibeatur cum lacte dulci gonorrhœam totaliter sistere referunt, inprimis ubi simul succus lactucæ cum camphora exterhè testibus applicetur. Præterea succus limonum & succus citri præ cęteris sunt remedia, licet simplicia, ad gonorrhœas sistendas, sive sint ex acri semine, sive ex abundante, quę ab omnibus autoribus mirè laudantur. Unde experimentum Sylvatici cent. 4. cons. 1. est hæc non inefficax compositio; nempe.

℞. Aq. rosat. ℥iij. succ. limonum ℥ j. album. ovi crud. nu. 1. Et hanc misturam quarta qualibet die propinat non sine sperato successu. Petrus Joh. Faber ad curandam gonorrhœam propinat succum limonum cui instillavit spir. terebinth. unà cum tantillo camphorę.

Porrò de essent. castic. de essent. absinth. de ejus vino & essent. menthæ &c. nihil dico, quia sunt satis clara & cognita. Terebinthina inprimis conducit, ac in specie spir. terebinthinæ si ipsi addatur facchar. saturni: hinc enim evadit mistura elegantissimè

rubicunda,

rubicunda, quæ crebrius usurpata mirè compescit gonorrhœas.

Deinde etiam succinata sunt commendata ad gonorrhœam, scil. pulvis succin. alb. quotidie propinatus in jusculo calido jejuno stomacho mirè ad gonorrhœam valet, quin & oleum succin. in tali casu usorpari potest, quod tamen est paulò fortius ita ut tutius solus polvis osurpetur. Trochisci etiam de carabe possunt osurpari; ulteriùs, ossa sepiæ piscis admodum conducunt; præparata specificum fuerunt Harthmanni, ut & etiam D. Michaël, qui sæpissimè ad gonorrhœas compescendas adhibuit pulverem ossis sepiæ pręparat. unà cum antimon. diaphoretico, quæ mista à ʒß. ad ʒj. propinavit; nam & antimon. diaphoretic. in aq. plantagin. haustum gonorrhœas sistit, sicuti etiam bezoarticum martiale, item bezoarticum venereum usurpari solent.

Pertinet huc electuarium sequens quod à quibusdam laudatur.

℞. Conserv. rosar. & menth. crisp. an. ℥j. vel ℥iß. ossis sepiæ præpar. ʒij. borrac. calcin. ʒj. nucis moschat. ʒß. syr. de ros. sicc. q. s. M.F. electuarium, quod quotidie bis vel ter usurpetur. Obiter nota de borrace calcinata, quod instar aluminis adstringat, præcipiter, sistat gonorrhœas, coërceat venerem, dum crudus insigniter venerem, instimulat. Ulterius chrystal. mont. præp. etiam compescunt gonorrhœas nimias. Quidam præscribunt pilulas contra gonorrhœam hoc modo.

℞. Extract. rad. torment.* ℈ij. sperniol. croll. ℈ j. (hoc etiam admodum laudatur ad gonorrhœam) pulver. sem. agni casti, plantag. an. ℈ß. terebint. coctæ, camphor. an. gr. 1. M.F. p lnl e.

Vel ℞. Extract. tormentill. ℥j. sacch. saturn. camph. an. ℥ß. M.F. pil. quæ subinde usorpentur.

Corallia, in primis eorundem tinctura, cum spir. lignor. aut etiam tinctur. corallor. sassafrata egregii est usûs in gonorrhæis. Sic etiam martialia, ac in primis tincturam martis adstringentem laudare solent.

Modernorum experimentum est balsamus de Copaiva ex Indiis allatus, cujus 4. aut 5. guttæ haustæ mirum sunt experimentum ad gonorrhœas sistendas, propinatur cum vino Hispanico vel alio liquore appropriato, & pro mirabili habetur remedio. Ex modò dictis, misturæ, emulsiones, & aliæ formulæ pro usu prædestinato fieri possunt.

Essentiarum quas vocant castitat's compositio est varia; præ cæteris efficax est, idque propter terebinthinam admistam, aqua ad gonorrh. Riverii, cujus descriptio extat in ejusdem cent. 1. obs. 25. item in cent. 2. obs. 30. Prostat etiam aqua castitatis Mynsicht. sed admodum inepta, multa enim continet quæ nihil per alembicum transmittunt: potiùs loco ejusdem è seminibus ingredientibus fiat emulsio, cui postmodum adduntur pulveres reliqui appropriati. Dabo exemplum talis emulsionis contra gonorrhœam, in specie si simul fervor quidam adjunctus sit in inguine circa perinæum, & hinc usque ad lumborum principium.

℞. Sem. melon. agn. casti an. ʒij. papav. alb. cannab. an. ʒiß. cum s.q. aq. nymph. & portulac. f. l. a. emuls. cui adde ossis sepiæ præp. ʒj. antim. diaphor. succin. alb. præp. an. ʒß. sperniol. croll. ʒj. edulcoret. cum s.q. rotular. man. Christi perlatæ.

Præterea sunt etiam qui insigniter ad has gonorrhœas commendant sequent. pulv. scilicet.

℞. Folior rut. sicc. semin. agn. casti, menth. gallar. pulveris an. q. v. cujus pulver. ʒij. hauriantur in vino chalybeato, repetendo quotidie: ἀνίκητον hoc est Hælidei Paduani, qui non tantummodò ad gonorrh. sed præterea ad fluorem album mulierum commendat; ubi simul tanquam expertum specificum extollit succum ceterach, seu scolopendrii, si ad cochleare j. repetitis vicibus adsumatur; idque habet obs. 170. & 171. Quod si verò pręter dictas causas semen aquosum, ac vesicularum laxitas inducat gonorrh. in tali casu interne, ex mentha, absinthio, succino, thure, & similibus conferunt, in specie corall. alb. & thus, essentia item lignor. & essent. lign. sassafr. tinct. coral. cum sp. lignor. item tinct. mart. adstringens admodum laudatur in specie succus menth. cum melle coctus & ad consistentiam syr. inspissatus, si ad ℥iß. usurpetur, commendatur à Foresto. Item thus pulverisat. in aq. plantag. propinatum feliciter has gonorrhœas sistit: sed non est tam sæpe hoc ipsum repetendum, quoniam aliàs etiam urinæ fluxum cohibet.

In genere conveniunt omnia, quæ inspissant, & fluxilia coagulant, ut sunt martialia adstringentia, corall. & similia. Externè fiunt fomenta adstringentia cum vino austeriore in quo decoquuntur cortic. granat. balaust. & rosæ; item radix consolid. major. plantago & similia: aut fiat inunctio perinæi ac radic. penis cum oleo myrtillor. scilic.

℞. Olei myrtill. ʒiij. mastich. destill. ʒj. caryophyll. destill. nucis mosch. an. ʒß. cum pauca cera fiat linimentum quod vesiculas seminales nimis laxas omnino roborabit atq; adstringet.

Quòd si necessum fuerit ut etiam interdum purgationes instituantur, pręcæteris in usu erunt terebinthinata, v. g. pilul. de terebinth. Mynsicht. vel etiam pilul. factæ ex sola terebinth. cum rhabarb. pulver. Item pilul. factæ ex mass. pilular. de fumar. & terebint. cum mercur. dulc. ubi suspicio subest luis vener. Sic namque D. Michaël curavit aliquando militem quendam diuturnâ gonorrh. afflictum per solas pilulas de terebinth. Cypr. cum croco mart. adstring. nullis aliis adhibitis remediis. In genere terebinthinata, cùm laxent blandè, & simul vias urinarias ac spermaticas detergant, hîc sunt convenientissima.

Hæ fuerunt species Gonorrhœæ veræ. Quod attinet gonorrhœas nothas, in quibus loco seminis aliud quoddam liquamen vitiosum excernatur; hæc ipsa denuò est duplex, vel benigna, vel maligna, seu, ut aliàs vocatur, virulenta. *Benigna* est quandò citra causam manifestam, v. g. citra prægressum actum venereum suspectum, effluit continuò liquamen, seu materia tenuis aquosa & copiosa, idq; citra pruritum venereum, aut citra membri tentiginem: fluxus talis die nocteque diu satis continuatur, adeò ut observatum fuerit etiam ad aliquot annos durasse citra ullam intermissionem, & absque insigniori, & tali fluxui (si semen verum esset) proportionata virium prostratione.

Fluxus talis gonorrhœæ nothæ virorum respondet fluori albo mulierum: alia à quibusdam, utut pauci fuerint Autores qui ejusdem fecerunt mentionem, gonorrhœa catarrhalis appellari solet. Autores pauci, ut dico, qui de tali gonorrhœa agnoscunt. Langius in suis epist. lib. 2. epist. 5. item Laurentius in suis consil. p. 60. ac denique Marcellus Donatus, Histor. Medic. mirab. lib. 4. c. 18.

Si pressius examinemus hanc gonorrhœam notham inveniemus quod subjectum seu pars affecta in eadem sint prostatę glandulosæ, seu spongiosæ in radice urethræ circa cervicem vesicæ sitæ, quas ipsas esse subjectum talis gonorrhœę sufficienter declarat & confirmat

firmat

firmat Graeffius in novissimo suo tract. de organ. virnt. generat. inservient. Sicuti hæ ipsæ prostatæ glandulosę mirabilium morborum proinde sunt subjectum. Scio enim ex iisdem infarctis & insigniter tumefactis; Ischuriam seu suppressionem urinæ lethalem Romæ in quodam Principe fuisse inductam: sicuti è contra hæ ipsę prostatę glandulosæ nimis laxæ, aut alio modo vitiatæ sunt subjectum hujus gonorrhœæ nothæ dicendum. Naturaliter enim præparant & secernunt quandam lympham tenuem & lubricantem, quæ inservit pro vehiculo seminis ex vesiculis in urethram expressi; quod semen, cùm fuerit glutinosum, hujus lymphæ indiget vehiculo ad fortiorem ejaculationem. Quod si ergo fiat ut laxatis his ipsis substantiis glandulosis, nimium copiosè, ac frequentiùs talis lympha in urethram excernatur, quæ tunc simul à naturali statu ad quandam viscositatem inclinat, eainde oritur hæc gonorrhœa. Fit hoc quando ipsa mass. sanguin. tali humore aquoso superfluo saturata, qua data porta sese exonerat. Ubi ergo hæc ipsa corpuscula, aut ex equitatione nimia, aut ex lapsu, aut ex alia quacunque ratione, erant lacerata, aut distenta, aut alio modo vitiata, tunc talis latex mass. sanguin. superfluus per has ipsas prostatas glandulosas, tanquam colatorium excernitur, & ita gonorrhœam talem notham constituit,

Remotior causa hæret in primis in stomacho, qui non ritè digerens alimenta, sed hæc ipsa in cremorem aquosum pervertens, exinde vitiosum sanguinem etiam generare facit, unde & talia subjecta ad cachexiam sunt disposita. Aut si non mox in principio resolvatur talis gonorrhœa, postmodum cachexia supervenit,

Ex modo dictis signa tam diagnostica quàm prognostica per se patent. Quod attinet curam; in hoc affectu, scilicet ad hanc gonorrhœam, ceu superveniens quoddam symptoma minus est dirigenda cura, sed potius prima ratio habenda est stomachi, reficienda ejusdem digestio, & mass. sanguineæ cruditates emendandæ ac corrigendæ, idque quod superest laticis aquosi per vias urinarias est expurgandum: tunc tandem externis adstringentibus prostatæ glandulosæ firmandæ & in tonum naturalem sunt restituendæ. Remedia quæ his satisfaciunt scopis ex illis quæ superiùs de cachexia diximus petenda: præ cæteris conducunt ex ligno sassafras parata remedia ejusque essentia cum spiritu serpilli parata crebrius & in majori dosi assumpta. Huc & ea quæ ex mentha & absinthio parantur, quæ & stomacho & gonorrhœæ satisfaciunt. Item succinata, in specie Sal. volat. quod cachexiam imminentem subinde prævertit, ciendo potenter urinam.

Immò observatum fuit acidularum potum, uti in aliis morbis chronicis, ita & in hac gonorrhœa diuturna contulisse; in primis si post hibitas acidulas thermarum externus usus circa partes genitales exhibeatur, pro restaurando tono prostatarum læsarum: aut etiam balnea aluminosa artificialia, aut similia adstringentia externe erunt commode in usum vocanda.

Non citò nimis supprimenda est hæc gonorrhœa, quoniam natura abutitur his viis ad evacuandam massam sanguineam; emendetur saltim priùs imminens cachexia & virium stomachi, & ferè semper sponte cessabit gonorrhœa.

Quod attinet gonorrhœam notam malignam: hæc est ea quæ ex coitu cum fœmina impura, ac Lue venerea infecta contrahitur. Effluit in hac ipsâ liquamen aquosum liquidum absque dolore: hinc successive flavescit, tandem viridescit, insignit & acescit, adeò ut tandem cum acerbissimo dolore effluat, imo non rarò pus ac purulenta sanies simul excernitur, & ipsum semen odore fœtido & singulari fœtet: nonnunquam talis gonorrhœa accidit istis qui visitant Galliam & Italiam, interdum fit ut nimia aciditate seminis, seu materiæ profluentis, corrodatur ac exulceretur meatus urinarius, ex quibus ulcusculis tandem excrescunt carnes sylvestres, ut sic dicam, seu verrucæ, quæ hinc canalem urinarium obstruunt, & vulgò carunculæ meatus urinarii appellantur. Affligit hæc gonorrhœa continuò, inprimis, secundùm indolem luis venereæ, vespertino aut nocturno tempore cruciat, adeo ut eodem tempore acerbissimi dolores crucient penem, iique eo acerbiores, si forsan se erigat ac extendat membrum: sin malum ulterius procedat, superveniunt crudeles ardores nocturni lumborum.

Causa hujus gonorrhϾ est contagium Gallicum fermentativum, per coitum ex muliere infectatâ attractum, ex tali scil. quæ ulcuscula gallica in vagina uterina habet. Malum enim prolificum est hæc ipsa gonorrhęa gallica; adeò ut referat Ballonius Consilior. lib. 1. cons. 9a. de quodam viro qui ex coitu impuro gonorrhæam virulentam contraxit. Unde postmodum non tantùm propriam uxorem inquinavit, sed cum eadem filium quoque generavit mox à primo ortu eodem malo affectum.

Subjectum hujus gonorrhœæ sunt eædem prostatæ glandulosæ quas modò nominavimus: id quod per experimenta anatomica confirmatum dedit Bartholinus Cent. 12. *Histor.* anatom. *36.* ubi, aliquot memorantur hac gonorrhœa affecti, & eainde mortui, in quibus prostatæ glandulosæ fuerunt repertæ ulceratæ. Nam dum hæ ipsæ jam excalefactæ in coitu intensius incalescunt, tunc ulcera gallica vaginæ uteri exhalant & exspirant miasmata fermentativa, quæ post excretionem seminis virilis se insinuant in urethram penis ibique se affigunt, & per meatus à modò excreto semine patentes se insinuant in prostratas glandulosas & sua fermentativa vi corrumpunt successivè lympham in istis prostatis elaborandam, ut degeneret in aciditatem corrosivam & virulentam seu malignam; sicuti notum est, quòd in lue venerea abundet acidum virulentum corrosivum. Unde postmodum talis succus acris & acidus fluens, non tantùm corrodit proprias prostatas, easque exulcerat, sed etiam meatum urinarium excoriat, & eainde tam dira, & atrocia & dolorifica symptomata post se trahit.

Promotum ulterius & altius serpens contagium, ita ut per vasa deferentia testes ingrediatur horum tumorem & dolorificam inflammationem infert.

Diagnosis hujus gonorrhœæ ex primò dictis symptomatis patet. Quoad prognosin, quò citius ei occurritur, eò faciliùs curatur. In senibus ut plurimum ad mortem terminatur. Nisi brevi ipsi occurratur in perfectam luem Gallicam, inquinata massa sanguinea degenerat: & hic est modus communissimus quo lues venerea contrahitur.

Quod curam attinet; in hac virus Gallicum acidum appropriatis partim mercurialibus, partim acidum destruentibus corrigendum, & qua data porta evacuandum. Quod si cui libeat præservare se ab hac gonorrhœa, quem nempe vexat appetitus venereus, nec tamen interim certus esse potest, an cum infecta coëat. Is præservationis loco, mox ante, aut post coitum, assumat spir. seu olei terebinth. volatilis gut. 6. 7. vel 8. in haustu vini generosi,

generosi. Hujus enim abstersoria vis meatum urinarium abstergit, ac corrigit contagium virulentum forsitan haustum. Quod si verò quis jam infectus sit hoc malo & laboret gonorrhœa, ante omnia præmittendo universalia purgantia mercurialibus mista, succurrendum v. g. Fiant pilulæ ex extracto ellebor. nigri, aut ex extracto catholico Andernaci cum ana mercurii dulcis, his pro stimulo addantur aliquot grana extract. trochiscor. alandhal. Colocynthidis enim efficacia mirè commendata est ab Helmontio in cura luis venereæ, prælata usibus lignorum; etiam loco mercurii dulcis, mercurius præcipitatus viridis venereus cujus descriptio videatur apud Schroderum cap. de mercurio, commodè usurpatur. Aut pilulis de terebinthina misceatur mercurius: vel fiat bolus ex terebinthina Cypria cum rhabarbaro, ac mercuriali remedio dulci, vel alio. Nam licet mercurialia talia in principio videantur augere malum, iisdem tamen audacter insistendum; cum non detur magis appropriatum remedium contra virulentiam Gallicam. His ipsis commodè subjungatur aqua Quercetani contra gonorrhœam virulentam, quam se centies expertum esse gloriatur. Vid. etiam Scultetus in Armamentar. Chirurg. obs. 79. qui ipse etiam indicat hujus aquæ experientiam. Loco hujus aquæ etiam spir. terebinth. mistus cum sacchara saturni egregie conducit in hac gonorrhœa, non absumendo semen, ut vulgò putatur, sed absorbendo acidum vitiosum in hac gonorrhœa peccans; qua ratione etiam camphora conducit, non quod castret per nares, ut putant, sed tanquam sal volatile oleosum detergit & corrigit acidum venereum. Ex hoc ipso fonte infusum cantharidum in vino expertum est remedium cujusdam medici Belgæ: quatenus cantharides acerrimo sale volatili abundant. Vid. Bartholinus Cent. 4. Epist. pag. 343.

Decocta lignorum, essentias lignorum ceu per se notas, & ad luem veneream, & ejus prodromum gonorrhœam commendatissimas sicco pede prætereo. Tinctura corallior. cum spir. lignorum parata est egregia, sed crebrius usurpanda: gummi guajacum appropriatissimum est remedium ad hanc gonorrhœam. Commendatur sal ammoniacum, essent. aut extract. gumm. guajac. parat. cum sp. vini tartarisato & in aqua plantag. propinat. Nam in gummi guajac. hoc perfecta consistit cura gonorrhœæ malignæ. Aliàs etiam balsamum de Copayva ex fida Belgarum experientia ad gut. 5. vel 6. propinatum singulariter laudatur. Antimon. diaphoretic. bezoartic. miner. ac similia etiam laudantur; item succum limonum cum spir. terebinth. & camphora ex Fabro jam proposui; ut succio experimentum videre est in Sculteto obs. 79. Armament. Chirurg. Bartholinus loco citato refert curam gonorrhϾ virulentæ per pulverem sympatheticum, id quod eatenus verum est quatenus eò processit exulceratio prostatarum, ut corrosis vasis sanguis quoque efflueret.

Quòd si fiat, ut sæpius etiam fit, exulceratio meatus urinarii, tunc etiam conducunt injectiones in penem, quæ fiunt ex succo plantaginis cum melle rosato, quæ diluantur aquâ appropriatâ, ipsisque pro re nata additur mercurius dulcis & aloë rosata: aut si altius processerit malum, injectiones aloëticæ cum modico mercurii præcipitati, aut etiam ubi ferocius fuerit malum, cum mercurio sublimato erunt instituendæ. Singulare experimentum cujusdam Medici est aqua mercurialis hermetica: scilicet accipit mercurium vivum, coquit in aqua communi per sex horas, decantat aquam & remanet mercurius in eodem planè pondere quo fuerat ante ebullitionem, & aquæ hujus singulo mane propinat bonum haustum: Unde successive sedatur gonorrhœa virulenta. *Michael Ettmullerus in Collegio Practicò.*

In gonorrhœa ℞. Resin. jalapp. scamm. an.gr.vi. mercur. dulc. gr.xii. succ. liquir. ℈j. olei lign. guajac. rectif. gutt.2.M.F. pilulæ num.vii.

Vel ℞. Extract. diacathol. ʒß. mercur. dulc. gr. xv. olei lign. sassafr. gut.iij. & F. pilulæ num.vii.

Seu ℞. Confect. Hamech ʒj. pulver. rhabarb. ʒß. oculor. cancri ℈j. M.F. bolus.

Vel ℞. Pulp. cassiæ ℥j. resin. turbith. gran. viii. terebinth. Venetæ ʒij. M.F. bolus.

In India. ℞. Conserv. flor. cassiæ, tamarindor. an.ʒj. resin. turbith.gr.xii. mercur. dulc. gr.x. olei ligni ebeni rectificati gutt.3. M. F. bolus.

Vel ℞. Pulp. cassiæ, conserv. flor. cassiæ an ℥ß. resinæ scammon. turbith. an. gr. v. gumm. elem. liquid. ʒj mercur. dulc. gr xii. M. F. bolus. Qui boli qualibet septimanâ semel exhibeantur. Interim sequentibus unum ex his per diem in emulsione quadam, vel appropriato vehiculo, usurpetur.

℞. Bals sulph. simpl. ʒj. dos. à gut. x. ad xii.

℞. Bals. sulphur. succin. ʒ ß. dos. à gutt. v. ad viii.

℞. Bals. sulphur. juniperini ʒß. dos. à gut. vi. ad gut.xii.

℞. Spir. vini terebinthinati ʒj. dos. à gutt. x. ad xii.

℞. Spir. vini succinati ʒ j. Dos. à gutt. xv. ad xx.

℞. Tinctur. succini & tinctur. tartar. antimoniatæ an. ʒß. M. dos. à gut. x. ad xx. Ad ardorem urinæ ab ejus acrimonia, spiritus salis per diem bis usurpatus, ægrotum felicissimè adjuvat. In India.

℞. Olei still. gumm. elemi ʒ j. dos. à gut. x. ad xii.

℞. Olei baccar. cinnam. ʒ j. dos. à gutt. v. ad x.

℞. Bals. elemniati ʒj. dos. à gut.8. ad 12.

℞. Spir. vini elemniati ʒj. essent. juniper ʒß. M. dosis à gut.x. ad xv. cui boli magis placent potest usurpare sequentes.

℞. Conserv. rosar. ℥j. flor. hyperic. ℥ß. pulp. cassiæ ʒiij. terebinth. Venetæ ʒij.tart. vitriol. ʒß. oculor. cancr. ℥j. tinctur. succin. ʒß. M. F. bolus dos. ʒj. mane & vesperi. In India.

℞. Conserv. flor. cassiæ ℥j. pulp. cassiæ ℥ß. lapid. peccat. præp. matris perlar. præpar. an. ʒj. pulver. liquirit. ʒ i ß. olei gumm. elemi ʒß. M. F. bolus dos. ʒj. emulsiones fiant tales.

℞. Sem. 4. frig. maj. an ℥j amygdalarum dulcium ℥j. aq. hord. rosar. an.℥ iv.f. emulsio; huic adde aquæ petroselin. portul. an. ℥ ij. sal. oculor. canc. ʒß. syr. liquirit. q. s. m. Ægroto juxta præscriptum modum tractato, curationi tandem finis per sequentes pilulas, pro valetudine plenario restituenda, imponendus est.

℞. Terebinth. Venetæ in aq. rosat. lotæ & in eadem ad justam consistentiam coctæ ℥j. balsa. Peruvian. ʒß. pulver. rad. tormentil. consolid. an. ʒj. oculor cancr. præp. mercur. dulc an. ʒß. M. F. massa pilularis. Dosis mane & vesperi ℈ß.

℞. Terebinth. Cypriæ in aq. plantag. lotæ & ad justam consistentiam coctæ ℥j. bals. copaivæ ʒ i ß. resin. guajaci ʒß. pulver. liquir. torment. rhabarb. an. ʒ j. cortic. guajac. pulver. sangu. dracon. lapid. hæmat. an. ʒ ß. M. F. massa pilularis dos. ℈j. in die.

℞. Species,

℞. Specier. diamartis ʒij. conservæ rosar. ℥j. m. dos. ʒj. ad ʒij. manè & vesperi.

Vel ℞. Conserv. rosar. flor. cassiæ an. ℥j. pulv. ad gonorrhœam ʒij. m. dos. ʒij. mane & vesperi. Si autem defluens materia coagulatione indurata dolores creat in viis, & ulcerum atque caruncularum causa est: illa frequenti decoctorum, quæ ex abstergentibus & emollientibus, sine adstringentibus consistunt, injectione abluatur. *Herman. Nicol. Grumm. compendii Med. Chym. lib. 3.*

In principio Gonorrhœæ laborandum ut fermentum illud peregrinum, acre corrosivum, per contagium contractum, expellatur vel suffocetur, antequam sanguinis materiam aggredi, eamque malignitate sua inficere queat. Quod potissimùm fit per purgantia, sudorifica, diuretica, & acre fermentum enervantia.

℞. Extract. cathol. ℈j. mercur. dulcis gr. VIII. Trochisc. alhandal. gr. IV. olei juniperi, gut. V. m. f. pilulæ nom. VII.

Vel, ℞. Pulp. cassiæ recent. extract. ℥j. terebint. venet. lotæ, ℥ij. mercurii dulcis, salis prunellæ, ocul. cancr. præparat. an. ʒj. salis vol. succin. ℈ IV. syr. de althea Fernel. q. s. ad form. conditi. m. f. conditum, multi curantur hoc condito in principio, & hujus capiat æger ad magnitudinem nucis moschatæ, bis terve de die.

Corpore purgato, ad diuretica festinandum, ut venenum per easdem expellatur, per quas admissum est vias, ut.

℞, Tinct. vermium majalium cum alkali tartari præparatæ, â gut. X. ad XV. in aq. petroselini, vel vino propinentur. m. f. haustus diureticus. Quòd si verò post exhibitionem hujus tincturæ, æger conqueratur de intolerabili stranguria, hanc facilè superaveris, exhibendo patienti, lac tepidum saccharatum: vel emulsionem ex seminibus frigidis, addito sem. papaveris, temperatoque cum syr. de althea Fernel.

Ad venenum expellendum, multùm conducit aqua Quercetani in gonorrhæa.

Vel; ℞. Olei succini, gut. X. terebinth. lucid. gut. V. balsami peruviani, gut. 3. dentur ex vino calido saccharato, m. f. haustus diureticus.

Balsamum cobaiba non tantùm educit venenum, sed postmodum consolidat, & adstringit, hujus balsami dosis à gut. X. ad XV. exhibeantur cum potu calido.

Præ cæteris balsamum sulphuris antimonii therebinthinatum, quod sequenti modo sulphure antimonii imprægnatur.

℞. Scoriarum antimonii in confectione reguli simplici provenientium q. p. his affunde olei terebinthinæ lucidi ad emin. trium digit. transversor. stent in digestione, donec oleum terebinthinæ sanguineam extraxerit tincturam, cujus dosis est à gut. V. ad X. in vehiculo convenienti.

Ad evitandum, ne contagium aliquam materiæ nostri sanguinis imprimat labem, & ulterius serpendo glandulas inguinales inficiat, præscribatur sequens sudoriferum,

℞. Resin. ligni guajaci, aut ejus loco gummi ℈j. dissolvatur in s. q. sp. vini. m. f. haustus præservans una dosi exhibendus.

Vel, ℞. Theriac. venet. ʒj. ocul. cancr. preparat. ℈j. salis volatilis succin. gr. XV. camphoræ, gr. 3. olei juniperi gut. V. m. f. bolus præservans.

Si verò malum vel diuturnâ morâ, vel activitate sui veneni testes, vel glandulas inguinales prehenderit, vel urethram eroserit, vel ulcera maligna circum glandem excitaverit, pro ratione loci & veneni, medicamenta sequentia applicentur.

In inflammatione testium.

Si testes inflammentur & tumeant, preparatur sequens fotus ad inflammationem auferendam.

℞. Lithargiri auri, ℥ IV. flor. sambuci, rosar. pallidar. m. ij. coq. ex s. q. aq. & vini & aceti, an. m. f. Fotus, calideque applicetur. Majoris discussionis gratiâ, si opus fuerit, nobilitari hic fotus poterit cum spiritu vini camphorato.

Inflammatione sedata, postmodum tumori & duritiei obviam eatur, partem affectam balsamo sulphuris succinato calide inungendo, applicando postmodum emplastrum diasulphuris Rulandi, cujus præparationem vide in empyrica Rulandi.

Vel, ℞. Scoriarum reguli antimonii simpl. q. p. terantur in pulverem antequam humido aëris insinuantur, iisque affunde olei succini, terebint. an. q. s. ad eminentiam duorum digitorum transversorum, digerantur ut artis est; Fiatque balsamum magnarum virium in tumoribus duris emolliendis.

In Bubonibus.

Bubones si in inguine appareant, explorandum primò, utrum discuti queant absque suppuratione, illis applicando.

Emplastrum de ranis cum triplicato vel quadruplicato mercurio.

Quòd si æger conqueratur de pustulis cutis, hoc cum emplastro misceatur pauxillum sacchari saturni, quo mediante prædictum hoc incommodum evitabis.

Vel, ℞. Mercurii vivi cum aq. fort. ℥ VIII. soluti, ℥IV. axung. porcinæ, ℥VII. coq. simul in fictili vase, continuò spatulâ ligneâ movendo, donec inspissari incipiant, massamque obtinebis mollem, adde cer. flavæ, ℥ij. mastich. olibani, an. ʒVI. m. f. emplastrum discutiens.

Vel, ℞. Lithargiri auri subt. pulv. q. p. huic affunde aceti stillatit. q. s. coq. simul, donec acetum de acrimonia sua remiserit, & dulcedinem saccharinam acquisiverit, filtra.

℞. Hujus solutionis, ℥VI. mercurii præcipitati albi vulg. ℥ij. lento igne evaporentur ad siccitatem pulveris.

℞. Hujus pulv. ʒj. m. f. unguentum discutiens tophis, glandulisque induratis applicandum.

Quòd si bubonum discussio ex voto non succedat, ad maturationem festinandum cataplasmatis ordinariis, vel emplastro diachilo simplici, ulcus porro aperiendo, mundificando & emplastro opodeldoc consolidando.

In ulcere urethra.

Urethra si ab acri & corrosivo sale corrodatur, intolerabilis oritur dolor, ubi urinę reddendæ sunt; acre enim sal. urinæ transiens, locum erosum, hunc infestissime mordicat, & pungit; per siringam itaque fit injectio talis.

℞. Lactis tepidi, vel aquæ rosarum ʒ ij. sacchar. saturni, ʒ iß. m. f. injectio anodina.

Vel, ℞. Balsami saturni rubicund. gut. XX. aquæ ros. vel lactis tepidæ, ℥ß. m. f. injectio anodina, quæ continuatur, donec pars erosa consolidata fuerit,

sed

ſed cùm à prætetfluente urina curatio valde tetatdatur, patiens, dum ipſi inungendum erit, fiſtulam argenteam, oleo olivarum illitam, in urethram introducat, ut hujus beneficio præcaveatur, quo minus urina locum affectum attingere queat.

Ulcus, ſi ſe manifeſtaverit, mundificetur ſequenti

℞. Vitelli ovi, ad duritiem cocti, nu. t. mell. optimi, ℥j. miſceantur exacte, terend. cum piſtillo, donec obtineas colorem ſpadicium, adde mercurii ſublim. ℈ij. vel ʒj. m.f. mundificativum.

Sæpius ulcus tangatur oleo ligni guajaci mediante candela cærea.

Quod ſi ſumme pertinax fuerit, neque ordinariis cedat remediis, tangatur oleo origini, de quo vide Hartmannum in praxi ſua chymica, capite de gonorrhea, vel aqua forti, & poſtmodum aqua tepida eluatur, & cicatriſetur, cum prædicto oleo guajaco.

Virus ubi expurgatum eſt, fluxus ſeminis ſponte ſedari ſolet. quod ſi verò ex debilitate vaſorum vel eroſione nimia, ex voto medici hoc non ſuccedat, adſtringentia, & confortantia ſunt utenda, ut.

℞. Trochiſc. de terra ſigill. ʒj. corall. rubr. præparat. ʒß. Terebint. cum aq. plant. lotæ, ʒvi. M. F. pilulæ inſtar piſorum, quarum pro doſi v. vel vi. dentur mane & veſperi.

Vel, ℞. Vini rubelli, aq. ſimphiti, vel conſolidæ major. ana ℥v. In quibus infunde per noctem fol. ſchordei, m. j. cort. granatorum, Bacc. juniperi, an. ʒiß. Boli armen. ℥ß. Mane leviter ebulliant, & colentur, & poſt urinam redditam, fiat injectio per ſeringam.

Vel. ℞. Sem. alkekengi, ℥ij. quatuor frig. major. papav. alb. lactucæ, plantaginis, ana ℥j. agni caſti, ʒj. Rhabarb. electi, ℥ß. maſtiches, ʒiij. boli armenæ, Gummi Arabici, Succini albi, Gummi tragacant. Amyli, ana ʒij. roſ. rub ʒj. Terebint. q. ſ. pro materia pilularum. M.F. pilulæ, doſis à ℈j. ad ℈ij.

In ulceribus malignis glandis.

Ulcuſcula maligna ſi glandem infeſtent, ordinariamque medendi methodum reſpuant, medeunt aqua ſequenti.

℞. aq. vulgar. q. p. ebulliat in lebete ærio, in ea diſſolve, calcis vivæ parum, adde vitriol. hungar. tantùm, ut cœruleſcat ſolutio, filtretur. M. F. fotus, & tepide applicandus. ad hoc ſuum confert aqua divina Fernelii, vel

℞. Lactis virgin. q. p. in eaque ſolvatur. Mercurii ſublimati pauxillum M.F. liquor, quocum tangantur ulcera maligna ſæpius.

Vel Axung. porcin. q.p. quocum miſce olei tartari per deliq. tantùm, donec obtineas unguentum acre, cui ſi tandem non auſcultent, Loco olei tartari per deliq. miſceatur oleum vitrioli; M. F. linimentum mundificativum.

Mercurius dulcis, ut & turbith minerale, mixta cum unguento convenienti non inferiores hîc obtinent. *Anonymus Praxeos chymiatricæ rationalis cap.* 25.

Conſultationes.

Pro Juvene Periluſtri, & Nobiliſſimo Gonorrhaam patiente.

Quòd perilluſtris, & Nobiliſſimus Juvenis detineatur gonorrhœa, jam omnibus eſt perſpectum, quæ nil aliud eſt quàm Involuntarius ſeminis exitus. Verùm quoniam quandoque ſemen purum, quandoque mixtum cum bile ſemen exire, color flavus excuntis indicat, ſed an huic fluori conjuncta ſit aliqua malitics venerea meritò dubitari poteſt & pro utraque parte rationes non deſunt. Primùm quidem pro parte affirmativa eſt ratio deſumpta ex commercio, quod habuit cum pluribus fœminis ſuſpectis, pro parte verò negativa eſt ratio deſumpta ex conſequentibus hunc fluorem, ſolent enim alia ſymptomata, ubi eſt adjuncta malities venerea, fluorem ſubſequi, quorum nullum obſervatur in juvene Nobiliſſimo. Ex quibus utraque pars ſuſtineri poſſe videtur,

Verùm quamquam ſymptomata alia non appareant, dicerem hoc evenire poſſe, quia malum eſt in principio, & urinam non ſuperveniant, nam ut verum fatear ego quaſi certus ſum de infectione, & eo magis quia novi patientem ultimò rem habuiſſe cum muliere lue illa venerea obruta & infecta.

Jam igitur cauſæ hujus fluoris ſunt advenicndæ, qui fluor quoniam eſt ſymptoma ſecundarium neceſſario in aliquam actionem læſam refertur, hæc autem nulla alia eſſe poteſt, niſi retenſio vaſorum ſeminalium, quæ cùm poſſint lædi, vel per ſe, vel ex accidenti; per ſe quidem viciatis vaſis ſeminariis, ex accidenti verò irritata facultate expultrice ob ſeminis acredinem, quam accedere puto ex dicta bilis cum ſemine admixtione, atque forſan à lue illa venerea ſanguinem, & ſemen inficientibus.

Sed utrum ſeminalium vaſorum dilatatio aliqua conjungatur, jure quæreret aliquis, cui ego reſponderem, in hujuſmodi vitio fere ſemper aliquam vaſorum dilatationem conjungi, vix enim fieri poteſt, ut fluor prædictus aliquot diebus perduret, niſi aliqua vaſorum relaxatio, ac apertio ſuboriantur.

Quare ex dictis patet ad medicum attinere ſeminis acredinem removere per evacuantia, & attemperantia, atque etiam materiam prædictam retrahere, ſi aliqua adſit qualitas veneſica, eandem propriis alexipharmacis domare; Amplius oportebit vaſa nimis dilatata conſtringere, maximeque viribus proſpicere.

Quare omnia ardua erunt, ac difficilia, quoniam affectus eſt ſatis progreſſus, & ſuſpicio non levis occurrit venereæ infectionis, ut ex hac immineat etiam defluvium capillorum. Danda tamen erit opera, ut quamprimum affectui præſenti, & huic imminenti, & aliis quamplurimum hunc ſubſequi ſolitis occurratur.

Ideo lenita alvo venam cubiti ſecare, & ſi opus fuerit cucurbitulas natibus cum ſcarificatione adhibere oportebit.

De pharmacis ita decerno, ut quàm citò leniatur alvus cum Diaſebeſten lenitivo, vel Diacaſia cum manna, deinde præparentur humores decocto endiviæ, ſonchi, acetoſæ, plantaginis, & coriandrorum præparatorum cum ſyrupis accommodatis, poſtea deturbentur, cum diapruno lenitivo, & ab hac purgatione uterer ego ſero chalybeato cum ſucco acetoſæ, vel thermis frigidis, poſt quarum uſum ſaccharum roſatum antiquum cum pulvere coralli rubri, ſeminum cannabis, coriandrorum præparatorum, plantaginis, & ſimilium propinarem. Sed præter hæc ſi ſuſpicio luis venereæ præſens erit, nil præſtantius decocto ſalſæ, & chinæ eſſe poterit.

Externis autem convenit unguentum Comitissæ, infrigidans Galeni, Renibus adhibitum.

Quibus tandem addendus est victus accommodatus, qui erit, ut patiens degat in aëre temperato, vescatur ptisana, lacte seminum melonis, & cannabis, carnibus optimis in aqua chalybeata decoctis, ovis, piscibus petrosis, oleribus refrigerantibus, & utatur vino paucifero, vel aqua diluto, quod magis expediet, si sandalis, salsa, itemque china medicabitur, somnus sit longior vigilia, alvus proprium officium exerceat adjuta, si opus fuerit, clysteribus emollientibus, ac refrigerantibus, demumque animi, & corporis quies impetretur in quibus omnibus ad majorem efficaciam à D. O. M. auxilium implorandum est. *Julius Cæsar Claudinus in Consultationibus Medicinal.*

Gonorrhœa ex frequenti manstupratione.

Juvenis quidam Jurium studiosus, constitutionis sanguineæ, & per naturam in venerem proclivis, œstrô libidinis & coëundi appetentiâ sæpius tentabatur, quam ut compesceret, titillante virilia manu semen eliciebat, idque frequenter, ut ipse fatebatur bis, ter & ampliùs de die: tandem in gonorrhœam incidit cum insigni virium & totius corporis debilitate.

Causam istius gonorrhœæ laxitatem vasorum seminalium esse judico, quatenus ex frequenti manstupratione vesiculæ semen continentes toties inanitæ iterumque repletæ laxitatem contraxerunt, id quod etiam ab humorum affluxu fieri quandoque solet.

Corporis totius debilitas ab intempestiva & nimia seminis profusione proficiscitur. Quemadmodum enim semen intempestivè retentum corporis totius gravitatem inducit, & si corrumpitur gravissima symptomata excitat: Ita nimium excretum calorem nativum dissipat, cruditates cumulat, nervos lædit, mentem hebetat, & universum corpus debilitat.

Ut itaque facultas retentrix labefactata roboretur & vasorum seminalium laxitas emendaretur, adstringentia quædam interna & externa præscripsi.

℞. Rad. torment. fragar. bistort. an. ℥ß. flor. rosar. rubrar. m. j. balaust. cortic. granat. ao. ℨiij. succi acaciæ ℥ß. sem. berber. ℨ ij. cassiæ lign. ℨiij. mixta infunde in vini rubr. styptic. ℔ iv. adde sp. vitriol. gut. xxi. extrahe tinctur. lento calore MB. Colatur. adde syr. corallin. Quercetani ℥vi. M. De hac tinctur. bibat singulis matutinis ℥ vi. cum jejunio trium horarum. Vesperi decumbens confectionem stypticam Mynsichti, vel subsequens electuarium delibet.

℞. Conserv. rosar. vetet. ℥iv. cam. cydon. condit. ℨvi. nucis Indic. condit. ℨ ij. pulver. tormentillæ, balaustior. an. ℈ ij. terr. sigill. corall. rubr. præparat. an. ℈j. C. C. præparat. ℈iß. cum syr. granat. acido f. electuarium. Extra usurpetur tale unguentum.

℞. Olei rosar. myrth. mastich. an. ℨvi. bol. armen. terr. sigill. balaustior. an. ℈iß. ceræ albæ parum, M.F. unguentum molle.

His per integrum mensem adhibitis à turpi hoc malo liberatus est æger; monui in posterum à tam nefanda libidine abstineret, memor Divinæ comminationis, quâ ab hæreditate regni Dei excluduntur molles, Epist. Paul. ad Corinth. 1. cap. 6.

Abominandum sanè & homine Christiano indignum scelus, quod etiam Ethnici saniores detestati sunt, ut videre est apud Martialem, qui hoc nomine acriter reprehendit Ponticum.

Pontice quod nunquam futuis sed pollice lævô
Uteris & veneri servit amica manus,
Hoc nihil esse putas, scelus est, mihi crede, sed ingens,
Quantum vix animo concipis ipse tuo.
Nempe semel futuit generaret Horatius, ut tres,
Mars semel ut geminos Ilia casta daret.
Omnia perdiderat si masturbatus uterque.
Mandasset manibus gaudia fœda suis.
Ipsam, credo, tibi naturam dicere verum:
Illud quod digitis, Pontice perdis, homo est.

Baltassar Timæus in Casibus Medicin.

De gonorrhœa simplici.

Vir tr'ginta quinque annorum, temperamento pituitoso, diu alimentis humectantibus usus, jam à longo tempore ex urethra inscius & sine sensu frequenter emittit liquorem aquosum, crudum, viscidum. Toto corpore gracilescit: oculi sunt concavi. Vires ejus in dies magis magisque imminuuntur. Cum impura fœmina non consuevit.

Afficitur in hoc ægro totum corpus; quod ex gracilitate & ejus debilitate innotescit. Sed præcipuè afficiuntur prostatæ & aliæ partes, quæ seminis generationi inserviunt; quod testatur involuntarium illud ac imperceptum liquoris istius aquosi crudi & viscidi effluvium.

Morbus, qui hunc ægrum affligit, est intemperies frigida, ac humida & nimis laxa & rara testium, eorumque prostatarum & parastatarum, quæ frequentem liquoris aquosi crudi & viscidi, ac sine sensu ex urethra effluentis excretionem, magnamque totius corporis extenuationem inducens Gonorrhæa simplex appellari solet.

Causa procatarctica hujus morbi est diutinus alimentorum humectantium usus. Inde verò, adjuvante temperamento ægri pituitoso, aquei in corpore copiosè geniti humores, antecedentem huic morbo præbuerunt causam. Pars verò ad parastatas, parenchyma testium, & prostatas delata, iisque partibus intemperiem frigidam ac nimis laxam raramque impartiens, continens hujus morbi, & aquosi crudi & viscidi humoris, per urethram sine sensu copiosè effluentis, symptomatumque hinc sequentium, est causa.

Dum enim sanguis à corde in illas partes, intemperie ista laborantes, impellitur, propter ipsarum intemperiem frigidam & humidam relinquitur crudus, ac convertitur in materiam aqueam & viscidam, quę cùm nullos aut paucos habeat spiritus, è partibus istis, ob laxitatem & raritatem earum nimiam, sine ullo voluptatis sensu copiosè emittitur. Et quoniam ille fluxus est perpetuus, quo succus alimentarius subducitur toti corpori, hinc totius coporis est extenuatio, oculorum excavatio, viriumque quotidie sese augens debilitatio.

Affectus hic, quia diu duravit, & est in partibus genitalibus interioribus & à ventriculo remotis, ad quas vis medicamentorum difficulter deferri potest; satis difficilis ejus erit Curatio.

Quæ in causæ procatarcticæ, antecedentis, & continentis ablatione, & intemperiei correctione, consistet.

Primò itaque ad causæ antecedentis, nempe pituitosorum humorum evacuationem, præscribatur hoc purgans.

℞. El

℞. El. diacarhol. ℥ß. turbith. pulv. ʒß. Rhabarb. ℈ß. cinamom. gr. iv. Dissolve in aq. card. benedict. ℥ij. ß. aq. fœnicul. ℥ß. Misce F. Haustus aliquoties repetendus.

Interim utatur hoc decocto ad intemperiei alterationem.

℞. Fol. menth. absinthii rom. an. m. j. Sem. agni casti, rutæ, myrthi, Cupular. gland. sem. rosar. rubr. an. ʒiss. F. decoctio in vino rubro gallico ad lib. j. cum sacchar. q. s. Et fiat Apozema, de quo sumat haustum ℥vi. omni mane & vesperi.

Et inungatur regio lumborum & perinæi, inter scrotum & anum, hoc unguento.

℞. Ol. mastichini ℥j. rutacei, menthacei an. ℥ij. Sem. agni casti, orticæ, rutæ an. ℈j. Menthæ, cariophyll. an. ℈ß. ceræ q. s. Pulverisatis pulverisandis F. Unguentum.

Postea utatur dragma una sequentis pulveris, cum haustu vini rubri, vel cum lacte, cubitum iturus.

℞. Gland. quercûs in furno exsiccatarum ʒvi. Sacch. rosl. tabellati ℥i. mastiches, thuris an. ʒj. Sem. coriand. ʒiß. succini ʒj. Viticis, fol. menth. an. ℈j. Oculor. cancri ʒj. F. Pulvis subtilissimus.

Si hæc & similia parum juvent, poterit per cauterium potentiale fonticulus excitari in utraque tibia, paulo infra poplitem, in partibus internis, ad humores pituitosos, cum materia seminis ad genitalea partes fluentes, easque nimis laxantes, aliò deducendum.

In diæta alimenta sint exsiccantia & calefacientia, & frequens orizæ usus. *Henric. Regius apud Theodor. Craanen Medicationum lib. 1.*

De Gonorrhea virulentâ, & Vlcere præputii meatûsque urinarii.

Juvenis 30. annorum, jam à quatuordecim diebus patitur fluxum materiæ cujusdam purulentæ & fœtidæ, ex meatu ejus urinario perpetuò fere effluentis, & indusium ipsius commaculantis. Ardor in fine mictionis adest immensus, præputiumque ipsius extrinsecus est exulceratum. Hæc omnia præcessit coitus, cum fœmina non satis pudica aliquoties peractus.

Morbus, quo æger hic laborat est intemperies prostatarum, & forsan etiam vicinarum partium, maligna, contagiosa, actis, & nimis laxa & rara; cum urethræ ulcere & præputii externa exulceratione conjuncta: quæ perpetuum fere materiæ purulentæ & fœtidæ ex urethra effluxum, urinæque, ab ejus excretione, ardorem producens, vulgo Gonorrhæa virulenta appellari solet.

Morbus hic originem duxit à coitu, cum fœmina impudica & impura aliquoties instituto. Inde enim, per contactum partium genitalium, maligna intemperie laborantium, partes genitales hujus ægri, & in iis præcipuè prostatæ, similem intemperiem pravam contraxerunt; Eaque humores, ad alituram & seminis generationem eò propulsos, in materiam purulentam & fœtidam convertit. Hi verò prostatas laxantes & acrimoniâ suâ vellicantes, urethramque cum præputio erodentes & exulcerantes, partesque illas ad excretionem perpetuò stimulantes, perpetuum materiæ purulentæ & fœtidæ ex urethra profluvium, urinæque magnum, ab ejus excretione, ardoris, vel potiùs acrimoniæ, sensum producunt.

Morbus hic periculosus est: cùm luem veneream & carunculam in meatu urinario, producere possit.

Curatio itaque prudenter instituenda: quæ in intemperiei per contraria correctione, & ulcerum mundatione, consolidatione, consistet.

Primò itaque talibus purgetur bolis.

℞. Rhabarbari pulv. ʒj. Terebinthinæ venetæ ʒiii. Cassiæ recens extractæ ℥ß. Misce F. Boli mane à jejuno sumendi cum nebulis; qui subinde reiterati poterunt.

Postea mane, & vesperi circa horam 4. sumat cum lacte trochiscorum alkekengi pulv. ʒj. continuando per aliquot dies.

Si malum perseveret, utatur bis in die, de hoc decocto, haustu ℥iiij.

℞. Rad. petroselini ℥j. althææ ℥j. ß. Liquiritiæ, consolidæ an. ℥ij. Bistortæ ℥ß. Herb. plantag. alchimillæ an. m. i. Flor. malv. arborescentis p. i. Sem. lini, cydonior. an. ʒij. glandium ℥j Nucleor. persicor. ℥s. Decoq. in aq. hord. q. s. ad lib. ij. & Colentur ad usum.

Dum his utitur, in penem primò talis fiat injectio detergens, syringâ injicienda.

℞. Lithargyr. argent. cerussæ, tuthiæ præpar. an. ʒj. Sacchari candi ℥s camphoræ ℈s. aluminis ʒj. Aq. rosar. plantag. an. ℥iv. Misce.

Posteà ad cicatricem inducendam, tali injectione utendum.

℞. Trochiscor. alb. Rhasis ℥s. Boli armen. ʒs. Aq. rosar. plantag. an. ℥iv.

Ulceri in glande adhibeatur hoc. Unguentum

℞. Cadmiæ fossilis, sive lapid. calaminaris. ʒiss. Sulphuris, argenti vivi an. ʒj. Cum terebinthina misceantur in formam Unguenti, addendo parum axungiæ porci.

Si malum pertinaciùs perseveraret, ʒi. vel ʒs. sumatur quotidie de hoc pulvere cum lacte.

℞. Rhabarbari opt. myrobalanor. citrin. Mercurii dulcis an. ʒj. F. Pulvis.

℞. Coralli rubri præp. succini an. ʒiss. camphoræ gr. v Terræ lemniæ veræ ʒij. nucis muscatæ ʒj. F. s. art Pulvis subtilis.

Victûs ratio, hîc instituenda humorum acrimoniam obtundat. Propterea utilis est ptis. bordeacea cum amygdalis dulcibus & 4. sem. frig. majoribus. Utatur frequenter oryza & lacte. Vitentur acria, salsa, acida, & diuretica, *idem ibidem.*

Gonorrhæa cum Hyperfarcosi.

Juvenis 27. annorum, postquam per aliquot menses gonorrhæa virulenta, admodum acri & mordaci, ex coitu cum impuro scorto peracto nata, laboraffet; ab ea liberatus cœpit laborare magna urinæ difficultate, ita ut ea aliquando penitus supprimatur, nonnunquam paulatim & guttatim magno cum urethræ ardore & dolore emittatur. Immissa in eam candela cerea liberè non transit, sed in medio meatûs urinarii impedimentum invenit, quod tamen paulo fortiore ejus pressione cedit.

Afficitur in hoc ægro media pars meatûs urinarii in pene; quod ex urinæ & candelæ ceræ impedimento, & magno urinæ excretionis ardore ac dolore, in eo ibi percepto, patet.

Morbus, quo hic æger laborat, est obstructio meatûs urinarii, orta à caruncula in media urethra nata; urinæ justam excretionem impediens; magnamque dysuriam inferens.

Hæc cùm à gonorræa virulenta, ex impura Venere contracta, & carunculam in urethra penis producente, sit profecta, græc. Hyperfarcosis Urethræ Venerea, & latine Caruncula in meatu urinario, à causâ proxima & parte affecta, appellari solet.

Causa procatartica hujus morbi est coitus, cum impuro scorto ab hoc Juvene aliquando peractus; quo ejus partes genitales per contactum pravam intemperiem contraxerunt, indeque succus seminalis & alimentarius in iis corruptus antecedentem huic morbo præbuit causam. Pars verò ejus ad prostatas delata, ibique in liquorem virulentum acrem & mordacem conversa, antehac suo profluvio gonorrhæam virulentam aliquot menses durantem, & postea acrimoniâ suâ urethram erodens, primò ibi ulcus, & deinde poros ibidem vitians, & nimis laxans, carnem nimis laxam & copiosam sive hypersarcosin, meatum urinam obstruentem, in urethra genuit; eaque ibi ita genita proxima & continens hujus obstructionis Urethræ, symptomatumque, inde sequentium, nempe urinæ modo suppressæ, modo guttatim cum magno dolore & ardore effluentis, est causa.

Morbus hic periculosissimus est, difficillimæque curationis; propterea quod sit in loco valde angusto, acutissimoque sensu prædito; ad quem remedia difficillime applicari, & applicata ægerrime ferri possint; atque ideo sæpe per totam vitam durare solet. Sæpe etiam, urinam penitus sufflaminando, mortem inducit. Non tamen de sanatione desperandum censeo; quia hoc malum est recens, caruncula est mollis, non callosa, sed pressiori fortiori candelæ immissæ cedens.

Curatio itaque diligentissima hîc est adhibenda. Eaque primò in carunculæ extirpatione & consumptione, & deinde in ulceris, post carunculam ablatam reliqui, exiccatione & cicatrizatione consistet.

Quæ ut rectè peragantur primò æger noster blando hoc medicamento purgetur.

℞. Electuarii lenitivi, Cassiæ recent. extractæ an. ℥ß. Dissolve in s. q. aq. hordei, & f. Haustus brevis.

Postridie venæsectio instituatur ad uncias sex.

His peractis, adhibeatur carunculæ in meatu urinario cannula lintea, intus cerâ albâ & foris sequenti erodente linimento oblita, transversum digitum longa, & justa cavitatis latitudine prædita, longoque filo appendente transfixa Medicamentum illud tale erit ex. gr.

℞. Mellis in cineres usti, Tuthiæ præp. Butyri recent. in aq. plantag. loti, Terebinth. similiter lotæ, Ceræ flavæ. an. ℥ß. Aluminis usti ʒß. Misce F. Linimentum.

Hoc crebrâ experientiâ teste, carunculas meatus urinarii, absque dolore, & sanarum partium exco-riatione, consumit.

Quidam hoc experimentum summis laudibus extollunt.

℞. Pulv. argenti viv. Merc. præcipit. Viridis æris, Antimonii crudi an. ʒ iij. Ceræ albæ ℥j Misce s. a. in mortario plumbeo ad formam unguenti.

Cannula igitur, cujus jam memini, ubi uno ex his medicamentis foris fuerit oblita, stylo, extra fistulam argenteam ad digiti transversi longitudinem prominenti, adaptetur, atque unà cum argentea fistula & stylo inserto, in urinarium canalem immittatur, donec occurrat carunculæ, & cum jam est in loco carunculæ, primùm stylus & deinde argentea fistula retrahatur, quo fiet ut cannula, ex linteo cera inducto parata & immissa, relinquatur in meatu urinario, ut per eam urina excernatur, eaq; simul prohibeat, ne medicamentum, carunculæ admotum, ab urina elui possit.

Cùm volumus renovare medicamentum post unum vel alterum diem, tum ope affixi & propendentis fili cannula extrahenda est, aliaque modo jam explicato adhibenda.

Vel extirpatio carunculæ institui potest sequente unguento, quo extremitas candelæ ceræ inungitur, eaque ad partem affectam per urethram immittitur, ibique noctu diuque relinquitur; &, cum mejendi est pruritus, extrahitur, & postea rursus adhibetur.

℞. Præcipitati ʒij. unguenti de cerussa ℥iß. Misce. quibus pro magnitudine affectûs aliquid olei vitrioli addi potest.

Consumtâ carunculâ, quod ea facili & libera urinæ excretione deprehendimus, ulcus erit exsiccandum, & cicatrice obducendum tali medicamento.

℞. Butyri recentis ℥ij. cerussæ lotæ in aq. ros. ℥j. Camphoræ ℈j. ceræ parum F. Unguentum, quod candela cerea immissa loco affecto adhibetur.

Vel ℞. Aq. fabrilis lib. ß. Nucum cupressi. Gal. l. Cort. mali granati an. ʒiß. Alumin. rochæ ʒß. Bulliant omnia.

Ex hoc decocto tepido fiant injectiones in meatum urinarium syringâ, donec ulcera sanentur.

Victûs ratio hîc exsiccet, & humorum acrimoniam etiam obtundat: propterea convenit ptisana hordeaca cum amygdalis dulcibus & 4. sem. frig. major. Utatur quoque frequenter oriza & lacte. Vitentur acria, salsa, & acida, atq; etiam diuretica. *Idem ibidem.*

Observationes.

Gonorrhæa Virulenta.

Nobilis mulier à marito inita, qui cum prostibulo impuro concubuerat, inquinatur: hinc gonorrhœa virulenta male fluorem muliebrem repræsentans. Quæ excernuntur, cum virore pallescunt. Jam fluxus ille per annos perseveraverat, illam à variis morbis vindicans Tamen propter contagionem massæque sanguinis labem valetudinaria est; quoniam credo, non satis largiter virulentus ille humor decurrit. Menses plane subsistunt. Atque hinc illinc metus ingruit quidam. Num si supprimatur illud *βρομῶδες* & virulentum, pernicies consequetur? sin fluat, tametsi suo exitu commoditatem afferat, sic tamen in maciem ita laborantem conjiciet? Quod plerisque usu venit; siquidem non potest non afficere partes per quas traducitur. Ineunte vere quo præsertim tempore omnia repuerascunt, summam in renibus gravitatem sensit. Dejicitur appetentia: languet: munia non obit sua: Dolores in ventre excitantur toto. Quo medicamento ex hordeo & syrupo laxativo sæpe adjuta fuerat, eodem occurritur: malum recrudescit. Tandem diu noctuque ita vexatur, ut ferendo non sit. Pulsus languidus & sepultus: facultatum omnium fere concussio, ac maxime vitalis. Sursum deorsum fertur materia. Quæritur quid sit opus. Sensim atque sensim crescunt dolores pungentes & ferientes, divellentesque membranas. Dolor ingens est, & qualem Galenus describit lib. 3. de locis aff. 1. c. in partibus quibusdam sentitur dolor veluti à remota alia parte velut radice derivatus; quod notandum est, falsò credunt colicum esse dolorem; propterea que ut fere fit,

liberales

liberales nos esse debere in usu rerum calidarum: imo tali usu ægrescebat magis; in eam sententiam ventum est, ut crederemus in provocando illo fluore incumbendum esse, alioqui frustra operam daturos. Atque ita provisum est. Primùm is clister injectus.

℞. Malvæ bismal. artemisiæ, an. m.j. sem. pœoniæ cubeniæ rubentis ℥j. agripalmæ p.i. rad. petrosel. asparagi. an. ℥j. sem. lini, fœnugr. an. ℥.ß. fiat decoct. In colat. dissol. terebinth. ʒij. sacchar. tub. ℥j. olei liliorum. Eodem die excitatus vomitus materiei viculentæ & ejus quæ olim per inferiora ferebatur: Non à ventriculo erat, sed ab jecinore & regione Renum, ut conjecturis deprehendebatur. Quæstio an esset sistendus an juvandus. Non placuit juvare, ne materiam quæ per inferiora moveri deberet, aliorsum revelleremus. Vrgentibus doloribus coacti sumus adhibete balneum, uti succo amygdalar. dulc. cum vino Hippocrat. Cessabant statim dolores: è balneo egressæ redibant. Secta vena in malleolo; adhibiti pessi ex hiera diacolocynt. Pulvere hieræ & galyops. addita styrace liquida: & involuti sunt tantalo. Deinde pilul's de hiera cum agarico & rheo consilium est. Tandem repetiti clysteres primò similes. Et præscriptus bolus sequens post balnea.

℞. Terebinth. venetæ ʒiij. rhei. ℈i. cum syrup. capill. ven. capiat. Secta vena in brachio ob tutgentem in lumbis dolorem. Applicatæ cruribus cucurbitulæ. Tandem ad decoctum sarsaparillæ ventum est ad proliciendos sudores. Provocati sunt atque ii admodum fœtentes, utcumque convaluit. *Ballonius Consilior. medicor. lib.* 1.

Mercator quidam una muliere non contentus, quantum licuit libidinose vixit: & cum prostibulis versatus, inquinatus est, unde & gonorrhœa & ulcuscula cacoethea in pudendo manavetunt: Tamen sibi præcavens advocato Medicorum consilio, in luem non incidit. Sed cùm rem levicu lam putaret, semine illius virulentæ gonorrhææ intempestiviùs suppressæ redivivo, sensit dolorem acerbum in spina, & lumborum regione imo in pene ulcuscula repullulant, statimque evanescunt difficultatem spirandi nonnullam habet *ἀσϑμ@*· est, macrescit in dies, dolet totam spinam, & lumbos. Inito consilio dictum est id totum esse à reliquiis istius virulentiæ quæ sensim vires acquirit: immo & rudimentum esse illius affectionis quam Hippocrates in libris de morbis tabem ex dorso vocavit. Itaque tametsi ad oppugnandam vim morbi valeret usus guajaci, tamen de macie erat verendum Itaque creditur satius corpus reficere, & interea non esse alienum ut interponeretur usus hydroticorum temperatiorum ut non proliciantur sudores, sed ut potiùs sensim humores desiccentur, & maligna qualitas emendetur. Consilii hæc sunt capita.

Bis hebdomade injiciatur clyster emolliens & detergens. Primo quoq; tempore utatur bolo cum rheobarbaro. Aperiatur basilica dextri brachii ad tria vascula.

Vtatur semel pancâ terebinth. cum syrupo de althæâ. Pauca autem fit quantitas, ne hinc alvus solvatur, sed tantùm ut vasa munda fiant.

Linatur frequenter spina oleo mastiches, cytonio, rosaceo cum aceto. Deinde utatur lacte asinino per dies viginti continuos.

In partibus decocto sarsaparillæ diluto satis, idque cum passulis. Tandem cum tenuitrius fuerit, ad decoctum chinæ, & sarsaparillæ minime dilutum adducetur, si semen mali longius disseminetur. Et cùm perseveraret dolor, & calor summus in renibus, hoc quod sequitur fuit institutum.

℞. Sapæ lib.5. mucaginis decoctionis malvæ bismal. violarum, seminis psyllii, melonum: adde opii ℈ij. & applicetur instar cataplasmatis regioni renum. *Idem ibidem.*

Mulier quædam cùm Gonorrhœâ laboraret, hoc uno decocto. à profluvio seminis, & urinæ ardore post universalia remedia adhibito, ex incontinenti per me curata fuit.

℞. Liquirit. ʒvi. sem. myrtillor. coriandr. præpar. plantag. agn. cast. an.ʒj. sem. papav. alb.ʒij. sem. hioscyam. ʒß. hord. mund. M.j. acaciæ, summac. an. ℈i. semina contund. crasso modo & bulliant omnia in aq. chalybeata pro ℔iß. colat. adde troch. alkikeng. ʒj. M. Sumebat cyathum bis in die, neque aliis medicamentis opus habuit.

Benedictus Faventinus, Præceptor meus hoc in simili casu magno cum successu & experientia utebatur. Si & GonorrhϾ adesset dolor & ardor, dabat tepide septem diebus lactis ovilli ℥iij. aq. plantag. vel succi ejus ℥j. boli. armen. ʒj. *M. Petrus Forestus. observ.* 15. *lib.* 26. *De Penis Vitiis.*

D Bontius in Gonorrhœa, ut J. Heurnius inter secretoria remedia sua, annotavit, usus fuit his Pilulis.

℞. Sem. lactuc papav. an.ʒiij rad. nymphææ ʒiij. rosf. rub.ʒj. corall. rub. ʒij. camphoræ ℈ß. sem. agn. cast ʒj. cum muccagine tragacanth. F. massa ex ʒj. fiant Pilulæ VI. In Notis ad cap. 13. lib. 6. *Pathologia Joann. Fernelii.*

Vir quidam Gonorrhœâ antiquâ laborans, à me consilium petiit: cui primùm præscripsi purgationem ex Mercurii dulcis ℈j. cum pil. coch. min. eadem quantitate, & sequenti die venæ sectionem. Deinde Bolum ex rhab. pulv. ʒj. cum terebinth. ʒiij. quem continuavit per quinque dies, eoque purgabatur ter aut quater in die: iterum sumpsit Pilul. Mercuriales, & prædictum bolum per alios quinque dies: ac tandem aquam sequentem per octo dies.

℞. Menth. sicc. ℥ij. sem. lactuc. rutæ agn. cast. an ℥ iiß. ireos fl. ℥ii. dictamn. cretic. ʒ. sacch. albiss. ℔ij. omnia pulverentur addendo terebinth. venet. ℥v. vini albi generosi ℥xxx. F. destillatio in balneo M. capiat cochlearia duo mane duabus horis ante cibum. His remediis à contumaci illo affectu liberatus est. *Lazarus Riverius observ.* 25. *cent.* 1.

Juris quidam utriusque Doctor Gonorrhœâ laborans à me consilium petiit: illi bolum præscripsi ex rheo & terebinth. per quinq; dies sumendum: & cùm nondum fluxus cessaret, postea usus est aquâ ad Gonorrhœam Quercetan. in illius Pharmacopœa descripta: prima exhibitione omnino sublatus est fluxus, & ideo per tres aut quatuor dies tantùm illius usum continuavit: neq; amplius rediit affectus. *Lazarus Riverius obs.* 36. *cent.* 1.

Vir quadraginta annorum ex impuro concubitu Gonorrhœam contraxit, cui ab initio præscripsi bolum ex cassiæ ℥j, rhei pulv. & crystall. tartar. an ʒj. Sequenti die volebam sanguinem mittere ex pede, quod ipse æger renuit. Emulsiones præscriptæ sunt ad tres aut quatuor dies, quibus urinæ acrimonia temperata est: fluxu eodem modo perseverante. Postmodum ptisana laxante usus est, per septem dies continuos, in hunc modum præscripta.

℞. Tamarind. ℥ij. aq. fontis ℔iv. coq. ad ℔iij. in colat. infund. frigide per noctem sen. mund. sem. coriand. liquirit. &. rosf. rub. an. ʒ ij. capiat cyathum unum mane horâ unâ ante pastum. Hoc remedio fluxus valde imminutus est, ad quem omnino delendum bolum sequentem præscripsi.

℞. Terebinth. venet. ℥iii. rhei pulv. ℥i. F. bolus quem capiat mane per quinque dies deinde aquâ supeprius descriptâ usus est per septem dies. Hoc modo Gonorrhæa curata est: quia tamen exigua quædam humiditas in extremitate glandis frequenter apparebat, ut in fine hujus morbi plerumque fieri consuevit: ad eam prorsus cohibendam & exsiccandam sequentes pilulæ præscriptæ sunt.

Gummi arabic. tragacanth. carab. mummiæ, bol. armen. an. ℈i. pulverentur, & cum syr. de rosis sicc. F. pilul. massa, de qua capiat ℈j. singulis diebus mane, duabus horis ante pastum per octo vel novem dies, & ita fluxus omnino cohibitus est. *Lazarus Riverius. observ. 74. cent. 4.*

Conservâ fructus brusci à ℥ij. ad ℥ß. per aliquot dies exhibitâ Gonorrhœas multas curavi.

Idem præstat aqua ejusdem fructua distillat. *Samuel Formius observ. 47.*

In Gonorrhœa commendatur pulvis sequens.

℞. Fol. menth. momiæ, corall. rub. agn. casti, carabes, an. ℈i. M. F. Pulvis: de quo accipiat æger aliquid mane jejuno ventriculo cum ovo tremulo. Vehementiùs sistit profluvium seminis, pulveris ossia Seplæ ℈j. cum conservæ rof. ℥ij. bis vel ter sumptus. Excellentissimum est Magisterium ejusdem cum conserv. rof. antiqua à gr. vi. ad ℈ß. sumptum. Tinctura etiam corall. mirabiliter prodest.

In Gonorrhœa virulenta interdum inflammantur testes cum maximo tumore: in eo casu præsentissimum remedium est Cataplasma ex foliis rutæ & ebuli aceto coctum & applicatum *Jo. Hartmannus. Practic. chimiatr. pag. 165.*

Juvenis viginti quatuor annorum, mirus formarum spectator ac verus Veneris alumnus, post coitum cum impura meretrice peractum patiebatur continuum ferme materiæ albicantis ac viscidæ ex urethra profluvium, non tantùm absque voluptate, sed prætereà etiam cum dolore scindente, qui quoque aderat, cùm æger reddebat urinam.

Fermentum nempe acido-corrosivum in partibus genitalibus hujus scorti delitescens per penem hujus juvenis in poros prostaratum ac vesicularum seminalium à coitu plus solito apertos, sicque acredine sua & semen & humores nutritios alluentes infecit ac ulcuscula excitavit in illis partibus; hinc itaque vellicatio & continua fere contractio prostatarum ac vesicularum seminalium semen ac humores nutritios corruptos modo prædicto assidue propemodum cum dolore fundentium.

Malum hoc gonorrhæa plerunque nuncupatur, estque satis periculosum, quandoquidem sæpius degenerat in luem veneream, si differatur ejusdem medela, tunc enim fermentum acido-corrosivum abripitur & cum massa permiscetur sanguinea.

Nulla itaque mora interjecta ad curam properavi, ac ad acidum corrosivum temperandum & evacuandum, ut & ad ulcusculorum sanationem sequentia præscripsi.

℞. Extr. cathol. Gr. xxiv. Mercur.dulc. Gr. vi. Sal. pruo. antimoniat. Gr. v. M. F. pil. N°. vii. Has pilulas tempore matutino assumsit patiens, ac sequentibus quinque diebus semel quotidie jejunus devoravit bolum hunc.

℞. Thereb. ven. ℥ij. Rhab. ℨj. M. S. Post iterum mox præscripta purgatione & bolis usus est ut ante, atque hoc pacto pristinam sanitatem adeptus est æger.

Terebinthina à quibusdam tam diu coquitur, donec pilulæ inde formari queant, sed male, quoniam coctio oleum spirituosum in aëre propellit, cùm tamen in eodem præcipua therebinthinæ virtus consistere reperiatur.

In hoc malo iterum acidum criminor, sed mira fortasse alicui videbitur mea opinio, acidum scilicet in animali vivente adeo noxium existere ac inimicum sanitati, cùm interim acetum carnem mactatam conservet integram per longum temporis intervallum, sed ut & hunc amoveam scrupulum, respondeo rem longe aliter se habere in vivo animali ac in mortuo.

In vivo animali ad vitæ ac sanitatis conservationem apprime necessaria est sanguinis ac humorum libera per vasa tubulosque satis patulos circulatio, quæ tamen haud parum impeditur ab aceto aliisque acidis sanguinem ac humores coagulantibus. In mortuo autem animali ad mactatæ carnis conservationem prædicta non requiritur circulatio, sed tantummodo opus est, ut præcaveatur, ne valde parvæ carnis mactatæ particulæ ab aëre nimium agitentur, fermententur, ac è statione propellantur; acetum autem particulis suis crassis ac gravibus ad hunc effectum producendum idoneum est.

Quod autem caro maneat incorrupta, si motus particularum valde parvarum, aliàs futurus, hac aut illa de causa sistatur vel hinc manifestum evadit, quòd caro mactata brumali tempore per multos dies integra servetur, cùm tamen eadem æstivo tempore citissime corrumpatur ab aëre tum temporis, in motu valde celeri constituto.

Quod verò acetum constet particulis, crassis ac gravibus, liquet ex destillatione, quæ docet, spiritum vini citius ac prius in alembicum elevari quàm acetum.

Præterea dici posset, quod carnis mactatæ sal volatile cum aceto coaguletur, ac ita immotum conservetur & impediatur, ne fermentescat cum aëre, figuram suam mutet, ac avolet in aëra, sicut cernimus sal volatile cornu cervi aut aliud quodvis cum spiritu acido coagulatum non avolare, ut aliàs facere consuevit.

Dum ago hic loci de gonorrhæa, in memoriam mihi redit haud illepidum alicujus medici responsum; interrogabatur hic aliquando inter pocula, quid foret in causa, quod homines tam facilè supplicium paterentur in pene, ubi cum hac aut illa meretrice concubuerant, dum interim canes masculi cum canibus alterius sexus innumeris coeunt impune, ad quod medicus subridens reposuit, hoc contingere, quia canes, hac in re hominibus longe prudentiores, statim post coitum peractum cultellos suos lingendo bene purgare solent à sordibus, quæ fortè adhærescunt; ea quo responso interrogator illud adhuc didicit, ut postea mox à coitu peracto membrum virile propria semper ablueret urinâ. *Iohann. Mays in Praxi Chirurg. rationali.*

Gonorrhæa periodica.

In sexum sequiorem num cadat seminis profluvium jam non disputabimus: Paratæ utrinque rationes: Silentio autem prætereire minime decet laborasse apud nos Juvenem Gonorrhœa periodica: Reditum hujus hospitis nunquam non nuntiabant dolorifica labiorum disruptio, nec non prævius, universi corporis

corporis tuer: Prostratis inde notabiliter viribus ad nos accessit petitum Medicinam, qua facilè impetrata, brevi convaluit: Præsentaneum auxilium præstitit sal corallorum ac Magisterium Saturni cum aceto nitrato paratum. *Joh. Petri Pruckelii.*

In Gonorrhœa affecto balano, insectulum limaciforme fuit inventum. *Petrus Borellus observ.* 53.

Gonorrhœa virulenta cum excrescentiis.

Juvenis quidam temperie biliosus, opulentus & salax, ab impuro & impudico prostibulo numisma venereum pro aureo permutaverat, ut de seminis profluvio dolorifico eoque flavo querelas haberet, monstrando insimul excrescentias verrucosas ad fibulam, unicam principio quidem, postquam verò eandem acu apetuisset, prolifeam, nam quousq; sanguis infectus fluxerat, eousq; novatum notaverat exortum, ut etiam numerum tandem sexagenarium transcenderent. Huic in antecessum nodulum ex lignis, tha. barbato &c. cum vino ordinavi, deinde Pilul. de Terebinthina cum pauco mercurio dulci præscripsi, tandemque decoct. nigrum Mynsichti composui, exterius applicandum, qui nunc aliquot liberorum pater vivit sanus *D. Christophori Seligeri.*

Anatomicæ Inspectiones.

Gonorrhæâ diuturnâ laborantis Glandosum corpus Semine repletum inventum est, cum Testibus eodem refertis.

In involuntario seminis fluxu laborante, quem Patavii dissecuimus, corpus Glandulosum cùm divideretur, non minus quàm testes ipsos semine oppletum conspeximus: Et si verum fatendum est, inter dissecandum nulla penitus corporis, parte tanta seminis vis usquam atque in hoc glandoso corpore invenitur, quantumvis id à testium substantia, mollitie, æquabilitate differat. *Vesalius, de Hum. corp. Fabrica lib.* 5. *cap.* 13.

Gonorrhæâ affecti cadaver vasa semen deferentia in penem maxime dilatata exhibuit.

Vasis semen in penem deferentis insertio conspectum quodammodo fugit, Et coitus, aut aliàs excretionis seminis tantùm tempore aperitur; Quod Patavii quidam dissectus facile edocuit, qui ante suspendium involuntario seminis fluxu laborans, hos meatus omnes apertos laxosque habuit: eos potissimum qui ex testibus in Deferentis semen vasis revolutiones gyrosve pertingunt, & quibus dextrum & sinistrum deferentia semen vasa in vesicæ cervicem terminantur. *Vesalius de humani Corp. fabrica lib.* 5. *organis cap.* 13.

Gonorrhœa excitata ab ulceribus orificii vesicæ vicinarumque partium.

Mercatore febre exigua laborante, ut ferè decumbendi necessitas non esset, & flueret Gonorrhœa, ut propterea sectio venæ differretur; tertio post die exacerbatus est dolor, & continua febris tenuit, &c. Nonò mors.

Qui sectioni cadaveris interfuit Chirurgus, retulit reperta esse ulcera in orificio vesicæ & vicinis partibus, Et, tamen de his non querebatur. *Ballonius Epid. lib.* 2. *pag.* 160.

Glandosum corpus [Prostrata,] Gonorrhœa virulenta sedes est.

Gonorrhææ virulentæ protrahuntur interdum ad decem annos, quale exemplum Patavii vidimus in viro Bergomense, cætera sano, sed vix ossibus hærente: unde in Gonorrhæa hujuscemodi non excernis semen, sed pus ulceris, ex prostatis verò videtur proximum: Certe in omnibus Gonorrhæâ laborantibus in Nosodochio dissectis, ulcera reperimus, seu callum, ulceris præteriti: Impossibile alioqui foret tanto tempore effluvium seminis vita superstite perstitisse: Severinus Neapoli in dissectis invenit inflammationem & abscessum in patastatis: *Bartholinus cent.* 2. *Observ.* 36.

Gonorrhæa muliebris Glandoso corpore affecto excitatur.

Fluor muliebris, si continuus, & Gonorrhæa, ita inter se conveniunt, ut nisi mentem adhibeat Medicus præ similitudine facilè in errorem abeat, quanquam à diversis partibus procedant & per destinata loca excernantur, quidam Fluor iisdem quibus menstrua fluunt, ductibus ejicitur, quod vel ideo judicamus, quia menstruum cruorem ita subinde immutari cernimus, ut qui primò veluti à victima, referente Hippocrate, prodibat, nunc minus floridus, postea pallidus ac sensim albus appareat, Fluoremque muliebrem, Album dictum efficiat: Gonorrhæam verò ex Glandoso corpore provenire, & per lacunas circum, & in meatus urinarii exitu collocatas erumpere, Cadaveris cujusdam mulieris hoc vitio infecti palam fecit. Nam utero ejusque vagina innoxiis corpus glandulosum sive Prostatas, urethræ circumpositas solùm male affectas offendimus.

Dicet aliquis, Quomodo illa Medicus internoscere valebit, si mulier affecta se castam & ab omni virili consortio alienam profiteatur? utcunque dijudicare poterit si ad prolabentem materiam, ægræque querelas diligenter attendat? materia namque Fluoris alteram in Gonorrhæa manantem longe quantitate superat: Querelas si consideret, Fluore fœdaras lumbari dolore cruciari, aliàs verò Gonorrhæâ laborantea de oborta circa pudendas partes acerbitate lamentari audiet: Sin minus his contentus certior esse velit, genitalia inspiciat, siquidem meatus urinarii exitum circumsistentes partes (in quibus lacunarum exitus terminantur) mucosâ quadam materiâ obsessas, ac interdum ulceratas reperiet, reliquis vaginæ partibus decenter sese habentibus, cujus contrarium in Fluxu albo fieri assolet: Sed hæc vulvæ inspectio non semper necessaria est, eùm Medicus haud sit culpandus si medicamenta secundùm ægrotantis querimonias præscribat: Si verò illum eludat, nec optatum præscripto medicamine successum contumax mulier consequatur, id sibi imputet: *Regn. Graaf. de mulierum organis cap.* 9.

GRANDO Vid. *Hordeolum.*

GRAVIDARUM MORBI, Vid. *Praegnantium morbi.*

GVRGVLIONIS MORBI.

GUrgulio seu Uvula est corpus glandulosum supra laryngem è regione foraminum interiorum narium inter tonsilles situm, stiriæ instat rotundæ è palati limbo posteriore dependens. Contegitur involucris oris quidem & faucibus communibus, sed paulò crassioribus. Quidam asserunt binis suspendi musculis, interno scilicet & externô pari, ut antrorsum & retrorsum moveatur in deglutitione, sive ut humores contenti sic continuò exprimantur. Alii verò volunt hoc musculorum apparatû rarissimè ornari, & interdum ab involucrô processûs ossis sphænoidis ad ejus latera musculosas dimitti fibras, unde etiam quandoque totum ipsius integumentum carneum appareat. Apertô involucrô glandulosa partis retegitur constructio, fibris membranosis ac vasculis variis cohærens, quorum vasculorum extremitates inter papillulas ex interiori membrana ipsam investiente assurgentes, hiant, ac segregando cibi liquidiori cuidam salivali, sicut & aliæ omnes glandosæ palati & oris partes, inserviunt. Non tamen in hoc totus uvulę restringitur usus, siquidem etiam inservit impediendo cibi & potûs in nares ascensui; præterea, secundùm aliquot, modulando aëri à pulmonibus propulso pro voce articulanda non parum facit, ut & reprimendô aëris ad pulmones in inspiratione tendentis impetû, ne scilicet in illos liberiùs irruens suffocationem inducat.

Variis pars hæc tentatur morbis, qui partim ex congestione in ipsâ factâ, partim ab acrimonia aliunde adveniente enascuntur: Si enim humor salivalis in illa secretus, ac per vasa in faucibus hiantia evacuandus, per orificiorum suorum obstructionem in propria scaturigine diutiùs contineatur, illicque moras longiores trahat, non tantùm partem tumefaciet & prolongabit, sed etiam in acrius quid ac corrosivum evectus inflammationes & ulcerationes non parum molestas, procreabit, imò in cancrum abibit. Rursus si virus in sanguine nidulans, vel ex scorbutica constitutione vel ex venereâ lue illic copiosiùs depluat, sine mora inflammationes & ulcerationes aliis non absimiles, progignet; sed quæ curatâ morbi radice, per se, aut saltem paucis adhibitis, aut particularibus ac topicis, evanescent. Ast quid hisce diutius insistimus quum de Curationibus, Consultationibus, observationibus, varia è variis huc adducenda sese offerant.

Curationes

In uvulâ exulcerata commode usurpatur hoc remedium, quod in aliis etiam affectibus oris & anginâ est præstans.

℞. Herb. malv. hort. m. i. flor. rosar. rubr. prunell. veronic. salv. an. m. ß. radic. polypod. querc. ℥j. coq. in aq. portulac. ℔. iv. aceti vin. ℥vi. usque ad casum transversi pollicis, postea colentur & colatura leniter exprimatur. Pro uvulæ relaxatæ ac nimis tumentis abscissione singulare describit instrumentum Barthol. Hist.88. Cent.2. Aliàs recentem uvulæ prolapsum, ac relaxationem curat fermentum cum spir. vini humectatum & vertici impositum, unà cum gargarism. & decocto florum ligustri cum sale prunellæ, aut nitro. Item sal decrepitatum cum pauco pipere applicari potest uvulæ ita prolapsæ. Loco salis communis optimum est sal. armoniacum subinde uvulæ applicatum, spiritum aluminis commendant alii. Quod si simul uvulæ inflammatio adsit, optimum est decoctum herbæ aut radicis taraxaci; succini suffitus ore exceptus specificum est Rulandi. Vel semen cannabis in poscâ parum coctum & colatum, pro gargarismate adhibitum, est unum ex optimis remediis. Vel radix tormentill. & uvulariæ an. coquantur in cerevisia secunda, & cum modico mellis edulcorata exhibeantur pro gargarismate. *Michael Ettmullerus Collegii Practici l.c.*

Laxatur sæpissime gurgulio, & linguæ superincumbens vocis modulationi incommodat, ut in catarrhis; atque adstringentibus siccantibusque remediis in pristinum situm restituitur, præsertim gargarismo ex decocto rorismarini, rosarum punicearum, plantaginis, uvularia baccarum myrteatum cum dianuco, vel diamoro; itemque pulvere ex pipere longô, corticibus myrobalanorum, tormentilla, alumine ustô, bolu Armena, & similibus. Fermentum capiti adhibitum cum succino, & spir. vini purus, optime confert ex Frider. Hoffmann. Suffitus etiam ex mastiche, gumm. animę, balsamo Peruvianô & Tolutano, pulvere nicotianæ, rorismarini, betonicæ. Piperis contactus quoque prodest ex Borello. De inflammatione uvulæ, vide ubi de Tonsillarum affectibus. *Lucas Tozzi Med c. Practica parte 1.*

De Uvulæ Descensu & Resectionè, sic scribit Clariss. Anton. à Nuck, in Experiment. Chirurgicis.

CIrca *Uvulæ Descensum*, ab humore crasso & pituitoso in ejus tubulis stagnante ortum trahentem, facilis & frequens occurrit Chirurgia.

Restituenda illa astringentibus, incidentibus, obstructionesque reserantibus pulveribus, v. g. *Alumine Usto, Pipere, Zingibere, Sale communi & sim* qui *Cochlearis* beneficio ipsi admovendi, vel *Cochleari, Manubris Fistuloso & exiguo Folli* donato eidem aspergendi; cujus delineationem vide apud *Hildanum Cent.2. Obs.xxt. Fol.96.*

Solus quoque *Spiritus Vini* per modum gargarizationis adhibitus, ut etiam *Spiritus Salis Ammoniaci* linteis carptis relaxatæ Uvulæ aliquoties admotus, præsentaneam nonnunquam tulêre opem.

Verbo, quicquid pituitosum incidere, viscidum attenuare, obstructiones solvere, humoribusque per hanc partem circulantibus calcar addere aptum natum est, illud hoc in affectu utramque paginam absolvet.

Verùm aliquando tam pertinaces sunt obstructiones, ut *Aquâ Sublimatâ* Uvula sit tangenda.

Quæritur, An capillorum verticalium retractio in Uvula relaxata conducat? Resp. Aliquando juvamen affert, dum major eo tempore quo retractio peragitur spirituum copia Uvulam irradiat, unde expeditis obstructionibus Uvula relaxata restituetur.

Ubi verò prædictis non restituitur, sed relaxata manens loquelam & deglutitionem impedit, aut Scirrho malive moris Ulcere, vel Gangrænâ afficitur, sunt qui imposito supradicto Cochleari *Aureo Nummo*, sed ignito (quamvis minus convenienter) eandem adurunt.

Præstabit

Præstiterit in ejusmodi casibus eam extirpare, quod *volsella* & *Forfices*, beneficio haud difficilè peragitur. Quod si patiens Operationem hanc, ob sanguinis nonnunquam subsequens profluvium, ut crucetam nimis abhorreat, extirpatio Annulo cum Manubrio Cannulato & Filo adaptatu facilè paratur. Instrumenti delineationem vide apud *Hildanum*, nec non *Scultetum in Armamentario*, cujus ope nuper Operationem hanc cum successu institutam vidimus.

Si cui volupe fuerit Encheiresin hanc minori cum apparatu absolvere, *Instrumento pro Uvula abscindenda* à Rustico quodam Norwego invento, à *Th. Bartholino Cent. 1. observ. Anatom. Hist.* 88. delineato & descripto, uti potest.

Quo instrumento aliorum quoque in corpore Tumorum, Tuberculorum, Verrucarum &c. extirpatio, singulari celeritate, inscio patiente, nihilque mali cogitante, peragitur.

Si verò resectâ jam Uvulâ immodicus sanguinis fluxus eidem superveniat, haud inconsultum erit depressâ linguâ, admoto *Vitrioli Cyprino* (in linguæ vinculo proposito) partem sanguinem fundentem tangere.

Posset tamen aliquando contingere, ut sanguinis impetuosior fluxus eo non sisteretur, quo in casu ad *Cauterium actuale* confugiendum putamus.

Chirurgus itaque *fistulam Annulo munitam* ori intromittat, manu sinistra teneat, Uvulamque fistulæ foramine excipiat: dein stylo ferreo ignito fistulæ immisso Uvulam tangat & cauterizet, probè cavendo, ne vicinæ partes lædantur.

Gargarismis denique convenientibus, vel melle rosaceô admotis, curatio absolvitur.

Consultationes.

Inflammatio Tonsillarum & gurgulionis laxatio.

Serenissimæ Reginæ Sueciæ Consiliarius, Sedini Pomeranorum in solenni quodam convivio præter intentionem; vir alioquin temperatissimus meracioris vini potu inebriatus, postero die molestiam quandam & dolorem circa radicem linguæ sentiebat cum ardore, siti, & quadam deglutitionis & respirationis difficultate.

Tonsillas, aut columellam, vel utrumque aliquid præternaturale pati suspicabar, ac proinde depressâ linguâ fauces inspexi, ubi primo intuitu amygdala, uti vocant, sive tonsillas ex utroque latere tumidas, rubentes & inflammatas, mox & gurguliunem relaxatum & propendentem deprehendi.

Occasionem malo, procul dubio dedit largior vini generosioris potatio, quatenus sanguis ab ea incalescens & tenuior redditus, ad partes has sua naturâ molles & laxas defluens, tumorem ac inflammationem excitavit.

Confestim itaque apertâ basilicâ dextri brachii sanguinem detraxi; mox ad fervorem sanguinis restringuendum julapium refrigerans præscripsi.

℞. Aq. fragor. acetosell. endiv. an. ℥vj. rob. ribium syr. berb. rubi idæi an. ℥ij. succ. citri ℥iß. M. Ex topicis gargarismum, vel potius collutionem oris ex repellentibus & astringentibus exhibui.

℞. Fol. plantag. prunell. an. m. I. flor. rof. rubr. m. ß. cortic. granator. ʒiß. coque ex s. q. aq simplic. pro ℔iß. Colatur. adde rob ribium ℥ij. diamoron ℥j. syr. de agresta ℥ß. m. Mixtura hæc resupinato capite in ore contineatur tepide; inflammata enim nec frigus ferunt nec calorem, & valida gargarisatione plus materiæ ad locum affectum attrahitur.

Columellam elongatam sequenti pulvisculo undique conspersi, beneficio instrumenti à Gulliemo Fabricio Cent. 2. obs. 21. depicti.

℞. Flor. scabios. balaustior. rof. rub. cortic. granat. an. ʒß. rad. bistort. torment. gallar. immatur. an. ℈ ij. alumin. usti ʒiß. M. F. pulvis.

Sedata paulisper inflammatione, repellentibus moderate discutientia admiscui; extra etiam guttur oleo amygdalarum dulcium & liliorum alborum inunxi.

Tandem corpus biliosis humoribus refertum extracto cassiæ & pulvere meo cholagogo purgavi; sicque virum integerrimum, meique amicissimum Dei gratia, bonæ valetudini restitui. *Baldassar Timaeus in Casibus Medicinalibus.*

Uvulæ Relaxatio.

Juvenis viginti sex annorum, plethoricus, postquam aliquot dies liberaliori vini & cerevisiæ potui indulsisset, incidit in magnum dolorem faucium, quo non nisi cum dolore & difficultate quicquam deglutire potest. In faucibus etiam aliquid, instar boli deglutiendi tumens ab ipso perpetuò percipitur In ore ejus cum linguæ depressione aperto, apparet uvula valde tumida & laxata, vicinæque partes valde tumentes rubentes.

Afficitur in hoc ægro uvula, ac præterea fauces, quod ex dolore, deglutiendi difficultate, & tumore, instar boli fauces prementis, in illis partibus percepto: item, ex ipsis fauces ejus inspicientium autopsia, est manifestum.

Morbus, qui ipsum affligit, est faucium, tumor & præcipue uvulæ, à sanguine calidiore & pituitoso ortus; qui partes illas vicinasque suâ copiâ distendens, uvulamque nimium relaxans, atque hic dolorem & deglutiendi perpetuam difficultatem, suffocationisque subinde invalutæ metum, inducens, uvulæ relaxatio, à præcipuo hujus tumoris symptomate, reliqua alia symptomata potissimùm producente, vulgo appellari solet,

Procatarctica hujus morbi causa est potus ille generosus & liberalis, cui hic juvenis per dies aliquot plus justo indulsit; inde enim multi humores sanguinei & pituitosi, in ejus corpore geniti, antecedentem huic morbo præbuerunt causam. Pars verò eorum in corpore incalescens, & poros vasorum circa fauces, uvulam, vicinasque partes plus justo, ex præcedenti potione illas partes præ cæteris magis laxante, apertos inveniens, & per eos se in partes illas copiose effundens, continentem hujus morbi, ejusque symptomatum, continuit causam.

Cùm enim per illum humorum sanguineorum & pituitosorum, in partes illas copiose illabentium, ibique vehementius incalescentium, influxum, tumor in faucibus vicinisque partibus & uvulâ nascitur, gula & guttur ita arctantur, ut ea, non nisi magna vi, magnum dolorem necessariò inferente, in deglutiendo aperiri queant. Uvula verò hinc justo longior & latior evadens, & fauces sua nimia mole replens facit in iis perpetuum, tanquam boli ibi hærentis, sensum. Interdum verò illa plus solito intumescens, & humores quosdam in asperam arteriam

arteriam per rimas epiglottidis copiosiùs immittens, tantam subinde inducit respirandi difficultatem, ut æger suffocationem metuat. Hæc autem omnia in ore tam sunt evidentia, ut inspicientium oculis certi possint.

Morbus hic, cùm deglutitionem & respirationem tollere, & uvulæ corruptelam inducere possit, satis est periculosus.

Diligenti itaque Curatione erit impugnandus. Eaque in causæ antecedentis, & continentis, item in tumoris & intemperiei, per contraria ablatione consistet.

E vena igitur in brachio dextro apertâ mox educatur sanguis ad uncias decem, Idque etiam postea repeti potest.

Paulo post talis injiciatur clyster.

℞. Decoct. emollientis lib. I. Elect. diapruni ℥vj. Ol. violar. lillor. an. ℥j. salis ʒj. Misce, F. Clyster.

Cucurbitulæ etiam scapulis & humeris sunt adhibendæ. Et utatur tali gargarismo;

℞. Hordei mundati p. I. Fol. violatiæ, portulacę, plantag. an. m. j. myrti m. ß. Cort. malor. granat. ℥iß. Flor. ros. rubr. malvæ arbor. an. m. ß. Sem. cydon. malvæ an. ʒj. Auricular. judæ ʒj. Decoq. in aq. com. ad lib. iß. in colatura dissolve diamori, dianuci, mell. ros. an. ℥ß. Misce pro gargarismo, quo sæpiùs in die gargariset.

Et sæpe lambat de hoc linctu.

℞. Diamori, dianuci, Sir. violacei an. ℥ß. Misce.

In ingenti dolore, interdum gargarisandum cum lacte recenti.

Postridie purgetur tali haustu, si tum deglutire possit; nam alioqui repetendus esset præcedens clyster.

℞. Sennæ ℥ß. Sem. anisi ʒj. Decoq. in aq. hordei q. s. ad ℥iv. In quibus dissolve el. diaoruni ʒij. Misce F. potio, mane exhibenda: & subinde, malo perseverante, iteranda.

Corpore bene purgato, uvula cum pulvere sequenti, cochleatis, ab Hildano centur. 2. obs. 21. descripti, vel alterius convenientis ope, sæpius in die erit sublevanda.

℞. Rosar. rubr. balaustior. corr. granat. an. ʒß. Rad. bistortæ, tormentill. gallar. immatur. irid. florent. an. ʒj. aluminis usti ℈ij. M.F. pulvis.

In diæta aër sit temperatus; cibus ex jusculis & ovis sorbilibus: vitentur omnia aromata: potus sit tenuis cerevisia: corpus quiescat: somnus sit moderatus: fugiantur animi affectus. *Henricus Regius apud Theodorum Craanen. Medicationum lib. I.*

Ulcus in gargareone cum exesione tonsillarum & uvulæ.

Vir Illustrissimus, quadragesimum tertium annum agens, temperamenti totius calidi & humidi, jecoris calidioris, boni & carnosi habitus jam quintus decimus currit mensis, ex quo præcipiti & copiosa destillatione in fauces correptus fuit cum febre & insigni degluriendi difficultate. Medicus autem domesticus accersitus sanguinis missionem jussit, gargarismos præscripsit, clysteribus ventrem exoneravit, & victûs rationem congruam instituit, quibus equidem meliùs habere visus est Nob. Patiens. verùm duobus transactis diebus, rursus invaluit affectus & præsertim in tonsilla sinistra cum ejusdem exulceratione: idcirco sanguis rursus extractus fuit & gargarismi detersorii instituti; quibus licèt febris, inflammatio, degluriendi difficultas fuerint omnia remissa, exulceratio tamen progrediebatur uvulam versus, & non obstantibus medicamentis quoque refrigerantibus, & humoris acrimoniam atque aciditatem demulcentibus assumptis, ulcus tamen quotidie serpens, non solùm uvulam, sed & dexteram quoque tonsillam occupavit, tuncque loe celtica humores infectos fuisse Medici adstantes suspicari cęperunt: cùm ante inceptam destillationem Gonorrhæas, & caries passus fuerit; propterea ad alexipharmaca ea gallica devenire decreverunt, & Decoctum ex salsa, guajaco, ligno cydoniorum & santalo in aqua fumariæ atque cichorii præscripserunt, quod solutivum reddiderunt sennâ, polypod. & tartaro superadditis; pro potu verò consueto aqua ex salsa parata utebatur: interim melle ros. & syr. de rosis siccis cum spiritu sulphuris partes affectæ tangebantur. His per mensem adhibitis, non solùm levatus, sed ex toto sanatus, videbatur; verùm transacto mense, recruduit affectus & ulcus in iisdem partibus apparuit. Causam autem retulerunt in novum commercium cum infecta muliere. Quamobrem repetita fuere quadraginta continuis diebus jam administrata remedia, omnia tamen in cassum reiterata, siquidem ulcus serpendo semper magis undequaque sese dilatavit; ob idque Medici decoctum sudorificum instituerunt per plures dies, capite tamen extra sudatorium servato, veriti ne nimium illud incalesceret, sed frustra omnia & irrita fuerunt; etenim & uvulam, & ambas tonsillas destillatio corrosit vocemque & deglutitionem adeo læsit, ut loquendo vocem etiam per nares emittat, atque potus præsertim, nonnumquam etiam porulenta alimenta ad nares regurgitaverint atq; prodierint, corpore toto interim valde emaciato. Hoc infausto eventu perterriti medici aëris mutationem consuluerunt, & ad locum quendam suburbanum tanquam ad Tabias Virum Illustrissimum dimiserunt, à qua loci mutatione juvamen majus, quàm à medicamentorum administratione Nob. Pat. cognovit. Attamen ad nos pervenientes, accuratissimè locum affectum exploravimus, & tonsillas, necnon Uvulam ex toto ablatam atque corrosam invenimus; præterea ulcus tum superius ad os sphenoide, & inferius per œsophagum repere cum callositate atque non exigua sorditie observavimus. Et quoniam à nobis auxilium petit, ideo de agendis, ut infra consulimus.

Ad quadragesimum usque annum, vitam incolumem duxit Vir Illustrissimus iste totius temperamento calido & humido præditus, boni & carnosi habitus, cum capitis caliditate non valde excedente, & ideo sine sensibili molestia capitis destillatione, quæ ex tempore præceps ad gulam irruere cœpit, postquam Gallicam Gonorrhœam cum Carie contraxit, sicut eodem tempore totius corporis macies incepit; cujus varitatis ratio facilè adduci potest, namque si à calore temperamenti propter ætatem acutiori reddito, sanguis calidior & actior factus fuisset, qui ut ineptus ad nutritionem, maciem introduxisset, & postea per venam cavam ad cor, indeque per arterias carotidas ad cerebrum circulando perveniens per jugulares venas internas ad fauces atque tonsillas, ut inutilis à natura transmissus affectum anginosum produxisset; id contigisset eo tempore quo magis calor ipse temperamenti viget, nimirum circa trigesimum aut trigesimum quintum annum; quod non evenit nisi post quadragesimum; postquam scilicet à Lue Gallica, non solùm vasa

sperm[atica]

ſpermatica, ſed & hepar unà cum maſſa ſanguinea inquinatum fuit, cujus Celticæ qualitatis impreſſio & characteriſmus cùm ſit exuſtio, idcirco visceribus & ipſi ſanguini gradus caloris p. n. ſuperaddidit, ipſumque ſanguinem ad nutriendum ineptum reddidit, unde macies: naturæ autem moleſtus extra venas detruſus inflammationem in faucibus excitavit, ubi diutius remorans ſua prava & exurente qualitate tonſillas primò corroſit, & ſerpens exedendo Uvulam quoque conſumpſit. Non igitur mirum, ſi prioribus medicamentis minime ceſſerit affectus, & parum quoque alexipharmacis gallicis: etenim cùm calida & humida capitis naturalis intemperies non valde excedens, à Lue Gallica magnopere adaucta fuerit, caputque ipſum valde excrementoſum redditum, hæc corrigi non poterat ſine ſudore, nec ſine ipſo Gallica qualitas in humiditatibus excrementitiis & partibus ſolidis fundata extirpari, & propterea nonnihil quidem remiſſa, at nunquam ablata fuit cauſa fluxionis & exulcerationis; imò fuſi tandem humores in toto à Decocto ſudorifico in hypocauſto ſicco ad caput impetum fecerunt, quod extra hypocauſtum exiſtens, nec ideo ſatis exudans, eoſdem infectos humores in ſeipſo retinuit, ſicque fluxio neceſſariò ad tonſillas & gargareon adaucta fuit, ſimulque adauctum ulcus. Ut autem Uvula impedit quominus alimenta, & potulenta præſertim ad ſuperiora aſcendere poſſint, & eorumdem deſcenſum atque deglutitionem adjuvat, ita eadem dempta atque conſumpta in cauſa eſt, ut ad ſuperiora regurgitent & ad nares ferantur, præſertim quia ab ulcere dolorem inferente impediebatur iiſdem alimentis deſcenſus: quod impedimentum tandem ceſſavit, quoniam ob calloſitatem ulceri obductam non amplius percipitur dolor; vox tamen ob columellæ defectum fertur ad nares, & non tota per os emittitur. Utinam verò in præſens ulcua non amplius depaſcerentur; in parte namque inferiori vix terminus conſpici poteſt, ſicut nullo modo in ſuperiori, adeo ut ad os ſphenoide facilè pervenire poſſit, & præterea cùm palatum quoque colorem mutare inceperit, ideo & proximas partes brevi inſici poſſe dubitandum: viget enim & abundat, copioſa Gallica deſtillatio, cujus aliqua portio in pulmones noctu delabens tuſſiculam excitat, copia vero major per œſophagum in ventriculum deſcendens ſubverſionem excitat, ciborum amplexum & concoctionem impedit, ac chyloſæ, & forſan etiam ſanioſæ materiæ catarrho immiſtæ regurgitationem inducit.

His autem ita ſe habentibus, facilè videre eſt ſtatum Illuſtriſſimi Viri adhuc eſſe periculi plenum, primò quoniam ulceris dilatationem & propagationem prohibere difficile erit, cùm ejuſdem termini non ſatis oculis pateſiant, & præterea quoniam macies invaluit, & à perſeverante in pulmones deſtillatione, & ſimul ab aeris frigiditate ob Uvulæ defectum pulmones immediate feriente, Phthiſis facilè introduci poſſet.

Quare ſedulò agendum etiam hoc incongruo ann. tempore, ne ulcus ulteriùs progrediatur, Topica adhibendo primò, & potiſſimum Cachectica, mox Sarcotica, atque tandem Epulotica, dum interim expiato ventriculo, acrimoniam humorum demulcentia, & Gallicam qualitatem reſpicientia, (non tamen fundentia) ſunt in uſum ducenda. Proximo autem ineunte Vere ineunda quoque erit regularis Purgatio, cauſarum extirpatio, & ulceris perfecta Curatio, ſine tamen deperditæ partis reſtitutione; tunc enim primis mundatis viis, maſſa ſanguinea erit depuranda. Caput purgandum. Celtica lues penitus debellanda, ſimulque humida capitis intemperies, jecoris calida remittenda. Sanguis temperandus & totum corpus tenutriendum; Topicis verò ulceri incumbendum.

In præſens igitur ulceri totis viribus proſpiciendum, primò detergentibus & cachecticis quoque, non ſolum ſaniem, ſed etiam calloſitatem auferentibus, deinde exiccantibus, ideo gargariſmi frequentes inſtituantur ex aqua Tettuciana, cum melle roſato ſimpl. cui aqua hordei poteſt etiam commiſceri; verùm quoniam jam dictis calloſitas non adeo facile tolli poterit, ideo etiam ad Eſcharotica & adurentia, ad ignem ſcilicet erit deveniendum, idoneo inſtrumento applicandum; vel ſaltem valde exiccante gargariſmo erit utendum (quod tamen tolerabile ſit) ut tinct. roſarum, ſpiritu vitrioli extracta & aqua plantaginis, vel aqua Villenſi parata.

Interim ventriculus à præſenti infarctu eſt vindicandus, præbendo primò mel roſ. ſol. cum manna, cui ſuperbibat mulſæ dilutæ lib. ij. Mox die ſequenti aſſumat.

℞. Oxymel. ſimpl. ℥. iij. aquæ flor. citri ℥. i. m. pro ſyrupo. Tertio vero die aſſumat crem. tart. ad ℥. ß. in jure pullæ, aut vituli, cort. citri alterato. Die poſtea ſequenti rurſus aſſumat oxym. deinde cremorem tartari, & ita alternatim perſeveret x. aut xii. diebus, ut ventriculus cum œſophago mundificetur & primæ viæ exinaniantur; repetito ſuperius præſcripto Leniente. Qua peracta primarum viarum expiatione, in uſum ducat lac hujuſmodi artificiale.

℞. Sem. melon. mundat. ℥. j. ſem. cucurb. mundat. ℥. ß. amygd. dulc. mundat. n. xv. nucleorum pineorum n. xxv m. contundantur omnia, & cum jure carnis pro cibo conſueto extrahatur Emulſio ad ℥. vii. aut viii. cui adde ſacch. albi cochlear. & irroretur hujuſmodi emulſio ad ſuavitatem guttulis aquæ roſ. aut è flor. citri, & ſummo mane præbeatur quatuor aut quinque horis ante cibum. Jus autem carnium, tum pro hac emulſione conficienda, tum pro ferculis omnibus parandis, ſit ſemper optima china alteratum In uſu jam dictæ emulſionis perſeveret tota Quadrageſima, uſque ad tempus futuræ eradicativæ Purgationis: poterit enim inſervire, tum ad demulcendam humorum mordacitatem, tum ad totum corpus nonnihil enutriendum. Interim decimo quoque die aſſumat cremorem tart. ad ʒj. cum ſacch. in jure, ut ſuprà diſſolutum. Et congrua utatur victus ratione, evitando aeris inclementiam & nimis frigidam, & in cubiculo nimis calidam. Vitet quoque alimenta excrementoſa, coctu difficilia, calida, vaporoſa, ſitque cœna parca. Vinum ſit album, tenue, aquoſum china & ſantalo albo medicatum, ita ut pro ſingula ſitula ingrediantur ℥. ii. dictorum lignorum. Somnus nocturnus, diuturnus quoque proderit. Exercitium fiat ante prandium. Venus omnino ableganda, & alvus lubrica ſervanda paſſulis aut prunis coctis in prima menſa cum ſacch. aſſumendis Tandem ab applicationibus & ſtudiis abſtinendum, animique alterationes & perturbationes arcendæ. Et hæc pro nunc.

Purgatio autem eradicativa ſub finem menſis Martii ineunda, tunc erit à nobis præſcribenda, ſi de ſtatu Illuſtriſſimi Viri tunc temporis certiores facti fuerimus: conſilium enim erit in arena capiendum, & ſupra propoſitis indicationibus pro viribus

etiſ

erit satisfaciendum, sanguinis missione, primarum viarum expiatione, humorum præparatione succis depur. cich. borag. betonicæ pluribus diebus assumendis; & non semel elective purgantibus Cacochymia erit tollenda. Caput pilulis capital. Paracelsi expurgandum. Lues Gallica Alexipharmacis extirpanda, nimirum Decocto sudorifico, medulla guajaci, salsa, visco quercino & santalis albis in aqua cich. & beton. parato, quo humida quoque capitis intemperies corrigetur. Quibus peractis, ad jecoris atque sanguinis caloris moderationem & totius corporis renutritionem, intrinsecus facilè convenire poterit lactis asin. usus, & extrinsecus balneum aquæ dulcis herbis refrigerantibus alteratæ, non omissis Coulervis capitalibus, & habita semper ulceris providentia, si opus fuerit. Quæ omnia Illustrissimo Viro à summo Deo salutaria precamur. *Raym. Joh. Fortis Consult. & Respons. Medicin. Cent. 1.*

Observationes.

De uvula relaxata curatione.

Nunc quomodo ego tarò maximas quidem & ingentes relaxatas columellas sanaverim, paucis addam. Relaxatur autem ut Hippocr. docet libr. 2. de morbis, quotiescunque pituita à capite ad fauces defluens, à columella excipitur. Id quod facilè fieri potest, cùm sit pars admodum rara, mollis & spongiosa. Estque affectus hic periculosus: Aliquando enim columella cum tonsillis adeo inflammatur, ut æger neque cibum, neque potum deglutire, imo vix spirare possit. Horum ego nonnullos vidi, ac etiam feliciter curavi. Transit & interdum in gangrænam, ut ex præallegato loco, Hippocratis elicere licet. Quod & Forestus lib. 15. Observat. 5. annotavit, mihi tamen videre nondum contigit. Potest & in anginam terminari, ut tu ipsemet mecum hìc in Dno. Joanne Metula, sene omnimodo reverendo vidisti, & procul dubio annotasti. Is enim cùm inflammatione columellæ laboraret, me absente, Empirico & homini plane ignaro se curandum commisit. Hic per dies aliquot pulverem calidissimum atque adurentem faucibus insufflavit, unde mox inflammatione & angina sequuta, de vita periclitabatur. Curationem non addo, cùm tu ipsemet interfueris. Itaque ut Chirurgus in hoc affectu caute & præmeditate procedat, est necesse. Inprimis autem explorandum, an affectus sanabilis sit, nec ne, ne ægro temere quicquam polliceatur. Deinde etiam, an sit cum, vel citra Inflammationem: si enim scirrhosa fuerit columella, & cancro proxima, quemadmodum illę quarum in præcedentibus observationibus meminimus, prudentis erit Chirurgi, manum non admovere, aut si ægri, amicorum aut adstantium precibus obtemperare cogatur, nihil quicquam tamen, nisi de eventu morbi prius facta prognosticatione tentet, ne nomen imperiti Chirurgi sibi acquirat, suadeo. Porro ex quacunque ortum duxerit causa, statim ab initio victus ratio tenuis instituenda est, corpus clysteribus, sæpiu sque iteratis, Aretæo præcipiente, evacuandum, & materia, quæ ad fauces defluit, deorsum trahenda, ligaturis item extremitatum, sectione venæ in brachio cucurbitulisque scapulis adhibitis. defluxus aliorsum revellendus est. Gargarisma ab initio sit repellens, quale hoc ego uti soleo.

℞. Folior. plantag. Mespilor. Caudæ equinæ. Rosar. rubr. an. m. folior. scabiosæ m. ſ. gallar. ℥. ß. Coquantur in aqua ad consumptionem tertiæ partis. In lib. ij. colatura dissolve mellis rosati, aut diamori ℥. ij. aceti rosac. parum. misce, & fiat gargarismus. Loco decocti possunt sumi aquæ distillatæ cum melle ros. & diamoran. Aliquando & solâ poscâ feliciter usus sum. Nonnulli statim ab initio pulvere piperis longi gulæ inflato, Uvulæ relaxatæ auxiliari conantur, quod quidem periculo non vacare, tu ipsemet in reverendo Dn. Metula observare potuisti. Collum quoque oleo rosac. inungere solitus sum. Et si affluxus vehemens, sequens applico cataplasma.

℞. Farinæ hordei. ℥ij. Pulv. rosar. Myrtillor. nucum cupress. an. ℨij. Coquantur poscâ, fiatq; cataplasma, addendo sub fine olei rosac. parum & vitellum cum albumine ovi.

Os singulis ferme momentis, superiori gargarismate abluendum. Si dolor ingens adsit, gargarismati addo parum seminis fænigræci, cydoniorum & florum chamomillæ. Nonnunquam quoque ut loco gargarismatis lac recens sumat æger, jubeo, videndum tamen, ut quum semel os lacte deinceps quinquies, aut sexies gargarismate abluat: lac enim magis lenit dolores, quam verè affluxum repellat, quod tamen in hoc affectu circa initia præcipuum. Cæterum quotiescunque æger aliquâ de causa per se fauces non satis rectè abluere & gargarizare potest, soleo gargarisma ut lac ægro, syphone clementer in gulam injicere. Corpus præterea à pravis humoribus expurgandum: Si bilis abundat, conveniunt electuarium diacatholic. de succo rosat. lenitivum, syrup. rosac. solut. compos. cum Rhabarbaro, Agarico, & senn. Diaphœnicum. Si verò pituita, Pilulæ cochiæ, aureæ, & de Hiera cum Agarico, ex usu esse possunt. Si æger pilulas deglutire non possit, potio ex electuario Indo maiori aut minori, vel ex diacarthamo cum decocto betonicæ, scabiosæ, semine anisi & fœniculi dissoluto, est; Phlebotomiam (si nihil adsit quod impediat) in brachio, tum revulsionis gratiâ, tum quod humores omnes simul evacuet, tam in defluxione frigida, (si vehemens & suffocationis periculum fuerit) quàm calida administrare soleo. Cucurbitulas item scapulis, & musculis bicipitibus, cum fructu applico, Hippocrat. lib. de affectionibus, vult ut capiti raso in postica parte applicentur; indeque plurimum detrahatur sanguinis.

Id tamen extra laconium, ut fiat, suadeo. Fabianus Scheurerus lib. de catarrhis, capite de catarrho oculorum, cucurbitulas in Podagricis improbat, ne materia ad spinam, indeque ad articulos trahatur, Rectè quidem, sed quia Podagrici sæpissime hoc affecto corripiantur, morbus tum fit gravissimus, suffocationis quin etiam periculum nonnunquam adsit, ad id quod magis urget, Chirurgo præcipue respiciendum est. Interim etsi aliquid ad articulos defluxerit, minùs tamen periculosum erit, quàm si ad gulam, & facilè postea corrigi poterit. Affluxus autem impetu sedato, ad ea quæ magis discutiunt, transeundum. Unde sequenti gargarismate magno cum successu utor.

℞. Folior. & flor. betonicæ, salviæ, scabiosæ an. m. ſ. Rosar. m. j. summitat. rosmarini & florum chamomel. an. p. i. Coquantur in ℔ iij. aquæ ad consumptionem tertiæ partis. Colaturæ adde mellis rosac. ℥ iij. etiam aluminis ℨ ij. misce fiat gargarisma nonnunquam etiam prædicta simplicia vino rubro in

in coque. Exterius collum oleo chamomillæ aut oleo ex floribus solani inungo, & lanam succidam applico.

Aliquando columella propter continuum affluxum materiæ, intumescit adeo, atque relaxatur, ut non minimum negotii, tam ægro quam Chirurgo, facessat, sicuti mihi, tum in multis aliis, tum præcipuè, in viro quodam honesto, ac cive Paterniacensi videre contigit.

Huic uvula ad magnitudinem ferè nucis juglandis excreverat. Quare imperii affluxus sedato, corporeque semel atque iterum purgato, applicatis item cucurbitulis, sequentem pulverem, bis aut ter in die inflavi.

℞. Pulv. rof. rubr. balaustior. cortic. granator.an. ʒ. ſ. ful. & flor. Scabiosæ & ligustri ana ʒii. aluminis usti ʒi. ſ. misc. & fiat pulvis. aut.

℞. Radicum bistortæ, Iridis florent. tormentillæ, gallar. immatur. an. ʒii. rof. rubr. & flor. scabiosæ an. ʒi. lapidis calam. præparati ʒi. ſ. aluminis usti ʒii. misce & fiat pulvis subtilissimus. Modus autem ejusmodi pulveres inflandi, talis est. Lingua speculo oris depressa, mox spatula aut cochleari parvo & ad id apto, pulvis uvulæ admoveatur. Ut autem pulvis undique uvulæ aspergi atque inflari possit, sequens excogitavi instrumentum, quo multoties usus sum.

Est autem cochleare ex capto cujus manubrium fistulosum, octo pollices longum, & inferiori cochlearis parti annexum, Ex altera parte folli culum (ex corio, eo modo, quo auceps fistulis suis ad fallendas coturnices, alligare soler, factum) annexum habet cochleari itaque impleto pulvere, uvulæque admoto follis corrugandus est, quo aër pulverem in altum pellat, sicque uvula ac palatum eo undique aspergantur. Sed quia necesse est, ut minister speculo linguam deprimat, interim dum Chirurgus hoc instrumento pulverem admovet, ac proinde sic unus alterum impedit, hanc ob causam, aliud instrumentum longè ad hanc rem commodius effinxi, quo Chirurgus interim dum sinistra speculo oris linguam deprimit, dextra pulverem admoveat.

Follis hic similiter alligatum habet cochleare cupreum cum sua fistula, longitudine pollices octo continens. Follis verò longitudo quinque, uti latitudo trium pollicum existit. Ut autem follis depressus per se in altum relevaretur, atque unicâ manu inflatio fieri posset, in interiore parte sua instrumentum veluti plectrum sive elevatorium ex chalybe fabricatum, continet, beneficio cujus, superior pars follis in altum relevatur. Nonnunquam adeo contumacem uvulæ inflammationem, aut relaxationem vidi, ut ultra mensem ejusmodi pulverem quotidie inflare, necessum fuerit. Hæc ideo moneo ut de salute ægri semper bene speres, etiamsi ab initio res per se difficilis appareat. Quod si levioribus hisce remediis morbus non cedit, ad fortiora progrediendum est. Nonnulli aquam fortem per se aut aquæ Plantaginis vel rosarum dilutam, aliaque medicamenta caustica admovent: prudenter tamen & cautè hac in re agendum est, ne malum ingravescat. Quotiescunque enim malignitas aliqua adest, facillimè malum ab ejusmodi medicamentis acrioribus irritatur: si quis tamen iis uti voluerit, ea quæ à Paulo Æginethâ lib. 6. cap. 31. hac de re traduntur, observet.

Sæpenumero quoque uvulam forficibus abscindere aut filo ligare, vel cauterio inurere coacti sumus. Videat tamen Chirurgus ante omnia, ne aliqua subsit malignitas, vel dispositio ad cancrum, quod facile cum ex duobus proxime præcedentibus observationibus; tum ex Paulo Æginethâ loco præallegato, elicere licet, ubi monet contractas, rotundas, sanguinolentas & subnigras, Chirurgiâ aggrediendas minimè esse. Quæ vero contrario modo se habent, nimirum quæ, ut idem Paulus docet, tenues sunt, oblongæ, & in supremâ parte imminutæ, neque nigræ aut sanguinolentæ, sed subalbicantes, Chirurgiam admittere. Tantum autem de uvulâ quantum naturalem excedit modum, auferendum convenit; est enim veluti plectrum vocis, qui ea carent, raro distinctè ac clarè vocem loquelamque proferre possunt, Raro inquam, quandoquidem mihi unum aut alterum videre contigit, quibus licet uvula erosa fuerit, adeo tamen distinctè & articulatè proferebant sermonem, ac si instrumenta omnia integra ac illæsa adfuissent. Alter eorum Ozenicus fuerat noster, cui per annum integrum ozænâ laboraret, uvula plane erosa conspiciebatur, ut suo loco dicemus: sed hæc rara sunt atque infrequentia.

Porro abscissio hoc modo perficitur. Cuspidem uvulæ rostro ciconiæ Chirurgus apprehendat, deinde quod superfluum, forficibus abscindat, parumque sanguinem effluere permittat. Si autem plus æquo effluxerit pulvis noster ad sanguinem sistendum cochleari parvo, applicandus est. Postea gargarismis ejusmodi, quales antea præscripsimus, utendum. Quod si æger incisionem abhorreat, aut sanguinis profluvium vereatur, tum sequenti instrumento, à nobis primo invento uvulam absque omni difficultate atque periculo ligare, & abscindere soleo.

Est autem stylus fistularis, longus pollices octo, mihi ex ære fabricatus, cui ex una parte annulus adaptatur, est. Is verò ex inferiore sui parte tantum excavatus, quantum ad recipiendum filum opus. Postea feminodus, faciendus.

Fili deinde una pars per foramen, quod in superiori parte annuli est, similiter traducenda. Tum deorsum angustissimum foramen quod in externa parte annuli existit traducto filo, parti inferiori alligare oportet. Si autem externa pars annuli, similiter non nihil excavatæ, quo filum, ne hinc inde vacillet, continere possit. Quo facto minister speculo oris linguam deprimat, Chirurgus vero partem uvulæ abscindendam, annulo apprehendat, dextraque filum, vehementer attrahat, ac uvulam stringat. Sic enim nodus efficietur. Facto nodo ad uvulam, filum, abscindatur: & extracto instrumento, ut extra dentes propendeat, relinquatur; si enim in ipsa constrictione uvulam non absciderit, eadem tamen, aut sequenti nocte, id præstabit.

Sin verò immodicus sanguinis fluxus supervenerit, cauterium actuale admovendum est, hunc in modum. Habeat Chirurgus duos ministros, quorum unus caput firmiter teneat, & ægroto oculos velet: alter linguam oris speculo deprimat.

Chirurgus vero fistulam æneam, octo pollices longam, linteoque madido, undique excepto foramine excipiat. Postea stylo ferreo ignito fistulæ intromisso, uvulam cauteriaet, vicinis tamen partibus illæsis. Tandem gargarismis idoneis, melleque rosaceo curatio absolvenda est.

Putrefactio aliqua si adfuerit, efficacissimum erit cauterium. Sed quia ægri vehementer ab eo abhorrent, & totam, si res ad votum non succedat, Chirurgo adscribunt, ideo prius medicamenta hæc, quæ sequuntur experiri soleo, quibus magno cum successu utor. Instituta igitur optimâ victus ratione, purgato corpore

corpore reliquisque adhibitis universalibus, ut antea monui, sequenti gargarismate os continuo abluere jubeo.

℞. Hordei integri m. i. Radicum plantag. ℥i. Folio. Scabiosæ, geranii, scordii an. m. ſ. Rosarum & foliot. plantag. an. m. i. Coquantur in ℔. iiii. aquæ ad hordei crepaturam, tum admisæ mellis rosacei, & diamori, an. ℥ij. misce, fiat gargarisma. Ter quoque aut quater in die unguento nostro Ægyptiaco, cujus descriptionem pete ex tractatu de gangrænâ, affectam partem penicillo inungo, idque eo usque continuo donec putredo, ac morbi sævia remiserit. tum ea quæ superius in relaxatione uvulæ tradidi adhibeo, iisque curationem absolvo. *Gulielmus Fabricius Hildanus observat. Chirurgic. Cent. iii.*

De ulceribus oris, ex lue venereâ contractis: Item de uvulæ relaxata periculosâ curatione.

Nobilis ac strenui viri, Dn. Joh. Held. inclytæ Reipublic. Freyburgensis Helvetiorum consulis prudentiss. uxor, cum quadam die sub ardentissimo sole equitasset, caputque plus, quam pro conservanda valetudine licebat, excalefactum fuisset, catharro ad uvulam & fauces corrupta fuit. Advocatus Barbitonsor, cum uvulam intumefactam esse deprehenderet, pulverem summe calidum & acrem quotidie ter quaterve inflavit. Hinc exorta inflammatione & abscessu periculosissimo, non tantum uvulæ, verùm etiam cartilagines narium erosæ fuerunt, ulceraque hinc inde in facie eruperunt. Tandem miseram calamitosamque hancce vitam, misera illa ægra (quæ nulla arte sanari potuit) misere, sed constanter & pie finivit, melioremque vitam sibi elegit. Hæc ex ore genere, & virtute nobilissimæ matronæ Dn. prænominatæ, ægræ filiæ, Anno 1561. 6. Martii præsente clarissimo V. Do. Sebastiano Mejero, Reip. Solodurensis, Do. medico ordinario excepi.

Anno 161 a. ex Belgio rediens, una cum viro clariss. atque doctiss. *Dn. Georgio Fabro*, Castri imperialis Fridbergensis doctore Medico ordinario atque celeberr. matronam piam & singulari virtute præditam, nec non Dn. Fabro sanguine junctam vidi: cui cum propter catharrum uvula relaxata inflammataque fuisset, & Barbitonsor aquam quam Regis vocant, nimis indiscrete applicuisset, talis sequuta est inflammatio, & humorum affluxus, ut per dies aliquot de vita periclitaretur ægra. Tandem, cum Dn. D. Faber (qui peregrè profectus fuerat) advenisset summa suâ & indefessa diligentia restituta quidem fuit: sed uvula & portio aliqua ossis palati & cartilaginum narium exciderunt, maximo cum ipsius incommodo & loquelæ depravatione.

Ex pulvere piperis longi & croci, gulæ faucibusque insperso atque insufflato anginam periculosissimam sequutam fuisse, in reverendo viro, Dn. *Iohanne Merula* p. m. Ecclesiæ Paterniacensis pastore fidelissimo, observavi anno 1607. uti in 3. centuria observationum mearum fusius videre poterit.

Quapropter curandum est, ne corpore existente impuro, aut inflammatione & affluxu humorum tentatâ parte affectâ hujusmodi. Medicamentis calidioribus & erodentibus facile utamur, uti etiamsi maligna aliqua qualitas, ex humore atrabiliario progenita, quæque cancrum sapit, adfuerit. Cancrosa enim ulcera à medicamentis erodentibus exasperantur irritanturque. In his potius medicamentum ex cineribus gammarorum & ranarum, cum rorum menstruo confectum applicarem. Id ut quanto cum successu in egregio isto sene *Dn. Claudio Montelleto* ante annum fecerim te non latet. *Idem Cent. vi.*

Pro Columellæ inflammatione.

Præmissis Clystere & venæ sectione, hoc gargarisma (cum essemus in principio, ad fluxionem reprimendam præscripsi.

℞. Aqua plantag. ℔ iß. aqua equiseti. ℔ß. fl. rosar. rubr. p. j. ß. ß. gallarum contritarum numero iij. ebulliant unica forti ebullitione colat. adde diamori ℥iij. Postea venas sub lingua secari, & uvulam etiamnum inflammatam, & propendentem pulvere aluminis usti & boli armeni simul mixtis sublevavi. Hoc deinde gargarismo utens convaluit.

℞. Plant. g. bellid. min. fl. rosar. rubr. an. an. p. j. balaust. ʒiij. coq. in aqua ad ℔. adde aqua plantag. ℔j. sem. Cydon. ʒj. sem. malv. ʒß. rursus bulliant, addendo diamori ℥ij. ß. Mell. rosat. colat. ℥ M pro gargarismo jubebam quoque ut ex dianuco lamberet, quo utebatur Galenus in Hortulano. Petrus Forrestus obs. s. lib. 15. de faucium, guttur. gulæ, & asperæ arteriæ affectibus.

Mulieri cuidam tonsillæ vehementer tumebant, columella inflammata & valde laxata erat, ut deglutire & respirare vix posset, illam curavi in hunc modum.

℞. Aqua font. ℥ij. olei vitrioli tot guttas quo acidam mulium reddant. In hac aqua intinctam pennam ad fauces tumentes immittebat aliquoties in horas singulas: cujus usu ore permulta phlegmata continuo emittebat & expuebat. Post aquæ immissionem ex præcepto meo Succinum album carbonibus imposuit, & per infundibulum ore fumum excepit, & sic cum multorum stupore intra dici spatium sanitatem obtinuit. Nam mox sine molestia deglutivit, facile respiravit, bene dormivit, tumor & inflammatio protinus sublata fuit. *Martinus Rulandus.* cent. 2. cur. 97.

Pro Uvulæ elongatione.

Fiat rasio capitis super commissura sagittali, & applicetur ibidem ventosa habens orificium satis amplum & oblongum, & teneatur saltem per unam horam, vel mediam, ter vel quater in die reiterando ipsam: violenter etiam sursum attrahantur capilli ejus ita ut cutis capitis exfolietur à cranio suo: per tale enim ingenium statim uvula mirabiliter sublevatur. Vidi ipsum fieri, & instanter profuit: sed non debet fieri nisi in casu arduo magnæ suffocationis. *Barthol. Montagnana cons.* 88.

℞. Gummi gott. gr. vi. tartar. vitriol. g. vi. ol succin. gr. iij. cum syr. rosl. solut. F pil. v. ante vesperam scarificatione cum cucurbitulis utebatur: & paulo post isto gargarismate usus est.

℞. Aqua verben. plantag. equiset. an. ℥iij fl rosar. rub. cortic. granat. an. p. j. sem. cydon. ʒiß. ebulliant omnia simul. in colat. dissolv. diamor. dianuc. an. ʒvi. syr. papav. mell. ros. colat. an. ℥ß. vini granat ℥j. syr. de granat. acid. ℥ß. sal. prunell. ʒj. spirit vitriol. q. s. ad grat. acciditatem coletur denuo ut F. gargarismus pellucidus.

Tale circa collum inducatur cataplasma.

℞. Rad. alth. ℥j. fl scabios. sambuc. ros. rub. melil. chamæm. an. M. j. sem. alth ʒiß. coq. in vini albi q. s. ad mollitudinem & pistentur: adde farin. sem. lini & fœnugræc. an. ℥ß. Pulv. nidi hirundin. ℥j. mell. ros. ℥ß. theriac. el. ʒi. ol. salv. ℈ß. ol. chamæm. amygd.

amygd. o. rec. an. q. s. M. pro cataplasmate.

Contra Uvulæ elongationem hoc etiam propoini,

℞. Rad. bistort. irid. tormentillar. immaturar. an. ʒij. fl. rof. rub. scabios. an. ʒj lap. calamin. præp. ʒiß: alumin. usti ʒij. M. F. pulvis subtiliss. lingua speculo oris depressa, cochleari parvulo ad id facto, pulvis uvulæ admoveatur, imo si fieri potest undique insuffletur, Petrus Lotichius obs. 1. & 2. cap. 3. lib. 2.

Ad faocium glandulas tumentes. *Io. Heurnius* hoc in secretis habuit.

℞. Argentinam coq. ex cerevisia, & fiat gargarisma, notis ad cap. 9. lib. 5. *patholog. I. Fernelii.*

Columella duplex, vel divisa.

Columellam duplicem, imo potius divisam, vidi in puello, qui Labio Leporino ita deformatus erat ut simul palatum ad imas usque fauces fissum conspiceretur. *Henr. Vollgnadit.*

De Uvula Gemina.

Uvulam ad bene loquendum esse necessariam, ideoque non adeo inepte vocis plectrum audire, à plurimis Anatomicorum creditur; id quod absentia etiam ejusdem, & prava, eaque vel connata, vel à morbo inducta, constitutio evincit; cen inprimis ab Excell. D. Carolo Raygero in discursu, aglossostomographiæ, Jacobi Rolandi, Anno tertio Ephemeridum curiosatum German. adjuncto, præclarè illud ostenditur, ubi adpositum exemplum gargareonis duplicis, in memoriam tevocat, quæ simili in materia observare mihi b's licuit.

Prima vice, dum annis duobus abhinc juvenis 24. annorum, cura meæ subjectus, singularem in Columella naturæ lusum exhibendo, duplicem eam concessisse ostenderet; non quidem immediate palato juncta, tanquam è basi quadam propendentem, cæterum naturali planè situ locatam, ac figura & magnitudine justa præditam.

Alterum exemplum hoc demum anno ancilla annorum 22. præbuit, cujus palatum duæ pariter uvulæ unicæ occupant, quoad figuram insoliti ostendentes magnitudine saltem naturalem illam haud æquantes, ita ut ambarum quantitas juncta, si cum hac conferatur, nonnisi parum eam sit superatura.

Revera autem binas in utroque subjecto uvulas adesse, non saltem divisas, quales tum præfatus D. Raygerus l. c. pag. 568. tum D. Henric. Vollgnad. in Schol. ad obs. 239. Anni II. Ephem. laudatarum sibi occurrisse, testantur, ipsa earum conformatio docet, cum ex latiori basi in obtuse acutum mucronem singulæ terminentur. Cæterum rara hæc aberratio in istis personis nullum aliud incommodum afferr, quam quod vocem non ea gratia, qua fieri alias solet, edere possint, sed raucam nonnihil, & obscuram, è naribus quasi descendentem, eandem emittant.

Similem planè affectum in pluribus utriusque sexus hominibus, quas lues venerea particula hac mulctavit, vel saltem ex parte mutilavit, in nostro nosocomio Gallico, cujus curam jam per unde viginti annos ago medicam, observavi, ita ut omnes rauca quadantenus voce deturpati fuerint; hinc me illorum in partes abire permoverunt, qui experientis edocti, Gabr. Fallopio, nullum vocis detrimentum excisæ uvulæ supervenire, in Observ. Anatom. affirmanti, contradicunt, sicque ampla Riolano fides sit habenda, dum lib. 4. Enchirid. Anat. cap. 11. de gargareone agens, quibus dersit, inquit, vox rauca evadit. Cujus veritatem etiam nuper à Nobil. D. Nicol. Guil. Beckers; observatione Anno 4. Ephem. Germ. Observ. 66. infecta fuisse confirmatam vide. Lucæ Schrœckii.

Columella absens à nativitate sine noxa.

Beatiss. Dn. D. Johan. Hagendorn patruelis meus, in praxi amplissima observavit absentiam Columellæ in puella quadam à nativitate, quæ nihil inde incommodi passa est, cæterum sana, Ehrenfirid Hagendorn.

De Uvulæ Ablatione.

Perillustris eques Romanus, temperamenti sanguineo melancholici, pluribus annis defluxionibus statis temporibus super fauces ruentibus in Italia laborare solitus, Principum dum negotia Cæsarea in Aula pertractaturus, Viennæ moraretur, acri ac ferina circa solstitium hyemale anno præterito super fauces & circumsitas partes distillatione corripitur, quæ tantæ erat acrimoniæ, ut quanquam medicamentis tam totum, quam partes affectas respicientibus, ex Pharmacia & Chirurgia desumptis abunde ægro prospectum fuerit) Uvulam cum Tonsilla dextra corroserit, ac ex integro sustulerit. Quo facto Perillustris eques, non loquelæ, neque respirationis difficultatem, ut varii opinabantur; Verum cum uvula sit asperatum ac levium arteriarum tanquam operculum, aliam, præter levem vocis raucedinem, nullam sensit molestiam.

(Simillimum exemplum apud nos. h. l. videre est in fœmina primaria, quæ ob defluxiones salinas corrosivas ante aliquot annos plectro hoc vocis orbata effari quidem omnes literas; & loqui, sed tantum rauca & submissa voce non clara potest. *G. W. Wedelii.*

De hiatu Palati & Uvula.

Anno 1674. die 4. Aprilis evocatus sum rus ad quendam Nobilem, cujus Generosa uxor rum ante 21. septimanas fœtum masculum pulchre formatum peperit, qui in oris palato quædam insolita ostendit, (1.) magnum hiatum ab anteriori oris parte ad locum uvulæ vergentem, ibi qua (2.) Uvula duplex & in medio divisa videbatur, ita ut quis uvulam geminam diceret. (3.) Labia hujus hiatus in palato ab invicem digitum lata distant, ib'que (4) palatum spurium maxime rubescere hi locum naturalis productum cernitur. (5.) liquida bene deglutit, nisi quando importune ingerantur, tum per nares effluunt, si autem placide comedat minime, quomodo autem solidiora degluriet, tempus docebit: (6.) in ploratu per nares nihil revolvitur, & si quis juxta ploratum judicaret, nihil vitii ori inesse diceret.

Causam hujus affectus Ipsa Generosa Matrona rejicit in hunc casum: contigit aliquando ut quidam Nobilis ephebus cum ancillis nugaretur, strophiolumque ad eas mitteret, quo cum forte adveniret generosa Matrona, in ejus os invasit; hæc Idcircò terrore affecta, linguam in ore retrahens, hine missilli strophiolo hæc infollita accepta refert. Au ergo imaginatio hic locum habeat, dicant Naturæ Amasii. Paulus Zacchias hanc vim adimit Imaginationi, & cum eo alii. Verum meo judicio difficile & arduum erit contra tam receptam, totque seculis assertam, tamque

ramque innumerabilibus observationibus coofirmatam sententiam, &c. *Joh. Ludov. Hannemanni.*

Exsecta prope uvulam carnea excrescentia.

Præsens eacrescεotia carnea nuper ex collo Conjugis civis nostri Argentinensis prope uvulam antrorsum à Chirurgo fuit eacisa, & feliciter, Deo nobis favente, peracta ita operatio, ut nunc fœmina ista oil detrimenti exiode sentiat. *Feb. Schefferi.*

De ablatione Uvulæ forfice peractâ.

Uvulæ laxitatem ea decubitu mocosi homoris à capite oriti Hippocrates docet l. 2. de morbis.

Affectus hic, per se satis gravis, deterioris sæpius notæ efficitur ab iis, quibus vel morbi, causæque ejus conditio ignota est, vel adhibitorum medicamentorum virtos, qua de materiâ legi possunt quæ Fabritius Hildanus de Anginâ cap. 5. parte 6. obs. 15. parte 2. obs. 21. propooit. Hoc faciunt illi qui in uvulæ laxitate & elongatione, accedente illius cum partibus vicinis, amygdalis, palato, aliisque, inflammatione ex sanguinis affluau, medicamentis utuntur summè calidis, qualia solent esse, eo in casu usualia, piper, zinsiber, sal ustum similiaque. Quæ improbat magnus Galenus 6. de sanit. tueoda & 6. de comp. med.

Placet variis in uvulæ prolongatione pilos quosdam verticis sursum attrahere, adeo ut sonitum quendam (quem se audire referunt) edant, sic enim eorum opera elevati censent pericranium, cujus ea elevatione locom concedi uvulæ sibi persuadent.

Uvula hæc noo raro ex sanguine & pituita eam ad magnitodinem increscit, imprimis ubi pituita malum producit, ot Nuci juglandi æquiparari queat. Hac de re videri possunt quæ adserunt Hipp. lib. de affect. Aetius serm. 8. cap. 41 Hildaous part. 2. obs. 21. Quod si longè majorem corpulentiam ipsam quandoque assumpsisse dicamus, vera nos proferre scias.

Paulus ab Uchelen, Mercator celebris, vir temperamenti pituitosi, cui tamen cacochymia biliosa aliquomodo accedebat, Uvulæ tumore ex affluxu humorum copiosiore sæpius afficiebatur. Accidit ut ejus magnitudinis evaderet, ut coactus fuerit medicum domesticum, nobiscum, advocare. Primo omnium ad evacuationem humorum biliosorum, pituitosorumque eahibuimus. Purgans conveniens, imo etiam ad sublatiooem materiæ p. o. in uvula collectæ gargarismum hunc.

℞. Fol. Rosar. rubr. Plantag. caudæ equin. an. Mj. agrimon. vincæ Pervincæ an. P. ij. Cortic. Granator. ℥j. ß. nuc. gallar. ℥j. flor. balaust. ʒß. coquantur in aq. puræ & chalyb. an. part. æqual. ad consumptionem tertiæ partis. colaturæ ℔ij. adde syrup Diamoroo. granator. an. ℥ij. ol. Vitrioli gutt. v. M. F. gargarismus.

Collo applicabatur linom præparatum [vlas] quod ex thure accenso fumum exceperat; Cervici imponebantur cucurbitulæ præmissa scarificatione debita.

Uvulæ admovebatur pulvis sequens cochlearis commodi ope.

℞. Gallar. immat. ℥j. ß. cort. granator. ℥j. flor. Rosar. rubr. Fol. caudæ equin. an. ʒj. alum. usti ʒß. Terræ Lemniæ ℈j. M. C. pulvis subtilissimus.

Instrumenta alia quorum opera pulvis hic aut similis uvulæ applicari queat, qui desiderat, incipiat quæ delioeati curarunt Fabr. Hildanus, & Joannes Scholterus part. 2. cap. 21. Tab. 9. fig. 8. commodius licet nobis nullum occurrat cochleari nobis usuali. Medicamentorum dictorum usu, & affectus ipse & tristitia ægrotantis plurimum remiserunt.

Tempore aliquo elapso, convivio cuidam quod adfuisset æger, ea immoderato vioo rhenani generogoris usu, subito uvulæ in tumescεntia ipsum de novo invasit, pituita plus justo aucta, humiditatibusque superfluis denegato loco satis capaci, consternatos hæc fecit consanguineos, maaime ubi sioe ullo levamine incrementum sumebat enorme, adeo ut gangrænam mioari videretur, colorem sub nigricaotem assumens, qualem uvulam describit Forestus lib. 15. observ. 5.

At usu deatro medicamentorum, prægressis magis calidorum, id effecimus, ut, colore purporeo remittente, flavus inductus fuerit, at ex affluxu flavescentis hujus humoris in eam longitudinem increvit uvula, ut supra linguam ad labia ipsa se extenderit, unde & linguæ motus, ipsaque adeo loquela, deglutitio etiam, & respiratio ipsa, ferè fuerint abolitæ.

Symptomata hæc tollere (nostro judicio) impossibile, nisi per eatirpationem; hanc quo convenienter institueremus, luci appositi ægrotantis linguam sinistra maou ope glossocatochi depressimus, dextra forficem admovimus acutissimom manubrio longiore præditum; videri possunt quæ hac de operatione habet Ægineta lib. 6. cap. 31.

Thomas Bartholinus cent. 2. hist. 88. delineationem exhibet instrumenti alicujus pro uvula abscindenda à rustico quodam Norvvego Canuto Thorberno, ingenio minimè plebeo eacogitati; ut omnibus aliis etiam acutissimis, merito forficem præfero, secutus hac in re magnum Hier. Fabr. ab Aquapeodente, qui part. 1. operat. chirurg. cap. 37. volsellam Celsi rejicit, & forfice uvulam male constitutam corruptamve aufert.

Ut redeamus ad ægrotantem nostrum, ovula abscissa exspuebatur, quo facto cochlearis ope applicabatur cataplasma ex linteo tosto (Tondel) farina volatili, & Spir. Vitrioli tantillo, utile ad id ut sanguinis fluaus, qui tameo parcus admodum, inhiberentur. Hinc melle Rosaceo absolvebatur curatio.

Modum hunc uvulam auferendi nil periculi habere certum est, nec est quod cum Chirurgis rerum Chirurgicarum minus peritis sanguinis fluxum metuamus; facillimum enim, cochlearis dicti ope, rei oecessitate id exigente, ubi calefactum, minime ignitum, parti affectæ applicatur, eum sistere, quale quid fieri posse Hildanus loco citato docet.

Materiæ huic antequam finem imponamus, in gratiam Chirurgicæ artis cultorum, quibus haud grave fuit observationem hanc perlegere, redhostimenti loco medicamentum aliquod communicare placet, cujus vires insignes experti sumus in non uno, quoties eaulceratio adfuit uvulæ, imo ubi exulcerationi conjuocta ulceratio Amygdalarum, pharangisque siquidem penicelli ope parti affectæ applicetur, præmisso usu gargarismatis ea Decocto Ligni guajacini. Rad. salsaparill. similibusque parati.

℞. Mell. Rosar. ℥ij. chelidon. ℥ß. aqua Mercuriall. ℥ß. mercur. præcipit. ℈j. s. iquor. Ægypt. ℥ij. M. F. litus.

Aqua Mercurialis cujus hic dator mentio, descripta est à Carolo Batto Tract. 2. cap. 13. estque Aqua Fallopii. *Joh. à Meckren. in observat. Medico-Chirurgic.*

GUTTA

GUTTA SERENA.

De ea vid. Bibliothecam nostram Medicam. Item sub titulô *Oculorum Morbi.*

GUTTA ROSACEA.

DE ea fusè admodùm scripsit nunquam satis laudandus, accuratissimus Marcus Aurelius Severinus, suô de reconditâ Abscessuum naturâ verè aureô tractatû. Nos hic nihil ipsô iis addimus quæ jam supra ex eô sub titulô *Epinyctis*, ut & etiam aliis quæ in cutis affectibus attulimus; sed tantum observationem unam atque alteram; dabimus quas collegit *Clariss. Burnetus in suô Medicinæ Practicæ Thesaurô.*

Gutta Rosacea, rubedo est Faciei maculosa, seu potius rubor cum tuberculis, quibus tota Facies defœdatur, ac si guttis rosis conspersa esset, cognoscitur visu. Ortum dat sanguis crassus & fervidus, ad faciem delatus. Hoc malum sæpe contrahunt, qui poculis & ebrietati nimium dediti sunt: quibusdam vitio naturæ obtingit.

Pro Gutta Rosacea.

℞. Lithargyr. auri ℥j. cerusſ. ℥ij. axung. anser. & gall.n. an. ℥ß. argenti vivi cum saliva extincti ℨij. F. unguentum, cum quo sero inungatur facies, & mane lavetur cum aq. furfuris. Item pineæ nuces recentes pistæ cum crema lactis in modum unguenti coeant, quo inungatur Gutta rosacea. Mirabile habetur.

Vel. ℞. Lithargyr. bene trit. & pulverif. ℔j. aceti fortis ℔iiij. M. Stent. per duos dies. Postea coq. ad consumptionem tertiæ partis: deinde adde aq. fl. fabarum ℔ij. & simul ponantur in alembico & destillentur. Postea isti aq. destillatæ adde gummi tragacanth. & arabic. q. f. ut F. unguentum quo facies ungatur. *Petrus Forestus: schol. observ. 9. lib. 2. obs. Chirurg.*

Pro Gutta Rosacea.

Puellæ nobili facies admodum defœdata erat jam multos annos pustulis siccis flavescentibus serpentibus, accedente rubore, ita ut de lepra suspecta esset. Vocatus ego veris tempore primo venam aperui brachii. Scarificationes postea adhibitis cucurbitulis in scapulis, jussi uti singulis mensibus. Vesicatorium quoque nuchæ applicui, quod magnam illic vesicam excitavit, & quod admirandum, et aliquandiu sanguinem mixerit, fecit: Bibit aliquoties hoc decoctum.

℞. Summitat. lupul. tec. fumar. tec. an. Mj. fol. sen. ℥iij. coque in sero caprino, colaturam bibat uno haustu, & aliquoties repetat.

Unguentum pro facie sequens præscripsi.

℞. Lithargyr. auri, cerusſ. an. ℨij. unguenti citrini ℥iß. thuris alb. mastich. an. ℨiß. rad. serpentar. ossis sepiæ, an. ℨj. ol. tartar. ℥ß. succi limonum ℥j. M. Inungat faciem. Mane abluat aqua flor. fabarum: recesserunt hac ratione pustulæ, sed iterum de novo oborea: sunt. Denuo itaque cum phlebotomia uti jussi, alteroque mox die scarificationibus. Purgavique de novo sic.

℞. Fol. lupul. fumar. an. Mj. fl. cordial. p. j. sem. anis. ℨij. fol. sen. anis. ℨij. fol. sen. ℥j. epithymi ℥ß. decoq. in sero lactis. bibat duabus vicibus: sed in posteriore dissolvat conf. Hamec. ℨij.

Electuario deinde hoc utatur.

℞. Conserv. fl. cichor. viol. an. ℥j. conserv fl bugl. nymphææ, an. ℥ß. pulv triosantal. diplicaro rheo ℨij. diarrhod. abbat. diamarg. frigid. an. ℨß. medull. sem. melon. ℨij. Syr. conserv. cortic. citri q. s. F. Electuar. capiat alternis diebus bolum.

Postea illinat faciem singulis noctibus hoc unguento.

℞. Spec. unguenti citrin. ℥ß. camphor. ℨß. boracis usti ℨj. ossis sepiæ ℨß. rad. serpentar. ℨj. lactis virginal. parati ex lithargyr. cum aceto & aq. fabarum ℥iij. succi limon. vel arantior. ol. de tartaro, de frumento an. ℥ß. fugitivi ℨi. (plus addidissem, sed valde denigrabat) misceantur bene, siccabatur sæpe, sed rursum succis molle reddebatur: mane abluat hac aq.

℞. Cuspid. rosar. p. j. fl. viol. Mj. furfur. ℥ij. cicer. rub. conquass. p. ß. rad. ireos, ℥i. rad. liliot ℥ij. rad. serpentar. cyclamin. an. ℥ß. add. aquæ mensur. ß. eliciatur aqua, quam cum faciem ea lavat, aqua fabarum diluat: absumpto semel unguento & denuo parando addidi lithargyri & borac. an. ℨi. & hac ratione curata fuit. *Felix Platerus obs. lib 3 pag. 619.*

In gutta rosacea faciei sananda cuidam Doctissimo viro, qui jam fuerat purgatus & sanguinem detraxerat, Sequentia jam usurpanda, & autumni tempore repetenda præscripsi.

Hoc mense Maio frequenter lac caprinum mane bibat, in quo decoq. rad. lapath. fol. Mercurial. fumar. teneritates sambuci & Lupulorum. Ungat faciem unguento sequenti.

℞. Lithargyr. quart. l. infund. io aceto fortiss. sæpe moveatur, & acetum effundatur: residentia sumatur, cui adde camphor. dissolut. in aceto ℨß. pomatæ q. s. F. linimentum. Mane hoc decocto abluat.

℞. Fabar. conquassat. parum, & orizæ an. p. 1. decoct. in sero lactis, & eo abluat faciem: quod si non sit satis efficax unguentum: succum granatorum illi permisceat. Reversus ex Italia, cum inspicerem, vix amplius apparebat rubedo, dicebatque imprimis profuisse unguentum ex Lithargyro. Felix Platerus observ lib. 3 pag 617.

Observationibus ex Burnetô jam allatis, aliam rursus adjicimus.

Gutta Rosacea Errhini usû curata.

Clariss. Codofredi Davidis Mayeri, Ephemerid. Natur. Curios. Centur. 1. & II.

Vir Pellio J. H. victû crudiori, imprimis esû brassicæ muriaticæ & lardi addictus, rubore primò circa nasi radicem, pustulisque passim per faciem conspicuis divexabatur. Cùm exantematum horum multitudinem reiteratâ scarificatione tollere laboraret, malum in brachia, dorsum & pectus deducebat, unde Orthopnæâ se interiturum credidit. Tandem cum frequentiorem cucurbitularum applicationem intermisisset, coacervatis in facie varis, nanciscebatur Guttam Rosaceam, quam abusû salitorum & acidorum, quorum cruditas ex stomachô ad massam sanguineam deferebantur, in dies adaugebat. Diætæ convenientioris commonefactus; abstinerat à salitis, pinguibus, acribus, & quotidianâ spiritûs vini ingurgitatione; victû potiùs tenui & refrigerante unà cum remediis convenientibus utatur: Cujusdam tamen suasû herbam Nicotianam Hanoviensem, communem, siccatam, & in pulverem redactam, naribusque sæpiùs attractam, instar errhini adhibebat; ex cujus assiduô per dimidium annum usû, diætæ legibus non adeò accuratè observatis, cùm ob alias rationes me postmodùm consuleret, omnibus aliis remediis

remediis susque deque habitis ; se ab hôc malô feliciter restitutum fuisse Pellio gloriabatur.

Haoc medendi methodum citra rationes non esse susceptam ex Errhinorum agendi modû colligendum. Etenim eorundem energiæ ratio in sollicitatione, irritatione, ac vellicatione membranæ narium sensili, quis est qui neget? Hanc autem tunicam numerosissimis vasis sanguiferis, intertextam testatur celeberrimus Anatomicus Vieussens, Neurographiæ c. 1. p. 188. Unde occasione errhinorum, vasa hæc cum tunicâ pituitariâ, utpote fungosâ, spongiosâ & glandulosâ parte, ejusque productiones vellicantur, solidumque & fluidum in motum rursùs concitatur, sicque massa sanguinea ingenti viscidorum humorum copiâ liberatur, & nova serositatis materia hâc ratione cerebro utilissimè subtrahitur: Quicquid in contrarium de usû hujus excerniculi publicè speculatus fuerit Conrad. Vict. Schnerderus, in diffusæ Eruditionis Scriptô de Catarrhis, aliique &c. Propterea non inconvenienter Clariss. D. Joh. Chr. Wolfium, in Scholiis ad Observat. Chirurgico-Medicas, Observ. 13. statuisse judico, cùm partes quasdam errhinorum arteriarum tunicas penetrare, & sanguini commixtas ad cerebrum devehi ibidem edocuit: Siquidem vi activitatis, humores circa cerebri promontoria collectos, & simul quicquid ibi hæret, attenuare, serumque restitans ad fortiorem motum incitare quàm optimè possunt. Discussio enim stagnantium humorum, inque ordinarium circolum actio, ut in allegatô casû, ita non minùs in aliis similibus, primarius existit Medicamentorum finis.

GUTTURIS AFFECTUS.

Gutturis affectus varii sunt; verum de illis jam abunde diximus; capitibus de Angina, de Deglutitionis vitiis, de gurgulionis morbis, ac in sequentibus ubi de Tonsillarum affectibus. Hic unicum nobis incumbit explicandum, scilic. quomodo variæ res extraneæ gutturi infixæ, commode extrahi queant; quod per observationes aliquot jam perficiemus.

Pro gulæ dolore ab ossiculo illic hærente.

Scriba quidam, cum in artocreate pullos columbinos, confractis ut solent prius ossiculis, coctos comedens, ossiculum simul ex parte deglutivisset, illic ubi abruptum fuit, acutum, œsophago infixum hæsit; unde tantus dolor subortus, ut miseré excruciaretur, mox sequuta inflammatione & tumore qui etiam foris in collo apparebat. Cum variis instrumentis illud eximere Chirurgus studeret, apprehendere tamen cum non esset conspicuum, minimè potuit, deorsum propellere longè minus, cum tunc dolor admodum exacerbaretur. Vocatus, jussi eum juscolis & lacte nutrire, crassiora enim deglutire minimè poterat, tumori extrinsecus, cum mollis esset, cataplasma maturans apposui, quo, exactis diebus aliquot, maturari, & in abscessum converti cœpit, quo aperto, una cum pure ossiculum quoque prodiit & exemptum est. Postea sanato ulcere, nihil mali amplius passus est. *Fœlix Platerus observation. lib. 2. pag. 413.*

Quidam per imprudentiam devorans frustum corii, propemodum suffocatus, tandem convaluit.

Anno 1594. Mense Maio, civis & sutor quidam Coloniensis è regione divi Laurentii, inter confabulandum ore continebat corii frustum, quod illo præ risu hianti gutturi se insinuavit & infixit. Provocavit statim vomitum sed neque regerere, neque deglutire potuit: quapropter homo ille propemodum suffocatus est. Vocatus unà cum clariss. Viro Domino Johanne Kuenio Bridembachio Med. D. protinus injeci gutturi decoctum emolliens ex radicibus Altheæ, seminis lini, fœnigræci, cum oleo amygdalarum dulcium: deinde stylo argenteo incurvo corium ad capacitatem stomachi depuli: quod post semestre spatium per alvum egessit. Operationi præter alios quamplurimos interfuit Rev. D. Dn. Sebastianus, Seydelvis, verbi Dei minister fidelissimus, qui & sanationis testis est. *Guilielmus Fabricius Hildanus observ. Chirurg. cent. 1.*

Mulier ossiculum devoratum, quo pene suffocabatur, septimo tandem die egessit.

An. 1592. *Metzgen auff den Walber* Hildenæ ossiculum undique peracutum deglutivit. Primo, secundo & tertio diebus provocato vomitu, neque egerere, neque transglutire potuit. Vocatus tandem quarto die, inveni collum intus & extra inflammatum, ita ut vix inspirare aut expirare, vel etiam juscula sorbere posset. Urgebant dolor vehemens, febris, delirium & convulsiones. Quum ossiculum neque vomitu, neque instrumentis ullis depelli, nedum extrahi posset, sed jam in ipso gutture abscessum procreasset, anodynis quantum potui dolores sedavi: & suppurationem procreavi. Intus decoctum ex radicibus Altheæ, semine lini, fœnigræci, & cydoniorum, cum oleo amygdalarum dulcium per syphonem injeci. Exterius autem collum inunxi oleo anethino, liliorum alborum, & amygdalarum dulcium: & cataplasmata ex farina fabarum, floribus Camomeli, meliloti, semine lini, fœnigræci, coctum in hydræleo adhibui. Interim etiam aliquoties enemata injeci, & vires jusculis conservavi usque ad diem septimum. Tum per os rejecit plurimum puris, simulque ossiculum sicque liberata, & brevi curata fuit, & per multos annos à curatione feliciter vivit. *Idem ibid.*

Modus eximendi ossicula, & alias res gutturi infixas.

Nihil præstantius, aut aptius ad eximenda ossicula, & spinas piscium è gutture, quam instrumentum, quo ego feliciter usus sum, tum aliàs, tum præcipuè anno 1603. 16. Aug. in Ludovicô Tissor Lustriacensi, qui inter cænandum ossiculum crassum deglutivit. (*Vid. hoc instrumentum in Tab. nostrâ 8*) Oleum amygdalarum copiosè infudi posteaque instrumentum intromisi usque ad ossiculum, eôque modestè circumductô ac retractô, ossiculum simul extraxi, atque brevi convaluit noster suffocatus. Post extractionem ossis, guttur sæpe abluendum decoctô hordeaceô, aut aquâ plantaginis cum melle rosaceô & diamorone, oleumque amygdalarum ter aut quater de die ad cochleare sumendum &c.

Viro clarissimo ac Doctiss. Dn. D. Petro Offenbachio, Illustrissimi Landgraffii Hassiæ &c. necnon Inclytæ Reip. Francofurtensis medico ordinario ac celeberr. Amico meo singulari studio observando.

Fabricando nos fabros fieri, vir clarissime, juxta ac Doctiss. ante menses aliquot, in juvene isto viro cujus mentionem feci circa finem observationis 36. cent. 1. reipsa expertus sum. Tam vehementes etenim in ipso

erant

erant convulſiones, & corporis concuſſiones jam antrorſum jam retrorſum ac ſiniſtrorſum, ut tres viri, quantumvis robuſti, ipſum, ne membra diſrumperet vix continere poſſent, donec tandem oſſiculum, Oeſophago infixum ad ventriculum detruderem, per os enim educi non potuit. Quid fit? In maximis iſtis convulſionibus, & dentium conſtrictionibus, inſtrumentum meum ſat forte,& ex aurichalco fabricatum, ſub dentibus adeo confregit ut plane inutile factum ſit. Sed in quem finem, inquies, proverbium? Dicam ſincere in hac operatione me edoctum eſſe,inſtrumentum ut à Domino Ryffio inventum, & mihi aliquoties uſui fuit, non ſemper tutum eſſe. Si enim in ipſa operatione inter dentes ægri frangeretur, & fragmentum ad ventriculum deſcenderet, quotnam, bone Deus mala? Quotnam ſymptomata periculoſa atque mortalia ſequerentur? In prædicta itaque operatione edoctus ſui, prædictum inſtrumentum (quod omnium quæcumque in hoc affectu excogitari potetunt, aptiſſimum eſt) quia propter multitudinem foraminum per ſe nimis imbecille eſt, corroborativo aliquo indigere. Idque facilè fieri poteſt ſi ſtylus ex cupro vel aurichalco, prædicto inſtrumento ab artifice infixus & ex utraque parte, videlicet manubrium & ſpongiam verſus firmiter annexus plumbaturaque fuerit: Craſſus ut ſit ſtylus ille, neceſſe quidem eſt, ita tamen adaptari debet, ut in medio fiſtulæ collocatus foramina ne obturentur, & uſus inſtrumenti imminuatur, non attingat.

Porrò quia graviſſimus & periculoſus, imò mortalis eſt affectus, uti ex obſervatione 35. cent. 1. apparet, ſuadeo; ut fidelis ac diligens Chirurgus, prædicto inſtrumento ſemper inſtructus ſit, moram enim nequaquam admittit affectus iſte, ut in prædicto juvene & aliis obſervavi. Niſi enim ego inſtrumentum, quod nullibi in hac urbe, niſi apud me reperitur, in promptu habuiſſem, de ipſo actum fuiſſet, propter doloris enim vehementiam, ſtatim affluunt humores, intumeſcit collum, ſequiturque ſuffocatio: plerumque etiam inflammatio & gangræna, uti ex obſervatione 35. cent. 5. videre poteris. De his, clariſſime mi Dn. Doctor, quia lectorem admonitum eſſe cupio, tuam excellentiam etiam atque etiam rogo, ut epiſtolium hocce obſervat. 36. cent. 1. antequam apud vos excudatur, ad calcem annectere velit. *Gulielm. Fabric. Hildan, Obſerv. Centur. 1.*

De modo fruſta carnis, caſei, panis, aliaque corpora faucibus inhærentia auferendi.

Quam difficilis eorum ſit reſpiratio, quibus ex Catharrho œſophagus anguſtatus, experientia quotidiana abunde docet. At difficilior longè iis obvenit, qui ex corpore aliquo duriore, pane, carne ſimilibuſque anguſtiam ejus incurrunt. Quandoquidem enim œſophagus aſperæ arteriæ firmiter cohæreat, incumbatque, impoſſibile eſt, quoties fruſtum aliquod ei inhæret, aërem pulmones reſpirationi dicatos accedere poſſe, aut contra pulmonibus coorenta exire.

Quæ de nummis, aciculis, ſimilibuſque authores, referunt, non eſt quod à propoſito nos divertant, fruſta carnis, caſei, panis, aliaque his ſimilia, ex gula auferendi hic eſt modus.

Ad manus Chirurgo ſit ſtylus ferreus flexilis, cujus extremitas una manubrio gaudeat debito, altera inſtructa ſit ſpongiæ particula, ſtrictiſſime alligata, (ſpongiam hanc oleo olivarum madidam, ad faucium poſteriora atque inferiora, ubi œſophagi ingreſſus, dimittat, hinc ſenſim, ne reſpiratio magis lædatur, in œſophagum ipſum, in hoc ubi ad fruſtum aut corpus. aliud ei inhærens inſtrumento dicto devenit, ſpongiam ad poſtica premendo, ſtudeat ſupponere corpori contento, quo ſimul cum ea fruſtum retracta id extrahere liceat. Sæpius hæc operatio non raro iterari debet. Quod ſi corpus gulæ inhærens hac arte extrahi nequeat, & quidem magis ſi à ventriculo digeri queat, detruſione blanda ei offeratur.

Ne hic errorem committat Chirurgus, ſtylum ſuum in aſperam arteriam, non vero gulam dimittendo, quod Chirurgo cuidam contigiſſe novi, ſciat lector gulam à parte poſtica vertebris dorſi atque cervicis incumbere, aſperam vero arteriam ab antica incumbere gulæ.

Hildanus obſ. 36. part. 1. inſtrumentum delineat circa extremitatem foraminibus plurimis præditum, cujus ope ſpinas, officula, ejuſque generis alia gulæ inhærentia extrahi poſſe ſcribit; Eſt hæc ex deſcriptione authoris fiſtula argentea aut ænea incurvata, craſſitie pennæ oloris, longitudine vero unius pedis cum dimidio aut circiter; eſt & undique perforata, in ſua extremitate vero habet ſpongiolam ovoam, avellanæ magnitudine, firmiter alligatam. Hac fiſtula in œſophagum immiſſa & ſenſim modiceque circumducta, poſtea extracta, officulum aut quicquid ſimile fuerit extrahitur. Si enim accidit; ut foramen aliquod fiſtulæ ſpinam aut officulum exciplat, tum ſimul cum fiſtula extrahitur: ſin minus aſperitas oſſis ſpongiæ adhærebit, & ſuo loco amovebitur.

Qualiter gula tractanda materia inhærente vel extracta, vel in ventriculum detruſa, notum iatis Chirurgis. Vel hic optimè parari poteſt gargariſmus ex aqua hordei cum Syr. Violar. paratus, cujus etiam portio deglutiri poteſt, vel litus deglutiendus Oleo Amygdal. dulc. cum ſyr. viol.

Non eſt quod hoc loco prætereamus ea quæ in tali caſu ſolius naturæ ope peracta obſervavimus.

Filius 5. aut 6. annorum Huberti Petri, caſu particulam bracteæ ore receptam deglutit. Media nulla, quæcunque etiam adhiberentur, hic profuere, tandem particula dicta ex deglutitione fortiore in ventriculum ipſum delata. Hic non niſi continuum uſum decocti hordei cui commixtus ſyrup. viol. & Alth. commendabam; interim excrementorum alvinorum haud neglecta inſpectio, nec tamen deglutitum corpus unquam in iis obſervatum; nulla puerolo ullo tempore gravis cardiagia, nulla iliaca paſſio. *Iob. à Meeckren in obſervat. Medico Chirurgic.*

Finis Libri Septimi.



JOH. JAC. MANGETI BIBLIOTHECÆ CHIRURGICÆ LIBER OCTAVUS

De Affectibus & Operationibus Chirurgicis à Litera H incipientibus.

HÆMATOCELE.

Vid.

HERNIA.

HÆMODIA.



UNT qui hoc nomine omnem prorsus dentium dolorem intelligunt: verùm propriè sic denotatur stupor ille qui in dentibus gingivisque cum dolore percipitur, vel propter manducatos fructus, aliaque edulia austeriora ac acida, vel propter succorum salivalium per vasa glandulis eorundem secretioni destinatis, appenla in os derivatorum qualitatem etiam austeriorem. De hisce vide in Dentium morbis.

HÆMORRHAGIA.

Super eâ hic afferemus Consultationes & Observationes aliquot, easque præcipuè quatenus Chirurgiam spectant.

Consultatio.

Pro perillustri, ac Excellentissimo Inr. Pek-eliminense fluorem sanguinis ab ore patiente.

Perillustrem & excellentissimum virum solicitari à fluore sanguinis ex ore, referunt excellentissimi curantes; Cæterum quoniam sanguis ab ore prodiens potest vel à capite, vel thorace, vel à partibus oris prosilire, ea propter locum affectum distinguere interim oportet; quoniam igitur tussi non excernitur, à thorace noo potest exire, verum quod à capite, aliqua potest esse suspicio propter hæmorrhagiam, quam alias passus fuit vir perillustris, ac ut quod ingenue sentio libere fatear, puto ego per palatum sanguinem hunc à capite emanare, quando sanguis usque adeo copiosus excretus ab ore, à thorace minime proveniens, nulla ratione possit à gingivis tantum, vel alia qualibet oris parte prodire, atque hoc eo magis, quoniam arbitror nobilem patientem absque sputationis occasione, sponte inquam, sanguinem excernere, quem ideo à capite non est dubitandum provenire, sed quod à gingivis idem prodeat, iodicio est, præter sensus testimonium, simplex exputitio sanguinolenta.

Quam ob rem ad causas descendens dico, quod eum symptoma hoc sit secundarium in genere excretorum præter naturam, necessario dependet ab actione aliqua læsa, quæ nulla alia interea esse potest, nisi quæ facultatis est retentricis, cumque actio quælibet ex Galeno tertio de sympt. causis, primo lædatur vel facultate læsa, vel propter errorem externum, utrumque in casu nostro locum habet, primum enim læditur facultas retentrix vasorum capitis ob anastomosim illorum, ut patet ex copioso affatim, atque periodice sanguine excreto, læditur pariter & facultas retentrix gingivarum propter diapedesim, quoniam cum nulla fiat in illis corrosio, atque sensu judice exiguus admodum, calidus, & mordax sanguis excernatur, necessario hunc ipsum per transcolationem exire, est necessarium, quamquam & apertis exiguarum venarum ad illas pertingentium osculis, non sit impossibile sanguinem prodire modo dicto. Error autem externus est virium sanguinis tum in quanto, unde nascitur Anastomosis, tum in quali, unde diapedesis, nasci etenim illam à copioso sanguine fatetur unusquisque, sicuti & hanc ex calidiori, atque tenuiori, defluit sanguis hic propter jecur à toto corpore in partes prædictas per transmissionem, oti ad locum imbecillum, quemadmodum hæmorrhagia prægressa videtur attestari propter jecur quidem; quoniam ut calidum & humidum plurimum sanguinem gignit, ut vero calidius factum ab erroribus externis, & in victu proprietatis sanguinem secundum qualitatem culpatum gignere potest. Quibus ita constitutis, quoniam à qualibet sanguinis evacuatione immodica, spiritus dissipantur, calorque nativus maximam jacturam patitur, non est mirum, si ciborum inconcoctio, flatulentia, cæteraque hujusmodi ventriculi symptomata, & animalis facultatis imbecillitas fiant; Ad hæc quoniam in qualibet sanguinis evacuatione agitatio maxima in ejusdem massa succedit, non mirum si in proposito casu bilis commota in os ventriculi

ventriculi decumbens Cardialgiam, & pro inde lipothiam inducat.

Quare universa medendi ratio tum in præservatione, tum in veram curationem dirigatur oportet, merito itaque illius copia sanguinis est minuenda, bilis ipsi commixta præparanda, ac inde detur banda, tandemque jecur temperandum, caputque, ac gingivæ roborandæ merito vero hujus sanguinis impetus in caput est coercendus, per revellentia, & per adstringentia, sanguinemque incrassantia.

Quos scopos assequi, etsi haud impossibile putem, rem tamen operosam valde, atque difficilem arbitror, necnon sine periculo, nam malum est quasi, in habitu, causæ morbificæ sunt adeò intensæ, plura symptomata, eaque non contemnenda complicantur, plures partes, eæque principes afficiuntur, & denique vires propter morbi activitatem, ætatemque declinantem non resistunt, ut jam graviora longè mala superimmineant, sicuti totius refrigeratio, ac phthisis ipsa, sed non ob id ad materias Medicas non est ut descendam.

Et quantum ad Chirurgicas spectat, ad præservationem laudo, ut bis in anno secetur basilica dextra per quatuor dies ante tempus illud, quo symptoma hujusmodi prorumpere consuevit; præterea si studendum sit curationi, probo venæ sectionem in talo, apertionem venarum sedis per hyrudines, siccas cucurbitulas infernis partibus appositas, ac demum lotiones, frictiones, & vincula dolorifica crurum.

Inter medicamenta præservatoria, pro lenienda alvo laudo cassiam cum diacathoco, vel syruptum rof. fol. pro bilis præparatione arridet mihi decoctum in aqua calybeata sonchio, cicorii, acetosæ, hepaticæ cum syrupis de succo cicorii, & acetosæ; purgana verò ex Rhabar. diacatholico, & cassia poterit institui, quibus ad usum deductis cogitandum de secunda præparatione, quæ commode fiet medicamento proposito, additis plantagine, portulaca, atque syrupis ex iisdem simplicibus, & rosis siccis paratis, pro catartico non displicebit Rhab. cum eodem diacatholico cum decocto myrob. citrin. tamarindorum, sem. plantaginis, portulacæ, & acetosæ in aqua calybeata parato dilutum.

Atque ad alterationem jecoris intus probo serum caprinum, vel vaccinum depuratum & calybeatum cum succo acetosæ, & cicorii exhibitum, quo persinent thermæ frigidæ tempore debito epotæ, potissimum autem Villenses, Porrectaneæ veteres Beatæ Virginis Patavii, ac tandem Branduleoses, quæ etsi nullum habeant frigoris excessum, summam tamen vim obtinent adstringendi; Exterius commendo jecoris perfusionem cum succo cicorii, hepaticæ, additis speciebus confectionis ex tribus sandalis.

Verum ad capitis robur theriaca recens, saccharum rof. antiquum cum bolo Armena, coralliis, & pulvere ophioglossi hora somni decorato plurimi facio sicuti & embrocam sincipiti admotam ex thermis prædictis vel aliqua decocto ex aere parato, quod eandem cum thermis facultatem obtineat.

Deinde ad gingivas roborandas convenit frequens oris ablutio cum iisdem thermis, vel cum decocto equiseti ophioglossi, nucum cupressi, gallarum, & malicori in aqua calybeata facto, huc pertinet & succus plantaginis, in quo liquetur alumen, vinum etiam cydoniorum, extinctionisque laminæ aureæ erit opportunum.

Pro curatione laudo diatragagantum cum bolo in ore detentum, sic & succum plantaginis non solum in ore detentum, verum etiam & epotum, in quem usum pariter facit theriaca recens cum seminibus hosciami albi.

Quibus omnibus compar victus ratio est addenda; quare excellentissimus patiens vitet omnem aëris caliditatis, atque ventosi inclementiam, abstineat à gestatione granium supra caput, atque demum omnea causas externas caput ipsum calefacientes effugiat, cibum sibi parari curet ad frigidum inclinantem, qui adhuc sit invitcans, unde carnes in aqua calybeata cum pedibus vituli decoctæ maximè probantur, sicuti & oriza, millium, ac fructus austeri; Condiantur autem cibaria cum succo Arancintum, corallisque rubris, & alterentur seminibus plantaginis, portulacæ, acetosæ, radice consolidæ majoris, & hujusmodi. Potus sit vini nigri subausteris, paucifeti, quod poterit etiam alterari cum saudalis, corpus exerceantur; modeste tamen ac sine sudoris evacuatione, non statim à cibo, sed ventriculo jejuno, somnus devitetur meridianus, fiatque capite humili super pulvinar, non plumeum, sed laneum cum floribus rosarum, & nenufaris, Alvus serverur mollis clysteribus emollientibus, ac postremo studium post cibum, curas, negotia, sollicitudinesque, quantum fieri poterit, sicuti iram, ac excandescentiam evitare proficuum erit, quibus omnibus ut felicem successum D. O. M. benigne largiri velit, exopto. *Iulius Cæsar Claudinus in consultationibus Medicis.*

Observationes.

Hæmorrhagia Gingivarum in prægnante, lethalis, cum supervenientibus maculis rubris & sudore sanguineo.

Honesta fœmina juvencula, Pastoris in viciniâ conjux, in septimum mensem prægnans, mense Maio ann. 1624. incidit in hæmorrhagiam subitaneam gingivarum, sanguine confertim effluente, die noctuque per septimanas tres continuas, tantâ copiâ, ut aliquot mensuras implere potuisset, unde non tantùm matri, sed fœtui quoque periculum præsentissimum imminebat. Tandem à capite ad calcem usque maculæ succedunt sanguineæ, quas cum sudorifero balneo discutere conaretur, sudor supervenit sanguineus, potissimum circa superiorem corporis partem, iis in locis, ubi ante maculæ sanguineæ sese manifestaverant, quem sudorem postea tanta virium omnium dejectio fuit subsecuta, ut paucis diebus post vitam cum morte commutaret.

Cum 17. Junii 1624. casus hic singularis, à marito prædictæ fœminæ per literas determinaretur, prorious recurdabatur lethalis hæmorrhagiæ cujusdam honestæ matronæ, conjugis Professoris Giesseni, quæ anno 1621. sub initium Martii febrim continuam patiebatur, ex qua convenientibus remediis adhibitis liberata, circa tempus mensium instans, sub initium Aprilis, incidebat in gravissimam hæmorrhagiam per nares, quam excipiebat sanguinis continua secretio per gingivas, idque tanta copia per quatriduum continuabatur, ut tandem præeunte alvi quoque fluxu sanguinem viribus exhaustis, 8. Aprilis naturæ debitum solveret. Aderat autem hic constitutio corporis macilenta, sua natura ad acriotis sanguinis collectionem disposita, quam præcedens febris adustione plurimum auxerat, unde propter imbecillitatem ex præcedenti morbo relictam, loco menstrualis evacuationis per uterum, fortè viis ibidem reliquis peccantis

peccantis materiæ infarctis, sursum vergebat sanguis acris, sero plurimo dilutus & symptomaticè per narea ac gingivas profluebat. Quanquam verò Dodonæus observ. cap. 15. Virgini cuidam 18. anno mensibus non succedentibus, superfluum sanguinem per oculorum angulos sanguineis lachrymis continuis, aliisque per gingivas expulsionem sanguinis moliente natura, segregatum fuisse scribit, eventu salutari quemadmodum superius etiam sub finem observ. 3. varios alios modos annotavimus: distinguendum tamen ubi tale quid accidit naturæ robore concurrente, quod in hoc subjecto laborante deerat, ob morbum præcedentem naturæ viribus labefactatis. Similis verò casus nobis videbatur prægnantis illius in qua rectè quidem, propterea quod utero gestaret, mensium defectus aderat, sed symptomaticè tanta sanguinis hæmorrhagia per gingivas superveniebat, idque propter sanguinis acrioris, serosi & aquosi constitutionem præter naturam, cujus ratione non tantùm ob denegatam adæquatam nutritionem & refectionem, debilitas omnium virium introducebatur, sed insuper etiam reseratis ab acri humiditate serosa sanguinis venarum osculis, præternaturalis, excretio fiebat in gingivis, tanquam partibus mollioribus, aliàs ad sanguinolentiam dispositis, cujus rei exemplum refert Marcellus Donatus lib. 4. hist. Mirab. c. 9. ex Matth. de Grado, qui in Moniali quadam, non ex abundantia humorum, nec propter causam aliquam violentam undequaque per sputum, per nares, per urinam sanguinis eductionem ad 28. libras, vidit, licet natura exilis, macilenta & phlegmatica fuerit, quam tamen ab interitu per narcoticum liberatam fuisse dicit. Imò lienoso cuidam Fabro Ferrario per venulam gingivæ spacio diei naturalis ultra octo libras sanguinis evacuatas fuisse Marcellus ipse testatur, ut potè in quibus etiam sanguis acri sero dilutus abundat. Hinc ego in periculo prædicto, frustrà tnasimus illa quæ sanguinis effervescentis ἐρεθισμὸν lenirent, acrimoniam ejusdem temperarent, & naturam corroborârent, præsertim cùm symptoma tandem superveniret, ... zissimum, nimirum sudor sanguineus, cum maxima virium debilitate superveniret. Ut autem Rondeletius lib. de dignosc. morb. c. 11. sudoris sanguinei observati causam in studioso quodam, ad venarum raritatem, illarumque osculorum laxitatem & sanguinis tenuitatem refert; Aristotelea verò lib. 3. de part. anim. cap. 5. & lib. 3. hist. animal. cap. 19. nonnullis αἱμάτωσιν... αἱματώδη accidere dicit, propter vitiatum corporis habitum, scilicet ubi corpus laxum, fluxumque; nec non quòd sanguis propter cruditatem imbecillitate caloris humescit, & ut posterior locus habet, ἰχωροειδής, crescit: ita hic etiam accidens istud periculosum primum à sanguinis tenuitate & aquositate, caloris imbecillitate producti, nec non à cutis ejusque pororum laxitate; tandemque tertiariis facultatis languore deducimus, unde neglectis ab initio convenientibus mediis, imò adhibitis illa, quæ morbi vehementiam augebant, inter quæ balneum erat sudoriferum, eventus lethalis subsequebatur. *Gregorius Horstius libro de morbis mulierum.*

Pro Hæmorrhagia ex dente avulsa.

Domina quædam cum sibi dentem avulsisset, tam copiosa hæmorrhagia successit, ut fermè moreretur, irritis omnibus remediis. Vocatus jussi ut emplastr. contra rupturam satis magnam tempori denti avulso respondenti admoveretur, item ut alveolo è quo dens extractus erat, parum colcotharis pulverisati adhiberetur cum cotono & digito contineretur. His factis intra horulam substitit sanguis. *Petrus Pachequus. observat. 28.*

Pro Hæmorrhagia ex Ulcere.

Cum milea quidam vulnus accepisset in brachio, quo radius & cubitus transversim secabantur, tanta secuta est hæmorrhagia, ut post varia astringentia admota, tum etiam caustica & escharotica, fluxus tamen sanguinis per intervalla recurreret, ita ut Medici & Chirurgi de brachio penitus amputando cogitarent. Ego verò cui æger commissus fuerat, linteum complicavi in formam cylindri, longitudinis trium digitorum transversorum, & crassitiei pollicis, quod perpendiculariter in vulnus demisi; deinde plumaceolis reliquum vulneris spatium implevi, & quia cylindri extremum extra brachii superficiem pollicis crassitie eminebat, splenia quatuor admovi, quæ cylindrum æquabant firmabantque: ipsi verò cylindro quiotum splenium, idque quadratum apposui, ac denique fascia arctè ligavi: & ab eo tempore sanguis amplius non effluxit, vulnus autem non detexi per quatuor aut quinque dies, donec caro intus enata vero orificium impleverit. *Samuel Formius observat. 1.*

Cum equus commendatori cuidam morsicus digitum abstulisset, sanguinisque fluor, multis frustra tentatis, non sisteretur, jussi eum in pulli gallinacei vulnus, recentet jutes podicem sectum, intrudere, & sic quamdiu caleret retinere, fluxusque statim substitit. *Felix Platerus. obs. lib. 3. pag. 772.*

Hæmorrhagia à vena secta quam nemo sistere valnetat, solo aluminis tactu curata est. *Petrus Borellus cent. 4 obs. 7.*

Rusticus quidam vulneratus in mano, arteriæ læsæ solutionem patiebatur, ubi hæmorrhagia sanguinis arterialis cum saltu frequentet invadebat, nullisque remediis communibus corrigi potuit, hic tandem ad collegam meum D. Stromajerum accedens, auxillum in hac periculosa hæmorrhagia desiderat, cui pauxillum magisterii opii ad arteriam vulneratam opponitur, quo ad miraculum usque contumax hæmorrhagia mox restringitur: vulnere post emplastro stictico Crolliano facillimè consolidato. *Gregorius Horstius obs. 12. lib. 9.*

Mirabilis Umbilici Hæmorrhagia.

Sanguinem ex umbilico infantulorum recenter natorum aliquando nimis copiosè profluere, multoties observavi, ut ex observat. 52. cent. 1. videre poteris. Vasa enim umbilicalia si post partum obstetrice nimis negligenter ligata fuerint, sanguinem maximo cum infantulorum damno & vitæ periculo profundunt, uti loco præallegato ostendimus. In adultis vero, quia vena umbilicalis contrahitur & in ligamentum transit, sanguinem non amplius per eam naturaliter profluere posse, rationi consentaneum est. Verum naturam materia aliqua morbifica oneratam, aliquando iterum venam illam reserare, per eamque serosos humores copiosè projicere, nonnunquam in hydropicis observavimus, qua de re vide obser 47. cent. 2. Sanguinem vero in adultia ex hepate per umbilicum adeò copiosè, ut in sequenti historia accideri, profluxisse, hactenus an observar m fuerit, nunquam me legere memini: ideoque casum ordine recensere non gravabor.

Dn. Daniel Schertler, Apothecarius Solodurensis Helvetiorum, experientissimus, homo pituitosus, obesus & trigesimum sextum annum ætatis agens, amicus meus singularis, cum superiori anno 1612. circa

festum

festu Divi Joannis Baptistæ ad Nundinas Argentinenses, negotiorum suorum causa profectus, ibique occupatissimus esset, ac quodam die supra modum incaluisset, apertus sibi fuit umbilicus, ita ut ad libram unam & semis sanguinis effluerer, per se tamen & nullo adhibito medicamento substitit. Miratus simul & perturbatus hac de re cum esset, Medicos eruditos, simul & Chirurgum advocari jussit; qui hujusmodi medicamenta, quæ sanguinis fervorem refrenare solent, exhibuerunt, & externis applicarunt; sed exiguo cum fructu. Altero enim die & subsequentibus, usque ad undecimum, ex umbilico quotidie bis sanguis, non quidem guttatim neque in parva quantitate, sed cum impetu & copiosè erupit. Foramen adeo erat angustum, ut vix lentem capere posset. Certis autem horis (quod probè notandum) nimirum præcisè inter septimam & octavam matutinam, & inter secundam & tertiam pomeridianam, hæmorrhagia illa accidebat. Ut plurimum quoque hoc tempore singulis diebus semel hæmorrhagiam narium patiebatur. Medici simul & Chirurgi, etiamsi omnem adhiberent diligentiam, sanguinem tamen medicamentorum beneficio sistere nunquam potuisse, æger ipsemet mihi affirmavit; sed sponte & per se substitisse. Hoc modo, nimirum quotidie bis, totos undecim dies sanguinem profluxisse, & interim ad libras usque viginti septem emanasse, à Medicis & ipso ægro observatum fuit. Elapsa undecima die, ulcus umbilici accrevit, ex quo loco sanguinis materia purulenta per menses aliquot estillavit, paulatim tamen iterum coaluit.

Cæterum quia quantitas illa sanguinis, qui undecim dierum spatio, tam ex umbilico quàm ex naribus effluxit, modum excedere videtur, & via hominem tanta sanguinis copia perditum esse, credibile sit; adeoque rem fabulosam esse aliquis æstimare possit, quæstio suboritur: nimirum sanguis an purus fuerit, nec ne. Ego ipsum non purum, sed aliis humoribus, inprimis serosis ichoribus permixtum fuisse, existimo.

Constitutio corporis phlegmatica & obstructiones viscerum, quibus antea per annos aliquot laboraverat, fidem faciunt. Serosi enim humores isti, beneficio naturæ exitum petendus, venam umbilicalem paulatim dilatarunt: tandemque unà cum portione aliqua sanguinis per umbilicum eruperunt.

Ea maxima porrò evacuatione ista vires adeò prostratæ fuerunt, ut nonnisi summa cum difficultate Solodurum reduci potuerit. Ego 14. Novembris in anno 1612. ex patria rediens, cum ipsum inviserem, omnia illa quæ recensui, ex ipsius relatione annotavi. Umbilicum externum, rotundum & aliquantùm elevatum, & instar vesicæ aqua impletæ, molem inveni, nec non fluctuationem quandam in ipso percepi. Dolorem præterea per intervalla, in primis verò tussiendo & noctu decumbendo, ambulando verò nullum aut exiguum saltem adesse, referebat. Venter extensus, durus, appetitus prostratus, & sitis maxima aderant, parumque dormiebat. Postea verò quid cum ipso acciderit, ad meos redeundo, & Solodurum transeundo, si intellexero, tibi volente Deo, per occasionem communicabo. Nunc propter festinationem plura adscribere non possum. *Guilielm. Fabric. Hildanus Observ. Chirurgic. Cent. iij.*

De admiranda Hæmorrhagia per Penem.

Aliquoties mihi, vir clarissime, Amice Colendissime, cum Lithotomis, rerum Anatomicarum imperitis, negotium fuit: Vesicam enim ipsiusque collum, venis, quæ alicujus momenti censeri possint, præditam esse, in dubium vocare ausi fuerunt. Atque hanc acceptam esse opinionem Lithotomorum Empiricorum in Germania existimo. Ex isto porro errore multa incommoda, & quidem gravissima sequuntur; In extractione enim calculi, dum hæmorrhagiæ & sanguinis, qui in vesicam confluit, ibidemque in grumos concrescit, rationem non habent, & ut effluat, subsidia non adhibent, putrescit, & gravissima eacitat symptomata; videlicet dolores gravissimos, inquietudines, febres, inflammationes, Gangrænas, tandemque mortem ipsam. Verùm enim verò rem aliter se habere, tibi, Vir clarissime, omnibusque, qui fabricam humani corporis intelligunt, notum est. Ut autem ignorantiam horum hominum exemplo quoque refellerem, rationesque Chirurgos cautiores redderem, statui historiam illam observatione dignissimam, de Affectu Dn. Anthonii Marionis, Centuriæ meæ inserere. Neqnaquam tamen illam publici Juris facere volui, nisi prius ad Virum clarissimum, ut qui ante me ad ægrum accersitus fuit, referrem ea, quæ Ego hac de re consignavi, quod & nunc facio, submisse rogans, ut omnia perlegere, castigare, & si quid a me prætermissum fuerit, id adscribere non gravetur: in primis autem obnoxe rogo, ut excellentia T. quantitatem sanguinis, ab ipso rejecti, à Dn. Capitaneo *Meister* communi nostro Amico, qui etiam curationi interfuit, alisque astantibus explicari, mihique significare velit. His Vale, Vir, Clarissime, Consultissime, & cum tuis æternum feliciter vive. Dabam Bernæ 18. Septemb. 1626.

Anno 1623. cùm viri nonnulli juvenes Friburgenses saltando ac currendo sese exercerent, accidit, ut quidam ex eis, Antonius Marion nomine, homo viginti circiter annorum, robustus, & plethoricus, inter saltandum Perinæum contra extremum scamni angulum allideret, sine ulla tamen cutis vulneratione: quapropter etsi dolor protinus supervenirer maximus, nulla tamen secuta est Hæmorrhagia, inde factum est, ut de affectu non usque adeo solicitus fuerit: sed aliquo modo sedato dolore, cum reliquis suis Sodalibus hilaris esset. Sequente verò nocte adaucto dolore, cum sanguinem copiosè emingere cæpisset, & intra paucos dies ad libras aliquot sanguinis per penem eminxisset, ac ita quidem, ut vires mirum in modum imminuerentur, haud parum perturbatus fuit. Quapropter nobilem & clarissimum virum Dn. Franciscum Prosperum Gottrovvium Reipubl. Friburgensis Medicum ordinarium atque celeberrimum, in consilium vocare jussit. Is considerato periculo, in quo versabatur æger, autor fuit, ut ego quoque accederet. Quarta itaque Martii, 1623 cùm ad S. Albinum, in agro Aventico situm, ad ægrum pervenirem, vires, propter copiam sanguinis, per penem rejecti, mirum in modum prostratas inveni: ea quoque die, & subsequente nocte, ad libras circiter duas excrevit. De urina, quæ jam separatim cum sanguine permixta erat, non loquor. Sed quod admiratione non vacat, vidi his meis oculis, etiam præsente Dom. Doct. Gottrovvio, ægrum grumos sanguinis, qui magnitudinem ovi gallinæ excedebant, sine insigni molestia & conatu per ductum urinarium excrevisse, tam valida erat in ipso facultas expultrix. Inter effluendum autem veluti gelatina erat, è momento tamen in grumos spissos concrevit. Via credibile est; quantum sanguinis per penem eminxerit. interim tamen, divino aspirante numine, feliciter à nobis Sanitati restitutus fuit, & pristinas vires ita recuperavit, ut sequente anno in Galliam profectus sit, ubi

ubi in hunc usque annum 1626. hæc scribo, castra regia sequitur.

Curatiooem autem ut sequitur, instituimus: Primo victus rationem, quæ refrigerat, humectat, nutrit, & corroborat præscripsimus. 2. Sequentem poriunculam bis io die, videlicet mane & vesperi propinavimus.

℞. Aquæ Fragariæ, Pruoell. Plaotag. ana ℥. j. ß. syrup. de papavere, Althea Fernel. ans ℥. j. Tripheræ magnæ cum Opio, ʒ. ij. Misce fiat potio, pro sex dosibos, matutinis, & vespertinis.

Frequeoter quoque interdiu nonnihil de sequente potiooe ex cochleare sumebat.

℞. Aqua plantag. Bursæ Pastor. Centomoon. ana ℥. j. Boli oriental. veri ʒ. j. confect. Alkerm. ℈iiij. syrup. de papavere, ℥j. ß. misce. Perineo sequens cataplasma applicuimus.

℞. Farin. hordei ℥j. ß. pulv. Balaostior. Nocum cupress. Rad. Bistortæ, tormentill. an. ʒj. Rosar. ʒ. ß. Cum decocto rad. & Foliorum plantag. parumque acet. rosac. fiat cataplasma, applicetur tepide. Imo ventri, quia de dolore extensivo, propter copiam sanguinis io vesica collecti, conquerebatur, hoc applicuimus cataplasma.

℞. Parietar. malvæ, altheæ, an. m. j flor. chamomill. melilot. sambuc. an. m. ß. sem. lioi, fœnigræc. anisi, ana ℥. ß. misce, fiat omoium pulvis tenuissimus. Hujus pulveris.

℞. Ans ℥j. ß. farin. fabar. ℥iij. coquantur cum lacte vaccino, fiatque cataplasma, addendo vitellos ovorum oom. ij. Butyr. recent. ℥j. applicetur tepide. Regiooem Renum sequente ungueoto inunximus.

℞. Unguenti refrigerant. Galeni ℥iij. ol. nymphææ, ℥j. Camphoræ dissol. in acet. rosac. ℈j Misceatur in mortario, fiatque linimentum.

Cæterum, quum propter maximam, & ferè incredibilem sanguinis deperditionem, & proinde hepatis refrigerationem atque labefactiooem, secuta fuisset viscerum obstructio, & cachesis, visum nobis fuit, ut sequente uteretur Syrupo Magistrali, qui non tantum viscera reserat, sed & internum ulcos circa collum vesicę, propter casum factum, coosolidat;

℞. R[illegible] fœniculi, petroselini, asparag. ana ℥. ß. herb. betonic. scabios. agrimon. verooic. Alchymill. Pyrol. sanicul. aoa m. j. sem. anis. fœniculi, Urtic. an. ʒ. ij. flor. triom cordial. Geoist. Hispanicæ, an. p. j. liquirit. muodat. uvarum exscinat. ana ℥j. Fiat s. an. decoctio io aqoa fontan. ad consumptionam tertiæ partis: Colaturæ adde Mellis despumat. & sacchari miscellanei an. ℔j. fiat syrupus s. an. aromatizetur speciebus aromatici rosat. & Diarrhodon. Abbatis, an. q. s. de hoc syrupo sumebat æger singulis diebus per tres horas ante prandium cochleare unum aut alterum. Sumebat quoque per intervalla ad ʒj. aot ʒj. ß. terebinth. claræ, cum pulvere liquiritiæ. His non sine admiratione multorum feliciter & perfectè sanitati restitutus fuit. Quid uon potest Juventus in corpore integris visceribus prædito? *Idem Centuriâ vj. Observationum.*

De periculosa Hæmorrhagia per pudenda, in Puella.

Casum illum gravissimum, quem vidimus una in Do. Antonio Marione, Vir nobilissime, Amice plurimum hooorande, ooo ita pridem consignavi, & ad T. excellent. misi. Ab eo porro tempore, cum quadam die adversaria mea revolverem, en incido in casum non longe absimilem quem tibi communicare volui.

Anno 1522. 5. Decembris, puella quædam ex nobilissima familia Berneosi orta, quioque circiter annorum, cochleare oblongo manubrio, qualibus in Culioa utuntur, in manu gerens, com ex scamno in pavimentum hypocausti decidisset, & mucrone manubrii iosimam partem colli matricis, versus intestinum rectum vulnerasset, tanta secuta est sanguinis profusio, ut pareos ipsa, & adstantes, non semel ad me dixerint, se nuoquam credidisse, corpus tam exile ac juveoile, tanta copia sanguinis præditum. Ad libras enim aliquot effluxisse, ausus sum affirmare. Restricto tamen sanguine pulvere nostro ad sistendum sanguinem, & refocillatis atque instauratis viribus, vulnus, quod ad intestinum rectum fere usque penetrabat, brevi feliciter curavimus, & in hunc usque diem visit.

Ex hac porro historia, nobilissime & clarissime vir, apparet imprudentia Lithotomorum quorundam, qui Hæmorrhagiam istis in locis esse pertimescendam, negare conantur. Videmus quoque, pueris urgente necessitate, & præsertim in morbis acutis, venæsectiooem, quam vulgus tameo Germanorum tantopere rejicit, sine ullo periculo administrari posse. Si enim in hac puella ad libras aliquot sanguinis, sine vitæ discrimioe, effluxerint, quid, quæso, obstat, cur Medicus rationalis ad paucas uncias non extrahat? *Idem ibidem.*

De sanguinis Narium fluxu per oculum sinistrum.

Teste Aristotele solus homo inter omnia animalia hæmorrhagiæ narium subjectus.

Sollicitos hæc non raro facit non solum ea laborantes, sed & adstantes, imo medicos ipsos, media quibus fluxum hunc inhibere studemus guttarum sanguinis ex stillantis numero sæpius respondeot, ferè sine ullo successu adhibita.

Heraclides Tarent Galeno authore ablato prius cruore naribus inhærente, ad fluxum hunc cohibendum, turundam lycio contuso immissam naribus intrudere solitus fuit.

Chirurgi Germani, qui castra sequuntur, frustra adhibitis carpionum lapidibus, vel moscho craniis defunctorum ionato, vel etiam bufone præparato, ad verba quædam quibus virtutem occultam inesse certo sibi persuadent, plurimumque tribuunt, ipso Borello Cent. 1. obs. 94. asserente, quæ tacite (quod si enim aliqois audiret, vana omnia habent) mussitant: sunt hæc idiomate germanico.

Gelijck Christus stil bleef staan im Iordaan, Also must ook diene bloede staan.

Pro secreto habent alii ex guttis sanguinis ex stillantis quatuor aut quinque vitriolo cyprio pulverisato mixtis conficere ungnentum axillæ illi quæ est ejus lateris, cujus nares fluunt, illiniendum.

Missis his similibusque aliis, nullius consideratioois & efficaciæ merito habendis, haud inutile quantum omni tempore negotii veteribus æque ac recentioribus, medicis, chirurgisve sanguinis hic per nares fluxus creaverit, exponere, cognosceereque.

Hæmorrhagia narium quævis, docente Hildano, parte 2. obs. 14. si moderata fuerit, cum salutaris, subito supprimi non debet, à dolore etenim capitis, variisque aliis morbis gravioribus hominem liberat; confirmat hæc exemplo *Simonis Clerkii aurifabri parte 3. obs. 11.*

Critica

Critica solutio morborum, salutaris sæpius, variis perficitur causæ morbificæ evacuationibus, per alvum, sudorem, urinam, sanguinis fluxum varium, etiam illum qui per nares fit, qua de re legi possunt quæ lib.22.cap.28 de *Fontan. refert Ambros. Pareus.*

Animus haud est, ea, quæ medicæ considerationis sunt, ut chirurgica proponere, faciunt tamen hæc eo, ut chirurgiæ tyrones attendere discant, quam arduum malum narium hæmorrhagia gravis, quamque necessarium, remediis certis huc conferentibus instructum esse.

Haud ita pridem ex inordinato sanguinis motu non solum largior ejus fluxus per nares, in Wilhelmo ab Erpecom, mercatore hujus loci, à nobis observatus, sed & (quod nunquam antehac notare mihi in praxi chirurgica licuit, ab aliis, ut Barthol. cap. 2. Hist. 2. Schenk lib.1.fol.197.&c.propositum) per oculos ipsos, sinistrum imprimis, sic ut linteo quoties tolleretur oculo collectus, toties noves eundem illico repleret.

Hildano minus notam sanguinis fuisse per oculos excretionem, vel ex eo colligere licet quod *part. 2. obs. 16. de Rever. D. Joanne de l'Osca agens hæc proponat verba: Et quod mirandum, lachryma sanguinolente ex oculis prorumpebant.*

Hujus conditionis inordinata de ebullitione sanguinis Hild. part.6. obs. 77. exemplum adfert, in Rever. Doctissimoq; Viro, D. Jacobo Blaunero, juvene robusto, observat. hæc verba præponens.

Huic viro sanguis non tantum ex naribus cum impetu promanabat, verum etiam ex gingivis & quidem sanis & incontaminatis exsudabat: ita ut sanguinem non solum responderet, sed & hinc inde circa gingivam, sub lingua & intra dentes in grumos concretum cogeretur digitis extrahere.

Mercator noster consilio Medici domestici venæsectionem admisit, imo potiones varias refrigerandi, sanguinisque motum inhibendi vi polleotes, quin & styptica quædam naribus recepit, ast frustra adhibita omnia, suasu hinc Amici cujusdam lapides sanguinis effluxum cohibere valentes manibus detinuit, etiamsi aliqua jam coagulatio in oculo observaretur, & horum usu levaminis aliquid percepit.

Media hæc similiave alia cum successu licet sæpius usurpata, in gratiam nihilominus juniorum placet nobis, antequam huic discursui finem imponamus, quædam eorum, quæ usui nobis fuere, nec unquam fere nisi cum optato successu adhibita, quoties gravis ejusmodi narium hæmorrhagia ex sanguinis excedente ebullitione causata, homini fuit molesta, hoc loco proponere, quod exemplo uno alteróve illustrabimus.

Ante aliquot annos Rusticus quidam, juvenis, validus atque carnosus hæmorrhagia tentabatur gravi admodum, venæsectione brachii dextri instituta sanguinis libram integram eduximus, mox succum plantaginis commixtum succo limonum naribus recipi curavimus. Vincula itidem brachiis, pedibusque injecimus, lintea frigida madefacta fronti, testibusque apposuimus, adstringentia nostris in locis usualia applicavimus, at nihil his omnibus effecimus fumenti pro cerevisia, aut Sp.vini cocti reliquias, quibus saginantur porci, quibus multum in hoc casu tribuunt varii, cum succo plantaginis mixtas assumeret suasimus; at frustraneus omnis labor, continuabat fluxio, nec ullo modo imminuebatur. Incidebat obs 17.part. 2. Hildani haberi, sponsum quendam periculosa imo ut videbatur, lethali hæmorrhagia narium laborantem suasu Hild. refrigeratione universi corporis, in aqua frigida facta fuisse curatum; hujus ad exemplum etiam author fui nostro ægrotanti ut fluvio vicino se committeret nudum, quod etiam fecit, natatione satis diuturna corpus suum adeo refrigeraverat, ut tremulus prodiret, at nec hoc medio fluxus sedatus.

Hisce sic frustra usurpatis Limonis recentia particulas teretes, linteo combusto, pulvereque gallarum, incrustatas naribus imponi jussimus, & quidem ad eam altitudinem, ut vasorum sanguiferorum extremitates, si quæ essent læsæ, attingerent.

Intus assumebat quantum cochlearibus tribus contineri poterat, singulis tribus horis, mixturæ hujus, & quidem frigidè.

♃. Aq. plantag. ℥vj. sal. prunell. ʒj. laud. opiat. gr. iiij. camphor. gr. iij. syr. papav. errat. ℥. ß. spir. vitriol. gutt x. misce & detur usui.

Assumpta prima dosi, illico fluxus imminutus, imo sine ulteriore hæmorrhagia nox fuit quieta.

Joannes ab Heemstede, juvenis 18. circiter annorum, macilentus valde, & ex diuturno morbo debilis admodum, ex casu incidit in narium hæmorrhagiam largam; vocatus ego, quo laboranti succurrerem, venam secare haud audebam, quod vires impedirent.

Remedia hinc alia in usum ducere necessarium, styptica nempe naribus imponere ordinaria, vincula pedibus manibusque imponere, lintea frigida madefacta fronti, pudendisve applicare; at irritus omnis labor; coacti adeoque etiam in hoc ægrotante ad usum mixturæ modo præscriptæ, & limonum modo dicto naribus imponendorum deven re, applicato insuper fronti emplastro nobis in tali casu usuali, cujus descriptio hæc est.

♃. Succ. caud. equin portulac. Solani, plantag. an. ℥j. ol. rosar. myrtill. cydoniot. an. ℥iij. coquantur olea succi ad consumptionem succorum, dein adde ceræ flavæ q.s. lapid. hæmatot. boli veri, nucis gallar. cortic. granator. an ℥ß. F.c.a. emplastrum.

Et horum mediorum usu brevi sanguinis fluxio dicta sedata, licet in deliquium animi grave satis jam bis inciderit æger. *Job. à Meekren in Observat. Medico-Chirurgicis.*

Vermis ex Nare sinistra cum longa Hæmorrhagia adductus.

Studiosus quidam ætatis circiter annorum viginti, constitutionis phlegmaticæ sanguineæ à teneris unguiculis catarrhis admodum obnoxius, per biennium & quod excurrit, hæmorrhagia narium haud infrequenter exercebatur, sine ullo virium lapsu, quam subinde Cephalalgia excipiebat. Morbo temporis tractu adaucto sæpius de die à nare sinistra copiosissime profundere cœpit sanguinem: hinc variarum pronata symptomatum congeries, dolor & imbecillitas capitis, virium prostratio, sternutationes frequentes, & tristis ac convultiva quasi nasi circa appendicem sensatio. Non ita pridem iterum in largam narium incidit hæmorrhagiam, quæ per quatriduum sævire non desinebat; accedente denique quinto, cum sanguis affatim effluxisse, in sinistro naris spitamine aliquid exitum impediens hærere sentit: quod dum fortiter emungit, vermis hirudinis ad instar sanguine turgens, in terram decidit, vixitque per triduum.

Scholion) plura vermium, post vigilias perpessas, cephalalgias, & mentis aberrationes e naribus excretorum exempla habentur In Anno II. Eph.N.C.obs.147. apud D.Conto. Vict. Schneiderum de oss.cribr.p.44 &c. D. Joh. Michael Fehr.N. Cur in sua Hiera P'cra p.79. D Th. Barth.cent.2.ep'st 74. D.Nicol.de Blegny Ann.I. Zod Med.Gall. Mens. April.obs.3. Theod. Kerkringium obs.anat.43. Nic. Tulpium l.4.c.1. Petr. Borellum cent. 3.hist.4 5 Jac. Hollerius l. 1. de morb.int.c.54 in Schol. Guil. Fabr. Hild.cent.1.obs.8.& cent 5.obs.1. Nic. Monardem hist. med. simpl. cap.14. Joh. Georg. Schenekium

k.um l.1.obs.med.Marc.Donatum l.4.de hist.med.mir. c.26.nec non Vlnc.Allarium Crucium de quæs.per Epist. cent.3. Nec indictum abire debet, quod excell. DD. Jo. Jac. Harderus non ita pridem per literas mihi retulit, de maleferiata quadam, nuper scilicet vermes quatuor præcedente atrocissima cephalalgia, per nares eam excrevisse, albicantes, oblongos, minimeq; hirsutos. Ipse etiam Ebnsina lib. 3. fen.1.tr.2.c.3 ex medicorum quorundam indotum fide, cephalalgiam quandoque generari jam edocuit à vermibus in capite generatis, motu suo, tensione & rosione lædentibus, addens: nam vermes multoties nascuntur in anteriore capite & super locum, qui est in strictura narium; & possibile est, ut nascantur apud velamina, etsi raro contingit. Locum generationis non semper eundem esse, verisimile videtur; interdum enim, licet rarius, à partibus inferioribus, utpote ventriculo, &c. ascendisse, perq; palati foramina sic in nares perrepsisse, interdum vero in ipsa nares investiente membrana, aut anfractuosa earum cavitate, quandoque in caverna ossis frontis ad radicem nasi sita, quandoque etiam in ipsis ossis ethmoidis spongiosis cavernis stabulari posse, autumo; quin & si cerebrum ipsum per nares excretum aliquando fuisse perpendamus, quod celeb. D. Georg. Wolffg. Wedelius Physiolog.med.sect.3.c.24.se vidisse testatur, cur non ex ipso cerebro, in quo vermes quandoque inventos fuisse D.Th.Barth.cent. 1.hist.anat.64. aliiq; memorant, eosdem aliquando prodiisse, dicere liceat, hand video. Utrum vero ex ovulis insectorum cum cibis, &c. adsumtis atque ad partes illas delatis: an vero ex singulari humorum putredine oriantur, eruditoribus dijudicandum relinquo; uti enim ovula insectorum ejusmodi, præcipue minima cum sint, in remotam illam corporis partem cum massa sanguinea deferri posse, nemo dubitabit: ita tamen argumenta, quæ generationem absque seminio isto arguunt, & à Franc Redi in libello de insect. proferuntur, qua ratione omnimode enervari queant, non perspicio. *L. Schrock. L. F.*

Venæ Sectio spontanea & naturalis.

Helmontius sanguinis evacuationes acerbissime insectatur propemodum omnes. Rationem inter alias adducit hanc: ejusmodi remedii genus à natura nunquam intendi, nec approbari divinitus, sed potius improbari per legem Mosaicam Gen.9.v.6.

Ut hoc ridiculum, ita illud experientiæ contrarium. Opponuntur hæmorrhagiæ criticæ narium, fluxus hæmorrhoidales, ut multis Hypochondriacis consueti, ita maxime proficui; nec non & aliarum venarum diæreses spontaneæ, quæ satis probant naturam nonnunquam intendere sanguinis imminutionem.

Venam Malleoli in fœmina cruribus varicosis oneratа vidi sponte apertam cum tanto sanguinis profluvio, ut adhibenda esset manus chirurgica.

Matronam novi affinitate, mihi junctam, quæ Cephalalgia urgente aliquoties venarum sublingualium sectione quæsivit lenimen. Hæc aliquando sub furente Sirio faciens iter, dolore capitis ob æstum correpta est recidivo. Domum reversa sub cibi masticatione sublingualem sensit apertam, quæ pro more fluens, feliciter mitigavit dolorem. *L. Sigismundi Grassii.*

De Aquâ Stypticâ pro Hæmorrhagiis sistendis fructuosâ.

Hamburgi à Cl. Viro D. *Michaele Kirstenio* nostri amantissimo accepi, missa esse Florentia a Fr. Redi ad Fogellum varia experimenta ab Aqua stiptica facta: præterea observatum interdum aqua communi vulnera arteriarum sanata, de quibus per literas idem *Kirstenius* posthac est amice consulendus. Alioquin nuper Hamburgi egregie, ut accepi, probata est aqua stiptica in Nobilissimo quodam viro, cui sub brachio sinistro arteria gladio transfixa interitum profluvio sanguinis minitabatur. Mihi etiam ibi delatum est cochlear unum ejus liquoris ipsa Medico Hamburgensi propinatum.

A laudato *Kirstenio* exinde rem uberius expositam 7. Augusti, accepit filius Caspar Bartholinus, & exercitationi septimæ Miscellan. Leiden 1675. editæ inservit huc transferam quæ compendio adducuntur, inhibitum est vasculum, plenum aqua clara limpida, quæ sistit omnem sanguinem ex quocunque loco profluentem, modo tam subito & certo ut nulla opus sit fascia: sufficiat tantum madefacere, aut imponere gossypium aut pulvillum ex panno lineo, aqua madefactum.

Et relatum est etiam ita canem sanatum, cui vena jugularis cum arteria fuit præcisa, & duos vitulos, quorum uni crus abcissum, atque mulierem, cui mamma resecta, denique viros duos, quibus crura amputata.

Franciscus Redi, jussu D. Ducis experimenta fecit; quæ tamen expectationi non respondebant. Anno 1673. d. 10. m. Julii & seqq.

Ovi detecta est vena, cum arteria, jugularis, sive læsione musculorum aut nervorum, deinde arteria cum vena plane dissecta per transversum, & statim adplicitum gossypium, madefactum liquore, & superimpositus pulvillus manibus firmiter tenerentur & apprimerentur loco sauciato, nullo modo sisti potuerit, ovisque sit mortua intra quadrantem horæ.

Idem evenit cani, cui præcisa erat arteria jugularis, sine læsione venæ.

d. XI. Julii. Rursus arteria jugularis detecta & separata est in ove, eaque phlebotomo secta per longum, eo modo quo aperiuntur à quibusdam venæ. Non permissum est exire sanguini, quoniam arteria digitis compressa tenebatur. Statimque applicatum gossypium, & pulvillus liquore madidus, per quadrantem horæ. Nihil exiit sanguinis. Hinc ligatum est vulnus fasciis, ovisque demissa. Verum post alterum horæ quadrantem, cum violento cursu ovis fatigata esset, & in sepem incidisset, fascia à collo decidit, & sanguinis copia profluxit, ut mortua sit.

d. eod. Iterum ovi jugularis arteria, & alii vena eo modo aperta est obligataque ut ante. Nihil sanguinis exiit, dimissæ oves ad pascendum ita durarunt spatio hor. 41. Post id tempus vulnus arteriæ incisæ detectum est, & subito erumpente sanguine animal mortuum est. Idem alteri, cui vena secta, evenit. Conspectumque est, venam nullo modo consolidatam.

d. XV. Julii. Tres oves captæ quibus arteriæ jugulares detectæ. Unius arteria dissecta per transversum, digitis comprehensa, ut nihil sanguinis emanaret. Aqua vulnus rigatum & digitis constrictum, per 10. minuta temporis. Retractis digitis statim sanguis exiit. Reditum est ad madefactionem & compressionem eam per 10. minuta alia, retractisque digitis similiter secuta hæmorrhagia. Ergo rursus irrigato vulnere & superimposito pulvillo, manu compressum est spatio 20. minutorum. Quo tempore cum exiissent sanguinis unciæ quinque vel sex, tandem ille constitit. Obligataque plaga, ovis dimissa statim cœpit comedere. Eodem plane modo tractata est altera, eventu quoque eodem, nisi quod loco aquæ stipticæ accepta sit aqua fontana pura, & octo vel decem unciæ sanguinis exierint antequam sisteretur. Tertiæ

ovi

ovi arteria dissecta est non per transversum, sed per longum, impositoque pulvillo madente aqua ftiptica, & detento firmiter per min. 20. Nihil fere sanguinis exiit. Obligata plaga in pratum missa est, in quod etiam priores duæ. Omnes hæ tres recte se habuerunt d. 15. Julii, quo in iis periculum factum, ut & seq. 16 sed circa hujus vesperam primæ caput intumescere cœpit, crevitque tumor usque ad d. 19. mane, quando mortua est. Alteri capiti similiter tumere cœpit d. 17. & d. 20. mane, illa quoque mortua est. Tertia ovis se semper bene habuit octo diebus, & tum fascia dempta est. Arteria consolidata inveniebatur, multa carne generata. Valueri impositus pulvillus ex linteo sicco & rursus fascia coostrictum. Post d. 10 deprehendebatur vulnus plane consolidatum cicatrice inducta.

d. XVII. Julii. Secta est in ove arteria cruralis, & eadem aqua stiptica adhibita: sed post triduum mortua est reperta.

Eodem die in alia ove arteria jugularis per longum est aperta, & aqua stiptica adhibita sine ulla sanguinis effusione Plaga fasciis constricta per continuos d. 8. detenta est, ut ne tangeretur quidem. Quibus elapsis inspectum vulnus est: optimeque habere se deprehensum, ut in aliis d. 10. sit prorsus consolidatum.

d. XVIII. Jul. Secta est arteria cruralis in ove & eodem modo ipsi medicina facta. Reperta est mortua post triduum.

Eodem d in alia ove aperta est secundum longitudinem arteria jugularis & aqua adhibita eodem modo, ut nihil sanguinis effunderetur. Vulnus obligatum servatum est per octiduum, ut ne attingeretur quidem. Elapso eo se habuit, & intra X. dies prorsus convaluit.

d XIX. Julii. Arteria jugularis per longum aperta in duobus hœdis. Adhibita est pro medicina aqua fontana, & nihil fere sanguinis exiit. Unus mortuus est intra quinque dies. Alter perfecte curabatur d. XV. absque fasciis, quibus vulnus obligaretur.

d. XX. Julii. In ove arteria jugularis secundum longitudinem incisa & vulnere satis longo: in alia eadem aperta angusto foramine. Priori adhibebatur pulvillus madens albumine ovi, & nihil sanguinis emisit; alteri pulvillus madens aqua fontana. Utraque penitus convaluit sine fasciarum solutione aut mundificatione vulneris.

d. XXI. Julii. Arteria jugularis in duobus agnis secundum longitudinem secta. Statim pulvillus superimpositus ex gossypio imbutus aqua fontana, & appressus manibus per 20 min. hor. Nihil fere exiit sanguinis. Intra d. 18. deprehensum est vulnera perfecte consolidata sine ulla alia providentia. Non vero hi agni tantum, sed omnes oves prædictæ, sub dio relictæ sunt dies noctesque sine ulla custodia.

d. XXII. Aug. Truncata ala dextra in duobus caponibus, in medio ossis superioris, obligatumque vulnus gossypio imbuto aqua puteali, & evaserunt.

Similiter ii evaserunt pulli gallinacei in quibus omnibus truncata alarum una: quorum sex Medicina facta, adplicito gossypio aqua communi madente: sed aliis appositum gossypium siccum, sex reliquis nihil adhibitum, Naturæ providentiæ relictis. *Caspar. Bartholini Thomæ Filii.*

Aqua Stiptica ex quibus constet.

Cum de aqua stiptica nuper incidisset sermo in pharmacopolio Johannis Gottfridi Becker, ipse, qua est rerum Chymicarum sagacitate, non dubitavit similem aliam aquam sanguini sistendo appropriatam posse componi, quod alios quoque attentasse acceperimus.

An vero paria cum aqua illa, quam Philippus Hacquart Hafniæ jam componit, & usibus mortalium destinat, facere possit, non ausim dicere. Quanquam enim sapor eandem indicet, potest tamen latere alia simplicis alicujus virtus, quam ignorant qui vera descriptione carent, quæ jam clementia Augustissimi Regis nostri Chirurgo dexterrimo Hacquartio innotuit, cujus etiam aquæ efficaciam experti sumus non semel, & omnibus quantum possimus commendamus: suspicatur vero Beckerus noster ad hujus imitationem posse componi aquam stipticam aliam, de qua, ut & de Vitriolo ipse ad Acta nostra hanc dissertationem misit, quam ex mente illius hic subjungam.

Aliquam partem aquæ stypticæ Gallicanæ nactus sum, eamque diligenti examine deprehendi constare ex vitriolo & alumine, quanquam hic commune vitriolum; non intelligam, sed ex Metallico vitriolo. Licet commune vitriolum, quod vel nativum vel ex terra extrahitur, etiam ex metallis accidentaliter exsugat, nam si nullum metallum in terræ visceribus reperiretur, nunquam vitriolum exinde produceretur. Sane cogitavi hic locum habere Juris-Consultorum axioma: quo quidque modo ligatum est, eo dissolvitur. Quod axioma ad Chemiam Hermeticam applicari potest, & ab alio hoc modo translatum est, sed alio sensu, quippe illi de vera solutione auri illo loco cum illius homogeneo primo eunte sive vero solvente explicandum judicat, scilicet, aurum debere radicaliter reserari, ut nova regeneratio & plus quam perfectio producatur, ita ut imperfecta metalla etiam tingat, & in istam formam commutet. Ego vero hoc modo applicabo, quo commodissime potest explicari: quandocunque quis se læserit, sive vulneraverit, quod solo ferre ferro sive ferreis instrumentis ordinarie, (quanquam etiam vitro aliisque rebus vulnerari possimus, sed ratione vulneris inflicti res eadem est) tum optime curabitur eadem materia. Aquæ stypticæ id concedo, plus tum valere, quando in forma liquida adhibetur, quia facilius datur illi ingressus quam formæ emplastri aut unguenti in vulneribus, sympatheticum tale emplastrum ante plurimos annos confeci. At unguenta & emplastra, quæ plerumque ex oleo & cera conficiuntur, prohibent accessum, ut omnes vulneris partes attingi nequeant, & quanquam unguenta mollia omnes particulas attingant, non potest tamen materia ex marte & alumine ita composita, quia aquosa, propter pinguedinem aggredi illas. Hinc, ut dixi, aquæ formam præfero, ita tamen ut vulnera bene claudantur, ne accedant impuritates. Ego meam aquam ita confeci. Recepi partem Limaturæ Martis, additis spiritus vitrioli rectificati tribus partibus. Blando calore quia per se calefit, imposui donec corpus dissolutum & spiritus coagulatus esset. Deinde tantum phlegmatis vitrioli (quod nihil aliud est, quam aqua communis, nisi spiritus aliquis in prima distillatione una adscenderit) additum ut bene solvi potuerit, & philtrari. Mox alumen crudum in sufficienti, pro lubitu, aquæ destillatæ pluvialis quantitate solvi, ne aquam Gallicanam acrimonia superaret, utramque aquas simul miscui, & per duos dies ita reliqui mistam, ut subsideret. Quanquam antea fuerit filtrata, tamen aliquæ fæces remanserunt, per subsidentiam separandæ, quæ nihil aliud sunt quam Sulphur vitrioli. Causa, cur sanguinem sistat & sanet sine eschara, mira non est, quia simile metallum dissolutum majoris longe est efficaciæ, quam si alio modo destruatur, quando solum aceto, quo bene omnia dissolvuntur, vel etiam sulphure destruitur, qui spiritus in labore evaporat, & ita Mars sicut caput

mortuum seu scoriæ remanet, quod ulteriorem nullum vel certe exiguum ingressum habet, quia periit ipsi spiritus, qui ipsum dissolvere debebat.

Existimo etiam aquam istiusmodi vitriolatam solam sufficere sanguini sistendo & curando, sed quia alumen priori aquæ admistum in examine deprehendi, etiam illud addidi, alioquin aqua vitriolata dulci foret sapore, & à priori differentl Quia memoriæ meæ jam occurrit, narrabo quid nuper mihi evenerit D D. Simon Paulli senior noster medicus, præteritis diebus ad me revisens, allatoque secum vitro aquæ flavæ, quod à Matrona quadam primæ notæ acceperat, quæsivit, annon constare possit qualis sit aqua & ex qua materia composita? Ego quamprimum gustu explorassem, statim divinare potui in his diu exercitatus quid illi subesset, inde duplici processu instituto, inveni primam aquam purpureo rubram eodem pene sapore, quam credo eandem habere virtutem, sed quia fæces per destillationem separatæ non sunt, colorem flavum accipere non potuit aqua, verum purpureo rubentem. Hinc mecum ratiocinari cœpi: si eo modo aquam siveris non credent illi, qui ea usuri sunt, eandem esse. Igitur secundam operationem tentavi, & ita destillatam aquam observavi eodem sapore præd tam & colore, adeoque eadem virtute. His finitis ex condicto reversus D.D. Simon Paulli visum quomodo successerit operatio mea, qui gustata utraque aqua, meam prorsus eandem esse judicavit, ideoque earundem quoque virium: idcirco utrumque vitrum secum tulit exploraturus eventus veritatem, de quo nullus dubito. Est vero aqua cosmetica ad faciei rubedinem tollendam cutemque levigandam, composita ex fixo & volatili sale unius subjecti. Igitur nisi similem hanc aquam cum altera mihi allata effecissem, non habita fuisset pro eadem vel ejusdem virtutis, quanquam nescius non sim, ipsum authorem hujus aquæ ignorare salem fixum & volatilem ex uno corpore esse. Quia verò hominem non novi; nec Chemiæ peritum credo, hæc relinquo: Sunt enim qui quidem componunt aliquid, idque recte, sed quia fundamenta rerum ignorant, sint licet periti, ulterius non inquirunt: Non facio cum illis, nec ita ego acquiesco.

De Liquore Styptico Experimenta.

Percrebuit hujus aquæ fama inter Gallos Anglosque naturæ curiosos, autore & inventore Gallo Dn. Vivient Colonello, & variis experimentis in Anglia confirmata fuit eo successu ut secretum hoc 5000. Imperialibus in usum classis suæ comparaverit Seren. Magnæ Britanniæ Rex, Hafniam nuper idem secretum advexit Dn. Boudet, de quo hoc Programma in vulgus disseminavit.

La veritable & infaillible Essence Styptique, pour arrêter le sang, dans toutes les Playes en un moment.

On doit convenir de bonne foy, que tous les siecles passez ont ignoré la nature & les qualitez merveilleuses de nôtre Essence Styptique; & que jamais on n'a trouvé un remede infaillible, prompt & sans crainte de retour, qui arrêtat le sang sortant de toutes sortes de vaisseaux, grands & petits, Arteres & Veines ouvertes, picquées, déchirees ou entiérement coupées; comme le fait cette liqueur, le bonheur & le prodige de nôtre siecle, le tresor abregé de la vie & de la santé publique: Elle a une qualité très particuliere pour le saignement du nez, pour le flux des hemorreides immoderé, & pour le déréglement des ordinaires des filles ou femmes. Dans les playes on ne sçauroit trouver un plus excellent remede; son effet se fait sur sur l'heure, & presque en un moment. Elle ne se corrompt jamais, & ceux qui la sçavent à fonds & d'original, la boivent comme de l'eau commune, en font l'essay sur leurs personnes; ce que les Copistes ou Contrefaiseurs de cette eau n'oseroient jamais entreprendre.

La maniere de se servir de cette Essence, est de tremper un tampon de linge dedans, & l'appliquer sur la playe avec une compresse par dessus, trempée dans ladite liqueur tenant les doigts par dessus.

Ladite Essence se fait par le Sr. Boudet, & on la vend avec permission des Superieurs.

Ut ab omnibus legatur; eand totam lingua faciet. Hic igitur verborum Gallicorum sensus est.

Vera & infallibilis Essentia Styptica ad sistendum sanguinem momento temporis in omnibus vulneribus.

Bona fide fatendum est, omnibus seculis præteritis ignoratam esse naturam & miraculosas qualitates Essentiæ nostræ Stypticæ, nec unquam inventum esse remedium infallibile, promptum & sine recidivæ metu quod sistat sanguinem exeuntem ex variis vasis magnis parvisque, Arteriis & Venis apertis, incisis, ruptis aut prorsus discissis, sicut liquor hic facit, felicitas & prodigium nostri sæculi, thesaurus compendiosus vitæ & sanitatis publicæ. Habet singularem qualitatem ad narium hæmorrhagiam, ad fluxum hæmorroidum immoderatum, & ad inordinatos menses puellarum & mulierum. Ad vulnera excellentius inveniri non potest remedium. Ipso quasi momento effectum suum prodit. Nunquam corrumpitur, & qui principia ejus & originem norunt, bibunt aquæ instar communis, in se ipso periculum facientes, id quod nunquam ausint tentare qui ad imitationem hujus similem aquam præparare præsumunt.

Modus utendi hic est, ut linea petia eo liquore imbuta applicetur vulneri, super imposito comprimente eadem liquore tincto, digitisque impositis.

Laudatam Essentiam conficit Dn. Boudet, venditque cum superiorum licentia.

Quanquam efficaciam Essentiæ suæ passim probatam à se fuisse affirmaret Boudet, veritatem tamen ejus experimenti ad oculum nobis quoque Hafniæ probare voluit. Igitur ab Illustrissimo Legato Gallicu Dn. Terlon Equite invitati complures Medici convenimus cum aliis Magnis parvisque spectatoribus curiosis, certissimi experimenti testes. Cani majori femur amputatum serrâ, mox petiam suam liquore styptico imbutam applicat Boudetus, & manu imposita vulnus velut velamine comprimente stringit. Nullus amplius cruor manare visus, nec ulla convulsionum indicia apparebant. Post mediam horam remota manu comprimente & petia, sine eschara visum vulnus nullo sanguine profluente, consolidatum, arteriis quanquam sub membrana tenerrima pulsantibus. Ut porro vulnus crudum curaretur, repetita petia vinculisque, & ligaturis injectis, canis in lecto stramineo quieti repositus, sed pede uno mutilus; laudantibus spectatoribus medicamenti astringentis insolitam virtutem. Ex vitriolo confectam esse aquam, gustu divinare potuimus, sed singulari modo præparato, quia sine vomitu bibitur. Narrat ipse Boodet ex senis ingredientibus compositam, & ex illis unum esse venenum, ita tamen attemperatum ut nocere non possit. Credendum illi sine testibus loquenti, quanquam rectius conscientiæ consuleret & publicę utilitati, si sine questu arcanum hoc propalaret, quod aliquando facturum non dubitamus, si Magnatum indulgentiam fuerit expertus. Jam enim in Anglia Serenissimo Britanniæ Magnæ Monarchæ revelatum esse secretum, & ab aliis quoque Medicis in Regia Societate Londinensi experimentum factum nobis narravit Illustris Legatus Anglicus, Hafniæ residens,

Dn. Tho-

Dn. Thomas Henshavv, Vir civilis prudentiæ & rerum Naturalium peritissimus, ut cæteras animi dotes, quibus fulget, prætercam.

De liquore isto adstringente dubia non pauca occurrunt, quorum solutio facilior foret si arcanus non esset. An Chirurgorum nostrorum pharmaca sanguinem supprimentia ex aceto, ovi albumine, vitello, pulveribusque adstringentibus, quibus magnas hæmorrhagias in amputatione artuum, mammarum &c. repressas vidimus non semel, paria facere possint, expendendum illis qui ignota in usum trahere dubitant. In eo tamen nota remedia liquor hic post se relinquit, quod citius vim suam exserat. Vix enim ante tertium diem vulgatæ aliæ aquæ removentur à vulnere, cum liquor iste secretus non quidem momento, sed post semihorulæ moram vasa astringat & membranula obducat sine eschara. Deinde magicam artem subesse, affirmare non audemus. Cardano si credimus, si ter super vulnus recitentur hæc verba, statim omnis sanguinis eruptio compescitur.

Sanguis mane in te, sicut Christus fecit in se.
Sanguis mane in tua vena, sicut Christus in sua pœna.
Sanguis mane fixus, sicut Christus cum fuit crucifixus.

Nomen Christi morborum esse terriculamentum non ignoramus, sed an bona Dei venia fiat, quod nomine sancto ad hæc abutamur, merito ambigimus. Novi amicum, qui ter repetito nomine Jesu, hæmorrhagiam narium quasi miraculo suppresserit, sine ulla alia, ut fatebatur, superstitione. Opposui oraculum: Non sumes nomen Dei in vanum. Reposuit, vanam non esse sanitatem. Respondi cum Theologis, solos illos recte usurpare nomen Dei, qui illud eo fine usurpant, quo ipse Deus illud usurpari mandavit. Ille vero quotidianas preces urgebat, quibus nos ab omni malo, etiam corporali, munimus, nomine Dei. Sed quo fuco illi factum suum regent qui ignotis verbis hæmorrhagiam sistunt? Ex Schedis Rhodii, olim Prævotii secretum accepi ab illo quidem, non me, probatum Si te quacunque inventa inscribas parti viciniori unde fluxu manat, in Viris Ophilon, In mulieribus Ophila, hæmorrhagiam cujuscunque partis sedari. Quicquid de his sit, pro magica curatione non pauci traduxerunt unguentum armarium, & pulverem Sympatheticum, quo & vulnera curantur feliciter, & sanguis supprimitur, cum per naturam, quamvis nobis occultam, succedat quotidie operatio sparata. Hujus pulveris sympathetici virtus jam tot experimentis confirmata à vitriolo dependet, quod primas tenere partes in liquore hoc styptico, nulli dubitamus, quanquam de veneno aliquo, aliisque ingredientibus, nebulæ quædam oculis nostris objiciantur. Illud sapore quasi sorex suo indicio se prodit. Mera solutio vel coctio vitrioli videtur. Difficultas augetur unica, quod innoxiè assumi dicatur. Et hic totum artificium latet, ut vitriolo emetica vis adimatur. Quod ubi successerit, in sanguinis vomitu cohibendo præclarum remedium inventum est.

Aliud experimentum ejusdem aquæ stypticæ Bondeti postea factum est in Arce Regia, me in prædio meo absente, de quo ita ad me perscripsit conjunctissimus Affinis & Collega. *D. Henricus à Moinichen.*

Præsente Serenissima Regia Majestate feliciter heri successit experimentum aquæ stypticæ in cane molosso, cui post acre cum Urso certamen postquam à motu & ira satis effervescere sanguinem constaret, circa horam decimam arteria carotis sinistra transversim dissecta est. Sanguinem ut in arteriarum vulneribus fieri solet, affatim & saltuatim prosilientem ex voto suppressit Aqua Styptica. In ea namque tincta linamenta præcisæ arteriæ imposuit Philippus Hacquard, ac in iis super compressit, ita ut nihil sanguinis amplius ex vulnere elabi visum sit. Quo autem de Experimenti veritate certius constaret, placuit post horulam vulnus detegere, quia vero amotis linamentis novum sanguinem præsecta arteria evomuit, aliis eadem aqua stiptica imbutis vulnus denuo impletum est, ac fascia super injecta apte deligatum est, ac canem ad tertiam cum dimidia à meridie reliquimus. At tum vulnere detecto omnibusque linteamentis amotis, nodam sine tegmine conspeximus dictam carotidem arteriam, ne guttulam quidem sanguinis amplius fundentem, unde & simplex tantum linea fascia vulneri injecta, & Canis, ne quiescentem jam sanguinem aliorum incuria iterum commoveret, ligatus ad Dominum suum Leonum custodem defertur, ubi & hodie ipsum vidi solutum & comedentem, & quod magis, ne guttula quidem sanguinis hac nocte è vulnere stillaverat nec adhuc stillat. Expeditior posthac erit magnorum vulnerum curatio, quia post aptam stipticæ hujus aquæ admotionem sanguis statim conquiescit, nec amplius è læsa vena vel Arteria fluit, & quod palmarium, nulla ab hoc medicamento crusta inducitur, sed sole ruentis sanguinis impetu inhibito, vulneri statim prospici potest digestivis ac consolidantibus. Et si ulterior fides adhibenda Bondetto (à quo Serenissimus Rex noster compositionem stipticæ hujus aquæ obtinuit) post ejus admotionem nullus inflammationis, gangrænæ vel convulsionis metus erit: unde cordatiores in posterum habebimus Chirurgos in arteriotomiis in magnorum vulnerum ac affectuum curationibus, In artuum & cancrosarum partium amputationibus; quas ob certissima ingentis hæmorrhagiæ pericula (alia ut sileam) permulti hactenus subterfugere Chirurgi. Jussu Regio propria manu aquam hanc confecit Philippus Hacquart, ejusque copiam promisit se daturum urbis nostræ Chirurgis, ut ejus vires data occasione ipsimet experiantur, ita ut non opus sit ad alia peregrina & conquisita & composita medicamenta confugere. *Th. Bartholinus.*

Aquæ stipticæ vis quo usque se porrigat.

Novissimus hodie liquoris illius styptici usus, quem Gallus ante triennium per Europam circumtulit, uberè, ob divenditum hincinde secretum, marsupii proventu. Est sane cur inventum laudemus in vulneribus cæsim inflictis, sed in punctim non perinde experimur utilem. Quin & in hæmorrhagia narium compescenda sæpe inutilem deprehendi. Scilicet quoties ora vulneris ubique attingere licet, est suus ipsi honos, cæteroquin hebescere vel, quod sequitur exemplum, clarè docuerit: Joachimus Nichel civis noster, in duello saucius ictum gladii excepit interna brachii dextri parte, paulo supra cubitum; penetraverat autem ferrum largo & profundo vulnere ad ipsam usque alam, fissa quoque quemadmodum postea constitit, arteria. Vocatus chirurgus familiaris G. Ursledius, arte vulnus tractavit ad undecimum usque diem, ambiguus tamen futuri ob ichorem tenuem & sanguinolentum quotidie profluentem, nullo puris laudabilis indicio. Sed ecce undecimo die improviso tanta vis arteriosi sanguinis subito prorupit, ut æger in deliquia ageretur, & in metum chirurgus. Scilicet grumus sanguinis, qui jam ante hiatum arteriæ malefido obice clauserat, nunc demum in pus conversus laxaverat januam exituro cruori. Accersitus ego, tentatis jam frustra aliis, quæ ratio & consuetudo in simili casu suggesserant; propono aperturam vulneris ad usque locum male affectæ arteriæ; sed renitente ægro, ventum ad aquam stypticam; qua per aliquot dies subinde injecta, licet bis reverterentur imi-

mensæ illæ sanguinis profusiones, novissime tamen stetit rivus in articulos omnes artis exeunte, qui una adfuit Ph. Hacquardo, cui artificium conficiendæ aquæ illius stypticæ jussu Regio crediderat Gallus. Visus sibi tum defunctus periculo æger, me omnia alia suspicante tum ob superventum ardentissimæ febris, tum ob respirandi iter angustius. Quid plura? Succedunt spasmi, tumores brachii & in manu summi dolores: decimo octavo die obit æger, laudatur nihilominus aqua styptica, quod egregie fecisset officium. Aperitur jussu Magistratus cadaver, ut de causa mortis constet: mirum dictu, deprehenditur arteria adhuc quidem aperta, sed via quam gladius fecerat, circa arteriam grumis ab aqua styptica generatis obsidetur quo minus cruorem profundat. Interea postquam arteria per vulnus obstrictum nihil posset effundere, memor tamen sui officii alio derivarat sanguinem; scilic. vicinorum musculorum interstitia oppleverat omnia, nec eo contentus liquor proserpserat ad usque medium pectoris; namque inter costas, sternum & pectoralem musculum dextrum inventæ nobis vel tres libræ corrupti & fœtentis jam sanguinis, unde asthma, febris; & denique mors ipsa pependerunt *D. Olai Borrichii.*

Circa Hafniensem Stypticum liquorem observationes particulares.

Accepimus Hafnia sub præcedentis anni 1678. principium, data sic occasione per Serenissimi nostri Legatum Dn. Prüeschenck à Lindenholen, famigeratum illum P. Hocquarti nunc liquorem stypticum. Et cum de effectu, externo scilicet, satis constaret, quodque promissis, licet experientes nonnunquam deseruerit, aut aqua saltem simplice, albumineve (referentibus in Actis Hafniensibus misc[...]aneisque Exercitationibus Magnis illis Bartholinis,) suppletus aliquando fuerit, de cætero tamen ut plurimum, sub competenti adhibitione satisfecerit; proinde potius ulteriori ingredientium, minus adhuc tunc secundum numerum proportionemque determinatorum perquisitioni dicare voluimus: in commune postmodum collaturi, quæ mihi forte specialius obvenissent: de interna vero exhibitione tantisper securi; non tam ob intermixtæ venenositatis cujusdam traditionem, quam opiatorum securiorumque adstringentium in ventris pectorisque, (quo modo laudati Dn. G. Bartholini observatio de Hæmoptoica pertinet,) affectibus præsentiorem (præ hujuscemodi strangulatoriis,) sufficientiam. Nam quod quidpiam, seu cochlear ejus, aliquando citra notabiliores interaneorum turbas datum foret, præterquam quod oppido sic minueret venenositatis suspicionem, id propter inhærentis vitrioli (mage forte martialis remissiorisque) pacitatem, aluminisque restrictionem, in robustiori forsan simul ventriculo, contingere potuisse conjiciebamus. Senarius autem numerus in liquore adeo limpido, eaque stypticorum diaphanorum, aut perspicuitatem mixturarum saltim postliminio non pervertentium paucitate, haut parum hinc fiebat dubius, Pachium in memoriam revocantibus, qui occultationis gratia longe plura, quam Hiera ejus requireret olim contudisse dicitur. Unde perreximus in suscepta perquisitione; donec alia quanto post D. D. Weherum, Med. Cæsar. librum de liquore styptico, sub Anchoræ sauciatorum inscriptione edidisse, in Germanicarum Ephemeridum Anno octavo legeremus. Et cum eodem tempore habitæ passim super ingredientia conjecturæ indies magis simul confirmarentur; insuper etiam per semestre, Serenissimos secuti, domo abesse teneremur, seposuimus collectas tunc observationes; usque dum ægre tandem tam[...] descr[...]tum libellum nuper nancisceremur, per sanguinis naturam ac generationem, ad ejus chirurgicam quoque conservationem, (medium cum applicatione sua perspicue tradendo) ducentem. Quod si compendio factum hic retulerimus, cum liber hodieque hisce in locis sit rarior, operæ pretium videmur facturi.

Constat itaque Viri Excellentiss. liquor vitrioli Ung. aluminisque cujusq; libra dimidia: solvuntur per ebullitionem in phlegmatis vitr. libris quatuor, remotisque in fundo concrescentibus crystallis, reliquoque filtrato, singulis ejus libris drachma una olei vitrioli permiscetur. Applicatur autem quintuplicatis splenuis, probe eo madefactis, & sub competente deligatione per dies aliquot, ne sanguinis (statim quidem coagulati) crusta perperam detrahatur, sic relinquitur, vulnere perfecte subtus curato. Intus autem una, si placuerit, pro facilitando effectu, exhiberi posse putat prælaudatus Author, solutionem Terræ sigill. cum vitrioli, vel etiam aluminis atque vitrioli conjunctim desilatorum spiritu paratam; utpote tinctura terræ catechu, similibus longe præsentiorem. Hæc ibi Vir experientissimus. Quibus & forsan aliis nobis nondum visis, an nostras quoque super Hafniensem seorsum habitas observationes nunc demum superaddere queamus, equidem diu hæsitavimus: tandem tamen nihilominus particulariorem potiorum hic circumstantiarum considerationem iis saltem, ad quos, remotioribus præcipue in districtibus, iis in specie vix vel nondum pervenit, futuram putavimus hanc plane inacceptam.

Color proin erat diaphanus, sed aqua simplici aliquanto obtusior; præcipue si vitrum simile viliusque foret: non aperte viridis aut cœrulescens vitrioli cujusdam præsertim nativi, in saturata hinc aqua solitarii vel supereminentis index.

Odor nec ut recentiorum vel per asservationem minus alteratarum solutionum vitriolicarum; nec tamen etiam phlegmatis vitrioli vel aluminis (vehementiori denuo calori hanc exposui,) instar: sed ut duorum triumve dierum pluvialis. An ulterius rosaceis quid mistionis initio affrictum fuerit, (ut occultanda odoriferorum tingentiumve pauxillo quoque obnubere solemus,) ex emortui jam, & è longinquo quasi perceptione conjecturali saltem, nunc quidem determinare nolumus.

Sapor deprehendebatur nec pure vitriolicus, (martialis aut adversior venereus;) nihilominus nec pure solum aluminosus, stypticus interea, & sub qualicunque vitriolici illius dulcoris nota, mox in austeritatem acoremque talium metallicum desinens.

Pondus, ut lagenula (de meliori luto adeo fere non ficta) aliquid improportionalius, (quod tamen vel externæ efflorescentiæ defectu tantisper non existimavimus,) absorbuerit, erat collata aqua simplici in tantum gravior, ut vitrum quinque ejus uncias capiens, dimidiam insuper liquoris admitteret.

Quod, quibus & quantis è contentis fieret, amplius investigaturi, evaporationem primitus tentavimus, sex (pro faciliori computatione) ejus uncia in patella vitrea successive, vegetiore tamen sub finem (cum ægrius nec sine acidi cujusdam perceptione ultima expiret humiditas,) calore exhalantes; ad eam, quæ in ejuscemodi concrementis haberi potest, siccitatem. Proveneruntque inde adstringentis & (inter quasi cœrulei nonnullibi aliquid) viridescentis coaguli drachmæ quatuor, fere cum scrupulo dimidio.

Exiccatum è guttis, lateribus vitri fortuito adhærentibus, sal ochrei coloris; aliud præterea albicantius, in repletioris adhuc vitri orificio interius concrescens,

crescens, (utrobique primo quidem subdulce, hinc tamen statim stypticum, demumque quasi ferrugineum,) hic tantum inter accessoria sunt: quemadmodum etiam instillati culto tantilli liquoris concrementum; super mediocrem ignem, post brevem & fere aluminiformem ebullitionem remanens; gustanti ab initio crocum mart. saccharinum; inde satis quid adstringens metallizansque referens.

Quo proin circa pondus constitutivorum essemus certiores, Præcipitationem insuper adscivimus: atque hinc sex dicti liquoris unciis, instillabamus unam Alcali (ex ana nitri atque tartari invicem detonatis,) in aqua simplici dissolutam, & filtratione à terrestri sua materia separatam: quo scilicet per alcalium prædominium eo certius securiusque pessundarentur omnia. Exoriebatur sic, si confertim id fieret, ebullitio sat valida cum fatiscentis quasi aquæ regiæ cujusdam odore: fundum verò petebat massa, pingue quidpiam, aut aluminis per dictum oleum tartari præcipitati, liquorisve silicum Gl. conglomeratum crassamentum exprimens; albicans primitus, hinc affusa copiosiori aqua, concussisque inter se omnibus, saturate, (in et tenues quosdam tunc cœrulei gyros) virens; separata demum (per edulcorationem quoque accedente) humiditate, post exsiccationem pulverem relinquens croceum, ipso tamen vitrioli Martis factitii croco longe vividiorem, mole diffusiorem quam pondere, quod drachmarum duarum & scrupulorum duorum cum dimidio erat.

Collectam vero prædictam (salinas tam ipsius liquoris, quam præcipitantis quoque alcali particulas continentem) aquam postmodo lente exhalantibus, proveniebant sicci, & tartaro vitr. longe magis lixiviosi coaguli desuper spicei, de cætero ex albo virescentis drachmæ novem cum dimidia; adeoque detractis alcali drachmis septem, duobusque scrupulis, (quia terrestri ejus substantia filtro separata, cum ibidem absorpti salis tantillo, facile scrupulum unum excedit;) particularum salinarum liquori styptico propriarum drachmæ duæ, scrupuli duo.

Quod autem v. g. guttis octo vel decem aquæ simplici tribus unciis instillatis, invicemque (cum istæ prius in fundo conglomerentur,) concussis, totum lactescentem colorem induerit, parum huc fortasse conferet: singularius erat; quod post semestre demum domum redeuntes, in residuis adhuc quinq; præter propter unciis invenerimus ad vitri fundum expansum aliquod, liberè natans, crassioribus aranearum telis in molendinis simile, colore griseum: atque post idem pene tempus, (quieto in angulo vitro aquositateque mage consumpta,) simile denuo, in superficie primo collectum, hinc sidens, scrupulorum duorum (cum conjunctim filtro separata & edulcata essent, pondere, odore in prunis satis sulphureo; pondus residui liquoris de cætero potius, quam saporem, nostra quidem opinione, mutantia.

Atque hæ quidem tum temporis successive notavimus. Quo vero eundem, quoad ejus fieri posset, aut æquivalentem saltem liquorem hinc erueremus, post varias ponderum ac putatorum ingredientium, præcipue vitriolorum permutationes, sapore tandem atque pondere (tam separatorum quam conjunctorum) eo ducente, in anaticam incidebamus proportionem aluminis atque vitrioli; non præcise martialis factitii, laboriosi ac præter rem carioris, (licet eadem inde eadem ratione oriantur producta;) vel è venalibus speciebus eo titulo, seorsim selecti; sed Goslariensis tantum alteriusve boni sat virentis. Solvebamus proin utriusque unciam dimidiam contusam moderato calore, & (cum operosum, necessitatisque tempore vix requisita quantitate suppetens vitrioli phlegma, in sulphureitate sua, alias facile dissipabili, forte nil, in exigua vero vulgaris destillationis acetositate parum conferre videretur,) saltem in aquæ simplicis (cui tamen ferrata quoque seu fabrorum sua substitui posset) unciis quinque: in sex enim color pene fiebat dilutior, sapor remissior, pondus duobus scrupulis minus; in minore autem quantitate, præter proportionis in sapore, pondere atque colore intensionem, tractu temporis salini quidpiam,) quod etiam in proportione quadrupla supra laudatus D. D. Weherus notavit,) quasi concrescere, (& quidem magis aluminis formiter,) incipiebat. Filtrabamus hinc totum, qui ob vitriolum obscurior prius, limpidus nunc prodiret liquor; secedente simul ochræ impuritatumque vitriolicarum, (cum alumen raro quidpiam deponat,) grano uno ad alterum interdum; variant enim ista ibi exoterica. Hæc erat nostra tum imitatio.

Ut autem effectus in oblatis tantisper tunc fortuito vulneribus, &c. (nam ulterius progredi nec dabatur nec vacabat, similiter quoque statim erat evidens; in hæmorrhagia narium Serenissimi cujusdam, prius incompescibili, per siphunculum aliis aquis dilutum,) injiciendo præsentaneus, addito, secundum D. D. Weheri animadversionem, vitrioli spiritu, adstringentior: ita color quoque atque sapor, (de odore enim etiam affricto dicere supervacuum foret, cum Hafniensi, (nostra quidem opinione, apparebat idem, aut saltem vix distinguendus. Pondus eodem recidebat; & liquor in vero quinque aquæ simplicis unciarum capaci, ut intermixtas aquositati minerales particulas,) uncia dimidia ad lancem pariter existebat gravior altera dimidia uncia, (quod pristinæ sex provenirent,) restante, pro drachmis quidem tribus, in vitro mixturam illam antea continente, pro residua drachma in filtro, utut exiguo & satis expresso.

Dum autem simplex unciarum sex coagulum, eadem methodo collectum, similiter superiori in colore pondere responderet; nec separatus per alcalinam præcipitationem crocus, aut productum postmodum salinum coagulum ab istis differre videtur; colore croci ob candicantis aluminis terræ accessum æque diluto; odore vero sub præcipitatione talium pariter instar aquæ cujusdam Regiæ, ob nitrosas adhuc in alcali isto latentes particulas, urinosique in alumine tantillum, de quo alibi,) exurgente: majorem proin potius imitamenti nostri illustrationem experimentorum, circa vitriolum atque alumen, eorumque constitutiva, seorsim ac diversimode (per præcipitationes aliasque separationes, coagulationes, proportionales ponderationes, lentas evaporationes, &c.) habitorum collatione, indeque instituta supputatione tum quæsivimus; sed tamen (quod petimus,) sub unius alteriusve grani forte latitudine, & salvo quod ajunt, (in ea constitutivorum) variatione, extranearum dispersionum facilitate, &c.) errore calculi.

Insunt itaque vitrioli, (pro modulo suo sicci, nec impuritatibus externis affluentioris,) unciæ dimidiæ, (secundum prædictorum experimentorum modus atque proportionem,) terræ sat edulcatæ & siccæ drachma una, scrupuli duo cum dimidio; utpote nondum per ignem quid, (ut in colcotare) passæ eoque minutæ. Salinarum, hic quasi concentratarum, aquosisque minus (ac in vitriolicis salificationibus artificialisque confectionibus,) complicatarum particularum ad minimum scrupuli duo. Aluminis porro unciæ pariter dimidiæ terræ saturninæ albissimæ & molis, antequam in tragacanthinum fere

Ee 4 quidpiam

quidpiam coëat, diffusissima, communiter scrupuli duo, grana quatuor; salinæ substantiæ drachma una præter propter: (utroque enim: quod uni parti, pro paritatis siccitatisque ratione, ac metallicarum ab acido absorptarum particulicarum variante quantitate decedit, accedit alteri.) Si terræ jam, ut dicuntur utrinsque, (aluminosæ scilicet ac vitriolicæ) invicem misceantur, prodeunt denuo, eodemque colore, supra notatæ binæ drachmæ, scrupulique duo cum dimidio. Sin salinæ: habentur pariter iidem, ejusdem saporis ac coloris quinque scrupuli. Si denique utræque conjungantur, & exurgentes hinc, præter grana quatuor, scrupuli tredecim istis aquæ simplicis quinque unciis, aquosarum (natura sibi adhærentium, & ut simplex ibi phlegma constituunt, ita aquæ simplicis loco pondereque venientium) particularum medio (ceu in crudorum istorum duorum ingredientium dissolutione fit,) copulentur; è dimidia earum uncia (seu scrupulis duodecim) protinus id vitri quincuncialis superpondium, quod semunciæ secundum proportionem erat, provenit, residuis granis viginti quatuor in restante liquoris styptici semuncia hærentibus sive natantibus: uti ex adverso absolutæ illæ sex ejus unciæ facile habentur, si, (simplici solum additione,) aquæ simplicis unciæ quinque, mineralium (inibi gravitantium, & ex alumine vitrioloque profectorum) scrupuli, cum granis quatuor, tredecim, ac utriusque phlegmatis) spontanei quasi nec violento igne, etiam à salina substantia peoitus expressi) scrupuli septem, grana sexdecim, (ponamus è vitriuli semuncia drachmam, unam semis, ex aluminis eadem quantitate drach. unam, præter propter cum sex granis,) invicem computentur, sed tantum de liquore hoc. Si interea logistica conjecturæque nostræ circa ingredientia eorumque præcipue proportionem non fefellerint; (verum telæ simile quidpiam in vitro negligentius obturatu, sicque per menses aliquot reposito concrescere occipit;) negotiuti saltem curiositati, (quod speramus & rogamus,) ignoscet benevolus feliciorque circa talia Lector. Sane licet interea, cum duo faciunt idem, non protinus fit idem: si tamen alius, saltem aliquantum variato ingredientium, v. g. pulveris laxativi pondere, eundem nihilominus effectum in catharsi adsecutus fuerit, peccasse propterea non creditur. De cætero de renitentissimo, inter salina coagula, alumine, alibi forte agemus: ut & de vitrioli vitriolatorumque (etiam in chirurgi, singulari, (ceu inter recentiores quidem, præcipuè quoque notavit in Physica sua subterranea Expertentissimus D. Kirchetus) vulgo interea minus in usum tracta, efficacia. *Dan. Ludovici.*

Magna dentis hæmorrhagia.

Anno Christ. 1655. Civis quidam Ratisponensis nocturno tempore in subitam hæmorrhagiam è dente quodam intimo, ac carioso superioris maxillæ in latere dextro inciderat, ubi sanguis subniger, serosus, per horas septem continuas, tanquam ex siphone prufiliit; post multa alia medicinalia, adhibitis ventosis siccis sine scarificatione, sæpiusque deorsum in dorsu ad lumbos usque deductis, & assumpta oris collutione ex decocto astringentium, sanguis quidem destitit, sed ad horam & ultra serum plane clarum, subalbidum ac salsum adhuc sequebatur. Inde conjecturari licet, cum sanguinis acrimonia cum abundante sero salso hæmorrhagiæ raotæ ansam dederit. *Helwigii.*

Scholion Schrockii. Magnaa ex dentibus, vel gingivis potius, hæmorrhagias alii etiam adnotarunt; potius quales in Scorbuticis non raro observantur, vix aliam ob causam, quam quæ ab Auctore nostro in Casu præsenti à seri acris in sanguine abundantia desumitur. Unde Clar. Gualt. Charleton libr. de scorb. cap. 14. art. 5. diti hujus in scorbuto symptomatis causam in sanguinem, luxuriante supra modum sero dilutum, vel sale volatili acri, à quo debita ejus consistentia pereat, abundantem, sicque orgasmo exagitatum, per arteriolarum oscilla erumpentem, rejiciendam arbitrabatur. Quo etiam referre liceat fabri illius ferrarii lienosi historiam, cui è venula (ut quidem Donatus vocat, cui tamen rectius fortasse arteria substituenda erit, quæ in superiori maxilla à carotide interiore, in inferiori autem ab exteriore ad dentes propagari solet,) gingivæ, ichorosi sanguinis libras amplius octo effluxisse, Marcell. Donatus lib. 4. hist. med. mirab. c. 9. refert. Et Alex. Benedictus lib. 5. de curand. morb. c. 3. ex gingivis profluvia sanguinis incredibilia, supra modum salsa, vidisse se testatur. Tanta nonnunquam illa exoritur, ut ipsam etiam mortem comitem inveniat. Talem Hollerius Comm. 2. ad Aphor. 18. lib. 2. sect. 2. Coac. Hipp. memoravit, scribens. Nos vidimus è loculo dentis longo tempore sanguinem profluxisse, qui nullis remediis cessit ægrumque tandem sustulit. Idem accidit juvenculæ in septimum mensem gravidæ, apud Gregor. Horstium par. 2. lib. 1. observ. [illegible] 25. quæ in hæmorrhagiam subitaneam gingi[illegible], sanguine confertim & magna copia per tres septimanas continuas effluente, inciderat, maculis sanguineis, ac sudore sanguineo, tandemque morte ipsa subsequutis. In cujus observationis resolutione aliud porro exemplum magnæ sanguinis per gingivas excretionis lethiferæ profertur. Feliciorem vidit successum Illustr. D D. Paulus de Sorbait in Murario, cui sanguis post diuturnam tertianam ad 24. libras ex gingiva effluxerat, pulvere tamen chalcanthi & cauterio actuali personato, ut ipse obs. 48. Anni 11. Ephem. Germ. Cur. recensuit. Et femina illa apud Nic. Tulpium lib. 1. obser. med. cap. 49. plus æquo poculis dedita, plurimum sanguinis quotidie ex gingivis effundens, difficulter quamvis, sanata perhibetur. Nonnunquam carnosa gingivas excrescentia desœdans, magnum ibi sanguinis fluxum efficit, qui excisione illius feliciter curatur; ceu ejus specimina apud Joh. Mekerarum c. 16. & 25. observ. chirurg. occurrunt. A dentibus etiam evulsis immodicas sanguinis evacuationes contigisse scimus; qualem Valleriola lib. 5. obs. 3. à dente putrido sine ulla vi ac sine ferro, sola digitorum lenissima apprehensione educto, ex arteria subdita, rivuli instar è fonte per triduum manantem, brevi tamen curatam, descripsit. Hæmorrhagia quoque ingens à dente evulso curata habetur in obs. Laz. Riverio communic. à D. Petro Pachequo obs. 18. nec non obs. 22. Achill. Gasseri apud Geor. Hieron. Welschium in Syllog. curat. & obs. ut & obs. 72. Joh. Udalr. Rumleri apud Eundem. Egregius ille Ulmensium Chirurgus Joan. Scultetus tria remedia part. 1. Armament. Chirurg. tab. 29 §. 11. adnotat, quæ varias hæmorrhagias & deploratam quoque illam gingivarum, extractiones dentium violentas excipientem, infallibiter compescant, illudque, multa inter alia, exemplo Bractearii cujusdam confirmat, qui ob violentam a Circumforaneo dentis molaris evulsionem, incompescibilem fere in gingivæ hæmorrhagiam delapsus fuerat. Sed neque in hisce sanguiolentis fluxionibus semper exspectanda est salus, dum vel ob sinistrum remediorum usum, vel aliam ob causam, sanguinis impetus sisti nequit, & mors atra una cum

humore

humore illo vivifico ipsam effudit animam: Sic duos extracto dente, ob multitudinem sanguinis obiisse Cardanus de caus. sign. & mo b. ac Felix Platerus lib. 3. obs. fabrum ferrarium, ab extractu dente canino, quem sanguinis saltu quodam exsilientis, subtilis, rubri, & fervidi per triduum eruptio, nullis remediis compescenda, insecuta fuerat, exspirasse notarunt. Qua occasione magnam Agyrtarum imperitiam, fraudem & audaciam obiter perstringere licebit, dentium extractionem sæpe non necessariam, inconsideratius, argenti scilicet una extrahendi causa urgentium, quorum inutile officium ut Magistratus auctoritate inhiberetur, multoties necessum foret, ad Turcas potius ablegandum; Famosa enim illa humanitatis monstra, referente Menavio, scriptore Italo lib. 3. c. 22. Chirurgis suis olim interdicebant, ne sine impetrata Regis licentia dentes extraherent, dubio procul non negligendum sanitatis damnum declinaturi, uti Exc. Goth. Mœbius c. 6. Medic. physiol. loquitur.

Notabilis Gingivarum hæmorrhagia.

Mercarius Italus Viennæ, ad aureum Cervum ex gingiva ad 24. libras sanguinis post diuturnam Tertianam emisit, & tandem sanguinem pulvere chalcanthi & cauterio actuali s[illegible], ex toto convaluit, nec minimo hydropis remanente vestigio. *Pauli de [illegible]bait.*

De hæmorrhagia universali, ex ictero nigro lethali.

Sanguis, vivificum flumen, aliquando coacte, nonnunquam velut pertæsus exitum affectat è corpore, & tanquam profugus ad internecionem fœdere rupto conspirat. Vidimus plus simplici vice in febribus ardentibus lethales hæmorrhagias narium, nulla arte compescendas, (quamvis in quibusdam cesserint ordinariis præsidiis,) donec extremum frigus, sanissima mente vitam exolveret. Ast non una via excidere eundem, & consimilem tamen [illegible], vel ex litum spontaneum, sequenti observavimus historia. Vir primarius, LXXIX annorum, per plures annos cardialgia, hinc calculo laboraverat, per vices repetitis insultibus, remittente tamen dolore illo, postquam in calculum successive coierat tartarea mucilago, ob hypochondriacum πάθος consummatum præ se ferebat corpus cachecticum. Non raro tumere pedes, inprimis sinister, consensu laterali solenni, commoda tamen diæta cavere sibi, non minus ac medicamentis. Prædixerat Astrologus, ex infausto Saturn. aspectu mortis genus ex ictero nigro futurum, quod seu conjecturam probabilem casus firmavit, seu archeus ex conceptis Ideis morbosis sibi exitium hoc struxerit, eveniebat tandem.

Oculi, icteri præcones, flavedinem concipere, orina cum sedimento tartareo, rubro, copioso, croceo colore linteamina tingere, corpus totum concolor reddi, alvi scybala non tingi. Visos alias morbus facile cedere vel unico purgante cholagogo, experimento Galeni & aliorum, imo nostro quoque, visus aperientibus generosis martialibus, infusis, nitrosis, hic rebellis restitit. Per duos prope menses durante fabula, color è flavo in fuscum tendens minitari mortem dudum quasi prævisam, terrore tanto majori incusso, quò certior credebatur eventus jam jam respondens prædictionis. Tandem, cum obstructa intimius vasa, & sine dubio cæmento tartareo bilis concreta negaret effundi consuetis loculis, licet vomitu amaricante os inficeretur nonnunquam leviter, sanguis serosus merus per os excretus mox excipiebatur, hæmorrhagia narium, per alvum quoque concretos multus exibat, & urina cruore tincta ubivis patulas portas seu perruptas potius ostendebat. Ita per omnes vias effusus, nequicquam præstante arte omni, corpus morti tradebat. Denegata anatome nihilominus certum est, hepatis glandosos acinos æq; ac papillas biliosas, induratas, obstructas & tantum non scirrho occupatas fuisse, lympham sanguini incoctam omnem successive, bilem grumulatam in folliculo suo, sanguinem vero inspissatum, rarefactum tamen biliosa amurca citatum in motum, & præcluso debito spatio pro absolvendo circulo, illapsum laxioribus poris viarum ordinariarum erupisse, nulla humana arte corrigendum. Eodem propemodum tempore relationes publicæ narrabant, strenuum quendam virum militarem sanguine per os, aures, oculos, nares seditiose arumpente vitâ functum, *D. Georg. Wolffgang Wedelii.*

Hæmorrhagia penis spontanea.

Longius foret disserere de multiplici usu quem corpori nostro fœnerat nectar illud vitale, sanguis, qui motu indefesso machinæ nostræ circulat mæandros. Nec levius nobis facesseret negotium, si eundem esset per omnes vias, quibus diffluere potest tam pretiosus latex. Non tamen æque tritæ sunt hæ semitæ, cum hac eatur frequentius illac rarenter. Tristius, hercle, omen habetur, si profluentem viderimus; ubi ne rivum expectassemus. Quamvis interdum, qui sponte reserantur fontes, obserentur gratuito, ipsa se corrigente natura, ne videatur errasse. Cum non ita pridem, per me, post Deum, in gratiam cum sanitate redi[iss]et aliquis cruenta mictione quam gravissime laborans; accidit, ut alius è vicinia meam contra Ophthalmiam efflagitaret operam medicam. Dum autem varios invicem sermones cædimus, narrat sibi, ante aliquot annos, ex insperato largum profluxisse sanguinis imbrem, per membrum illud, quo viri sumus. Nesciebat planissimè quid de Thyrso fieret, alia omnia exspectans potius, quam sanguinem; qui observatus maximum incussit terrorem. Ubi vero per sesquihoram durasset hic æstus sanguineus, intrescens commodum, eadem, qua proruperat, sistebatur indolentia, nullo, ne quidem levissimo, tristioris cujusdam relicto symptomatis vestigio. Ego varia quæsivi huc spectantia; interrogans, numne causas quasdam scire potuisset hujus hæmorrhagiæ? an non, vel calculus ipse, vel equitatio succussans, vel gestatio gravioris oneris, aut aliquis in diæta error præcessisset, vel usus Aloëticorum quorundam medicamentorum, quæ oscula reserassent venarum, hanc rupissent cataractam? Verum omnia hæc negavit constanter. Hinc patet ipsam naturam, quasi provido consilio, imminens amoliri gestientem periculum, per hanc sentinam, superfluum tantummodo eructasse sanguinem. Atque ita hæc fidem celeberrimo conciliant Koxakio, dicenti, Tract. de Hæmorrhagia, lib. 1. cap. 11. pag. m. 302. Simplex sanguinis mictio non omnis est æque vel molesta, vel noxia, sed interdum & quædam utilis patientes à multis gravioribus tum liberans, tum præservans affectibus. *D. Georgii Hannæi.*

Ex ulcere penis hæmorrhagia enormis orta arte facili quidem, at singulari cohibita.

Chirurgus quidam in affectibus venereis curandis satis

tatis bene versatus me noctu ad ægrum accersivit, qui ex apertâ arteriolâ in ulcere inter glandem & præputium penis tantum sanguinis illa nocte profuderat, ut ipse exsanguis propemodum videretur. imò ausim dicere, me dimidiam cupam linteaminibus cruentis oppletam in cubiculo, ubi ille decumbebat, invenisse; non aliter ac si fœmina quædam in procinctu puerperii fuisset. Diversi generis styptica applicuerat Chirurgus ante meum adventum, hoc ullo tamen levamine, compressioni vix ullus quoque ibi locus erat, propter membri constitutionem: itaque in summis angustiis erant & Chirurgus & æger; quem tamen momenti temporis spatio ab hoc periculo, Dei auxilio, liberavi, idque remedio simplicissimo: scilicet glandem penis præputio strinxi, & sic præputium arctè digitis compressi, unde ne gutta quidem amplius effluere potuit, sicque mihi fuit restitutus. *Frideric Ruyschius in Observationum Anatomico-Medicarum centuriâ.*

Alia in eôdem argumentô Observatio.

Non ita pridem cum Henrico Annema peritissimo in hoc civitate Chirurgo vocati sumus ad ægrum, ex cujus membro virili per urethram 14. circiter sanguinis libræ effluxere, idque interdum tanta vi, ut majori urinam excernere non posset. Quod cùm sit hujus parti vitium dignum ut posteritati ejus historiam hic annectemus

Jan Huybreckz annos 52. natus, vir robustus atque vegetus, habitans in vicô dictô Vocquestere, ultimo Januarii 1668 onustus sacco tritici, dum per asserem super aquam positam transiret, pedemque versus marginem figeret, alter invertebatur eâ ratione, ut inter ipsius pedes asseris acies existeret, in quam pondere tritici ita comprimebatur ut peritonæi atque testiculorum mira contusio adesset, absque vulnere externo aut hæmorrhagia, donec dimidia post casum elapsa hora urinam emitteret, tunc enim primò tria circiter sanguinis cochlearia effluxere, urina clara & sine sanguine mixta subsequente, quæ acrimonia sua summos in urethra excitabat dolores, nunquam tamen sanguinem effluxisse nobis retulit, nisi dum rursus urinam redderet. Cùm itaque per horas 4. dies non nisi exigua quantitas sanguinis per urethram effluerer, operæ pretium non existimabat Medici cujusdam auxilium implorare. Quid contingit? Quinto à casu die, cùm supra sedem sese ponens, partes contusas aliquantulum durius agitaret, sanguis cum pulsatione tanto impetu per urethram effluxit, ut adstantes ipsum jam jam moriturum crederent. Ne tam omnia sanguis uno impetu effluerer, aliquis consanguineorum penis partem anteriorem tamdiu comprimebat, donec nostrum auxilium implorassent. Domum intrantes, inter uxoris, filiorum filiarumque ejulatum, mburum, & sanguineorum suspiria, ægrum in miserrimo illo statu invisimus. Lecti tegumenta & reliqua ipsi vicina non aliter sanguine erant conspurcata, ac si tubos in loco illo, ubi æger decumbebat, jugulatus fuisset. Intelligentes modum quo cecidisset, & quod per 4. dies consequenter exigua semper sanguinis quantitas, solummodo ante urinæ emissionem effluxisset, judicavimus spongiosam urethræ substantiam, ejusque arterias læsas esse, licet tam impetuosi illius sanguinis effluxus causas non sufficienter conciperemus. Præterea explorantes in inferiore abdominis parte, immediate supra pubis ossa, tumorem instar capitis infantis magnum, asseruimus illum propter dictam penis constrictionem à regorgitante in vesicam sanguine originem habere, quemadmodum dictum nostrum eventus confirmavit: & explorantes ægrotantis pulsum, eum debilem ac languidum, propter tantæ copiæ sanguinis effusionem, invenimus, quapropter hærebamus dubii, quibus inter tot ac tanta hinc primò occurreremus, cogitantes præsertim, quod à sanguinem sistentibus, sanguis in vesica nimium incrassantur, & ab attenuantibus contra sanguis in corpore fluidior evadens, majori etiam copia per arterias, ob casum internè dilaceratas, efflueret. Tandem aliquando re, ut decebat, examinata, ex arena cepimus consilium, & diximus invicem potiori malo succurrendum esse, quod cum à nimia virium debilitate, propter sanguinis effluxum immineret, similem mixturam qualem magnus Professor noster Franciscus De le Boë Sylvius in praxi sua, nuper edi cœpta lib. 1. cap. 3. proposuit, ægrotanti nostro ad virium corroborationem & sanguinis fluxum sistendum præscripsimus: quandoquidem propter summam virium debilitatem venæ sectioni non daretur locus, & præterea perinæo, cùm partis effectæ compressionem per ligaturas non possemus instituere, medicamentum astringens applicuimus, atque sic ægrotantis vitam per illam noctem conservavimus; sequenti die reversi, cùm sanguinis fluxus necdum in totum cessaret, & vires paulo melius constarent, venam ipsi in brachio aperuimus, atque decoctum vulneratium præscripsimus. Tertio die ægrum nostrum, quem mediocriter pro tempore constitutum dereliqueramus, in pessimo statu invenimus; nam præterquam quòd ex nimia inanitione singultus, etiam à sanguine in vesi[...] al[i]s partibus corrupto, ingens febris excitab[...]. Gravissima hæc symptomata, cùm post itera[...] enematum ex lacte dulci & electuarii diacath[...] unc'a cum dimidia injectione minuerentur, decocto vulnerario quædam diuretica addidimus, quæ sanguinis grumos jam semi-corruptos feliciter ex vesica propellebant, cessante sensim cum febre singultu. Paucis, præter ea quæ enarravimus, medicamentis ægrum nostrum in mortis bilance versantem, Deo benignè annuente, parvo temporis spatio feliciter restituimus. *Regnerus de Graaf libro de Virorum organis &c.*

Venæ cruralis spontanea apertio.

Rustica quadrata triginta & quod excurrit annorum, plurimum liberorum mater, cùm denuo concepisset, sub ultimum circiter gestationis mensem ann 1685. quotidiano labori vacans, in femore sinistro, non procul ab inguine, è vena crurali turgescente, sed sponte aperta, hæmorrhagiam insignem patitur, cui ligaturis, aliisque vulgaribus album ovi cum aceto rosae. applicatis vicini occurrerunt: quatuordecim ab hinc diebus, cùm prata verrendis sola incumberet, vulnusculum nuperum enormiter recrudit, cui misella aqua frigida, qua corpus tantisper potuit medelam quæsivit, postquam binis hisce vicibus ultra quatuor libras sanguinis perdidisset, quarta septimana ægra mirum quantum intumescere cœpit, inprimis collum versus, quod instar aquæ lympidæ pellucebat. Die 2. August. cùm nos convenirent, actaque narrarent, sinistrum eventum prædiximus, in primis si dolores partus ipsam non corriperent, huncque ob finem misturam convenientem præscripsimos, quæ ex parte hausta, ab ipso mane infantulum feliciter enixa est. Sub vesper. cùm ipsam inviserimus cum D. Schorhopff. de partu gratulati fuimus, juxta vero ægram pallere deprehendimus, tumore colli quamvis remis-

tem.ttente, & circa præcordia per intervalla oppimi: exhibita hinc una altecave dosi diaphor. jovial.cum mixtura cordiali additis blandis volatilibus porreximus, commendatis juxta jusculis & prohibito vino: quibus cùm ipsa sedulo obtemperasset, licet paroxysmus graviores quandoque intercurrerint, attameo, Deo benedicente, pristinam sanitatem feliciter recuperavit. *Joh. Jacob. Harderus in observationibus Anatomico-Practicis.*

De hæmorrhagia ex ulcere tibiæ varicoso.

Fœminæ quadraginta annorum ulcus in tibia dextra exortum est à causa interna supra varicem satis amplum, quod nullis remediis obtemperabat, aderatque tumor & erysipelas satis grave nullis medicamentis morem gerens.

Post aliquot dies inopinato ab humore acido, corrosivo illic hærente apertus est varix, ex quo adminimum duæ libræ sanguinis nigricantis ac (ut astantes asseverabant) in effluxu valde fætentis promanaverunt.

Ego placentam illam dnriusculam ex medicamentis acidum temperantibus conflatam, quam in Observatione sexta primæ Decadis laudavi, à Chirurgo imponi curavi, & sic varicem non tantum obtoravi, verum etiam acidum illud in ulcere hærens temperavi, quod alias corrosione sua varicem facile iterum aperuisset, ac præterea ulceris curationem impedivisset.

Erat visu mirabile, quod, postquam varix inexpectato apertus tantam sanguinis copiam profunderat, erysipelas, aliaque symptomata mox evanuerint, & ulcus, de die indiem melius habens, intra tres septimanas solius prædictæ placentulæ ope protsus coaluerit.

Ego jam temporis minime mihi proposui originem ac medelam varicis, ulceris, ac erysipelatis tradere, quandoquidem illud in observatione sexta primæ Decadis satis accurate executus sum, & mihi semper, si cuiquam alii, crambe bis cocta mors est.

Sed animus mihi est hic loci per experientiam confimare, quod dixi & egi in primæ Decadis observatione sexta, quam indubitatum nempe si erysipelas ac ulcus originem suam trahere ab acido, & quam opportune instituerim sectionem varicis in ulcere illo tibiæ varicoso.

Hæc autem sine ullo negotio ex allato exemplo deducuntur, nam nec erysipelas nec ulcus, ullis remediis cedebat, quamdiu varix ille tanta nigricantis & absque dubio mora sua acescentis sanguinis copia repletus erat, & quam primum sanguis ille peccans effluxerat, erysipelas evanuit, ulcusque non longo post coaluit. *Johan. Muys Praxeos Chirurgicæ rationalis Decade.*

Ad hæmorrhagiam ex dente evulso, Remedium.

Clariss. Sylv. Samuelis Anhornii De Hartwiss. Ephemerid. German. Cent. 1. & 2.

Hærent dentes aliquando ita fortiter & profundè alveolis suis infixi, ut etiam expertissimis in hoc artificii genere magistris, licèt feliciter laborare, ex hæmorrhagia vix compescibili famæ dispendium quandoque immineat. Non pauci fuot, quibos constringi laceratæ arteriolæ nulla arte potuerunt, donec cum meliore vitæ thesauro, ipsam vitam exspirarent. Facilè & haud unquam fallens auxilium ad reprimendum fatale hocce diluvium, hic addidisse tanto minus lectori displicebit, dum ejusdem pluties in desperatissima hujusmodi sanguinis ad usque deliquia profusione, vires præsentissimas expertus sim. Est verò hoc nihil aliud, quàm nucis juglandis particula accensa, & flagrans alveolo dentis extracti indita. Ni statim voto effectus respondeat, secundà & tertià vice est repetendum, & nucleus fortiter alveolo imprimendus, quo læsa arteriola tangi, & calore ejus constringi commodè possit. Sic sine ullo excitato dolore omnis hæmorrhagia in momento cessabit. Patiens verò per horas aliquot quietus manebit, nihil masticabit, minùs calidum quid hauriet, potius de aqua ad hæmorrhagiam Sylvii aliquid per horas degustabit, donec vires paulatim redeant.

Plura alia de Hæmorrhagiis videri possunt in Bibliothecâ nostrâ Medico-Practicâ.

HÆMORRHOIDES.

Curationes.

Quamquàm sanguinis omnis fluxus periculosissimus sit, is tamen, qui ab hæmorrhoidibus est, si modum servare videatur, consuevit sæpenumero prodesse. Advertit insuper Hippocrates à diuturnis sanato hæmorrhoidibus, nisi una servetur, aquam intercuteam vel tabem imminere: hæc autem certo supervenient, cùm immoderatè fluunt, aut ichores inde exudant, ut pluries experientia comprobavit.

Tument autem & rubent nonnumquam hæmorrhoides, & dolorem acerbissimum afferunt, ideò & capiti gravamen cordi, & pectori oppressionem, stomacho nauseam, & alvo duritiem pariunt. Huic incommodo variis occurrere consueverunt Medici: conferentiora verò putantur linimenta ex oleo vitellorum ovorum, seminum lini, buxi, balsamo sulphuris Rolandi, lacte aucco, sambuceo, unguento linariæ, populeo, & malorum insanorum. Scribit Henricus ab Heers, seipsum à Castrensi Pastore edoctum, expertum esse, minimum quid scrofulariæ, sive radicis, foliorum cum cibo aut potu assumptæ, statim dolorem hæmorrhoidum sedare. Hartmannus & Horstius maximi faciunt linariam, quam in linimento redigunt cum vitello ovi. Et apud Riverium Pacquens ex Arnaldo Villanov. summè commendat Infusum millefolii in aqua fervente, & per mensem integrum epotum. Chelidonium minus mirabile prædicat in omnibus hæmorrhoidum vitiis Solenander. Millepedes effert Quercetanus, & Hœferus, in oleo nucum excoctos. Aliter ex illis oleum conficit Borellus, illudque sæpius in die frigidum admovet dolentibus tumentibusque hæmorrhoidibus. Hartmannus utitur decocto scarabeorum rotundorum in oleo lini; itemque cinere suberis cum axungia cati, vel oleo myrtino. Decoctum rapsi barbati, malvæ, althææ, parietariæ, & quatuor anodynorum efficax aliis dicitur; itemque corpa alba sub cineribus cocta, & cum butyro recenti subacta instar cataplasmatis. Helmontio commendantur annulus dentis equi marini, & morientium sudor, quo hæmorrhoides, & extuberationes quascumque solo contactu comprimi, & complanari scribit. Oleum ex floribus sambuci, vel ex cortice ejusdem interiori in oleo seminum lini, vel nucum incocto cum modico croci ex voto aliquando feliciter profecit. Cardilucius in Hartmannum, excellentissimum se expertum

tum dicit emplastrum Apostolicum, quod dolorem sedet, & sanguinem effluere sinat.

His præterea immodice fluentibus medentur millefolium insusum, radix scrofulariæ, tormentilla, bistorta, C.C. ustum, ut & suber essentia mart. in aqua sempervivi stillatitia, & alia sistendo sanguini opportuna superius relata. Conficit Solenander pilulas ex bdellio, trochiscis terræ sigillatæ, & carabe, cum liquore è seminibus cotoneorum ex aq. rosar. expresso; quas mirabiles fatetur: scribit etiam, tribus seminibus genistæ mane quotidie sumptis, hæmorrhoidum, & cujusvis sanguinis profluvium sisti; itemque epota aq. stillatitia chelidonii, aut etiam (quod tutius ait) vino, in quo chelidonium ipsum fuerit maceratum. Externe vero fluentem sanguinem cohibere referuntur fumigationes ex thure, aloë, mastiche, pice, carabe verbasco, foliis quercus, crepitu lupi, qui solus siccatus, & venis sanguinem fundentibus admotus, remedio est: fluxum quoque inhiberi ex croco mart. inspersо testantur alii: & Heurnius pulvere colcothoris, seu vitrioli usti. Si tangantur, inquit Frid. Hofmannus, hæmorrhoides tuberosa radice chondrillæ, siccantur, si chondrilla siccatur, corrumpuntur, si corrumpatur; quare sub camino exiccandam consulit. Cingulum conficit Hartmannus ex foliis hellebori nigri recentibus, quo nudum corpus circumdari ait successu felicissimo: atque hoc etiam cohiberi etiam menses immoderate fluentes. Succus plantaginis injectus cæcas quoque hæmorrhoides sanare fertur. Lotio ex urina propria, mox fumus sulphuris per tritorium exceptus dolori, & fluxui aliquando medela fuit, ex Velschio. Cætera alibi ad sistendum sanguinem descripta ex vitriolo, alumine, marte, opio, hic etiam adhiberi possunt.

Si denique à suppressis hæmorrhoidibus mala in corpus universum prolificantur, ac propterea opus sit illas reserare, indeque sanguinem elicere, præcipuum erit elixir proprietatis Paracelsi simplici etiam infusione paratum. Conferunt pariter pilulæ Aloëphanginæ, Rufi, Rhasis, Aloë, croco, & succo absinthii subacta, & quidquid ex Aloë est compositum. Interim adhibenda quæ venas ipsas emolliant, ac relaxent, uti potissimum sunt balnea ex decoctura laxantium herbarum, malvæ, althææ, anethi, violarum, quatuor anodynorum, & similium. Post hæc solent nonnulli foliis ficus, aut frondibus parietariæ illas perfricare, ut sanguinem deponant. Idipsum alii tentant succo cæparum aloë misto. At cavendum ne nimio attrictu partes illæ exasperentur, & inflammationem contrahant quam non raro gangræna comitatur quamobrem satius erit medicamentis internis sanguinis exitum promovere, vel ejusdem vitium moderari; cæterius verò blandioribus uti. *Lucas Tozzi Medic. Pract. lib. 2.*

De Hæmorrhoidum fluxu.

N. B. Hæmorrhoides diuturnæ non sunt statim supprimendæ, metu refluxus ad nobiliores partes; unde phthiseos, hydropis, cancri, maniæ, epilepsiæ, aliorumque gravissimorum morborum impenderet periculum. Fluxus itaque non astringentibus illico sistendus est, sed potius revulsione, sanguinis acrimoniæ correctione, toni partium corroboratione, &c. sensim minuendus.

Victus sit refrigerans & humectans. Vescatur utplurimum carnibus elixis juniorum animalium. Alterentur autem juscula boragine, buglosso, portulaca, agrimon. plantag. pimpinell. pomis, trifolio, acetosa, sylv. fruct. berber. addit. C. C. ebore, dente equi marini, rad. chin. tormentill. Fiant aut in aqua sæpissime chalybeata, vel saltem in lebete ferreo. Colatura acidula reddatur cum sp. vitrioli corallat.

Notandum, ea esse in cibo danda quæ non sunt duræ substantiæ, sed facile pertranseant, & mollia reddant excrementa; siquidem durities fœcum maxime noxia in huc affectu. Ova sorbilia, succus carnium, sorbitiones crebræ maximè conveniunt. Abstineat ab omnibus acribus, salsis, præcalidis.

Potus sit ptisana cum china, rasura dentis hippopor. ebor. C. C. rad. tormentill. glycyrrhiza. Pomaceum cum iisdem & rad. filipendul. scrofular. major. &c. paratam, ita ut cum iis f. fermentatio. Amygdalata, & emulsiones ex quatuor frig. sem. maj. in aqua chalybeata, addit. plantag sem. sophiæ chirurg. & portulac. Julapiæ item v. g.

℞. Ros. Rub. p. iij. flor. veron. rub. p. iv. violar. borag. buglossl. an. p. ij. rad. tormentill. ℥iij. sant. citrin. ℥j. aq. fontan purissim. ℔ iv. cum sp. vitrioli corallat. q. s. f. tinctura. Colaturæ adde tertiam vel mediam partem pomacei, & saccharo edulcoretur.

Somnos convenit visceribus, ut labor articulis: propterea cavendum à vigiliis & lucubrationibus quæ sanguinem acuunt & fluxum augent. Somnus omnes fluxiones sistit, excepto sudore & seminis fluore.

Exercendum moderatè corpus ante pastus, & abstinendum à vita nimis sedentaria.

Ad fæces ex primis viis eliminandas injiciatur clyster leniens cum cassia vel elect. lenitiv. Decocto autem admiscenda sunt roborantia & astringentia quædam, ut dum liquor enematis fæces educit, qualitas intestino impressa remaneat, verbi gratia, ros. plantag. sophia, alchymill. &c.

Validiora purgantia noxia: Conveniunt syr. ex cassia, violarum solutiv. de pomis solutiv. cum tamarind. polypod. cass. feun. sem. & rad. violar. Prima laxantia cum manna. Horum ope (si alias alvus non respondeat) toto curationis decursu fæces, antequam nimis induruerint, subducendæ sunt.

Revulsio, præsertim in plethoricis, tentanda est per phlebotomiam brachiorum sæpius iteratam in parva quantitate: in aliis per cucurbitulas sæpissimè regioni hepatis applicatas.

Chalybs sive ferrum, specificum in hoc affectu remedium est, obstructiones viscerum tollens, atram bilem (nam hoc morbo laborantes plerumque sunt hypochondriaci) domans & plurimum dulcificans, viscera roborans. Incipiendum à syrupo de scoria ferri vel alio chalybeato cum cichor. tormentil. scrofular. filipend. portulac. plantag. prunell. vinc. per vinc. alchymill. &c. Inde veniendum ad vinum vel cerevisiam chalybeatam. Parentur autem ex croco Martis aperient. parato ex ferro, non ex chalybe; vel ex battitura ferri. Tandem f. progressus ad substantiam Martis, inter cujus præparata maximè in hoc casu convenit ferrum cum aceto præp. Ex hoc fieri possunt Electuarium vel pilulæ, addit. margarit. corall. &c. sumend. mane per longum tempus. Horum medicamentorum formulæ sint hujuscemodi.

Scoria ferri decies ignita & extincta sit in succo plantag. & portulac. addita vin. alb. Rhenan. tertia parte. Pulveris hujus postea exsiccari.

℞. ℥vi. rad. sicc. scrofular. maj. filipend. tormentill. an. ℥j. rad. cichor. taps. barbat. an. ℥iß. sem. sophiæ chirurgor. plantag. an ℥ß. rasur. dent hippopor. C. C. ebor. an. ʒiij. santal. citrin. ℥ij. Omnia præparata macerentur in q. s. succ. depurat.

bugloss.

bugloss. acetosell. sylv. granator. cerat. cydon. & vin. alb. supereminentiam viij. digitor. Postea coletur, & cum sacchar. rosar. q. s. f. syrupus. Sumat cochlear. ij. unoquoque mane ad dies plures ex aqua tapsi barbati, portulac. plantag. & ros. rubr.

Cerevisia medicata ferrata pro potu ordinario in hac forma instituatur.

℞. Rad. chinæ ℔j. rad. verbasci sicc. ℥vi. rad. fœniculi, asparagi, rusci an. ℥iv. rad. scrofular major. ℥iij. rasuræ dentis equi marini ℥v. batturæ ferri in vino Hispanico sexies extinctæ, atque in porphyrite cum aqua rosarum pulverizatæ, sacculo inclusæ seorsim ℔j. nuc. moschat. num. vi. cerevis. lupulat. galon. vi. fiat, ut artis est. Bibatur per mensem unum vel alterum.

Si vinum magis arriserit, eadem in vini q. s. infundantur, Colaturæ bibat ℥iv. bis in die.

Electuarium tale fit.

℞. Conserv. ros. rubr. & flor. taps. barbat. an. ℥iß. flor. papav. rhœad. ℥j. pulv. rad. symphyt. major. tormentill. an. ʒiij. scrofular. maj. rasur. dent. hippopot. an. ʒß. C. C. ℥iiß. magister. perlar. corall. an. ʒiij. ß. tinctur. corall. chalybeat. & lap. cydon. an. q. s. f. Electuarium. Dosis ʒj. cum chalyb. vel ferr. per acetum præp. ℈j. m. ß. f. bolus mane sumendus per dies plures sensim augendo chalyb. aut ferr. ad ℈ij.

Vel ℞. Magister. corall. & perlar. dulcis (forsan satius esset ad dulcificationem ista communi modo præparata sumere) croci Martis corallini, gumm. arabic. an. ℈j. Excipiantur pauca conf. mororum rubi idæi, f. bolus mane sumendus, & sæpe repetendus.

Vel Pilulæ chalybeat. formari possunt ad hunc modum.

℞. Salis tart. crystallini ℈j. corall. rubr. trit. in alkool cum aq. menth. & absinth. gran. xv. succin. alb. præp. bol. Armen. præp. croci Martis corallin. alb. an. gran. xii. gum. Arab. gran. ix. cum succo liquido sive extracto glycyrrhizæ mellagineo f. massa, ex qua form. pilul. deglutiendæ mane hor. 4. ante prandium.

Aquæ spadenses & minerales acidulæ multum valent in hoc affectu.

Corallii syrupus sic fit.

Corallina item magnæ sunt efficaciæ, ut syrupus, magisterium dulce, & tinctura corallii.

℞. Corall. rub. opt. lævigat. ℥iv. acet. acerrim. succ. limon. an. ℥vi. macerentur in fimo per dies xv. ad tincturæ extractionem, coletur, colaturæ adde succi depurat. cydon. ℥iv. succ. fragor. moror. rub. Idæi sylvest. an. ℥ij. sacchar. ros. dimid. ponderis, f. s. a. syrupus, cui indatur nodulus continens nuc. moschat. ʒij. santal. citrin. ʒiij. Dosis cochl. ij. mane & vesperi.

Tinctura rosarum rubr. opem haud levem confert, præcipuè si extrahatur in aqua duodecies chalybeata & filtrata; & acidula reddatur cum spiritu vitrioli, addito syrupo rib. berber. moror. corallor. aut julap. Alexand.

Julapium item seq. haud contemnendum est medicamentum.

℞. Succ. urtic. alb. ℔j. aq. ros. ℥iv. sacchari ℔. f. julap. utendum bis in die cum aqua hordei.

Hæc sunt medicamenta præcipua quæ internè exhibere soleo, & in quibus curationis symptomatis hujus spem summam colloco. Neutiquam verò omittenda sunt *Topica*, quæ vel inflatas hæmorrhoidas externas discutiant & earum dolorem tollant, vel earumdem fluxum nimium sistunt; vel hæmorrhoidum internarum (cæcarum dictarum) dolorem leniant.

Inflatas hæmorrhoidas externas discutiunt & earum dolorem tollunt sequentia.

℞. Unguent. popul. (quod potentius præparabitur cum succis hyoscyami, cicutæ, mandragoræ, solani, stramonii spinosi Indici) ℥ij. cochinelliæ (quam specificam in hoc morbo asserit Rhedus) in alkool lævigatæ in porphyrite ʒij. plumbum ex mercurios facti, sive mercurii per plumbum odorem coagulati in tenuissimum pulverem reducti ℥ß. m. ß. & diuturna agitatione f. unguentum applicand. è bombace, & continuo gestandum.

Vel ℞. Ol. lini puriss. & limpidiss. q. v. radic. bulbos. Telephii (Anglicè *Orpin* dicti) quantitatem convenientem. Hæ recentes detersæ non lotæ incidantur & terantur in mortar. marmor. mox ollæ parvulæ fictili inditæ cum oleo; vel potius lapideo vasi apprimè tecto vel obturato immittantur, cacabo aquæ ferventis pleno, & bulliant per sex horas continuas; f. fortis expressio olei servandi ad usum, qui erit intincta pluma tubercula liniendo, & sumendo floccos lanæ nigræ circa ovis nates sive podicem crescentes, ex qua lana formetur pulvillus, qui tinctus & imbutus oleo prædicto applicetur.

Si sanguis discuti nequeat, venas opplens, rumpantur, & effluet sanguis; sic minus, detumescent venæ, & cessabit dolor.

Efficacius autem unguentum erit, si aut succum exprimas ex radicibus, & cum oleo mixtum coquas ad succi consumptionem, aut radices novas contusas eidem oleo ter quaterve indas, coquas & exprimas.

Vernix, qua pictores utuntur, est remedium singulare in curandis hæmorrhoidibus tam apertis, quàm latentibus: at si apertæ fuerint, & nimia tenaciter vernix cuti adhæreat, additur ol. rosatum. In ista autem vernice tingatur pannus lineus & admoveatur. Hujus usu sanatus est Carolus quintus à muliere, cùm nulla ope curari posset.

℞. Unguent. popul. ℥j. cass. fistul. recenter è canna extract. ʒiij. mucilag. sem. psyll. & cydon. extract. in aq. tapsi barbat. ʒß. albi Græci ʒij. m. s. & agitentur diu multumque in mortario plumbeo, f. linimentum applicandum è bombace.

Vel ℞. Unguent. popul. ℥iiij. vernic. liquid. ex ol. sem. lini & gumm. juniper. fact. ℥ij. sacchari Saturni, albi Græci ana ʒvj. opii in aq. scrofular. vel tapsi barbati dissolut. & inspissat. ad mellag. ʒv. m. s. & adde usus tempore vitellum ovi crudum.

Fol. scrofulat. maj. cum butyro in forma cataplasmatis ano applicata hæmorrhoidas externas purgant & dolorem sedant.

Denique oleum seq. ad hæmorrhoidas est specificum.

℞. Scarabæos in stercore bovis repertos numero 50. asellos vivos numero 200. rad. scrofular. majoran. succulent. per taleolas sect. rad. chelidon. minor. ana ℥iv. succi tapsi barbati, solani hortensis an. ℥vi. succi cicutæ, mandragor. baccar. solan. somnif. an. ℥iij. olei lini recentis ℔j. medull. crurum bovis ℥iv. sperm. ceti ℥iij. Bulliant. simul ad succorum consumptionem & ingredientium putrilaginem, deinde f. expressio fortis, & servetur pinguedo, quæ cum æquali portione unguent. popul. mixta servetur in pyxide plumbea ad usum. Applicetur ex bombace. Ex isto litu addita

cera poterunt formari suppositoria ad necessitatem.

Ad fluxum immoderatum sistendum utiliter exterenè admoveri possunt sequentia.

℞. Unguenti populei ℥ij. mucilag. sem. psyll. & cydon. extract. in aqua plantagin. & spermat. ranarum ℥ijß. ossium humanorum ad summam albedinem calcinat. ʒvj. bol. Armen. croci Martis astringent. sang. draconis, sang. human. vel bubul. desiccati & subtil. pulverisat. an. ℥ß. vitell. ovorum numero 2. sacchari Saturni ʒiij. m. f. & longa agitatione f. *Nutritum* applicandum ano cum bombace molli. Vel.

℞. Plumbi albi (vide de sumenda residentia præcipitata in parando lacte virginali) ℥ß. cretæ ʒij. croci Martis astringentis, lap. scissilis (*ardoise*) an. ʒj. f. omnium alkool excipiend. unguent. popul. agit. diu in mortario plumbeo, & f. linimentum satis durum applicandum bis in die ex linimento carpto. Potest excipi partibus duabus vernicis pictorum, & una unguenti populei. Vernix autem præparetur ex ol. lini ℥xii. terebinth. Venet. ʒiv. sandarac. puriss. sive gum. juniperi ℥iiß. Liquentur simul lento igne.

℞. Cochlear. limac. in vitibus collect. mundat. & in clibano exsiccat. ℥j. cum ℥j. butyr. recentis, agitetur tamdiu in mortario plumbeo donec f. linimentum.

Item aselli; vel æs ustum cum ol. rosar. agitatum in mortario plumbeum unguenti instar.

℞. Suberis q. v. uratur, & in pulverem redigatur, qui mixtus cum ovi albumine applicetur.

℞. Terr. Sigillat. boli Armen. trochisc. spod. de carabe an. ℥j. succi urtic. alb. ℔ß, alb. ovorum q. s. f. litus quo ungatur anus ter in die.

℞. Rosf. rubr. summit. rubi, verbasci, caudæ equinæ an. manip. j. cort. granator. balaust. nuc. cupress. aluminis ana ʒij. aqua plantag. ℔ij. f. decoctio ad ℔j. Colaturæ adde mell. rosac. ℥j. f. fotus.

Experimentum Patris Ottonai. Pulvis quidam instar furfuris qui adhæret filici, ceterach, osmundæ regali; vino alb. vel aqua Rosar. locus humectatur, mox pulvere aspergitur.

Balneatio in aqua fabrorum multum juvat.

Anus abluatur decoct. virg. aur. sanguinar. vinc. pervinc. sanguisorb. &c. parat. in aqua chalybeat. & conspergatur Cornu Cervi calcinato.

Suffitus fiat ex eodem decocto cum dimidia parte aceti projectis in scoriam ferri candent. excipiend. in sella perforata.

Cataplasma lumbis potest applicari ex argilla emollita succis plantag. portulac. sophiæ & acet. ros.

Si ab hisce fluxus immoderatus sisti nequeat, tunc rebus desperatis veniendum ad ferrum candens quo venæ sunt urendæ & cauterizandæ: quo casu venam unam intactam relinquere sæpe necesse erit, ne fluxu omnimodè simul suppresso pars aliqua ex nobilioribus pœnas luat.

Si sanguis ab hæmorrhoidibus internis immoderatè fluat, quæcumque ex prædictis commodè ano injici vel indi possunt, similem his ac externis opem conferunt.

N. B. Ubi aliquid indendum est ano quod partes affectas tangat, sumatur tantum sebum cervinum, damæ, vervecinum, &c. ex quo, ut statim docebitur, præparato poterunt projici in modulos suppositoria variæ magnitudinis, quæ unguento populeo aut vernice liquida delibata immittantur ano.

Sebum sic præparetur.

℞. Tapsi barbati florem album gerentis totius minutim concisi man. ij. foliorum hederæ terrestris, chelidon. majoran. totius ana man. j. rad. scrofular. majoran. & chelidon. minor. an. ℥ij. rad. hyoscyam. concis. ℥iij. capita papav. albi majorao. numero quarto aqua vel succ. rosar. plantag solan. ana ℔ß. axungiæ suillæ recent. ℔j. sibi cervin. ℥iv. Coq. ad herbarum putrilagin. & liquorum consumptionem, f. expressio fortis pinguedinis ad usum dictum.

Quoniam autem hoc genus hæmorrhoides cæcæ dictæ, cùm non fluunt, sunt admodum dolorificæ, sedari potest dolor à seq.

℞. Emuls. sem. papav. alb. fact. cum decocto fol. taps. barbat. ℥iv. mucilag. sem. fœnugræc. & psyll. extract. in aqua solan. ℥. unguentum popul. cum vitel. ovi dissolut. ℥ß. m. f. pro injectione facienda, quæ quamdiu fieri poterit, continuabitur bis in die tepide.

℞. Sebi hircini, vel, si desit, alterius q. s. ad formandum suppositorium; huic adde opii ℈ß. Alliga filo, immitte ano, dolorem tollit, somnum consequenter conciliat, qui, si sit nimius, extrahatur.

Unguentum anodynum potens fit ex succo stramonii & axungia, formantur veluti suppositoria quæ induuntur ano. Compescunt dolorem hæmorrhoidum quasi miraculo. Stramonium autem sumatur spinosum Peruvianum. *Theodor. de Majerne Praxeos Medica lib. 3.*

De Hæmorrhoidibus, ac earum Chirurgiâ hæc habet Hieronymus Fabricius ab Aquapendente.

De hæmorrhoidibus agentes, non Chirurgiam tantùm trademus, ut in aliis factum est, sed primò naturalem hæmorrhoidum historiam præmittemus. Deinde quisnam usus hæmorrhoidum in medicina sit, explicabimus. Ultimò Chirurgiam administrabimus.

Ad primum quod attinet, Hæmorrhois est vox composita, παρὰ τὸ αἷμα, quod sanguinem, & ῥέω, quod fluo significat, & sanguinis fluxum, seu effluvium sonat. Quod licet ad venas referatur, sanguinem fundentes, non tamen omnes venæ sanguinem fundentes hoc nomine appellantur, sed tantum Celsus, & Galenus de Theriaca ad Pisonem, Capite 5. venas sedis, & uteri, hæmorrhoidas appellarunt, fortè per excellentiam ita nominantes, quod præ cæteris, venæ tum ani, tum uteri frequenter fundere sanguinem soleant: unde Celsus Libro 6. Cap. 18. idem affirmans, & loquens de venis sedis, dixit; ora venarum, tanquam ex capitibus quibusdam surgentia, quæ sæpe sanguinem fundunt, hæmorrhoidas Græci vocant: & subjungit; idque etiam in ore vulvæ fœminarum incidere consuevit. Idem quoque sensit Paulus Lib. 3. Cap. 59. Quo loco advertendum, Galen. Celsum & Paulum, potiùs ora venarum hæmorrhoidas appellare, quam venas; & meritò, quia ex osculis sanguis effunditur; & quia ejusmodi ora sanguinem sæpe fundentia sunt potissimum in utero, & sede, ideo in his tantùm partibus hæmorrhoidas esse censuerunt. Causa autem, cur in sede capita venarum assurgant, & intumescant atque ora aperiantur, & sanguinem effundant, duplex esse potest; prima est, quando natura à sanguine crasso irritata, eum ad venarum capita propellit, & ora aperit; altera

verò

veró causa explicatur ab Hippoc. Libello de Hæmorrhoidibus his verbis. Cum bilis, aut pituita ad venas recti intestini decubuerit, intelligatis vos, bilem, quæ à poro felleo in intestina evacuatur, & pituitam similiter in ventriculo genitam, & quæ ad intestinum rectum transmittitur, & ex mora calefit, & salsa redditur, utraque sanguinem, qui in venis est, calefacit; calescentes autem venæ, ex vicinis venis sanguinem attrahunt; & ubi replentur, interna sedis pars intumescit, & capita venarum supereminent, & partim dum à stercore exeunte comprimuntur, partim dum à coacervato sanguine coguntur, sanguinem ejaculantur; atque hoc maximè quidem unà cum stercore, aliquando veró etiam sine stercore. Hæc ait Hippocrates. Nunc hæmorrhoidum differentiæ proponendæ sunt. Prima differentia hæmorrhoidum ea est, quia alii habent, alii non habent; quam differentiam posuit primò Hippocrates, dum dixit; Qui hæmorrhoidas habent, &c. & ex ipsa experientia, & rei natura elicitur, quæ etiam differentia observatur, non solum in singularibus, sed etiam in una magis, quam in alia regione; unde qui septentrionalem plagam incolunt, paucissimi solent hæmorrhoidas habere; contra qui Meridionalem. Puto ego id provenire ex frigiditate, & caliditate aëris ambientis, quæ in illis quidem venarum ora adstringit, in his veró humores, & sanguinem exurit, funditque, & ora venarum aperit. Secunda differentia sit illa, quam Paulus innuit Lib. 3. Cap. 59. item Aetius Lib. 14. Cap. 5. & ante ipsum Galenus in Isagogicis Introductionibus, quod aliæ hæmorrhoides sint cæcæ, seu obcæcatæ, aliæ apparentes, & apertæ. Apparentes notæ sunt; etenim sunt venarum ora hiantia, & aperta; cæcæ verò, seu obcæcatæ sunt, ut puto, quarum alias ora aperta fuere, nunc verò obcæcata sunt, & clausa; etenim ejus, qui nunquam hæmorrhoidas habuit, impropriè dicimus cæcas esse; Ideò Aetius cæcas hæmorrhoidas appellavit, semper intumescentes, nihil aut parum admodum excernentes. Tertia differentia est, quia hæmorrhoides aliæ sunt, quæ sanguinem fundunt, & tumidæ non sunt; aliæ verò, quæ sanguinem fundunt, & tument. Quæ non tument sunt tutæ, & inculpatæ, si modò moderatè fluant; quæ verò tument, signum est non omnem sanguinem emittere, sed crassum in se continere. Rursus hæmorrhoidum, quæ cæcæ sunt, & tument, aliæ ichores effundunt, aliæ saniem; quæ saniem, sunt exulceratæ; quæ verò ichores, excoriatæ non sunt, sed ex porositatibus, propter intumescentiam adapertis fluunt; ideoque in nixu egerendarum fæcum ichores affunduntur. Alias quoque hæmorrhoidum differentias, videlicet quinque adhuc proposuit Gal. Lib. Definitionum Medic. quia à magnitudine, multitudine, figura, loco, & constitutione desumuntur. A magnitudine, cum aliæ magnæ sint; aliæ parvæ, aliæ mediæ. A multitudine, cum plures in aliis pauciores habeantur. A figura, quod nonnullæ angustæ, quædam lata sint basi. Item quædam uvæ acinum referant, tum figura, tum magnitudine, tum atro colore. A loco, quando aliæ in ano, quædam in sphinctere, id est strictore, aliæ in recto sunt intestino. A constitutione, quoniam aliæ mites sunt, aliæ malignæ, carcinodes dictæ; & præterea aliæ gangrenosę, alię non. His propositis hęmorrhoidum varietatibus, & differentiis, ea postremò proponenda est, ut sciamus hęmorrhoidas alias quidem fieri à vena portę, seu lienis, alia à vena cava. A vena lienis hęmorrhoidas fieri omnes tum antiqui tum recentiores testantur, & ipsa Anatome confirmat, quæ demonstrat, à vena lienis, à porta deducta, propaginem effatu dignam rectà deorsum ad rectum intestinum produci, & tertò magis ad coccygem in ipsum inseri, & propagari; at à vena cava, hoc est, à propaginibus venæ cavę, quæ in magna cavitate ab osse sacro, & coxendice efformata producuntur, duo effatu digni rami antiquis ignoti, ad anum propagantur, à dextra scil. & sinistra parte; qui per intestini, & sedis musculos disseminantur, quæ ipsas venas, constituunt hęmorrhoidales, sanguinem fundentes, quæ non sine ratione sanguinem fundunt; nam venarum rectitudo primò confert, inde sanguis suo pondere illuc influens, ac descendens, venas implet, ac distendit, postea sequitur musculorum motus, qui constringendo exprimit; tum dilatatio intestini, & musculi à fæcibus succedit. Omitto Hippocratis rationes superius adductas, quæ omnia, aperiri ora venarum cogunt; & ut lem profusionem promovent, ad morbos tum præcavendos, tum debellandos.

Sed antequam id disquiramus, videlicet, quomodo hæmorrhoides morbos tum arceant, tum sanent, non incommodum est, ante omnia, duarum propositarum venarum historiam exactè recensere. Venę hæmorrhoidales, quæ potiùs vasa hæmorrhoidalia dici deberent, quod venæ à cava deductæ comitem habeant arteriam, non tamen ab Antiquis vasa, sed venæ dictæ sunt hæmorrhoidales; quod uti opinor, vena hæmorrhoidalis lienis arteriam non habet adjunctam, vel potiùs dicamus, quia venarum ora non difficulter aperiantur, & sanguinem fundant; arteriarum vero aut nequaquam, aut maxima cum difficultate; quia arteriæ corpus durum est, & ora adstricta sunt; tum verò arterialis sanguis evacuatione non indiget, cum rarò quantitate, aut qualitate peccet, ut venarum sanguis, ideo eum natura quasi thesaurum sibi conservat: hic igitur venarum sanguis, hoc sanè modo primum à porta ad sedem derivatur; etenim à magno portæ ramo, qui ad lienem fertur, quasi ab ejus medietate, propago effatu digna oritur, & rectà per mesenterium ad rectum descendit intestinum, quæ longè supra in ipsum pertingit, & discurrit, quam ad ultimas intestini oras finiatur. Ultimò, oris sui terminum ad intestini finem habet, multis, non tamen omninò exiguis propaginibus, præsertim cum tument, & sanguinem fundunt. At alia vasa hoc sanè modo à cava vena, & magna arteria ad anum deducuntur; etenim à magna utriusque bifurcatione, ut sic loquar, in ultimis lumborum vertebris facta, duo maximi rami hinc inde, unus tum venæ, tum arteriæ in crura propagantur, in qua parte privatim arteriâ venæ superstat; ab his duæ effatu dignę propagines producuntur, & ambæ obliquè ad rectum intestinum, non tamen in ejus corpus inseruntur, sed in musculum ipsum cingentem intestinum, sphinctera dictum, applicantur, & per ipsum discurrunt; postea adhuc exterius excurrentes, podicem, & alium sphinctera cutaneum, & ipsam etiam cutem intertexunt, atque in hæc finiunt. Podex enim, seu anus, hoc est, exterior annuli, seu ani pars, ex musculo, & cute constans, utraque pars tenuissima est; nam musculus ex tenuissimis membranę carnosę fibris, in orbem ad podicem circumductis conflatur; cutis autem propemodum labiorum cutem imitatur. Tenuissima autem oportuit esse hęc duo corpora, alioqui adstringi adamussim non possent; atque cum hic sphincter, superficialis musculus, conjunctionem habeat cum musculo alio sphinctere interno, qui exterius intestinum obvolvit,

sit ut propositæ venæ cavæ propagines, quæ ad internum sphinctera prius pertingunt, etiam ad reliquum podicem exterius perveniant; ex quo sequitur, ut sanguis omnis utriusque sphincteris, & cutis, venæ cavæ sanguis sit, & externæ hæmorrhoides jure appellari possint, quod in exteriori superficie appareant, & finiant. Contra, quia vena lienis ad intestini corpus influit, & ipsum irrigat, omnis venæ portæ sanguis sit; tum verò hæmorrhoidales venæ internæ, hæmorrhoides jure debeant appellari, quod ad intestini oram perveniant, quam non ita promptè, nisi digitis eam exterius trahendo, conspicies. Duæ autem sunt hæmorrhoidales venæ, videlicet à porta, & cava deductæ: propter eam causam, quoniam usus venarum, quæ in sede sunt, in genere iidem sunt, qui aliarum venarum, videlicet ad partes sanguine enutriendas. Et quia in sede sunt partes ab invicem multò differentes, crassum intestinum & musculi, quæ anum constituunt; nam quamvis Galenus tres partes in sede constituat, anum, intestinum, & sphinctera musculum; quia tamen per anum, forte musculum in superficie positum, tenuem, & coriaceum, ipsum quoque sphinctera intellexit, propterea verè dictum est, in sede duas partes notari, quas diverso sanguine nutrire natura consuevit, nam intestinum crassum, uti omnia in abdomine, & à peritoneo membra contenta, & conclusa, tanquam primæ, & infimæ animæ, vegetali nimirum, famulantia, à portæ ramis, & sanguine, scil. chyloso, neque ita puro, nutriuntur, musculi verò omnes, & cutis, tanquam perfectiora organa, nimirum sentienti, moventique animæ dicata, à cava nutriuntur, nempè sanguine defæcato, & puro, ut cæteræ corporis partes, propterea consentaneum erat, in sede duplex genus venarum constituere, & portæ, & cavæ

Notandum autem est, quod rarum vobis videbitur, quod etiam Gal. doct. non consentire apparet, qui omnia membra in abdomine contenta peritoneo obduci voluit, ut ventriculum, intestina, jecur, fellis vesicam, lienem, omentum, mesenterium, renes, vesicam, uterum, vasa, & si quæ aliæ sunt in infimo ventre contentæ partes, cum tamen hoc verum non sit. Sed rei veritas sic se habet, quod omnia membra in abdomine contenta, quæ à porta ramos habent, & ab ea nutriuntur, tantum à peritoneo comprehenduntur; quæ verò à cava, extra peritoneum sunt, etiamsi in abdomine contineantur. Quo circa renes, qui à cava per emulgentes, & uterus, qui à cava, quæ ad os sacrum; & vesica, omnia, inquam, hæc à peritoneo non concluduntur, id quod non difficulter experietis, si peritonei separationem à subjectis partibus, ex Anatome, ipsis digitis tentabis; liquidò enim apparebit, renes, & alia sub peritoneo non consistere. Quæ si vera sunt, nil mirum, si in imo ventre, & recto intestino duas hæmorrhoidales venas constituamus, portæ, & cavæ, posteaquam & aliæ partes in hoc infimo ventre contentæ, à porta quinetiam, & à cava venas sortitæ sunt, non tamen pari ratione omnes, nam renes ita à cava venas sortiuntur, ut à portæ, nequaquam recipiant; at rectum intestinum, primo intuitu videtur tum à porta, tum à cava venas admittere; quod tamen verum non est, quia vena hæmorrhoidalis à porta, ad intestinum solum defertur, à cava verò, ad solos musculos, uti paulò supra dictum est.

Itaque ad rem revertentes, duplex genus venarum hæmorrhoidalium constituere oportet, portæ, & cavæ: & quia ani partes, quæ à cava nutriuntur, & numero plures, & mole majores sunt; etenim quatuor sunt musculi, unus sphincter, qui crassus est, & in orbem cingit intestinum, & alii duo, hinc inde unus, intestinum attollentes, quartus cutaneus anum constringens, hinc factum est, ut venæ à cava deductæ, duæ sint, à porta verò una tantum, & à lateribus primæ producantur, qua hinc inde musculi sunt. Et quia musculi nobiliores partes sunt, ideo arteriam adjunctam habent, ignobiliores verò, ut intestinum, arteria sunt destitutæ, uti etiam plantæ hac eadem anima præditæ. Patet igitur, cur venæ in sede duorum sint generum, portæ scilicet, & cavæ, & cur una à vena porta, duæ verò à cava sint transmissæ, & quæ à cava, hinc inde positæ sint, quæ verò à porta retro magis; denique quæ à porta, arteria destituantur, quæ verò à cava, arterias habeant.

Ex qua hæmorrhoidum historia, & venæ cavæ nova hæmorrhoidum cognitione, multa licet ex his velut corollaria colligere, & Veterum decretis adjicere; videlicet, venas hæmorrhoidales duplices esse, portæ, & cavæ; utrasque autem ad sedem pertingere, ac propagari, sed portę hæmorrhoidas ad intestinum potissimùm deduci; cavæ verò, magis ad sedis musculos, quod est secundum corollarium. Tertiò, portæ hæmorrhoidas retrò primum in intestinum ingredi, inde per totum disseminari; cavæ verò, ad latera primum porrigi, inde per ambos sphincteres musculos progredi, & incedere. Quartò, sanguinem à portæ hæmorrhoidibus exeuntem crassum esse, nigrum, & fæculentum; à cavę vero, nonnunquam, immò sępè tenuiorem, & rubicundiorem apparere. Propter quam causam, quintò elicitur, videlicet, insignes sanguinis hęmorrhoidalis profusiones, majores fieri è venis cavę, quam à venis portę, ideoque priores cum majori periculo evenire; quod majores, & plures sint rami cavę ad sedem delati, & dispersi, quàm portę; & præterea, propè cavę grandiores ramos positi. Sexto elicitur, hęmorrhoidas portę subvenire morbis à sanguine melancholico, propter ejus communionem, portæ; cavę verò, cęteris aliis. Item ubi crassum, & fęculentum sanguinem exire videris, à vena lienis, ubi verò rubicundiorem, à cava manare non perperam judicabis. Ultimò, licebit quoque aliquid colligere circa hirudinum applicationem, videlicet utilem, quinimò variam; Nam si intentio est melancholicum sanguinem educere à vena lienis, tum retrò spinam, & coccygem versus, tum intus magis, ad intestinum applicare hirudines oportet, quò ejusmodi venę propagantur; si verò alium quenquam à cava, tum à lateribus, tum superficie tenus, ubi venę ejusmodi sunt, applicandę erunt. Quibus ita de hęmorrhoidibus, tanquam ad naturalem historiam pertinentibus, exploratis, nunc quis usus hæmorrhoidum in medicinà sit, & quomodo faciant ad morbos tum præcavendos, tum debellandos, inquirendum.

Certum est, hæmorrhoidibus abuti naturam passim ad sanguinem expurgandum; ut si quid pravi, aut immoderati sanguini insit, tum in portę vena, tum in cava, extra corpus mittatur, atque ita, osculis venarum adapertis hęmorrhoides fiant. Quam porro expurgationem, non per aliam partem, quam per anum commodius

efficere

efficere natura poterat, tanquam per eam, quæ ab ipsa natura ceu latrina, & cloaca omnium excrementorum constituta est; ut propterea non sit mirandum, si venarum osculis apertis, nonnulli inculpata fruantur sanitate, nonnulli à gravissimis morbis tum liberentur, tum præserventur, ut dicit Galenus. Itaque hoc in præsentia disquirere circa propositas venas opportunum est, nimirum quomodò, & quibus conferant, & ad sanitatem conservandam, & ad morbos tum curandos, tum præcavendos earundem tum apertio, tum occlusio; nam si aperiantur, ubi sanguis in corpore est vitiosus, aut immoderatus, sanum corpus degit; si occludantur, ubi sanguis in venis purus est, bonus, & moderatus, sanitas similiter consequitur; contra verò, si contrarium accidat; si itidem aperiantur, cum morbus adest, aut immineat, sanitatem pollicentur; si verò tunc occludantur, morbum præsentem auctum iri, & impendere certum est. Propterea Galenus Libro de Curat. per sang. mis. adversus Erasistratum Cap. 5. dixit, hæmorrhoidas servare hominem sanum; cujus rei ratio 3. de Hum. & de Morb. Vulg. Comm. 3. ab ipso affertur, quia per hæmorrhoidas supervacui humores expurgantur. Ideoque Hippocrates 3. de Humoribus dixit, qui hæmorrhoidas habent, nullis tandem morbis corripi posse; propterea quod, si maximus morborum proventus ex sanguine, & humoribus, qui in venis sunt, provenit, venæ autem duæ tantum in corpore sint, porta, & cava, si per hæmorrhoidas utraque expurgatur, cum ambæ ad sedem concurrant, omnino universum corpus expurgabitur per utramque, & ita corpus nullis corripietur morbis, ut dicit Hippocrates.

Ut autem hæc omnia luce meridiana clariora sint, & vobis perspecta; & simul quibus morbis hæmorrhoides conferant, unum ante omnia vos addiscere convenit, & memoriæ mandare, videlicet, Priscos auctores nullam habuisse notitiam venarum hæmorrhoidalium in sede, quæ à cava proveniunt, quod verissimum esse patet ex eorum auctoritatibus, quæ omnes, tantummodo venam, quæ à ramo lienis fertur ad intestinum, à qua sanguis crassus, & melancholicus expurgatur, respiciunt. Una Gal. Auctoritas est 6. Aphoris. 12. & 47. Per hæmorrhoidas, hepatis materia fæculenta vitiosa expurgatur. Secunda, in hæmorrhoidas atram bilem descendere. Secundo, ad Glauc. testatur; & ob hanc causam dixit, naturam vas quoddam peculiare à vena lienis ad anum produxisse, per quod atra bilis, & omnino sanguis crassus, & melancholicus evacuatur. Tertia, 4. Aphoris. 21. & 25. Hæmorrhoides sunt maximum remedium melancholiæ, ita ut ipsam etiam futuram prohibeant. Idem quoque dixit 6. de Morb. vulg. Com. 3. & est quarta auctoritas. Quinta; Hæmorrhoides supervenientes atra bile vexatu, bonum, 6. Aphoris. 11. idem 21. & 48. Sexta, Hæmorrhois sanat atram bilem & lienem induratum, sexto in Sextum de Morb. vulg. com. 8. Septima, melancholia fit ex atra bile, sicuti hæmorrhoides, quando ad venas, quæ in sede sunt, cumulatius decumbit, 3. Aphoris. 30. Octava, Atrabilariis cum phrenitide occupatis, si hæmorrhoides oboriantur, bonum est, Libro de Indicationibus, pag. 398. Et breviter, si Hippocratis, & Galeni, Veterumque volumina accuratè evolvantur, nihil amplius inveniemus. Illud autem inficiandum non est, Priscos, ipsa experientia inductos, nonnumquam fecisse morborum mentionem, qui ab hæmorrhoidibus sanantur, aut præcaventur, quorum causa abstrusa illis est, cum ignorent hæmorrhoidales venas cavæ, ut constat, ex Hippocrat. 2. Lib. de Humor. & 6. de Morb. vulg. utrobique Comm. 3. Qui hæmorrhoidas habent, ii neque dolore lateris, neque pulmonis inflammatione, neque furunculis, neque phagedæna, neque terminthis, neque lepra, neque forte aliis corripiuntur; neque enim ullam communionem hæmorrhoides portæ cum pectore habent, & cum pleuritide, & peripneumonia. Similiter cum dicit Hippocrates 6. Aphoris. 11. hæmorrhoides supervenientes renum passionibus, bonum peto, quid renibus cum vena lienis? Neque obstat Gal. in Commento dicere, per hæmorrhoidas, crassum sanguinem evacuari, qui nephritim facit, quoniam crassus ille sanguis ex vena cava per hæmorrhoidas expurgatur, cum qua communionem, & rectum, ac propinquum habet ductum, nusquam ex vera portæ vena, quæ longinqua est, neque cum ea societatem habet ullam. Unde hoc loco ita Galenum excusare licebit, sicut excusavimus, cum Pleuritidem expurgari per urinam docuit per læves arterias, cor, & magnam arteriam, cum commodiorem viam, tutiorem, & faciliorem ignoraret, quæ est per venam sine pari recta ad emulgentes propagatam, & pertusam. Similiter si hæmorrhoidas febres sanare passim dicant omnes, & id quoque experientia quotidie comprobemus, ac videamus, quomodo ex prædicta vena lienis sanatur, intelligere non possumus. Denique si Hippocr. & Galenus 6. de Morbis vulg. & 6. Aphoris. & alibi passim dicunt, varices furorem curare; aut varices & hæmorrhoidas insanis supervenientes, insaniæ solutionem sequi, certè, quomodo à vena lienis, natura per varices, quæ in cruribus, & coxis sunt, atram bilem transmittat, non licet ita facilè assequi, si modo verissimum esse supponamus, venam portæ, cum vena cava communionem nullam habere, per magnos earum truncos: at nos, qui jam callemus, hæmorrhoidas venæ cavæ, jam promptissime possumus causam reddere, cur hæmorrhoides sanent tum Pleuritidem, tum Peripneumoniam, tum Renum passiones, tum Febres, tum denique alias plerasque affectiones; & præterea, quomodo varices atram bilem à capite revellendo, furorem sanent, quod evenit propter maximam communionem, quam sedis venæ habent cum cava, cum ab ipsa oriantur, & propter magnos venæ cavæ ramos in. Similiter, crurum, coxarumque varices omnes à vena cava prodeunt, neque ullum cum porta habent connexum.

Quoniam verò hæmorrhoides interdum sanitatis causa sunt, interdum morborum, nonnunquam etiam mortis, ex Gal. propterea videre est, propter quas causas hæc eveniant. Eveniunt autem proculdubio, quia vel fluunt, vel non fluunt; & si fluunt, vel fit moderate, vel immoderate; si verò non fluunt, vel non fluunt naturaliter, vel quia supprimuntur; nam si fluunt, & moderatè, sanitatis causa sunt: Ideoque dixit Galenus Libro de venæ sect. adversus Erasistr. Cap. 5. Venæ hæmorrhoidales, sanguinem fundentes, servant hominem sanum, quod si immoderatè fluant, morborum causa sunt, interdum etiam mortis. Idcirco Gale. in Lib. de Curat. per sang. mis. Cap. 19. dixit. Quippe cum hæmorrhoidum evacuationem vereamur, ne in tantam evadat immoderationem, ut hominem vel protinus interimat, vel aquæ inter cutem obnoxium, aut cachexiæ, hoc est, malo habitui reddat. Addit Aetius Lib. 14. Cap. 5. hæmorrhoidas cum deformitatem, tum vitam miseram, tum interdum mortem afferre; deformitatem, quia nimis inanitione universum corpus decoloratur, vitam miseram, quoniam perpetuæ imbecillitati occurrendum est;

mortem, quia jecinore affecto, aqua inter cutem supervenit. Quod si non fluant, vel non fluunt, quia naturale alicui sit non fluere; quod scilicet sanguis neque qualitate peccet, neque quantitate immodicus sit, tuncque sanus degit homo, etiam si venæ sedis apertæ non sint, uti plurimos videmus sanos degere, sine ullo hæmorrhoidum effluxu. Quod si non fluant, quia aut sanatæ, aut suppressæ sint, & cæcæ redditæ, eo casu, morbi expectandi sunt. Unde Hippocrates, quarto de Morb. Popularibus, ad finem dicit, quod Alcippus, cum hæmorrhoidas haberet, sanatas, insaniit. Ideoque Gal. 4. Aphoris. 25. formidat utramque immoderationem, sive supra modum sanguis excernatur, sive omninò supprimatur; propterea factum est, ut suppressis hæmorrhoidibus, vel scirrhus lienis sit obortus, vel melancholia, vel febris, vel renum dolores, vel alia, ideoque Hippocrates in curatione hæmorrhoidum, præcipiebat, unam esse apertam relinquendam. Cùm verò Galenus, ex Hippocrate, utramque immoderationem suspectam habuerit, videlicet suppressionem, & nimiam evacuationem, ideo 4. Aphoris. 24. dixit, non esse assuefaciendum ei, quæ fit per hæmorrhoidas, evacuationi. Ex quib. Galeni verbis, vidi aliquos Medicos ita formidare usum hirudinum, & sanguinis evacuationis ex hæmorrhoidibus, ut non solum rarissimè hirudines affigant, ubi hæmorrhoides innatæ sunt neque fluunt, aut parcè, sed etiam ubi patiens nunquam eas venas aut turgidas, aut fluentes habuerit, nullo modo admittant; dicentes hanc Galeni fuisse sententiam, non esse assuefaciendum ei, quæ fit per hæmorrhoidas evacuationi. Unde quæstio hoc loco exoritur ad praxim, & salutem ægrotantium maxime pertinens, utrum patiens, qui hæmorrhoidas in sedis partibus nonquam habuerit, hoc est, cui neque sanguis fluxerit, neque tumidæ fuerint venæ sedis, huic Medicus debeat per hirudines appositas eam evacuationem tentare in morbis curandis; ut puta, in melancholia, pleuritide, peripneumonia, capitis dolore, febribus, liene affecto, renum passionibus, & aliis affectionibus ab Hippocrate, & Gal. memoratis. Solutionem hujus dubii, ex Galeno petamus, qui 4. Aphoris. 25. in com. hæc habet, sanguis supra, id est, per os excretus qualiscumque fuerit, malum; infra verò, id est, per hæmorrhoidas, bonum, quando nigra evacuantur, hoc est, quando hominis natura multum talem accumulaverit sanguinem, aliter autem non est assuefaciendum ei, quæ fit per hæmorrhoidas evacuationi, ut quæ periculosam habeat utramque immoderationem sive supra modum sanguis excernatur, sive planè supprimatur, Causa hujus à Galen. redditur Libro de curandi ratione per sanguinis mis. Cap. 19. ubi habet; quippe cum hæmorrhoidum evacuationem veteamur, ne in tantam evadat immoderationem, ut hominem, vel protinus interimat, vel aquæ inter cutem obnoxium, aut cachexiæ, hoc est, mali habitus, reddat. Ex his Galeni verbis clarè explicatur, sanguinem melancholicum in corpore cumulatum per hæmorrhoidas esse evacuandum; neque hac in re Galen. ullam ponit distinctionem, sive sint, sive non sint innatæ hæmorrhoides. Huic rei rationes quoque adstipulantur. Prima est verò, Natura per hæmorrhoidas solet sanguinem evacuare, cum evacuat, homines à melancholia liberat, & lienem induratum sanat, & neque Pleuritide neque peripneumonia, neque aliis corripi potest; ergo omnino excitanda, & invitanda natura est ad hanc evacuationem efficiendam. Secunda, natura construxit vas, immò vasa huic muneri destinata quæ ubi munere suo funguntur, sanum degit corpus; ergo cùm munere suô non funguntur, neque sanguinem evacuant, est aperiendum, existente materiâ in corpore noxiâ, quod supponendum perpemò est. Tertia, evacuationes, quæ fiunt aut a naturâ, aut à Medicô, quotiescumque adest materia noxia, sunt bonæ, quia morbos tollunt, per Galenum, ex Lib. de Consuetud. Cap. 5. Quarta, si non sunt aperiendæ venæ hæmorrhoidales, quando homo multum sanguinem melancholicum cumulavit, & tumore durô lienis, aut melancholiâ, aut similibus afficiatur, neque etiam in aliis morbis est aut secanda vena, aut medicamentum purgans exhibendum, aut tale aliquid præstandum, quia par ratio est, quinimò illud asseveranter aio, quod major ratio est, ut evacuetur sanguis per hæmorrhoidas, quam per venam sectam, & quòd si non licet aperire hemorrhoidas, minùs licet venam cubiti aperire, ratio est, quia natura rectè operans in morbis ex se aperit hæmorrhoidas, nunquam autem ex se aperit venam brachii. Item, si natura ex Hippocrate est morborum medicatrix, & iis quidem medetur & curat adapertis venis sedis, rarò aliis; & nos quoque potiùs has quam alias aperire debemus. Demum, si natura nasi venas aut frontis, quanquam rarissimè aperiens, capitis dolorem è vestigio sedat; item si in crure varicem aperiens melancholiam tollit; multò magis aperiens hæmorrhoidales venas, quas passim solet aperire, morbos sicuti ipsa sic & nos curabimus. Ultimo loco unum audeo adjicere, quod admiratione dignum judicabiris, nimirum cum hæmorrhoides venæ cavæ novum sit inventum, ideo nova erunt omnia, quæ ex his consequentur, præcipuè aut unum, videlicet sanguis evacuationem ex hæmorrhoidibus, conferre magis malignis febribus, quam venæ sectionem ex brachio, quod etsi paradoxum prima fronte videtur, ratio tamen huic adstipulatur, quia in malignis febribus putredo est in vasis majoribus, ut constat apud omnes; at venę hæmorrhoidales magis sunt vicinę venę cavę, ubi maxima est in lumbis, & ad os sacrum, quam in brachio, ubi longiùs absunt à majoribus ramis, ut puta axillaribus, & venę cavę trunco; ergo magis, loco putredinis subvenient. Quod autem appareat interdum non subvenire, & exiguam operam præstare, ea causa est quod fortè Antiquorum tantum consuetudinem insequentes, qui cum ignorarent venas sedis à cava propagatas, alias usurparunt, quæ in artubus sunt; vel fortè quia magis apparentes, & sectioni magis obviæ artuum venę sint; vel tertiò quia non ea sanguinis quantitas ex venis hęmorrhoidalibus extrahatur, quę ex artubus, ultima hac causa in culpam Medicorum rejicienda, qui si vellent, ex hęmorrhoidibus tantundem sanguinis emitterent, idque cum evidentissima utilitate; quemadmodum non semel, sed iterum, ac sæpius mihi in praxi obtigit; præcipuè autem in nobili muliere, quæ cum ante quinque annos bis concepisset, & puellas duas peperisset, tum mensibus magna ex parte deficientibus, cessavit à conceptione; quam cum curarem, & manè hæmorrhoidas per hirudines aperirem, à prandio cum soli se dorso, ad dealbandos capillos exponeret, copiosum sanguinis per hæmorroidas proflovium supervenit, & ab ea hora menstruæ purgationes sufficientes apparuere, quaterve concepit, & quatuor masculos filios peperit, quam historiam paulò infra latiùs prosequar. Id quod etiam confirmari potest, ex menstrua sanguinis purgatione, quæ fit per venas hęmorrhoidibus venę cavæ vicinas; quę ideo omnibus morbis muliebribus succurrunt, & ipsas sanas conservant. Quod si Galenus dixit, non assuefaciendum ei, quæ fit per hæmorrhoidas, evacuationi, huic respondemus, hanc Galeni auctoritatem nihil obstare, quia Galenus,

ex

ex Hippocratis sententia, duo dicit; alterum, quod cum hominis natura multum sanguinem crassum, nigrum, & melancholicum cumulaverit, tunc bonum esse sanguinem per hæmorrhoidas evacuare; cum alioquin, quando hominis natura talis est, ut sanguinem crassum non cumulet, tunc, inquit Galen. non sit assuefaciendum ei; quæ fit per hæmorrhoidas evacuationi. Reddit rationem Galenus, quia Hippocrates habet, periculosam esse utramque immoderationem, sive supra modum sanguis excernatur, sive omnino supprimatur. Quorum verborum sensus est; quia si assuefacimus aliquem, qui natura non cumulet sanguinem melancholicum, est evacuationem sanguinis per hæmorrhoidas, alterutrum potest sequi, in progressu ex hac consuetudine; vel quia nimis excernatur, vel ex toto supprimatur; utrumque autem incommodum periculosum habet Hippocrates in jam facta consuetudine. Qui sanè locus nostram confirmat opinionem, quoniam nos si verbi gratia lien sit induratus, aut aliquis melancholia laboret, neque habeat, nec unquam habuerit hæmorrhoidas innatas, volumus esse aperiendas, nos verò hæmorrhoidas cum Galeno loco citato; quia cum supponamus, materiam noxiam esse in corpore cumulatam, igitur ex Gal. aperiendæ sunt; & corpus est assuefaciendum huic evacuationi, at cum corporis ea natura non sit, ut talem sanguinem cumulet, neque etiam nos volumus, esse assuefaciendum corpus huic evacuationi, ne quandoque ad alterum duorum deveniatur, vel ad nimiam excretionem, vel ad integram suppressionem. Quomodo autem una, nimirum consuetudo evacuationi per hæmorrhoidas, possit contrarios producere effectus, videlicet aut nimiam excretionem, aut perfectam suppressionem, non est difficile assignare; etenim ad nimiam excretionem devenitur, ex frequentibus actibus contractam, & excitatam; ad absolutam autem suppressionem, quæ potest contingere, quia ex nimia sanguinis evacuatione vasa exinanita in se ipsa concidant, & hac ratione omnino supprimatur. Quoniam verò Gal. nullam habuit cognitionem hæmorrhoidum venæ cavæ, ideo semper respexit affectiones à melancholia provenientes, & sanguinem melancholicum à ramo lienis ad sedem transmissum, quem voluit esse per hæmorrhoidas evacuandum, ubi scilicet cumulatus in corpore est; nos verò, qui scimus, hæmorrhoidas duplices esse, & portæ, & cavæ, adjicere oportet morbos à venæ cavæ sanguine provenientes, quibus succurrere hæmorrhoides possunt, videlicet ubi sanguis in cava vena existens immoderatus est, ita ut quantitate, aut qualitate peccet. Unde Galenus 6. Aphor. 47. dicit, per hæmorrhoidas excernl partem vitiosi sanguinis; qui si per se non fluat, est evacuandus per hirudines appositas; sic enim corpus sanum conservabitur, nam si duæ tantum in corpore venæ sunt, quarum sanguis si probus est, homo inculpata fruitur, sanitate, porta, & cava, & utramque habeamus in sede sanguinem pravum expurgantem, omnino ex iis sanitatem totius corporis resultare necesse est, neque incommodum erit cavæ venæ hæmorrhoida in vito, menstruis mulierum, seu hæmorrhoidibus uteri in mulieribus, cum & ipsæ à cava proveniant, comparare; ita ut, sicuti per menses moderatè, & naturaliter fluentes, & uteri hæmorrhoidas mulieres sanæ degunt, iis autem suppressis, omnibus sunt morbis obnoxiæ; sic in viris hæmorrhoides se habent. Ex quo absolutè concludendum est, hæmorrhoidas in omnibus ferè morbis tum præcavendis, tum curandis primas obtinere, & potissimas esse. Denique statuendum est, assuefaciendum esse ei, quæ fit per hæmorrhoidas, evacuationi; propterea quod evacuatur vitiosus sanguis, nim qui in abdomine, & partibus ejus omnibus, & sima jecoris consistit, per venam hæmorrhoidalem à porta deductam; tum, qui in gibba jecoris, & reliquo toto corpore in cava redundat, per venas in sede à cava deductas. Ita tamen tali assuefaciendum est evacuationi, ut uterque vitetur immoderatio, ne nimium fluat, neque prorsus cohibeatur. Est quoque evacuandus sanguis per hæmorrhoidas, quando suspicio est obstructionis, tum in venis meseraicis; tum in sima, & gibba jecoris parte; uti in casu Reverendissimi Abbatis, qui ex arte levatus est per hanc evacuationem. Patiebatur verò decem, aut duodecim dierum intervallo dolores, fluctuationesque ad hypochondria & ventriculum, quæ quadantenus levabantur, tum ructibus emissis, & aliquo sanguinis vestigio ad hæmorrhoidas apparente; tum quæ protinus secedebant mictione urinæ rubræ, & quasi croceæ, & excitata alvi dejectione biliosa, ac nonnihil æruginosa; ex quo conjecimus, tum sanguinis melancholici exusti, à quo flatus, & dolores movebantur, redundantis; tum obstructiones in sima jecoris parte, & meseraicis non solum adesse, propter alui fluorem, & vestigium hæmorrhoidalis sanguinis, sed etiam eadem subesse mala, hoc est obstructiones tum in gibba jecoris; tum in cava vena vitiosi sanguinis redundantiam, propter urinas rubras redditas. Propter quas causas jure consultum fuit; sanguinem potiùs per hæmorrhoidas evacuare; ut quæ utramque respiciant, & sublevent partem, ab utraque scilicet evacuando, quam per brachii sectam venam, ut quæ tantummodo è cava evacuet, & gibbæ jecoris partis obstructiones referet. Quoniam verò rarò accidit, imò verò nunquam ut sanguis vitiosus, & obstructiones in sima tantum jecoris parte, & abdomine consistant, quin etiam & in cava vena, gibba jecoris, ac toto denique corpore redundent; hinc tanquam corollarium eliciendum est, sanguinis per hæmorrhoidas evacuationem esse magis, quam per venam sectam, tentandam, auspicandam, & explendam; id quod & Antiquiores quoque asseruissent, si non solius portæ, sed utriusque venæ hæmorrhoidalis, portæ scilicet, & cavæ, notitiam habuissent. Libet huc afferre casum, quem supra attigimus, de quadam nobili adolescente, quæ cum frigidi esset, temperamenti, ventriculumque frigidum obtineret, & menstruas purgationes haberet, diminutas, ac duas quinque ante annis peperisset filias, amplius nec concepisset, cupiens non modo concipere, sed mares parere, sese meæ commisit curæ. Ego autem primò totius corporis curationem iniens, medicamenta atque venæ sectiones tum ex brachio; tum ex pede adhibui; ultimò hæmorrhoidas aperui, à qua parte circiter sex sanguinis unciæ evacuatæ sunt; sed paulò pòst incuria adolescentis, quæ statim soli dorsum opposuit, ad capillos dealbandos, rursus ex hæmorrhoidibus excitatum profluvium fuit, & decem circiter unciæ sanguinis effluxere, ita ut totæ sexdecim sanguinis unciæ, & amplius fuerint evacuatæ; ex qua sanè larga evacuatione, etsi incommoda potiùs metuebamus, insecuta tamen sunt omnia hæc commoda; primò enim cum prius menses non singulo, sed sæpe tertio quoque mense fluere

soliti essent, jam à larga hæmorrhoidum evacuatione proximo fluxere menses; deinde tribus diebus consuetum tempus prævertetunt, tertium commodum fuit, quod cum prius cum capitis dolore, cordis, seu oris ventriculi anxietate, tum verò etiam hypochondriorum molestia, ac rugitu; denique cum dorsi dolore supervenirent, jam hunc omnia istiusmodi cessarunt. Ultimò cum nulla expectarentur menstrua, propter copiosas sanguinis evacuationes factas, fluxere tamen uti prius fluere solita erant. Ex quibus colligas his hęmorrhoidum evacuationem, nedum menses prohibere, sed provocare, faciliores, promptioresque reddere. Verisimile est autem, hęmorrhoidas sanguinem menstruum provocare, quod à venis uteri, ipsum propter copiam, & crassitiem infarctum, & affixum, & ut sic dicam, incuneatum, ad ora venarum sedis, vi vacui, retrahant, aut potius derivent, & ita uteri venas ab infarctu, liberatas, & vacuas redditas reserent. Itaque, ut ad usum omnia referantur, in liene tantum indurato, jussi ut hirudines tum intrinsecus, tum posterius, coccygem versus, tum nonnihil ad sinistram affigerentur. In obstructionibus autem, ac tensionibus, tum in sima, tum in gibba jecoris, ut in Abbate, tum exterius, tum interius, tum posterius, tum ad latera, atque ut summatim dicam, undique ad podicem affigere jussi. In tenuum autem affectione, necnon in pleuritide, peripneumonia, insuper in extremis affectibus, ut lepra, furonculis, & id genus, commodum erit exterius magis; tum verò etiam ad podicis latera hirudines applicare. In febribus verò, in quibus ferè obstructiones tum in meseraicis, & sima jecoris; tum etiam in gibba ejusdem, & cava vigent, tum exterius, tum interius, atque undique, ut supra dixi, hirudines affigantur. In mania tum interius, tum exterius, si exusti humoris redundantia in toto existit. In melancholia similiter. In phrenitide, exterius magis, & ad latera: verbo, prout evacuare supervacuos humores, aut à cava, aut à porta dependent, sic in podice locum eligere congruum oportet, aut exterius magis, & ad latera, aut interius retroque magis. Quæ omnia ceu nova, etsi experientia comprobari hactenus exactè non potuerunt, comperta tamen à me utcunque fuere, qui multos passim à qualibet affectione curandos præ manibus semper habeo. Sed jam tempus est, ut ad nostrum institutum revertamur, & Chirurgiam peragamus; quæ sanè hæmorrhoidas respicit, cum non probè suo munere funguntur, quod est, vel cum ex toto supprimuntur, vel immoderatè fluunt; præter alias, videlicet cum nimium tumentes sunt, aut dolentes, aut inflammatæ, aut gangrænosæ factæ, & exulceratæ, & alia id genus symptomata patientes. Quibus omnibus succurritur vel medicamentis, vel Chirurgia, vel utrisque. Primo autem de tumentibus hæmorrhoidibus agamus, de quibus Hippocr. Chirurgiam proponit in Libello de Hæmorrhoidibus, sed tumorem Hippocrates videtur conjungere cum sanguinis fluxu; tametsi Chirurgia magis ad tumorem spectat, qui intelligi debet neque dolens, neque durus, neque inflammatus, quem vult accidere hæmorrhoidibus sedis, tum propter bilem, tum propter pituitam ad rectum intestinum transmissam; ita ut venis supercalefactis, & repletis tum tumidæ fiant, tum sanguinem ejaculentur. Tumores autem, seu tumidæ hæmorrhoides, velut uvæ acini lividi sunt, ait Hippocr. quos hac Chirurgia ferramentis candentibus audacter tollit, cum dicat. Rectum enim intestinum & secans, & resecans, & consuens, & urens; & putrefaciens, etiamsi gravissima hæc sunt, nihil læseris. Primo igitur Hippocr. præparat septem, aut octo ferramenta palmæ longitudine, & crassitudine specilli crassi, cum summa parte reflexa, ac lata, veluti in parvo obolo, tunc fæcibus prius excretis, & hæmorrhoidibus foras aut per abdominis compressionem, spiritusque cohibitionem, aut fæcum excretionem, aut aliter extrusis, ferramentis propositis candentibus urendæ hæmorrhoides omnes sigillatim sunt, donec reficcati tumores sint; ita tamen urere oportet, notate, ut contingat ait Hippocr. Græca dictio habet, ὑπολείψῃς, quod leviter contingere, vel ἀπὸ τῦ ὑπολείπειν, significat sub relinquere, quod idem ferè ac non contingere, etiamsi non tanges, irritaveris; propterea Hippocrates infra, seipsum declarans, ait; urito, cavendo, ut ne contingas ferro, sed propè admotis ferramentis reficcato, summatim, Hippocr. vult ferramenta candentia propè hæmorrhoidas esse admovenda, abstinendo à contactu earum, propterea quod intentio Hippocratis est, tumores resiccare, absque eo quod irritentur; quod fiet, si non tangantur, sed ferramentum tam propè hæmorrhoidas admoveatur, ut non irritentur, sed tamen vim ignis persentiant, ad bonam, ut puto, laborantis tolerantiam, quò hæmorrhoides tumentes resiccentur. Cognosceemus autem, inquit Hippocr. ipsas hæmorrhoidas, propè quas ferramenta admovere oportet, quia supereminent in interna recti intestini parte, veluti uvæ acini lividæ, & simul ut sedes extuberat, & foras prorumpit, sanguinem ejaculantur. His resiccatis tumentibus hæmorrhoidibus, Hippocr. supra ponit lentem, & ervum in aqua decocta, inde mollem spongiam, ad consummatam exsiccationem, circa imas ilium, seu lumborum partes, qua abdomen in circuitu fascia obvolvit, postea uno capite reflexa inter coxas ad anum, quo usque supra ad obvolutam fasciam applicetur, præcingit. Et noteris quæso, quomodo Hippocr. manuum opera, & ferramentis candentibus, quæ adurentia sunt, non tamen urit, sed tantum exsiccat, & digerit; tum vero exsiccando, & digerendo, tumentes curat hæmorrhoidas; est quippe modus rarus, & ab Hippocr. tantum excogitatus; qui non solum exsiccat, & digerit, & tumorem curat, sed partem quoque laxatam roborat, ignis enim vim roborandi habet. Huic similis esse videtur quarta Hippocratis Chirurgia, quam eodem Lib. proponit ad tumentes hæmorrhoidas exsiccandas; sumit arundinem sepiariam, phragmiten appellatam, quæ in sedem inditur; tum ferramentum candens, arundinis cavitati congruum, immittitur, ac frequenter eximitur, quo magis calefieri sustineat, & neque ulcus ex calore habeat, & venæ resiccatæ sanæ fiant. Notandus verò error text. Hippocr. qui habet καυςῆρα φαρμακώδη, loco κλυςῆρα, clysterem facere oportet, velut arundinem sepiariam quod est perinde, ac si dicat cannulam, seu tubulum, vel fistulam facere oportet, velut arundinem sepiariam, quasi dicat non ita crassam, seu latam ut communis arundo, sed ut ex, ex qua sæpè fit; & hanc verò cannulam vult esse efficiendam ex ære, ut notat Gale. addo ego, oportere tubulum esse aut in fundo occlusum, ne ferramentum altius quam oportet, perveniat; aut obstaculum, ferramentum candens habere, quod eundem præbeat usum. Proponit deinde Hippocrates secundam Chirurgiam, quæ tumentes hæmorrhoidas, ut ipse dicit, præsecat, non tamen ferro, sed erodente medicamento; ideoque

pro-

proponit erodens, ad secandum aptum; si in æreum vas meias, & in urinam, ejus florem tostum, tritum, læcem inspergas, deinde diluas, & vas agites, & in sole exsicces; ubi verò siccatum fuerit, eradas, teras, & lævigatum ad anum apponas, & spleoia oleo imbuta addas, ac spongiam supra deliges. Rursus Hippocrates tertiam proponit Chirurgiam, ad curandas hæmorrhoidas tumentes, hoc modo; adnascitur ad venam sanguifluam, extuberantem, veluti mori fructus; & si quidem valde extra fuerit extuberantia, carnis rectorium circa ipsam nascitur; si igitur mollis sit, & sub rectorio cedat extuberantia, digito ipsam auferre oportet; nihil enim plus difficultatis habet, quam si quis, dum ovicula excoriatur, digitum inter cutem & carnem adigat. Quod si extuberantia penitùs intùs delituerit, ea per catheterem inspecta, auferre postea ipsam oportet veratro nigro in anum sublito. Huic Chirurgiæ similes sunt duæ aliæ Chirurgiæ ab Hippocrate propositæ, eodem Libro circa finem capitis; quæ neque veræ, & simpliciter Chirurgiæ sunt, sed ex medicamentis compositæ, tumentes hæmorrhoidas extirpant. Ait Hippocrates; si verò neque urere, neque resecare voles, ubi multa aqua proluisti, & sedem eversam extraxisti, myrrham tritam, lævigatam, & gallam, & alumen Ægyptium ustum, una & dimidia, ac reliqua parte, ac melanteriæ tantundem accipe, ac siccis his utere, & dimidiæ chalcitidis mistæ pars idem efficiet; hæmorrhois enim ab his medicamentis decedet, veluti corium cumbustum. Ultimò aliud medicamentum proponit Hippocr. idem præstans, suppositorii formam; inquit enim. Si verò glandulis sanare voles, sepiæ testam, plumbaginis tertiam partem, bitumen, alumen, florem æris medicum, gallam, æruginem modicam commisceto, & mel coctum affundito, & formatam ex his glandem oblongiorem apponito, donec extirpaverit. Hæc sunt, quæ hæmorrhoidibus tumentibus, nonnihilque sanguinis fundentibus, ex Hippocrate, Chirurgiæ proponuntur; quarum nonnullæ difficiles sunt, nam ego experientia non potui unquam comprobare, rectum intestinum esse secandum, & resecandum, & contundendum, & urendum, & putrefaciendum, sine ulla læsione, ut dicit Hippocrates. Quod si verum est Hippocratis dictum, quod sine ulla intestini læsione hæc peraguntur, non tamen à plerisque tolerantur, & sustinentur, pars quippe ani sensu exquisito, imò verò, si aliqua pars corporis est, quæ sensu exquisito prædita sit, hæc una est, propter quam causam ego tumentes hæmorrhoidas potius medicamentis, quam Chirurgia curavi, ut insessu in aquis thermalibus, & spongiis ex aqua thermali expressis, & arctè supra anum alligatis, & compressis. Item radicibus porrorum in oleo communi, aut myrtino decoctis, scrophulariæ radice in aqua decocta, contusa, & imposita; spongia ex aqua calcis expressa, & alligata.

Quod si exulceratæ hæmorrhoides sint, ne in fistulas degenerent, si superficie tenus excoriatæ sint, in aquis tharmalibus, aut de Apono, aut Divi Petri, aut Montis ægrotorum insessus eas curat, aut quod his æquipollear, uti alias dictum est. Quod si exulceratio profundior est, & major, neque medicamentis cedit, non incommodum est ad Chirurgiam devenire, quæ candentibus ferramentis peragitur; quæ exigua quidem sint, & iis leviter tangere partem exulceratam oportet, quæ neque etiam sensum exquisitum habere debet.

Quod si hæmorrhoides inflammatæ sint, tumentes, & dolentes, medicamentis res peragitur, potius quam Chirurgia; de quibus agere ad præsentem locum non spectat; sed tamen unum atque alterum medicamentum expertum afferre nihil vetat, cujusmodi est plantago, parietaria, & malva, in aqua coctæ, & cum oleo rosaceo, cataplasmatis modo impositæ; interdum cum exiccare magis intentio est, farina milli, & hordei admiscetur; si vero dolor urgeat, lac omne adjicitur.

Quod si gangræna jam fiot hæmorrhoides affectæ, eadem Chirurgia proficit; sed ferrum candens valentius imprimitur, propter sensum partis obtusum redditum. Quo loco illud mihi succurrit, aliquando accidisse cuidam Medico non obscuri nominis, qui curans ussit, neque locum affectum unquam perspexit; tandem post aliquot dies Medicus me duxit ad ægrotantem; ego autem statim locum affectum volui inspicere, & conspiciens, inveni ex omni parte multò antea ipsum fuisse gangræna affectum, & nonnihil in superficie sphacelo; quem servavi statim ferramentis candentibus, hoc dico, vos admonens, ut partes affectas, & malum videatis, quando patientes de iis conqueruntur, etiamsi obscenæ sint partes; sic etiam in mulieribus. Fuit aliquando mulier nobilis, quæ pepererat, & de vulva conquerebatur, obstetrix, inungebat frequenter oleo amygdalino, & chamæmelino, & querelæ in dies augebantur, tandem vocatus, & videns locum, inveni labra vulvæ multis in partibus sphacelo obsessa, quæ statim ferramentis candentibus inusta sanavi, quæ alioquin obiisset, si oleis propositis demum esset, & visa à Medico non fuisset, simili modo, ut supra audivisti, alteram nobilem servavi, morti propinquam, inspectione scilicet, quæ hymenem habebat non perforatum. Non oportet igitur esse negligentem in re medica.

Verumtamen quod in hæmorrhoidibus maximè formidatur, ex Hippocr. & Galeno, est earum tum omnimoda suppressio, tum immoderata sanguinis fluxio; utramque autem immoderantiam, tanquam periculosam habuit Hippocrates, fluxum quidem, veluti aut protinus intertimentum; vel aquam inter cutem, & cachexiam excitantem, ut dicit Galen. Aetius autem Lib. 14. Cap. 5. ait, nimium fluxum, tum deformitatem, tum vitam miseram, interdum & mortem afferre; deformitatem, quoniam nimia inanitione universum corpus decoloratur; vitam miseram, quoniam perpetuæ imbecillitati occurrendum est; mortem, quia frequenter jecinore, ob excedentem evacuationem, refrigerato, aqua intercus supervenit; suppressionem verò, tanquam omnem morborum turbam suscitare aptam, scilicet febres, melancholiam, lienis scirrhum, pleuritidem, peripneumoniam, maniam, & alia id genus tum symptomata, tum morbos, qui respondeant vitiosis humoribus detentis, ut dicit Galenus 3. de tumoribus; nimirum humores deteriora, symptomata, & morbos parere, eosque, cujusmodi sunt humores, qui redundant. Et quamvis Paulus, & alii, suppressas hæmorrhoides curare non videantur, quod ab immodicè fluentibus suppressio plerumque

fiat,

fiat, tamen Hippocrates curat, dum præcipit, apertam unam esse servandam. Docet autem perbellè Cel. Lib. 6. Cap. de hæmorrhoidibus, quo signo fluens moderatus ab immoderato sit distinguendus; tum verò, quando supprimendus, quando permittendus enim inquit. Parum tutò supprimitur, iis qui sanguinis profluvio imbecilliores non fiunt, habent enim purgationem hanc, non morbum; ideoque curati quidam, cum sanguinis exitum non haberent; inclinata in præcordia, ac viscera materia, subitis, & gravissimis morbis patientes correpti sunt. Igitur si immoderatus ex hæmorrhoidibus fluxus sanguinis sit, qui noceat, & imbecillum hominem reddat, coërcere ipsum oportet primo medicamentis, quæ à Celso Lib. 6. afferuntur; quod si his profusio non sistatur, Chirurgia opus est. Una est, quam proponit Hippocr. in Lib. de Ratione victus in morbis acutis, quæ vinculis procedit, filum lanæ succidæ crassissimum, ac maximum, in acum immissum transmittas, ex una primum parte hæmorrhoidis; inde ea comprehensa, ex altera acum, & filum trajicias, & ab eadem parte extenta fila adstringas, mox medicamentum erodens imponas, donec hæmorrhoides decidant, & semper unam relinquas, ait Hippocr. ne omnibus obstrictis, patiens in contrarium incidat affectum, id est, in omnimodam suppressionem, & accidat, quod dicit Hippocr. 6. Aphoris. 12. Hæmorrhoidas sananti diuturnas, si non una servata fuerit, periculum est hydropem, aut tabem accedere; cujus sententiæ reddit rationem Galenus in Commento, quia obstructis ex toto hæmorrhoidibus, per quas hepar transmittebat sanguinem fæculentum, non est mirandum, si scirrhosum reddatur, & calor jecoris, à quo sanguis gignitur, extinguatur, unde hydrops superveniat, sanguinis generatione frustra. Quod si jecur exustam materiam ad pulmones refundat, & venas rumpat tabes seu phtysis resultet, ut Hippocrates dicit. Huic tamen Hippocrat. legi de servanda una hæmorrhoide aperta, se se opponit Aetius Lib. 14. Cap. 5. qui ex Hippocrate affirmat non esse relinquendam nullam hæmorrhoidem apertam, dummodo servetur congrua victus ratio, & sanguis ex brachio mittatur. Quæ opinio neque Hippoc. neque Galeno consentit; nam licet æger, & cibi paucitate, & aquæ potione detineatur; & alvus subducatur, & vena cubiti incidatur, ut Aetius dicit, tamen quia hæc non possunt semper fieri, servari, aut frequenter repeti, neque viscera corrigi, quò minus superfluus sanguis gignatur, ideo tutius est Hippocratem aliter non exponere quam verba sonant; & Galenus exposuit, ut scilicet una relinquatur aperta.

Sed ad Chirurgiam redeamus. Galenus in Isagogicis, Chirurgiam hæmorrhoidum his verbis tradit, Hæmorrhoides lino duplici per ipsarum basin transeuntes, adstringentesque post horas duas abscindimus, Celsus verò Lib. 7. Cap. 30. de condylomatibus ait; si hæmorrhois capitulum exiguum, basinque tenuem habeat, adstringendum lino paulum supra est, quam ubi cum ano committitur; deinde supra nodum capitulum exulcerandum est; ut evacuetur sanguine, ac spiritu ibi contento, & celerius id emoriatur; ac decidat, quod nisi factum est, magni dolores subsequuntur, interdum etiam urinæ difficultas; quod si hæmorrhoidis capitulum majus est, & basis latior, hamulo uno, aut altero excipiendum est, paulumque supra basin incidendum, neque relinquendum quicquam ex eo capitulo, neque quicquam ex ano demendum est; quà inctium est, acus debet immitti, & infra eam, lino ad capitulum alligari; si duo triavè sunt, imum quodque primum curandum est; si plura, non omnia simul, ne eodem tempore undique teneræ cicatrices sint; si sanguis profluit, excipiendus est spongia deinde linamentum imponendum; post quinque aut sex dies auriculario specillo linamenta educenda, si capitula simul non exciderunt, digito promovenda, tum lenibus medicamentis, ut puta ceratis utendum. Hæ sunt Celsi Chirurgiæ, ad sedis venas sanguinem fundentes. Sed idem Celsus Libro 6. Cap. de hæmorrhoidibus, ex Dionysii sententia proponit ustiones per causticum medicamentum, quando alia medicamenta non proficiunt, hoc modo; Inspergenda sandaracha est, deinde imponendum quod ex his constat, squamæ æris auripigmenti, singulorum partes quinque, saxi calcis partes octo; postero die, capitulum venarum acu compungendum; adustis capituli fit cicatrix, quæ sanguinem fundi prohibet. Ultimo non est prætereunda Pauli Chirurgia, quæ ad venas sedis sanguinem fundentes proponitur lib. 6. capite 79. primoque præcipit, clysterem, copiosissimum immittendum, compressione facta, quo anus invertatur, & hæmorrhoides extra anum exeant, & appareant; solent autem non difficulter apparere interdum capita, & ora venarum sanguinem fundentia, interdum venæ nigricantes, & tumidæ; quæ lino, quintuplici vinciendæ sigillatim sunt, una duntaxat relicta, qua sanguis superfluus emanet, ut præcipit Hippocrates. At ubi hæmorrhoides vinculo constrictæ exciderint, linamentis vino madefactis cicatrix inducitur. Leonides autem, ut refert Paulus, non lino deligat, sed forcipe prehensas amplè hæmorrhoides scalpello excindit. Alii tandem, inquit Paulus, caustico medicamento repleto concavo instrumento, ad urendam venam accommodato, ipsasque similiter hæmorrhoidas usserunt. Hæc ab antiquis deprompta sunt, qui, uti audivistis, & vinculis, & incisione, & erodentibus, & adurentibus medicamentis usi sunt. Miror quod nullus antiquorum ferramenta candentia proposuerit, cum tamen causticis tutiora esse videantur, quod his urere, quantum opus est, possimus, illis verò legem ullam imponere non valeamus, insuper, caustica partem putrefacere passim videmus, contra ferrum candens corroborare pro comperto habemus, nisi fortè, Antiquos ferrum candens silentio prætermisisse dicamus, quod profusionem potius adaugeat, cum profluenti vasi admovetur, ut patet; sed inducta crusta, jam sanguis cum his quoque coërcetur. Propter quas causas ego ferrum quoque candens probo, cuspidatis ferramentis singulis venarum orificiis adapertis, admotis ut crusta excitetur; satius autem est, gossypii flocculum ad venæ orificium apponere, inde verò inurere, gossypium enim ita inustum duo præstat, & valentius hæret, & minus patientes dolent. Sed ut ingenuè fatear, potior ratio, & tutior ea est, quæ medicamentis pugnat, quæ valenter adstringentia sint ex Galeno 5. de Medic. per genera. Quo casu nihil magis valere expertus sum, immaturis fructibus contusis plantæ ligni guajaci; omitto ovi albumeo cum bolo Armena, sanguine draconis, mastiche, thure, & gypso

subactum;

subactum, & gossypio usto exceptum, & impositum, omitto praeterea, quę per os assumuntur, aut revulsionis gratia peraguntur, tanquam ad hunc locum non spectantia. *Hactenus Hieronymus Fabricius ab Aquapendente.*

Hæmorrhoides natium, de quibus Marcus Aurelius Severinus aureo tractatu de recondita abscessuum natura; ut & hæmorrhoides uteri de quibus alii, hic non describimus, quia si quid in ejusmodi morbis agendum veniat, ejus materia in curationibus, consultationibus &c. ad ani hæmorrhoides facientibus, abundè sufficitur. Jam itaque contintuo ad

Consultationes.

Hæmorrhoidalis moles cum Vlcere.

Consultatio I.

Illustrissimus atque Reverendissimus Antistes quadragesimum octavum annum agens, temperamenti totius ad calidum & siccum vergentis, fervidi jecoris atque cordis, habitus gracilioris & fusci coloris, arduis semper negotiis implicitur, & longis itineribus deditus, multis abhinc annis hypochondriacus fuit, eodemque tempore usque in præsentem diem hæmorrhoidalibus affectionibus obnoxius, quę prioribus annis adolescentię dolores eidem Illustriss. inferebant, quia cæcæ tunc temporis erant hæmorrhoides ipsæ, sicut iisdem adapertis itinerum occasione, dolores infestare cessarunt, semper tamen paulatim earum moles tantum augmentum suscepit, ut modo acini uvæ figuram repræsentent, & quatuor abhinc annis consuetæ fæcalis evacuationis occasione, omnes extra mittantur, nec adeo facile mox intromitti possint; quę interim præterito tempore quandoque etiam sanguinem effuderunt. Verum postquam mense Augusti proxime præterito duplici Tertiana fuit correptus, jam tumefactis hæmorrhoidibus dolor accessit, qui exacerbatur semper post fæcum depositionem, & plures horas, quandoque integrum diem perseverat; qui doloe utpote acutissimus, Virum Illustriss. Patavium ad me impulit, qui, facta loci diligenti inspectione, primo vidi hæmorrhoidas ad prædictam molem perductas, sed lividas & fere nigras, nempe atro sanguine repletas, sicut niger & crassus ex vena antea missus observatus quoque fuerat. Præterea in superiori parte versus coccygem, corrosionem, ulcus præseferentem & alias inferius leviores excoriationes observavi.

Quod ab ineunte ætate Præsul iste Illustriss. melancholicam dispositionem nactus fuerit, mirum non est: cum à nativitate cor ipsum fervidum, & jecur præcalidum sortitus fuerit, nec mirum pariter quod hujusmodi dispositio majus in dies augmentum susceperit, & ab immodicis exercitiis atque itineribus peractis, & à perpetuis animi applicationibus, quæ omnia viscerum dolorem intendere, sicque sanguinem exustum reddere potuerunt.

Quoniam verò provida natura totius massam sanguineam depurare totis viribus conata fuit, hinc factum est ut nigri & adusti sanguinis portionem ad vasa hæmorrhoidalia depoluerit, quibus repletis, hæmorrhoidales dolores distensivos immaturè excitaverit, qui erumpente sanguine, quodammodo cessarunt. Verum quoniam Curatio, utpote totius massæ sanguineæ depuratio, fervidæ viscerum intemperiei correctio, & vasorum hæmorrhoidalium roboratio neglecta fuere; idcirco invaluerunt semper quotidie magis & causæ morbificæ, & pravi effectus, quandoquidem & sanguis niger, atque crassus, in vasis mesentericis stabulans, Melancholiam hypochondriacam firmavit, & ab eodem non purgata massa sanguinea vitiatam reddidit totius nutritionem, naturaque stimulata, ejusdem atri sanguinis portionem ad hæmorrhoidas perpetuo, non solum per intervalla sanguinis excretiones tentare coacta fuit, verum superioribus postremis annis tanto cum impetu atque copia fuit sanguis effusus, ut deficiente nutritione, fere ad Atrophiam vir Illustrissim. ductus fuerit, qui tamen utpote robustam naturam alloquin fortius, suppresso sanguine, pristinum habitum recuperavit, semper interim hæmorrhoidum malo quotidie magis augescente.

Tandem postquam mense Augusti proximè præterito biliosa febre correptus fuit, ab ipso febrili calore visceribus ipsis una cum sanguine super excalefactis, irritata natura ejusdem acriorem & magis acidam portionem per modum crisis ad hæmorrhoidas deposuit, quæ sua activitate vasa ipsa erodere valuit, & ulcusculum in superiori parte versus coccygem, aliasque leves excoriationes extrinsecus excitare: unde dolores atroces procedunt, qui exacerbantur à fæcum depositione, dum à fæcibus ipsis comprimuntur vasa, & exprimitur ichorosa, acris & acida materia, quę labia ulceris attingens, dolores infert, & ad cæteras hæmorrhoidas extrinsecus expansa, alias, sed leviores, excoriationes inducit.

Est quidem gravissima hæc hæmorrhoidalis affectio, non solum ratione causæ conjunctæ, verum etiam ratione antecedentium: naturales enim sunt viscerum intemperies, tota massa sanguinea atra sanguine infecta, & moles hæmorrhoidalis insignis & pravo colore affecta, quæ omnia ulcus jam contractum & excoriationes fovere valent, imo necessario fovent. Quare Curatione eradicativa opus habet quam anni tempus non permittit, & ideo ad Ver venturum est differenda. Interim urgent dolores, qui attrahendi novos humores vim obtinent, & præterea vigilias inducendo, corpus extenuandi: ut propterea Hippocrat. Vigilias veraces appellarit: & quod magis ac pejus est, si moles hujusmodi hæmorrhoidalis adhuc à doloribus augeatur; calor naturalis partis, adeo à fronte remote, non adeo facile humores ipsos, multos & pravos regere & custodire poterit; ideo usque ad illud tempus diligenti cura & prudenti custodia opus est, ut dolores quidem leniantur, sed calor nativus partis conservetur, & exiccantibus pars ipsa à putredine & corruptione custodiatur.

Pro leniendis doloribus, materia illa ichnrosa quæ à fæcum compressione foras exprimitur omnium primò detersionem expostulat, ut citius & facilius & ulcus, & erosiones demulceri possint; id autem procuretur spongiosa madefacta vino tepido dulci, in quo capita papaveris ebullierint; vel aqua hordeacea, in qua pariter papaveris capita & rosæ ebullierint, addita mellis rosi simpl. portione, illinire quoque poterit unguento populeo, additis gut. ol. Jusquiami; quod si præsto non fuerit, reformetur unguentum cum ol. nenuphatino. Sed in usum quotidianum ducatur balsamus Saturni, ut qui refrigerandi (exiccandi, roborandi & uniendi quoque, imo & demulcendi facultates obtineat. At nullo modo erit omittendus ignis usus, admovendo prope

prope partem laminam ferream omnino ignitam, adeo ut pars ipsa citra dolorem atque molestiam excalefiat & exiccetur. Duæ igitur parentur laminæ ferreæ, ut altera admoveri, altera interim igniri & repeti possit.

Quibus jam dictis congrua erit addenda victus ratio, humectans atque refrigerans, alimentorum boni succi, facilis coctionis & distributionis, ut facilius proximo verno tempore mesenterii obstructiones reserari, massa sanguinea purificari, intemperies viscerum corrigi, & tandem moles hæmorrhoidalis, aut valde imminui, aut ex toto deleri possit. Interim tamen non erit inutilis usus emulsionis ex amygdalis & seminibus melonum, frequenter, vel summo mane, vel prima mensa assumendæ, ut humorum prava qualitas quodammodo emendetur, eorum nimirum acrimonia & aciditas edulcoretur, sicque minus acutè hæmorrhoidas ipsas feriant. *Joh. Raymundus Fortis, in Consiliis Medicis.*

Ab Hæmorrhoidibus Præservatio.

Consultatio II.

Quamvis Melancholiam hypochondriacam tot annis confirmatam & consummatam superare velle vanum videatur, eoque magis, cum tota massa sanguinea eodem humore melancholico sit infecta adeo, ut & hypochondria cum toto, & totum cum hypochondriis communicationem habeant, sibique invicem materiam suppeditent; nihilominus hanc & illam non parum diminui posse pro certo habeo, ita ut facultas expultrix ab atro sanguine minus molestata, minus quoque imposterum ad hæmorrhoidas expellat atque deponat, sicque Illustr. Vir non parum ab hæmorrhoidali affectu saltem levari, si non omnino vindicari possit; præterquam quod ab aliis quoque plurimis Melancholiæ hypochondriacæ symptomatibus multo minus divexabitur.

In hunc igitur finem primæ viæ à crudis humoribus sunt mundandæ. Secundo Mesenterii obstructiones aperiendæ. Tertio Massa sanguinea purificanda. Quarto Jecoris & hypochondriorum fervor contemperandus; atque tandem hæmorrhoidum cura est habenda.

Pro prima intentione, primum Leniens erit potio ex syr. ros. solut. rec. & ex manna clarif. vel flos cassiæ cum lenitivo. Primum præparans erit hujusmodi.

℞. Julap. acet. ℥. iij. aq. florum citri ℥. j. m. pro syr. & sic pro aliis quinque. Quibus succedat hujusmodi Leniens.

℞. Syr. ros. solut. de polypod. an. ℥. iij. aq. florum citri parum, m. f. p. vel præbeatur elect. lenit. cum tartaro, quibus superbibat jus hordei.

Pro secunda intentione, medicamenta aperientia debent esse humectantia, non exiccantia, non calorifica: siquidem & cruditates jam exiccatæ, & sanguis ipse à calore crassior est factus, & in horum usu diutius persistendum: multo enim difficilius est humectare siccum, quam exiccare humidum; quare succi herbarum deput. humectantes & aperientes sunt in usum ducendi ita.

℞. Succi depur. & per arenam trajecti, cich. borag. pom. dulc. an. ℥.j. decoct. in jure pullæ paratæ malvarum, violarum, lupulorum, sonchi ℥ v. m. pro syrupo. Sequenti verò die assumat summo mane flor. cass. ʒ ij. & post horam superbibat jus pullæ foliis malvarum, borag. & sonchi alteratum, tribus verò horis ab assumpto jure prandeat. Tertia verò die repetat succos, ut supra, & quarta florem cassiæ cum jure, sicque alternatim perseveret ad decimum quintum usque diem. Quo tempore assumat potionem hujusmodi.

℞. Rhabarb. opt. ʒ. j. fol. senæ mundat. ℥. iij. cinnam. integr. ʒ j. aq. cich. q. s. m. f. inf. per hor. xii. deinde f. fortis expressio, & expressioni adde syrup. ros. solut. ℥. v. m. f. potio, cui, tribus transactis horis, superbibat seri capr. depur. aut aq. Nocer. ℔. ij. duabus verò horis ab assumpto sero prandeat. Die autem sequenti repetat usum succorum aperientium ita.

℞. Succi depur. & per arenam traj. cti, cich. borag. agrim. an. ℥j. sal. tart. fixi gr. x. decoct. in jure pullæ factæ, malvæ, lupulorum, asparag capill. Ven. ℥ v m. pro syr. & sic per integra hebdomada. Interim hoc tempore Jecoraria dextera erit aperienda, & sanguis modicè educendus. Transacta autem hebdomada, succedat talis expurgatio.

℞. Flor. cass. rec. extr. elect. lenit. an. ℥ß. Extracti rhab. ʒ. ß. m. f. boli, vel repetatur infusum supra descriptum, quibus pariter superbibat serum aut aquam: inde repetat eorumdem succorum usum integra altera hebdomada, & tandem quoque idem medicamentum purgans, modo descripto; & toto jam dicto tempore illiniatur quotidie totum abdomen unguento ros. malvino.

Pro tertia intentione explenda, rursus aliorum succorum usus erit opportunus ita:

℞. Succi depur. fumariæ, borag. pomorum dulc. an. ℥. j. salis tart. volat. g. x. decoct. in jure pullæ cich. endiv. agrim. fumariæ, lupulorum ℥. v. m. pro syr. & pro aliis quindecim; in quorum intermedio assumat hujusmodi medicamentum.

℞. Flor. cass. rec. extr. ℥. v. elect. de succo ros. ʒ. i. extracti senæ, polypod. an. ʒ. m. f. boli, quibus post horam superbibat seri capr. depur. aut aquæ Nocer. ℔. ij. quod idem medicamentum repetatur in fine. Interim primis diebus dictorum succorum aperiatur vena magis apparens brachii sinistri, & sanguis parce, prout Excell. Adstanti videbitur, educatur.

Quartæ intentioni satisfaciendum aquis stillatitiis potius, quam thermalibus, tum quia exiccantes esse solent, tum quia ab illarum copia facile calor nativus obrui posset; quare sat fuerit.

℞. Aquæ stillat. de succo cich. ℥. x. julap. viol. ros. an. ℥. j. pro potu matutino quindecim diebus summo mane assumendo; cui præmitti quoque poterit Conservæ rosarum cochlear unum. Post hæc nullo verò modo omittendus est usus lactis asinini, ut quod & obstructionum reliquias valdè exiccatas humectare & superare possit, & præterea jecur refrigerare, totamque massam sanguineam edulcorare valeat; in cujus usu quadraginta saltem diebus insistendum.

Tandem hæmorrhoidum cura est habenda, quæ præsente dolore, Anodyna requirunt, jam à me in altera Consultatione satis proposita: absente autem dolore, exigunt exiccantia, non tamen adeo valida ut nimis astringendo & corrugando dolores suscitare possint; sat sit igitur, quod dum fæces deposuerit, abluatur hæmorrhoides vino nigro tepido, in quo ebullierint folia verbasci, ros. rub. myrti & plantaginis; sic enim earumdem molem imminuere citra serositatum oppressionē.

Hisque jam dictis omnibus congrua victus ratio, intentionibus medicis atque medicamentis jam propositis proportionata, necessario addenda erit, ab excellentissimo viro Adstanti singillatim præscribenda,

ferebanda, ut ad multo meliorem statum redgatur vir Illustrissimus atque Reverendissimus, quem eidem optimum à Deo ex corde precor. *Idem ibidem.*

Plura super Hæmorrhoidibus vid. in Bibliothecâ nostrâ Medico-Practicâ.

HEPATIS MORBI.

Hepar est magna glandula de genere conglomeratarum, ex cujus vasis excretoriis in truncum abeuntibus enascitur vas illud amplum nomine porti biliarii insignitum, imo & vasa alia minora, radices cystidis biliariæ dictæ: quæ omnia inserviunt abducendæ bili, per viam fermentationis, aut percolationis, vel per utramque eodem simul, in hoc viscere, efformatæ; vel tantum à sanguine, per varia arteriæ hepaticæ ac venæ Portæ ramificationes, in glandulas ex quibus tota ipsius assurgit moles, accedente, secretæ. Ex hac compendiariâ admodum descriptione, quis non videt, si vel secretio bilis impediatur vitio glandularum viscus componentium; vel vitio fermenti, si aliquod tale in hac operatione naturæ detur, ut plurimis non mediocris nominis perplacet: vel eadem bilis secreta propter obstructum porum biliarium aut ejus præcipuos ramos, in intestina delabi non valeat: vel viscidior reddita imperfectè tantum illuc defluat: vel acrior, fluidior, ac serosior facta colatoria sua canalesque inde assurgentes vellicans, imo etiam corrodens, abundantius decurrat: Quis, inquam, non videt inde procreatum iri multiplices morbos, inflammationes, tumores, ulcerationes, fluxus biliosos, imò fluxus hepaticos &c? de quibus hic particulatius quid non adjiciemus, sed continuo ad singularia quædam in hepatis morbis Chirurgiam maxime spectantia, descendemus.

Observationes.

Hepatis abscessus.

Cùm anno 1675. Parisiis Chirurgiæ operam daremus, curæ nostræ commissus fuit Vir constitentis ætatis faciei colore flavescente, pilis subrufis, sed minus lautæ conditionis, qui vulnere à gladii ictu profundiore intra costas nothas inflicto, abscessum hepatis incurrit, ita ut per sex septimanas materia purulenta copiosè manavit, eò majori cum periculô, quò hepati s parenchyma stylus profundius adigi potuit. Hic octo circiter septimanarum spatio ab affectu funesto liberatus fuit, medicamentis balsamicis ac vulnerariis, detergentibus ac consolidantibus, interne & externè ulurpatis; Nobili aliô, quem simili malò laborantem eodem tempore curæ suæ creditum, D Morellus Chirurgus peritissimus ter de die invisebat, paucorum dierum intervallò è vivis excedente; adeò abjectioris sortis hottis homines quandoque præ divitibus natura favere dicitur. *Joh. Jacob. Harderus in Observat: Anatomico-Medicis.*

Hepatis durities & suppuratio feliciter finita.

Quantum sufficere possit pars adeò nobilis promt est hepar, Medicorum monumenta testantur. Hic quoque tecceufebimus exemplum non inauditum attamen rarum, quod in eadem parte accidit. Juvenis quidam Amstelædamensis qui Chirurgiæ operam dabat, abhinc tres ferè annos nobis quetebatur de epigastrii tensione, cum dolore gravativo ad hypochondrium sin strum sese extendente, tandem tumor durus ibidem ortus, cum æquali difficultate respirandi & febricula. Hisce exploratis, hepar esse induratum judicavi, diversisque emplastris emollientibus applicitis, tandem cataplasmatis maturantis adminiculô tumor molliut redditus ad suppurationem pervenit, quò post cauterii potentialis applicationem, phlebotomo apertò, multum puris effluxit, & brevi post, ulcere, purgato, sanatus est. In hoc casu non est dubitandum quin à prægressâ inflammatione, gibba hepatis pars fuerit connata peritonæo, unde ulcere aperto, puri denegatus fuit in abdominis cavum decubitus. Ejusmodi exempla reperiuntur quoque in observationibus curiosis Nobiliss. Viri D. De Marchettis, Professoris Patav n, pag. mihi 110. *Frideric. Ruyschius in Observation. Anato..ico-Chirurgicarum centuria.*

Hepatis inflammatio, ac suppuratio vomitu curata.

Mulier quintum completura climactericum, inflammatione hepatis cum tussicula siccâ, spirandi difficultate & pungitivo in hypochondrio dextro laborans dolore, phlebotomiis aliisve non obstantibus remediis, juxta effatum Hippocrat. 4. acutor. eodem in latere suppurata est, atque XL. die puris crassioris sanguine striati libras sex sponte evomuit & convaluit. *D. Nicolai Gulielmi Beckers.*

Calculi ex Abscessu circa hepar.

Pauci elapsi sunt anni, quod hic Uratislaviæ vixerit, Johannes Gottchius, Oeconomus Xenodochii ad Spiritum Sanctum, Vir robustus ac validæ Constitutionis, temperamenti Sanguineo-cholerici. Hunc quondam mense Junio, anno ætatis 60. desubito Rigur vehemens invasit, cui postliminio dolores in Hypochondrio dextro ad regionem Hepatis una cum Tumore, nucem juglandem æquante, accesserunt. Tumor is, doloribus persistentibus, Intra semestre spatium adeo increvit, ut tandem panem siligineum Uratislaviensem quantitate tantum non superaret, sicque induruit, ut scirrhum referret. Quanquam vero Affectui huic diligentior adhibenda fuisset cura, ægrotus tamen nec Medico nec Chirurgo usus, sed sui ipse curam suscipere ausus est: int. rae quidem Balsamum Sulphuris, aliquando singulis dieb.s deinceps bis terve in Septimana, ut nonnunquam pulverem cardui benedicti adhibuit, & pro Evacuatione quandoque, velut pro libitu, Rhabarbarum; Externe vero ab initio ad finem morbi nil nisi Emplastrum Jeusigneri Norinbergensis Tumori applicuit. Tandem aliquando contigit, ut circa Festum Nativitatis Christi, dum noctu ægrotus dormitet se haut sentiente, Tumor rumperetur, unde magna quantitas materiæ, pultis instar crassæ, cinericei coloris, integris 4. septimanis profluxit, donec Tumor quasi omnino desideret.

Posthæc ex vulnere, quod interea in fistulam degeneraverat, atque in nonum usque annum, indito in id instrumento argenteo, apertum servabatur, juxta cum humore ichoroso successive plurimi lapilli provenerunt, diversæ magnitudinis, formæ & figuræ, sic ut alii triangulares, alii quadrangulares, alii sexangulares, deprehensi sint, inter quos majores, glandibus faginis, minores vero, granis ericæ similes erant.

Iidem Coloris sunt extrinsecus sub-punicei, instar Castanearum nondum omnino maturarum, inducti tenui quodam cortice, intrinsecus lutei instar Rhabar-

bari,

bati, quo ægrotus sæpius utebatur. De cætero lapilli dicti sunt friabiles, pondere admodum leves, ac numerum eorum novem annorum spatio excretorum, quingentenarium aut sexcentenarium æquare, hæredes ægroti affirmant: Eorumdem etiam lapillorum numerum ad 80. apud me asservo. Quamdiu vulnus apertum conservatum est, & lapilli excreti sunt, cætera vir ille bene valuit, & ad quævis sua munia obeunda, supra morem ætatis, expeditus & alacer; quam primum vero vulnus sua sponte coaluit, in alios Morbos incidit, præcipue vero interdum in Asthma, interdum in Icterum, sæpius in Diarrhœam, quorum morborum unus tandem quoque ipsi vitam extinxit, postquam ad 72. ætatis annum accessisset. *Godofr. Thelesin.*

HERMAPHRODITI.

De Hermaphroditis, eorumque Chirurgiâ sic scribit Hieronymus Fabricius ab Aquapendente.

Hermaphroditus dicitur qui utrumque habet sexum, olim ἀνδρόγυνος vocabatur, ex Pliniô, ut apud Platonem, ita dictus, quia sit Mercurii, & Veneris filius, ut vocis compositio indicat; nam Mercurius Ἑρμῆς, Venus Ἀφροδίτη, à Græcis dicitur. Ut fabulantur Poëtæ, fuit adolescens formosissimus quem cùm esset complexa Salmacis Nympha in fonte, & blanditiis ac precibus in concubitum flectere non posset, illa à Diis petiit, ut ex duobus corporibus in unum redigerentur; quod factum est. Plinius lib. VII. cap. 3. ait, quòd olim in prodigiis habebatur, nunc in deliciis. Quia verò multam utrique sexui affert deformitatem, ideò Paulus ejus Chirurgiam proponit. Primò autem ex Leonide ponit differentias hermaphroditorum, in viris nimirùm tres, in mulieribus unam. In viris quidem modò juxta regionem inter scrotum & anum, modò in mediô scrotô muliebris pudendi pilis obsiti forma apparet: Tertia verò ad has accedit, in quâ nonnulli veluti ex mulieris pudendô, quud in scrotô est urinam profundunt. In mulieribus verò supra pudendum, juxta pubem virile frequenter reperitur genitale, tribus quibusdam extantibus corporibus; unô tanquam cole, duobus autem aliis veluti testiculis. Hæc Paulus. Ego autem quid in hâc re observârim dicam: Observavi enim in homine inter anum, & testes, statim sub testibus, præter sua genitalia membra, formata quoque fuisse labia vulvæ, sine tamen aliquâ cavitate, itaut videretur naturam voluisse vulvam, & pudendum mulieris efformare, frustratam tamen fuisse: In mulieribus verò observavi nympham productam fuisse, olim ad duos, nunc ad tres digitos; quæ tamen erat flaccida, neque erigebatur. Nihil ultra fuit hâc in re à me observatum: Audivi tamen, & Perusii, & hic Patavii, mulierem fuisse hermaphroditum, quæ coocubitum cum aliis mulieribus habebat, hâc parte erectâ, ut dicit Paulus. Fama quoque est in bellô Ungaricô proximè præteritô, militem peperisse, qui ad intuitum mas, sed clam fœmina quoque erat perfecta. Nec mirum hæc à naturâ fieri; quoniam in generatione, ut puta in naturæ operum maximè naturali, naturam fuit de successione natura sollicita, ut potius abunda e in superfluis, quàm deficere in necessariis maluerit. Itaque primò fecit conceptum, ad utrumque sexum suscipiendum aptum, ut scilicet unum saltem, vel mas, vel fœmina, quò minus procreatur, fugiat. Sic in ovis quoque per duplicatum vitellum factum est. Propterea sicuti hominem fecit potestate fœminam, sic fœminam marem evadere idoneam molita est. In quô tamen præpollet femina, quod frequentius in femina, maris genitalia, non contrà, feminæ in mare posita sunt. Unde Paulus in mulieribus frequenter accidere dixit masculeum sexum. Ratio ea est, quia, uti ex Anatome dictum est, natura magis fœminarum, quàm marium generationem appetit, & intendit, propter causas in anatome allatas; ad quam hæc fortè magis spectant, quàm ad hunc locum.

Sed nos Pauli Chirurgiam in Hermaphroditis afferamus, & primò in viris fœmineum sexum habentibus. Paulus dicit quòd tertia virorum differentias, quâ urina per scrotum excernitur, curationem non admittit, reliquæ tres curantur, corporibus supervacuis è mediô sublatis, & ulcerum modò curatis. Quæ Pauli verba nihil aliud præcipiunt, quàm ut excidantur corpora mulieris, & pudendum, ac vulvam facientia. Ego verò cum nihil istiusmodi viderim, neque actioni officere, neque incommodum esse, neque deformitatem ullius oculis afferre, satius fore existimavi, ab opere dolorem afferente abstinere, & sine Chirurgiâ ea dimittere.

Sed de Nymphâ solùm difficultas est (*sub eâ Clytoridem complectitur Autor noster*) de quâ Paulus privatim agit: Tum verò ab Aegyptiis excindi solet in virginibus, ubi scilicet multa promineret; quod duabus trib̄usque de causis factum esse refert. Primò, quòd existimarent hanc partem plus justô prominentem, actui venereo incommodam esse, quòd in vulvæ orificium incidat, & colis ingressum liberum prohibeat. Secundò, quia existimarent nefas & piaculum esse mulierem agere quoque virum posse. Tertiò, ut modestiores feminas redderent, & inexplebilem libidinem, locis illis æstuosis feminas urgentem, per nymphæ amputationem, quæ Veneris aculeus, & titillatio est, restrenarent. Nam hæc pars, uti Anatome demonstrat, formam colis, & substantiam, & corporisque proprietatem exactè refert, proindeque & oblectationem, & omnem penis actionem habere necesse est. Sed jam tempus est ut hujus quoque partis chirurgiam peragamus; quam Paulus, resupinatâ muliere, & nymphâ volsellâ prehensâ, scalpellô excindit; diligentiâ adhibitâ ne tam altè ipsam penetremus, ut fluidus affectus, Rhyada vocant, excitetur. Sed melius erit, tum ad dolorem, tum ad rhyada vitandum, forcipe angustiore ipsam apprehendere, sensimque stringere, ut adstrictione sensus hebetetur, inde præcidere.

Observationes

De Hermaphroditâ perfectâ &c.

Absit ab hoc capitulo lasciva petulantia, & procul hinc, procul estote aures profanæ & salaces. Medicis scribimus, quibus & tangere subinde permittit necessitas.

tas, quæ natura, sollicita pudicitiæ conservatrix, velanda curavit. Iis ergo non molestum erit audire, quid circa eas partes etiam extra ordinem aliquando ipsa illa omnipotens mater moliatur. Obstupuit mecum Guilielmus de Peyu Amstelodamensi nosocomio præfectus Medicus, & aliquot celebres, qui aderant, Chirurgi, dum puellum supremum visitabamus, quæ anno ætatis suæ sexto fluxionem menstruam passa erat diuturnam & vehementem, atque ubi ea defecerat, pleuritide correpta fuerat; ac diu colluctata cum febribus eam ordinarie comitantibus, & his diu etiam sequacibus, tandem in regione pubis vehementissimos sensit dolores: parsque ea paulatim intumescens, anno ætatis septimo, quo hæc oculis nostris usurpavimus, non puerum, sed penem produxit, qui perfectus, & perforatus erat; ita ut urinam commode per eum redderet, testiculi jam etiam sui prodebant initia, nam in sinistro latere tangentibus occurrebat globulus, qui manui cedebat, omnium, qui aderant, judicio extra omnem controversiam, testiculi latitantis adhuc, sed se foras prorumpere conantis argumentum. Quamquam autem parte recenter adnata urinam redderet, non tamen eandem minus commode, qua antea solita erat via, emittebat. Mirabamur ista tam insolita naturæ molimina, & quo tandem evaderent inter nos quærebamus, quod succedentia docebunt tempora; vivit enim & valet hæc parva hermaphroditula, quæ non minus obstupuit, credo, quam famosa ista Anna Weylde Angla, quæ ne quidem per umbram suspicans se aliam fore, quam fœminam, sine ullo doloris sensu anno ætatis sexto sensit prodire testiculos, quibus decimo tertio adauctus est penis, ita ut utriusque sexus membra exhibeat, testiculis etiam, quam ordinarii virorum sunt, majoribus, titillabatur utriusque sexus libidine, sed quia penis non erat perforatus, semen, quod eum inflatum impleverat, siquidem id affirmanti fides potest haberi, deorsum per muliebria, effluebat. Curiosa alia de hac perfectissima hermaphrodita referre possem, nisi illa per totam Europam pene vagata, penem & reliqua omnibus videnda, omnibus tangenda obtulisset.

Itaque aliud in hoc genere mirabile referam: quod etiam Amstelodami visendum fuit: puer est trium annorum, in quo nec testiculi, nec scrotum apparet, sed tantum virgæ cujusdam imperforatæ exiguus tubus, & infra eum foramen, quod caput majoris aciculæ magnitudine non excedit, per quod urinam reddit sine incommodo. Sed hisce stupendis naturæ exorbitationibus tantisper immoratum esse, sit satis. Legat, qui curiosior est hac super re, Ausonii carmen, non unum hujus rei exemplum adferens, quod hic tibi suis admetior numeris.

Vallebana (nova res, & vix credenda Poëtis;
Sed quæ de vera promitur historia.
Femineam in speciem convertit masculus ales,
Pavaque de pavo constitit ante oculos.
Cuncti admirantur monstrum; sed mollior agna
Astitit in tenerum de grege versa marem.
Quid stolidi ad speciem notæ novitatis habetis?
An vos Nasonis carmina non legitis?
Cænea convertit proles Saturnia Consus,
Ambiguoque fuit corpore Tiresias:
Vidit semivirum fons Salmacis hermaphroditum,
Vidit nubentem Plinius Androgynum.
Nec satis antiquum quod Campana in Benevento,
Unus Ephebeorum virgo repente fuit.
Nolo tamen veteris documenta arcessere famæ,
Ecce ego sum factus femina de puero.

Legat Fortunium Licetum de Monstris, & Martinum Delrio in Inquisitionibus magicis, ubi hermaphroditum genuisse & peperisse narrat, alios ex feminis subito in viros mutatos, alias ex aniculis in juvenculas, nec nugatur vir ille, tempus, locum, aliasque assignat circumstantias, quæ solent rebus fidem astruere. *Theodor. Kerkringius in Spicilegiô Anatomicô.*

De Hermaphroditô.

De *hermaphroditis* nihil omnino dicere statuissem; sed partim, quia Fabricius de iis nonnihil scribit, partim, quia mihi puella hermaphrodita ante biennium inspicienda & post mortem examinanda oblata fuit, non possum quin aliquid addam. Qui plura de talibus scire desiderat, adeat celeberr. *Casp. Bauhini tractatum* absolutissimum. Infantem illum cum vivum inspiceremus, dijudicare non potuimus, quisnam sexus in eodem præpolleret, habebat enim penem, pro ætatis ratione longiusculum, simul quoque externam pudendi muliebris imaginem. Post aperturam cadaveris inventus est uterus cum testiculis, tubis aliisque vespertilionum, tum & sinu pudoris, in cujus superiore parte meatus urinarius quoque aderat, adeo occultus, ut in viva eundem animadvertere non potuerimus. Cæterum penis nullum habebat commercium cum vesica, eoque transversim dissecto, nulla spectabatur urethra, sed tantum duo corpora nervosa; quæ suis cruribus adhærebant ossibus pubis, ut clitoris mulierum. Potuisset hic sine dubio curari, si longius habuisset vitæ spatium, è medio sublato pene tanquam supervacuo, postea ulcere debite tractato, ut habet Ægineta *l. 6. cap. 69. Clariss. Joh. van Horne in Microtechne.*

Conceptio Hermaphroditica seu Androgynea.

Fortunius Affaytatus, Physicus atque Theologus Italus insignis, in suis considerationibus Physicis atque Astronomicis, Paulo III. Pontif. Max. inscriptis, & Venetiis Anno 1549. impressis, de conceptu Androgyneo cap. 2. hæc habet. Melinus Britannus, divinus vates, anno à Christo nato 446. ex ea matre natus est, quam constabat sine viro concepisse, cum forte se cum viro jacere somniaret; id Sabellicus scriptor historiarum diligentissimus, aliique Historici & Chronologi, præsertim apud Anglos, literis prodiderunt. Averrhoes asserit hujusmodi casum suo tempore accidisse, hoc est, virginem sine virili concubitu concepisse & peperisse. Divus quoque Thomas ait, suo seculo idem evenisse. Nostrates etiam paucis abhinc annis testantur idem Cremonæ contigisse. Vivuntque adhuc tum obstetrices boni nominis, tum probatissimæ quædam matronæ, cum quibus hac de re sæpe longos ipse sermones feci, quæ jurant, se huic spectaculo interfuisse.

Allegatus Autor cap. 5. suam hac de re sententiam fert, dum dicit: Dari hermaphroditos utriusque sexus munus egregie absolventes, & alterum tantummodo sexum foris ostendentes: fœminea genitalia exterius conspicua esse, virilia intus latere, semine prolifico prædita; & per certum seminis ductum, quotiescunque opus sit, semen ad matricem deferre, vehementi aviditate illud excipientem: illudque penetrare illæsa etiam virginea membrana in loco ad generationem accommodata, illicque residere, & ita conceptionem fieri, eodem modo ac si cum viro rem habuisset: & hoc plerumque solere per somnum usu venire, quo tempore sagax natura ad venerem excitandam varia simu-

lacra confingere facile potest. Servatis igitur naturæ legibus, satis constare arbitratur, mulierem sine viro foris adhibito coocipere posse: qua in re providæ & almæ naturæ gratias ingentes agendas esse censet, quæ nollo pacto geous nostrum perdi aut exstingui voluerit: etiamsi viri non invenirentur, aut fœminas prorsus odissent. Immo omnia procurasse naturam statuit, ut humanum genus tueretur & conservaret, illudque homine etiam invito latius propagaret.

Ratus hic Tractatus plurima alia paradoxa in se continet non ubivis obvia: Speciosas etiam rationes complectitur, cur magnet se ad polum vertat, io quibus erucodis hactenus plurimi desudarunt. An autem Lectori curioso author hic in omnibus satisfaciat, in medio relinquitur.

Schol on) Aristot. l. 4. de Gen. Anim. c. 4. judicat, de Hermaphroditis, quibus gemina sunt pudenda, unum ratum, alterum irritum habent. Non verum hoc Aristot. decretum esse statuit Joh. Faber Eynceus in not. ad Hist. Mexic. f. 547. certotum, inquit, mihi fide testimoniorum constat fuisse egregia statura & venusta facie juvenem, qui modo gladium cingebat, modo colum tractabat, & agi parique posset. Nisi Aristotel. intelligat, qui fœcundum virile profundit semen concipere non posse, aut vice versa; quæ gravida sit io alia fœmina geoerare non posse. Contrariom, ait, ferè foveo, Aristot. sententiam. Exenteravit Theophil. Molitor Lynceus io Fabri æde murem majorem, Rattum, qui Hermaphroditus erat & prægnans, novem masculos utero concluios gessit, non majores quam aliqua magna formica, vivos omnes, & in quibus cor pulsare visum est: Erant huic omnia fœmioam coostituentia genitalia & semen præparantia, conficientia Testes ac deferentia vasa una cum matrice: Altera ex parte aderant omnia vasa semen facientia & jaculaotia masculina, cum ipso utero, testibus, vesiculis semine denso & optime concocto onustis. Hactenus Faber: Memorat Wolphius in memorabil. com. 2. Camer. cent. 16. f. 510. fuisse Hermaphroditum Hieronymo Montano Gallo satis cognitum, qui sexus muliebris putabatur, viro nupserat, cui filias aliquot & filios pepererat, sed nihilominos ancillas compresserat, & in his generare solitus fuerat; licet itaque rarum ut Hermaphroditus utroque sexu & incubum & succubum cum aliis agere possit, & utroque fœcuoditatem exhibere; ut tamen solus sibi ipsi utroque sexu sufficere possit, res videtur esse valde difficilis quæ & credi & probari satis possit. *Georgis Christ. Petri.*

De Duobus Hermaphroditis.

Inter praxim, quam in castris Brandenburgicis ad Anclamum Pomeranorum locatis, apud multos dysenteria & febre maligna decumbentes, hoc Aono *1676.* Meose Augusto, exercui, oblatus mihi fuit infans masculus, vix tertium anni quadrantem ætate superans, dyseotericus, ex plebeia stirpe minime oriundus: Puellus hic, cum ultra octiduum laborasset dysenteria, & ea mulierculatum medicastricum ope jam esset sublata; accendenti videbatur mihi insultibus epilepticis iisque lethalibus decumbere: Cumque inter cætera indicantia Clyster esset applicandus, & nemo in castris adesset, qui manum operationi huic adhibere gnatus esset, ipsemet ego enema paravi; idque instrumento apto infantulo infundi, ne aliquid damni imprudentia alterius administrantis pareretur. Etenim non mihi aut alteri Medico candido turpitudioi ducendum existimo, quandoque Pharmacopœi aut Chirurgi vices supplere, ubi id oecessitas efflagitat. Cum itaque canaliculum ol. amygd. dulc. oblitum cauta satis manu aoo admovissem, ut sine ooxa & dolore posset penetrare. Sphincterem ani (qui in dysentericis quidem relaxari solet) adeo amplum inveni, ut is primo statim intuitu mihi potius membrum muliebre, quam anus videretur. Rima erat oblonga, ampla, labiis septa, quæ rugis quibusdam sed paucis erant plicata, aoique partim sphiocterem, partim vulvæ labra præsentare videbantur. Præterea cum syringam, hinc iode in ano laxo agitassem, nec tamen illam penitus iotrudere possem, cum semper aliquid obstare deprehenderem, quaquaversum canaliculum movebam, & liquor coemaris etiam refluerer, paulo superius versus os coccygis reperi iogressum, quo syringa penetrabat & clyster plurimam partem infundi posset. Dubius igitur primo, an aliquid monstrosi & Hermaphroditici subesset in tenero hoc subjecto, an vero secus, & (quod in his morbis familiarissimum est) ani sphiocter nimis esset relaxatus, atque intestinum rectum acrimonia humorum dysentericorum excesum foramina acquisivisset, rogavi Pareotes, ut iosantulum cum muliere, quæ illum à partu curaverat, lectica ad rentorium meum, quod iode ultra dimidium milliare distabat, duci curarent, ut per integrum diem eo melius infantuli coram haberem, quoniam officii Electoralis causa longius abesse non possem. Id autem feci ea de causa, ut præter diligentem curam istas partes exactius perlustrare mihi simul copia daretur. Consensere Parentes, & subsequenti die miserunt ad me puellum cum vetola. Illum ego lethalibus laborantem symptomatibus, quaotum opus erat, refeci medicaminibus necessariis, & posticas partes diducendo interiora ani perlustravimus ego & vetula quid lateret post rimam, quam natura loco sphiocteris ani produxerat. Diductis itaque labiis externis, rugis quibusdam (ut superius innui) sphincterem aoi meorientibus, ioveni nymphas & caruncula versus abdomen, inter quas hiatus erat pro vaginula uteri: Paulo superius versus dorsum, sphincter erat intestioi recti minime, ut alias, corrugatus, sed tanquam duabus membranis rubris ex adverso sibi correspondentibus, alvi excrementis exitum præbentibus, compositus: Hic valvularum mote aperiebatur, quotieos infans ejularet, & (quod ob dolores internos fere contiono accidebat) vocem raucam minime sonoram ederet. At, quod assequi ego non poteram, supra hunc ani sphincterem internum aliud foraminulum parvum, ad formam meatus urioarii, in mulieribus alias versus abdomen, hic autem versus os coccygis, conspiciebatur. Notabile & hoc erat, quod Perinæum, forma sua futuram exactissime referens, ultra quatuor transversos digitos ioter penem & hunc monstrosum anum distabat. Ita satis hisce partibus perspectis, infaotolum hunc (Puellum ano-Puellam, vel quomodocunque eam appellare placuerit) cum vetula dimisi, qui etiam subsequenti die epilepticus moriebatur, statimque in proximi pagi templo sepeliebatur, cum Parentes exenterationem, quam sollicite implorabam ob internam partium structuram, penitus abnegarent. Mulier quæ infantis curam à partu usque gesserat, eandem mecum sententiam circa muliebre membrum fovebat, que (ut aiebat) semper observasset, Infantulum circa illas partes sese non bene habuisse, præsertim cum egesserit urinas & alvi excrementa.

Cadaver etiam denudatum militis cujusdam ad propugnacula urbis Anclami occisi, inter aliquos occisos ita cum suis genitalibus utriusque Sexus fuit conspectum à plurimis, in quô membrum muliebre perinæi locum occupabat. *Christiani Mentzelii.*

De Hermaphroditô.

Die 12. Julii proxime elapſi, comparuit puella quædam ruſtica, oon imberbis, in noſtro Othinienſi Conſiſtorio, cui nihil in votis erat, prius quam ut nuncio & ſexui ſequiori, & ejuſdem ſexus habitui, miſſo, ſibi integrum eſſet à Gynæceis ad maſculum & ſexum & cultum tranſire. Erat autem

Mercurio genitore ſatus, genitrice Cythera,
Nominis ut mixti ſic corporis, Hermaphroditus.

Androgynus hicce natus in pago Fiouenſi, *Eſpe*, cum ſalutari Regenerationis tingeretur lavacro, dictus eſt Petrus, teſte ipſo loci iſtius Paſtore; poſtea autem, cum errorem Naturę obſervaſſent Parentes, ſalutabatur Petronella, ultra annos unum & viginti, in hunc uſque diem, quo captus vel tædio, vel odio ſui generis, ſpreta nobilitate fœminei ſexus & pręcellentia, (quam ſolam laudavit qui omnia vituperabat Agrippa) ad caſtra Virorum redire optabat. Caſum hunc & cauſam ad forum Medicum mox devolvebant Aſſeſſores, ideoque remittebatur ad utrumque Clariſſimum meum Affinem Dn D. Chriſtianum Henricum Luja, Dn. D. Chriſtophorum Balslavv, & me ſimul, ut noſtra, qui una tum temporis aderamus, valeret exiſtimatio. Nos varia primum huc ſpectantia rogantes, tandem ipſum hominem oculis ſubjicimus noſtris. Ubi jam oculi noſtri ad metam perveniſſent, obſervavimus in perinæo, ſive interfœmineo.

Pudendum muliebre, exiguum quidem, ſed non plane clauſum aut impervium, quod tamen otioſum judicavimus, nec omnibus, quod dicitur, abſolutum numeris, cum nunquam vel lotium emiſerit, vel tributum pependerit lunare. Prævaluit autem membrum illud quo Viri ſumus, in quo defectus apparuit nullus, niſi quod Peni brevior videbatur, verum, præ pudore, ni fallor, brevitatem modo mentiebatur, confugiendo in viſcera mille operta rugis. Teſtes adeo accreverant, ut non mereantur nomen Teſticulorum, communem quippe ſupe greſſi magnitudinem, Vervecum pœne adæquant. Atque ita non modo bene teſtantur virilitatem, ſed & ſalacitatem, cujus inſimulatus dicitur (ut cum Plauto loquar,) præſentibus teſtibus petulcas adamare ruſticolas. Percrebuit equidem rumor pamphilam quandam ex ipſo gravidam eſſe, quod tamen ipſe, à nobis interrogatus, negavit conſtanter, ideoque nec temere hoc affirmavero. Egregii hi Teſtes rariſſimo teguntur ſcroto, non ad communem Naturæ legem formato, ſed prorſus bifido, & in dextram ſiniſtramque partem exacte diviſo; quippe cum lineola illa, in infima ſcroti parte ſecundum longitudinem communiter excurrens, quam futuram vocamus, heic ſedem ſuam circa Penis elegerit radicem. Atque ſic iterato ſæpius luſerat in hoc noſtro Natura, in longum ſui ludibrium ipſum reſervatura. Immo & varias vices ac viciſſitudioes experta ſunt hæc membra, ipſo teſte poſſeſſore. Tempore qoippe nativitatis, & primis ſtatim annis, favit Natura potiſſimum Virilibus, progreſſu temporis videbatur ad alteram inclinare partem, quaſi organo muliebri deditiria futura, verum ubi pubeſcere cæpiſſet, rediit ad priorem locum, unde digreſſus fuerat, ſuetus Naturæ vigor, quaſi eandem remenſutus fabulam. Cum vero ſe heic ſentiret diverti commodius, tranſtulit huc ſuas ſedes, maſculo generi futuras hæreditarias. His omnibus rite penſitatis, ductum Naturæ ſequuti, Virorum numero hunc adſcripſimus; jubentes ut, qui hactenus ſub muliebri palla max delituerat larvatus, jam, complicato ſipario, in ſcenam ſine fuco prodiret, veſteque fœminea cum virili mutata, maſculeſceret, & faciendo opere ruſtico, jam tum Vir futurus, digno Viro, lacertos poſthac exerceret ſuos. *Georgii Hannai.*

Andria, Sive mulier Hermaphroditica.

Emaſculatam fœminam, non caridum luxu aut deſidia pronatam Andriam, non illam Terentii ex Inſula Lesbo ortam, ſed ruſtica gente in ſuperiori Bavaria editam exhibeo, cujus lepidum exemplar Marius Grapaldus lib. 2. Lexic. cap. 5. voce ἀνήρ in Latine reddito Epigrammate exhibet.

Cum mea me genitrix gravida geſtaret in alvo,
Quid pareret fertur conſuluiſſe Deos.
Mas *eſt, Phœbus ait, Mars* fœmina. *Junoque* neutrum.
Cumque forem natus, Hermaphroditus *eram*,
Quærenti lethum, Juno ſic ait, occidet armis,
Mars cruce, Phœbus aquis, ſors rata quæque fuit.
Arbor obumbrat aquas, aſcendo, decidit enſis,
Quem tuleram caſu, labor & ipſe ſuper
Pes hæſit ramis, caput incidit omne, tulique
Fœmina, vir, neutrum: flumina, telo, crucem.

Andria autem noſtrę ruſtica *Martha Lechna* nomine, patriam habuit pagum ſuperioris Bavariæ paramœnum Ilmunſter, qui fere medium itineris inter Ingolſtadium & Monachium peregrinantibus exhibet, à præterlabente fluvio Ilne, & Cœnobio, quod circa annum R.S. DCCLV. ibidem exſtructum Bavariæ annales referunt, ita indigitatam, quam corrupto idiomate incolarum dialectus nunc *Idelmunſter* vocat. Parentem habet *Johannem Lechna* mercenarium, matrem vero, ob motum pedibus negatum ægerrime inque ſumma penuria decumbentem. Amor Judicis in egenam hanc decimum quartum annum ætatis nunc agentem literis hiſce commendatitiis pro viri poſſe munivit:

Demnach Mir Vervveiſer deſſen mein Unterthan Hans Lechna unterthanig zuvernehmen geben, daſs er unter ſeinen funff Kindern ein muheſam und armſeliges, vvelches in gleichen Mann und Weib, nicht vven ger deſſen Chevvirthin vvegen zugeſtandenem Unglucks an beyden Fuſſen contract. *Sintemal er aber vveben groſſer Wehemuth Zu Curirung deſſen keine Mittel, auch mit ſeiner Hand Arbeit, als Tagvvohlen, jedlich zu erhaltem nichs vveiſs, ſondern ihnen kaum die Lebens Mittel ſchaffen kan, dahero gedrungen, gute, fromme, treuhertzige Chriſten umb das vvurdige Allmoſen umb Gottes vvillen anzuruffen und zu bitten, hat er mich ihme deſſen At*teſtation *und Urkund zuertheilen unterhanig gebeten und angelanget, vvelches Ich der Warheit zu Steur, vvie es auch der Augenſchein bezeuget, nicht vervveigern vvollendemnach an alle und iede, vvas Dignitaten und Standes ſie ſeyn, vvelche mit dieſem Urkund erſuchet vverden, mein gebuhr-dienſtvvilliges und freundliches Erſuchen, Sie vvollen gedachtem Lechna aufs Chriſtlichem Mitleiden die Barmhertzigkeit erweiſen, und ihme mit ihrer Gabe dem vvurdigen Almoſen befohlen ſeyn laſſen: Solches vvird Gott der Allmachtige ſeiner Verheiſſung nach hie zeitlich und dort evvig belohnen, der arme Menſch auch mit ſeinem Gebet gegen Gott furbittend nicht in Vergeſſenheit ſtellen. Der Varheit zu Steur habe Ich auff beruhrten Hanſen Lechna, ſein gebuhrendes Erſuchen und Bitten ihme dieſen Schein verfertiget, zugeſtellet und geben.* Actum *Ildmunſter* 20. Nov. Anno 1670.

(L. S.) *ULRICH VIRDE*
Richter allda.

Hac ratione ostiatim victum quæritante Martha anno huc P. C. N. & Inc. MDCLXXI. 5. Iduum Iun. quo die Romæ antiquitus Vestalia celebrabantur, ædes meas adiit, pro obtinendo Viatico; lectis literis salvi commeatus, copiam videndi ut faceret hanc naturæ aberrationem petii, quæ antequam insp.ciendam se præberet, una cum fratre suo Iacobo *Lechna* fassa est, se à primis unguiculis & dum sacra initi fœderis cum ea celebrarentur, Hermaphroditas suspicione detentam à potiori membri genitalis efficacioti signo, evitari Caspari impositione fuisse indigitatam: succrescentibus vero annis cum & pudenda muliebris signaculi longinteṃ rimam evidentius ostenderent, circa decimum ætatis annum, alterum, quod in ipso S. Baptismatis fonte insimul Marthæ nomen acceperat, pro diluendo seaus dubio reassumere patentes anaie laborarunt: bavaro hinc Dialecto nostra *Marthel* vocata, Monachiumque deducta est, atque censuræ & inspectioni prudentissimæ sagacioris Experientiæ Gratiosi Ordinis Medici ibidem commissa fuit, horum suasu Marthæ nomen in hunc usque diem retinuit, atque virili exuto habitu, ob perpetuum urinæ stillicidium, muliebrem utpote laxiorem vestitum induit. Pendulos vero testes cum scroto vidimus juxta adumbratæ figuræ lit. A. A. quas justa figura & proportione efformatas deprehendimus, supra quas brevior ac tratura in viris finxit, præputii ae penis effigies BB. immlnebat, siquidem præputii involucrum medii glandis caput C. C. quadantenus obvelabat, nec omnino obtegebat: erat autem glans penis turbinata, ut in aliis viris, cujus basis reliquo membri virilis corpori, abbreviato nimium circuli instar, sive in modum coronæ adhærebat, molli admodum acutie prædita: nec deerat χαλινὸν κύων sive κυνόδεσμον in glandis inferiori parte, quod quidam ea nervorum extremitatibus conflatum, pro contractioue præputii factum, frenum esse autumant D. Hoc suberat discriminis, quod eviratæ hujus penis in summæ glandis medio apice non fuerat pro more pertinatus, ac in maritali sexu, sed in superna membri parte rimam obtinuerat satis longam & prusundam E. E. quæ se insta præputii partem pubi substratam ad dimidii pollicis transversi longitudinem eatendebat: diducta rima alæ pudendorum muliebrium conspiciebantur, quin & bini meatus F. G. horum prior & superior stylí medioris magnitudinem admittebat; perpetuo urinæ stillicidio lquaiens, inferior & longe minor satis difficulter & cum dolore non ita exquisite pervestigari potuit: sticta rima, quæ mentulæ hnic non in apicis medio, sed potius in superna parte sita conspiciebatur, diducto altius præputio, pollicis extimo articulo longior erat; tenellæ sanguinis vestigia in pube pubertatis imminentis indicia dabant. Penis de hinc male conformatæ ex brevitate nimia membri (quia præter glandis sulius corpusculum tenellum nil de eoli extensa parte residunm cernebatur, quamvis alias pro membrorum proportione conformatum deprehendamus, & parvæ statura quandoque magno eoque penduln membro conspiciantur) judicium, quibus alte in mente hærebat, hi corporis proceritatem, macilentiam, vocem & vires viriles, promissiores comas, mammas ad latera minutas, & pudenda, non tamen ut in viris promissa adeo, cum appensis testiculis scroto obducta intuebantur, rimam elongatam cum bitis ductibus altius rem ad rationis trutinam examinabant Tribadea cum Cœlio Aureliano, & ad nequitias attrectantea sahigarriees comici referendam censebant, Hos curiosior Genitalium observatio in quæstionem intricatam satis adeo deduxit, ut de futuræ aut imprægnationis aut prolificationis munere sciscitarentur: alios movit Galeni authoritas Comm. in 7. Aphor. 44. γυνὴ ἀμφιδέξιος οὐ γίνεται, mulierem non fieri æquimanum, cum eidem nil virile insit, ex Divi Scuis authoritate: alii pro ratione roboris genitalium dimicantea, virili potius habitu incedendum diacrunt: inter utrorumque diverticula alii media incedentes via utrumque veneris exercitium Marthæ nostræ attribuerunt, quoniam juxta Suidam ὁ τὶ αἴσχος ἢ παιδὶ ἢ παρχινῷ, adeo ut merito quærendum,

Num Dea fœmineum jam negligit Hermaphroditum,
Amplexu teneri sollicitata viri.

Favet horum sententię historia Keckermanni de milite Ungarico, qui in utrisque castris & Marti & Veneri litando assidue strenuum se gerebat, tandem effeminatus puerperii vices subivit. Ut taceam binos Monachos, de quorum altero Χρονόγραμμα illud.
Mas, Mulier, Monachus, Mundi Mirabile Monstrum.
Sic Andriam Scoticam herilem filiam in uno lecto acccumbentem stuprasse Anno 1461. Boetius author est. Et hæc de Andria nostra dixisse sufficiant. *Jo. Sculteti.*

Annotatio ad observationem præcedentem De Andria.

Quam ex cl. Dom. D. Joh. Sculteti relatione exhibuimus Andriam, illius descriptionem fusiua tradiderunt alii Duumviti Noribergenses, quorum narrationem nunc subjungo, ita exc. Dn. D. Joh. Georg. Volkamerus.

Pueto euidam Scotorum intra crura sub inguine convenientis formę propendebat; ealnde canalis quasi nullus sursum adhęrebat cuti, sub cute glans prominebat nullo tecta præputio, antrorsum continuis eum aliis figuræ, ventrem vero versus ubi adhæsit, diffissa, diduci potuit: extremum digiti apicem longitudine sua vix æquabat, connata deinceps pone præputium glandem vulgarem è querce referebat.

Altera relatio communicata à Dn. D. Georg. Abrahamo Mercklino Juniore Medico Norimbergensi explicat magis magisque Andriæ statum, sic autem ille.

Quam multifariam ac mirabiliter in minimis, in maximis sæpe ludat natura rebus, præter Medicorum annales quotidiana experientia passim abunde docet: ludit quoque haud raro in nobilissimis etiam nobilissimi ipsius humani corporis partibus, sed & vix unquam frequentius quam in generationi dicatis organis, adeo ut ejus arcanarum & occultarum virium ratio non semper subtilius quærenda, sed effectus solummodo cum admiratione spectandus, fatendumque sit cum incomparabili Thoma Bartholino, De insolitis partus humani viis, cap. nil. multa in corporibus humanis quotidie fieri, quorum vim naturamque perspicere non possumus: Hujusmodi Naturę lusum, dicam an errorem, notare licuit anni hujus 1671. mense Junii in genitalibus cujusdam vulgo, sed ut opinor, minus recte putati Hermaphroditi, quem puerum, si ita loqui liceat, fœmellatum aliqui vocaverunt, aiii. circiter annos natum, in pago prope Bavarorum Monachium siti, infimæ sortis patre Joh. Lechna, mercenario: Sacrum lavacrum nomen ei primum dedit Caspari; at quod

quod mutarunt, qui de fœmineo seau aliquid cum participare primitus observarunt, hincque nominarunt Martel, quo & Marcham & Martinum subintelligere voluerunt, quo etiamnum audit nomine: muliebri incedit habitu, licèt ad masculinum quam fœmininum longe manifestius inclinet sexum; an ut ex vesica continuo scaturientis urinæ molestiam facilius eo ferret, aut promptius declinaret? an ut in curiosorum animis majus se videndi excitaret desiderium? an quod parum curans qua indutus sit veste, quæcunque suppetit posthabito delectu assumat? Noribergam venit, non ob aliam quam ostiatim stipem quærendi causam, intercessionalibus literis ab illo illius pagi præfecto instructus, qui pietate erga pauperculum motus testimonium simul ejus infirmitatis ac indigentię impertivit; Mas est, maris enim generationi externa dicata exhibet organa omnia, Testes scroto inclusi ad naturalem alias eorum conditionem rite se habent, nisi quod minus quam par est propendeant, ac paulo latiores compressioresque sint, & pubis ossi arctius adhæreant. Penis præputio quidem, sed retroducto, & glande, sed denudata, instructus in hoc insuper discrepet, quod longitudine vix digiti manus articulum superet, supra cujus regionem pubes quoque sparsim pullulare jam incipit, Mammæ quoque tantum abest ut sororientur, ut potius admodum graciles & puerorum mammillis simillimæ conspiciantur, Fœmineum autem nil prorsus habet, nisi quod Penis foramen, per quod è vesica urina consueta Naturæ lege profluit, peramplum sit, sublongum, vulvę ad instar, labiis, quæ diduci possunt, & internis quibusdam caruunculis conspicuæ formatum, satis crassum admittens stylum, e quo urina subinde stillat, adeo ut ne momentum quidem continere eam queat: Profluitque hinc subuculam, & adsitam cutim ita irrigat, ut sua acredine eam adurat, inspicientis nares graviter offendentem: Quam urinæ incontinentiam ex sola foraminis amplitudine, hincque rite ac strictè se constringentis ineptitudine deducerem.

id temporis latens, magno cum impetu foris erupit, accedente non levi corporis metamorphosi. Penis hic aliquando erigitur, tum quatuor pollices pene æquat; præputio & frænulo, ut in viris fit, instruitur, sed ubi perforatio fieri debet, adest tenuis membranula foramen obducens, ut nihil inde excerni queat. Uteri vagina, quantum videre contigit, in cæteris à communi sequioris sexus lege non recedit, in quam non pauci digitos intruserunt; quare hymenem, si adfuisset unquam, corruperunt; sed nec hoc efficere potuerunt, sine flexura articulorum propter membranam mediam rimam obvelantem; ob quam etiam non satis explorari poteit sive oculis, sive digitis, quomodo se habet uterus ipse, aut cervix ejus: hæc tamen adesse valde verisimile. Cum annorum esset sedecim, menstrua periodico & modo debito fluere cœperunt, & jam nunc fluunt, ut ipsa refert. Barba satis densa erupit, imò totum corpus est pilosum: Vox corporisque habitus viros æmulatur. Mammæ nullæ exurgunt, papillæ perquam exiguæ, pectus valdè latum. Dicit se ad utrumque sexum comparatam esse, cum fœminas concupiscit, penis erigitur, cùm viros, flaccidus manet, Oculos aliquando conjiciens in virum formæ venustioris, illum deperibat adeo, ut insequenti die, præ amoris œstro, in passionem hystericam inciderit, quam comprobarunt elevatio abdominis, crepitus, risus, fletus, uti & juvantia: convaluit enim ex emplastro de Galbano regioni umbilicali applicato, & aliis remediis hystericis exhibitis. Tandem utrum vir vel fœmina sit, nescio; Testiculos adesse mobiles, satis largos, exuberantes, scrotis contentos, uti supra his oculis vidi: priapus, qui erigi & flaccescere capax est, adhuc clarius videtur: quare vir dicatur. Adsunt rima, uteri vagina, nymphæ, foramen intra pudendum pro urinæ exitu, quare ad alterum sexum relegetur, vel ad utrumque vel neutrum.

De Hermaphrodita singulari.

Historiam (referam) de hermaphrodita, qualem nec Bauhinus, nec alii, qui hujusmodi meminerint, admirabiliorem scripserunt; quamque egomet vidi Hagæ-Comitum, & examinavi: Est paupercula, quæ pro nummis lucrandis sese Medicis & Nobilibus quibuscunq; denudat, quare nuper in Hollandia fuit, jam, uti audio, ad Gallos ivit. Historia ipsa Regiæ Societati communicata est, ex qua sequentia transfero. Nomen illi est Hannah Wilde, nata mense Februarii A. D. 1647. in pago Agri Hamptoniensis Ringrood dicto. Sexto ætatis anno inter saltandum cum pueris coætaneis, exuberantiæ duæ, pro herniis bubonocelis habitæ, primum emicuere: quibus in ordinem redigendis, Chirurgi diu operam luserunt: Testiculi enim erant, qui jam prægrandes facti, scrotis duobus cutaneis, parum corrugatis, sed vix prominulis, pilisque obsitis visuntur, ex quibus divisis & elongatis confinguntur vulvæ labia: Adest sinus muliebris, in quo nymphæ, & caruncula una vel altera myrtiformium loco: Est & membranula, à perinæo sursum tendens, mediam rimæ partem tegens, unde non video, quomodo peni virili introitus esse queat. Clitoris non habetur, sed loco ejus penis imperforatus, nisi forsitan is Clitoris dici debeat: Usque ad decimum tertium ætatis annum pro fœmella habita est, cum forte patri subigendo strenuam navaret operam, derepente priapus hic, ad

De Hermaphrodito.

Ludere in humanis rebus Divinam potentiam; ac inter creaturas non raro monstrosa, & contra solitas naturæ vias accidere, singulis, qui æqua rationis lance Physica ventilant, non est incognitum. Similibus extraordinariis contingentibus non immerito adnumerantur homines illi, hermaphroditorum nomine quos insignimus, dum scilicet & virile & muliebre genitalia, bonam tamen partem ut plurimum imperfecta, à natura ludente vel errante talibus insimul impertiuntur.

Cum horum historiæ in observationibus Medicorum non sint adeo passim obviæ, junioribus autem Medicis, aliisque interest noscere circumstantias hujus erroris naturalis, ob divortium sæpe ideo quęsitum, & alia diversa, lubet heic aliquam proponere; præprimiis cum nonnulla ab aliis similibus diversa contineat, atque rariora: Civis quidam in vicino aliquo oppido honeste vivens simili, id est honeste proposito matrimonium ingressurus, eligit sibi virginem, parentum honestorum filiam, famę itidem non inhonestæ. Dum conjugii debitum sponsæ suæ persolvere aggreditur, dapes hasce venereas neutiquam experitur ita dulces, veluti quidem easdem sibi promiserat; (prima autem vice, dum vixerat, coitum tunc exercebat.) Rem enim suam in novellæ uxoris rem immissurus; (ignoscant mihi casti oculi, castæ aures; Egomet castus Medicus hæc castis scribo; si quis Genius protervus scandalum inde accipiat, sibi ipsi habeat,) invenit portam hancce nimis angu-

stam, & vix duos digitos transversos amplam; Et quod majus adhuc fortunæ adversæ obtigit tragicum symptoma, mentula conatu violentiore intrusa sentit aliquid interius contra audentius ire audens, atque ita huic introitum summe dubium reddens.

Misellus iste cœci Cupidinis miles duellum hocce amatorium, præter opinionem ingratum, satis ægrè ferens, ex amicis calculum sciscitatur aphrodisiorum castrorum exercitia, consuetasque circumstantias, atque ita desiderata castelli hujus mirabilis atque miserabilis expugnatione desperans, propterea rem gestam Magistratui Ecclesiastico denuntiana, divortium petit, & quod petit, obtinet.

Ocularis enim inspectio, Magistratus jussu à perito Chirurgo instituta, docuit, hominis hujus pudendum muliebre duoa saltem digitos transversos esse amplum, atque intra hoc superiore in parte membrum apparere virile, primo intuitu duas ad tres digiti articulationes longum, inter leves autem contactus in æqualem magnitudinem adhuc excrescere, durius insimul redditum: Contrectatione accuratiore itidem edocente, sub carne adhuc latitare ejus portionem longam: Penem istum glande esse præditum non perforata, ac sine præputio; Labiisque pudendi muliebris diductis solitas non apparere nymphas; Collo item uteri anteriore existente quasi cartilaginose duro.

Cæterum sanguineæ illa erat complexionis, ac satis vegetæ, corpus obtinebat forte, vocem virilem, mammis carens, barbæ sudimentis & visum & tactum eludentibus, & quamvis tunc 26. ætatis suæ annum absolverat, menstruum tamen fluxum nunquam fuit experta. Modo dictis tamen non obstantibus, illa ipsa sese credebat fœminam, pluribus jam annis masculorum inhians amori ac contubernio; imo è congressu mari i matrimoniali desiderana & sentiena, modo monstrosa conformatio, & confusa partium genitalium structura hasce ipsi non invidisset. *D. Gabriel. Clauderi.*

Hermaphroditus.

In hermaphroditis Clitoris est quæ increscens virgam virilem effingit, ut ex eo patet quod nulla manifeste conspicua perforatio in ea observetur, quamvis testes ei foris inferius à lateribus adsint. Talem memini me prope Andegavum vidisse, ætatis 28. annorum, qui circum os, instar viri, totus barbatus erat, & tamen muliebri vestitu utebatur, suaque genitalia pro vili pretio conspicienda exhibebat: Huic superiore pudendi parte clitoris excreverat ad medii digiti longitudinem & mentulæ crassitiem, cum glande, frenulo, & præputio, ut in viris esse solet, excepto quod fissura glandis non esset manifeste pervia: Inferius meatus urinarius & vagina uteri adstabant, ut in mulieribus; In singulis pudendi labiis unus testis continebatur. *Clariss. Isbrandi de Diemerbroeck.*

HERNIA.

Non est quod humores tantum in causa esse imperiti credant, ubi tumidam curim conspiciens; cùm circa umbilicum atque inguina ὄχλον haud tarò contingat, idque quod vel omentum, vel intestina, vel utrumque simul illuc decidant: Dicitur autem Latinis morbus hic Ramex, Ruptura, Hernia à Græco ἔρνος quod ramum innuit, vel à Sabinorum voce Herna quæ idem quod saxum est. Cræcis κήλη, ἀπὸ τ͂ κηλίω noceo: Quarum differentias demonstraturi, ab ea quidem initium sumimus, quæ & incompleta, inguinalis, βουβωνοκήλη dicitur, cùm intestinum, vel omentum, rupto vel dilatatò tantum Peritonæò, in alterutrò inguine subsistant.

Initio ne quid ficco à nobis pede prætereatur, Partium infimi ventris structuram & usum, Peritonæum, vasa semen præparantia, Testes cum tunicis & scroto, quæ omnia hernias considerantibus explicanda præcipuè veniunt, paucis repetemus ex Anatomicis. Peritonæum membrana visceribus circumtensa, firmo eadem nexu continet, operit. Pessium subinde conspicitur, ut vasa transmittat, circa utrum imprimis ligamenta rotunda, vermiformia. In Viris Processus, spermaticis vasis exitum præbentes. In utrisque Vesalio teste. Venam cavam, ventriculum cum nervis, aortam cum aliquot sextæ conjugationis nervis, vasa ad umbilicum, podicem, & in fœminis ad uterum excurrentia, quæque ad musculoa majores tendunt. Cohæret vero multis in locis musculis. Vertebris & septo transverso. Spermaticis vasis præparantes adnumerantur venæ, arteriæ, (quarum aliquando defectum vel absentiam observarunt Sebizius, Bartholinus, Kerckringius, & nuper admodum Alardus Hermannus Cummenus, Lunæburgensium Ducis Medicus, Carolus item Raygerus, Physicus Poloniensis, & Joan. Rhodius, cui Epididymides quoque desideratæ visæ in Mantissa Anatomica) ex aorta à dextris, ex emulgente ab altera parte, originem petentes: quamvis ab utroque nonnunquam latere arterias spermaticas ab arteriæ magnæ trunco exortas, Antonius Molinettus, Venetus, Medicinæ Theoricæ & Anatomiæ in Lycæo Patavino Professor Primarius Insignis atque Celeberrimus observaverit; quæ corpora efformantes pyramidalia, vel pampiniformia dicta glandulosæ inseruntur Epididymidum substantiæ, ut secus contra testimonium Epididymides testium crediderit tunicas Galenus. Jam testes adsunt Epididymidibus conjuncti ac semini conficiendo destinati, sero nequaquam attrahendo, quæ cotum est temeritas, qui indoctam publicè sententiam in Theatris profitesi, inter partium generationi inservientium demonstrationes ausi sunt, vel argumento inconsiderate stabilire: Si testea non junguntur Epididymidibus, semen neque per testes transmitteretur ad Parastatas varicisormes. Hoc vero imprudentiam sapit, fortè ignorantiam. At si nostra illis tanti non videatur animadversio, Auctores habeant dissectionis peritia toto orbe Clarissimos. Veslingius,

---- Cujus soler eloquio florere Lyæum,

Incumbunt inquit Epididymides subjectis sibi testibus, quorum propriæ membranæ quàm plurimis fidis meatibusque conjunguntur. Deprehenditur hic nexus circa utrumque testium extremum. Spigelius, Serum, ait, repertus in testibus, sed alii usui dicatum, quia, juxta Galenum, serosa arteriarum substantia genitalis est, & ex sero à sanguine separato semen conficitur. Quid elegantius dici, quid clarius poterit? quid & hoc Glissonii paragrapho? Tunica testium nervosum ipsos adeuntium dilatatio quædam est & expansio, à qua nervuli undique emittuntur versus testiculi medium, ubi concurrentes vas nervosum oblongum constituunt, quod in epididymidis canalem manifestè exoneratur. Fernelii quoque habemus αὐτοψίαν. In Animante, dicit, quæ à venere diutina abstinuesat, dissecta, copiosissimum crassissimumque semen competitur, quo & vasa,

vasa, & testes, & epididymis turgent. Pergunt autem, si exsectis testiculis semen generatur fœcundum, testes nil conferunt. Epididymides eo interdum fungi monere non refragabor, immo semen in illis contineri παράδοξον non est, ut illud, meo quidem arbitrio: Eunuchi semen emittunt, ranæ absque utero, animalia exsecto liene, commode degunt, & canes voraciores redduntur, Politissimis Italo, Anglo adstipulantibus: Testes igitur, lien cultro removendi? Desperatum omninò consilium. At si ex filamentis constaot, Aloysii Trisini, Nobilis Vicentini, ingenioiom suo tempore phœnicis, ratio valet: Cur sanguinis in vasis quibusdam albescit, similisque fit vasorum tunicis albis, in omnibus vero non item? an in quibus tantum diutius moratur, in illis albescit, vasisque similis fit? pars enim omnis alimentum sibi simile facit, ut in vasis seminis, quæ ob multiplices flexus sanguinem diu continent, in nullo autem alio vase accidit, quòd in nullo alio ita diu moretur; quanquam & vasis cujusque humidom nativum, à quo ipsorum tunicæ nutriuntur, est ejusmodi: Verum quomodo animalia quædam absque testibus generent, Severinus quoque habet. Testes membranosa circumdantur cute, Scroti nomine insignita. Hujus non simplex structura est, nam præter ὄσχεον, albugineam etiam propriam, ἐρυθροειδής est, & ἐλυτροειδής sive ἐρυθροειδής, quam unam eandemque contra Thomam Bartholinum, accuratissimum Anatomicum, & alios, ostamus.

Accidit igitur, ut vel ex ictu, Celsi sententia, tetoro quoque diutius spiritu, vel ob læsam in genere facultatem, vel errorem externum, secundum Galenum, (neque prohibitum sperma inter herniæ causas cum Avicenna admittimus. Doctissimo notante Salio) illa abdominis membrana dilatata, ruptave interiori (duplex enim existit,) omentum, ex tenoi extensa membrana, in sacculos & stitias propagata, iotus contenta pinguedine, conflatum, Illustris Marcelli Malpighii, Professoris Bononiensis Primarii, observatione, vel intestina, cœcum imprimis aut ileon (præter rationem esse, ut velamen sive peritonæum descendat, Salius contra Avicennam disputat) circa inguina subsistant, & tumorem, βουβωνοκήλην dictum, primam Herniæ speciem ab Aquapendente constitutam, efforment. Hic cum sæpe impingant imperiti, signa proponenda erunt, quibus accurate ab aliis dicernoi queat. Bubonocele quidem ex eo cognoscitur, quod Tumor æqualis sit, xonindus, compressus etiam facile cedat, vel penitus evanescat ubi Bubo, tensio adsunt, renitentia, aliquando rubor, calor, nonnunquam febris: ut plagiarius merito censeri debeat barbitonsor, cum in tenuioris fortunæ homine Bubonocelen, venereum bubonem credens, sectionem, abnuente ægro, aggrederetur; qua perpetrata, protuberantibus fecibus in lipothymiam incidit pauperculus, sed brevi tamen temporis spatio à Petro Marchettis restitutus, ut habet in Observationum Chirurgicarum Sylloge. Hieronymus Senex Juvenis recenset Historiam, qui, cùm circumforaneo testium suam exposuisset elevationem; difficili illum laborare hernia, & brevi, si opem respueret, fatis cessurum prædixit. Credulus homuncio, quo præsentissimum evaderet mortis periculum scilicet, sectionem, barbitonsoris suaso admisit. In eo jam erat carnifex, ut testem extraheret, ubi Pater attonitus cruentas retinuit manus agytræ accersito Medico, qui nulla puerum detineri hernia afferebat. Joannes Prævotius Professor Medicus Patavinus celebris, rusticum vidit, intestino tenui dissecto à Cutione, qui se bubonocelem curaturum profitebatur, ex inguine toto vitæ decursu alvi feces excipientem. Affectus prorsus similis aliam descriptionem Hildanus notavit, qualis etiam decumbentis rustici fuit in valetudinario D. Francisci Patavino, cui intestinum in inguen prolapsum una cum scroto computruerat, ex Elegantissimis Rhodii Observationibus. Testiculus quoque in inguine latens herniæ fingit speciem, narrante ex Jacobo Æiheo, Joan. Schenckio, & in Spicilegio Theodoro Kerckringio. Brechtfeldus testiculum circa annum ætatis octavum & decimum primum erupisse, in Hafniensium Actis Medicis recensuit. Alia igitur via tentanda Curatio, & prolapsum quidem fortè stinum digitis, quod si turgeat stercore accepto, vel aëre, balneo, fotu, lenientibus; vel imposito, ubi induratæ feces, cataplasmate quod recipit, radic. v. g. alth. & lilior. alb. an. ℥iv. folior. mercurial. malv. viol. an. m ij. sem. lin. fœnugr. an. ℥ß. flor. chamom. melilot. parietar. an. m ß. coct. contus. ac per setaceum trajectis add. farin. sem. lin. ℥ij. ol. liliot. q. s. vel corporis etiam concussione aut subagitatione, capite deorsum reflexo, id unice agendum, ut situi restituantur in abdomine contenta viscera. Quippe Michelotium quendam, quod imperiti barbitonsoris curæ, qui inguen, intestino ad partes superiores nondom restituto, devinxerat, se commiserit, è vita discedentem idem introducit ex Benivenio Schenckius.

His pro virili peractis, novus intestinorum descensus facile prohibetur, si & diætæ, vitandis scilicet quæ flatus, borborygmos, ac humiditates nimias procreant, & exacta quietis & θεραπευτικῆς habeatur ratio. Purgantibus impimis blandioribus opus est, clysmis, medicamentis adstringentibus, agglutinantibus, exsiccantibus, quæ hinc inde ab Auctoribus recensentur prolixius. Fernelius inguen decumbenti supinè fovet decoctione, quæ constat Pisidiæ, Balaustiorum, Nucum Cupressi, Gallarum an. ℥j. Aluminis ℥iij. cum aq. fabarum. Ambrosius Paræus, Primarius Francorum Regis Chirurgus, totum habet ex corticibus granator. cupress. nucib. gall. alum. caud. equin. symphio, betonibus, aq. f. bror. incoctis, immo, amici fide, magnetem in pollinem redactum commenda, & limacum rubrorum pulverem. Crato, Trium Augustissimorum Imperatorum Medicus, in bubonocele detasis pilis, tumorem terebinthina inungit, tum pulverem inspergit, qui haber Sang. drac. mast. thur. myrrh. an. ℨj. sumach. balaust. an. ℈. j. aloës, torment. mum. coloph. bol. arm. an. ℨiß. xyloal. spic. an. ℈ß. Hieronymus propositis Avicennæ, Pauli, Celsi etiam medicamentis, & emplastro, quod ingrediuntur malicorii, boli armenæ. sang. drac an. ℨj. tegul. pulverat. ℨij. pulver. bislinguæ ℨiß. cum ovi albumine, modico aceto & colophon. Ægrotantem quadraginta dies in lecto continet, tum, venere, balneo prohibitis, ac bis de die sequentis electuarii dimidiam unciam præscribit. Accipe rhabarb. assi, consol. maj. nuc. mosch. noc. cupress. cymini, tragacanth. gum. arab. mastich. bol. arm. sang. drac. mum. pic. græcæ an. p. æq. in alcohol. contundantur, & cum melle despomato f. electuarium. Nonnulli pulverem leporis combusti addunt. Propinetur vinum austerum, vel aqua chalybeata, aut fluvialis cui folia cupressi, myrtique incoxerint. Schroderus, in Pharmacopœa, ad quamvis herniam excepta hydrocele, emplastrum posuit, cujus fons, gluten ex anguillarum exuviis paratum, lapis hæmatitis, saccharum Saturni stano, ust. gum. ammoniac. in acetor ad. folut. & cum myrrh. ol. ℥ij. mist. reperiturve in gedanensium dispensatorio.

Michaël

Michaël Joannes Paschalius: mihi crede, inquit, quod si juvenis triginta resupinus dies quiescat, & de die ʒj. pulveris consolidæ majoris vel minoris cum jure pedum arietis, vel vino adstringente, mane accipiat, recens curabitur hernia. Nec virtute, si Medico fidea, inferior valerianæ radix, succus scabiosæ, pentaphyllonis radicis pulvis. Decoctum contra Herniam, Unguentum Herniosum, Emplastrum contra Herniam, Myolichtus descripsit in Armamentario. Christoph. Roeslerus, Principis Lignicensis Medicus, Filio, cui intestinum dimidii digiti longitudine à Scroto prominebat, postquam digitis intro adegisset, sequentem pulverem præscribit: Acc. Fol. Cons. Sarac Sem. & fol. Perfol. an. ℥ijß. fol Pilosell. rad. cons. maj. an. ʒß. Sacch. pen. ʒ. v. f. Pulv. quo indies usus in jusculo, & horas aliquot quievit. Insuper inguina inunxit oleo Momord. & Emplastrum contra rupturam cum subligaculo adhibuit, quibus feliciter restitutus, mortem evasit. Joannes Fridericus Allmacherus, Chirurgus Francofurtensis, desperatam Enterocelen in pago, præter alia hac porione restituit: Acc. Herb. Equil. Mj. rad. Liquir. Sem. anis. Car. an. ℥ß. Ebull. in aqua. Joannes Baptista Sitonius ad qualemcunque Herniam Emplastrum habet, quod accipit: Rad. Consol. utriusque an. ℥iij Laventur optime, siccentur, pistentur, & in Pulverem redigantur, deinde per horas duas in vase ferreo bulliant, igne lento, & addendo Terebinth. ℥vj. optime misceantur, postea Mastich. ℥ij. Thur. ℥iij. pulver. & per setac. traj. semper agitando, donec bene misceantur, jam adjic. Gumm. Elem. in pollinem redact. & Tacamahac. ℥ii. remov. ab. igne, & usui serv. ut distendi urgente necessitate super corium possit. Nicolaus de Blegny hoc habet: Acc. Oliban. Thur. Masc. Gumm. Ammon. Opopan. an. ℥ii. diss. in acet destil. tum acc. piper. alb. sem. sinap. fol. bux. an. ℥j. Ebull. omnia in aquæ Fabror. coiylis tribus ad ʒ. part. reman. Coletur Decoctum, & fervens adhuc aff. Gumm. dissol. mixta lento igni impon. & diger. per duas horas, demum aucto igne adde ol. Lumbr. ℥ii. & bull quousque humiditas consumpta fuerit, jam, add. Pic. Nav. ℔ß. & serv. Bernardus Verzascha, Medicus & Scholarcha Basileensis, post Emplastri contra rupturam applicationem, vulnerariam Potionem mane & vesperi propinandam præscripsit: Acc. Rad Tormeot. Cons. maj. Bistort. an. ℥is. Herb. Sanic. Pyrol. Alchim. agrimon. an. Mj. Fl. ros. rubr. pap. rh. Granat. an. p. Ii. Sem. anis. ℥iß. incisa & contusa dentur ad sacculum, cui duæ mensuræ vini albi & una aq. font. affund.

At his non obstantibus, ubi neque medicamentis Tumor cedit, neque imminuitur papyro, in aqua quadam adstringendi vi prædita macerata, atque imposita ex Aetii & Paræi consiliis, paratove Aqua pendentia Emplastro, quod recipit: Terebinth. ℥jss. Ceræ, Thuris, Myrrhæ, Ichthyocollæ, Carnis cochlear. an. ℥j. Quod si, inquam, adhuc conspiciatur, manu curari debet ex Celsi Sententia, atque effato Hippocratis Ὁκόσα φάρμακα οὐκ ἰῆται, σίδηρος ἰῆται, ὅσα σίδηρος οὐκ ἰῆται, πῦρ ἰῆται. ὅσα δὲ πῦρ οὐκ ἰῆται ταῦτα χρὴ νομίζειν ἀνίατα. Quæcunque non sanant medicamenta, ea ferrum sanat, quæ ferrum non sanat, ea ignis sanat: quæ ignis non sanat, ea incurabilia judicare oportet. Quidam locum inurunt cum Arabibus. Cum Guidone contra alii adductis Peritonæi portionibus Vasis Spermaticis, & cremastere musculo ad Ischium usque reliquæ Apophyseos parti Pyroticon imponunt, ut contracto callo, omentum à prolapsu vel intestina cohibeantur: sed cùm periculo non careant evidentissimo hæ Curationes, ideo haud facile à Chirurgo in Usum introducendæ, Paræo, Chirurgo in arte Exercitissimo consentiente ac adstipulante. Incisionibus Curationem absolvunt Celsus cum reliquis, quarum methodum non attinet ex Auctoribus excerptam adjicere, cum nuper admodum prolixior & accuratior earundem Historia Lutetiæ, gallico idiomate, Auct. Thevenino, Chirurgo Parisiense Claris. prodierit Verum non possum, quin Exercitat. Aquap. consilium quod nobis & prudentioribus omnibus, vel maxime arridet, hic annectam: Quod si dilatatio, inquit, aut ruptura ingens sit, eo casu fit Chirurgia cum extractione testiculi, quæ ita periculosa ut quamvis plures evadant, plures tamen aut sub ea, aut paulo post moriantur: propter quam causam ego fui semper hujus opinionis, ut nullo modo ægrotantes hujusmodi periculum subeant, cum præsertim tota vita bracherium gestare possint, idque eo lubentius consulo, quod hisce dieb. Horatius de Noscia, cum ea de re loquerer mihi dixerit, se ante aliquot annos plus quam ducentos singulis annis incidisse, nunc neque viginti, & causam retulerit, quia bracherio & adstringente medicamento imposito, plerique sanantur. Fateor, leve quoddam esse supplicii genus fasciis uti, & bracherium gestare in tumulum usque, & novi aliquos, qui nescio quid præoptarent, cum & quam maxime corporis debeant evitare exercitia, Mercuriali præeunte: Quos Herniæ labor sollicitat, omnem aversari debent exercitationem, quæ majorem, quam ipsa ambulatio, defatigationem parit. Deinde, præter doloris sensum, quem in utroque latere impertiunt musculos comprimendo & cutim, pudoris quandam prætendere speciem ἐπιπλοκομίσεαι omenti gestatores, plerumque solent. At cum incerta penitus fit atque ambigua Curationis spes, Dodonæi accedente prognostico: Non omnes qui à ramice curantur, in vita servantur, plerique enim eorum moriuntur, cruciatus omittam & maximos dolores: omnino serio instituta deliberatione arripiendam esse censeo. Non me movent blandiora Aquapendentis verba; nec Hildani, celeberrimi Chirurgi, exoptatissimi lateut eventus. Hic quidem Rupturæ quiete & decubitu in Sene Sexagenario curatæ exemplum habet in Observationibus Chirurgicis: Ille periculosiorem credit operationem & Empiricis usitatam, quæ cum testiculi ex sectione perficitur; alteram, cum testis relinquitur, Chirurgis summo decumbentium emolumento & sibi summopere probari asserit. Sed, Hieronymi venia, hanc ceu inutilem proscribo, illam cum periculo vitæ conjunctam profiteor, ægri vero cum levamine institui: quod ejusdem plane opinionis Α'ρχιατρὸν Celeberrimum & Experientissimum deprehenderim, qui, post institutam, Hieronymi quoque præcepto ac jussu, hebdomadarum aliquot Curationem, adhibitis etiam, quæ conducere præsertim & è re videbantur, Emplastris, Ceratis, Pharmacis adstringentibus, tum post celebratam Sectionem Seni adeo commendatam nihil quidquam profecit; cum recidivam plerumque decumbentes senserint; ab illa verò, quæ testem eximit, curatione multis revixisse, frequenter annotavit. Mercurialis, ut est Auctor Elegans & Doctissimus, reprehensionem incurrit severa nimis approbatione. Verba afferam ut examinentur: Advertendum, inquit, licet facilis sit Curatio, præsertim in puero, tamen non ita est relinquendum inveteratum malum, nec etiam facile permittendum erit, quod facere amant isti Chirurgi, ut testes auferantur, ut castrati homines sapientissimi pene dimidium intellectus habeant,

Jure

Jure Magnus ille Avenzour scripsit, nullum fuisse unquam virum castratum qui esset optimi intellectus & bonorum motuum, unde Vos considerate, qua ratione homines tardos & stupidos appelletis testiculos. Næ Eunuchos, Castratos, Spadones istos sibi habeat Arabs, ob confictam fabulam, vel Sacra Philosophorum Decreta, propter translatam in testiculos animam. Incomparabili Cartesio, quod in pineali glandula animam quæsiverit, vitio vertitur, quæ tamen verisimilior longè, quam vetus illa de Testibus sententia. Historias taceo, quibus ea, quæ diximus comprobari, Homines altero scil. cet orbatos teste, virorum strenue obiisse officia, si locus requireret, nullo negotio possent. Sed & alium eadem dealbare fidelia parietem oportet. Novæ de ἐντεροσκεγολῇ Dissertationis Auctor ad Indos, qui castrant, ὀρχοτόμους temere relegat, nullis instructus argumentis, aut aliena, vel sua suffultus fide. Miror Hominis audaciam, qui ἐντεροσκεγολῆς vulgarem sectionem, iteratis vicibus revocatam, vidit Parisiis, quod miser Petizomatum usum neglexisset. Sapiant tandem cum Phrygibus nasutuli, & exemplis discant, communem operationis methodum in junioribus, si unquam, locum obtinere, quod vicinæ partes facilius coalescant; at in provectioris ætatis Viris, quibus mederi chirurgus aut barbitonsor studet, testiculum eximat. Neque Patæi quidquam objectio infert à barbitonsorum desumpta inscitia: Castratores dum timent ne Curatione absoluta superstes sit relaxatio, violento tractu Peritonæi processum à partibus divellunt, unde dolor, Convulsio. At Chirurgorum imperitia operationi nil detrahit. Quod si neque stillicidium, inquit Crato, ex aquis Montis Orthonis, in quibus res adstringentes bullierint, contulerit, consulimus, ut ad extrahendum testiculum deveniatur, adeo enim dexterè à nostris Ministris hoc munus obitur, ut omnes incolumes evadant. Fredericus Hoffmannus Emplastrum magneticum conficit, quod lumbis impositum intestina sursum trahit & iliaca licet passiu adsit (verba sic habent,) tormina juxta sopiendo Ventris atrocissima, intorta, dislocata (ossa rectius dislocata pronunciamus) & incarcerata in scroto intestina quàm primum incalucrit, ad pristinam abdominis transfert sedem, ipsis etiam ægrotis non quidem sine molestia vim ejus attractivam animadvertentibus: si habenda Auctori fides, qui in Clavi Pharmaceutica paginas nobis vitiorum plenissimas obtrudit dictatorie, ut depictæ graphice in frontispicio Tabulæ correspondeat volumen scilicet. Charrasius, Clatissimus in Galliis Serenissimi Regia Pharmacopæius, inscitiæ & Gallicæ levitatis memoriam Excellentissimo, si Diis placet, Germano refricabit. Processus facta nobis est copia, cujus tamen inventorem non ita multum à veterum recessisse formulis reperimus. Agricola, Hartmannus, ejusdem naturæ malagma ad malignos humores alliciendos, præmisso vesicante, commendant.

Credula multorum superstitio latius serpit, ut posthabitis Prudentum Consiliis aniles fabulas, Magos, Præstigiatores, imprudentissimum vulgi genus, consulant. Doleo vicem plebeculæ: quis enim sana mente præditus recta ratione orbatis credat mulierculis? ita me hercle est. Magos utpinrimum non veneficos, non fascinatores, sed infanos, vel superstitiosos credimus. Demonstratione quid facilius? Pater familias rudis, nullis instructus Scientiis, credulus, vinoque sepultus, insomnes se transiisse noctes inter spectra, larvas, immò flumina, maria transjecisse, & quot nescio confecisse milliaria momento citius, lustrata pag's, Urbibus, Regionibus, Regnis, infelici sidere naris domesticis, ac pro veris obtrudit historiis. Misera gens, veri... estivè lenis perterrita, ne dubitare quidem audet: cum subsequenti mox nocte in eadem se versari navi existimet. Hac pro sua ratione incantatricum crescit numerus vel insipientium & sola aliquando carminis violentia homines interemit apud Poëtas. Quod si com melancholici impostorum aut maniacis ad Anticyras ablegarent fascinantes, ubi ædepol' genium conspiceretur præstigiatrix? Nemo tamen me adeo securum credat vel impium, ac si nihil posse præter vel supra naturam fieri, assererem: cùm potius Deum O. M. posse, quæ & ἀδύνατα humano appareant captui, ex S. Codice & D. Augustino didicerim. plerosque tamen ex Veneficis pro delitis habeo. Nec mea hæc est & nova sententia, sed Scripturæ S. & Philosophorum fulfulta testimoniis. Quidni Regnum Satanæ destructum? Mundi Princeps in abyssum dejectus, & postquam Christus apparuit, nullam in nos habet auctoritatem Cœli angelus? Coram Deo non inferis expavescimus. Betnierius, Doctor Medicus Monspeliensis, in contracta Gassendi Celeberrimi Philosophia idem sentit. Joannes Schefferus, Vir Eruditus, ac Regius Upsaliæ Professor, specioso fortè Religionis prætextu, contrarium adstruit: Non parci, ait, qui, ut sapere cordatius quam vulgo alii videantur, Magica omnia pro veris habent somniis, & anicularum credularum nugis ac commentis. Cur negant tandem? an, quod Diabolus non possit talia emcere, an quod nolit? immò vult, tergimus, dummodo possit. Ad Permissionem enim Divinam, in his talibus, statim ani promiscue confugere, res est non simplicitatis tantùm pudendæ, sed & insignis impietatis, certè superstitiosis. Quid igitur de Curationibus magica ope factis? Ad Hernias quercum perforant ut ἐντεροκήλος puer aliquoties excavatam subeat arborem? Sunt qui die viridium ovum Gallinaceum è nido adhuc calidum sorbent, & testam herniosi urina repletam in camino suspendent. In Pleuritide; dolore lateris, cultrum laniunis, qui cruore madet, vino imponunt aut potui, ut propinetur. Seri collectionibus sive Catharsis indusiis medentur: Singultibus, inverso cultro; & quid attinet dementium somnia exponere? Theologum ferunt quærenti circumforaneo, & stolida sua facinora jactanti, annon adstantium plerique vellent decipi, applausum dedisse. Idem nos facimus. Vulgus, quo est perverso animo, nullis subinde patet legibus; dissolutis moribus, quousque à scelestissimo seducatur, obtemperant. At quo ferot? qui judicio pollent, eò non abripi se sinunt vecordiæ, ut magicis ac ineptis signaturis vim quandam inesse aut virtutem opinentur.

In ὄρχιν si quid decidat, (hinc ὀρχιοκήλη) vaginali tonica ea tum præbente cujus studio supersedemus recensere causas, quod è Practicorum peti queant voluminibus, & levissima sæpenumero occasione eveniant. Naturæ illius calculo, cui, peritonæi processu ob factum naufragium atque aëris accepta incommoda in inguine relaxato, intestina in scrotum devoluta, perhibente Nicolao Tulpio, Amplissimo Amstelodamensium Consule, fungorum esu ex Hildano) duplex oritur Rupturæ species, intestinalis quidem ἐντεροκήλη, & ubi omentum descendit, in mulieribus præcipuè, ἐπιπλοκήλη dicta. Omentum siquidem ita Vesalius vidit in testis tunica auctum, ut quatuor aut quinque librarum pondus excederet, ventriculumque deorsum ita traheret, ut deficiente munere, multisque obortis singultibus, id pondus mortis

mortis causa fuerit. Intestini prolapsi Signa Celsus habent & Mercurialis: Tumores facti ab omentis & intestin[illegible]i tanguntur, diversitatem quandam elationis & dimissionis nec non levitatis habere videntur. Amplius, qui fit ex omento prorsus est sine dolore, & sine multa rotunditate: iterum Tumores facti ab intestinis & omento, dum ægri balneo se lavant, vel fricantur, vel rebus emollientibus tractantur, vel corpora motu vehementi movent, incrementum insigne suscipiunt. Accedit postremo, quod qui fit Tumor ab omento prorsus digito absconditur, & cedit facilè sine rugitu: Factus vero ab intestinis, redit cum rugitu, cum intestina vel plena sint flatu vel fecibus. Hac quam gravia sequantur symptomata, Hildanus duobus demonstrat exemplis, & Meekeranus, quod Tumor ad genua usque prolapsus fuerit. Verum ut contineri aliquo modo possint, sacculum idem præscribit Hildanus ex rosʃ rubr. absynth. fol. prunor. sylvestr. caud. equin. fol. salv musc. querc. Cort. querc. sem. fœnic. anis. vino rubro incoctis. Quoad Curatricem, eadem utriusque quæ Inguinalis ratio est, & si χειρυργικὴ morbi initio Instituatur, felicem nobis spondere eventum licet: cùm hac imprimis ratione Parisiis quosdam in valetudinario à certissimo mortis periculo liberatos viderim. Senem Hernia laborantem, cui intestina ad scrotum delapsa sævissima excitaverant symptomata emollientibus & relaxantibus intra paucas horas restitutum, ex Holtzachio Schenckius habet in Observationibus. Enterocelen in quadragenario absque sectione subligaculi solius ope evanuisse, Paræum, Meekeranum fidissimos habemus testes. Quid de Hollerii herba proferamus aut polygono minori, novem diebus rupturas consolidante, si Hollerio credimus, Fallopio, Matthiolo, Pisoni? quid de aqua ejusdem stillatitia, cujus haustu puer sanatus, & emplastro, quod accipit: Emplastro, contra rupturam, & de gratia Dei an ℥j. Sangu n. dracon. osmund. regal. olib. an. ʒij cum ol. myrtill. f massa apud Vallesium? Si hariolari fas est, ac divinationi locus, temerarios aut plebeculam gentem Medicis sæpe imponere, suspicor. Quis enim rei peritus aquam credat destillatam simplicem, vel succum herbæ expressum, cum vino albo propinatum, uno eodemque impetu versus Peritonæum ferri, ut ramici medeatur, ubi Cerosi Virtus exulat? Morbus iste nullis mehercle in adultioribus credit Medicamentis, nullis Medicorum formulis, omnia respuit, præter manuum operam. Ubi facta est per fracturam Hernia, Mercurialis dicit, in pueris quidem, ob corporis teneritudinem, osse per medicamenta curari; sed, ubi est in corporibus adultioribus, nequaquam nisi manuum opera. Nam, ut habet Hippocrates, Peritonæum discissum in durioribus corporibus non coalescit. Timæus puero Enterocele ex rupto in dextera parte, Peritonæo, laboranti sequens Electuarium & Emplastrum præscribit, post decoctum Herniariæ ex vino rubello cum syrupo de symphyto dulcoratum. Rec. Rad. consol. maj. ℥ß. fol. herniar. perfoliat. sanicul. millefol. an. ʒij. in pollinem redacta cum syr de symphyto q. s. f. Electuarium. Rec. Pic. Naval. ℥ß. Aloes ʒij. lythargyr. colophon. galban. ammon. an. ʒiß visc. querc. liquid. ʒvi. Aristol. rot. myrrh thur. mastich. bol. armen. an. ʒiij. Cons. major. ʒvj. lumbricor. terrestr. gallar. an ʒiij. sarcocoll ʒvj. Terebinth. & Ceræ q. s. f. Emplastrum. Joannes Uldaricus Rumlerus, Medicus Augustanus, in Observationibus, unguentum habet Medici cujusdam Viennensis quod in magno ipsi secreto fuit, eoque infantes plurimos, nullum autem adultiorem; restitutos, affirmavit: Acc. Cons. Maj. ℥ß. Consol. Saracen. Agrimon. Caryophyll fœnic. ped. Peon. Millefol. prim. ver. plant. an. m i ß. mast ch. thur. cupul. gland. nuc. cupress gallar. an. ʒv. rad. tormentill. serpent. an. ℥ii butyr. majal. q. s. f. s. a. ungu cui adm. vin. sublimat. ut fiat fluxile, instar liniment. Hieronymus Reusnerus, Medicus Nordlingensis hanc Curam proponit. Acc. Beton. Auric. mur veron. alchimill. pyrol. cons. Saracen. agrim. tanic. an. m ß. rad caryophyll. ℥ß. incis. & contus. coq. in m ij. aq. ad consumpt. med. bibat manè & vesperi haustum. Postea acc. Lap. magnet. mastich. an. ʒij. lap. calam. sangu. drac. an. ʒj. ferri ℥ß. boli arm. ℥ß. vin. sublim. quant. mens. in hoc pannus duplicatus intinctus herniæ fortiter adligabatur bis quotidie, mane & vesperi cum subligaculo, ac brevi convaluit. Monachum Deggingensem in utroque latere ex casu hernia intestinali laborantem, præter alia Syrupo quoque vulnerario feliciter sanatum in iisdem habet observationibus. Ad Syrupum autem conficiendum acc. rad. Caryophyll. ℥j. Dictamn alb. cons. maj. an. ℥ß. H. Leontopodii Sanic. pyrol. auric. mur. Solidag. Sarac. consol. med. vinc. pervinc persoliat. numular. agrim. an. m ß. rhapont. opt. acor. commun. an. ʒiij. ros. rubr. p. iv. sant. rubr. ʒiij. ß calam. arom. ʒj mac. mosch. an ℈ ij. aq font ℔ iij. stent. 24. hor. in loco calido vase bene obturato, & primum lentu igne, post vehementiore serveant ad cons. med. ubi refrixerint, col. & cum sacch. albiss. ℥ vii. coq. ad consist. syrup. Scultetus hoc sibi habet inter assumenda expertissimum: Accipe conserv. symph. ℥ij. ros. antiq. ℥j. corr. citr. cond. arant. cond. an. ℥ß. pulv. herb. persol herniar. ling. serpent. rad. consol. maj. an. ʒiß. semin. plantag. ℈iv. cichor. fœnicul. an. ʒj. corall. rubr. præp. ʒiß. marg. præp ʒß lap. chrysol prep. ℈j. syrup. myrtin. vel corall. q. s M. F. electuarium, quatuor ante prandium & tribus ante cœnam horis nucis juglandis quantitate deglutiendum, cui vini rubri austeri, suspensis nodulo, haustum superbibat. Acc. herb. fragar. consol. med. vinc. pervinc. equiset. ling. serpent. persol. an. m j. rad. sigill salom. ℥iß. consol. maj. ℥j. sem. plantag. ʒß. cichor. ʒiij. fœnic. ʒij. cumin. ʒj. incis. & contus. mis. ad sacculum in trib. vin rubr. vel alb. mens. suspend. Marcellus Cumanus medulla Citri herniæ intestinalis Curationem molitur: Acc. Medullam Citri subtiliter incisam, bulliat in axungia porci recenti, post coletur per petiam, & iterum ponatur ad ignem, in fine misceatur mastix, olibanum, cera alba, eritque optimum unguentum Citrinum.

Virum recordor Parisiis eruditum, operam S. Literis strenue navantem, qui, ut superbissimas quasdam Aulæ Solemnitates intueretur, equum conscendit, nullis credo instructus subligaculis, ac si corpusculi extenuati satis, & ruptura affecti, curam studio postbaberet. Postridie, si recordor, in scrotum devoluta erant intestina, devolutum ἰσχίον, cum rubore, inflammationis principio, ac gangrænæ metu, confitentibus, quibus demandata erat Viri egregii cura. Aderant ex præcipuis & fama inclytis, qui sectionem omnibus modis urgebant, è contra sinistrum atque lugubrem pollicebantur eventum, ac certo certius prædicebant: aliis alia voce reclamantibus, feces intestinorum induratas cataplasmate vel fotu posse emolliri, inflammationem facili negotio curari, neque extremis subito exponendum esse corpusculum remediis. His relinquebant ægrotantem prognosticis. hæc adstantium erat altercatio, immo, ut, quod res est, eloquar,

eloquar, quorundam in optimum Chirurgum invidia accersito, siquidem, paucis interjectis diebus, novo Magistro, sectionem moliebatur funestam, quæ maximam artifici conciliare debuisset ignominiam. Rem, ut accidit, expono ac exitum, quòd cadaver postea diligentius ipse inspexerim. Rhasis quoque methodum in curatione rejicio, qui inguinis adurere locum, ubi intestina vel omentum descendunt, ad os usque pubis ferris candentibus, vel caustico medicamento, ex sapone nigro, calce viva & tartaro, vel sapone nigro, auripigmento, sulfure & calcantho, quod potentiale communiter rudiores vocant, consuevit. De puncti aurei administratione, cùm factâ super os incisione, speculum juxta Peritonæi processum immittitur, prehensisque cum cremastere musculo vasis spermaticis, acus fila aliquot ducens per reliquum processus ducitur, vel relictis vasis spermaticis, virgula, aut filum aureum, vel è plumbo, per processum adigitur, Paræum consulant, celebrem Auctorem. At verò accuratior nostris temporibus sectio inventa fuit à Chirurgis Parisiensibus, quorum fama & dexteritas multis superant reliquos parasangis, quam ne longior justo sim, ex Theuenino, Operationum Chirurgicarum Scriptore, cuilibet repetere facile admodum erit. De gangrænæ ex herniæ intestinalis ortæ curatione, gangræna itidem & subsequuta morte ex male curatis ἐπιπλοφόρους, Hildani evolvantur historiæ.

Non intestina tantum & epiploon, vel utraque in scrotum delapsa ἐντεροκήλην καὶ ἐπιπλοκήλην, sed humores nonnunquam, aqua, flatus, caro, humoralem herniam, ὑδροκήλην, πνευματοκήλην, σαρκοκήλην καὶ κιρσοκήλην constituunt. Haud raro enim evenire solet, ut viscerum quorundam vitio, non hic tenues solum colligantur liquores, sed per universum corpus λευκοφλεγματία insignis conspiciatur. Sic sanguis in his vel biliosus magis, serosus aut melancholicus, affectus præter naturam varios & symptomata excitat, atque in tumores vel abscessus abit, vel lateralem morbum, ac pus in thorace, ἐμπύημα, producit. Horum eventuum causa evidens: accedunt verò subinde, σπασματικοί, percussio, valorum disruptio & quæ non? Nec infrequens est limpidam tunicas inter testiculos cooperientes reperire, quam & propriæ inclusam cuticulæ subinde vidimus in cadaveribus, & semel in Leydensium Nosocomio, annuente Illustrissimo Christianissimi Invictissimique Gallorum Imperatoris Consiliario & Medico, Praxeos atque Anatomiæ Professore Primario, Carolo Drelincurcio. Discrimen facilè deprehenditur: Humoralis Ramex cum calore, tensione, immo inflammatione oboritur: πνευματοκήλη impositis digitis sonum edit, inæqualis est, lubrica, levis. Σαρκοκήλη colore, duritie, tumore dignoscitur: tumor enim manui resistit: secus in ἐντεροκήλῃ, gravis est, obscurus, Fernelio docente; ὑδροκήλη opposito lumine distinguitur, & à πνευματοκήλῃ, quia obscurior, nec ita levis, interdum ὄρχιν obtidet, ἰσχυροειδῶν subinde inter & ὄρχιν reperitur. Quamprimum curationi nos accingimus, evacuationes instituendæ humores ac serosam massam absorbentes, cui intentioni inserviunt purgantia, diuretica, diaphoretica, præmissis tamen ubique ferè clysmis & ad diminutionem ac derivationem, Celso judicante, sanguinis detractione.

Digerentia seroto admovenda, quæ Ætios, Aquapendens, Paræus habent, vel illo suadente, unguentum Comitissæ, vel desiccativi rubri nomine donatum. Hydrocelen instar capitis brevi curatam refert Borellus. Lotichius, loco eum spongia fomentato, emplastrum præcipit: Acc. herb. origan. rut. absynth. chamom. an. mj. bacc. laur. man. j. sem. anis. fœnic. cumin. an. ℥ß. coq. in s. q. aq. comm. & acet. pro fotu. Acc. empl. de bac. laur. stercor. caprin. an. ℥iß. cochlear. contus. cum testis ℥ß. sem. cumin. sulfur. an. ʒij. malax. cum ol. rut. cham. an. q. s. f. emplastrum. Rondeletius, Professor Regius, & Cancellarius, fotum habet, qui accipit: lixiv. barbitonsor. ℔v. coq. cum cumin. ℥ij. ceterach. vel petrosel. apii. an. ℥ß. sal. com. ℔j. Hieronymus Reusnerus Nobilem quendam hernia aquosa laborantem, his liberatum remediis introducit. Acc. vini sublimati quartar. sem. ol. chamæmel. cochl. j. Croci parum M. optimè in vitro, eoque calefacto ungatur quotidie hernia mane & vesperi. Postea fac sacculos ex geranio cocto in vino rubro, & inter duos orbes ligneos expressos calidissime applica, semper applicatos relinque noctu & interdiu, donec humor omnis omnino absumatur. Ubi ad aquarum effusionem deveniendum, scalpello, vel acu absolvatur negotium. Arabes Caustica introduxere, ut vetus ferebat consuetudo, quæ à Posteris rejecta serio. In hydrocele medicamenta septica sive caustica non sunt tuta, quia gangrænam excitare possunt. Novacula itaque ima incidatur Scroti pars, & posteaquam omnis humor probe effluxerit, cicatrix inducatur. Serum si attierit, aliquoties de die trahendum filum, ut aqua paulatim destillet, setaceum tamen non est ante parandum quàm aqua per foramen emissa. Dubium mihi prævideo illatum iri, quod à causa προηγουμένῃ proveniens aquosus tamen nonnisi sinistrum occupet testem, aut ab hac parte ὄρχιν, vel ἰσχυροειδῶν. Manifestum superius dedimus, sinistri lateris seminalem venam non ex magnæ venæ trunco, sed renis emulgente, originem ducere. Rene verò male habente, serum, quod excernitur, cùm per consueta demandari loca nequeat ἰσχυροειδῆ incidit, & hydrocelen in scroto efformat, notante, in Anglo quodam, Dodonæo. Sexagenarium Besanthiis vidit Hildanus, cui ob ὑδροκήλην Chirurgus singulis annis ὄρχιν perforabat ex inferiori parte, postea ulceri cicatricem inducebat: id quod & mihi in Galliis videre contigit. Habet tamen & idem ille Historias, quibus lugubria multorum fata abunde satis cognoscuntur, Crotesii inprimis Senatoris exemplo. Aquapendens decocto salsæ, cum sudore copioso, aquæ exsiccationem in abdomine molitur & universo corpore. Salius calculum apponit: Tutior est Curatio, si impediatur aquarum generatio, ex viscerum mala dispositione ortum habens, ut hydrocelen, in av. Dictum puero cum gangræna conjunctam curationem admisisse, testetur Binningerus in observationibus.

Φυσοκήλη καὶ πνευματοκήλη Scrotum à flatibus in tumorem elevatum innuit. Affectus cum facile dignoscatur, quoad causas, signa & prognosin, formulas concinnare, χειρουργικὴν instituere, nobis etiam tacentibus, in promptu erit. Mercurialis arridet: Flatuosam dicunt herniam Medicinam non admittere, in qua re non satisfaciunt, quoniam si spectemus hujus rei materiam, cum sit flatus, medicamentis dissolvitur & dissipatur. Si spectemus etiam locum affectum, sive fiat relaxatione, seu fractura, non est ita alienum ipsum persanare. At si malum in arteriis, quæ per ὄσχεον repunt, curam respuit. Ceterum pulverem magnifacit Geierus: Acc. anis. fœnic. car. dauc. cumin. baccar. laur. contus. an. ℥j. liquirit. ras. zingib. alb. galang. an. ℥ß. caryophyll. cubebar. piper. long. sem. rut. an. ʒij. anis. sacc. obduct. ℥iij. Sacch. ℥vi. M. F. S. A. Tragea. acc. spec. arom. rosat. dianis. an. ʒiß. ol. fœnic. ℈ß. sacchar. in aq. aurantior. solut. ℥iv. f. Tabellæ. Πνευματοκήλας ex vulnere

mammæ dextræ Curationem Meekeranus proponit in observationibus Chirurgicis. Rondeletius ramicem fovet vino adstringente & lixivio in quo ebullierint cumin. bacc. laur. sesel. rut. an ℥j.

Σαρκοκήλη à carnea mole, vel fungosa carne dicta quatuor & viginta semunciarum io mercatore Samio, annotante Borrichio, testes aut vasa afficit spermatica, raro quamvis monente Celso accidat, Medicamentis vix cedit ac persanatur nisi amputatione. Salius duram facit & cancerosam, à Medico nullateoos tractandam: Non cancerosam alteram, quæ simplicem admittit scirrhorum curationem, *ὁκόσοισι κρυπτοὶ καρκῖνοι γίνονται, μὴ θεραπεύειν βέλτιον. θεραπευόμενοι γὰρ ἀπόλλυνται ταχέως. μὴ θεραπευόμενοι δὲ πλεῖον χρόνον διατελοῦσι.* Quibus Caneri occulti oriuntur, eos non curare præstat. Curati namque cito pereunt, eos non curati verò diutius perdurant. Aquam virgæ aureæ destillatam præclare agere, ac nonnullis esse in pretio, Patavii accepi à Clarissimo Carolo Offredo. Rolfincius ad herniam carnosam suum, quod Rolfincianum vocat, Emplastrum commendat: Aec. succ. fenulæ galbani feræ resinosi, ammoniaci resinosi an. ℥j. infund. per noct. io 4. scillitico solve super igne, & cola, ut à sordibus liberetur. Facta leni aceti exhalatione add. radic. aristol. ro. ireos Florent. an. p. 5. Marcasitæ saturni ʒj. lapid. calaminar. myrrhæ an. ʒiij. ol. laurin. & ceræ q. s. f. emplastrum. Scultetus pulvere radicum ononidis tumorem resolvit & emplastro, quod habet: Gumm. ammoniac. galban. bdell. an. ʒß. dissolutis in aceto add. adip. anat. liquat. & col. ℥iß. ceræ citrin. ℥ij. ol. lilior. albor. medull. crur. bovis an. ʒx. M. F. Emplastrum. Herniam carnosam fotu testiculorum ex vino sublimato fomitis calore in vaporem resoluto, & imposito cataplasmate ex absynth. malv. chamæm. rad. alth. & sem. lin. an. part. æq. concisis, & in lacte capillo coctis, curatam, Joannes Uldaricus Rumlerus in observationibus habet. Georgius Hieronymus Velschius, Medicus & Polyhistor. Augustanus Celeberrimus ex Guilielmi Quatiæi ad Joannem Prævotium, Professorem Patavinum, Literis adfert, vilam à se curatam Sarcocelen tam contumacem, ut omnia frustra tentata fuerint, solo emplastro illo Paracelsi, quod in Tractat. de Cur. vulner. Chirurgiæ minori adnexo copiosè describitur & fodicationis alterum appellatur, quo scirrhos etiam durissimos & diuturnos sanatos Prævotius quoque in secretis adnotavit. At, Borrichius, non satis provìdi rei æstimatores mihi videntur, inquit, qui confirmatam *σαρκοκήλην* vel Medicamentis discussisse se, vel discuti posse evulgant, quod nimirum occalleat massa illa, & mille plexibus nervosis, iisque solidis, contrahat invictam duritiem. Aq iapendens in teste, carcinomate affecto, qui pileo major erat, vasis prius circa ingoen forcipe prehensis, inde consutis, & vinculo constrictis, eadem transversè abscidit, & universum abjecit testem, postea ferramentia candentibus inussit, hac ratione intra viginti dies sanatus, qui alioquin patum superfuisset. Quidquid sit, periculo non vacat operatio. Studium itaque ac cautionem adhibeat Chirurgus necesse est, ut observato herniæ sive tumoris loco, scrotum ad caroem usque incidat. Quod si firmiter cum aonexis partibus coaluerit, vasa cum testibus præcidantur. Hic in illos animadvertimus, qui, peracta sectione, *πεπτικὰ καὶ ἐκπυητικὰ* temerè præscribunt, ut superflua caro absumatur putredine, cum hac ratione nullam planè admittat curationem, sed symptomata frequentius excitet cane pejus & angue fugienda carnosa moles. Hervæus faciliorem suggerit methodum: ad arteriam, inquit, officium sive circulationem respiciens, ingentes aliquando hernias carnosas, præter omnem spem, perfectè curavi; id solum agens, ut præcisa, vel ligata arteriola, nihil nutrimenti spiritusve ad partem laborantem accederet, quo facto, ut tumor facile postea vel ferro vel igne extirparetur. Habuit quidam præ cæteris Sarcosin in scroto seu herniam carnosam humano capite majorem ad genu usque deorsum pendulam: iodeque sursum carnosa moles ad carpi magnitudinem, cen funis nauticus, abdomen ingrediebatur; adeoque malum increvit, ut nemo ferro, vel alter curam aggredi auderet. Hanc tamen ingentem excrescentiam scrotum tantopere distendentem, testiculumque in medio obvolventem, quo dixi modo, planè abstuli, & curatione perfectè defunctus sum: relicto interea testi vase suo præparante & deferente, reliquisque in scroto per vaginalem tunicam descendentibus, salvis & intactis. Sarcoceles in milite Sectionem, cui testiculus dexter ad capitis puerilis magnitudinem excreverat, Bartholinus describit in actis Medicis Hafniensibus. Pyroticis subinde caro absumitur, & remediis convenientibus vulneris promovetur consolidatio.

Simplices quasdam herniarum species hucusque in medium adduximus. Compositas, quas singularem noo exigere Curationis methodum, in propatulo est, silentio involvere satius esset, quàm ingenii imbecillitate deterere. At ne sponte quidquam nobis excidat, vel lobeotes quædam transire videamur, nomina dabimus, ad reliquas tamicum differentias progressuri. Dicuntur itaque *ἐντεροεπιπλοκήλη*, *ὑδροεντεροκήλη*, *ὑδροπνευματοκήλη*, *ὑδροσαρκοκήλη*. Postremum rupturæ genus io valetudinariis vidi in Nosocomiis, sed Curationem cum fioistro plerumque decumbentis fato adhibitam. Fabricius curam aggreditur & modum exponit, cui Rhodii præfero Doctissimi ex Fallopio monitum: Si cum hernia aqoosa caro circa testiculum concreverit, operatio periculosa, & io cancrum proclivis. Testis enim corruptus facile inficit, *ὑδροεντεροκήλης*, ni fallor, Lugduni ad Rheoum meo tempore conspectæ, depictam tabulam ioter chartulas repoluimus.

Zirbus, Velamen, Intestina, *βουβωνοκήλην*, *ἐπιπλοκήλην*, *ἐντεροκήλην*, cum venæ intumescunt, *κιρσοκήλην* Græci appellant. Hæ non dilatatæ tantum, sed intortæ quodammodo ac contractæ, Scrotum cum tunicis obsident. Inter causas *φλεβοπαχυντικὰ* alimenta referunt, terrestrem succum suppeditantia *φλεγματικὰ*, viscerum pravam *διάθεσιν* ac dispositionem: *συναγωγὰς* demum sanguinem hum. te melancholico abundantem aut copia peccantem, Galeni auctoritate: *καὶ μὴν ὅτι καὶ ἡ φύσις ἀποτίθεται τὸ τοιοῦτον αἷμα πολλάκις εἰς τὰς κατὰ τὰ σκέλη φλέβας, ὑφ' οὗ διατεινόμεναί τε καὶ διευρυνόμεναι κιρσώδεις ἀποτελοῦνται, γίνονται δὲ καὶ μελάναι, τῷ χρώματι τὸ δ' αἷμα, τὸ κατὰ τὰς τοιαύτας φλέβας ἐφ' ὃν ἀθροίζεται παχὺ καὶ μέλαν ἐστίν ... μὴν ὁ τρόπος ἄνω τῷ μελαγχολικῷ ὑπάρχειν, αἱ θεραπεῖαι ὥσπερ φύσει τῆς τῇ δὲ φλέβας, ἀνοιγεῖσαι, κενοῦσαι, καὶ σπάνιον, ... μὲν ... φλέβας, ἄλλως μελαγχολῶς.* Accedunt procatarcticis, corporis concussio vehemens, cursus, saltus, pedestre iter. *Διάγνωσιν* indicare, operæ non est pretium. Quoad prognosin, cum Patæo notandum: Inveteratos, vel in hominibus temperamenti ac habitus melancholici, præstare, Curationem omnino selinquere, quia à Curatis, Canceri mania, suffocatio assentiente illo Hippocratis Genio, Joanne Porti, Celeberrimo Praxeos Doctore atque Professore

Professore Patavino: Quando Varices, inquit, immaturè & præproperè, Medicorum imperitia, prohibiti fuere, vidi ego atra bile & insania vexatos, immo & intercostali inflammatione, & renali calore, sanguinis sputo attonito morbo, & intercutanea aqua eosdem detentos. Quod si vel à violenta provenerint Corporia exercitatione, gestato pondere, & stando nimium, sed eleganter & ad rem mercurialis: Marium scimus omnes, ex Plutarcho in ejus vita, laboriosum virum exstitisse, ob quod, si quis dicat ei varices quibus affligebatur, in ambobus cruribus ortos, ob nimios in stando labores, eum minus erraturum, existimarem. Fortunatus verò Fidelis: Proditum, ait, memoriæ est, gignendi facultatem his tolli, qui à varicibus tenentur. Quod si, inquam, his de causis varices oriantur, auxiliares implorare manus convenit. Veterum mos erat referente Celso ferramentis acutis candentibus scrotum adurere; tum farinam ex aq. frigida subactam superinjicere, tertio die lenticulam cum melle imponebant; post ejectis crustulis, ulcera melle purgabant, rosis implebant, & ad cicatricem aridis linamentis perducebant. Similiter, tumentibus mediæ tunicæ venis, inguen incidebant, venas digitis separabant, & filo utrinque injecto, sub vinculis præcidebant reposito testiculo. Ubi verò inter imam membranam & testiculum generatus varix, testem abscindere veterum ductu oportet. Nostra ætate, cùm gigantum humeris insidentes pigmæi longius prospiciant, Magno Angliæ Cancellario, Barone Verulamio, explicante, vix reperies, qui id perferre supplicii, aut injungere ausus fuerit. Recentiores tamen eis curam aggressuri, ab utraque varicis parte venam hamulo aut digitis elevatam constringunt, ut scalpello incidatur, ac sanguis probe eximi possit. Aquapendens hoc loco, adstringentia componit ex tragacantho cum vino granatorum, bolo armena, mastiche, sanguine draconis, juxta varicis longitudinem conformata.

De βουβωνοκήλη, ἐντεροκήλη, ἐπιπλοκήλη, ὑδροκήλη, πνευματοκήλη, σαρκοκήλη, rupturis in inguine, scroto, inferioribus partibus conspicuis, verba fecimus, & ad nauseam fortè. Superiora versus herniæ contingunt, Græcis ἐξόμφαλος καὶ βρογχοκήλη, umbilici procidentia, & cervicis vitium.

Tumor qui umbilicum obsidet, umbilicus prominens, prociduus, umbilici eminentia, hernia umbilicalis, puerorum plerumque morbis accenseri solet: quamvis fœminæ laborioso quoque & difficili partu umbilici herniam incurrant. Mercurialis rupturam vel cum inflammatione facit, vel sine inflammatione φλεγμονώδη ὄγκον. Tumorem auctæ magnitudinis perhibet, cum dolore, & pulsu: ubi scilicet umbilicus in recens natis malè præscinditur. In hernia verò umbilicali, propriè dicta, omentum, intestina, aqua, flatus, caro supercrescit. Diagnostica, prognostica, ex Celso ac superiùs adductis repetenda. Quod si φλεγμονὴ Curationem exigat, injungantur refrigerantia, humectantia, anodyna, quæ scopo correspondeant. Ad peritonæi verò consolidationem, antequam manu, ferroque utamur; subducta alvo, Celsus super umbilicum imponit: Cicutæ & fuliginis, singulorum P. I. Cerussæ elotæ P. IV. Plumbei eloti P. VIII. cum ovis duobus, quibus solani succus adjicitur. Auctores, reposito omento vel intestinis, id quod memoria perpetuo tenendum, pilulas, electuaria conficiunt & ceratum umbilico. Habeant tyrones formulas. Acc. limatur. ferr. ℥j. Nuc. cupress. ʒiij. murti. sang. dracon. thur. corall. rubr. an. ʒj. confic. cum melle. dos. ʒß. mane & vesperi, superbibendo medicum vini adstringentis. Acc. radic. consolid. maj. caud. equin. burs. pastor. rub. canin. an m.ß. coq. opt. vin. adstring. add. mastich. corall. rubr. bol. armen. nuc. cupress. an. ʒiß. cinamom. ℈j. cum melle f. electuarium cujus dos. dimid. cochlear. Acc. gumm. Arab. tragacanth. mastich. bol. armen. sang. dracon. corall. pic. coll. de corio bovis an. ʒij. thur. ʒiij. Pic. græc. ʒj. Pic. nav. ʒij. liq. ad ign. f. Magdaleon. vel. acc. boli armen. sang. dracon. mastich. sarcocoll. an. ʒj. bisling regul. pulv. an. ℥iij. resin. pin. ℥iß. Ov. album. & ceræ q. s. puerum exomphalo seu umbilici exitu laborantem, facillimo remedio sanatum Hieronymus vide Reusneros. H. nempe & rad. fanicul. in aq. cocta & calide applicata. Eodem cum inflammatione & humiditate afflicta filiola, seq. pulvere insperso convaluit acc. bol. armen. ver. ʒj. myrrh. ℈ j. pompholyg. ʒiß. f. pulvis. Aquapendens subligaculum ex linteis componit, in cujus medio globulus intestinum vel omentum protuberans reprimit, & herniæ umbilici fascia sublevatæ exempla afferunt Hildanus, Ulmensiumque olim Physicus Joannes Sculterus Quod si vel in tenellis corporibus Medicinam respuat, vitium sectione curare incumbit. Hæc priusquam instituatur, repetenda quædam ex Celso erunt, & in limine quidem curationi neque infantem aptum, neque decrepitum exponendum. Quod superest, de χειρουργίᾳ nihil adjicimus, cum nemini non, vel primis Artis rudimentis instructo, quam notissima esse debeat. *Clariss. Ludovic. Van Hammen Dissertatione de Herniis.*

Curationes.

Etiamsi quævis hernia non facile Curam suscipit, in infantibus tamen facilius curatur; in senibus difficulter, aut nunquam. Quod si intestinum flatibus aut excrementis repletum sit, sequitur dolor, atque hunc, si non illico tollatur, inflammatio, gangræna; hinc passio iliaca, ac ipsa denique mors succedit. Rarum est, quod refert Fabricius Hildanus Cent. 1. Observ. 55. fœminam septendecim annos hernia laborasse, & circa annum ætatis tertium & sexagesimum maximis vexatam fuisse torminibus, intestinumque in abdominis rupturam impulsum ac inibi retentum dolores non leves, simul & inflammationem, aliaque graviora excitasse symptomata. Vocatus ad Curam Hildanus invenit dextrum inguen gangræna affectum: Tumore itaque scarificato, & cæteris quæ ad gangrænæ curationem attinent adhibitis, caro putrida & callositas rupturæ exciderunt; unde dolor, inflammatio, febris, tormina, lipothymia, nausea, vomitus, omnia denique symptomata sedata sunt: sed intestinorum materia, nondum penitus excrementitia; velut ilei & cæci, per abdominis rupturam excernebatur, circiter duos menses. Ægra tamen admirantibus omnibus curata, & à ruptura perfectè sanata fuit, nullâ relictâ fistulâ.

Atqui ratio curandi Herniam, in primis Intestinalem, in hisce tribus consistit: viz. in intestini intra abdominis cavitatem repositione; in repositi conservatione, ne rursus descendat; in relaxati peritonæi constrictione.

Verùm ante repositionem Cheirurgus diligenter consideret, an hernia sit parva, vel magna? an recens, vel inflammatione correpta? an flaccidum adhuc, vel materia aliqua repletum sit intestinum?

Si hernia parva sit & recens, intestinumque vacuum facillimè reducetur si æger supinus in lecto collocetur, capite declivi, pedibusque elevatis, quoniam

hac ratione intestina sursum ruentia secum trahunt id, quod prolapsum est.

Sin verò magna sit & recens hernia, oportet Chirurgum intestinum nulla materia distentum digitis tractare, idque, ægrotantis capite declivius posito, sensim tamdiu molliter circumagere, donec paulatim abdominis cavitatem ingrediatur.

Atqui herniæ quum associatur aut inflammatio, quam indicant dolor, calor, febris; aut flatus adsunt, qui cognoscuntur ex eo, quod æger percipiat totum abdomen à flatibus distendi, si flatus emittat, & rugitus in intestinis audiantur, doloreque extendens sit sine gravitate; aut fæces, alvusque supprimuntur, tumor sensim increscit, & pondus majus, majorque duritiers percipitur: tunc à reductione intestini desistendum est, usque dum inflammatio abierit, fæces egressæ, & flatus dissipati fuerint.

Igitur inflammatio cum adsit herniæ, scroto vel inguini calidè imponatur cataplasma emolliens, digerens, simulque roborans, ex farina hordei, furfuribus tritici, foliis malvæ, althææ, floribus sambuci, rosarum, vino rubro, &c. idque identidem renovetur. Etiam ex Fallopio, pars affecta foveri potest lixivio calido, in quo cineres ex ligno fagino ebullierint. Accipiantur itaque duæ fili crudi massæ, indantur cacabo, & coquantur cum m. ß. seminis cumini in lixivio acri; deinde massarum una extrahatur, quæ inter duos discos exprimatur, atque expansa calidè, quantum ferre potest æger, apponatur; verum tepescens removeatur, & alia substituatur, eaque repetatur, donec omnino sublata sit inflammatio.

Si cum inflammatione concurrant fæces, quæ repositionem intestini impediant, casus quidem est maximè desperatus: nihilominus tamen fæcum tentetur eductio clysteribus lenientibus, identidem injectis; nec non fomentis; aut cataplasmatibus distensionem relaxantibus. v. gr.

℞. Fol. parietariæ, malvæ althææ an. m i ß. flor. camomillæ, meliloti, sambuci, sum.anethi an. m. j. sem. cumini, fœniculi an. ℥ß. incisa & contusa coq. in s. q. lactis vaccini pro fotu.

℞. Rad. liliorum alborum rec. ℥. ij. fol. malvæ, violariæ, parietariæ, flor. camomillæ, meliloti an. m j. furfurum m ß. coctis in aqua pura ad molliriem, & in mortario minutim contusis add. farinæ althææ, Hordei, lini an. ℥ij. olei rosarum, liliorum alborum an. ℥ i ß. m. f. cataplasma. Vel Tumor continuo foveatur mappis calefactis, Oleo camomillæ & Anethino imbutis, atque subinde renovatis.

Sed & flatus non raro absque inflammatione Intestinum replent; quo in casu usurpanda sunt Fomenta ex emollientibus, calefacientibus & discutientibus composita; nec non Clyster calefaciens & carminativus injiciendus est, haud secus ac de Intestino Prolapso, & vel Inflammatione obsesso vel Fæcibus repleto, Reponendo tunc diximus.

Sublata vero Inflammatione, excretis Fæcibus, Flatibusque dissipatis, reponatur in propriam sedem Intestinum. Viz. collocetur Ægrotus capite plurimum demisso, affecta autem parte elevata, deinde manibus Tumor capiendus, tentandumque ut materies paulat m eo, unde exiit, regrediatur; digitum nempe sub tumentem reponendo, repellendoque leniter in ventrem, quod ex eo delapsum est, atque diligenter cavendo, ne contusio livorve Intestino adferatur, quod ea pars Gangrænæ obvia sit, & opportuna.

Atqui è contrario cum omnibus frustra tentatis remediis, intestinum prolapsum, & vel inflammatum, vel fæcibus flatibusve repletum reponi nequeat, adeoque præsens Ægroto immineat periculum, extrema quoque tentanda sunt. Quo in casu Ambrosius Paræus Chirurg. lib. 7. cap. 15. ad Chirurgiam accedere, & ductum illum, per quem intestina elapsa sunt, Sectione dilatare suadet, sic ut digito reponi queant. Sed ardua est Manua is hæc Operatio; quæ quomodo sit instituenda, videre insuper est apud Pigræum prax.Chirurg.lib.2.Cap.41. & præsertim apud Jobum.Meekeranum observ.Chirurg. Cap.45.46.

Ubi jam intestina reposita fuerint, proximum est cavere, ne iterum excidant. Quem in finem maximi sunt momenti fasciæ seu Subligacula, adeo ut in Herniis recentioribus tota fere Curationis spes in iis sita sit. Parandi autem fascias commodissima hæc videtur ratio. Fiat cingulum seu fascia ex corio, quæ lino molliori seu panno gossypino, atque etiam gossypio nonnihil suffulto inducatur, quæ ligula stringi possit. Atque hæc fascia ventri infra hypochondria supra eminentiam prope inguina applicetur; ita tamen, ne partes quæ sunt supra ilia & ossa lædat, & atterat. Huic autem fasciæ seu Cingulo alia fascia cum splenio seu pulvinari quodam ita adaptari debet, ut quantum opus est constringi possit, ipsumque pulvinar recta loco affecto seu parti ubi intestina excidere solent, incumbat, suoque incubitu intestinorum prolapsum prohibeat. Quod ut rectius præstet, fasciæ, quæ ventrem ambit, nonnulli geminas habenas adaptant, quæ ad humeros ascendunt & collum ambiunt.

Fasciæ loco parari potest Cingulum ferreum cum Scuto ferreo, quod locum ubi Intestina procidunt arctè tangit, & Intestinorum Prolapsum prohibet. Rationem verò conficiendi omnia hæc instrumenta Praxis docet. Icones habentur apud Paræum Chirurg. lib.7. cap.15. Scultetum Armament.Chirurg.Tab.39. aliosque.

Equidem intestinum postquam repositum est, priusquam adhibeatur Bracherium, Adstringens aliquod relaxato peritonæo applicari potest Emplastrum, quale est oxycroceum, seu Emplastrum ad Rupturas in corio extensum, vel simile v. gr. illud Pigræi.

℞. Gummi Elemni ℥j. Mastichis. ℨij. olibani, Sarcocollæ an. ℨj. Emplastri contra Rupturam ℥iß. Pulv. Boli armeni ℨiß. Olei therebinthinæ, q. s. M. F. S. A. Emplastrum. Emplastri loco nonnulli laudant fotus Adstringentes, adeoque relaxatum peritonæum Roborantes, ex Corticibus Granatorum, balaustia, Sumach, nucibus cypressi, floribus camomillæ, alumine, similibusve, in aqua fabrorum, & vino rubro adstringente decoctis. Alii inungunt oleum ovorum. Sed inprimis Quies hic imperanda est, qua sola nonnunquam graves sanantur herniæ; cujus rei memorabile adfert exemplum Hildanus cent. 5. Observ. 54. cujusdam generosi Bernensis sexagenarii, qui viginti annos insigni Hernia Intestinali laboraverat, cui curandæ tum Hildanum, tum alios in Gallia & alibi expertissimos frustra adhibuerat Medicos & chirurgos: tandem cum de recuperanda sanitate ne quidem cogitaret amplius; & subligaculis, ne malum ingravesceret uteretur, in morbum incidit, quo ultra sex menses lecto affixus fuit. Post morbum hunc ne minimum quidem herniæ qua tamdiu laboraverat, indicium persensit, nec amplius spleniis aut subligaculis uti necesse habuit.

Igitur fascia intestina, ne rursus prolabantur, contineri possunt: quod ubi factum, danda opera, ut excrementa potius mollia sint, quam dura, alvusque ne supprimatur; atque in egerendis fæcibus observandum,

ut

ut manu inguina & ſcrotum probe contineantur, ne fæces emittendo inteſtina extrudantur. Deinceps abſtinendum à cibis flatulentis, ne flatus inteſtina diſtendentes producantur. Inſuper omnis vehemens motus, ſaltus, curſus, oneris gravioris geſtatio, vociferatio, aliaque vehementiora vitentur exercitia. Denique in tuſſi & ſternutatione idem obſervandum, quod modo in egerendis alvi fæcibus attendendum diximus.

Hiſce alii reddunt ad accelerandam relaxati peritonæi confirmationem varia intus ſumenda medicamenta & inter alia huic affectui curando ſpecifica, qualia dicuntur Radix conſolidæ, oſmundæ regalis, herniaria, hypericum, &c. quorum formulæ plures habentur apud auctores.

Verumtamen ſi integram ſanitatem iis æger conſequi non poſſit, bracherio contentus ſit, quo ſolo ſi rectè contineantur inteſtina, omnibus vitæ actionibus ſine magno impedimento vacare poterit. Atqui hiſce qui contentus non eſt, ſemet ipſum Cheirurgiæ tradat, quæ per ablationem Didymi Herniam penitus curare potis eſt; de qua videantur Pigræus prax. Cheirurg. lib. 2. cap. 40. Scultetus Armam. Chirurg. Tab. 40. Cl. van Horne in Microtechne Sect. 2. part. 1. §. 24.

Quæ autem hactenus de Cura herniæ inteſtinalis dicta ſunt, quoque applicari poſſunt herniæ ex omenti prolapſu ortæ. Iidem enim in ejus curatione ſunt ſcopi. Primo nimirum reducendum eſt Omentum manuum opera; deinde prohibendus elapſus, quod itidem bracherio fieri ſolet. Atqui ſi omenti prolapſus non exactè prohibeatur, adeo ut frequentius illud elabatur, facile peritonæi proceſſui per fibras arctiſſimè accreſcit, hinc reduci in abdominis cavitatem nunquam poteſt, manetque immedicabilis epiplocele.

Hydrocele porro pro Cauſarum varietate nunc magis nunc minus periculoſa eſt: quæ enim cum Hydrope conjungitur, non curatur, niſi ſanato prius Hydrope, ejuſdemque cauſa ablata. Nam licet aquoſus humor vel diſcutiatur, vel Scroti apertione evacuetur, novus tamen rurſus affluit. Si vero cauſa Aquam generans minus gravis ſit, facilius curatur. Equidem inveterata hydrocele, ne Teſtes corrumpantur, haud immerito ſuſpecta eſt.

In Curatione autem herniæ aquoſæ, Univerſalibus ad tollendas Cauſas Antecedentes haud neglectis, ut de oedemate, nec non de Tumore tum flatulento, tum aquoſo curandis dictum fuit; vel Topica Scroto prætumido applicentur calida, Siccantia, reſolventia, Digerentia, contentam adeo in eo aquoſitatem abſumentia; vel Scroti quocunque modo apertione aquoſa materies educatur.

Fallopius tom. 2. tract. de tumor. p. n. cap. 34. haud abs re duplicem ſtatuit herniam aquoſam; unam, in qua dilatato nimium peritonæi proceſſu, aqua ex Abdominis cavitate in Scrotum deſcendit, adeoque fluere & refluere poteſt: hæc autem non curatur niſi prius ex Abdomine omnis educatur aqua.

Altera herniæ aquoſæ ſpecies eſt, in qua nimium non aperto peritonæi proceſſu, aquoſa materies per extrema tum ſanguineorum, tum lymphaticorum vaſculorum oſcula in Scrotum, vaginalem inter & albugineam teſticuli tunicam, effunditur. Atque in hac ſpecie Topica Medicamenta calida, Reſolventia, & Digerentia adhibita multum proſunt, eaque ſemper experiri oportet, priuſquam ad ſcroti apertionem veniamus.

℞. Rad. cucumeris aſinini ℥j. fol. calamenthæ, abrotoni, rutæ, Sum. Anethi, flor. Camomillæ, ſol. rubr. an. Mj. Sem. cumini ʒvj. coq. in aq. puræ & vini albi an. p. æq ad ℥xxx. colatura ſit pro Fomento. Magnæ quoque efficaciæ talia dicuntur medicamenta, ſi Aceto incoquantur.

℞. Rad. Cucumeris Aſinini Bacc. Lauri, Sem. Cumini, Agni Caſti an. ℥ß. fol. lauri, rutæ, roſmarini an. Mj decoq. in aceto ad ℥xxx. colatura pars affecta cum ſpongia ſuveatur. Vel Fomentum fiat ex lixivio cinerum Sarmentorum vitis, in quo ſimilia cocta ſint, nec non ſal, ſulphur, aut alumen liquatum fuerit. Etiam Litus hic multum proſunt. ex gr.

℞. Olei Cucumeris Aſinini ℥j. Rutæ, Laurini an, ℥ß. Cumini ſtillat. gutt. x. Miſceantur pro Linimento. Laudant alii cataplaſma ex Stercore vaccino, mixtis cineribus Plantarum Digerentium, aut Seminibus Rutæ, viticis, cumini, baccis lauri, Juniperi, ſimilibus.

Nonnulli imponi volunt Emplaſtrum de meliloto, de cumino, vel ſimile.

Scoltaius Conſil. Medicin. 131. vehementer laudat, id quod ſequitur.

℞. Rad. Cucumer. aſin. rec. contuſ. & in Aceto ſcil. macer. ℔j. Mellis deſpumati ℔ij. Miſceantur, & bulliant in cerati conſiſtentiam, addendo in fine Sem. Cumini ſubt. pulv. ℥iiij. M. F. S. A. Emplaſtrum.

Sin his, ſimilibuſve remediis Tumor reſolvi nequeat, ad cheirurgiam, hoc eſt, Scroti apertionem veniendum. Quo modo autem & ordine Scroti Apertio inſtituenda ſit, docent Paulus Ægineta lib. 6. cap. 62. & C. Celſus lib. 7. cap. 18.

Nonnulli Scalpello Scrotum aperire ſolent, cui tamen methodo vix aſſentimur, quoniam id ex collecta aqua diſtentum admodum, & flaccidum difficulter conſolidatur; atque non rarò ob partis affectæ poroſitates obſtructas, ſpirituumque per eam radiationem valde imminutam Gangræna accedit.

Alii hanc apertionem cauſtico, vel Igniti ferramentis efficiunt, atque apertum diu ſervant foramen cannula immiſſa Argentea vel plumbea.

Quidam Scrotum aperiunt, Acum filum duplicatum vel quadruplicatum ducentem Setacei in modum trajiciendo, & quotidie bis terve protrahendo.

Avicenna in Inguinis regione candentibus ferramentis inurit, ut pars corrugetur, ne aqua iterum deſcendere poſſit.

Sed potius Scrotum aperiatur acu perforata Barbetiana vel Blockiana, ſicque aquoſa educatur materies. Atque hac methodo ſæpius hydrocelen curavimus, eduximuſque aliquando ex Scroto tres, aliquando quatuor aquæ libras. Etiam nunc inter mortales verſatur Vir ſeptuagenarius, cui ſingulo præter propter biennio Scrotum perforata acu aperiri ſolet, ad collectam in eo aquam evacuandam. Similiter Fabritius Hildanus Cent. 4. obſ. 66. ſcribit, ſe noviſſe virum Sexagenarium, cui ob Herniam aquoſam ſingulis annis Scrotum ex inferiore parte perforabatur, & ſeroſus humor evacuabatur, ac poſtea ad cicatricem ulcus perducebatur: addit que hominem illum ad ſummam perveniſſe ſenectutem. Equidem circa Scroti apertionem utiles quaſdam admonitiones & obſervationes proponit idem Hildanus *Centur.* 4. *obſerv.* 65 66 67. 68.

Adeſſe Sarcocelen cognoſcitur ex eo, quod Tumor in Scroto durus ſit, ſine inguinis tumore, ſenſimque adauctus; quo ſigno diſtinguitur ab hernia Inteſtinali, quæ mollior eſt, & ſubito oritur: inſuper major hic moleſtia eſt, quam dolor, niſi pravi humores confluant. Indagandum quoque diligenter, ne Hydrocele vel alius Teſticuli Tumor pro Carnoſa

Hernia habeatur; quod interdum contingit, si aqua profundius lateat, & foris nulla sui signa exhibeat. Tale exemplum profert Forestus libr. 27. observ. 25. in scolio, de quodam, qui testem unà cum scroto in modum scyrrhi, paulatim majorem in molem auctum, & durum per quinquennium habebat, ut omnes Sarcocelem putarent. Postea tamen cum emollientia & maturantia applicarentur, tumor mollis evasit, & facto abscessu magna aq. copia, quæ intus latuerat, cum impetu erupit, unde scrotum & testiculus detumuit, ægerque penitus curatus fuit.

Equidem medicamentorum ope vix unquam curatur Sarcocele. Sed Chirurgiæ opera tolli solet, ut plurimum cum didymo, cui adhæret, vel inhæret heterogenea hæc substantia. Ad inguina ubi se extenderit, fere incurabilis est.

Quoad Medendi Rationem; ea duplex est, scilicet ut vel tumoris incrementum prohibeatur, & intro tumor absumatur: vel substantia hæc carnosa chirurgia tollatur. Primæ intentioni ut satisfiat, medicamenta interna ad tollendam Sarcocelen quoque commendantur. Et scribit Matthiolus in Dioscoridem libr. 3. cap. 18. se novisse quendam, qui ononidis radicis pulvere duntaxat plures menses sumpto, carnosum ramicem absumpsit, & sanatus est, licet à Medicis nullo alio remedio, quam sola sectione, ustioneque hunc curari posse esset statutum.

Inter Topica Medicamenta valde hic commendat Rulandus Cent. 9. Observ. 66. sum oleum Sulphuris, hoc est, Balsamum Sulphuris quotidie bis illitum. Alii imponere malunt hoc emplastrum.

℞. Gummi Ammoniaci in aceto soluti ℥iss. Bdellii similiter soluti, pulv. seminis sinapi, urticæ an. ℥j. Aristolochiæ rotundæ ʒvi. Sulphuris ℥ß. therebinthinæ, Lapidis spongiæ an. ℥j. spiritus vini ℥iss. Ceræ ℥vj. olei olivarum ℥iiij. Ex hisce S.A. Fiat Emplastrum. Scultetus post armament. Chirurg. Observ. 74. scribit, plures se curasse, exhibito quotidie pulvere radicum Ononidis, & imposito hoc in Emplastro.

℞. Gummi Ammoniaci, Galbani, Bdellii an. ℥ß. dissolutis acero adde adip s anatis ℥iß. Medullæ crurum bovis, olei Liliorum alborum an. ʒx. Misceantur in formam emplastri, quod linteo inductum Scroto applicetur, & quarto quoque die renovatur.

Sin hoc modo Carnosa Hernia non imminuatur, sed è contrario augeatur, sequenti methodo tentari poterit Curatio. Fiat foramen exiguum in Scroti parte superiore: per hoc petiæ ope medicamenta applicentur suppurantia, quo sic carnosa hæc substantia tolli possit, quavis deligatione pus expurgando; verum non totum, ad meliorem reliquæ carnosæ substantiæ consumptionem.

Quod si nec hæc successerint, Testiculus extrahendus, & sectione tantum carnosæ excrescentiæ tollendum, quantum sine læsione fieri potest; hinc restituendus iterum in suum locum Didymus, & quod reliquum est carnosæ substantiæ suppuratione auferendum.

Quum verò nulla spes sit, dictis modis sarcocelen tollendi, Didymus, cum adnata ipsi carnosa substantia, vel tota sua substantia tumefactus exscindendus est.

Præterea Venæ spermaticæ in Scroto Varicum adinstar dilatantur nonnunquam, & Tumorem in Scroto efficiunt, qui Cirsocele seu Varicosa hernia nuncupatur. Ea namque nihil aliud est, quam in Testiculos spermaticæ Venæ dilatatæ, & Varicum modo conglomeratæ, contortæque.

Hinc & eadem hujus affectus causa est, quæ Varicum; viz. sanguis crassus, ac terrestris; circa valvulas venarum spermaticarum subsistens, atque Varicosum hujusmodi Tumorem in Scroto excitans.

Facile quoque manifestum fit hoc malum; quod in Scroto supra Testiculum circa Peritonæi Processum venæ turgidæ, conglomeratæ, & capreolorum modo intortæ ranganrur; quodque deorsum magis descendat Testiculus.

Cura equidem hujus Affectus facilis non est. Ea tamen ut observatur, commodo aliquo subligaculo, aut fascia convenienter apposita Scrotum cum inclusis testibus sustentetur; hoc namque tam certum est remedium, ut teste Fallopio, quidam eo solo curatus fuerit, quod testes per duos menses fascia suspensos gestaverit, & quotidie aquam è Nucibus cypressi destillatam adhibuerit, eaque Scrotum humecta erit, & per se exsiccari siverit.

Alii emollientibus & discutientibus Curam moliuntur, ideoque Balneum usurpant, seu semicupium ea Radicibus althææ, semine Lini, similibusve in aqua decoctis; ac deinceps oleo amygdalatum, vel quovis alio locum inungunt. Alii id quod sequitur, imponunt emplastrum.

℞. Picis navalis ʒvi. Colophoniæ ℥iij. Gummi Ammoniaci, bdellii, opopanacis, Mastichis, lithargir. therebinth. an. ℥j. bol. armen. thur. sanguin. dracon. sarcocoll. aloës, centaur. symphyti, gallarum, malicorii; nucum cupress. lumbricor. terrestr. an. ʒij. glutin. pellis arietin. dissol. in aq. chalyb. & aceto q. s. M.F.s.a. Emplastr.

Quod si nec istis remediis morbus hic curetur, ad Chirurgiam deveniendum, & vel, apertura in scroto facta, varicosæ testium venæ incidantur; vel simul cum didymo eædem exscindantur. *Ioh. Mannicks in Chirurgia ad Praxim hodiernam adornata.*

Omnes illi qui Hernias gerunt, sive veras, sive falsas, si prudentes fuerint, sobrietatem colent, venere immoderatè non utentur, ea omnia quæ harum invaletudinum causa esse possunt, vitabunt; & quandoquidem partes quas occupant debiliores evadunt, earum indulgendum imbecillitati, & ad diætam attendendum. Vitanda itaque veniunt omnia ipsis contraria, qualia sunt legumina, fructus recentes, omne artocreatis genus, vel panis butyro conditus, & non satis excoctus; carnes muria conditæ, pisces, & caseus; inter equitandum lorum Scandulatium brevius faciendum; eo latere quod hernia afficitur; in sede humiliori non sedendum, nec brachia nimium elevanda; in extremos præterea allungendo pedes, pro aliqua re in altiori collocata loco arripienda, caligarum zona non nimium constringetur, alvus servabitur libera, & si aliquando difficilius solvatur, in ipso nisu manus subligaculi pulvillo imponentur, violentiora devitabuntur exercitia; præcipue si herniis laborantes veris aptis & validioribus subligaculis chalybeis aut aliis à filo ferreo confectis, non fuerint instructi. De hisce subligaculis jam mihi verba venientur facienda.

Subligaculum apud Gallos variis donatur nominibus; siquidem apud plurimos bandage; apud aliquos tamen venustiori nomine brayer; apud Normannos ceint; apud alios tetteintif, ceinture aliisque synonimis insignitur, quorum primum est & decentius & convenientius.

Pro conficiendo subligaculo apto vel è chalybe, vel è filo ferreo, attendendum ad ea omnia quæ in superioribus de herniis curandis diximus; indeque indicationes veniunt deducendæ pro subligaculi forma: nam si corpus fuerit macilentum, alia debet subligaculum ratione confici, quam si obæsum foret.

Viri macilenti & obæsi duas constituunt generales differentias formarum subligaculorum, ut & eorumdem applicationis, sed aliæ exeque innumeræ particulares dantur, corpora siquidem omnia in sua variant forma, unde necessarium est etiam innumeris modis subligacula variare, ut superius adnotavi. Hoc non parum facit difficultatis ignaris, qui unius tantum generis subligacula conficere norunt, arbitrati satis esse, si pro varia corporis crassitie validè constringant.

Non sic se gerit ille qui ad perfectionem tendit, quàm magna revera inter meam theoriam & praxim quam hic demonstrandam suscipio, intercedit differentia, & quamvis Guido dixerit peritum practicum, operari pro modulo theoriæ suæ, dantur tamen quædam facienda quæ scriptis explicari nequeunt, & quæ in demonstratione oculari posita sunt. Exempli gratia pro aptè flectendo subligaculo, illoque iis proportionibus donando quæ herniis maxime conveniant, necessario subjectum inspiciendum venit, alias in aliquibus semper deficit. Itaque multo commodius foret me operantem cernere, quàm docentem audire, sed quandoquidem in omnibus Ditionis Gallicæ regionibus præsens adesse non possum, ut inspiciar ab iis quos cupio doctos facere in cura Provincialium, qui tam sæpè ineptis affligi subligaculis Lutetiam adveniunt. Hoc unicum mihi liberum est, scil. pro ea qua polleo accuratione scriptis edoceam methodum in subligaculis mihi familiarem, cui si adjungatur perspicacia iis necessaria qui Chirurgiæ se dicant, non dubito quin facillimè acquiratur quod summo plurium annorum labore conquisivi.

Primum quod faciendum venit examinatis indicationibus necessariis, positum est in mensurâ crassitiei, sive viri, sive mulieris, sive pueri; hæc autem mensura instituenda est cum iis materiis quæ nec elongari, nec abbreviari facilè valeant, v. g. cum charta pergamena, vel tenia limbo donata validiori, incipiendo ab eo loco, in quo hernia apparet, & toto circumducto corpore ad eandem redeundo partem. Illa autem circumductio variè institui debet, unde non parva titonib. creabitur difficultas; alii quippe subligacula altius collocata, alii inferius, pro corporis forma, gerere debent. Quibus altius sunt applicanda subligacula, sunt illi qui crassiores habent nates, nam secundum earum majorem aut minorem crassitiem subligaculum variè flecti & ad superiora reflecti debet. Iis verò quibus subsident nates minus necessarium est subligacula ad superiora reflexa dare, imo aliquando omnino hac ad superiora flexione abstinendum est.

Subligacolum pro subjecti sui crassitie, debet ut plurimum ad duas suæ longitudinis tertias partes, aut paulo plus, è chalybe aut filo ferreo componi, reliquum verò debet ex corio robustiori confici, si subligaculum duplicem pulvillum laminâ armatum ferrea habuerit, pro secundi pulvilli longitudine minuenda erit corii prædicti longitudo.

Chalybs autem debet esse melioris notæ & ejus generis quo effinguntur loricæ, ita ut illud subligaculum non possit abrumpi, etiamsi frigidum cudatur, & interim ea flexibilitate & vi elastica polleat, quæ aptæ corporis circumductioni necessaria sit. Hæc Fabrum spectant Ferrarium, cui probe & accurate significandum quod ab ipso exquiritur, ut qui in Chirurgia instrumentum aliquod aliud adinvenit, illud operationibus suis instituendis aptum, cultrario cudendum exhibet.

Secundum quod in subligaculi fabrica attendi debet, est validitas necessaria.

Duabus de causis necessarium est subligaculi satis robusta effingere, primo in herniis majoribus atque fluxibilioribus, secundo in obæsioribus subjectis, quod tamen committo prudentiæ chirurgi qui malum attentius examinavit, unum admonendo, attendat scil. exercitio illius cui applicabitur subligaculum, nam si fuerit homo magni laboris, aut exercitiorum violentiorum, subligaculum debet esse validius, ne herniam patiatur elabi, aut inter utendum abrumpatur.

Tertium quod adnotari debet in eo positum est, quod chalybs aut filum ferreum è quibus effinguntur subligacula, à scuto sive pulvilli lamina, ad suæ longitudinis dimidium, una quarta parte validior & crassior fabricari velit, sensim minuendo ad finem usque, ut sic vis major adsit elastica. Si verò necessarium fuerit pro duabus herniis subligaculum conficere, oportet ut illud scutum quod zonæ seu cingulo continuum est ponatur super molestiori hernia, sive illæ à latere dextro, sive à sinistro fuerint. Observandum autem quod omnium subligaculorum laminæ sint suis pulvillis minores, nam hi illarum oras ad dimidii saltem digiti quantitatem excedere debent, & præterea quo magis elevare velis eosdem pulvillos, eo minores debeant esse laminæ, inguina enim quibus applicantur, nequeunt grandiores laminas pulvillis instructas elatioribus ferre, præterquam quod parum adferant commodi.

Quarta eaque notatu dignior subligaculorum pars, pulvillus est, qui compressæ vices gerere, atque partibus è quibus herniæ elabuntur imponi debet, ut sic impediatur quo minus vel intestinum, vel epiploum vel utrumque simul excidat.

Generalior regula exigit, ut quantum fieri poterit pulvilli effingantur minores, nam sic & utiliores & minus importuni evadunt, & præterea ad peritonæi annulos commodius perveniunt, nec ità facile de loco moventur ac grandiores. Interim necessarium est eos tam variè effingere, ut illud describere sit impossibile, in hoc judicium exercendum, advertendo ad herniarum exitum unde tam multiplices enascuntur effectus. Præcipuè vero observandum ut prædicti pulvilli proportionentur parti cui imponuntur, nam aliquando requiruntur depressi & molliores, ut in subjectis macilentis, in quibus hernia non fuerit grandior, nec in inguine cavitas; ubi verò cavitas adfuerit major minorve, pulvillus exigitur plus minusve elatus ac turgens, ita ut cavitas repleatur, nec tamen pars ad atrophiam deducatur, quod evenit quibusdam novis Sectatoribus qui instrumentis utuntur acuminatis, quib. præter dolorem, substantiæ deperditionem, faciunt per impeditam spirituum irradiationem, & nutrimenti appulsum; sic etiam annulos apertos servant, & unioni ad curam quàm maximè necessariæ, obstant.

Omnes herniæ contineri debent in eo è quo egrediuntur

diuntur loco, non verò in illo ad quem devolvuntur, itaque semper supra os pubis debent reprimi adque coxam propius, ubi annulorum sedes est, & ubi vasa vitantur spermatica; nam si subligaculi scutum propius ad penem adducatur dolor in prædictis paritur vasis, quæ inter pulvillum & os pubis sic arctius incarcerantur, præterea cùm os pubis sit hic elatius quam prope coxam, impedimento est ne pulvillus cavitatem repleat, sicque hernia elabitur, præsertim inter sedendum, aut corpus curvandum, jam verò huc attentius observandum ut devitentur mala quibus vix mederi valeas pro voto, cum sc. subligaculum elabi sinit intestinum, unde periculosissima enascitur strangulatio.

Regulam generalem flexionis subligaculorum quod spectat, attendendum ut circum totum corpus circumducta illi undique quam accuratissime & immediatè applicetur, ne sc. facile de loco moveantur quod ipsorum operationi non parum officeret. Particulares flexionis differentias quod attinet, in variis subjectis, illæ nullatenus possunt edoceri, & etiam, subligaculum quantum ante applicationem possibile, ad perfectionem suam deductum, necessarium est ipso applicationis momento variè flectere, ut corpori aptius commodetur, propterea melioris notæ metallo constitui omnino debent.

Qui subligacula è filo ferreo conficere norunt hoc fruuntur privilegio, quod sc. filum ferreum minus facilè in variis sui flexionibus abrumpatur, si fuerit melioris notæ; quod è Germania adfertur ineptum prorsus est.

Hæc Subligaculorum species inter præclarissima reponi meretur inventa, nam sic omnibus propè in locis, nulla fabri ferrarii adhibita opera, subligacula & apta & firmissima possunt effingi.

Pro condendo hoc è filo ferreo subligaculo eadem quæ in subligaculo chalybeo sunt adnotata observanda veniunt, & quoad mensuram sc. & quoad ferri longitudinem, validitatem verò quod attinet, siquidem variæ crassitiei dantur fila ferrea, illud pro prudentia sua seliget artifex, aptum illi firmitati suo subligaculo conciliandæ quam intendit. Observandum tantum quod cujuscunque demum crassitiei filo utaris ferreo semper duplicandum sit, ad utrumque sc. subligaculi ut & ejus scuti limbum, & quandoquidem filum ferreum ejusdem est per totam suam longitudinem crassitiei, igne temperandum est ut ab ea parte cui corium alligari debet minus firmum evadat.

Conficiendum subligaculum postquam ad corporis modulum exegeris, & ad indicationes necessarias attenderis; validitatis aptæ filum ferreum seliges, ejus longitudinis ut commodè duplicari possit, & ab altera parte manuali aliquo instrumento flectes extremitatem rami ferrei superioris, ut ea ex constituas scutum, vel à dextris, vel à sinistris, ejus figuræ quam aptam videbis pulvillo sustinendo herniæ tuæ continendæ accommodato. Hocce peracto producetur mensura usque ad fili ferrei partem igne temperatam, ubi subligaculi futura est extremitas, indeque illud duplicabis. Quando secundus iste ramus duplicatus paulo ultra scutum deductus fuerit, cum priori subjicies, & filo multipliciter complicato subligabis; tum ea extremitas quæ scutum excedet lima corradetur ut depressionem aliquam acquirat, postea eandem ad interiora contorquebis ad prædicti scuti figuram, ut illud è ferro duplicato constituatur, ut ipsum cingulum. Continuabis validam ligaturam duarum extremitatum, quæ in unum scuti locum coibunt; postea subligaculum pro lubitu flectes duabus adhibitis manibus, flectere incipiendo quasi ovalem aut aliam aptiorem figuram conficere in animo esset, recurvabis postea cingulum prope aut longè à scuto, prout necessarium fuerit altius illud applicare; reliqua & perfectior flexio malleolo conciliabitur, ramum ferreum interius leviter tundendo ut ad meotutam corporis exquisite adaptetur.

Quando subligaculum pro voto efformatum habueris, duos ramos simul deligabis, eos invicem complicando, & tænia filea tres lineas lata circumducendo. Hæc ligatura duplici adhibetur usui, sc. validitatis æqualitatem ramis duobus conciliat, & præterea prima est subligaculi instructio, cui secunda è tela confecta, bombace, aut lana tenui & bene carpta repleta, per totam longitudinem interius adsuitur, ut sic ferrum minimè lædat. Secunda hæc instructio non adsuetur quin prius extremitatem loro coriaceo, clavo adfixo, vel tela ipsissima ad aliquam longitudinem producta, armaveris, postquam eandem illam extremitatem lima corrasam depressiorem feceris, ut sic minus crassa fiat atque minime lædat.

Pauci admodum cudendorum subligaculorum chalybeorum sunt periti, nullique in provinciis Gallicis tales reperiuntur, quantumvis aliis instrumentis cudendis; apti interim illud utilissimum foret, cui ego pro virili medebor, dummodo urbium chirurgi attentiori animo & magno cum studio legere velint quæ hactenus à me hic fuere perscripta.

Verum quandoquidem mensura à me descripta fabro pro conficiendo subligaculo est insufficiens, consulo unicuique chirurgo patet sibi exemplar aptum ex unico filo ferreo ejus crassitiei quæ facile flecti possit, ut sic aptè curvetur ad figuram corporis cui applicari debet, & postquam filum illud ferreum ad corporis mensuram exquisite exegerit, tum faber eo exemplari facillimè subligaculum cudet, unicum supererit, scil. præscribatur & crassities latitudo cinguli, cui demonstrandæ chartaceum omnino aptum fuerit: Scutum quod attinet, conficietur ad normam illius quod per flexionem fili in altera extremitate; & quoad magnitudinem & quoad figuram necessariam, descriptum erit.

Habemus subligacula chalybea fracta miræ inventionis, quæ sæpissimè Magnatibus exhibui. Unico aut duplici armantur scuto, prout libuerit.

Quæ duplex scutum gerunt per scuta sua disjunguntur mediante cochlea à dextris vel sinistris posita, hoc est si è duabus herniis quas reprimere necessarium est major à dextris fuerit, cochlea in eodem latere poni debet, & à sinistris, si hernia præcipua in eo fuerit latere. Hæc cochlea insinuatur in striatum cavum in altero scuto efformatum. Subligacula hæc, præter scuta sua è quatuor aliis concinnantur partibus, quarum prima, eaque brevissima, cochleæ continuatur, hæc à secunda, secunda à tertia, tertia à quarta, & quarta à quinta concluditur; quintæ autem debet adfigi lorum coriaceum validum pro subligaculo claudendo.

Subligacula fracta unico armata scuto, è quatuor tantum conficiuntur partibus quæ clavo ferreo ita compinguntur, ut ad interiora tantum flecti queant, sic magnum subligaculum in pera gestari potest. Eadem ratione muniuntur ac alia simplicia, è chalybe aut filo ferreo, & in eo tantum differunt quod pro flectendis partibus clavo compactis,

compactis, necessarium sit tria foramina, seu potius aperturas, in instructione, quæ ipsis adsuitur, conficere.

Subligacula hæc sunt admodum commoda atque præcipue iis, qui de die & nocte ea gerere necessarium habent.

Omnia subligacula chalybea, quæ noctu gerere animus est, latitudine trium aut quatuor pollicum breviora esse debent, quam ferant duæ tertiæ crassitiei corporis partes, ut quando super subligaculi extremitate cubatur, minime sic scutum aut ejusdem pulvillus de loco moveatur.

Pro infantulis fasciis suis adhuc dum circumvolutis aut aliis excrementis se inquinantibus, componenda sunt subligacula, quibus urina & sordes adhærere non possint, ni ea putrefaciant; ejus conditionis sunt, quæ è duplici fili ferrei tenuis tamo concinnantur, ad modum quem supra in majorum descriptione enarravi, sed alia instruuntur ratione, tami sc. duo non simul colligantur ut in majoribus, sed inter eos cartaceum reponitur segmen, duas aut tres lineas latum, circum assuta valida è filo cannabino tænia, in totum cingulum producta, & etiam multo ulterius pro puerili crassitie, quod ultra cingulum producitur ter replicatur ut sic ligulæ coriaceæ, quæ hamulo aut productioni ferreæ è scuto ex linteo ad magnitudinem olivarem confecto, assurgit alligatur, vices gerat: mox memoratum scutum parvæ adsuitur lamellæ, quo peracto, interjectur tænia ramos ferreus inter & cartaceum per totam cinguli longitudinem, post ceræ albæ fusæ per totam sui longitudinem exquisitè immergetur, ut sic ab urina non corrumpatur: frigefacta cera cultello lævigabitur, atque ita subligaculum applicationi aptum habebis, quod de die & nocte gestum necessario hernias infantulorum intestinales, curabis, & iis minime molestum erit.

Pro umbilico conficitur etiam subligaculum ex chalybe aut filo ferreo, sed dimidias tantum; pro varia magnitudine corporis variè curvabitur, ut in aliis dixi, in hoc tamen differt, quod sc. partes, quibus hocce in casu applicatur, sunt omnino dissimiles iis, quibus alia admoventur. Lamina media sit grandior & ovalis figuræ, aliquando rotundæ; vastior conficitur hæc lamina, ut abdomen, quod in obæsioribus semper prope acuminatur, contineatur.

Si subligaculum hoc fiat pro intestino, & intestinum integrè reduci valeat, in media hac lamina collocatur mollior globulus ad umbilici formam constitutus, ne cavitas eo repleri possit.

Si subligaculum è filo ferreo construatur, necessarium fuerit, postquam laminam mediam duplicata spissioris textus tela lustruxeris, illi adiuas aliam laminam è tenuiori subere Hispanico, aut è duplici carta lusoria confectam, prius appositam atque alligato hamulo ferreo istius laminæ parti mediæ. Hujus subligaculi cingulum latius esse debet, per vaginam laneam aut xylinam, quæ propterea ab utraque cinguli parte frequentibus densabitur punctis.

Subligacula omnia, quantum fieri potest, levia sunt facienda, siquidem eorum majus pondus post aliquod tempus molestum est. Si materia è qua conficiuntur melioris fuerit notæ, frigidè facilè ceditur, & subligaculum exhibet leve, quodque eo validius est quo magis cuditur, sicut tenuior lorica malleo probe cusa, ictibus fortius resistit, quam quæ è pejoris notæ metallo & ponderosior fuerit.

Subligacula chalybea, ut & è filo ferreo triplici volunt vestiri instructu, tam quoad scuta, quam quoad cingula.

Primus instructus è spissioris textus tela cannabina confici debet, quæ adsuetur cum laminis scuta sustinendo destinatis, tum cingulis; sed super memoratis laminis semper duplicari debet, ut sic scutum sive pulvillus, validius colligari atque uniri possit, ut & hamulus ferreus ipsi commode inhærere valeat in subligaculis è filo ferreo constructis.

In omnibus subligaculis hamulus cui ligula coriacea connectitur in media lamina pulvillo subjecta semper collocabitur; hamulus vero, cujus mucro ad inferiora vergit, commodior erit, & indusium non lacerabit.

Ligula coriacea, cui oscilla inseruntur pro claudendo subligaculo, è corio constituetur valido ne facile elongetur & oscilla confertim inferi possint, ut sic constrictio pro libitu fiat, & prædicta oscilla nullatenus lacerentur.

Secundus instructus cinguli vagina erit, de qua mox verba feci, & quæ componitur è fascia linea oblique scissa & gossypio aut lana repleta, post subtus cingulum chalybeum à pulvillo ad oscilla usque consuta. Hic instructus efficit, ut ferrum minime lædat, utque rubiginem non contrahat; ejus loco potest etiam substitui limbus panni lanei tenuioris.

Pulvillorum secundum instructum quod attinet, multiplices in forma & materia variant; forma pendet ab ipso artificis judicio, superius pronunciavi minimos esse optimos, quod non ita intelligendum, quasi omnes eadem ratione efformati debirent, penes opificem erit magnitudinem aptam seligere.

Si necessarium fuerit pulvillum paulo longiorem conficere, adeo ut usque supra os pubis ascendat, quia sc. intestini eruptio juxta illud os reperitur, parsque macrior est, oportet pulvillus sit mollior, ut prædictum os in illum pulvillum inseri queat, alias vacuum fiet in loco, unde intestinum elabitur, & præterea si durior foret pulvillus hoc in casu, partem cui applicatur læderet; ut autem mollior evadat pulvillus, repleatur lana carpta, aut gossypio.

Quando agitur de duriore conficiendo pulvillo, adhibebitur tomentum panneum malleo contritum, & in sacculum è largioris textûs tela cannabina immissum, qui sic melius super lamina ferrea collocabitur; pilus equinus ad id etiam assumitur, qui medias inter lanam & tomentum occupat. Aliquando subere utor Hispanicô pro eâ quam in pulvillo capeto duritie, semper satis lanæ superimponendo, ejusque bene carptæ; ut pars piæ pulvilli applicati duritie non atrophietur aut marcescat.

Pulvillus pro Epiplocele, in iis, qui magnum gerunt abdomen debet brevissimus fieri & obtusus, atque in sui superiore parte depressus, lævis, & inversionis commodæ, ut abdomen non lædat, nec effectum impediat, quem ab arcta compressione exquiris, hæc autem compressio per partem pulvilli inferiorem perficitur, quæ propterea magis aut minus tumebit, pro civitate partis; observandum præterea, quod semper pulvillus à parte coxæ magis turgere debeat, nec durior effici. Jam verò ut qui subligaculum gerit, illud inferius quam par est applicare non valeat, in quo error committitur satis ordinarius, oportet pulvillum magis in transversum deducere, ut immediatè infra os pubis semper remaneat, oportet præterea eum & molliorem & depressiorem à parte vasorum & penis efformare.

Tempus

Tempus mihi deficeret si tot pulvillorum genera, quot herniæ pro sua varietate conficere cogunt describere tentarem, in hoc exercebitur artificis judicium; nec mirum si qui chirurgiæ genium non satis possident, nihil boni conficere queunt.

Medium omnium pulvillorum, cujuscunque demum fuerint formæ, durius esse debet, quàm ejusdem limbi, excepto eo qui pro testiculo retento adhibetur: Necessarium autem est pulvillos laminis suis probe assuere, & postea corio ovillo albo, aut potius caprino tegere; eadem ratione tegitur cingulum, hicque tertius & ultimus instructus est; futura vero tum pulvillorum, tum cingulorum, debet quantum potest à limbis eorumdem removeri, ut sic minime lædat.

Aliquando fascia quæ coxam complectatur opponitur, cujus aliud extremum cingulo appenditur, aliud vero hamulo scuti alligatur; hæc autem fascia ante ligulam coriaceam hamulo debet inseri, ut sic solvi nullatenus possit.

Et quandoquidem sæpissimè de vita proximi agitur qui subligaculis in suis herniis confidit, eorum faber per propriam tenetur conscientiam, se in hoc negotio peritum reddere, & omnes herniarum species nosse, propterea si artem cui se vovet dilexerit, in eaque delectetur peritus evadet, sin minus in difficultates multas impinget.

Debet præterea & prudens admodum esse, & in arcano tegendo religiosus, ne scilicet morbi ipsi commissi divulgentur. Inopibus etiam in charitate succurret, ut sic ab omni parte conscientiæ satisfaciat, sed potissimum quod ipsi impossibile est nunquam pollicebitur. *Nicolaus Le Quin Tractatû Gallicô de Herniis.*

De Operatione in Herniis aliàs incurabilibus exercendâ.

Herniarum causis cognitis facile intelligi potest in quo consistat curationis ratio. Nam sicut causa herniæ est illius meatus apertio, seu per relaxationem, seu per rupturam: Ita curatio è contra ejusdem est meatus constrictio. Illa constrictio aliquando conficitur per pharmaciam, nempe per medicamenta astrictiora, vel consolidativa intus exteriusque adhibita, & per Zonam simul gestatam, cujus constrictione impeditur, partimque prædictarum exitus extra illum meatum: quo impedito, paulatim meatus consolidatur, præsertim cum tantum est dilatatio, & non ruptura, vel cum ruptura est exigua, & in ætate puerili. Interdum non potest per medicamenta, & Zonam curari, præcipuè cum hernia est non à dilatatione, sed à ruptura, & quidem ruptura magna, ac jam antiqua, & inveterata, tunc enim debet curari per Chirurgiam, nempe, vel sectione, vel ustione. Quando ergo per chirurgiam curatio instituitur, tota ratio ejus in eo consistit, ut illi meatus, seu dilatatione seu ruptura dilatati constringantur. Constrictio illa non fit per sectionem, sed sectio præcedere debet, ut postea constrictio fieri possit. Constringi enim meatus non potest, nisi prius sectio ad meatum usque fiat, & talis per quam Chirurgus ad meatum illum possit pervenire, ac eum possit contingere, non enim potest meatum constringere, nisi prius ad eum manibus pervenire possit. Cum ad meatum pertingi potest, tunc ille vel sutura, vel ustione, vel strictura fili aurei aut plumbei circumducti, coarctatur, de quo latius.

Interim ex præcedentibus & ex eo quod sectiones hæ sint periculosæ colligere potestis, quod non facile, neque temere ad eas sit progrediendum. Nam si tantum sit hernia inguinis, & quia illa tantum est incipiens, & incompleta, & tantum à dilatatione peritonæi, & quia ibi omentum vel intestinum facile per Zonam retrudi potest; ideo sectio non est necessaria, sed tantum per pharmaciam cura est instituenda, nec propter parvum malum debet tam periculosum remedium sustineri. Si etiam sit hernia scroti, & sit parva; sic ut omentum tantum incidat, non est opus sectione; omentum enim quia superius est ligatum, non potest procul, & non nisi exigua sui portione in scrotum incidere, & sic illa hernia non est tam magna, ut tantum remedium exigat. Si sit major, sic ut intestinum in scrotum incidat, sitque parva & recens, & in juvenili ætate, primum tentanda est cura per medicamenta: nam sæpe adhuc curatur, & ideo non est temere ad sectionem veniendum. Sin inveterata sit, & tumor maximus, & pharmacia omnis frustra adhibita, tum primum de sectione debet cogitari: debet autem ea fieri in ætate juvenili, senilis non sufficit tanto remedio ferendo. Est porro hæc sectio omnis valde periculosa.

Verum quia plures ejus differentiæ sunt, illa quæ fit modo ordinario, quo utuntur Empirici, & circumforanei, hernias secantes, quæ scilicet cum exsectione testiculi fit, omnium est periculosissima: quæ verò fit per punctum aureum vocatum, etsi etiam sit valde periculosa, minus tamen est periculo præcedente. Insuper quæ fit modo empirico, exponit hominem periculo sterilitatis, propterea quod fiat cum ablatione unius testiculi: imo, si hernia sit ab utroque latere, & ab utroque latere fiat sectio, facit hominem absolutè sterilem, quia talis fit cum ablatione utriusque testis. Punctum verò aureum non aufert testiculos, ideoque hoc periculum sterilitatis non adducit. Sed in universum modus Chirurgicæ curationis est triplex. Unus fit per ustionem. Secundus est ordinarius, & communis empiricorum, & fit cum extractione testiculi; Tertius vocatur punctum aureum, propterea quod fiat cum filo aureo, meatum per quem intestina labuntur, constringente.

Primum modum curandi per ustionem docent, Avicenna, Rhasis, Nicolaus, Theodoricus, Guido, & alii. Alii autem faciunt eam cum cauterio actuali, alii potentiali, qui istum modum docent, dicunt, quod æger debeat collocari supinus, cruribus elevatis, capite depresso, quodque intestina, si exciderint, debeant intra abdomen reponi. Inde, inquiunt, debet aduri, super inguen cum cauteriis ignitis, usque ad os pubis, eo scilicet loco, per quem descendere solebant intestina: & debent fieri ustiones plurimæ, incipiendo à sursum, & descendendo per totam regionem rupturæ. Tunc curandum est, ut eschara collapsis loca usta consolidentur, & cicatrisentur, & ut æger interim 40. diebus maneat supinus, nec moveatur, ut interim intestina non descendant. Cavendum autem est, ne intestinum aliquod vim ignis sentiat, nec vasa quoque spermatica; nam sic virtus generandi læderetur, quamvis, inquiunt, ægre fieri possit, ut illa non offendantur. Theodoricus, & Guido, docent, ustionem facere cum potentiali composito. Ergo, ut prius, ægro & intestinis intra abdomen repositis, laxiorem productionis peritonæi partem, unaque spermatica vasa, & cremasterem musculum ad ischii os adducunt: tum reliquam processus peritonæi partem caustico medicamento validiore,

validiore, vel debiliore, pro ratione corporis inurunt cauterio recta ad ossis perpendicula affixo ea parte, qua intestinum procidebat, escharam, quæ inde producetur, ad vivum usque divellunt. Tum aliud iterum causticum, eidem loco, quod ad os usque exurat apponunt, ut sic processus ille peritonæi aduratur, & in escharam convertatur, tum faciunt medicamentis, ut illa quoque eschara cadat, & in locum escharæ caro, & dura cicatrix, ac quasi callus succrescat. Nam cum processus ille peritonæi, per quem intestina incidere solebant, sic dura ac solida ac callosa cicatrice est obstructus, fit, ut omentum, & intestina non possint amplius per ipsum in scrotum procidere. Hæ ergo ustiones ea ratione curant herniam, quatenus fariunt talem constructionem, & coarctationem in loco, in quem Intestina relabuntur, ut deinceps delabi per illum non possint. Cardanus Comment. ad Aphor. 27. l. 6. Hippocr. ait; quod ille modus sit facilior, & securior quam secundus modus, qui ordinarius, & empiricus dicitur, quippe cum ex sectione testis fit, idemque etiam Paræus. Verum tamen monet, ut ista curandi ratio tunc non tentetur, quando ipsum omentum, vel intestina ipsi processui peritonæi tam fortiter sunt agglutinata, ut inde divelli, & in locum suum compelli non possint: tum enim intestina adustione illa tangerentur & violarentur, unde gravissima mala sequerentur. Secundo etiam, ut non tentetur, cum illius processus dilatatio est valde magna, aut cum processus est ruptus, & intestina magna mole excidunt, tunc enim ustio ad curandum non sufficeret; quia satis callosa cicatrix non esset tunc satis fortis ad illam molem incumbentem retinendam; sed effringeretur & malum recideret. Tertio, ut etiam non tentetur, cum ægri adhuc in illa ætate sunt, in qua non possunt se immotos continere, & excrementa alvi ad arbitrium tenere.

Secundus modus, qui est ordinarius, & empiricus, & per sectionem fit, adscribitur à P. Ægineta c. 65. lib. 6. & fit hoc modo. Æger debet collocari supinus super scamnum, aut mensam, cruribus divaricatis, & extensis, non autem curvatis. Tunc Intestina reponi intra abdomen, & retrudi diligenter debent: & porro palpandum scil. ut testiculus sit in bursa, an vero sursum retractus. Si sit in bursa, erit tum atramento faciendum signum, pro vulnere faciendo; vulnus debet fieri in inguine lateris, tam altè aut paulo altius, ac est origo seu radix penis. Obliquum debet esse vulnus, longitudine ferè duorum digitorum transversorum. Ejus signo sic atramento notato, debet cutis in illo signo apprehendi, & secundum latitudinem tránsversam plicari, sic ut plicatura, cum linea notata, faciat crucem, & unum extremum plicaturæ tenebit, & attollet famulus assistens: alterum extremum, quod versus se est, attollet sinistra manu, ipse Chirurgus.

Tunc secundum, & supra lineam ipsam, cum rasorio facienda est sectio profunda. In vulnus debent immitti duo digiti anteriores, & cum iis vasa spermatica, & processus peritonæi, illa vasa cingens, apprehendi, & à partibus, quibus adhæret, violenter separari, & separata uno cum testiculo ipsis vasis annexo extrahi per vulnus factum. Cum extracta sunt, & extra vulnus pendent, debent vasa spermatica, & processus peritonæi illa vasa circumdans, altiori, quo possunt loco, ligari serico filo valde longo, & tunc sub locum ligaturæ amputari: alii amputant tantum, alii extrema insuper adurunt. Quod amputatum est, nempe testiculus cum portione ista vasorum spermaticorum, & processus peritonæi, terræ mandari potest; quod supra amputationem est, et corpori interius adhæret, reponi per vulnus intra abdomen debet: sic tamen, ut fili oblonga particula extra vulnus pendula maneat, quo postea possit filum extrahi, ut in corpore non remaneat. Per foramen potest olei aliquid rosati immitti: penicillum cum oleo rosato, & vitello ovi imponatur, & desuper stuppa cannabina cum onguento stiptico, & repellente, quod sanguinem compescat, & inflammationem arceat, ex albumine ovi, aceto, oleo rosato, bolo, sanguine draconis, &c. Ad latus vulneris lintea multiplicata, quasi pulvinare quoddam ad comprimenda labra vulneris adhibeantur. Postquam intra corpus, quod sub ligatura est computruit, & filum decidit, filum extrahendum est: extracto, vulnus curandum, claudendumque. Interea dum illud quod sub filo est, putrescit, & decidit, generatur caro & callus durus in locum vinculi decidentis, qui callus extremum processus peritonæi abscissum, per quem intestina incidebant, & seminarium vasorum, qui in illo processu sunt, occludit & obturat: Illo extremo sic per callum occluso non possint deinceps per illum processum intestina delabi in scrotum, & illa hernia est curata. Si hernia sit ab utroque latere, quod jam de uno latere dictum ab utroque esset faciendum.

Tertius modus vocatur aureum punctum. Vocatur autem sic, quod fiat stringendo cum filo aureo, Verum est notandum, quod sub hoc puncto aureo comprehendantur varii modi operationis, qui omnes verè & propriè non deberent dici punctum aureum, cum non fiunt omnes cum filo aureo, nec omnia fiunt eo modo, quo punctum aureum propriè dictum, tamen impropriè vocentur punctum aureum, & comprehenduntur sub eo per hoc, quod fere sic fiant, sicuti punctum aureum, & in eo cum puncto aureo, ab empirico, & ordinario secandi modo differant. Hac lata puncti aurei appellatione sunt plures aurei puncti modi.

Primus est, Ægro supra mensam collocato, & repositis si exciderint Intestinis in inguine, supra radicem virgæ, fiat oblonga, & obliqua sectio, tam profundè, quo usque perveniatur ad vaginalem peritonæi processum. Cùm jam ille processus detectus est, debet blande digito à circumjectis partibus paululum separari, ut sub illo aureum filum duci possit. Cum ergo separatus est, tenue aureum filum, crassitudinis aciculæ majoris, subcurvum, sub illum processum duci debet, duplici circumductione, circumducti extrema debent conjungi, ne dissolvantur. Itaque debent per tenacula ferrea sibi mutuo intorqueri; Ab intortis, quod superest debet abscindi, & extrema abscissionis ita deorsum, & ipsi nodo implicari, ut ipsa circumjectas partes non pungant. Hoc est propter punctum aureum, quo hernia curatur hac ratione, quatenus scilicet per illud filum aureum circum vaginalem peritonæi processum circumductum, ipse processus qui antea laxatus, vel ruptus, & per quam propterea omentum, & intestina in scrotum incidebant, ita constringitur, ac coarctatur, ut illa deinceps non amplius per illum dilabi possint. Verum sciendum est quod cum per illum processum debeant naturaliter spermatica; & deferentia vasa transire, ideo illa astrictio per filum aureum non debet esse nimis arcta; nam si esset arcta nimis, tunc illa vasa ita comprimerentur; quod per ea non posset esse materiæ seminalis transitus; & sic homines imprimis fierent [illegible]steriles. Deinde, si nimis arcta esset,

testes

testes qui sub loco constrictionis sunt, putrescerent, quia privarentur fluxu sanguinis alimentarii, & spiritu vitali, qui per illa vasa spermatica ad testes debent pervenire. Debet ergo strictio cum filo aureo esse moderata, sed ita arcta, ut nec omentum, & intestina per illum meatum & circulum aureum circumductum ei prolabi possint, & tam laxa, ut commode & sine coarctatione possint spermatica, & deferentia vasa per eum transire.

Notandum propterea, quod in pueris strictio debeat minor esse, quam in adultis, propterea quod pueri adhuc debent crescere, & ille processus & vasa spermatica debent in iis cum ætate adhuc ingrossari. Itaque debet in iis strictura proportionari crassitudini, quam processus, & vasa illa sunt habitura in adulta ætate, ut illa nimirum tunc adhuc sit satis libera & laxa in ætate provecta, quia illa vasa non amplius crescunt. Potest & ictio proportionari crassitudini processus, qui tunc est. Filum illud autem debet ibi tota vita relinqui, & vulnus factum debet desuper uniri, ac consolidari, modo quo alia vulnera curantur. Postmodum debet æger adhuc 20. diebus in lecto contineri, capite demisso, & pedibus in altum elevatis, ne intestina contra partem sauciatam, & à lectione & contractione debilitatam incumbendo, eam dolore, & inflammatione afficiant. Capitur vero ad hanc rem filum aureum potius quam alterius metalli, quia illud est imprimis valde flexile, & ideo apprime accommodatum, ad ita facile intorquendum. Secundo illud metallum in corpore remanens non corrumpitur, nec putrescit, nec æruginem contrahit, nec maligna qualitate afficit partes, quas attingit. Et hic modus est proprie dictum punctum aureum.

Secundus modus puncti aurei est, qui fit ferè eodem modo, sed non omnino. Differt autem à priore, quod filum, quod circumducitur, processui illi peritonæi, ad eum constringendum, non relinquatur in corpore, sed postea educatur, qui modus à nonnullis ideo est excogitatus, quod putent, malum esse in corpore metallum aliquod, aut aliquod naturæ nostræ heterogeneum, in corpore relinqui. Incidunt ergo in inguine, ut prius, & processui peritonæi seu vaginali, eo modo, quo antea dixi, uno tantum circulo circumducunt, virgulam plumbeam, & quantum sufficit coarctando intorquent, & simul extrema virgulæ, quæ longiora esse debent, extra vulnus propendere sinunt, tum ægrum in lecto continendo expectant, donec naturam in loco coarctato jam callum duxisse verisimile sit. Cum hoc factum arbitrantur, eam virgulam plumbeam iterum evolvunt, & explicant, & blande extrahunt, & tunc vulnus consolidant, & tunc hernia est curata, hac nempe ratione, quatenus in loco illius processus vaginalis, ubi coarctatio à filo plumbeo facta fuit, est à natura productus callus, qui facit quod ille processus non amplius possit dilatari, & intestina non amplius possint per illum (ultra locum, in quo callus generatus est) procidere, qui callus non potuisset à natura produci, si processus ita laxus permansisset, & si locus per circumductum ejusmodi plumbeum, filum non fuisset sic coarctatum. Ideo autem hi capiunt filum plumbeum & non aureum, quia plumbeum adhuc est mollius & ideo postea facilius extricatur, & educitur, quam filum aureum. Verum mihi non placet iste modus, quia imprimis per hoc, quod filum aureum in corpore remaneat, nihil mali potest corpori inferri. Videmus enim aliquos globos plumbeos multos tota vita in corpore sine noxa gestare. Secundo, quia non puto per ejusmodi callum inductum, sufficienter herniam curari posse, præcipuè, si magna sit: nam incumbens deinde magnum illud intestinorum pondus supra callum locum, eum facile eftringere potest, neque videtur, quod callus semper tam fortis generabitur, qu possit incumbentibus intestinis resistere.

Est & tertius modus fili aurei, quem ex Paræo vobis tradam, & est talis. Incisio fiat super os pubis, in vulnus imponatur specillum simile cannulæ. Illud specillum per foramen sub peritonæi processu, secundum ipsius processus longitudinem impellatur, tum sursum rigendo specillum, divellatur eo dictus peritonæi processus, à viciniis, & fibris, nervosisque partibus, quibus adhærescit, mox & spermatica vasa à cremastere, testiculi musculo, abstrahente. Quibus perfectis, Chirurgus ipsum processum seorsum adducet, ejusque quantum laxius est, exiguis, & laxis tenaculis, foraminibus in medio prævüs comprehendet, atq; acu duplex filum ducente transadiget, proximè prope vasa spermatica, & cremasterem testiculi musculum, sed & iterum ducenda erit acus in ejus, quod ex processu peritonæi restat medium, una cum prehensis vulneris labris: tum arcto modo filum restringendum est & postea persecandum; sed ipsius tantum relinquendum est, quantum satis est, ut extrorsum à vulnere pendeat, illud filum putredine sensim ex se dissolvente, nec vero ante abstrahendum, quam natura in ligaturæ locum carnem generaverit & reposuerit, alias frustra omnis labor. Inde vulnus detergendum, carne implendum, & cicatrice obducendum, cujus callosa duities delapsuro iterum intestino, nec omentio obstabit. Hunc modum illis verbis describit Paræus, & ponit in modos puncti aurei, quamvis propriè non sit punctum aureum, sed ab eo multum divisum. Ideo tantum nomine puncti aurei appellatur, quod fit sine exemptione testis, sic ut punctum aureum, & quia in hoc cum puncto aureo convenit, quod sicut in puncto aureo processus ille peritonæi, seu meatus vaginalis, in quem ruptum, vel laxatum, intestina, vel omentum incidit, mediante filo aureo circumducto, constringitur, & moderata strictione coarctatur. Ita in hac operatione, idem processus primo mediante sutura, postmodum verò callo in suturæ locum succedente arctior fit, qua arctione fit, ut omentum & intestina non amplius per eum incidere possint. Verum Paræus hunc modum valde obscurè describit, & multa sunt, quæ vix intelligi possunt, nec ipse intelligo. Interim tamen notandum, quod hæc sit summa operationis, nempe ut in inguine oblonga sectio fiat, donec processus vaginalis detegatur, cum est detectus aliquo specillo seu instrumento, à vicinis fibrosis partibus blande abducitor, cum est abductus, videatur quantum processus ille excidat in laxitate, vel ubinam sit ruptus, & quanto sit meatus ille laxior quam debeat esse, aut quam pro transitu spermaticorum vasorum requiretur, in quanta parte laxitatis excedit, in tanta debet mediante sutura conjungi, sic ut sufficiens tantum portio cavitatis restet, per quam liberè spermatica vasa possint deferri, sic ut non sit totus processus suendus, aut sutura occludendus, sed tantum aliqua portio unius lateris ipsius. Ut autem sutura illa commode fiat, debent vasa spermatica, quæ in isto processu sunt, ad unum latus illius processus seu meatus abduci, nempe ad latus quod non debet sui, ne ab acu pungatur. Tunc portio ejus quæ superflua est in laxitate debet apprehendi, & attolli, & conjuncta una cum labris vulneris, aut cum ipsa cute sui cum filo serico, cujus extrema extra vulnus pendeant. Sutura facta, tam diu æger in lecto detinendus est, donec filum putrescat, tunc in locum suturæ à natura generatur callus. Callus, in illa portione superflua laxitatis ipsius processus productus sit, ut ille processus fit

sit strictior, & quia sic strictior factus est, fit, ut omentum, & intestina per ipsum non possint amplius decidere, callo nempe transitum impediente. Verum quia totus processus non est sic sutura, nec callo occlusus, sed tantum portio ejus, quæ erat superflua in laxitate, aliqua vero portio ejus est relicta, & non consuta, & consequenter, in ea callus non est factus, ideo per illam possunt vasa spermatica libere transire; Ergo per hanc operationem hoc efficitur, ut ille processus peritonæi pro tanta solum portione restringatur, pro quanta erit nimis laxus, quo fit, ut hernia careatur, & tamen seminariis vasis transitus non impediatur, atque hi sunt aurei puncti, omnium herniæ sectionum modi.

Modo quæritur, an hæ sectiones in viris tantum, an vero etiam in mulieribus locum habeant? Videtur enim, quod non habeant locum in mulieribus; quia hæ sectiones maxime sunt pro hernia scroti, ea autem mulieres non laborant. Secundo omnes hæ sectiones sunt pro hernia, quæ fit ab omento, & intestinis incidentibus per illa foramina peritonæi, quæ sunt in inguinibus, per quæ vasa spermatica extra peritonæum ad testes extra corpus pendentes feruntur, & sic tantum pro illa hernia, quæ fit ab omento & intestinis in processum illum peritonæi à dictis foraminibus ortum habentem, & usque in scrotum, per modum canalis pendentem, decidentibus: atque illa foramina peritonæi, & illi processus non videntur in mulieribus esse; Ergo illis hæ sectiones, quæ pro tali hernia fiunt, non videntur locum habere. Quod talis processus, & foramina in mulieribus non sint, docet Versalius c.2.l.5. & ratio videtur suffragari; quia illi processus, & illa foramina tantum sunt facta, ut per eos deducantur vasa spermatica, extra corpus ad testes, quia testes earum interius latent, ergo non sunt in iis foramina illa aut illi processus. Verùm respondeo Vesalium in eo errasse, ut Colimbus, Fallopius aliique notaverunt, quod mirum est, & ideo dico in mulieribus etiam illa foramina & illos processus peritonæi esse, verum per illos non deferuntur in eis nec spermatica, nec deferentia vasa ad testes, sed uteri musculi, cremasteres, & sic quia illos processus & foramina etiam habeat, ideo quoque in eis hernia illa, quæ ab omento & intestinis, in illos processus delabentibus, fit, contingit, quæ hernia in illis, tamen non est hernia scroti, cum scrotum non habeant, sed tantum, hernia inguinis. Verum cum hernia inguinis eodem modo, & ab eadem causa fiat qua hernia scroti, & hæ sectiones etiam in hernia inguinis locum habeant, etiam hæ sectiones in curandis mulierum herniis locum habent. *Thom. Fienus de præcipuis Artis Chirurg. controversiis.*

De Herniis sic scribit Clariss. Anton. Nuckius in suis Experimentis De Herniâ Umbilicali.

Vasis ombilicalibus infantis, jam in lucem editi, minùs bene ligatis, aut non ita ut decet, compressulis & umbilicali vinculô munitis, sanguis motû particularum intestinô, vasorum latera tantopere distendit, ut Umbilicus inde generetur admodum deformis, membrum potiùs virile referens, quàm Umbilicum.

Aliquando ab iisdem causis, quibus Enterocele ortum debet, Peritonæum extenditur vel dilatatur, idque quidem eo in loco, ubi in abdomine concursus vasorum umbilicalium conspicitur. Hinc flatus, vel Omentum, vel Intestini ilei portio umbilicum subit, eumque distentum repræsentat.

Leviori itaque digitorum compressione, Umbilicum distendentia versus Abdominis cavum (quod facili communiter peragitur negotio) propellantur, Umbilicoque prominenti jam compresso, *Emplastrum ad Rupturas* unâ cum lamina plumbea, vel corii crassiusculi particula, cum linteo ter quaterve duplicato, fasciæ ope jejuno ventriculo applicetur, eoque in statu contineatur tamdiu, donec fibræ Umbilici viciniores contractiores redditæ, umbilici procidentiam impediant.

Hisce nihil juvantibus, Umbilicus comprimendus, & vicina Abdominis cutis portio levioribus scarificationibus vulneranda, labiisque vulnusculorum Emplastris Glutinosis adductis, ad cicatrices perducenda erit, ut ita fibræ laxiores ante, jam contractæ, Umbilici prominentiæ obstent.

Si verò nec his cedat malum, ultimum refugium erit (propulso in Abdomen intestinio aut omento) Umbilicum prominentem, filo serico triplicato cerâ obducto, decenter ligare, ligatumque extra ligaturam resecare. Hæmorrhagia resectionem subsequens, *Vitriolo Cyprino* sistitur; quâ sedatâ, leviori styptico unà cum Emplastro applicato, fili separationem, Umbilicique consolidationem brevi sperare licebit.

In adultis autem & corporibus cachecticis ab hac Operatione manum retrahe.

In obesis *Hernia umbilicalis* notabile aliquando sumens incrementum, nullo melius & rectius comprimitur, quàm (apposito prius cerato) Cingulo umbilicali ex linteo duplici gossipino parato, quod ea parte, quâ umbilicum tegit, scutum duriusculum obtinet, in cujus centro prominentia apparet, quæ in dilatatum Umbilicum sese insinuando Intestini, omenti, flatúsve exitum prohibet: quale Cingulum describit *Scultetus in Armamentario.*

Quod si relaxato aut neglecto Vinculo, vel alia de causa ex improviso major intestinorum portio Umbilicum subeat, & excrementa in eadem hærentia justò duriora restitutionem impediant, Umbilici cutis erit incidenda, & dilatato foramine intestinum reponendum.

De Hernia Inguinali.

Non rarò casu, saltu, ponderis gestatione, vomitu enormi, tussi gravi, motuve corporis vehementiore, intestina versus inguen prolabuntur, unde Herniæ species oritur, quæ *Bubonocele*, *Enterocele* sive *Hernia intestinalis* appellatur.

Hæc autem vel uno ictu & actu derepentè, vel sensim producitur. In priori casu lacerum, in posteriori verò relaxatum & extensum esse Peritonæum, sunt, qui asserunt; nos verò in utroque casu relaxatum solummodò invenimus.

Ubi repentè oritur, & intestina prolapsa durioribus fæcibus flatúve distenta conspiciuntur, intestinum illicò restitui debet, quod si negligatur, funesta symptomata, dolor videlicet atrox, excrementorum vomitus, inflammatio, gangræna, & subitanea mors plerumque subsequuntur.

Hoc itaque in casu æger supinus, capite declivi; genubúsque sursum protrusis, collocandus; quo modo suâ sponte prolapsum intestinum aliquando introrsum recedit aut leviori manus compressione in Abdomen repellitur.

Si verò flatus aut excrementa obsint, lene aliquod alvum laxans offeratur, aut Clyster emolliens injiciatur.

Quibus nihil juvantibus sequens applicetur cataplasma:

℞. *Radic. Alth.* ℥ ij ß.
Herb. Malv. Mj.
Violar.
Parietar.
Flor. Chamomill.
Melilot. aa. M. ß.

Furfuris Mj.
Coq. ex Aq. Comm. factâque Expressione; Adde
Farin. Hord.
Fabar. aa. ℥ij ß.
Lini ℥iß.
Ol. Rosar.
Lilior. alb. aa. ℥j.
F. Cataplasma calidè applicandum.

Balnea ex Lacte dulci, Aq. commun. in qua Herbæ emollientes sunt coctæ, ut & linimenta varia externè calidè applicata, magnum habent usum.

Intestino jam restituto, *Emplastróque styptico Crollii*, aut ad *Rupt. Fernel.* applicato, fasciis vinculisque commodioribus, tamdiu detinenda intestina, usque dum Peritonæum aut consolidatum, aut corrugatum fuerit, quod in infantibus ferè semper felici peragitur successu.

In adultis sæpe periculum in mora, potissimum ubi præscriptis medicamentis intestinum non statim restituitur, hinc Manus Chirurgica sequenti methodo Operationem aggrediatur, maximopere erit necessarium.

Ægro decenter collocato, cutisque incisione factâ, extensum Peritonæum, quod intestinum includit, in conspectum prodit, quo itidem inciso, intestinum sensim & prudenter repellendum. Nonnunquam tamen partes trium musculorum Abdominis tendinosæ, transversalis scilicet, obliquè ascendentis & descendentis (quæ in linguine angustum quasi hiatum formant, ut via, sed obliquâ, Vasis Spermaticis transitum præberent) adeo angustatæ sunt, ut sine illarum dilatatione intestinum restitui non possit. Ad viam itaque hanc dilatandam, *Specillum Excavatum* intromittunt, factâque hiatûs incisione, intestinum in abdomen propellunt. Cavendum interim ne intestinum lædatur, nec incisio nimium extendatur, cùm alioquin facilè vas aliquod arteriosum lædi posset. Tutius idcirco erit annulum digito eo usque dilatare & expandere, ut intestinum prolapsum reponi possit. Si verò contingat, intestinum aëre in tantam molem esse distentum, ut commodè restitui non possit, variis in locis subtiliori acu erit perforandum.

Reposito itaque, ut dictum, intestino, hiatus, ad cicatricem fortiorem obtinendam in circumferentia scarificandus, vulnerique turunda vitello ovi illita immittenda, & applicatis plumaceolis atque compressis deligatio instituenda.

Aliquando eodem modo ac intestina, Omentum prolabitur. Qui affectus, Hernia Omentalis sive Epiplocele appellatus, minus est periculosus, ideoque ad aliquot annorum spatium sine notabili incommodo patientes eundem ferre possunt. Alioquin factâ, ut ante Peritonæi dilatati incisione, & ligatura prius injectâ, omenti prolapsi resectione, haud ita difficilè restituitur patiens.

De Puncto Aureo.

Præcedenti Operationi commodè annectitur illa, quæ *Punctum Aureum* dicitur, quæque instituitur, quando intestinum restitutum continuò iterum in scrotum prolabitur. Ægro itaque ut decet locato, & intestino, cutis incisione factâ, ad interiora propulso, instrumento separatorio obtusiori, aut unguibus Vasa Spermatica unà cum extenso Peritonæo (quod hic vaginæ instar sese habet) à vicinis partibus separanda, acuique *filo aureo* instructa per ipsius vaginæ latus prope inguen, illæsis Vasis Spermaticis, transmittenda, filumque eo usque adducendum, ut vià hoc modo angustatâ intestinum prolabi non possit. Non tamen nimis constringendum filum, ne simul Vasa Spermatica constringantur, sanguinique per ea circulanti via præcludatur. Factâ constrictione fili extremitates Forcipis ope intorquendæ, ut cuspidibus suis partes vicinas, ipsúmque processum, sive Peritonæum extensum lædere non possint.

Præter dictum filum, alio Serico quadruplicato, aut Lignâ lineâ, cujus extremitates extra vulnus pendulæ relinquuntur, paulo supra Aureum ante nominatum, processum constringere aliquando solent, ut hoc modo Peritonæum ampliatum angustius reddatur, intestinúmque alias prolapsurum, duriori attactu patienti principiò nec molestiam, nec dolorem creet.

Quo facto Turunda Digestivo quodam oblita immittitur, & appositâ Compressâ Vino albo calido imbutâ, unà cum Fascia vulnus ad cicatricem perducitur.

Hæc tamen Operatio in adultis tantùm locum habet; Infantes enim Fasciarum aut Bracheriorum ope haud difficilè restitui possunt.

De Testiculi Extirpatione, sive Castratione.

Si præcedenti methodo institutâ, minus certa videatur Operatio, vel Testiculorum alter corruptus, Scirrho aliquo canceroso, aut excrescentiâ carnosâ obsessus fuerit, affectum Testiculum simul & semel auferre, tutissimum erit remedium.

Ægro itaque firmiter ligato, quo minus se movere queat, Chirurgus, factâ incisione lentè processum separet, eumque unà cum tunica vaginali (cui Testiculus includitur) ex scroto extrahat, & acum, filo serico fortiori & cerato instructam, prope inguen per processum traducat, traductam bis circumducat, arctè contrahat, & nodum duplicatum (ne decidat) imponat, fili verò extremitates extra vulnus propendere sinat. Tutius autem ut succedat Operatio, alterum filum paulo supra primum circumducat; Forfice denique Testiculum abscindat, vulnúsque ut suprà dictum obliget.

De Hernia Aquosa.

Non rarò contingit aquarum mole Scrotum aut ex parte aut in totum mirificè distendi; quæ distensio vel Ascitem vel Vasa Lymphatica Testium disrupta, antecedentem causam agnoscit.

Dignoscitur hic affectus ex tumore, & transparentia, nonnunquam dolor quoque adest. Si Ascitem concomitatur, manè nonnihil Serotum detumuisse apparet: Si verò à Testium Vasis Lymphaticis disruptis originem ducit, Serotum æqualiter distentum manet.

Hæret autem aqua vel inter Scrotum & Tunicam vaginalem, vel vaginalem inter & albugineam.

Præmissis generalioribus quibusdam internis remediis, externa quoque conducunt, inter quæ primum locum obtinet *Radix Bryoniæ* contusa, & *Spiritu Vini* irrorata calidè admota. Vel Fotus & Cataplasmata ex Cephalicis, calefacientibus & penetrantibus parata. Vel seq. Empl.

℞. *Emplastr. de Cumin.*
Melilot.
Ranis cum
Merc. aa. q. s.
M.

Quibus nihil juvantibus, ad manualem Operationem confugiendum, quæ triplici instituitur methodo: *Acu* scilicet, *Lancettâ*, & *Canterio Potentiali.*

Galli

Galli Cauterio magis, quàm Nostrates utuntur, tutiùsque Acu Operatio peragitur. Vulgatissima namque methodus est, quæ Lancettâ absolvitur.

Factâ Lanceolæ ope incisione, aqua statim rivulosè prodit, quam (si in ipso Scroto extravasationis ejus causa lateat) simul & semel extrahere licet: Si verò ab Ascite originem trahit, prudenter procedendum, partitisque vicibus aqua evacuanda erit.

Ubi inter tunicam vaginalem & albugineam aquæ collectio observatur, lancetta intimiùs erit adigenda, alioquin ne guttula aquæ exiret.

Evacuatione peractâ, vulnus, immissâ turundâ &c. ad cicatricem perducere oportet.

Quòd si vas lymphaticum, semel diruptum, inductâ cicatrice denuò lympham eructet, singulis sequentibus annis semel operationem reiterare licebit, quemadmodum tales novimus, in quibus eum successû quotannis instituitur. Si verò operationem toties repetendam, ægrè ferat patiens; testiculus necessariò extirpandus erit, quô ablatô lymphę stillicidium certò cessabit.

Consultationes.

De dolore colicô & herniâ Bubonocele. Prò Illustrissimâ Matronâ Anglâ.

Dolor ille, quem à multis annis in ventre inferiori non raro recurrentem patitur. Nobilis Matrona cum nausea, vomitu, & adstrictione alvi, quinque aliquando annorum habet tumorem insignem in inguine dextro, eumque valdè dolorificum, & insensibiliter evanescentem, alius non est, quàm colicus, excitatus à flatibus in intestino colo conclusis, & præsertim in regione ejus dextra, ubi factâ peritonæi dilatatione, ex prolapsu intestini ilei, illa herniæ spuriæ species suboritur, quam Græci bubonocelen vocant, quæque plurimum sponte subsideret, ubi primum flatu discusso, inopinate recurrit in naturalem situm. Flatulentaque hæc materia elevatur ab humoribus crudis in ventriculo genitis, imbecilliore reddito cum ob errores præteritos, tum & magis ob intemperiem frigidam, & humidam ejusdem ventriculi.

Affectus equidem curatu difficillimus, cum sit antiquus, & confirmatus, qui propterea, nisi congruis remediis occurratur, vel in siccum hydropem desinet, ex Hippocrate 4. Aph. 11. vel in paralysin, populis Transmontanis familiarem: vel Iliacam saltem passionem, propter nauseam, & vomitum in dies graviores factos. Propterea medicis præsidiis tentandus est.

Ac proinde præmissâ universali corporis expiatione blandioribus lenientibus, præparantibus, & purgantibus, attenuandi, incidendi, & evacuandi sunt humores peccantes, flatus discutiendi, ventriculusque & intestina calefacientibus sunt corroboranda variis præsidiorum materiis.

Propterea si nobilis Patiens hæserit Patavii, totum hoc negotium absolvetur aquis Thermalibus, primo Terrentianis, cum melle ros. sol. triduum assumptis. Hæ etenim sua salsedine attenuabunt, detergent, & evacuabunt materiam peccantem per alvum; deinde aquarum Aponitanarum interno usu, & externo forma stillicidii administratis: discutiunt enim flatus, & intemperiem corrigent, calefaciendo, & exsiccando. Quod si alibi locorum curæ Medicorum se commiserit, tunc decoctum præscribi poterit, præmissâ semper universali purgatione, quod parabitur ex sassafras, tamarisco, seminibus fœniculi, dauci in iure Galli junioris saliti, præmisso bolo ex castoreo, & Theriaca antiqua, interpositis clysteribus attenuantibus, detergentibus, & & discussoriis ex melle ros. sol. electuario de benedicta laxativa & de baccis lauri, cum oleo rutaceo, & decoctione cymini, fœniculi, utriusque centauri., & florum chamæmeli. Conferet quoque summopere familiaris usus specierum Hieræ simplicis, & aliquando Hieræ Archigenis, cum castoreo, additis à proprietate juvantibus; qualia sunt intestinum lupi exsiccatum, avis Galerita usta, & in cinerem redacta, ad unc. 1. hac tamen lege, ut ligaturam sibi curet parari herniosis familiarem, cujus beneficio compressa continuo detineatur dextra pars, quæ intumescere solet, metu scil. volvuli, à quo præsens imminet periculum, si ea solutus fuerit. Pro ventriculi corroboratione vinum generosum absinthites, ex usu erit; vel aqua vitæ, cum cinnamomo, si buccella panis prædictis intincta summo mane singulis diebus sumatur, mensis circiter spatio, & alvus continue lubrica servetur pilulis de hiera cum agarico.

Cęterum congrua victus ratio instituatur, omissis placentis, lacticiniis, limacibus, piscibus palustribus, aliisque omnibus flatulentis, & crassi succi, ac difficilis coctionis. *Bened. Silvaticus Consil. & Respons. Med. Cent. iij.*

Dè Herniâ Sarcocele, Tumore lienis, & Dolore ad os Coccygis. Pro spectabili Mercatore Vicentinô.

Ingenuus juvenis, temperamenti calidi & sicci, gracilis, octo abhinc annis gonorhœa virulenta menses aliquot laboravit, quæ alexipharmaco extincta, aliud nullum symptoma Gallicum ab eo tempore se prodidit. Nunc vero de tribus aliis potissimum affectibus sunt querelæ, tumore scil. insigni, duro, & doloris experte in hypochondrio sinistro, in totum fere inferiorem ventrem diffuso, & quidem à pueritia, minori licet. Huic accessit ab anno tumor alius in inguine sinistro, propagatus ad sinistrum testiculum, qui sensim ad magnitudinem ovi anserini excrevit, dolorificus antehac, attollens se, & subsidens, nunc vero consistens, durus & doloris expers. Accedit & dolor ab eo tempore in articulo sinistri femoris, mox circa os coccygis, ubi nunc continuò eum torquet, licet non acutus, invalescens tamen per vices, cum potissimum equo vehi cogitur. Copiosa insuper illi fuit elapsis annis exputitio materiæ aquosæ, quæ nunc omnino fere nulla est.

Ex enarratis constat tres esse partes affectas, lienem scil. Testiculum sinistrum, & postremas dorsi vertebras; quarum & varii sunt affectus. Lien siquidem afficitur tumore scirrhoso, duro, doloris experte, ad inferiora declivi, amplo, totum fere abdomen obsidente; qui sicuti in pueritia ortum habuit ab heterogenea materia, crassa, & melancholica, à febre diuturna superstite, & cruditate puerilibus annis coacervata, ob errores in victu, ita nunc sensim adeo excrevit, & continuo hujusmodi materiæ pituitosæ & melancholicæ confluxu, ut in scirrhum verum, & legitimum obduruerit; ad inferiora declivem; ea mole, & amplitudine quaqua versum, cujus Hipp. meminit 2. in 6. Epid. 34. his verbis: Lien durus, non superius, sed inferius, latus crassus; ut propterea non comprimat diaphragma, ac proinde respirationem gravem non efficiat, sed decumbente saltem ægro in latus dextrum, pondere quodam sit molestus. Testem autem sinistrum tumor occupat carnosus, sarcocele à Græcis nuncupatus; vel potius scirrhosus, amplus, ad lividum vergens, ab hujusmodi materiæ heterogeneę decubitu, per vasa spermatica ad partem affectam; præpollente tamen melancholia, ut ex colore patet. Dolor tandem

primo iſchiadicus ; mox circa extremam ſpinam, ſeu os coccygis, cauſam habet catarrhum, à capite calido & humido ad partem affectam ex frequentibus equitationibus imbecilliorem decumbentem : qua prorſus ratione Hipp. ævo Scythis contigit, iſchiadi opportunis ob equitationem continuam.

Quorum affectuum alii ſunt incurabiles, alii difficillimæ curationis ; quam alii admittere poſſunt. Incurabilis eſt ſcirrhus lienis ; quippe antiquus, & confirmatus, ex Gal. 2. ad Glauc. 4. ubi de Scirrho ; nec ſolum incurabilis, ſed hydropem quinetiam minatur, ob conſenſum jecoris. Non tamen propterea medicis præſidiis ſuperſedendum, præſervationis ſaltem cauſa.

Præmiſſa itaque totius evacuatione, uſurpanda erunt emollientia, attenuantia, & ſenſibiliter, ac inſenſibiliter evacuantia, quorum ope dolori quinetiam coccygis occurremus, ratione autem ſarcoceles putreſacientibus, & ſenſibiliter evacuantibus utemur.

Leniatur autem alvus melle roſ. ſol. & ſyrup. de polypodio compoſito, cum decoct. cord. Præparentur humores oxymel. ſimpl. ſyr. de pomis, & melle roſ. ſimplici, cum decoct. betonicę, fumarię, lupulorum, agrimoniæ, & cetrach. cum decoct. betonicæ, fumariæ, lupulorum, agrimoniæ, & cetrach. Purgentur demum agarico trochiſc. & foliis ſennæ ; in decoct. cord. infuſis, addito ſyr. de polyp. compoſ. & manna electa. Repetatur mox ipſorum præparatio validioribus attenuantibus, incidentibus, & emollientibus, puta ſyr. de fumaria compoſito, de pomis compoſito ; & byzantino cum aceto, addita decoct. radicum fœniculi, aſparagi, corticum radicum capparum & althææ, præmiſſa drachm. 1. ammoniaci, boli forma, aſſumpto alternis diebus decocto epithymi Meſues loco prædictæ decoctionis : quorum uſus erit novem dies. Repetatur tandem purgatio extracto hellebori nigri, confect. hamech. & elect. lenitivo. A quibus jus galli antiqui ex uſu erit, ſic paratum.

℞. Corticum radicum capparum, fraxini, aſparagi, an. unc. ſem. radicum enulæ campanæ, fœniculi, malvæ, an. unc. 1. ſeminum cardui ſancti cymini an. unc. ij. incidantur incidenda, contundantur contundenda, & immittantur in ventrem galli antiqui, flagellati, deplumis, & eviſcerati, atque decoquantur in libris xij aquæ fontis, & tribus libris aceti, lento igne, ad perfectiſſimam carnis cocturam, addito ſplene bovis minutim conciſo; factaque forti expreſſione, ſubſidentia, & colatura ſervetur ad uſum ; cujus ſingulis matutinis horis aſſumantur unc. v. cum decem guttulis chalybis potabilis, præmiſſa drach. 1. ammoniaci, viginti dierum ſpatio ; uſurpatis interim clyſteribus ex craſſiori juris parte, cum mel. roſ. ſolut. oleo chamęmel. & decoct. carminativa ; præſcripto exercitio duabus horis ab epoto jure ; atque applicato lieni cerato ex ammoniaco diſſoluto cum aceto & ſucco herbæ reginæ. Cui parti apprime quinetiam conferrent luta emollientia Divi Bartholomæi in agro noſtro ; vel ſtillicidium ex oleis chamæmel. anethino, liliorum, rutaceo, & laurino. Ceratum Rhaſis item 7. ad Almanſorem, omnibus ſcirrhis accommodatiſſimum, ſic paratum.

℞. Bdellii, ammoniaci, galbani an. partes æquales, oleo irino, vel liliorum alb. emolliantur in mortario calido ; deinde adde mucilag. fœnugr. & ſem. lini, ad pondus omnium, atque additis caricis pinguibus, fiat emplaſtrum, applicandum præmiſſo ſomento ex decocto malvæ, althææ, & fœnugræci. Sudor autem tunc temporis excitari poterit in aquis Thermalibus, vel in fovea, ad umbilicum, uſquequo diſcutiatur materia in extrema ſpina impacta ; applicato deinde cerato ſacro, vel citrino. Sarcocele item difficillimæ eſt curationis ; ad quam nihilominus commendatur quammaxime à Matthiolo radix ononidis pluribus menſibus aſſumpta : cui tamen præferrem curationem Hieron. Fabricii ab Aquapendente, libro primo ſui Pentateuchii Chirurgici cap. 29. ut nempe altius pateſiat tumor in medio ſcroto, dummodo herniæ carnoſæ accedat aquoſa, ac deinde immittatur turunda longior, medicamento pus movente oblita, puta Terebinthina, cum thure, ovi vitello, & butyro ; ſuperaddito emplaſtro de meliloto, vel diachylo, primo cum butyro, ſeu de pinguedinibus, mox ex gummi parato, idque plures dies, abſque puris evacuatione. Hoc enim citabit pus, atque ita per partes putreſcet tota caro ſuperflua ; exſiccata deinde, & cicatrice obducta parte. Quod ſi non obſervatur aqua, ſuperſedendum erit operatione illa ; ſiquidem ſive ſecto fiat, ſive non, res periculi plena eſt, ſolaque perforatio gangrænam inducere poſſet. Atque hæc in medium attuli, patientis precibus potius ſatiafacturus, quàm de ægri valetudine ulla ſpe concepta. *Idem ibidem.*

De Herniâ Enterocele. Pro Nobili Raguſeô.

Tumor ille, quo laborat generoſus patiens in inguine dextro ſex abhinc menſibus, alius non eſt, quàm qui a Græcis κήλη, à Latinis verò Hernia nuncupatur. Cujus cum plures aſſignentur differentiæ, epiplocele ſcil. ſarcocele, hydrocele, phyſocele, & enterocele ; pro varia materia eam producente, omento ſcil. deſcendente ; vel carne adnata, aqua, flatu, vel inteſtinis ipſis ; hæc ſpecies enterocele cenſenda eſt ; cujus utpote cauſa eſt inteſtinum extra peritonæum protuberans, in eam quandoque molem, quę manum compreſſam æquet. Eſt tamen imperfecta ; inteſtino non prolabente in teſtem, vel ſcrotum, ſed hærente in inguine : quo nomine à parte affecta, bubonocele nuncupanda venit.

Cujus cauſa eſt flatuum, & humorum pituitoſorum copia ; qui antehac in ventriculo coacervati, ejus dolorem, nauſeam, & vomitum induxerunt ; atque ad inteſtina, & peritonæum decumbentes, hoc potiſſimum dilatato, & laxato, illapſum inteſtinum ad inguina, tumorem in eo excitarunt, dolorificum, ac ſenſim increſcentem ex inceſſu ; quod ſane non contingeret, ex rupto peritonęo ; quinimo inteſtinum confertim protuberaret, nec tanto cum dolore. Cauſæ autem producentes hanc pituitæ copiam, ſunt errores in victus ratione ; cum decubitu materiæ catarrhalis à cerebro humido ad ventriculum ; quæ vero eandem in ventriculo genitam ad inteſtina propellunt, ſunt magno conamine concitatus vomitus, exercitia violenta, & equitationes, verbo, errores externi.

Quæ cum ita ſe habeant, quoad eſſentiam, & cauſas præſentis affectus, ſi de prognoſtico ſermo ſit ; quanquam herniæ in adultis plerumque ſint inſanabiles ; de hoc tamen in bona ſpe ſumus ; nec difficili forſan negotio, cum quia recens eſt, tum quia imperfecta, tum potiſſimum, quia levis, tumore vix conſpicuo, compreſſo licet ſpiritu, tuſſi excitata, & adhibitis aliis conatibus, ſoluto cingulo ; quanquam ſenſim excreſcat, cum aliquandiu ambulavit diſcinctus patiens.

Curatio autem in eo ſita eſt, ut exſiccetur, adſtringatur, & roboretur pars affecta, prohibeatur generatio materiæ, quæ illuc confluit : ; vel ſaltem alio divertatur ; præmiſſa totius cura, exigente uſu : quod ideo monemus, quia fortè abunde fuerint externa, & quidem leviora præſidia.

Nunc

Nunc itaque sufficiet, ex medicis præsidiis, ceratum adstringens magistrale, quod hic prostat, parti affectæ applicatum, obductum membranæ pergamenæ, acero imbutæ, superaddito cinguio, continuo gestando, cum accommodata victus ratione, in qua abstineat ab omnibus cibis flatulentis, & crassi succi, quales sunt placentæ, legumina, brassicæ, lactaria, rapæ, castaneæ, carnes bubulæ, leporinæ, suillæ recentes. Vina item crassæ substantiæ, & recentia, aliaque hujusmodi. Quorum loco pane oratur condito fœniculo, aniso; & carnibus avicularum, cum cydoniis, vel diacydonite vel saccharo rosaceo, aut aliis hujus census cibis facultate adstringente pollentibus; idque duos, aut tres menses. Quod si eo temporis spatio non cedat affectus, ad generosiora deveniendum erit, depromta ex Chirurgia, & Pharmacia, una cum recta victus ratione præscripta.

In Chirurgicis convenit missio sanguinis ex vena communi dextri brachii; commendatur & fonticulus in brachio sinistro; & si postulet usus, inustio partis affectæ, ad validiorem ejus exsiccationem, & roborationem, quod tamen fiet irritis cæteris.

Ex Pharmacia, leniatur alvus electuario lenitivo, & speciebus hieræ; vel melle rosaceo solutivo, & manna. Præparentur humores syrupo de mentha, de betonica, & oxymelite simplici, cum decoctione betonicæ, menthæ, seminum citri, & cichorii. Purgabitur demum corpus medicamento jam præscripto; addita portiuncula agarici, & rhabarbari. A quibus utatur quatuor dies aquis Tetutianis, ad libras quinque, cum melle rosaceo solutivo. His peractis, localibus internis & externis demum locus erit. Interna erunt decoctum ex radice chinæ, salsa, & visco quercino, addito polygono, consolida minore, baccis myrti, & cupressi, cum foliis plantaginis, rosarum, & portulacæ: cujus usus erit semel in die, horis matutinis, ad uncias sex; præmisso bolo ex pulvere radicis sigilli Salomonis, valerianæ, mumiæ, & chalybe: tenuissime pulverizato, exceptis syrupo de ribes, citato tunc sudore, cum tenui victus ratione, & continuo decubitu triginta & quadraginta dies. Extrinsecus parti affectæ applicabitur ceratum ex mastiche, olibano, sarcocolla, sanguine draconis, mumia, & limatura chalybis, cum aceto, & albumine ovorum, commendatque Ætius globulum ex charta pergamena in aceto macerata, supra partem affectam continuo gestatum, non neglectis caputpurgiis, & lotionibus capitis ex lixivio dulci alterato betonica, agarico, salsa, stœchade, rorismarino, rosis, & corticibus granatorum.

Victus autem ratio sit superius præscripta. Quibus ad amussim observatis à Nobili Patiente, pristinam valetudinem ipsi spondere audemus. *Idem ibidem.*

Hernia ad Scrotum.

Adolescens XX. annorum, temperamenti sanguineo-phlegmatici, habitus mollioris, cum ante biennium motu fortius agitatus & certatim fossam quandam transiliendo fatigatus esset, domum redux sentit in scroto præter gemellos testes tumorem quendam indolentem sinistro latere emergere, primum magnitudine castaneæ, hinc nucis, imo pomi majoris, cum movendi imminuta promptitudine; inde studiis diligentius operam navans rarius motu digessit corporem, cibis delectatus grossioribus, brassicæ, carnium infumatarum, suillarum, leguminum, esu, sola fere cerevisia contentus, neque corpus æque à frigore defendens, sentit à pastu ordinarie dolorem gravativum abdominis, ad locum affectum protensum, inde vero tumor magis inflatur, cum tensione & torminibus circa umbilicum, nec prius conquiescit, quam desidendi vel decumbendi quoque detur occasio. Dolores iidem à diutina sessione & corporis inclinatione ac motu continuato, tumor vero ab iracundia vel motu increscit. Decubitu longiori retrocedit & quasi nullus est tumor, extraverso vero & caput quandoque dolet. Petit Consilium.

Affectus, historia præsenti expressus hernia est, generali nomine, speciali ὀσχεοκήλη, seu hernia scroti dicta, quo ipso ab omnibus aliis speciebus, sub uno eodemque genere militantibus, distinguitur. Uti enim hernia, si latinam significationem, Sabinis debitam, spectemus, durum, monticulosum & asperum notat, proprie hoc loco in abdomine, in proprie paulo in gutture ubi bronchocele audit; sin originem græcam, ubi ramum significat, qui videtur quasi protrusus à trunco, res eodem recidit. Sic utrumque hic visitur, tumor durus idemque aliunde velut ramus protensus.

Omnis hernia nomen sortitur vel à subjecto, vel prædicato, quo ipso differentiæ specificæ consurgunt & internoscuntur statim. In nostro casu dum herniam scroti, seu enterocelen dicimus, ab hernia quacumque locali alia, non minus ac duritiei modis, ut hernia aquosa, carnosa, flatulenta, varicosa, vel ipso nomine fit distinctio. Id vero ut ad diagnosin sic ad prognosin & curationem quoque multum facit. Ruptura adest, ut Latine alias vocatur ruptura vel in continuitate, vel in contiguitate, ruptura partis continentis προπτώσεως.

Demonstrant id ex usitatis fontibus signorum I. Essentialiter Inhærens, seu παθογνωμονικὸν, tumor mentiri nescius, isque in se indolens & subitaneus, testibus gemellis contra in sinistro latere exortus, de quo & hic valet, ubi tumor, ubi dolor, ibi morbus.

II. Essentialiter Consequentia symptomata idem confirmant, potissimum ex actionibus læsis animalibus, seu imminutam movendi promptitudinem, seu dolorem gravativum ordinarie à pastu ad locum affectum protensum, seu abdominis circa umbilicum tensionem & tristem sensum, seu hoc ipsum quoque circa meninges capitis expressum spectemos.

III. Causæ prægressæ subscribunt, & præ aliis quidem saltus intempestive institutus & frequentatus, cibi item grossiores & flatulenti, corporis infrigidatio & alia.

IV. Similitudo denique ultimum momentum addit, cum tali modo decumbentes hoc affectu laborare lippis quoque & tonsoribus notum sit.

Subjectum hujus morbi est scrotum, si quidem herniam ut tumorem reputemus, illud enim intumescit, sicque in dimensionibus suis augetur.

Est vero & scrotum de horum genere, quæ ut membranea contrahi & corrugari, hinc & dilatari possunt & solent pro modulo contentorum, qualia quidem in aliis varia occurrunt.

Sin subjectum causæ lustrare velimus, non aliud nisi peritoneum est, ejusque processus lateralis sinister. Proprie enim scrotum est subjectum recipiens, cum tumor præsertim hic non sit immanens, non substantiæ scroti proprius, sed transiens, pro illapsu ponderis vel egressu.

Subjectum Adæquatum sunt intestina, proxime huic loco accumbentia & ordinarie ab his thermopylis seclusa, uti per mechanicam quoque notum est,

est, per minores canales concedi posse transitum peculiarem, citra adapertam portam pro aliis quibuscunque. Hic verò ampliori concesso spatio & pondere suo prolabuntur mox intestina, & eodem ampliant sibi spatium, cumprimis & ipsa magis exposita. Nominandum speciatim hinc Ileum, quod & longissimum omnium & lubricitate magis ad exitum pronum, &, quod palmarium est, accubans huic regioni; Illud enim excidit, citra ullam προαίρεσιν quod proximum est, trudentibus vel cedentibus quoque superioribus.

Locus illapsus est processus peritonæi, quo mediante communicant cum reliquo corpore testes, extra mœnia quasi publica locati, latis illuc vasis spermaticis, & communi speciei usui & proprio testium dicatis. Processus concedit transitum his canalibus, & per accidens quoque intestinis, facta hic locorum læsione particulari, nam & plura alia dantur, & vicina inguina etiam in viris, ut ut minus constantem, ramicem sustinent non raro.

Causa Immediata est decubitus Intestinorum laudatus. Omnes siquidem tumores materiale aliquod possident, quod velut causa continens eosdem fovet, quo ablato tolluntur & ipsi. Triplex talis cum esse possit materia, fluida, vaporosa & solida, posterior hoc loco accusanda est. Omnis enim tumor fovetur ab intestino huc delabente, idque immediate.

Causa mediata Proximior est extensio peritonæi inæqualis, Extensionem vocamus, ut sic satis fiat, quibus vel ruptura, vel relaxatio saltim in causa videtur. Medium hoc aliquod est præcipue morbo conveniens, & utrumque complectens. Nunquam fieri potest hernia citra extensionem, eamque inæqualem. Inæqualitas hæc proprie herniam facit, seu protuberantiam; in statu enim naturali æqualiter obtensum undique, visceribus infimi ventris visitur. Sique extensio fiat æqualis, sive per ætatem, exemplo adultorum, seu per morbum, exemplo hydropicorum, nulla fit hernia. Ubicunque vero inæqualitas talis manifesta in extensione observatur, ibi eadem sedem suam figit, seu in umbilico, seu inguine, seu scroto, seu aliis quoque his illis abdominis partibus.

Ita enim cessat munus hoc non infimum membranæ hujus, quo integumentum est proprium intestinorum, quod cum musculis cum habeat commune, hic illi extra omnem culpam sunt, tum aliis in spatiis definitis, relaxatis & inæqualiter tensis eorundem fibris membraneis, tum in nostro casu inferius ad pubem, quorsum & moles intestinorum reclinat magis, & ad exitum vasorum pro testibus perforatio datur.

Liceat speciatim & musculos laudare pyramidales, quorum usus inter alia est firmare basin musculorum reliquorum & una processus peritonæi, ne tam facile laxentur vel tendantur.

Inæqualis extensio est tum absolute & considerata in se, ibi facta, quorsum tendentium aliorum vis incubuit, tum respective. Consentiunt enim in hoc anatomici & medici, disrumpi in hernia hacce tunicam peritonæi interiorem, externam vero duntaxat relaxari. Id omne extensio inæqualis supplet & comprehendit.

Mediatæ causæ Remotioris titulum subeunt omnia ea, quæ quocunque modo extensioni huic & consequenti prolapsui velificantur.

Temperamentum ægri est sanguineo phlegmaticum, cumulandis in corpore cruditatibus & impuritatibus serosis aptum natum, & ob id laxitati maxime conveniens, imo partium dispositio mollior & rarior, concurrente causa violenta, multum ad herniam confert.

Ætas consentit ipsa. Cum omnis ætas huic malo obnoxia esse potest, tum plerumque tamen infantes & pueri, ob texturam teneriorem, adolescentes & juvenes, ob licentiosam vitam & errores diætæ varios, frequentius sibi hoc malum accersunt, quod damno suo expertus non minus est æger.

Habitus corporis mollior fibrarum minus robur ac carnium denotat, unde facilior labes oboriri potest tam ab interna humorum indispositione, quam ab externis injuriis.

Ex non naturalibus accusandus venit Aër frigidus, qui & in genere calorem concentrando, poros cutis occludendo, insensibilem transpirationem prohibendo, sanguinem coagulando, ad varios morbos corpus nostrum disponere potest, & speciatim intestinorum tono infestus est. Inde flatuum proventus largissimus, ac exacerbatio ramicis. Videas sæpe quiete degere herniosos, simul vero aëri frigido exponunt corpus, accendi dolorum faces, tumorem augeri, indurari, incarcerari, & minitari symptomata horrenda alia. Idem longe magis fit in mollioribus, & tali temperamento, quali æger noster gaudet.

Cibus & Potus magnum morbo addidere momentum. Cibi grossiores negotium facessunt archeo, minus obsequi calori & menstruo, δυσχερῶν & εὐχερῶν instituentibus, nec prompte evolvuntur inde alimentariæ particulæ, multum vero accumulantur excrementitiæ. Pinguia, oleracea, leguminosa ex hoc censu sunt præcipua, flatibus producendis & gravandis intestinis aptissima. Ex hoc vero inflata magis, non contenta spatio pristino, novum affectant, extuberant, prolabuntur magis, ut contra ea si tenuata subsidant, contrahi amant magis secumque habitare.

Intemperantia ergo in victu cum morborum genitrix, tum nutrix amplissima etiam herniosis onerosa evadit & lugubris. Excessus omnis talis cruditates, cruditates flatus, flatus tumores, tumores dolores, singula obstructiones & iliacam passionem facile inducunt herniosis. Accedit, quod non vini potu cruditates corrigere sategit roborando sic calore, & præpediendis flatibus. Tacemus inde quoque laxari magis debuisse vincula.

Motus gemino vitio accusandus venit, excessu & defectu. In promptu affectus causa est potissima, motus excessus, saltus citatus cum violentia conjunctus, quando certatim fossam transilivit plus vice simplici. Vix ex adultis centesimus corripitur hernia, citra hunc tyrannum, ut in tenellis quoque motus sui generis tensivi clamorum, & jectigationum malum hoc toto die producunt. Motus talis herniæ autor est, tum nisu illo summo & conatu ad impellendum, unde diaphragmatis socium & sororians peritonæum intenditur magis, facileque laxationem vel rupturam subit; tum pondere & mole corporis gravioris, quod ut non labatur, periculosam tamen quoad hoc concussionem patitur utrobique conjuncto violento impetu, quod sensus ipse testatur, si de loco in locum fossam transiliat quis, vel transilientem videat, abdomine non cincto vel munito, nec corpore alias satis robusto, vel jam dum disposito.

In defectu peccavit vita illa desentaria, quæ affectui quadrat quidem, eo ipso vero excernenda congerit magis, unde nec alvus respondet debite, nec transpirant fuligines serosæ, sed in glandulis stagnant & cum massa sanguinea remiscentur.

Imo

Imo violentia hæc motui conjuncta ad Causarum Præternaturalium classem referri meretur, siquidem actu lædit magis, unde ut tussis, sternutationes vehementes, vomitus contumaces, alvi obstructiones pertinaces, indeque orti nisus coactivi, ac plura alia hujus mali certissimi autores esse solent; sic & ipsa hæc exterior violentia.

A talismodi ac tantis causis productus affectus, non mirandum est, quod sequentia post se traxerit symptomata, quæ signorum loco habita explicanda nunc veniunt.

1. Tumor sublaneus scroti notat præternaturale contentum ibidem non natum, sed factum, & speciatim ab ingressu intestini per processum peritonæi.

2. Tumor sensim increscens primum castaneæ, hinc nucis juglandis, postmodum pomi majoris magnitudinem assequens, magis magisque dilatatum ductum ab incumbente volumine intestinorum, sicque perruptum magis patientem designat.

3. Tumor indolens est, ob æqualitatem læsionis majorem. Dolor enim omnis inæqualitatem tensionis sequitur & conjunctam habet; quæ si adsit, minor vel nullus est, quod per solutionem continui in fieri & facto explicant communiter.

4. Imminuta movendi promptitudo adest, partim ob articulationem femoris per accidens ac consensum læsam, ob tumorem sensim sensimque adauctum, qui illam impedit; partim ob tensionem majorem, motu & decubitu gravium inductam, utrobique spiritibus magis fatigatis & impeditis.

5. Sentit ordinarie à pastu dolorem gravativum abdominis, ad locum affectum protensum, ob chyli evolutionem & διάκρισιν & σύγκρισιν impeditam, indeque consurgentes flatus dolorificos. Hi cum per intestinorum glomeramina volvantur, ad locum affectum tanquam debiliorem pertingunt quoque, ibidemque magis exprimuntur.

6. Tumor inflatio major, cum tensione & torminibus circa umbilicum, debetur inflationi & obstructioni; flatus enim adaucti distendunt colon & reliqua intestina, distenta majus occupant spatium & pondere suo fibras intestinales vellicant, sicque tanquam in centro tristem sensum exprimunt.

7. Desidenti vel decumbenti levamen contingit, cessante sic tendente pondere, & motu peristaltico seu circumpressorio liberius succedente. Imo tumor sic recedit omnino, concesso ob positum hunc corporis pristino spatio, quo pondus extraversum remeat.

8. Exacerbatio dolorum à diutina sessione, corporis inclinatione ac motu continuato, eidem adscribenda tensioni, ponderi ac communioni intestinorum minus æquabili.

9. Tumor à motu animi & corporis increscit. Illud ob spiritus efferatos, viis minus patulis facilius in motu ordinario turbatis; hoc ob pondus gravius laudatum intestinorum, cœteroqui lubricorum, successione illa magis delabentium.

10. Caput quandoque dolet, extraverso humore, tum ob vapores illos peregrinos, inæqualiter membranas afficientes, tum consensum nervorum sexti paris.

Perlustrata nunc insigni hac symptomatum turma, ad Prognosin faciendus est accessus.

In se affectus hic nullum lethalitatis metum incutit, intestinis loco quidem alieno exceptis, ibidem tamen non extra archei forum & imperium penitus latis. Ast in adultis rebellis est, & sæpe incurabilis, ob indolentiam neglectus, sicque productus utplurimum, præcipue vero ob interpositam hiatui remoram naturalem, ipsis vasis genitalibus ad testes euntibus, & intestino illic p. n. inhærente. Nulla vero solutio continui curari potest, nisi extranea quævis unitionem impedientia tollantur vel removeantur. Accedit diuturniore mora velut callus quidam, sive consuetudo potius. Nihilominus remoris illis ablatis, dicendis remediis, visi sunt etiam adulti curari, eademque spes ægro integra esse potest.

Ab altera vero parte metuendum est, ne vel ruptura negligentia reddatur major, sicque ad motum inconveniens dispositio, vel incarcerata, obstetricante frigore, obstructione aliisque cavendis. Incarceratam vero vocamus, quando intestina non tam quoad continentem suam tunicam includuntur huic malæ mensioni, quam quoad contenta stybala, ut provolvi nequeant penitus, occlusa ob tumorem & duritiem extraordinaria porta, qua eluctari eadem oportet, sicque iliaca passione inducta. Id enim si fiat, lethalis eventus accidere potest, quod tamen alius est loci.

Si, citra heroicam operationem ad remoram illam tollendam, curatio speranda fuerit, illud quoque longius temporis requirit spatium, unde συναποθνήσκειν facile solet & ad mortem usque comitari. Id vero cum variet secundum præsidia proponenda, liberum fuerit ægro, salutis suæ cupido, eligere quod magis ex usu est: Est enim hic morbus ex genere illorum, qui dum facile feruntur, nec periculum intentant majus, servantur in statu tolerabili, cœteroquin partim sanitati vel vitæ officiunt.

Modus eventus erit ad salutem, vel in totum, repositis in pristinum locum intestinis, inque eo detentis per deligationem & applicationem emplastrorum fortiter agglutinantium, membranarum tunicarumve tono roborato; vel in tantum, ut cessent symptomata à malo exacerbato oriunda, ipsum vero conquiescat & inducias incolumitati reliquæ præbeat.

Curatio innixa methodo medendi ad indicationum modulum instituenda. Curatoria pro diverso respectu variat; mala enim, quæ molestiam non fœnerant, seu non lædunt, suo modo sanitati quasi æquiparantur. Si ergo læsionem hanc intueamur, ex hujus regula vel ablationem completam meditabimur, curando intestinorum prolapsu bocce, vel incompletam, seu quasi talem, repositione & gestatione tolerabili solum procurata.

Præservatoria, causis intenta, omnia illa attendere jubet, quæcunque vel tendere vel ampliare intestina possint, seu præcavendo, ne id fiat, seu auferendo fomitem imprimis flatus.

Vitalis vires attendit dejectas, & tonum viscerum sibi restituit ac conservat.

Hanc in rem si consulamus institutos fontes, Chirurgus imprimis herniosis salutem, si aliqua reliqua, certissimam promittit.

Prima cura sit Repositionis, quæ facilis quidem est, ut in nostro hoc casu, nulla incarceratione præsente, sed ut constans sit, non æque. Altera, ut repositum maneat, longe potior.

Omnis igitur opera navanda, quo repositio intestini in abdominis cavitatem rite & legitime fiat, alias deligatio ex voto non contingit, nec motus perversus inde corrigitur.

Ut melius illud fiat, æger supinus in lecto vel alio loco conveniente ponendus est, capite quidem decliviori, cæteris vero partibus eminentioribus, unde

clunibus pulvinar subjici potest. Hinc cruribus divaricatis locus affectus inspiciendus, sensim & molliter contrectandus, digitis & vola manus oleo amygd. dulc. momord. vel alio inunctis, donec intestinum prolapsum sensim sensimque in suum locum reducatur. Possunt etiam hoc fine linimenta emollientia, ex unguent. dialth. oleo ovor. aneth. bals. traumat. aliisque illini, ut lubricatis partibus & discussis flatibus facilior fiat intrusio.

Ut vero repositum maneat, suademus 1. Decubitum continuatum per aliquot hebdomadas, ut sic recubans pondere suo domi manere discat intestinum, & tempus concedatur coarctationi & consolidationi, quæ alias fieri minus potest. Facit hoc ad bene esse, si id æger velit & possit.

Observatum est idem non solum injuncto decubitu, verum quoque per accidens & præter expectationem, herniam, sed probe ligatam, curatam fuisse, cum ob fracturam ossis decumbendum esset longius, quod *Helmontius* meminit.

Opus est 2. Roborante emplastro, quale est empl. contr. ruptur. seu de pelle arietin. usit. & imprimis 3. Deligatione, quo per fascias tanquam vincula occludatur aditus, sicque ars levet naturam firmando pariete debilo.

Deligationem commendabimus duplicem, unam suspensivam, alteram stringentem. Illa duplex iterum est. Una cingulo constat latiori, ex panno xylino, cum bombace interpassato, solo, vel ferro simul ad id conformato, quo firmetur hypogastrium circa inguina. Huic vero iterum anterius splenium in pulvinaris modum compositum, lateri affecto respondens, adhæreat, & à perinæo ad lumbos ipsi cingulo illigetur.

Firmius idem reddit pro re nata culcitra adhuc alia, in medio perforata, ut dimitti penis cum testibus, unoque tegmine subligaculi melius sic deligari & coerceri vagina queat. Variandum hoc pro partium illarum in ægro modulo.

Altera [illegible], quæ ad modum humeralium, Germ. *ein Tragband*, humeris utrinque suspendatur, sicque gestando onus scroti levet, firmetque.

Ast cum probe quidem hæc se gerant, quando æger deambulat, flexo vero corpore vel ipsa sessione firmitudinis robur cedat, nec par sit occlusioni isti, cogitatum quoque est de alio modo, quem ob firmiorem detentionem stringentem nominavimus.

Stringens hæc deligatio sola fit fasciatione, quando fascia linea aliquot ulnarum, longiorem enim esse oportet, circa lumbos cingitur corpus, affecto vero latere artificiose circumvolvitur & decussatim traducitur extremum, sicque quasi nodum efformat, quo stringitur egregie vagina, repetendo hoc ipsum, ex lumbis ad perinæum utrinque progrediendo, quo pacto & deambulare potest æger sine molestia, aliaque præstare munia.

Proponimus hæc singula ægro, ut commodius eligat, & ex εὐφορίᾳ approbet. Ita enim, si consolidatio plenaria speranda non fuerit, præcavere tamen elapsum potest, & supplere illud damnum internum artis hac ope.

Cumque natura sit morborum medicatrix, quod nullo magis quam solutæ unitatis exemplo videri potest, expectandum est, quantum conferre suo loco possit hæc secundum ipsius intentionem administrantibus. Sin pertæsus mali, & tenax sanitatis desideratæ integræ, non contentus palliativa hacce, graviorem curam non adversetur, ablegandus fuerit ad ὀρχιτόμον peritum, qui cum exsectione testiculi, citra metum impotentiæ, id præstet.

Ea Pharmaceutica Fonte primo loco Lenientia se sistunt, magni usus in herniosis, quandoquidem alvo obstructa congeruntur & regurgitant flatus, sicque tumorem inflant & augmentant; unde alvum apertam esse in his consultum est.

Cordi sit ægro, talibus [illegible] benedictis aliquando uti. Omnem vero obstructionem longiorem & dolorificam cumprimis habeat suspectam.

Promovebunt alvum ea lubricantibus butyri assumtio largior, ol. amygdalar. dulc. cum jusculo avenaceo, manna, & passulæ laxativæ. Ex stimulantibus & detergentibus aloëtica, & alia.

℞. Aloës rosat. virgo tartarear. an. ℈j. croc. mart. aper. ℈ß. ol. anis. g. j. c. s. q. elix. prop. laxat. F. l. a. Pilulæ minimæ. *S. Eroffnende Pillen.*

℞. Crystall. tart. ℈ß. tart. vitriol. gr. viij. resin. scam. gr. iij. ol. mac. gr. j. M. F. Pulvis. D. ad chartam. *S. Lind Pulver.*

℞. Ess. fol. senn. rhabarb. antim. an. ℈ij. M. D. in vitro. *S. Lind-Essentz.*

Ad hunc censum etiam spectant Clysteres sicubi obstructiones facessant negotium, vel aliquod minitentur periculum, sine ullo metu, imo certa cum spe prompti auxilii adhibendi. Citra tumultum enim ullum ac molestiam emolliunt duras feces, demulcent tensa intestina ac eluriant, unaque flatibus exitum pacatum monstrant ut mirandum sit, ignota à nonnullis hæc in hernia præsidia haberi.

℞. Rad. althææ, lil. alb. malv. an. ℥ß. fol. rut. ros. marin. meliss. an. m. j. flor. chamom. verbasc. lil. alb. an. p. ij. bacc. laur. junipet. sem. anis. an. ʒj. fœn. græc. ʒiij. Coq. in s. q. aq. f. Col.

℞. ℔j. add. elect. de bacc. laur. ℥j. mell. rut. ℥ß. ol. lil. alb. ʒvj. vitell. ovor. n. j. M. F. l. a. clysma.

℞. Rad. apii, malv. gram. an. ʒiij. herb. 5. emoll. flor. verbasc. melilot. an. m. ß. sem. petrosel. fœn. græc. bacc. laur. an. ʒij. caric. ping. n. vj. Coq. ex s. q. ser. lact.

℞. Col. ℥x. elect. diaphœn. ℥ß. ol. verbasc. ℥j. vitell. ovor. n. j. F. l. a. Enema.

Tacemus, in casu tumoris inducti & obstruentis, residuum decocti clysteris in cataplasma aptari posse emolliens, exterius scroto affecto imponendum non minimo cum successu, cum emollientia clysterum sint materia prima.

Respondent his in stimulanda alvo Suppositoria, quorum usus etiam hic locum aliquando habere potest, apparatus vero cum in officinis sufficiens extet, non opus est denuo præscriptionem fieri.

Purgantia tum præservandi fine, verno vel autumnali tempore, ex usu esse possunt, tum curandi, si fors ita ferat. Observatum quippe est, in [illegible] nihil magis prodesse quam opiata & purgantia, illa compescentia archeum, hæc in viam ducentia cum juvamine.

℞. Spec. diagalap. ℈j. scam. rosat. mag. g. g. an. gr. iij. crystall. tart. ℈ß. ol. anis gr. j. M. F. Pulvis D. ad chartam. *S. Purgier Pulver.*

℞. Conserv. rosar. c. mann. rob. passulat. an. ʒj. pulv. laxativ. veget. ℈j. polycht. gr. iij. crem. tart. ℈ß. syr. de pom. laxativ. q. s. F. l. a. Bolus.

Cumque in laxantibus ejusmodi membranarum lymphæ copia & qualitas plurimum momenti addat, tum ad ipsam lubricitatem, tum affluxum & στάσιν, huic sufficient Diaphoretica, vi sua balsamosa lympham in motum cientia, rarefacientia, dissipantia & per poros cutis expellentia. Imo hoc pacto depurato sanguine & discussis, ob affinitatem operandi, flatibus, consolidatio non leviter promoveri, symptomata vero arceri possunt.

℞ Bez.

℞. Bez. martial. gr. xv. mag. C. C. ℈ß. cinnab. nativ. gr. vj. laud. opiat. gr. ß. M. F. Pulvis D. ad chartam. S. *Schewveisz Pulver.*

℞. Tinct. bezoard. essentif. M. S. an. ʒj. ess. carm. sp. sal. armon. vin. an. ʒß. M. D. in vitro. S. *Zertheilende mixtur.*

℞. Rob. ebol. ʒj. antimon. martial. cachect. g. xij. conch. ppt. ℈ß. cinnab. antim. gr. iij. sacchar. q. s. M. F. Bolus S. Scheveisz-Zucker.

Diureticis abstergi amat amurca venarum, fluxilitas vero & serositas superflua, alendoque corpori inconveniens educi, quo facto, minor pituitæ proventus torporem minorem intestinorum relinquit, eligendo inprimis magis polychresta, v. g.

℞. Magist. oc. canct. tart. vitriol. an. ℈j. sal. onon. ℈ß. ol. lign. sassafr. gr. j. M F. pulv. D. ad chartam. S *Zertheilendes Pulver.*

R. ess. antim. tartarisat. succin. an ʒj. ol. lign. sassafr. gr. iij. M. D. in vitro *S. Eroffnende Essentz.*

℞. mixtur. antiscorb. sp. aper. Penot. an. ʒj. M. in vitro. S. *Eroffnende Mixtur.*

Complementum addunt Alterantia & Roborantia, non tam archeum universalem attendentia, qui cæteroquin bene habet, & si vacillet, aliunde repetenda, quàm intestinorum & processus affectorum. Specifica hinc, quæ puta indicationibus determinatis satisfaciunt, esse possunt duplicia, carminativa & traumatica, quibus nervina, paregorica, adstringentia, aliaque ministrantia & secundaria includimus.

Carminativa sane omnem absolvunt paginam, quatenus & archeum irritatum placant, & discussis flatibus intestina, minori spatio contenta, domi manere discunt. Unde, Helmontiano experimento optimum est in reducendo tumore duro & inflato, vinum leviter bullitum cum sem. 4. carmin. & coriandri ana.

Traumatica verò lympham alimentarem aptant, ut γλισχρότητι sua gaudeat, sicque firmari magis laxæ membranæ & stringi possint.

℞. Ess. contr. hern. Mich. ʒij. tinct. mart. D. in vitro. S. Geilende Tinctur.

℞. Ess. traumat. Wedel. carminat. an. ʒj. anodyn. ℈ß. M. in vitro. *S. Mixtur.*

℞. Aq. plantag. zedoar. gentian. traumat. an. ℥j. magist. corallior. ocul. canr. an. ʒß. extr. torment. antim. diaph. an. ℈j. syr. de symph. Fern. cort. citr. an. q. s. M. F. l. a. Potio. S. *Starck Tranckleín.*

℞. Rad. consolid. maj. aristol. rot. plantag. ulmat. an. ʒij. herb. herniar. sanic. millefol. chamom. flor. hyper. balaust. an. p. ij. sem. 4. carmin. coriandr. sand. omn. an. ʒj. oc. cancr. ℈iv. nucist. n. j. Concis. contus. g. m. D. in ch. S. *Hellende species.*

℞. Rad. onon. ℥ß. fol. herniar. ʒij. sem. 4. carmin. persol. oc. canct. ana ʒj. macis ℈j. sacchar. ad pond. omn. M. F. Pulvis D. in scat. S. *Starck Pulver.*

Externa, immediate loco affecto applicanda insignem ferunt opem, merito hinc commendanda, tum balsamica traumatica, quæ vigorem archeo addunt, bal. Hispanicum; tum oleosa, ut quæ repositionem adjuvant, ubi præ aliis ol. ovor. & momordicæ optime se gerit; tum emplastica, quæ firmant, conglutinant & roborant.

Facta sunt hinc Emplastra pelle arietina, ad hernias Fernelii, Weckeri, Empl. ad ramices Agricolæ, Grülingii, Schroteri, Jessenii, contra rupturam Felicis Wurzii, & alia.

℞. Empl. contra hern. Myns. ℥ij. sem. petrosel. cumin. an. ℈j. bacc. laur. ʒß. pulv. stypt. Croll. ʒj. gum. tacamahac. ʒij. ol. ovor. q. s. pic. naval. parum. M. F. l. a. Empl. S. *Bruchpflaster.*

℞. Empl. contra rupt. ℥j. magnet. A. S. ʒiij. ol. aneth. carv. chamom. destill. ana gr. iij. momord. q. s. M. F. Empl. *S. Heilpflaster.*

Agmen claudit Diæta, in rerum non naturalium legitimo usu comprehensa, quem merito æger noster attendere debet.

Ex Vitali aër vitandus est frigidus & humidus, nervis enim & membranis simul & intestinis inimicissimus est. Eligatur purus, amœnus, temperatus, nullis oblitus inquinamentis aut aliis miasmatibus imprægnatus, qui facile sternutationem excitare potest, herniosis cane pejus & angue fugiendam.

In Naturali Cibus, cum suggerat succis vitalibus pabulum, sit εὔχυμος & εὔπεπτος, temperatus, boni succi pro optimi sanguinis generatione. Vitentur frigidi, flatulenti, crassi, leguminosi, incoctiles, oleracei, acres, salsi, panis non probe fermentatus, carnes fumo induratæ, fructus æstivi & omne genus ciborum, quod ventrem constipare & flatus inducere aptum natum.

Potus sit cerevisia, ab omni heterogeneitate feculenta libera, non recens, nec acescens. medicata etiam ex herbis traumaticis & roborantibus usum habebit egregium. Vinum, imprimis rubrum, tàm adstringendi, quàm roborandi fine, maxime erit conveniens & stomacho gratissimum.

In Animali motus quieti oppositus, moderatus & parcus suadendus: ut enim taceamus communes noxas, in nostro casu nil magis prolapsui intestinorum velificatur, quàm motus. Quieti ergo potius indulgendum est, ita tamen ne obstructiones pariat, atque calorem nativum obruat. Hinc leniter & æqualiter omnes partes exerceat, & nullo tempore modum excedat. Equitatio, saltatio, cursus per loca declivia, eo, quod corporis viscera quassent, summo vitentur studio. Elevatio oneris gravioris, jaculatio & quicquid musculos & ligamenta extendere & rumpere valet, procul absit. A clamoribus & vociferationibus maxime sibi caveat, quæ omnia peritonæum tendunt & exercent gravius.

Somnus cum animalium facultatum quies sit, vires restauret, & dolores mitiget, ægro commendatus esse debet, ut sufficiens sit, non immoderatus, ut sic alterna requies etiam intestinis quietem vel ipso decubitu concedat. Vigiliæ productæ exulare debent.

Excreta assumtis respondeant & curiose inprimis alvi munus cordi habeatur, ut non cesset, vel, si id fiat, admoneatur lenientibus laudatis.

In Animali, Animi Pathemata omnia dictamen sanæ mentis sequantur. Vitet æger iram, quæ sanguine circa cor effervescente humorum varias commotiones excitat. Animi sui sit compos & placidus. Pellat timorem, nec dolor adsit. *Joh. Martinus Ehnlich in Dissertationibus Medicis selectis Clar. Wedelii.*

Observationes.

Gangrana ex hernia intestinali, cum intestini erosione curatio.

Nobilis matrona Margaretha à Gleresse, septendecim annis insigni hernia laboravit, qua circa annum

annum ætatis sexagesimum tertium, mense Decembri Anno 1597. torminibus maximis vexata est. Intestinum in abdominis rupturam impulsum, ac inibi retentum dolores non leves, simul & inflammationem, aliaque graviora symptomata concivit. Vocatus demum K. Januarii 1598. inveni dextrum inguen gangrænâ affectum. Scarificatio itaque rumore & cæteris, quæ gangrænæ curationem attinent, adhibitis, caro putrida & callositas rupturæ exciderunt: unde symptomata, dolores, inflammatio, febris, tormina, lipothymia, nausea & vomitus sedata sunt: sed intestinorum materia, nondum penitus excrementosa, velut ilei & cœci, per abdominis rupturam excernebatur, circiter menses duos. Ægro tamen, multum mirantibus adstantibus, favente Numine, sanata & à ruptura perfecte curata fuit, nulla relicta fistula, aut herniæ indicium.

Curationi sæpius interfuere, qui & sanationis testes sunt, Nob. Gabriel à Bloney, Baro en Chastelair, & Nob. Philippus Ceriatius, Dominus de Denesi, & Reverendus Claudius Merlinus, Villetanæ & Culiceni. Eccles. pastor, Moyses Bettetus, & plurimi alii, quorum etiam mentio facta fuit in prima Observatione, vixit autem matrona illa usque ad finem fere anni 1613. obiitque peste. Ex his duabus jam recitatis Observationibus, palam fit, intestinorum vulnera non esse prorsus deplorata. *Guilielm. Fabric. Hildan. observation. Chirurgic. Cent.* I.

Ex epiplocele & enterocele, gangræna & mors sequuta.

Anno 1585. mense Augusto, robustissimus quidam faber lignarius, quum Genevæ elevasset pondus ingens, omentum ei prolapsum est in scrotum; & quia reductum non fuit, intumuit, inde dolor acutissimus, inflammatio, febris, vomitus, aliaque graviora symptomata exorta, denique mors sequuta est septimo die. Ego una cum Joanne Griffonio, Chirurgo præstantissimo vocatus, scrotum præsente Jano Antonio Saraceno, Medico regio, incidimus, & invenimus omentum, imò etiam testes & vicinas partes plane corruptas & gangræna infectas.

Anno 1596. cuidam intestina in scrotum ceciderunt. Unde, quia reducta non fuerunt, exortus est dolor aliaque symptomata graviora. Barbitonsorem in consilium advocat æger. Is fomentum ex absynthio & rosis, vino rubeo coctis applicari jussit: sed ut erant aliena à morbo, sic quoque ingravescebat morbus. Ego vocatus cum clarissimis doctissimisque D. Jano Antonio Saraceno, & Andrea Bonero, apud Genevenses Medic. Doctoribus, scrotum magnitudinem capitis excedens invenimus; febris erat vehemens, syncopæ, & vomitus frequentes.

Statim fomentum ex radicibus altheæ, semine lini, fœnigræci, seseleos, floribus chamomillæ, meliloti, foliis malvarum & violarum applicuimus. Deinde capite inclinato & pedibus in altum elevatis, reductum est intestinum. Sed quia propter inflammationem & compressionem, in ruptura abdominis jam cœperat corrumpi intestinum, paucis post horis è vita decessit. *idem ibidem.*

Ex herniâ gravissimâ symptomata & mors.

Nobilis quidam in Cuilly ad Lacum Lemanum, Daniel de Challon nomine, per annos aliquot Enterocele lateris dextri laborans, tandem 20. Octobr. anno 1606. cum violento nimis exercitio atque motu usus esset, intestinum in scrotum delapsum fuerat. Unde statim dolor ingens totius ventris exortus, eadem nocte quoque vomitus frequens, inquietudines, urinæ item, & excrementorum retentio supervenerant. Ille vero remediis neglectis, symptomatisque indies ingravescentibus, propter doloris vehementiam, die 2. 3. coactus fuit accersere D. Jacob. Martionem, apud Lausannenses pharmacopolam exercitatissimum; Qui ægrum in summis angustiis constitutum videns, suasit ut me advocaret, verùm ne interea temporis in mei absentia, ociosus ibi degeret, Fomentationes & Enemata emollientia, anodyna & flatus discutientia exhibuit & applicuit. Ego 24. mensis hujus die, qui quartus morbi erat, illum inviens, maximis doloribus & inquietudinibus, vomitu quinetiam continuo infestatum, retentione item excrementorum, & urinæ laborantem, offendi, id tamen, quicquid urinæ excerneret, subrubicundum erat. Atque illa retentio urinæ ad 25. diem usque persistebat, quâ sub crepusculum urinam maximè furfuraceam excernebat. Exinde verò absque omni difficultate, imò quod magis mirandum, ad ipsam horam mortis usque, urinam tum colore, tum consistentia sanorum urinis plane similem reddebat. Scrotum porro inflatum ac durum adeò erat, ut tactui omninò renitteretur.

Statim itaque illi sequens Enema præscripsi:

♃. Radic. & fol. malvarum, althææ, fol. violarum betæ, parietariæ an. M j. flor. chamomel. meliloti; sambuci an. M f. sem. fœnigræci, lini an. ℥ſ. anis. fœniculi an. ʒj. Coquantur ad tertias. Colaturæ sume ℥v. In quibus dissolve electuar. diacathol. ℥ſ. vitellor. ovor n. ij. ol. chamomel anethini, butyri recent. an. ℥ij. Misce, fiat Enema.

Scroto verò sacculum ejusdem Enematis radicibus, herbis, floribus & seminibus confectum & aqua coctum, calidè applicui.

Idem quoque Scrotum & ventrem oleô anethinô & chamomelinô inunxi.

Enemate rejectô, aliud denuò exhibui, sacculum præscriptum calidè applicui, scrotumque & ventrem, ut priùs, inunxi.

Rejectô verò & hôc enemate, ægrum in lectô capite reclinatô, pedibus verò elatioribus collocavi; atque intestinum in locum suum reponere tentavi, sed frustrà. Quamobrem ne quid fortè mihi exprobraretur, si res ex animi sententia minùs succederet, suasi, ut D. Abelem Roscium, apud Lausannenses Medicum celeberrimum ac doctissimum, accerserent, ille, cùm advenisset, voluit, ut eâdem die denuò de intestinô reponendô periculum facerem, id si minùs succederet, fomentationes, inunctiones & enemata continuarem, quinetiam, ut herbæ, radices, & residuum ex decoctione clysteris in mortariò lapideô contunderentur, postea per cribrum cupreum pistillô ligneô traducerem, ex iisque cum micâ panis, vitellis ovorum, oleô anethinô & chamomelinô fieret cataplasma, quod calidè ac frequentiùs applicaretur. Idem quoque Medicus, ut æger sequenti nocte ter aut quatuor aliquid olei amygdalar. dulcium biberet, alterâ verò die tempore matutinò potiunculam laxativam sumeret, imperavit. Circa vesperam itaque an intestinum reponi posset frustrà cùm tentassem, Enemata, fomentationes & inunctiones continuare cogebat. Oleum verò amygdalar. dulcium, quia sibi nauseam movebat, assumere non potuit.

Alterâ

Alterâ die Potiunculam hanc à Ruscin præscriptam illi exhibui.

℞. Expressionem rhabarb. in aq. menthæ infusi ʒj. syr. rosat. solut. ℥j. syr. violac. ex infusionibus ℥ß. Misce, & dissolve in aqua menthæ & hyssopi, fiatque potior quam horis quatuor ante prandium sumat.

Sed quum potiunculam hanc paulò post cum pituita multa, & nonnihil humoris biliosi evomuisset, denuò fomentationibus otus fui. Enemaque ex præscripta decoctione, in quâ parum Electuarii Benedictæ laxat. & hieræ simplicis cum vitellis ovorum, sale & oleis præcedentium clysterum, dissolutum erat, infudi. Cujus beneficiô nonnihil excrementorum induratorum ac fœtidorum excernere cœpit. Hinc dolores aliqua ex parte fuere diminuti, inflatio item & tumor nonnihil subsidit, ut scrotum manibus tractando, murmur intestini obaudiretur. Circa vesperam, cùm denuò simile Enema exhibuissem, multum reddidit excrementorum, intestinum quoque levi compressione manus simul reductum fuit, scrotô tamen adhuc vehementer intumefactô, induratô, ac dolore affectô, adstringentia applicare non licuit, sed sequens Cataplasma emolliens, & flatus discutiens admovi.

♃. Farinæ fabar. ℥iiij. Pulv. flor. chamom. meliloti, Sambuci an. ʒij. pulv. sem. anisi, Fœniculi, cumini an. ℥ß. pulv. baccar. lauri ℥j. Cum decocto radicum althææ, malvæ, parietariæ, florum chamomel. meliloti, sambuci, & seminis fœnigræci, fiat Cataplasma, quod bis aut ter in die calidè applicetur.

Die 28. mensis hujus circa vesperam, jusculum quod paulò ante sumpserat, cum multâ pituitâ fœtidâ evomuit; cùm nihilominus tamen eâ nocte spontè alvum, & quidem excrementum laudabile, beneque digestum exoneravisset.

Vigesima nona die, mane rursùs spontè beneficium ventris habuit, sed excrementa livida, aut cinericei coloris instar, & fœtidissima erant. Eâdem quoque die bis juscula illa, quæ assumpserat, mixtâ pituitâ fœtidissimâ revomuit. Nocte verò sequenti vomitus continuus & fœtidissimus cum lipothymiâ supervenit, unde cordi Epithema aliquod applicui.

Die trigesimâ mensis, quæ morbi dies decima erat, continuò, & quidem materiam fœtidissimam adeò copiosè evomuit, ut mirum, ubi tanta in corpore copia materiæ retenta fuerit. Assiduò quoque egerendi conatû, cum modicâ tamen egestione vexabatur, atque excrementa fœtida, nunc solida, sed cinericei coloris, nunc verò liquida, purulenta tamen, aut sanguinolenta excernebat, atque sic totâ illâ nocte, quæ principium erat undecimi, in eôdem statû permanebat, ita ut juscula, vinum, & quæcunque offerebantur, recusaret: Sequenti enim die, quæ finis undecimi; circa meridiem placidè ex hâc ærumnosâ vitâ ad beatorum sedes demigravit.

Porro nonnulla in hôc morbô observatione digna occurrunt. Imprimis enim urina à sextô morbi die usque ad extremam vitæ horam, sanorum urinæ similis planè conspiciebatur. Contra verò pulsus à quartâ die morbi, quâ primò ad ægrum vocatus, ad finem usque continuò tam debilis, tamque exilis & obscurus, ut hominis jam tum morituri pulsui similis omnino esset, reliquæ tamen facultates & actiones adeò validæ, ut interdum vestes indueret, & in conclavi ambularet. Materiam illam viscidam, pituitosam, ac fœtidissimam, quam evomuerat, non omnino ex intestinis, sed partim aliunde, ubi diu inclusa fuerat, processisse, inde apparet, quod ante morbum aliquandiu valetudinarius adeò fuerat, ut & à pastû anhelitus (qui gravis ac fœtidus, præcipuè tempore matutinô) aliquâ difficultate laboraret, tussiculâ quoque siccâ, ad mortem usque illum comitante, continuò vexaretur; de dolore item stomachi sæpissimè conquereretur. Ex quibus perspicuum fit, ipsum non solum propter intestinum prolapsum, sed aliam quoque internorum viscerum putredinem extinctum fuisse; facilè tamen concessero, intestinum aliquam corruptionis notam præ se tulisse: Quandoquidem fieri non potuit, quin pars illa intestini, in ipsâ abdominis rupturâ, sex dierum spaciô compressa atque coarctata, alimentô suô privata, ac tandem corrupta fuerit, (sicut etiam ex Observ. ~a. Centur. 1. colligere licet) ex quâ tamen intestini putrefactione tantus fœtor, quantus hic aderat, promanare non potuit. Utinam igitur Amici post mortem ipsius cadaveris dissectionem concessissent, multa dubio procul rara & notatu dignissima nobis innotuissent. *idem Centur. ij.*

De nobili Enterocelicô. Et Enterocele curatâ Divinitus.

Observatione transmissa, præstantissime Medice, amiceque observande, verum te Hyppocraticum exhibes, refertque ἀκρίβειαν singulari, divinum nostrum senem in epidemiis, describendo singula morborum Nobilis Enterocelici tempora.

Quantum vero istiusmodi conducant singulares, confirmandis medicinæ catholicis theorematis observ. testatur Galen. noster, argumento primi epidemiorum, verbis hisce notatu dignissimis. Singularia, inquit, autumant Empirici universalis constitutionis esse principium, illaque tandem asserunt vera præcepta esse, quæ constituuntur ab experientia. Nobis multo aliter, adeoque numerosa præcepta inventa esse ratione videntur, quorum tamen de veritate judicium facimus, prout stabiliuntur ab experimentis, & fidem accipiunt. Nam sic quidem, etsi quæ inventa ratione, ac demonstrata sunt; de eo quid magnitudine Sol à Luna distet, his credamus tamen, cum à sensibilibus multis aliis, quæ Geomatricæ docent rationes, & ab Ecclipsibus singolaribus, confirmentur, fidem habemus majorem. Quando igitur ab experimentis singularibus comprobata quæ per Geometriam demonstrantur, accipiunt majorem fidem, stabiliuntur firmius: longe magis, quę ex Medica disciplina sunt in universum inventa, singularibus sunt probationibus constituenda. Quæ nos observari in libris vulgarium morborum docebimus. Hactenus Gal. cum igitur, Præstantissime Fabr. quæ ex medica disciplina in universum sunt inventa, singularibus suis tamque accuratis probationibus constituas atque fulcias, profecto institutum hoc præclarissimum prosequi, tuumque sic nomen, & publicam utilitatem amplificare constanter debebis.

Neque vero Pathologicæ tantum parti Medicinæ lumen affert Observatio tua mihi communicata, verum etiam Therapeuticæ, dum remedia reponendo intestino feliciter, & ex arte adhibita Enemata, Fotus, cataplasmata, Inunctiones, & reliqua commemoras. Quin & illud ex eadem patet, haud solo prolapsu intestini, sed alio quoque interiori affectu, nempe corruptela visceris alicujus extinctum ægrum. Qui viscidam illam, consertamque odore tetram, vomitu rejectam materiam, mesenterii profecto sedibus diu conclusam aluisse videtur. Recte item urinæ illæ sanorum similes, observatæ abs te. Quæ declarant eorum de vulgo insipientiam, qui medicos (celato etiam ægroti nomine) ex sola urina de morbo ut pronuntient, cogere volunt (quales & mihi non-

nonnunquam molesti sunt) cum urina nullius sæpe morbi vestigium præ se ferat, quemadmodum ex hac tua liquet observatione. Ego vero ingratissimus sane erga Deum Opt. Max. censeri possem, si duobus nobilibus Viris commemoratis, enterocele mortuis, ego eodem affectu demum, decimo nempe octavo anno, solo Dei nutu absque sectione liberatus, id beneficium tam memorabile silentio præterirem.

Anno superioris seculi octogesimo quarto, tempore belli Coloniensis, in peramplo Gymnasiô, & cœtû amplius centum discipulorum, ideoque contentiore voce docenti mihi, primum solâ ruptione interioris membranæ peritonæi, prolapsûque intestini tumor in solô Inguine exortus est, non longô verò post tempore, cùm dilatatio quoque accessisset, ejus membranæ, quæ in scrotum devolvitur, hoc pariter distentum fuit. Adhibeo Emplastrum vulgatum ad rupturam, sed eô diu frustrà usus, uno cingor perizomate, à dicto jam octogesimo quarto anno ad annum usque hujus seculi secundum, meæ vero ætatis quadragesimum primum, hoc est, ad annum usque morbi decimum octavum. Quô spaciô totô cùm nec quies curando necessaria concederetur, nec orchotomia mihi probaretur, graves perferendæ, ac molestiæ (per ventositates præsertim) elabente sæpius intestino, fuere. Gravissimus supremus mali dies extitit. Nam dum Einshemii, Alsatiæ Urbe, stipendiis Cæs. Majest. Rudolphi II. Curiæ Austriacæ medicinam facerem, celebri quoque vicino Xenodochio, D. Antonii Eisenheimensi ejusque Administratori Reverendissimo Domino Suffraganeo, Francisco Bero, summo Viro, salario annuo obligatus fuit. Itaque inde Gebvveilerium, Principis Murbacens. (qui opera quoque utebatur mea) sedem, verno tempore proficiscenti, immani cum dolore, universum intestinum erupturum videbatur. Nunquam ante, totos octodecim annos tumor major. Revectus ab amicis domum, insessû quôdam anodynô dolorem paulum lenivi, moxque petitô lectô, summô expertectus mane, & restituta concinnè suô locô τὰ ἔντερα, & peritonæum ita firmatum atque consolidatum deprehendo, ac si nullô unquam tempore enterocele laborassem. Cùmque nullo unquam ante die perizomate carere ausus fuissem, jam abjicere illud, absque eô incedere minimè dubitavi, nec in hunc usque diem eô egui, annosque ampliùs jam quinque, nec quicquam illius affectus (Conditori æternæ laudes ac gratiæ) percipio. Certe tam inveteratus affectus, in homine quadragenario, tempore præsertim, quo summum incrementum sumpserat, Physicis remediis, tamque brevi depelli non potuit. Quare verum ἀλεξίκακον & liberatorem meum D.O.M. agnoscam, laudboque quandiu fuero, cujus proinde inusitati, & hactenus (mihi quidem) inauditi beneficii prædicandi gratia, ac gratitudinis ergo, locô ut arbitror, non incommodô, sub mentione scillcet duorum nobilium hôc malô sublatorum, hæc adscripta volui. Gravissimô sub id tempus, per summam manifestamque injuriam affectus rerum mearum damnô fueram, quod Majestatem Divinam tantô beneficiô (quod quidem multis prætulerim) compensare, sarcireque voluisse crediderim. Eademque ab aliorum quoque me adversariorum machinationibus, quæ denuò paratæ mihi videntur, paternè tueatur, teque diu incolumem servet & sospitet. Fryburgi Aventicor. Calend. Feb. Anno 1607. *Sebastianus Meyerus Med. Friburgens. ad Fabric. Hildan. observat. Chirurgic. Cent.* 11.

Intestina in scrotum prolapsa, quomodo reposita?

Quam gravissima symptomata, ac tandem mors quoque, ex prolapsu intestinorum in scrotum sequuta fuerint, tum præcedenti observatione, tum etiam Observ. 72. primæ Centuriæ, satis superque demonstravimus. Nunc quomodo iis in situm naturalem reductis, ægri convaluerint, exemplis tribus sequentibus declarare operæpretium erit.

Generoso cuidam ex familia Hatzfeldiorum, à multis annis hernia laboranti, cum quadam die intestina in scrotum prolapsa, flatuque protinus distenta essent, dolor maximus totius ventris, vomitus continuus, cibi fastidium, vigiliæ, inquietudines, præcordiorum angustia, & lipothymiæ exortæ sunt.

Ego altera die ad ipsum vocatus, quamvis graviter, & non absque mortis periculo ægrotantem offenderim, tamen aliquid tentandum suasi. Quocirca statim sequens exhibui Enema.

℞. Radicum altheę, malvarum cum toto folio; violarum, parietariæ, flor. chamomil. meliloti, sambuci an. Mj. sem. fœnigræci & lini aliquantum contusi, an. ℥.ß. sem. anisi, fœniculi, carvi, cumini an. ℥j. Incidantur & contundantur omnia, postea indantur sacculo, ejus magnitudinis, quo totum scrotum possit cooperiri, qui intersutus coquatur in ℔ 12. aquæ font. Hujus decoctionis.

℞. ℔j. In qua dissolve Electuat. diacathol. ℥j. vitellor. ovor. n. ij. butyri recent. non saliti, & ol. commun. an. ℥iij. Misce, fiat Enema, quod protinus injiciatur. Sacculus vero parum expressus calide applicetur scroto, & recalefiat in eodem decocto, & applicetur, quotiescunque opus fuerit.

Post mediam horam rejecto Enemate, rursus aliud ejusdem decocti Enematis, cum admixto Electuario, oleo, butyro, vitellis ovorum, parumque mellis infudi, & sacculum calide applicui. Quo enemate denuo rejecto, & sacculo calido intestino probe lubricato, ægrum in lecto capite declivi, pedibus vero in altum elevatis, collocavi. Postea manu sinistra scroto apprehenso, eoque ventrem versus sublevato, & aliquo modo compresso, dextra vero imo ventris admota, reliqua intestina sursum versus pectus retrusi, sicque intestinum prolapsum felici cum successu in locum suum naturalem reposui. Deinde ad intestinum suo in loco cohibendum, sacculum hunc adstringentem applicui.

℞. Rosar. rubr. absynthii vulgar. folior. prunor. sylvestr. caudæ equinæ fol. salviæ & musci quercini an. M.ß. corticum querc. ℥ij. sem. fœnic. & anisi an. ℥j. Incidantur & contundantur, postea indantur sacculo, qui filo intersutus, & vino rubro incoctus, calide frequentius applicetur. Postera die, corpus sequenti potiuncula expurgavi.

℞. Radic. fœniculi. petrosel. gramin. polypod. querc. an. ℥ß. herbar. agrimon. veronicæ, cuscutæ an. Mß. sem. anisi fœniculi an. ʒij. folior. sen. mundat. ℥ß. Coquantur in aqua, ut colatura redeat ad ℥iiij. In quibus dissolve Electuar. diacarthami & diaphœnic. an. ʒiij. aq. cinamom. destill. sine vino ℥ß. Misce, fiat potio.

Tandem Emplastrum aliquod adstringens applicui, & subligaculum adaptavi. Sic divino favore gravissimo hoc periculosoque affectu liberatus fuit.

Joannes Hoff. Grammateus Hildenæ, compater meus plurimum honorandus, à multis annis Enterocele gravissime vexatus, cum anno 1593. in itinere aliquo modo defessus, in terram somni capessendi

gratia

gratia decumbens, obdormivisset, intestinum ad magnitudinem ferè capitis infantis in scrotum prolapsum est; quod quia illico repositum non fuerat, ab aëre tum temporis satis frigido in ipso scroto frigefactum & inflatum est. Hinc dolore exorto, ipsoque à somno expergefacto, vix domum (à qua iter unius horæ aberat) præ maximo cruciatu redire potuit. Ego ad illum accersitus, ipsum quasi semianimem cum animi deliquiis, vomitionibus frequentibus, iisque fœtidis, offendi. Dolores item tam maximi, tamque frequentes aderant, ut subinde sese ex una in alteram lecti partem jactare coactus esset. Statim itaque supra scriptum Enema exhibui, & sacculum loco affecto applicui. Postea pedibus elevatis capiteque declivi posito, intestinum feliciter reposui. Tandem expurgato corpore, & subligaculo applicato, plenissime convaluit, multosque dehinc annos sanos vixit.

Anno 1607. die 26. Augusti, Joannes Nadler, faber sclopetarius, civis Paterniacensis, homo septuagenarius & herniosus, dolore colico cum intestini descensu correptus fuit. Ego qua ta die morbi vocatus, ipsum febricitantem, cum maximis doloribus inferioris ventris offendi. Intestinum cum nonnullis excrementis in eo contentis in dextrum inguen prolapsum erat, supraque modum durum percipiebatur. Quapropter cum illud vi reducere, consultum minus fore animadverterem, protinus ventrem, scrotum & inguen, oleo liliorum albor. pinguedine anser. & caponis nunxi, sacculumque ex emollientibus qualem supra dedi ipsi, calide applicui, & enemata infudi. At quia in reductione intestini quæ citra violentiam maximam fieri non potuisset, timendum erat, ne intestinum læderetur, in usu medicamentorum prædictorum, per dies aliquot pergere visum fuit. Interim excrementis in intestino proinde inclusis, emollitis, injectis quoque per intervalla enematibus emollientibus & attrahentibus, intestinum paulatim in locum suum naturalem retrocessit, ita ut ex maximo illo periculo Dei beneficio liberatus fuerit. *Idem ibidem.*

Sarcocelen ut plurimum dextras occupare partes probatur.

Generosus quidam juvenis, cum amasiam suam amplecteretur, atque cum ipsa in actu venereo esset, & jam semen ejaculare vellet, à quodam cubiculum ingrediente in actu ira deturbatus fuit, ut semen retrocesserit, retentumque fuerit, quapropter dolor in inguine exortus est, & testiculi intumuerunt. Cum vero morbum propter verecundiam celasset, dolor in sinistro inguine paolatim per se remisit, intumefactio evanuit, & testiculus ad naturalem statum rediit, circa dextrum verò tumor remansit, qui successu temporis in ingentem herniam carnosam excrevit. Ego cum aliis magni nominis Medicis in consilium tandem adhibitus, non solum carnem circa dextrum testiculum concretam, verùm etiam scrotum serosis humoribus ita extensum reperi, ut magnitudinem capitis infantis fere adæquaret.

Ante annos aliquot patritium Coloniensem unà cum clarissimo viro Dn. D. Joanne Slotano Medico celeberrimo invisi: Laborabat & ille maxima hernia carnosa, eaque ex dextra parte.

Anni elapsi sunt tres, à quibus Bernam Helvetiorum ad virum quendam nobilem unà cum clarissimo viro Dom. D. Paulo Lentulo poliatro Bernensi vocatus fui. Laboraverat ille per annos aliquot hernia carnosa ex dextra parte, tandem quoque hydrocele accessit, ita ut scrotum in illam magnitudinem extenderetur, ut membrum virile planè absconderetur.

Ante menses quatuor Paterniacensis quidam Johannes Comes nomine, viginti quatuor circiter annorum ætatis, Lausannam ad me venit. Huic testiculus dexter in massam carneam durissimam, quæ magnitudinem pugni longe superabat, excreverat. Deliberavimus inter nos, ut ineunte Vere manum adhiberem. Verum cum aliquantisper diutius apud vos moram traherem, & affectus de die in diem mira celeritate accresceret, Friburgum se contulit, ibique curationi cujusdam Chirurgi sese submisit. Quid vero cum ipso factum fit, nondum intellexi.

Cùm ante menses duos apud vos viverem, in pagnum Vauxuaiiançon ad Reverendum Virum Dn. Casparum Perretum, ibidem presbyterum vocatus fui. Illi autem non solum testiculus dexter, verum etiam vasa spermatica veluti in lapidem induruerant, ita ut manu compresso abdomine, duritiem illam in ipso quoque hypochondrio dextro persentire possem. Malum autem ad ipsam originem usque vasorum spermaticorum ascendere, dolor ipse, quem è regione vasorum spermaticorum ad renem usque dextrum continuo persentiebat, indicabat. Aderat prætetea vomitus, & appetitus prostratio, non tamen propter herniam, ut quidam, qui ipsum ante me inviserat, statuit, sed ratione tumoris dolorosi & duri, è regione fundi ventriculi existentis, quique compresso abdomine, tactu facile percipi potuit. Quid plura? in tota praxi mea unicum solummodo, ex sinistra parte laborantem hernia carnosa (quæque tandem in cancrum exulceratum atque insanabilem degeneravit) me vidisse memini. Peculiaris itaque hujus rei ut aliqua sit causa, necesse est. Te, Vir doctissime, ut pro acumine ingenii tui, usu, atque experientia rerum medicarum, illam inquirere, mihique haud gravatim communicare velis, obnixè rogo. Ego quid sentiam hac de re, paucis annectam.

Hernia carnosa, quam Græci Sarcocelen vocant, teste Galeno, fit testiculo indurato, & ut idem Galenus testatur, cum scirrho convenit. Caussam vero, humorum crassorum, ad testiculorum decurrentium abundantiam, atque partis affectæ debilitatem esse, Guido & alii statuunt. Platerus ex confusione vasorum spermaticorum in scroto, item ex succo è vasis illis luxuriante: Petrus Pigray vero ex homore non naturali è venis exsudante, ac paulatim in carnis substantiam transeunte, fieri scribunt. At vero Vigo docet, per affluxum alicujus humoris fieri herniam carnosam, nempe cum hujus materiæ subtilior pars propter calorem testiculorum in halitum resolvatur: quicquid vero crassum & viscosum est, remaneat, in scirrhum tandem illam indurescere. Prædictæ porro caussæ, etsi minime rejiciendæ, attamen cur potius in dextro, quam in sinistro testiculo locum habeant, nondum satis manifestum fit. Etenim potius circa sinistrum testem herniam carnosam gigni debere, non immerito cuipiam videri possit. Dexter enim testiculus cum propter vasa à magnis vasis eo delata, sit calidior sinistro, ipsum robustiorem quoque esse sequitur. Ad calidum enim & siccum temperamentum (Galeni verbis utor) quod actionum robur consequatur, omnibus in confesso est. Potios itaque circa sinistrum testiculum, qui dextro imbecilior est, sanguinemque impuriorem, ut idem Galenus testatur, ad se trahit,

fluxum illum humorum delabi; ac proinde carnosam illam substantiam procreari posse, verisimile esse mihi videtur. Id vero cum rarissimè observatum fit, caussam carnosæ herniæ obscuram esse, cum Paulo Æginetа statuo. Quod si tamen præter prædictas caussas, retentionem & alterationem, aut veluti corruptionem quandam seminis hujus mali caussam quoque esse, concedere velis, non usque adeo difficile erit causam invenire, cur in dextro testiculo potius quam in sinistro gignatur. Et revera retentionem seminis in Generoso isto viro, cujus ab initio memini, caussam totius mali fuisse, certum est. Cum enim vasa omnia semine & spiritibus turgerent, & natura ut sese exoneraret, intenta esset, retentionem, ac veluti refluxum illum seminis absque ingenti periculo fieri non potuisse, dolor ille, qui in inguine subortus est, testis fuit. Idem forsassis & in reliquis, quorum facta fuit mentio (qui forsan caussam morbi propter verecundiam celarunt) accidit. Hujusmodi enim herniæ utplurimum in juvenibus, qui sanguine & semine abundant, & in cœlibatu vivunt, accidere solent. Raro autem fit ex sinistra parte, quandoquidem seminalis vena sinistra non à vena cava, quemadmodum dextra, sed ab emulgente sinistri renis exoritur. Itaque verisimile mihi plane esse videtur, cum semine ex vena emulgente nonnihil salsedinis & nitrositatis, quæ crassos viscososque humores incidat & resolvat, exsiccet, & putredini adversetur, ad sinistrum testem defluere. *Idem Cent.4.*

De Hernia aquosa, in qua præter spem & opinionem carnosa quadam substantia, vasis spermaticis adnata, reperta fuit.

Argentina discedens, in Alsatio nobilissimum quendam juvenem, hernia aquosa laborantem invisi. Huic quia spatio quatuor annorum varia medicamenta, cum à me aute annum, tum etiam ante ab aliis frustra præscripta & adhibita fuere, petierunt parentes, ut tentarem an aliqua alia via sanitati restitui possit filius, se quoque fore contentos, ut incideretur scrotum, dummodo conservaretur testiculus. Parui, intra 3. septimanas curationem me feliciter absolvere posse sperabam: quandoquidem exterius nihil aliud præter aquam, quæ sive ad radios solares, sive noctu ad candelam exponeretn scrotum, limpidissima, & in vesicula veluti in ampulla inclusa, apparebat: tactu quin etiam nulla durities percipi potuit, ita quidem, ut nihil præter aquam subesse putarem, uti & ante me ab aliis Medicis & Chirurgis judicatum fuerat. Sed bone Deus, quàm me fefellit opinio! quam verissimam esse divini Hippocratis sententiam, *Judicium difficile*, ipsa inveni? purgato enim & præparato prius corpore, cum caustico meo, absque ullo tamen dolore, scrotum perforassem, & tertio die post applicationem escharam separassem, præter aquam etiam carneam quandam & induratam materiam circumcirca vasa spermatica inveni. Post excisionem itaque escharæ, cum nonnihil humoris serosi effluxisset, dolor ingens in infimo ventre, imprimis in inguine dextro (qui erat locus affectus) subito exoritur, sed momentaneus: antequam enim anodynum præparassem, per se, & nullo adhibito medicamento, remisit. Sequenti nocte scrotum aliquomodo intumuit, & tumor durissimus in superiori parte vaginæ, circumcirca vasa spermatica plenius percipiebatur. Tunc gravissima illa & periculosa symptomata, quæ ex hujusmodi apertionibus aliquando provenisse sciebam, mihi in mentem venerunt. Ante annos enim aliquot, cum præstantissimus ille atque Excellentissimus Medico-Chirurgus Dom. Johannes Griffonius, piæ memoriæ, Sabaudo cuidam Lausannæ scrotum aperuisset, & nihil aliud præterquam de hydrocele cogitasset, carnosa quoque substantia, testiculo & Vasis spermaticis adnata; sed seroso humore velut submersa & tecta, reperta fuit, quæ & paulò post in cancrum malignum degeneravit, ubi medicamenta, ferrum simul & ignem, frustra adhibuit Griffonius.

Ante annos circiter tres Lausannæ idem ferè mihi in quadragenario accidit. Sed ambo isti viri, quod non omittendum, pravis humoribus referti erant. Nobilis verò noster æger sanus est corpore, interim tamen seriò apud me perpendens periculum, anxius fui, præcipue eam ob caussam, quod de periculo ab initio nihil prædixeram. Ægri tamen ætas juvenilis, constitutio corporis optima & sana, & quod ad illud usque tempus ab omni dolore, inflammatione, & febre immunis fuerat, obediens præterea, cordatus & ad omnia, quæ agenda & patienda, paratissimus esset, animum meum à solicitudine abducebant. Iterum igitur expurgato corpore, quæ leviter emolliunt, simul & discutiunt, veluti emplastrum de mucilaginibus cum gummis, de meliloto, & de ranis, per dies aliquot applicui. Ex illis cùm malum minime ingravescere, quin potius duritiem decrescere, ac nihil maligni subesse (ab emollientibus enim medicamentis, inquit Galenus de simplicibus medic. lib. 5. cancrosi tumores exasperantur, uti quoque in prima centuria observationum mearum exemplis demonstravi) inde cognovissem, ad fortiora perveni. Ulceri itaque pulverem insigniter emollientem, & materiam ex profundo extrahentem quotidie semel inspersi. Exterius linimenta, emplastra, cataplasmata, & similia emollientia applicui, quibus remediis Deus Opt. Max. ita benedixit, ut per singularem Dei misericordiam (cui in omne ævum laus sit & gloria) spacio quinque septimanarum, curatio feliciter ad optatum finem perducta sit. Vides clarissime mi Dom. Schlanovi, quanta in hisce affectibus sit difficultas, quantaque diligentia & vigilantia requiratur, quod si corpus cacochymicum extitisset, procul dubio propter accursum humorum de ipso actum fuisset. Hæc non sine caussa, quæ te non latet, ad te scribo, & ut litteras nobilissimo viro, simili affectu laboranti, communicare velis suadeo. *Idem ibidem.*

De Herniæ aquosa felicissima sectione.

Hernia aquosa, si ex caussa interna ac latente originem habet, ut plurimum sinistram partem scroti occupat, serosusque ille humor in membrana testem involvente, Erythroidæa dicta colligitur; idque præcipuè fit tene sinistro, ut Dodonæus rectè annotavit, male affecto: quapropter serosos humores non attrahens, & ad vesicam mittens, per venam seminariam, quæ isto in latere ex emulgente procedit, in membranam Erythroidæam delabitur. Sectio autem herniæ aquosæ, si ex hujusmodi caussa originem traxerit, & testiculus simul exemptus fuerit, periculo non vacat, ut idem Dodonæus observat, cap. 39. & 40. annotavit. Itaque ne temere quicquam hac in re tentet Chirurgus, suadeo. Ne tamen Tyrones cum meo in præcedenti observatione exemplo,

cum

tom exemplis à Dodonæo recitatis deterreantur, & ab officio atque instituto abducantur, sequenti exemplo illis animum erigam.

Jacobus Gerbetus, vir pius & illustrissimæ Reipublicæ Bernensis Commissarius dignissimus, quadragenarius, robustus, & bono corporis habitu præditus (cui & in juventute calculus per incisionem ex vesica extractus fuerat) à multis annis hernia aquosa ex sinistra parte vexabatur. Multa ipsi cum à me, tum ab aliis Medicis doctis præscripta & adhibita, tum interna, tum externa fuere medicamenta, absque fructu tamen omnia: ita ut tandem in maximam molem excresceret scrotum. Cum vero æger tumorem in dies augeri vidisset, denuo me advocandum jussit, petiitque, ut extremum sibi auxilium adhiberem; quod etiamsi periculo omnino non vacaret, experiri tamen potius malui, quàm in hujusmodi miseriis vitam diotius trahere. Quamvis enim dolorem non adeo gravem inferret tumor ille, equitando tamen & ambulando ipsi maximo erat impedimento.

Præparato itaque satis corpore, tum optima victus ratione præscripta, tum purgationibus aliquoties reiteratis, & venæ sectione, septima die Maii Anno 1602. ægrum in sedem collocavi, deinde in superiore parte usque ad tunicam Erythroidæam inciso scroto, ipsum ex anteriori parte ab ipsa membrana aliquantum separavi. At quia tota aqua in tunica illa continebatur, ita ut testiculus ei innataret, ne in posterum denuo descenderet aqua, acu incurvata, ac filo reduplicato universam hanc tunicam (præter vasa seminalia) apprehendi, & mediocriter constrinxi atque ligavi. Posteà ex inferiori parte ligaturæ, membranam jam ante dictam secundum longitudinem incidi, & aquam ad libras aliquot extraxi, paulatim tamen, ne vires deficerent. Deinde turondam satis longam crassamque, ex stupis factam, ex albumine ovi madefactam, ad latus testiculi & inferiorem partem scroti versus infixi. Inguina & imum ventris oleo rosaceo inunxi, & haspum cannabis vitello atque albumine ovi, cum pauca aqua rosacea conquassatum madefactum applicui. Postero die iterum ventre & inguine inuncto, sequens digestivum applicui.

℞. Terebint. lotæ ʒij. ceræ novæ ℥ß. gummi elemi ʒj. ol. rosac. & amygdal. dulc. an. ℥ß. ol. de vitellis ovorum ʒij;

Dissolvatur gummi lentissimo igne cum oleis, terebinthina, & cera separatum cum & pauxillo olei liquefactis, & additis, fiatque unguentum: tum admisce vitellum ovi, croci ℈ß. Unguentum turundis longis & crassis vulneri imposui, & emplastrum Basiliconis applicui. Neque processum huncce, antequam vulnus probe esset digestum, mutavi. Tum pulverem mundificativum ulceri, & turundis quotidie semel aut bis inspersi, & ulcus per menses duos apertum retinui: interimque scrotum omni diligentia mundificavi, corpus item per intervalla purgavi. Tandem vulnus cicatrice obduxi, bona ægri cum valetudine, qua etiam ad hunc usque annum 1608. quo hæc scripsi, fruitur. Ab eo tamen tempore optimam victus rationem observat, & singulis annis aliquoties superfluos humores pharmacis expurgat.

Annotatio.

In hac operatione cautus ut sit Chirurgus atque circumspectus, propter pessima symptomata, quæ supervenire solent, necesse est. Inprimis autem nullo modo operationem hanc, nisi prius bene præparato corpore, incipiat. Quod si intemperiem aut vitium aliquod in rene subesse cognoverit, aut ab ipsa operatione omnino abstineat, aut scrotum in inferiori sua parte tantommodo incidat, ut serosus ille & inclusus humor effluat, via tamen nullo modo (ut fit cum testiculus abscinditur) obstipetur, & serosus humor, qui à rene attrahi non potest, in abdomine retineatur, sed si opus est, denuo illic defluere possit. Vidi ego Bilaoriis sexagenarium virum pium ac probum cui Dom. Johannes Griffonius, Chirurgus præstantissimus propter herniam aquosam singulis annis scrotum ex inferiori parte perforabat, & serosum humorem evacuabat, postea ulcus ad cicatricem perducebat. Pervenit homo iste ad summam senectutem. Sin autem in rene vitium non fuerit, & defluxum planè impedire volueris, incisionem superiori parte scroti prope inguina fieri expedit, quandoquidem duplex Chirurgo est scopus, prior evacuare serosum humorem, posterior prohibere, ne rursus de novo aqua in scrotum defluat, coacerveturque. At cum aqua hæc ut plurimum ex corpore in tunicam illam erythroidæam dictam defluat, eamque extendat, necesse est ut incisio in superiori parte scroti fiat: sic enim tunicæ dilatatæ corrugantur, & cicatrix impedit, ne aqua postea facilè in scrotum defluat. Ut autem hæc operatio rectè & majori cum facilitate administretur, non super scamnum ligandus est æger, nec supinus decumbere, sed in sella sedere debet, ut melius aqua deorsum descendat, & tunicæ in inguine facilius separari, & acu apprehendi possint. *Idem ibidem.*

De herniæ aquosæ periculosa sectione.

Hernia aquosa aut simplex est, aut composita. Simplicem appello, in qua sola aqua scrotum extenditur; compositam, ubi circumcirca testiculum materia putrida collecta, aut denique varices ortæ fuerint. Accedit & nonnunquam, Camerario teste, aquosæ herniæ, prolapsus intestini in scrotum, quod & ego observavi. Caro item sæpissimè testiculis & eorum tunicis adnascitur, serosus enim humor iste nonnunquam acris factus, venas capillares, membranasque leviter erodit: hinc pars illa sanguinis, quæ paulatim exsudat, quæque optima & laudabilis est, beneficio caloris innati in carneam substantiam concrescit. Indurescit autem sensim, propterea quod calor nativus paulatim debilitatur: interim tamen in illam aliquando molem augetur atque accrescit, ut magnitudinem capitis humani, Montagnana consil. 227. Foresto lib. 27. scholio, observat. 23. attestantibus, accedat. Reliquum vero sanguinis, quod serosum est, paulatim membranas totumque scrotum adeo extendit, ut caro ista, quæ testiculo adhæret, digitis palpari non possit. Hujus rei exemplum memorabile clarissimo, ac longè celeberrimo Viro Dn. Johanni Griffonio, Præceptori meo perpetuo honorando observare contigit.

Quadragenarius quidam, natione Sabaudus, à multis annis hernia aquosa laborans, in Hispania, à Medico quodam per scrotum trajecto setaceo, parvo cum negotio primo sanatus fuerat. Post annos vero aliquot, cum in victus ratione peccasset, & in Pharmacis sumendis negligens fuisset, denuo in scrotum delapsus est humor serosus, qui non solum membranas totumque scrotum in maximam magnitudinem extendit; verum etiam carneam substantiam

procreavit, quæ tractu temporis supra modum indurata, naturam cancri sapiebat, idque eventus demonstravit clarius. Accedens enim Lausannam, ubi Dn. Griffonius tum temporis degebat, nulla in ipso cognosci potuit hernia carnosa, ita seroso humore extensum erat scrotum. Inciso scroto plurimum effluxit aquæ. Hinc scrotum primò subsedit; post paucos tamen dies sequutus est dolor vehemens, inflammatio & cancrosum ulcus maximeque malignum, quodque adeo impetuosè adjacentes partes occupavit, ut ipsius malignitas nullo modo arceri posset. Itaque intra paucos dies maximo cum cruciatu è vita discessit.

Admonitio.

Diligenter itaque Chirurgus signa omnia, quæ de herniis à Celso, Paulo Ægineta, aliisque medicis & Chirurgis describuntur, examinet, essentiamque morbi accurate investiget, antequam manus operi adhibeat, ne malum in pejus ruat. Præterea videat, ne corpus multis humoribus pravis scateat, aut vitium aliquod insigne in renibus subsit, quemadmodum fuerunt in istis viris herniosis, quarum Dodonæus Observat 39. & 40. mentionem facit. Quotiescunque verò Chirurgus una cum aqua carnem circumcirca testiculum concretam subesse cognoverit, præstat scrotum incidere, testiculum, & quicquid circa ipsum concretum, separare atque excindere, dummodo id radicitus fieri possit: Si enim scirrhosa illa materia processum sive didymum, ut vocant, jam occupat, & abdomini adhæret, frustra tentabitur incisio, & chirurgo infamiam, ægro vero immaturam mortem inferet. *Idem ibidem.*

Ex herniæ aquosæ inepta sectione immatura mors sequuta.

Dominus Petrus Crottesius, Paterniacensis Senator prudentissimus, Vir genere, virtute & pietate verè nobilis, quadragenarius, robustus, & optimo corporis habitu præditus, cum anno 1606. ex equo in terram cecidisset, scrotum & testes sibi adeo contudit, ut inde exorto dolore, sequuta sit inflammatio, scrotum quinetiam & testes mox in tumorem magnum elevati sint. A principio propter verecundiam malum celavit. Tandem cum me in consilium adhibuisset, victus rationem tenuem præscripsi, corpus purgavi, & venam in cubito incidi. Loco vero affecto ab initio anodyna, discutientia & quæ simul aliquo modo repellunt, quale est seq. cataplasma applicui.

℞. Farinæ hordei ℥ij. farinæ fabarum ℥j. Coquantur posca ad formam cataplasmatis, in fine admisce pulveris rosarum odoriferarum ʒß. & post unicam ebullitionem remotis ab igne, admisce vitellum & albumen unius ovi, olei rosarum patum, fiatque cataplasma, quod scroto per dies tres tepide applicui, bis in die. Deinde quæ magis resolvunt adhibui: quale est sequens cataplasma.

℞. Farinæ fabarum ℥iij. hordei ℥j. Coquantur vino rubro ad formam cataplasmatis, postea admisce pulveris rosarum, Florum chamomill. meliloti ana ʒß. Olei rosarum & chamomill. ana ℥j. Vitellum & albumen unius ovi. Misce, fiat cataplasma.

Horum medicamentorum beneficio dolor & inflammatio omnino remiserunt, inflatio quinetiam præcipuè ex dextra parte scroti subsedit. Circumcirca verò testiculum sinistrum in membrana Erythroidæa, tumor quidam ex seroso humore remansit. Denuo itaque corpus per intervalla purgate visum fuit; loco affecto fomentationes & cataplasmata, quæ incidunt, resolvunt, & discutiunt, admovi. Verum enim vero cum frustra hæc omnia esse viderem, suasi ut scalpello aut novacula scrotum incidi permitteret: sic enim inclusum humorem facile & absque periculo evacuari posse, ipsi promittebam. Ille etsi non recusaret, quia tamen tunc præ aliis occupationibus ipsi non liceret totum negotium naturæ tantisper, donec tempus esset aptum, committere voluit. Porro etsi tumor scroti paulatim accresceret, & serosus humor magis magisque in membranam Erythroidæam deflueret eamque distenderet, exiguum tamen incommodum inde ipsi sequebatur. Quapropter cum hac de re non usque adeo sollicitus esset, res in annum usque 1608. prolata fuit. Tum me absente, plane imperiti in manus empirici incidit. Is nulla habita ratione corporis, neque quod hesterno die in magnifico quodam convivio fuerat, & proximam præcedentem noctem inter pocula cum amicis absumpserat, vigesima tertia Maii, postquam laute jentasset, & vino generoso atque mero iterum incaluisset, ipsum in scamnum collocavit, ac restem vi quadam extraxit. Post operationem mox supervenit & febris ardens atque continua, vigiliæ aliaque symptomata, qui pium sc optimum huncce virum, ad finem usque vitæ suæ continuo ac miserè extorquebant. Et quia artis periti homines in consilium vocari minime fuere, lipothymia quoque & sudores frigidi tandem supervenerunt, ita ut vigesima die morbi animam Deo pie reddiderit, maximo cum luctu civium & reipublicæ dispendio. Post mortem scrotum totumque sinistrum latus supra modum intumuit, nigrum lividumque evasit. *Idem ibidem.*

Pro Hernia Inguinis.

Puella quædam duodecim annorum per dimidium anni hernia inguinali laborans, quum à Medicis quantumvis doctis, quorum opera usa fuerat, sanari non potuerit, ad me accedens, in hunc modum cum ea processi: ut sequentem bolum omnium primo devoraret præcepi.

℞. Cass. rec. extract. ʒvij. sem. dauci. pulv. ℈iß. sacch. asperso, F. bolus. Deinde hoc fotu usi sumus.

℞. Rad. alth. ℥ij. fol. malv. fl. chamæ. melilot. summit. aneth. an. Mj. sem. lini ℥ß. F. decoctio in aq. pro ℔iß. quo fotu sine magno negotio intestina in locum suum reducta fuere. Deinde jussimus, ut quotidie locus affectus inungeretur oleo ovorum, myrteo, & hyperici simul mixtis, & ut mox emplastr. contra rupturam applicaret per plures dies: & ut subligaculis ad hoc aptis utens, rectè ciuctâ semper procederet: præterea præcepi, ut interea perpetuo uteretur cerevisia in qua decocta esset radix consolid. maj. adjecto exiguo sacchare ad saporem: istis continuatis hæc tandem rectè curata fuit. Petrus Forestus, obs. 11. lib. 27. *De Scroti & Testiculorum vitiis.*

Inter arcana Jo. Tiengii Medici quondam amstelodamensis hoc erat, quod quidam potans tribus septimanis ex decocto rad. sigilli Mariæ in vino curatus sit à ruptura. Ego etiam fœlicissime utor rad. sigilli Mariæ vel Solomonis. *Petrus Forestus. obs. 15. lib. 27.*

Avenzoar refert de Juvene quodam qui hoc malo laborabat decubuitque duobus mensibus in dorso suo, & cum bono regimine sine medicinarum applicatione liberatus est. *Idem obs. 10. lib. 27.*

Danda

Danda opera ut alvus sit lubrica: tumorem totum inungat terebinthina, sed prius foveatur decocto absynth. ex vino: sacculus etiam parvus ex foliis absynthii apponi poterit. *Jo. Crato. consil.17. lib.7.*

Oleum hyperici compositum, quo utor per se illitum subinde calidum, mirum in modum in hoc effectu efficax atque ut se comperi, quemadmodum aliis ruptis, convulsis, recens vulneratis, maxime ubi membranæ aut nervosi generis aliquid oblæsum est. Oleum ita fiat.

℞. Ol. opt ℔iß. sem. & fl. hyperic. ℥ix. vini Hispan. vel malvat. ℥viij. rad. tormentil. ʒiij. myrrh. gummi elemi, sarcocoll. thur. aloës, an. ʒiß. lumbric. lotor. vino ℥iij. M. S. A. contusa bulliant ad dimidii consumptionem in duplici vase, deinde exprimendo coletur oleum: in eo dissolve croci ℈iiij. ol. abietin. (resinam vel lachrimam abietis ita vocant) vel ejus loco terebinthin. puræ ℔ß. fl. maturor. hyperic. M. j. insunde mista per dies sex aut octo, ad Solem diligenter obturata, Solis calore deficiente, post panem extractum, imponantur furno, deinde diligenter prioribus floribus expressis infundantur secundo, tertio, quarto, alii recentes hyperici flores, prioribus exemptis; atque ita comparatum oleum servent in usus.

Emplastrum sequens continuo gerant.

℞. Empl. contra ruptur. ℥j. mastich. glutin. piscium, sarcocoll. an. ʒij. pulv. rad osmund regal. sang. drac. an. ʒj. thur. alb. pulv. rad. consolid. maj. mumiæ, an. ʒß. gummi dissolvantur in aceto & cum olei hyperic. supradicti, q. s. F. empl. S. A. *Reinerus Solenander. consil.14. sect. 4.*

Pro Hernia intestinali oscheocele.

Novimus Illustriss. principem, qui jam annos circiter viginti & tres intestinorum satis magnum ramicem perfert solius fasciæ aptæ beneficio, & tamen sine ullo valetudinis dispendio, omnes principum actiones etiam vehementes & graves in venationibus; equitatione frequenti etiam in succussante equo, in longis & difficillimis peregrinationibus, in intenso frigore subire solet. Si quando tussiendum erit, item quotiescunque alvus egerenda, maxime si ea durior fuerit, inguen oblæsum retinendum, atque utraque aut saltem altera manu adducendum comprimendumque in cibis cuncta, quæ ventrem flatibus implere nata sunt ac distendunt, vitanda: quod si accedat ut ileum intestinum vel quid aliud procidat & descendat in scrotum, & mota ibidem flatibus aut induratis fæcibus ita distendatur, ut difficulter reduci possit, ex usu erit (quod in ista necessitate subinde factum utile comperi) ut ex stercore ovilin dulci lacte incocto fotus adhibeatur, tum etiam idem cataplasmatis in modum apponatur, reiteraturque ut postea blandis manibus contrectatum reducatur. Ego fidem facio me aliquoties isto fotu prædicto, cum res alioqui videretur in præcipiti esse, prolapsa & aliquandiu extra corpus existentia intestina reposuisse, antea tentatis frustra aliis remediis, quapropter hoc te celari nolui: quidam ab hernia sanatus fuit perfoliatæ usu, non tamen sine apta fascia. Ego non paucos hernia affectus juvenes in quiete degentes fasciæ commode ope percuravi, non admodum multis adhibitis medicamentis: ad hernias probantur symphytum majus, sanicula, jacea alba & nigra, sigillum Salom. quinque folium, tormentilla, filix, pilosella, cujus integræ herbæ pulverem Maio collectæ, infantibus & pueris herniosis continuo in cibis, in lacticiniis, puerilibusque pultibus exhibitum comperi mirum in modum profuisse. Quidam perfoliata ad rupturas sanandas fœliciter utuntur. Novi qui hunc affectum novem ex ordine diebus cinere lactantis leporis in vino rubro vel decocto consolid. maj. exhibito sanarunt.

Caspar Peucerus, Vir & pietate & doctrina insignis narravit D. Adolpho Occoni medico & mihi, se puerorum hernias recentis coagulati & in caseum formati lactis impositione curasse. Scribit Hollerius se herniariæ herbulæ succo expresso affuso vino exhibito novem diebus perfecte hunc morbum curasse, & Antonius Valetius, qui luculentis exercitationibus Hollerii praxin ornavit, testatur aquæ ejus herbæ stillatitiæ unico haustu percurasse Parisiis adolescentem, cui citatior saltus insignem herniam induxerat: adhibito tamen, ut scribit, emplastro. Vocatur hæc herba Holleriana, quod Hollerius primus ejus in hoc affectu efficaciam observaverit. Præscripta hæc omnia ex simplici medicina desumpta remedia tam exterius admota, quam intro assumpta in proprie dictis herniis prodesse mirifice possunt: quæ tamen in præsenti casu maxime profutura arbitror, hæc insequentia ex prænominatis selecta notare placuit: itaque reducto intestino applicetur ceratum hoc triquetrum inguini superposito splenio (quod fasciæ annexum inguen ne dehiscat aut laxetur continere debet) ut totum inguen contegat, prius nudato loco pilis.

℞. Nuc. cupress. gallar an. ʒj. balaust. hypocist veri, an. ℈ij. mastich. ℈iiij. rad. consolid. maj. pulv perfoliat. herniar. an. ℈iiß. bdell. ʒjß. boli armen. ʒij. sang. drac. ℈iiij pic. græc. ℥j. resin. pin, ʒvi. cum terebinth. cera & oleo, vitell. ovor. vel hyperic. magistr. q. s. F. ceratum: hoc fœliciter usus sum.

Verum usitatum illud commune Arnoldi de Villa Nova ex pelle arietina dictum mihi præ cæteris omnibus maximopere probatur.

Recordor me Medicum exercitatum vidisse, qui assumpto quantum volebat gummi elemi, affundebat acetum, eo macerabat donec acetum in superficie obduceretur, alba pinguedine, tum affusis olei paucis guttis (oleum è vitell. ovor. vel hyperic. magis probarem) coquebat gummi lento igne liquatum ad formam cerati. Quando ego ipsius usum commodum scio, improbare haud queo. Ego hoc in pueris aliquoties fœliciter sum usus.

℞. Perfoliatæ viridia folia, & rad. consolid. maj contero ut plane subacta simul sint & lævigata, addo ceræ novæ vel propolis tertiam partem, vel paulo plus: concorporata & bene commixta induco pittacio, ut inguini affecto sub splenio imponi possint: te autem suadeo, ut hoc quod sequitur simplicissimo utaris.

℞. Consolid. maj. radicem solam ab omni sorde ablutam, munda nihil interim abradens, istam exquisite tritam, & lævigatam, calefactam leviter induc pittacio aliquo lineo albo & impone emplastri modo inguini rupto sub splenio: mutetur bis in die, inducto alio. Observavi intra dies quindecim ista ratione coalescere: possunt consolid. maj radices saccharo condiri, subindeque exhiberi. *Reinerus Solenander conf 13. sect.4.*

Ætius jubet papyrum (nos charta emporetica uti poterimus) triduo in aqua macerari atque in globum coactum inguini apponi, reposito prius intestino: Solet enim triduana adhæsione à delapsu vindicare; sed erit efficacius si aqua astringenti, ut puta rosac. myrtac. papyrus vel charta maceretur; hoc remedio ait Paræus se multos sanasse. Rodericus à *Fonseca. tom. 2. consult.36.*

Filiolus cujusdam pharmacopæi hernia intestinali laborans hac ratione fœliciter curatus est.

℞. Beton. autic. muris, veronic. alchymill. pyrol. solidag. sartac. agrimon. sanicul. an. M.ß. rad. caryophyllat. ʒß. incis. & contus. coq. in M. ij. aquæ ad consumpt. medietatis: bibat manè & vesperi haustum. postea.

℞. Lapid. magnet. mastich. an. ʒij. lap. calaminar. sang. drac. an. ʒj. ferri ℥ß. bol. armen. ℥ß. vini sublimat. quart. j. M. in hoc pannus duplicatus intinctus herniæ fortiter adligabatur bis quotidie, mane & vesperi cum fascia: brevi convaluit. *Hieronymus Reusnerus. observ. 95.*

Enterocelen adsumpta limatura ferri atque empl. magnetico apposito in seipso sanatam narrat Thom. Campanella, lib. 6. Medicin. cap. 20. art. 2. quam tamen curandi rationem frustraneam doctissimè ostendit Athanasius Kircherus. lib. 3. De Magnete part. 7. c. 2. & contra Paræum urget Vop. Fort. Plempius. schol. in Ebn. Sin. lib. 2. quanquam non magnetismi ratione, sed propter vim siccandi admittat author Enchiridii medic. pract. cap. De Enterocele. qua ratione hic quoque probari debet. Hieronym. Velschius. *notis ad obs. 95. Reusneri.*

Generosus quidam Bernensis sexagenarius spatio viginti annorum insigni ac maxima hernia intestinali laboraverat, ad quam curandam, tum me, tum alios in Gallia & alibi expertissimos adhibuerat Medicos & Chirurgos, sed frustra: tandem cum de sanitate recuperanda ne quidem cogitaret amplius, & subligaculis, ne ingravesceret malum, uteretur, incidit in morbum, à quo ultra menses sex lecto affixus fuit. Post morbum hunc ne minimum quidem indicium præcedentis herniæ sensit, nec amplius utitur spleniis aut subligaculis. Ex his manifestum fit, quietem & decubitum in dorso, unicam esse panacæam herniatum. Guil. Fabricius Hildanus obs. 54. cent. 5.

In Enterocele, Bubonocele & Epiplocele valet balsamus salis gemmæ, arcanum summum in rupturis, qui hoc modo fit.

℞. Salis gemmæ ℔ij. fluat in igne (in tigillo) & postea solvatur in aqua pluviali destillata, filtretur, & vicissim coaguletur; has operationes liquefactionis, solutionis, filtrationis, & coagulationis tantisper repete, donec sal gemmæ ad summam subtilitatem fuerit perductum, quod inde cognoscitur, quando ejus particula ad candelam admota, statim liquescit: serva in vitro bene clauso: cura sic fit.

Repositis, si opus est (ut in Enterocele & Epiplocele) partibus prolapsis, locus affectus lavetur cum aceto destillato acerrimo, vel cum spiritu vini, quotidie bis post fomentationes statim inungatur locus cum arcano salis gemmæ: ad intra exhibe singulis diebus mane jejuno ventriculo essentiæ consolid. maj. cochlear unum cum guttis ij. balsami salis gemmæ.

Si intestina & reliqua prominentia difficulter reponi possint, etiamsi emollientis per insessiones & fomentationes fuerint adhibita, ut fœliciùs absolvatur cura, cæteris non neglectis, sic procede. Post adhibitas fomentationes quotidianas patienti exhibe per tres aut quatuor dies cor talpæ exsiccatum & pulverisatum (quotidie cor unum) mense Maio collectum cum aq. cinnam. & fœlicem videbis operationem: inungatur locus cum balsamo sulphuris. *Io. Hartmann. practic. chimiatr.*

Pro Hernia intestinali & omentali.

Post universalium & ordinariorum remediorum usum, exhibeatur cochlear insequentis pulveris, mane & vesperi, hora una ante cibum, continuando usque ad perfectam sanationem.

℞. Cortic. myrobal. Indar. chebul. an. ℥jß. nasturt. portulac. plantag. sumach. an. ʒß. corall. rub. lapid. hæmatic. carab. an ℈j. cinnam. el. ℈iiij. sacch. rosat. ℥iiij. F. pulvis. *Io. Fernelius consil. 66.*

Pro Hernia hydrocele.

Vir quidam herniam aquosam, ὑδροκήλην, vocant Græci, patiebatur, quam citissime removi oleo sulphuris: quo totum ramicem perungebat mane ac vesperi, & applicabat sacculum ex calentibus cineribus factum. Martinus *Rulandus. curat. 82. cent. 8.*

Paretur cataplasma ex stercore vaccino rec. & tertia parte pulv. bol. arm. ad idem maxime valet & mihi valde probatum est Cataplasma nunc describendum.

℞. Stercor. capræ ℥jß. cochlear. cum suis testis contusis ℥j. cumin. pulv. sulph. an. ʒij. M. F. cataplasma, parti affectæ applicandum, & sæpe renovandum: quod si hisce non cedat malum, punctione cum phlebotome vel sectione tandem utendum est. Jo. Zecchius. consult. 63.

Infans quidam undecim menses natus, laborabat hernia aquosa dextrum testem occupante, ita ut testis ovi exigui magnitudinem æquare videretur, vocatus ego, sequens præscribo cataplasma.

℞. Farin. ℔ß. decoq. cum vino generoso ad pultis consistentiam, deinde adde oxymel. simpl. ʒiij. F. cataplasma, admovendum sero & mane: intra octo dies hoc solo remedio tumor omnino discussus est. *Lazarus Riverius obs. 4. cent. 2.*

℞. Fol. origan. rutæ, absynth. chamæm. an. M. j. bac. lauri, ℥j. sem. anis. fœnic. cumin. an. ℥ß. coq. in l. q. aq. & aceti pro fotu, quo foveatur scrotum ter in die cum spongia. Postea applicetur hoc emplastrum.

℞. Empl. de bacc. lauri, sterc. caprin. an. ℥iß. cochlear. contus. cum testis. ℥ß. sem. cumin. sulph. an. ʒij. malaxentur cum olei rutac. chamæm. an. q. s. F. Emplastrum. Hisce puer convaluit. *Io. Petrus Lotichius. obs. 10. cap. 3. lib. 6.*

Vir quidam Nobilis hydrocele laborans, ita sanitatem obtinuit, primo, consilio D. Ferrandi peritissimi medici, & meo, jalapio purgatus fuit, postea fotus emollientes & discutientes admoti, & tandem lanceola perforatos, in parte decliviore scroti, vitando testiculum, & lineam interstitium inter testiculos facientem, ictus autem transversi digiti profunditatem attigit antequam aqua exiverit, quæ iteratis vicibus extracta fuit, clara & non fœtida, eaque ad libras duas, cura hæc satis rara fuit, cum paucis post diebus ad negotia iverit. *Petrus Borellus obs. 4. cent. 1.*

In Generoso quodam Viro, quam omnis periculi plena sit scroti, & erythroidis membranæ in hydrocele per scalpellum apertio, teste non sublato, compertum est, ab aliquot annis sinistra parte hydrocele huic molesta fuerat; frustra cataplasmatis, ac aliis remediis crebro usus, tandem temerarii Chirurgi consilio acquiescens, aperiri sibi scalpello tumorem permisit: effluxit cito omnis humor; tumor quoque subsedit; sed cum testis ipse omnino esset corruptus, vicinas partes facile infecit; subsecuta mox scroti universi, ac etiam penis cum tumore & ingenti dolore gangræna. Delirium cum vehementi febre propter doloris magnitudinem supervenit, ac non ita multo post mors accessit; rem hujus sinister corruptus fuit,

fuit, & seminalis in erythroiden descendens valde ampla & multum patens. *Rember. Dodonaus. obs.40. vide etiam obs. 39.*

De Hernia Omphalocele.

In oppidulo quodam mulierem inspexi, cui ex hernia omphalocele, universa pene intestinorum mole, è peritonæi cavitate procidente, tumor immensus ac velut novus venter, à vero ventre flaccido & depresso, & in hunc tanquam Saccum inanito appensus propendebat, quem & fascia circumducta, ut onus hoc sublevaret, collo suspensum gestabat. *Felix Platerus. obs. lib.3. pag.759.*

Pro Hernia sarcocele.

Juvenem quendam hernia sarcocele laborantem absque incisione facile ita curavi.

℞. Pulv. sen. laxat. ℥ß. vini absynth. ℔jß. macerentur pro infuso. De quotidie bibit ad ℥iiij. colatas. Post sufficientem purgationem, utebatur ante & post meridiem balneo aquæ, in qua cogebatur tartarus ad ℥iij. ante & post balneum inungebatur tumor oleo sulphur. nostro, motus rarus erat, quies vero in lecto multa, atque his sine remediis tumor in dies decrevit, & per Dei gratiam spatio quatuor hebdomadum ex toto evanuit. *Martinus Rulandus. curat. 66. cent. 9.*

Chirurgus quidam insignis contra herniam tam carnosam quam aquosam emplastro sequenti feliciter utitur, quod singularis loco secreti mecum communicavit, eoque nobilius aliud in hoc affectu remedium se non habere disertè profitebatur.

℞. Gummi Ammoniac. ℥iß. bdell. ℥j. farin. sem. sinap. sem. urtic. lap. spong. an. ℥j. aristol. rot. ʒvi. sulph. ℥ß. terebint. ℥j. sp. vini ℥iß. ol. olivar. ℥iiij. ceræ ℥vi. M. F. S. A. emplastrum. extend. super alutam, & loco affecto applicetur, continuo gestando. Si hoc non juverit substituatur ceratum de pelle arietina tam à Medicis Augustanis commendatum: intus vero de sequenti pulvere quo alias contra hernias prodesse soleo, aliquot mensibus assumat.

℞. Pulv. rad. consolid. maj. ℥ß. pulv. herniar. ʒj. perfoliat. ʒvi. spong. combust. spongiæ, cynosbat. adnascent. an. ʒiij. lap. spong. ʒij. spod. terr. sigili. an. ʒiß. cinnam. fœnic. dauc. ʒj. F. pulvis.

Aliquando etiam assumpsit de sequenti pulv. contra strumam, qui Arnoldo de Villa Nova *ascribitur*.

℞. Spong. combust. pilæ marin. tost. ossis sepiæ, piper. long. nigr. zinzib. cinnamom. salis gemmæ, pyrethr. galliar. lap. spongiæ, an. ℥j. M. F. pulvis. Jo. Petrus *Lotichius. obs. 9. cap. 3. lib. 6.*

Vir quidam Sarcocele laborans, quum cataplasma ex althæa, farina fabarum & lacte caprino frustra usurpasset, jussus à Gassero decocto leotium in aceto facto locum fovere, deinde suffire cum thure, & superponere emplastrum de meliloto cum ficubus contusis mixto; cumque non statim resolveretur tumor, thermas ferinas cogitare cœpit, quas ipsi Gasserus dissuadere noluit. Sed his ipsis quoque non satis operantibus, quod unicum supererat remedium, ad sectionem devenit, quam testiculi jactura, tandem admittere cogebatur. Jo. *Udalricus Rimlerus observ. 91.*

Alius quidam hernia carnosa laborans à Chirurgo quodam curatus fuit testiculorum ex vino sublimato, & imposito cataplasmate ex absynth. malo. chamæm. rad. alth. & sect. lini, an. part. æq. conscissis & in lacte caprino coctis. Alius etiam eodem affectu laborans, sectionem postulavit, sed Chirurgi præsentia territus, mutavit sententiam, & emollientium ac resolventium usu continuato, ramice in abscessum transeunte, & suppurato, feliciter tandem percuratus fuit. *Idem obs. 92.*

Ileos ex Hernia curatus.

Septuagenarius in scroto vexabatur tumore valde magno ac dolorifico, ejusdem cum cute sana coloris; tormina sentiebat in abdomine ac evomebat quicquid assumebat; jam per viginti quatuor horas hoc in statu constitutus opem meam implorabat.

Æger inter examen à me institutum retulit, se jam per longam annorum seriem laborasse hernia, quæ sæpius eum, intestino in scrotum prolapso, mirum in modum molestabat, ac iterum nullum afferebat incommodum, cum intestinum in locum suum recessisset; intestinum autem hoc nunquam antehac tamdiu extra abdomen exulaverat, quam jam, & quicquid moliebatur æger, illud reponere non potuit.

Morbum hunc satis periculosum esse, amicis prædixi, quia tamdiu extra abdomen permanserat intestinum: (Sic vir 40. annorum Ultrajecto Arenacum pedes profectus incidit in herniam scrotum infestantem, cui antea etiam obnoxius erat, sed tantum in inguine, & tamen adhuc per quatuor horas incessit pedibus, unde tumor valde excrevit, eratque valde durus & dolens; æger interim semper vomebat, ac frigori expositus in stramine per totam noctem jacebat apud rusticum, postero die curru advectus est Arenacum continuo vomens. Mixtura ægro propinabatur flatus discutiens, sed eadem mox vomitu rejiciebatur; tres præterea clysteres injecti sunt, sed sine fructu; æger in bono situ positus est, fotus humidi siccique imponebantur parti affectæ, sed his nihil juvantibus ægrotus quarto ægrotationis die è medio sublatus est pulsu sensim diminuto. Aperto cadavere intestinum ileum inventum fuit gangræna affectum spithamæ longitudine, ac situm in scroto cum flatibus & excrementis duris; præterea magna pars omenti continebatur in scroto convoluta instar pilæ cum vasis sanguiferis valde distentis.) Interea autem amicos ægri admonui, ne animum nimis desponderent, ac eum in finem iis narravi observationem octavam Riverio communicatam à Domino Ozia Aimar Chirurgo Gratianopolitano, in qua post multa remedia per novem dies in cassum usurpata, intestinum per totidem luces in scroto commoratum, repositum fuit feliciter incisione facta usque ad productionem peritonæi quæ intestinum strangulabat.

Sed unde provenit, quod in hernia intestinum prolabatur in scrotum, aliasque partes? Ob relaxationem peritonæi, quæ exoritur ex eo, quod multi ejusdem tubuli obstruantur, inque illis stagnent ac coacerventur humores, qui progressu temporis se insinuant inter fibrillas peritonæi, illudque hoc pacto relaxant.

Cur jam intestinum in scrotum nostri patientis delapsum, non tam facile rediit in abdomen, quam inde egressum est, cum via sit eadem? Hoc præcipuè contigit, quia intestinum tamdiu extra abdomen permanserat, ubi minor est calor; nam pori intestini eo modo aliquatenus

obturati impedivere quo minus vapores ob minorem calorem etiam aliqua ex parte condensati ex intestino in scroto decumbente liberè quaquaversum egrederentur, quapropter illi coacervati sunt in intestino, illudque distenderunt flatibus vulgo nuncupatis.

Hinc igitur manifestum satis evadit, præcipuam hujus mali medelam consistere in eo ut pori intestini extra ventrem exulantis obstructi recludantur iterum, ac vapores aliquousque condensati, majore motus ac agitationis quantitate donentur, ut sic rursus citato gradu circa propria sua centra rotentur.

Utrumque hunc effectum consequutus sum lino nendo recenter contorto ac nondum coctione depurgato, nam ubi hoc prius in lacte dulci coctum calidè per quadrantem horæ fuisset impositum parti affectæ, intestinum blanda manus agitatione, in abdomen ægri in bono situ collocati remigravit.

Æger hoc pacto ex vicinis orci faucibus ereptus postea cum piscatore ictus sapuit, ac gestavit vinculum ferreum extremè vestitum ad intestinum intus retinendum; nam homines provectæ ætatis à tali malo prorsus velle sanare, est oleum ac operam perdere; contingit enim admodum raro, quod Fabric. Hildanus refert in lib. suarum observation. nimirum sexagenarium per 20. annos hernia magna laborasse intestinali, quæ à nullo Chirurgorum aut Medicorum potuit sanari, cumque senem postea sine medicamentis in totum esse restitutum pristinæ sanitati, postquam morbo aliquo periculoso decubuerat in dorso per semestre spatium, ideoque optimum contra herniam remedium citatus Autor esse affirmat quietem & decubitum in dorso.

Hernias verò puerulorum sæpissimè sanatas esse vidi, & quidem præsertim circa octavum ætatis annum, bona fascia ex linteo confecta ac emplastro carminante Sylvii extenso super corium, quod reperitur prax. lib. 1. cap. 12. tit. 58. in quo tamen unum errorem, quem neminem secuturum spero, annotare lubet, sc. quod gummi, galbanum, aliaque solvantur in acero salem volatilem eorum non parum infringente.

Juramentum Medicorum in Academia Ultrajectina jubet, audita vel visa inter curandum, non enuntianda, involvere silentio, hocque strictè observandum puto in herniis juvenum, quandoquidem hoc malum puellis invisum magis esse solet quam par est, quod, antequam hanc observationem finiam, exemplo declarare mihi proposui.

Recenter nupta virgo, ubi prima vice lectum cum suo sponso esset ingressa intrepida manu moa illas mariti partes contrectat, quas Adamus sibi ficuum foliis statim post lapsum contexisse legitur, atque ita eundem hernia divexari ex vinculo quod gestabat animadvertit, unde ferè in furorem acta, hæc in verba erupit: pudeat te conjux quod Amasiam tuam tam impiè deceperis; quid consilii mihi miseræ? Perii profectò; num tam malè conformatum corpus puellæ in flore ætatis constitutæ, ac annum decimum octavum nondum egressæ satisfacere poterit. Minimè, actum est de me; emori mallem, quàm tecum amplius habitare.

Maritus, hac super re interea temporis serio philosophatus, placido sermone tandem respondit; bono animo sis, anima mea, vanam ac supervacuam hanc, meum corculum, depelle sollicitudinem, quoniam polliceor tibi, me pro virili conaturum efficere, ne unquam hac de re conqueraris amplius, ac novem mensibus via elapsis experientia mariti verba confirmavit gemellis, quos enixa est uxor, postea mutire vix audens de imaginaria conjugis impotentia. *Joh. Muys in prax. Chirurgic. Rationali.*

Hernia inguinalis, cum gangræna.

Thomas Adeler, eques Anglus sexagenarius, herniam in inguine sinistro per multos annos habuerat. Anno 1637. mense Septembri intestinum, quod in herniam inciderat, nimiis flatibus distentum, atque hinc disruptum fuit, ita ut stercora in herniæ capacitatem prolaberentur. Hæc proluvies gangrænam cum fœtore intolerabili parti statim induxit, quæ inde cito putrefacta & disrupta fuit, atque ita fæces alvi ordinariè per herniam foras profluxerunt, nunquam per anum. Ego vocatus prædixi ægrum evadere non posse; ne tamen incuria mea perire videretur, per Chirurgum applicare jussi spiritum vini cum melle rosato & unguento ægyptiaco, usque dum partes gangrænosæ à sanis separarentur & deciderent. Tunc intestinum non tantum ruptum, sed omnino transversim abruptum esse, ejusque partem superiorem foras propendere, hincque stercora profluere animadvertimus. Hic intestini finis progressu temporis carnosior evasit, & quasi carneum annulum acquisivit, qui annulus cum vicina carne firmiter coaluit; ita ut postea intestinum hoc loco semper fixum & apertum remanserit, atque inde ægro præter voluntatem alvi fæces semper effluxerint. Huic parti postea cacabum parvum æneum, commode adaptatum, semper appensum gessit, sic reliqua sanus, quocunque vellet deambulans. Nonus jam agitur annus quo huic molestissimo oneri assuetus nunquam ægrotavit.

Rarissimum hoc est & notatu dignum exemplum. Antehac nunquam credideram intestinum abruptum in inguine cum vicina carne coalescere posse, quod tamen in hoc ægro oculatus testis me vidisse testor, nunquam antea à me observatum, licet hujusmodi intestinorum rupturas in aliis aliquoties viderim. Si forte intestinum abruptum inter carnosos abdominis musculos foras erumpat, tale quid aliquando contingere posse verisimile videtur, cujus rei notabilem casum Platerus observat. lib. 3 sic describit. Capitaneus quidam ante annos multos in ventre vulneratus, stercus per fistulam, quæ sanato vulnere illic remanserat, multos annos incolumis alioquin & superstes, excrevit. Cujus causam investigans ex anatomicis observationibus, certis argumentis collegi, intestinorum vulnera, si illis in locis, ubi carneæ musculorum abdominis portiones existunt, ventrem penetrent, agglutinatis tunc utrinque, & intestinorum & musculosæ carnis, vulnerum in ambitu labiis, viam fieri posse, per quam stercus extra corpus educatur, & in abdominis cavum excidere prohibeatur, eaque vulnera licet consolidari nequeant, minimè tamen esse lethalia: quod etsi rarum sit, tamen & in aliis partibus, ut vesica, accidit. Idem Platerus proxime sequenti observatione adhuc alium similem casum enarrat. Joannes Hornung Medicus Heidenheimensis, epist. ad Gregorium Horstium, enarrat historiam rustici cui è vulnere abdominis intestinum rectum vulnere lato apertum exivit, neque à Chirurgo intus reductum est, sed sanato abdominis vulnere, toto vitæ tempore foras propendit, naturalem colorem

retinens,

retinens, sed paulatim crassios ac carnosius evadens, per quod propeodens intestinum fæces alvi cum magno fœtore excernebantur, neque amplius ab anno prodibant. *Isbrand. de Die merbroeck in Observat. & Curation. Medic.*

Epiplocele cum sarcocele conjuncta, ex erosione omenti complicati, enata carne in spithamæ longitudinem ex inguine propendente.

Quidam Estensis in Patavino Xenodochio habuit prominentiam longam spithamam, instar priapi ex inguine luxuriantem, ubi processus peritonæi, crassam vero duos digitos transversos, adeo ut non inconcinne æmularetur formam alterius membri virilis. Cum vero ab ægro quærerem hujus morbi originem, atque negaret esse intestinum prolapsum, ex ejus verbis conjectura assecutus sum, esse omentum complicatum, cum prius Bubonocele laborasset, postmodum abscessu, quo disrupto prorupit omentum, atque sensim ita convolutum fuit, illique propter erosionem caro quædam inter plicas accreverat in prædictam formam: quem hoc modo curavi. Primo expurgatis humoribus redundantibus, portiunculam dictæ prominentiæ secui, ampliato usque adeo vulnere, ut omentum implicatum se proderet; quod duobus, vel tribus post diebus secui ex toto ad inguina usque, tum digerentibus; demum consuetis exsiccantibus cicatricem obduxi; incolumi adhucnum ægro, & omni molestia vacuo. *Petrus de Marchettis in Observat. Medico-Chirurgicar. Sylloge.*

Bubonocele loco bubonis Venerei ab imperito barbitonsore secta, prodeuntibus alvi fæcibus, brevi temporis spatio sanata.

Villicus quidam Bubonocele laborans, barbitonsorem accersit, qui Venereum bubonem cum existimaret, ejus proinde sectionem suadebat; quanquam æger cum nulla alia muliere, uxore propria excepta, rem se habuisse sancte affirmaret, honesta equidem, ac pudica; cum vero tonsor opinionem suam tueretur mordicus, atque omnino sectione opus esse, eam tandem miser villicus admisit, ex qua cum fæces erumperent, statim in lipothymiam prolapsus est, tonsore obstupescente. Ego verò cum casu illac transirem, vocatus, statim digito compuli intestinum in locum proprium, applicato ovi albumine, cum sanguine draconis, atque linteolo quadruplicato compressione facta arctius nonnihil constrinxi quatuor dies, à quibus cerato demum ad herniam ab Aquapendente usus, spatio decem dierum, sectæ partes coaluerunt. Tandem meo consilio totum vitæ tempus gestato cingulo, multos annos incolumis vixit. *Idem ibidem.*

De Hernia intestinali.

Filiolus nondum bimulus prænobilis Viri S. P. herniosus, prolapsis per peritonæi processus intestinis, catarrhis & tussi molestissima gravissime adfectus, ægrotavit hyeme jam adulta. Adhibita in rem plurima, Concussio corporis à tussi intestina, quamvis reposita & fasciis ac subligaculis constricta, sede tamen sua contineri non est passa. Accessit Lithotomi uxor, adducta à peregrino Chemiatro, quæ ventri Cobi- rides barbatulas imposuit, ut nescio qua virtute intestina prolapsa retraherentur, & loco suo firmarentur. Sed puer tamen obiit. Unde contentiones haud leves mixtis conviciis inter Medicos utrinque, parum decoræ, magnetismum hinc illo defendente, illioc autem altero mortis causam interminante, quæ quomodo tandem transactæ fuerint, non satis constat. Nos interim interrogati respondimus, curationem ejusmodi mere empiricam, non quidem lethiferam, sed tamen ineptam, & nullam fuisse, ipso eventu attestante, dum nugis ejusmodi certiora præsidia intermitti oportebat. *Georg. Hieronymi Velschii.*

Herniæ intestinalis cura temeraria lethalis.

I. B. I. F. de K. hernia intestinali, seu bubonocele per multos annos laboraverat, cui sæpius intestinorum pars, neglectis forsan fasciis & decente subligamine, in inguine aliquando valde prominens ac restigetata dolores acerbos causavit, & nullo modo quam fomentis tepidis emollita in ventrem recessit. Sed cum sexagenario ob flatuum abundantiam iterum accideret hoc malum, intermissa deligatione solita, intestinum diu nimis propendens refrigeraretur & indurescerer, circumforaneus quidam perseveratorer promiserat, se intestinum propendens facilè intrusurum, & herniosum hunc affectum perfectè curaturum; verum ob renixum & contractionem cutis dilaceratæ, ac intestini inflati & indurati magnitudinem, scalpello cutem & peritonæi membranam prolixius dilatavit, intrusoque violenter intestino nec prius emollito nec tepefacto, cutis discissæ ora consibulavit, ab emplastro imposito fasciia deligavit, attamen brevi post patiens febrem ardentem cum animi deliquiis sentiens, & accedente sphacelu intestinorum, paucos intra dies vitam cum morte commutavit. *Helvvigii.*

Schol on Schrockii.] Ut Agyrtarum in decipiendo promptitudo temeritate ubique circumvallatur, sic & in herniis eandem multoties spectandam impune exhibent, quas duriter tractare, & absque necessitate crudeliter secando adgredi sunt paratissimi, necessaria partium, quas incidunt, cognitione vacui, nec symptomatum supervenientium medela instructi, sed unico experimentorum, quam morte aliorum sibi comparant, fulcro cæci incedentes, vilissimoque ut plurimum ab ortu ad opus hoc accedentes: qualem herniotomum Guil. Fabr. Hildanus præfat. Oper. Chirurg. delineat, qui subulcus porcos castrare cum didicisset, in hominibus postea idem tentaverat. Sed præstat unum alterumque exemplum in curando & secando temerariorum hominum ac imperitorum nebulonum indigitasse: Herniæ omentalis in lanione, nec non intestinalis in alio perperam, & cum ægrorum interitu curatæ habet Malach. Geigerus Kelegraph. cap. 3. Adolescenti in præpostera herniæ inguinalis sectione, ab agyrta penuato cujus fallax anima facco holoserico inclusa fuerat, intestinum vulneratum narrat Philipp. Hochstetterus dec. 10. obs. med. cas. 3. Intestinalem agyrta rusticus, sarcocelen forte reputans, suppuratione curaturus, in exitium deturbaverat ægrum, ceu refert Hent. Salmoth. cent. 1. obs. med. 11. Contra Gallum agyrtam, herniarum curam filo aureo certissimam pollicitum, Henricus ab Heer obs. med. 22. invenitur, quem filo ferreo mercurio crudo oblito, intestinum licum una comprehendisse, & valida contorsione fecibus per inferiora exitum

exitum lethaliter præclusisse, memorat. Barbitonsor imperitus villico bubonocele, quam venereum bubonem crediderat, laboranti, ejusdem sectionem persuadens, purulentæ materiæ loco, feces erumpentes obstupuit; ægroto tamen exercitatissimi Petri de Marchettis ope, restituto, quod ipse recenset observat. med. chirurg. 55. Cui consimile exemplum producit Hieron. Fabricius ab Aquapendente tract. de operat.chirurg.cap.de bubonocele. Sic etiam, quodam Naturæ lusu aut errore, testiculum in inguine reconditum habentes, aut tertio insuper præditos, pro herniosis miserrimè frustraque diu vexatos scimus: quales vidisse se testatur citatus Geigerus, nec non Ambros. Paræus lib. 7. oper. chirurg. cap.16. Notabilis quoque est historia, quam Aquapendens cap. de intest. hern. exhibet, adolescentis nimirum, testiculorum naturalem in magnitudine diversitatem ignorantis, atque ex sinistri majore mole herniam pertimescentis; quam cum herniotomo ostendisset, & nisi testis extraheretur, mortem instare, persuaderi sibi passus fuisset, jam legatua castrationem expectabat, nisi Fabricii consilio à carnificina ista liberatus fuisset. Scilicet quæstuosa cum sit illa sectionis crudelitas, quam præter dolores, testiculi jacturam, ipsiusque vitæ periculum, care satis redimere ægroti coguntur, herniotomi isti inhumani ad persuadendam cum ferro medelam sunt expeditissimi; quamvis plurimi, non pueri tantum, sed adultiores quoque, solo medicamentorum usu, sedulaque deligatione, vel omnino curari, sed saltem minori cum discrimine degere possent. Hinc Bartholinus cent.4. Epist. med. 22. Herniam, scribit, inguinalem in adultis pro incurabili non habeo, si vel recens sit, non inveterata vel imperfecta tantum sit, tunica vaginali nonnihil dilatata. Utroque enim casu non difficulter primo reponendum est intestinum, deinde pars emplastro adstringente & vinculo munienda. Sic Paulus Ægineta lib. 3. de re med. cap.53. multos pueros citra manus operam medicaminibus impositis, & convenienti deligatura persanatos refert. Joh. Scultetus innumeros, longo temporis progressu, magna adhibita cura, remediis, bracherio, victusque bona ratione pristinæ sanitati se restituisse; quos vero vel ob adfectus magnitudinem; vel ejusdem diuturnitatem integre, sanare non potuerat, incrementum saltem enteroceles se prohibuisse, testatur part. 1. Armament. chirurg.tab. 39. Hinc male facere, part. 2. obs. 64. judicat, qui malunt à Castratoribus torqueri, quam Medicis mitiora bene consulentibus per mensem obedire; prout nec illos Medicos laudem mereri, qui ab ægro rogati Orchotomis adstant, & Circumforaneos male operantes non corrigunt. Quod etiam de inguinalibus puerorum herniis Ambros. Paræus l. c. cap. 15. fatetur, remediorum ope multos à se sanatos, & castratorum manibus, testiculorum puerilium avidis, ereptos scribens, quin & de adultioris ætatis homine exemplum proferens. Et præfatus Fabricius ab Aquapendente, Horatium de Norsia, operatorem hac in re maxime exercitatum, & qui plusquam ducentos quotannis castrando curaverat, postea nec etiam viginti sectioni huic subjecisse refert, cum bracherio & adstringente medicamento imposito plerosque sanari observasset. Quin & Nicol. Monardus de simpl. medic. ex Novo Orbe delat. cap. 72. solam ligaturam decentem sufficere posse existimans, nulla herba aliave re imposita, cujusdam Cordubensis mentionem facit, qui omnes herniosos eo modo curaverat. Atque Jo. Bapt. Helmontius herniæ bene ligatæ citra expectationem sanatæ meminit tr. Pugil. humorist. vindict. p. m. 323. cum patiens ex ossifragio diu lumbis decubuisset.

Hernia inveterata periculosa.

Dn. V. C. de W. Ann. 1663. die 29. Aprilis ventris constipationes flatulentas & dolores lancinantes sentiebat, & inquiete dormiverat, ideoque sequente diluculo Medicum accersiri jussit, de iis doloribus, præsertim in lumbis ad latus sinistrum ac in inguine dextro, calculum renalem fore putans, querebundus remedia petiit. Sed cum ex gressus & loquelæ difficultate Medicus jamdudum herniam quandam suspicatus, quam æger per viginti septem jam annos tolerans, præ pudore celaverat, nulloque unquam medicamine, nec auxilio, nec ligatura ad sublevandum tam grande pondus usus erat, inde omnium medicamentorum successus difficiles fore hic aperte pronunciavit, nihilominus pro morbi statu & qualitate cautè procedens ad ventrem leniendum, ac dolores flatulentos amoliendos, potionem brevem laxativam & carminativam, atque fomentationes externas, itemque alia interna, non omissis cordialibus, præscripsit, per quæ die 21. Aprilis evacuationes tres leves ille habuit, dolorum mitigationem quandam sensit, sine ulla urinæ difficultate, aut suppressione, quapropter patiens bonam revalescendi spem conceperat. Subsequente vero nocte diei 22. Aprilis morbus, seu dolores lancinantes cum corporis in lecto circumjectatione magna, recruduerunt, quocirca inter alia mitigantia, ad instantiam ipsius ægri, insessus balnei ex decocto emollientium & flatus discutientium, cum bono, quamdiu insederat, sublevamine, quod ipse prædicabat, concessus fuit, sed subinde adveniente ob longiorem moram in balneo, virium prostratione & spirandi difficultate, ventre rursus constipato, circa vesperam portionem quandam cassiæ extractæ in jusculo sumpsit, suppositorioque sub nocte applicato, quæ tamen præter spem nullam sedem moverant; nox quidem paululum quietior fuit. Mane autem, die videlicet 23. Aprilis circa horam quartam, coram Medico nihil pene quam anhelitum difficilem querens patiens, maturius levamen desideravit & cum Medicus vix quicquam scriberet, & ad pharmacopolium mitteret, æger ad alvi secessum se propere commovens, administrantes advocavit, tunc subito illi spiratio deficere videbatur, & lente sic inter suorum brachia occubuit. Post obitum hernia inspecta, quam vivens ille valde pudibundus ab aliis conspici & contrectari unquam noluit, inventa est magnitudine caput viri robustissimi excedens, atque pondere aliquot librarum extra corpus dependens, vixit vero ille ad mortem usque in cælibatu. Helvvigii.

Scholion Schrocki.) Ex incuria, pudore & negligentia maximas tandem oriri posse hernias, non est dubium; intestina enim, via ad scrotum inventa, cum pondere gravia sint, sensim magis magisque eo devolvuntur. Tales amplissimas hernias Olaus Borrichius in centur. 4. epist. medic. Bartholini 92. Joh. Mekeranus cap. 5. observat. Chirurg. Felix Platerus lib. 3. observat. pag. 756. & Johann. Freitagius apud Gregor. Horstium lib. 2. Epistol. medic. sect. 19. &c. descripserunt. Quarum sane cura difficillima & ut plurimum frustranea exsistit; præcipue si quod facile accidit, inflammatione, & quæ eam insequitur, gangræna corripiantur intestina prolapsa sive à frigore externo lædantur, flatibus fæcibusque distenta compressionem patiantur, adeoque

sanguinis

ſanguinis liberior ibi tranſitus inhibeatur; ſive, juſto calidiora interna externavè remedia in uſum ducantur, aut etiam violentiori manu tractentur; qua ratione, alias inter animadverſiones, in curatione enteroceles notandas Dominic. Panarolo cent. 2. obſervat. med. 49. primo loco monere placuit, à Chirurgo ſæpius manum haud admovendam eſſe, cum alias dolor, & cum dolore attractio creſcat.

Hernia Curata.

Filium meum Henricum, cum in Patriam meam miſiſſem, ut fugeret peſtem Brigæ graſſantem, ibidem herniosus factus eſt, inteſtinum prominebat in Scroto dimidii digiti longitudine. Poſtquam id digitis intro adegiſſem, præſcripſi pulverem, qui Rec. Fol. Conſol. Sarac. Sem. & fol. perfol. ana. ℥iiß. Fol. Piloſell. rad. Conſol. maj. ana. ʒß. Sach. penid. ʒv. M. F. Pulvis. De hoc in dies mane uſus eſt in juſculo & quievit aliquot horas. Inunxi etiam inguina Ol. mumord. & impoſui Emplaſtrum contra Rupturam. Subligaculo etiam uſus eſt aliquandiu; quod tamen poſtea amovi, & ita integrè Dei beneficio curatus eſt. Egit annum fere quintum.

Scholion.) Fuit Enterocelica, Curatio, quam eventus comprobavit, eſt egregia, & nullus dubito, quin in aliis eundem exitum & emolumentum præſtitura ſit. Æger fuit Avunculus meus, qui in ſenium & ad Mortem uſque nunquam hoc malo amplius fuit afflictus. Ita ut ſane integrè & perfectè reſtitutus fuerit. *Chriſtoph. Roesleri.*

Enterocele deſperata, curata.

Andreas *Nuck*, Gottlavienſis, anno 1661. d. 8. aug. hernia inteſtinali diu laborans, agros ſulcandi ergo campum adit, ſulcando autem, nimiumque ſe movendo, inteſtina in ſcrotum prolapſa ſentit; domum itaque delatus, varia adhibuit remedia domeſtica. Parum autem iſtis proficientibus, quin potius ſymptomatis aliis pluribus irruentibus, in pejus ruit. Obortus enim deplorandus ille affectus Miſerere mei, ſingultus inſuper vehementiſſimus, à vicinis ultra ſextam etiam domum auditus. Summo itaque in periculo conſtitutus æger meum implorat auxilium. Intuito autem miſero ægri ſtatu, ipſemet expavi, tum, quod remediis convenientibus non ſatis eſſem inſtructus, tum quod ſcirem fruſtraneos eſſe tali in caſu ſæpe conatus. Quo autem adſtantium, ægri imprimis, votis ſatisfacerem, de iis, quæ in pago ad manus erant, medicamentis, fui ſollicitus, ex horto itaque prope ædes ipſemet collegi ſeq. herbas pro clyſtere fomentoque v. g. herb. malv. alth. viol. alſin. chamom. an. M. ii. coq. in ℔iii. lact. vacc. & diſſol. butyr. rec. ℥iii. mell. ℥ii. diverſis vicibus injectus eſt clyſter &c. Species autem ſacculis duobus inditas, fomentationis ergo alternatim calidè impoſui, totumque abdomen fovi. Coxi & inſuper potionem ſequentem, quam frequenter aſſumpſit.

℞. Herb. equiſ. M. i. rad. liquirit. ſem. aniſ. carvi, an. ℥ß. Quamvis autem hæc omnia ritè facta ſint, de mortis tamen neceſſitate nemo non cogitabat. Convocatis itaque amicis, Parochoque Dn. Scheffero, voluntatem ſuam intimavit ultimam, viaticoque ſacro accepto, & mihi & adſtantibus cæteris porrecta manu, vale dixit. Continuantibus autem nobis medicamentorum applicationem, fomenta imprimis diligenter adhibendo, inſigni crepitu ac ſtrepitu, inteſtina in abdomen ſunt regreſſa. Hinc fœcum per ſuperiora ejectio, ſingultuſque inhibitus. Æger autem paulo poſt optimè exoptateque reſtitutus eſt. Vivunt autem hujus rei in Gottlavv. hodie num adhuc & æger, aliique adſtantium teſtes veridici plures. *D. Johannis Friderici Allmacheri.*

Enterocele enormis dextera manu reducta Recidivæ metu caſtratione poſt feliciter inſtituta.

Devolvebatur frequenter in ſcrotum inteſtinum Mag. N. B. Horologiopœo Genevenſi: Anno 1670. tam enormis ſupervenit illi delapſus, ut omnia inteſtina illuc devoluta crediderſes; Scrotum ad capitis bimulus pueri magnitudinem intumuerat; Advocati Chirurgi, iique non imperiti, operam inanem ludebant, nec enim reductionis ullum exordium apparebat: Inflammatio tantum progreſſum fecerat ut gangræna in procinctu eſſet, jamque ſpes omnis ſalutis ægro & aſſidentibus excidiſſet. Notus mihi erat peritiſſimus Herniotomus in proximo diſtrictu oberrans, Coletius Filius; Fortuito & fauſte ea die in urbem advenerat; & quanquam de ſucceſſu dubius eſſem; ille tamen repoſitionem inteſtini aggreſſus, tam celeri manu eam abſolvit, ut duodecima horæ pars interim vix effluxerit: Cohibito gangrænæ progreſſu, ſedata inflammatione, ac ſpatio conceſſo ut æger vires collapſas reſumeret, Eunuchiſmus ab eodem Coletio ſuſceptus, cui non invite ſe ſubjecit miſer, eadem felicitate & celeritate perfecto, adeo ut intra octiduum planè convaluerit: Eandem Operationem, in non diſſimili Enterocele, ante biennium in conſanguineo cognomine, eadem induſtria eventuque æque felici præſtiterat: Ut hinc, aliiſque exemplis, colligere liceat affectum hunc hæreditariis adnumerandum eſſe: Neque tamen artis peritia (præ chirurgorum quorundam tumore & κακοζηλίᾳ) jus civitatis comparare illi Herniotomo licuit, etſi apud nos endemium ſit id malum. *Th. Boneti.*

Hernia Curata.

Dominus Balthaſar à Rotkirch cum jam 50. & aliquot annorum eſſet, dicebat ſe curatum Subligaculo & crebro uſu Conſolidæ ſaracenicæ & perfoliatæ in juſculo cum axungia gallinæ, melle & butyro majali. Sed per annum his uſus eſt.

Scholion. In Pueris quidem cura herniarum non tantum difficultatis habet, quantum in Senibus, cum ipſorum Humidum radicale adhuc inexhauſtum, nec humores tanta acrimonia ſcateant, ut glutinationem impedire poſſint; tamen aliquando hanc curam etiam in ſenibus ſuccedere, ſi in uſu medicamentorum perſeverent, inter alia & hoc Exemplum teſtimonium ſatis luculentum exhibet. Sed in hoc voluptuoſo ſeculo neceſſum eſſet ut Medicus Patientiam, ſi vendibilis eſſet medicamentis admiſceret, nam delicatiſſimi homines, cum adhuc in primoribus labiis medicamentum verſatur, effectum & levamen deſiderant. Ad curam quod attinet, Conſolida ſaracenica vulneraria eſt, & aſtringit, ut & perfoliata: itaque diutiùs uſurpatæ optimum effectum dederunt. *Chriſt. Roesleri.*

Enterocele per tiliam fiſſam ſanata.

Puellus annorum octo hernia inteſtinorum laborans cùm aliquandiu hic Chirurgi alioquin ſatis periti, opera fruſtra uſus eſſet, quod ſectionem non

admitterent

admitterent parentes, revocatur domum, conferunt consilia vicinæ, exempla narrant felicis tiliæ ad urbem Halmestadium enatæ, cujus ope plures ab ejusmodi malis liberentur. Quid multis? persuadetur sollicita mater, & cum filio istuc excurrit; quæritur in nemore viribus incluta arbor, & tandem reperitur. Hic puellus cavere se omni vestium apparatu, & in morem Dianæ nudæ (ita enim jusserat anti huic præfecta nescio quæ Canidia) per rimam tiliæ hujus junioris manibus duorum valentulorum juvenum eo ipso temporis articulo diffissæ ter saltu celeri se proripere. Peracta fabula vestitur iterum puer, rimæ arboris cera & terebinthina admistis coëunt, & nobilis effectus sensim promittitur secuturus. Ne longus sim, convalescit paulatim saucia arbor, & cum arbore paulatim æger, utque frondere iterum illa incipit, ita firmari sanitas puelli. Quo audito subiit animum conatus Maroniani illius amatoris Eccl. x.

Certum est in sylvis inter spelæa ferarum
Malle pati, tenerisque meos incidere amores
Arboribus: crescent illæ, crescetis amores.

Similia memini ante paucos annos in Hatlemensi nemore attentata fuisse, & tum quidem in fissa iquercu successisse experimentum: Scrutentur hic alii occultas rerum abditarum causas, Ego nihil video præter superstitionem. *D. Olai Borrichii.*

Sarcocele ex operatione instituta lethalis.

Vir quidam honestus septuaginta circiter annos natus ad nos non ita pridem adveniebat. Is jam dudum Sarcocelen gestaverat, ejusque grandioris pondus, quantumvis molestum, tacito concluserat pectore; verùm dolores ultimò adjuncti, eum tandem ad opem chirurgicam implorandam compulerunt, idque sanè malô suô fatô; nam cum Chirurgus è nostria alias dexterrimus, ac in ministeriis suæ artis peritissimus, separationem sarcoceles molitetur, nec satis expiorasset an hæc separatio intactô testiculo fieri posset, incisione sufficienti factâ, arreptoque tumore per eam extrahendô, testiculus undique adhærens identidem subsequutus est, sicque castratio in decrepitô peragenda fuit à minus ad hanc operationem præparatô artifice, quæ quidem satis bene pro tempore cedere videbatur, at tertiâ die derepente suborta est pessimi ominis raucedo, atque mors quinta subsequuta. Videant itaque quibus talia committuntur negotia, ne temeriùs rem aggrediantur.

Anatome Sarcoceles.

Sarcocelen variè definiunt Auctores. Celsus l. vii. c. xviii. Raro, inquit, sed aliquando caro quoque inter tunicas (testiculi) increscit σαρκοκήλην Græci vocant. Galenus l. de tumor. præt. nat. testiculos vocat induratos, & l. xiv. meth. med. eandem scirrhis non improvidè comparat. Hodie tamen Medicorum plerique, ut clarius rem exprimant, Sarcocelen interpretantur, quoties carnosum quiddam in scroto testibus adnascitur. Atque id quidem nonnunquam contingere, haud inficiandum, prostantque apud Hildanum, & Lotichium exempla; frequenter tamen sarcocele non tam adnascitur testibus, quam innascitur, hoc est, totum testem, ejusque vasa omnia materiæ novæ accessu ita infarcit, & porrigit, ut aliquando etiam vigecuplo se ipso gravior, ampliorque evadat. Hoc ut sæpè alias, ita superiori quoque hyeme in mercatore Samio mihi observatum, cui ablatus ferro chirurgi sarcocelosus testis pendebat semuncias xxxiv. durus ille quidem toto corpore, & massæ carneæ nervosis hinc inde gyris distinctæ similis, sed neque ad latus, neque in gremio suo ullum alium testiculum naturalem complexus. Dissecta enim quaquaversum informi mole, ut testiculus vetus, quem intus delitescere quidam suspicabantur, in conspectum veniret, deprehensum clarissimè fuit, totum illud enorme corpus testem fuisse, sed testem à sanguine, ut conjicere licet, admisso, verùm propter vel contusionem, vel frigus, vel pituitam nimiam ad superiores partes non remisso, eoque in carnem degenerem coagulato distentum. Proinde non satis providi rei æstimatores mihi videntur, qui confirmatam σαρκοκήλην vel medicamentis discussisse se, vel dicenti posse evulgant, quod nimium occallent massa illa & mille plexibus nervosis, iisque solidis coortahat invictam duritiem. Crediderit Matthiolus in Dioscoridem, crediderit Scultetus in Armam. chirurg. sese sarcocelen pulvere ononidis percutasse, nihil tamen mihi fit verisimilius, quam fuisse hydrocelen duriori cortice circumdatam, atque ideo sarcocelen mentientem. Atque ut id credam, præter jam allata, persuadent tum similia passim exempla apud Forestum, Sennertum, alios, docentia artifices sæpe aquas profundius in testiculorum sinubus latentes deceptos pro carnosis æstimasse herniis, quæ fuerint aquosæ; tum docet radix ononidis, quæ cum inter nobilissima diuretica sit, aquas haud dubiè in sinu testium intimo occultatas paulatim eduxit, atque ita concidentibus sensim in se involucris durioribus, sarcocelen æstimata fuit sustulisse. *D. Olai Borrichii.*

Usus Catechu in hernia varicosa.

L. L. Studiosus 24. ann. cum ante aliquot annos laborasset hæmorrhoidibus, Spleniticus, in sinistro latere in vasa spermaticis, ubi ex peritonæi processu in scrotum inferuntur, tumorem varicosum mediocrem duos jam annos passus est, durinsculum & dolorificum, præsertim, si stare diutius cogitur. Adhibitis resolventibus & aperientibus, externis & internis, mollior redditus est tumor, à frigore jam recedens, contractio sc. vasis, quod etiam decumbenti contingit, tandem dato pulvere terræ Japonicæ præp. tam solo, quam cum Antimonio Martiali cachectico temixto, optimum præ reliquis sensit levamen, imminui scilicet eundem referens, & melius habere. Non dubito, si continuaverit, ut est affectus chronicus, & pars corporis remotior, plenariè propediem ipsum restitutum iri. *D. Georg. Wolfgang. Wedelii.*

De Enterocele abscessu inguinis spontaneo sanata.

Operarios quidam enterocele laborans sinistri inguinis, repositis intestinis, gestatoque trium mensium spatio subligaculo, per integrum postea triennium absque ulteriori incommodo viaerat. Quo tempore elapso, à motu vehementiori, laboribusque duriotibus, denuo in herniam loci illius, maximis juncta ventris doloribus, inciderat, quos variorum calefacientium fomentorum, ut cumino &c. concinnatorum, applicatione uxor ejus abigere diu, sed frustra tentaverat; tandem à Chirurgo intestinum quidem, difficili licet & multo cum labore repositum, atque subligaculi ope egressui via rursus occlusa fuerat. Paucis tamen post diebus, inguinis illius dolor

dolor & inflammatio supervenit, in abicessum denique terminata; quo brevi, ab imposito pharmaco, rupto, copiosum pus evacuatum vulnusque amplum satis & profundum debite tractatum, labia imprimis ejusdem invicem adducta, & in cicatricem ut abirent, curata fuerunt; quæ partes subjectas duritie sua comprimens, ne delapsuro iterum intestino transitum concederet, præcaveiunt. Adeoque, quod antea bracherii solius gestatione effecerat, jam callosa cutis duritie periculum felicius avertit. *D. Lucæ Schroeckii Lucæ Filii.*

Sarcocele.

Sectioni Sarcoceles in milite in vico Autigarum interfui cum D. Moinichenio & D. Kolichen, à Lithotomo Laurentio Nicolai feliciter & deatre administratæ. Aperta cute inguinis deatri, testiculus dexter, qui ad capitis puerilis magnitudinem excreverat, separato κῃ δαρτω scroto, extractus & resectis vasis spermaticis, prorsus exemptus fuit, magno militis aliàs cordatissimi ejulatu. Ligatis vasis, consutum scrotum, & cætera, ut vulnus decet, curata. Dissectus hic testiculi deatri tumor, glandulosam substantiam ostendit ea magnitudine auctam, ut onetl esset militi satis valido. Infima vero parte vesiculas intra membranam continebat, sanguine plenas, qua parte de maximo semper dolore, ob distentionem tunicæ sensilis, conquestus fuerat. Tormentorum oblitus ad militares functiones postea rediit. *D. Jacob. Schmid.*

De ossiculis ex Sarcocele suppurata prodeuntibus.

Quàm varia sæpe & insolita reperiantur in corpore humano,& suborris imprimis in eo abicessibus corpuscula, sive aliunde eo translata, sive in ipsis etiam genita, plurimis observationibus passim eatantibus docemur: Inprimis vero Calculos in omnibus fere partibus genitos quis ne'ciat, qui etiam nec partes generationi dicatas immunes abire permittunt, velut in prostatis lapidem infixum fuisse deptehensum refert M. Donatus lib. 4. H. m. mir. cap. 30. Calculum magnitudine pisum fere superantem describit. I. R. Saltzmannus In observ. anat. ultimis: Ex testiculo quoque ulcerato lapides eaemtos habet Pachequus in observ. 1. Riverianis 44. Ipsum semen in vasis ejaculantibus petrificatum legitur in Zodiaco Med. Gall. Anni. m. Mart. Obs. 4. At ossa etiam in abscessibus quod reperta fuerint, id revera inter rarissima est connumerandum, Cujus tamen fidem faciet sequens, quam communicare libet observatio. D. P. G. aurifaber, per plurimos annos dextri testiculi tumore ad capitis infantilis magnitudinem tandem adaucto, & ipsum inguen, ut hinc brachii crassitiem æquaret, simul occupante, à variis in consilium adhibitis Chirurgis primo Hydrocelem, postea cum testiculum equo insidens durius epbippio impegisset, Sarcocelen pati creditus; tandem frustra in usum ductis plurimis remediis, ante septennium à Natura ipsa, optima morborum medicatrice, auxilium invenerat; siquidem in eodem latere sponte aperto scroto, serum primo aliquandiu, tandem plurima, & vel ad quinque uncias quandoque, purulenta materia egressa fuerat, sicque usu mundificantium & traumaticorum per siphonem injectorum, tumore paulatim decrescente, durum quid in orificio ulceris Chirurgis, *Joan. & David Freitagiis*, patri & filio, quorum deateritate tum curabatur, sese obtulerat; quod volsella extractum, esse officulum plurimis eminentiis aspe-rum, & inæqualem compaturerat; cui dein successive plura alia diversæ figuræ & magnitudinis insecuta fuetant; usque dum tandem alterum, etiam non sine magno labore exemtum fuerit, consolidatione vulneris mox sponte soccedente, & integra cura intra novem septimanarum spatium ad finem perducta; ita ut nunc salvus adhuc, & senio licet pressus, sat tamen vegetus vivat, testiculumque morbosum benè jam constrictum circumferat.

Scholium.) Adfectum hunc ad nullum alium commodius quam ad Hydrocelen cum Sarcocele conjunctam referri posse, mihi equidem haud est dubium, Quamvis enim (ut de hydrocele, à seroso stillicidio ea vulnere primo observato satis demonstrats, nihil dicam,) sarcocele testium & vasorum adnexorum in molem insignem à sanguine in eis subsistente & concrescente, factam extensionem, ac in massam quasi carnosam Induratìonem, ut plurimum denotet, quam ideo discutientibus posse curari negat Excell. D. Ol. Borrichius Vol. 1. Act. Med. Hafn. obierv. 97. & si quæ hoc modo sanata perhibeantur, hydrocelen potius fuisse statuit; sicque etiam per suppurationem, salvo remanente testiculo, tolli haud posse, adserere liceat: hic non tam testiculum auctum, quam potius carnosam tantum quandam substantiam fuisse eidem adnatam, statui posset. Licet fortasse, sanguine extra vasa effuso & in eorum intestitiis subsistente, aut alio quocunque modo incrassato & indurato, per succedentem eam suppurationem evacuato, vascula illa & membranas sensim sic denuo contrahi, & naturalem, quam antea habebant, conformationem adipisci, dici posset. Unde vero ôssicula illa in iocum istum plane eaossem pervenerint, magis Intricatum esse videtur. Non enim ab osse aliquo per corruptionem abscedente, & in hunc locum depositas fuisse particulas, sanitas cæteroquin sat integra, juxta cum officulorom multitudine, persuadet; nec per fascinationem, cujus nulla hic suspicio, Injecta fuerunt; nec etiam externa saltem forma ossium substantiam referunt, cum solida admodum sint, rasura in ossem scobem abeant, & igni subjecta, præter odorem, ab ossibus ctematis aut etiam congenere cervino cornu eahalanti similem, remanens corpus, ustis talismodi ossibus omnino respondens suppeditaverint. Unde à sero extra vasa effuso eorundem ortum deducere opus erit; quod uti in statu naturali consistens, membranæ, cartilaginis, ossisvè naturam adsumere aptum esse, sive particulas in ejusmodi corpora coagulari prona continere, nutricio istarum partium nos edocet: ita & hic gelatinosæ ejus particulæ, discussis aquosioribus, in ossea abite corpuscula potuerunt. *D. Lucæ Schroeckii Lucæ Filii.*

De hydrocele à Catharrho orta.

Inveteratam hydrocelen medicamentis externè impositis uti raro & vix curari, celebriores Practici observant, ita recenter exortam iisdem aliquando cedere, notum est, Sic *Laz. Riverius cent. 2. Observat. 4.* in poetulo herniam aquosam per cataplasma ex farina fabarum cum vino generoso coctum, admiato etiam oxymelite simplici, intra octidoum suisse discussam, memorat. Ingentem quoque testiculi sinistri tumorem aquosum, adhibito ex convenientibus cataplasmate, sanatum refert *Henr. Salmuth. centur. 3. Observ. 93.* Idem & mihi anno præterito observare contigit in Juvene 17. annos nato, qui dolore capitis insigni & tumore genæ sinistræ, ut & colli, circa mensis Augusti principium correptus, cum ab adhibitis 5. & 6. die dicti mensis, medicamentis serum

serum blande per sudorem evacuantibus, externe vero adpositis discutientibus, levamen habuisset, remittente nempe dolore, & subsidente paulatim tumore, eodem tamen tempore per latus sinistrum juxta dorsum descendere aliquid persensit, testiculumque sinistrum non sine dolore in molem ingentem attollere; quod cum vesperi d. 6. mihi anxius indicasset, hydrocelen esse deprehendens, Cataplasma ex malthiche, floribus chamæmeli, sambuci, salviæ, & rosarum rubrarum cum lacte paratum imponere jussi, quod non tantum sopiendo dolorem, sed tumorem etiam notabiliter imminuendo, optimè conduxit, ut, cum insuper 7. die Aug. potiuncula ex resina jalappæ parata purgatus fuisset, paulo post planè convaluerit. Mira hæc serosi humoris, copia & stagnatione peccantis, & hinc tristem capiti sensationem inferentis, nec non tumorem genæ collo inducentis, μετάστασις majorem admirationem parit quod serum discutientibus interne in usum ductis, ob copiam non promte cedere valens, non in vasa sanguinea readsumtum, sicque ad scrotum, sed rectiori via per latus sinistrum sensim eò derivatum fuerit. Quod si consideretur, catarrhosas defluxiones non simpliciter delitamenta in posterum esse dicenda, evidenter satis adstruitur. Vias tamen, per quas fluxio hæc processerit, satis obscuras nobis reliquit Natura; nisi forte nervorum, & quidem, si ordinem à Cl. Willisio nervis adsignatum sequamur, quinti paris, buccarum musculis surculos mittentis, & postea una cum sexti paris ramulis, nervum intercostalem, ad testes etiam abeuntem, producentis, id beneficio accidisse dicere liceat, intra quorum membranulas insinuans se lympha illa extravasata, per latera eorum sensim usque ad testiculum descenderit. *Idem.*

Monstrosa umbilici procidentia.

Superiori anno Bernæ matronam quinquagenariam, robustam, sanam, obesam & pinguem valdè, invisi. Illa ante multos annos in difficili partu relaxationem umbilici contraxerat, ex qua relaxato peritonæo, paulatim exomphalus plane monstrosa facta fuerat, quandoquidem ad magnitudinem uteri, qui fœtum maturum gestat umbilicus p opendebat, venter nihilominus suam servabat proportionem. Extuberantia verò illa umbilici, veluti ingens saccus ita propendebat, ut manum facilè totam ventrem & saccum istum imponere possem. Porro tumorem huncce ex omento prolapso, & sensim in illam magnitudinem aucto, prognatum fuisse, verisimile mihi videtur: absque dolore enim tractuque, mollis & undique æqualis erat, à naturali colore non discrepabat, murmur nullum percipiebatur, ut in hernia fit intestinali: in ventrem rettocedebat nunquam, etiamsi alvum exoneraret, vel in dorsum ægra decumberet, sed semper in eodem permanebat statu. Ex quibus apparet, fuisse omentum, idque in illam molem & magnitudinem auctum, sed hæc obiter, quæ si non probabilia, verisimilia tamen esse videntur.

Cæterùm etsi saccus ille ingens & ponderosus esset, ita tamen corpore erat valida atque sana fœmina illa, ut negotia sua domestica ipsamet administraret. De generatione verò tumoris omenti, cujus mentionem facis, nescio quam aliam adferre debeam causam, præterquam illam ipsam, quam tu quoque statuisti. Ludit enim aliquando natura, ut plus nutrimenti ad partem aliquam, quam pro sua nutritione opus, amandet. Hinc accrescentiæ præternaturales & aliquando monstrosæ fiunt. *Guilielm. Fabric. Hildan. Obser. Chirurg. Cent. 3.*

De ingenti umbilici procidentia, historia altera.

Ante aliquot annos de quadam monstrosa extuberantia umbilici ad te scripsi, fœminam illam etiamnunc superstitem esse arbitror. Ab eo tempore similem affectum in Germania, in nobilissima & singulari virtute prædita matrona vidi. In illa tamen non umbilicus ipse, sed paulò supra ipsum peritonæum, & pars quædam abdominis, veluti in saccum maximum dilatata propendit. In isto autem sacco non solùm omentum, sed & intestinum aliquod continetur, aliquando enim murmur in ipso percipitur, & tunc quoque dolor adest; nunc vehemens, nunc verò remissior, pro flatuum copia. Affectum huncce in difficili partu se contraxisse, mihi affirmavit.

Cæterum quis hujusmodi procidentiæ umbilici aut abdominis, rarò in ventrem retrudi possunt, aut si retruduntur, difficultet tamen retinentur, maximasque molestias ægris pariunt, dum propter pondus superiores partes secum deorsum trahunt, fasciam quandam sacculatam excogitavi, quâ extuberantia illa tam commodè sursum tetrahitur atque sublevatur, ut nullam ferè molestiam aut incommodum pariat.

Primo autem ex tela reduplicata, parandus atque adaptandus est thorax; ita tamen ut ultra primam costam mendosam non descendat. Thoraci porrò isti in dorso, & quidem è regione homoplatarum, ex utroque latere fascia, duas dig tos in latitudine positos lata, & undique perforata, annectenda est. Istis præterea fasciis parvis fascia magna & sacculata, beneficio lororum annectenda est. Elevatur autem & delabitur secundum necessitatem & voluntatem ægri, beneficio lororum & foraminum.

Fabricatur fascia illa, ex duabus particulis telæ, in exteriori parte consutæ; ita ut in medio sacculus efficiatur, *Idem ibidem.*

Hernia umbilicalis monstrosæ prorsus magnitudinis

Nobiliss. Dom. annos circiter 40. nata, constitutionis ex naturâ admodum laudabilis ac obæsissima, Hernia laborabat umbilicali, cujus primordia inde enata fuere quod jam à 14. annis, dum lecticâ veheretur, fluviolumque extra ripas tum excurrentem transfretaret, non parum contentionis adhiboit ne in medio subverteretur fluento. Statim fabæ magnitudinis tumor visus est, qui subsequentibus annis, tum ob mationæ obæsitatem indeque productam totius habitus corporis mollitiem, extensionibus admodum aptam, tum ob plures advenientes partus, in eam accrescebat molem, ut tandem capite humano duplò major foret; in hoc tantum ab eo quem mox ex Clar. attulimus Fabricio Hildanô, diversus, quòd umbilicus supra illum esset, ac contra hujus medium occuparet. Peritonæum, musculi abdominis, ac cutis ipsa, inde quasi lacera ac monstrosè expansa, facilè permittebant ut contractarentur omentum ac intestina contenta, imò etiam illorum motus peristalticus deprehenderetur. Strangulationem tamen nullam patiebantur intestina in tam amplum devoluta saccum, quia ejus orificium non parum patebat, atque itui & reditui eorum non officiebat; nunquam interim ad dimidiam sui partem decrescebat tumor etiam post longum decubitum, nec omnino in proprium situm reponi valebant intestina, quin ex levi etiam compressione in deliquium animi incurrebat ægra. Continuo prætetea dolorem non mediocrem in lumbis persentiebat, quem nec suspensoria Herniam, prout licebat, reprimentia, aliaque artis præsidia, satis mitigare valebant, Propterea

prerea Luteriam Parisiorum, egregios illic subligaculotum confectores, Herniatiosque celebres consultura ivit, sed nihil inde levaminis retulit. Imò amplior ex itinere factus tumor, doloresque colici qui subiode matronam nobilissimam excruciabant frequentiores facti, tandem in iliacam abiere passionem quâ trium dierum spatio, postquam per 12. horas alvinas evomuisset fæces, magnô nostrûm, omniumque sanè proborum luctu, rari admodum exempli mulier sublata est. Taceo illa omnia quæ adhibuimus auxilia, hicque tantum consultationem adjicio quam Clar. quidam Medicus Germanus Lugduni Gallorum, dum Parisiis teverteretur pro Nobilissima Aegrâ coosctipsit.

I. B. Consilium Medicum.

De Nobilissimæ Dom. Morbo & raritate curioso, & curationis difficultate gravi hujusve causâ, amplum ut faciam discursum superfluum duco, de hisce quoniam Judicium illi haut erit difficile, qui vel primis saltem labris delicias degustavis anatomicas; Omissâ proin rari hujus Casus prolixiore delineatione, ad ipsam statim progredior curationem seu potius alleviationem, totalis cum curæ omnis spes non sine ponderosa ratione ab Experientiss. Chirurgis sit præcisa, palliativa proin quæ restat Cura in hoc consistit, ut quantum possibile & præsens malum demulceatur, & incrementum modis omnibus impediatur, ad quem scopum pervenire licebit, exquisitâ remediorum appropriatorum selectione, eorumdemve ritâ applicatione; Ordiar ab ipsa Venæsectione, cujus usus non solùm proficuus sed & necessarius videtur, vel ob solam mensium fluxus cessationem, addo Nobilissimæ Dom. Temperamentum sanguineum, ut & corporis obesitatem, unde facillimè accidit ut Vasis sanguiferia à pinguedinis mole valdè coangustatis, motus sanguinis necessarius retardetur, qui hinc circa intestina cootorta sensimque majori copiâ collectus, stagnationeve acrior redditus facilè inflammationem causari in illis posset, accedit quod ex ipsâ hac ratione venulæ alicujus capillaris vel in Cerebro vel in Pulmonibus ruptura cum funesto exitu contingere queat, interveniente præprimis à vehementi quadam animi commotione, impetuosiore sanguinis motu, funestus proin hic ne accidat effectus singulis annis ad minimum bis, Vere nempe & Autumno larga Venæsectio celebranda est, ut ita detractâ quadam sanguinis portione sanguinis motus liberior reddatur, hæc verò ut salutaris esse possit, corporis præparatio perquam necessaria, quæ fit vel clystere solummodo, vel purgante leni, si nempe primæ viæ succorum vitiosiorum saburrâ obsessæ sunt, quod fit vel syrup. de cichorio cum rheo ad aliquot uncias in jusculo assumptô, vel si insufficiens sit, infusum rhabarbari convenientissimum erit paratum ex rhabarbaro electo herb. cardui benedicti, cortic. citri siccis, santalo rubro & nitro præparato com Aqua cichorei, addito sub finem syrup. de cichor. cum rheo, observatâ interim circumspecte rhabarbari dosi, exulent pulveres, extracta, pillulæ &c. utpote quæ sæpe tarde & non sine torminibus operantur, quæ hic omnibus modis evitanda sunt, hanc ob caussam manna, folia sennæ, jalapa &c. mihi sunt suspecta, si verò Nobilissima Domina flatibus admodum divexata sit, non abs re erit ante hujus usum clystere carminativo uti, parato ex radice althææ, fœniculi, Herb. malvæ, violariæ, mercurialis, absynth. floribus hyperici, chamomillæ, semin. lini; anisi, additis melle mercuriali & oleo anethino, omissis omnibus acribus, dissipatis ita flatibus sequentis diei assumptum purgans melius & minore cum dolore operabitur, cavendum tamen probe à frequenti purgantium usu, utpote à quibus Intestinorum tonus destruitur & tota Massa sanguinea acris redditur; Et quia totius hujus curæ palliativæ cardo primario in hoc vertitur ut alvus semper sit libera, hæc proin ut conservetur aperta omni studio allaborandum, quod obtinebitur diligenti Medici in dandis remediis circumspectione, ut & exacta nobiliss. Dom. præscripti regiminis observatione. Medici eapropter ex præsentia molesta & periculosa symptomata pro virili corrigere & mitigare Nobiliss. Dominæ verò exquisita Dietæ observatione impedire ne eadem mitigata recrudescant; Frequentissimum verò & periculosissimum quod in hocce affectu contingere potest symptoma est Colica passio, cujus præprimis contumacioris Pedissequa sæpe est utplurimum funesta iliaca passio; Cùm verò Colica triplicem agnoscat originem, triplici etiam methodo tractanda venit, vel enim provenit à fæcibus induratis, vel ab acido viscido seu Pituita intestinorum tunicæ tenaciter adhærente, vel etiam ab acido acri vitriolico, à vitiosa bilis & succi pancreatici constitutione oborto ac tenellas intestinorum fibras vellicante; Illius signum evidens alvi pertinax obstructio; Istius copiosa flatuum insipidorum eruptio, ructus acidi, appetitus dejectus à ciborum viscidorum esu proveniens &c. Hujus verò ardor in intestinis insignis junctus cum exquisitissimo dolore à vitiosa succi Pancreatici cum bile fermentatione, flatuum acrium ejectio, ructus Saporis cuprei, oris siccitas, sitis magna, appetitus adauctus, prægressa vehemens animi emotio, ut & ciborum acrium & aromatibus nimis conditorum usus. Probe hic attendendum, quænam præsente insultu colico ex dictis tribus peccet species, si prima Fœces sc. induratæ remediis humectantibus & emollientibus internis & externis certandum, quæ inter primarum tenent clysteres emollientes parari ex radicibus lilior. alborum, althææ, herbis 5 emollientibus, floribus chamæmel. summitat. anethi, seminibus, lini, fœnogræci, additis oleo lilior. albor. & butyro recenti non salito, quod si constipatio adeò pertinax, ut clysterum ejusmodi reiteratorum, ut & interne assumptorum & externe applicatorum remediorum effectum eludat, & metus sit subsequentis passionis iliacæ, dictis clysteribus permiscenda fortiora, ut mell. mercurial. scyllitic. Electuar. leniriv. simplex, de hiera picra Logadii, sal commune, gemmæ. syrup. emetic. Angeli Sal. vin. emeticum, cum hisce postremis summâ cum prudentia procedendum, quæ non in usum sunt vocanda, nisi urgente extremâ necessitate, ubi extremo morbo extremum adhibendum remedium; suppositoria hoc in casu, experientia teste, sæpissimè magis obsunt quàm prosunt, etenim ab irritatione quam faciunt fibræ intestinorum lacessitæ vehementius constringuntur, fæcibus hinc devenientibus magis induratis, Per os quæ dantur remedia varia sunt, maximè jusculа emollientibus herbis alterata frequenter deglutita, Oleum amygdalar. dulc. recenter express. (Si Nobilissima Domina ejusmodi pinguia sufferre potest) ad oncias aliquot in jusculo propinatum, vel cum syrup. de althea Fernel permixtum potatum magni sæpe effectus est, sperma ceti recens & non rancidum ad ʒi. in jusculo dissolutum assumptum, item serum lactis caprill. cum cremore tartari præcipitatum & copiose haustum, sæpe acidularum largus haustus pertinacissimas solvit alvi obstructiones, conducit & butyrum recens assumptum, quoad purgantia, lenia nullius effectus,

validiorum eventus dubius sæpe auxilio fuerunt, sæpe etiam damno, ego omnibus aliis præferrem mannam Calabrinam elect. ad uncias aliquot in sero lactis caprill. dissolutam, assumptam; externe conducunt linimenta, Fomenta maxime verò Balnea medicata (Gallis demy Bain) hæc parari possunt ex dictis emollientibus, & discutientibus, pro fomentis dictæ herbæ lacti incoquendæ, quo sæpe foveatur pars affecta tepidè imponendo sub finem inter lintea duplicata ipsum malagma; Illa verò parari possunt ex unguento de althæa, martiato, spermate ceti, pulvere florum chamomillæ & oleo lilior. alborum, quibus statim post fomentationes inungatur ventriculi regio calide: si hæc non sufficiant, addi possunt unguentum Agrippæ, de arthanita ol. colocyntid: Si verò secunda colicæ species orta ab acido viscido seu pituita peccet, Discutientia & incidentia remedia locum habent, Clysteres carminativi magni sunt usus, paratis ex radicibus althææ, angelicæ, Herbis malv. parietar. origan. rutæ, floribus lavendulæ, sambuci, hyperici, Baccis lauri, seminibus fœnugr. fœnicul. oleis additis Electuar. de baccis lauri, oleis anethin. & hyperici adjectis, oleo destillato chamomillæ guttis aliquot, & si dolor valde urgeat theriacâ optimâ & castoreo, qui pro ratione durationis reiterari possunt; Per os exhibentur Potiones cordiales, Electuaria, Trageæ, Pulveres, essentiæ &c. Potiones parari possunt ex Aq. menth. meliss. flor. tiliæ, pæoniæ, cinamomi cum aqua destillat. syrupi cortic. arantior. spiritu nitri dulci, confectiones de hyacint. &c. cochleatim sumendæ. Electuarium parabitur ex conservis betonic. menthæ, borragin. meliss. flor. pœoniæ, corticibus arantiorum conditis, radice helenii conditâ, speciebus diarrhodon. abbatis, Oculis cancr. præparatis, succin. albo præparato cum syrup. de cortic. citri, de manè & vesperi duabus horis post cœnam magnitudine Nucis moscatæ deglutiendum superbibendo 3. cohlearia aquæ flor. tiliæ, Tragea stomachica fiat ex pulvere stomachico Birckmanni, herbâ melissæ, flor. arantior. semine pœon. Oculis cancr. præp. cinamom. & sacchato perlato, de quo sub finem prandii & cœnæ cocleare unum pani tosto & vino madido inspersum assumat. Pulveres carminativi fiant ex Oculis cancr. ppr. Ebore sine igne præp. Unicornu fossile, antimon. diaphoretic. recenter & bene preparato. corticibus arantiorum siccis, tartaro vitriolato, salibus juniperi, absynth. &c. adjiciendo guttulam unam vel alteram oleorum destillatorum citri vel chamomillæ, vel anis. &c. si materia adeo tenax ut horum remediorum vim respuat, deveniendum ad fortiùs penetrantia, qualia sunt Essent. corticum arantior. Zedoariæ, Tinctura Castorei cum spiritu salis armoniaci parata, Elixir Proprietat s Paracelsi cum spiritu tartari volatili paratum, spiritus salis armoniaci anisatus, maximam vero meretur laudem. spiritus nitri anticolicus sequens, Recipe flor. hyperici & chamomillæ recent. & dimidiâ ex parte siccatorum ana quantum vis, affunde spiritus vini optimi ad eminentiam 2. digitorum, stent in infusione in loco calido aliquot horas in vase probe tecto, postmodum eundem spiritum vini affunde aliis floribus, repetendo ita tertiâ vice, hujus spiritus Vini & spiritus nitri recipe an. partes æquales, destilla per alembicum lento igne ter repetendo & ita paratus erit spiritus anticolicus; Ejusmodi vero volatilia semper aliis liquoribus permiscenda & cum grano salis præscribenda, probe notandum ne hisce contraria acida scilicet addantur, sæpe enim talia volatilia sinistre exhibita in parva etiam dosi maximo fuere sæpe nocumento, purgantium loco esse possunt pilulæ de ammoniaco & de tartaro Quercetani, caeternè conveniunt Balsamum stomachicum flatus resolvens paratum ex ol. absynth. anethin. Nucestæ express. destillato cortic. arantior. an. s. Balsamo peruviano & cera, item Fomentationes ex carminativis, ut radic. pœon herb. menth. calaminth. meliss. summitatib. anethi, flor. hyperici, Baccis juniperi, Corticibus arantior. sicc. & semin. anethi, quibus in aquâ & vino decoctis linteis quadruplicatis, foveatur ventriculi regio tepidè, imponendo sub finem ipsas herbas; prosunt & Balnea ex iisdem herbis parata; Devenio tandem ad tertiam passionis colicæ speciem, cujus natales sunt acidum acre vitriolicum, quod participat & de bile & de succo pancreatico acidiore, in hocce colico insultu eximium apportat solatium nitrum & omnia quæ nitrosæ sunt virtutis, quæ inter admirandi effectus clyster ex fimo equino adhuc calido paratus v. gr. ℥. Fimi equini adhuc calidi mij. flor. chamomill. mij. affund aquæ communis q. s. stent in infusione in loco calido 4. horarum spatio, colatur. expressæ ibi admisce olei violacei & hyperici an. ℥iß. F. clyster, vel si fimus haberi non possit, fiat clysma ex radic. lilior. albor. cichor. Herb. violar. malv. endiv. flor. papav. rhæados, chamomill. semin. melon. & fœniculi, fiat decoctio cum sero lactis caprilli, colaturæ admisce olei violac. & chamom. & si uterus compatiatur aliquid de trochiscis de camphora; Interne conducunt juscula alterata herb. violar. cichor. lactuc. flor. papav. rheados, cichor. ut & Julepi parati ex Aquis cichor. violar. flor. tiliæ, cardui bened. syrup. violar. papav. rheados, Corn. cerv. philosophice pp. & nitro perlato per cochlearia sumendi, item Electuarium confectum ex conservis borragin. flor. violar. meliss. radice cichor. condita, corticibus citri conditis, Oculis cancr. pp. Corn. Cerv. philosophicè ppt. & syrup. papav. rheados, de quo manè & vesperi hora somni capiat magnitudine Nucestæ: prosunt & tincturæ violar. cichor. papav. rheados & præprimis si magnus æstus præsens sit, nec non serum lactis caprilli succo citri paratum. si Bilis abundat leni purgante supra indicato educi potest, imo si tota Massa sanguinea valdè æstuet, venæ sectio modica negligi haut debet; Quoad remedia externa, Balnea temperata lenimen afferre poterunt, sed cavendum ne nimis sint frigida, eapropter fomentationes ex frigidis paratæ haut magni æstimo, quia ab insita quadam virtute infrigidante fibræ constringuntur, poris hinc strictioribus existentibus, exhalationibus à continua effervescentiâ obortis exitus intercluditur, & ita æstus adaugetur, accedit quod ejusmodi Fomentationes sæpissimè schirrhos post se relinquant. Si verò duæ ex dictis speciebus simul junctæ sint, malum judiciose examinandum & maximè cavendum, ne a remediis nimis violentis propinatis, excitata convulsio funestam post se trahat passionem Iliacam, Medium proin in tali caso tenuere beati; Ut vero Nobiliss. Dom. hujus passionis Colicæ frequentem invasionem evitare possit, ut exactissimum observet vitæ regimen, necessum est; Fugiat proin Aërem calido siccum, ut & nimis frigidum, Tempestatem ventosam, abstineat ab omnibus cibis qui fermentum ventriculi enervare, bilem adaugere, succum pancreaticum corrumpere & flatus progignere valent, ut sunt omnia viscida, dulcia, saccharata, acida & pinguia, ex quorum censu sunt legumina omnia, fructus omnis generis, caseus, lac, pisces, acetaria, placentæ farinaceæ, ut & cibi nimis saliti ac nimis aromatisati, panis nimium fermentatus nec satis coctus &c. econtra alimenta assumat boni succi & facilis digestionis, ut sunt Carnes vitulina,

ovina,

ovina, caponum, gallinarum; juscula alterentur cerefol. betonic, petrosel. meliss. violar. &c. hordeata etiam prosunt, brodio carnia parata; conducunt & poma regia (Gallis Renettes) cocta præprimis si alvus adstrictior sit assumpta horâ unâ ante cænam, ut & pruna damascena cocta &c. Potus ordinarius sit Vinum album, vel rubellum tenue aquâ (in qua prius frustulum panis tosti fuerit extinctum) dilutum nec nimis frigide haustū, post partum Nobiliss. Domina non statim seriis vacet negotiis, quia spiritibus animalibus alio vocatis, digestio iu ventriculo non adeo feliciter peragitur. Ad stomachū confortandū & flatus dissipandos proficuum nec ingratum remedium erit sequens. Recipe Malum aurantiom dulce, quod cruciatim incisum indatur vasi terreo, affundendo vini rubri generosi aquâ parum diluti ad eminentiam unius digiti, in quo dissolve sacchari finissimi quantom placet, coquantur invicem lento igne vase probè cooperto ad consistentiam syrupi tenuis, de hocce pomo ita cocto Nobiliss. Domioa singulis diebus & horâ ante prandium & cænam assumat frustulum rotundum superbibendo duo Cocblearia liquoris admixti, quô remediô vero non semper sed certis solummodo temporibus utatur, si nempe flatibus se valde molestatam sentit; Omoes dein violentos Animi & corporis motus cane pejus & angue fugiat; Somnum nimiis vigiliis haut turbet; Alvus semper respondeat, si non, dicto modô sollicitetur; Hisce ita rigide observatis Nobiliss. Domina non opus babebit multis remediorum Præsidiis, nec approbarem frequentem horum usum, quæ tamen urgente necessitate non sunt negligenda; Remedia proin quæ in hocce meo Consilio medico consignata sunt pro lubito & circumstantiarum varietate in usum vocari possunt. Verùm cum frustra plantet Paulus, & riget Apollos, nisi Deus det s. Bened cere, calidissimum capropter meum est Votum ut Archiater Cælestis ad cuncta, quibus Nobiliss. Dom. opus habebit, Remedia divinam suam Benedictionem largiri velit; Cujus Divinæ Protectioni Nobilissimam Dominam una cum Tota Nobilissima Familia recommendo.

Periculosa Hernia sanata.

Nihil herniæ intestinali perniciosius est, quam stercus per os reddi. Arguit quippe hæc regurgitatio manifestam motus peristaltici offensam. In quô cum consistat verum intestinorum stabilimentum, mirum non est, si eo labefactato, pessum eat homo. Licet interdum reperiantur nonnulli adeo validi, ut devictâ tam exitiali noxa, adipiscantur iterum pristinam sanitatem. Quod tamen albo corvo rarius.

Nautæ ex hyberno naufragiô diu madido, ac frigido intendebantur tantopere à spiritu Intestina, plus æquô refrigerata; ut dilitatô peritonæi processu, descenderint non modo in inguina, verum in ipsum scrotum. Unde difficulter retro compulsa; sive ob distendentem spiritum, sive ob induratum stercus, læsere non parum motum peristalticum. Et cum non possent se infra exonerare, ejecere supra per os, cum bilem flavam, tum sordida alvi excrementa.

Quæ præternaturalis excretio aliquandiu continuans, licet videretur babere certam desperationem: vidimus tamen die tertio decimo intestina hæc à Cornelio Sasbourio ritè in locum suum reducta, & ægrum quantumvis summè debilem, imò morti jam vicinum, præter omnem spem, enavigasse feliciter periculosam hanc cbarybdim. *Nicolaus Tulpius observationum Medicarum lib. 3.*

Similem sane casum vidimus in viro quinquagenario: is enim post quam ex Hernia grandiori in Ileon miserè deductus, & continuis doloribus iisque atrocissimis imo borrendis vomitibus per sex dies excarnificatus fuisset, tandem in totalem ἀσφυξίαν cum stercoraceæ materiæ per os regestione, incurrebat. Cum advocabar jam à 24. horis in tam desperatô statu versabatur æger, nec erat quid consilii illi darem; Qoandoquidem tamen opem meam, mente omnino constans, voce admodum languidâ, avidissimè exposcebat, accersiri curavi Celebrem Chirurgum D. Stephanum Dentand, qui cùm arte sibi sanè singulari Intestinum promptè ac sine violentiâ, reposuisset; cessavere symptomata, pulsusque & vita tum prorsus fugitiva, sensim reducebantur. Ex bisce addiscant Medici atque Chirurgi prognostico minimè esse dereliquendos ægros etiam desperatissimos.

De Enterocele in viro sene, lethali.

Inter affectus omnes, qui magno numero hominibus molestiam afferre solent, haud Infimæ notæ intestinales Herniæ, utpote quæ variis exitiales.

Tilemannus Nieketken, Pellio, senex, temperamento siccus, per multos annos Enterocele molestâ, insciis omnibus, laboraverat. Anno 1653. refrigeratis pedibus, imo totus frigidus, lectui se commisit, ventris hîc subito corripitur dolore, mox vomitu gravi, undè intestini in scrotum secutus prolapsus.

Vocatus Chirurgus arte nulla efficere potuit, ut in situm restituerentur intestina; in consilium adductus ego, summo mane, inveni hominem dolore ventris, febri, vomitu, suppressioneque excrementorum alvinorum & urinæ, decumbentem, consultum videbatur Enema hoc præscribere.

℞. Rad. Liliot Alth. an. ℥i. Fol. Violar. Malv. Parietar. an. M. i. Flor. Chamomil. Melilot. Anethin. an. M ß. Semin. Lini, Anis. Cumini, Fœnugr. an. ʒ ß. Coquantur in aq. put. & cerevis. an. part æqual. q. s. in col. ℥viii. dissolve Elect. D. acarth. ʒv. Vitell. ovi n i. Ol. chamomil. Verbasc. Aneth. an ℥i. Anis. g. ii. F. Clyster. Pro fomento Tragæam hanc præscripsimus, in lacte dulci decoquendam.

℞. Fol Parietar. Malv. Verbasc. an. M. i. flor. Chamomill. Melilot. Aneth Sambuc. an. M. ß. Sem. Anis. Fœnic. an. ℥ß. Præparata dentur usui in chartâ. Fotus antequam applicaretur Litus hic usurpandus.

℞. Ol. Aneth. Melilot. Chamomill. an. ℥ß. Anis gr. x. M. F. Linimentum. Mediis bisce exiguo tempore adhibitis, cum in intestino sacculo contento non tantum flatus, sed & alvinas fœces reservari, constaret, leniter intestinum manibus nostris tractare, secundum monitum Hieron. ab Aquapendente quod habetur parte 2. de tumor. præternaturalibus lib. I cap. 31, aggressi sumus, quod sic, fœcibus emollitis, sensimque ad interiora protrusis, etiam intestinum Ipsum reponi suo loco posset. At irritus omnis labor, eo quod partes omnes, durius justo à Chirurgo nocte præcedente tractatas, inflammatas, & non parum contusas, sine dolore gravi apprehendere haut liceret.

In re ejusmodi gravi nobis jungere placuit consanguineis Virum Ampliss. D. Nicolaum Tulpium qui, ex tempore accedens, babita consideratione affectus perceptisque iis quæ prægresso tempore fuerant peracta, necessarium omnino duxit Enematis admodum à nobis præscriptum præparari injectionem, hinc, pannorum ope Olei sequ. applicationem.

℞. Olei Anethin. Cbamomill. an. ℔i. m. Usurpetur calide. Imò qoo molliter Intestinum reponere nobis liceret, consultum judicavit ægrum eo in situ detinere,

nete, ut pedes sursum sint elevati, caput verò inferiora spectet. At ne quidem hoc tempore de novo ad intestinum prolapsum delatæ fœces ad interiora deduci à nobis potuerunt, quamcunque etiam diligentiam adhiberemus; imo ab opere desisteremus vomitus gravis materiæ pituitosæ, biliosæque, coëgit.

Ita sine ulla doloris in ægro anxietatisve remissione tempora nostra trivimus usque in diem tertium, qui, cum doloris equidem decremento, at vero febris incremento, vomitu fœcum fœtidissimarum gravis valde atque molestus fuit, quod ob angustiam intestini descendere inhiberentur. Considerabile enim in hoc ægro, iotest na scroto detenta convoluta aliquomodo fuisse, unde, impossibile stercora per anum evacuari, quin contra, ad gyrum intestini delata, retrogredi necesse habuerunt.

Ad hujus affectus curationem, quo & dolor & anxietas tollatur, medium aliud hactenus haud cognitum, periculosum licet, incertique exitus, quam quod lib.2.cap 40. describit Chirurgus Regius Petrus Pigræus, nec est quod id rejiciat Marcus Aurelius Severinus; nostro sane, imo & Ampl. Dn. Tulpii judicio facilius longe operatio hæc instituitur, quam sectio cæsarea.

Declarata operationis hujus utilitate, incerta licet, periculosaque, consensu ægrotantis, consanguineorumque, die quarto ægrotum accessimus, nil obstare sperantes quo minus eam institueremus. *At opus hoc inhibuerunt varia, animi imprimis deliria, sudores frigidiores, imo scroti ipsius gangræna, quæ omnia, ad mortem usque, circa meridiem supervenientem, continuarunt.

Quo vero junioribus constet, qualis operandi modus in desperato ejusmodi casu à Celeberr. Pigræo describatur, cum semper ex sententia Celsi, aliorumque in morbis gravioribus præstet remedium adhibere anceps quam nullum, & necessario ejusmodi herniosos mori debeat, si nullum adhibeatur medium. Verba Authoris hæc sunt.

Si, inquit Vir expertissimus, intestina contorta, fæcesque in iis conclusas esse contigerit, nullatenus proderunt quæcunque manibus factæ contrectationes sive contorsiones, aut cujusvis generis exhibita medicamenta, ita ut ad ultimum remedium, peritonæi nempe sectionem confugere sit necesse.

Quæ quidem ut debito modo perficiatur, primum, secandus facie cœlumversus, sive supinus sternendus est, atque adhibenda scissura duorum circiter digitorum latitudine supra eum locum, qui arcte conclusus est; quoniam ipso hoc loco sine manifesto læsionis discrimine jam peragi nequit.

Factâ ad peritonæum usque apertura, in adversum latus componetur secti corpus, quo facilius intestina ab eo loco, in quo peragenda sectio recedere valeant; immissoque in vulnus digito (qui butyro recenti aut oleo Amygdalarum Dulcium inungendus) intestinum molliter ac pedetentim loco naturali restituetur. At vero si tanta intestinorum copia erupisset, ut opus esset apertura latiori, ad conclusum locum usque ea perducenda foret, supposito interim ad intestinorum tutelam digito aut specillo apto, quod si intestina flatibus referta, unde operatio difficilior, acu (res etenim periculo caret) perforanda, quo eisdem exitus præbeatur Postremo repositis loco suo intestinis, vulnus, si ita res exigat, consuendum, ea methodo quam nos in ventris vulneribus adhibendam præscripsimus, ac tandem vulneri consueta in aliis admovenda medicamenta.

Hactenus Pigræus, cujus accurata descriptio explicatione nullâ indiget, addemus tamen sequentia.

Locus operationi huic accommodus lucidus sit oportet, decineatur eo mensa pulvinaribus variis instructa, his imponatur æger, dorso incubens, adhibitâ, vel pro rei exigentiâ, neglectâ, artuum mensæque connexione. Hinc cutim abdominis, ad duorum dig torum transversorum à processibus peritonæi distantiam, pollice digitique manus sinistræ elevet Chirurgus, altera vero dextrâ manu, loco eo, qui ad latus musculi recti, proximus est parti angustiori constrictæque, vulnus cuti partibusque subjectis infligat, de sanguinis fluxu, qui levior, haud sollicitus; sectione hac institutâ, hamo peritonæum elevet, quod manu levi, sensim dissecet, sedulo cavendo ne intestina subjecta cultello vulnerentur. Foramine in peritonæo facto, cultellum in extremo, ne partes subjectæ lædantur, globo donatum, per illud inferat, ejusque ope, sursum, deorsum, ad latus hoc, illudque, pro placitu, peritonæum dissecet. Pigræus loco cultelli dicti aliô instrumentô utitur, per cujus sinum dum cultrum ducit, læsionis patrium subditarum nullus metus.

Peritonæo dissecto indicem suum, imò, si possibile, cum eo pollicem, digitumvè alium, oleo lubricatos, dimittat in ventris cavum, ad usque peritonæi processum, ubi inveniet intestinum contortum, sæpius omento nexum, ad scrotum descendisse; hæc, digitorum incurvatorum ope, leviter trahendo, sursum in ventris cavitatem deducat. Operatio hæc felicius, citiusque absolvetur, si manu alterâ, planiore, scrotum leviter commoveatur, ventrique appropinquetur, sic enim convolutio intestini melius solvetur

Hisce peractis vulneris habenda ratio; intestina quod si extra vulnus prodierint, adeoque ab externo aëre alterata fuerint, flatu sæpius insuper dilatata, acu acutiore; locis variis, ad flatuum eruptionem promovendam, perforanda, ex doctrina Pigræi, hinc vulnus sutura ea claudendum, quæ Pigræo in vulnerum abdominis curâ usualis est, tandem curatio ea obtinet quæ in vulneribus aliis locum habere solet.

Suturam in ventris vulneribus convenientem, quæ Gastroraphia dici solet his verbis describit *lib. 5. cap. 2* citatus *Pigræus. Sutura hic instituenda incarnativa etiam est; hic peritonæum una parte acu perforandum est, altera manente integra, mox hac pars perforanda, relicta imperforata ei opposita, & sic procedendum, quo inter quamvis perforationem carnis particula protuberet, sicque incarnatio, interiorque cicatrisatio promoveatur.*

Explicatione prolixâ verba hæc haud indigent, per se satis clara; notari tamen necesse, acum, quæ hic ad vulneris consuitionem usurpatur, falcatam debere esse, filum itidem duplicatum requiri, cera incrustatum.

Carnis cum mentionem facit Pigræus lib. 6. meth. cap. 2. Musculos abdominis intelligit, sutura hic obtinet similis illi quam pelliones instituere solent, ubi alternatim utriusque lateris partes, exteriores, interioresvè, acu perforantur.

Audi quæ Galenus de vulneribus ventris imi proponit. *Ad id*, inquit, *ut intestina reponantur, vulnus amplietur necesse est, hinc futura eo modo instituatur, ut modo musculi cum peritonæo, modo iterum peritonæum cum musculis connectantur.*

Plura huc facientia qui desiderat legat quæ de gastroraphia habent, inter varios alios, C. Celsus, *Hier. Fabr. ab Aquapend. Jacob. Guillemeau*, aliique, qui suturarum species varias, curiosas, faciles que, in vulnerum abdominis curatione summe necessarias describunt.

Superest, ubi, intestinis prolapsis repositis, gastroraphia hæc instituenda, utrinque ventris partes vulneri adiuæ manu molli ministri comprimantur, quo mi-

noti

nori cum molestiâ futura perficiatur, eaque fit certior.

Molestam hanc, licet dubiam, operationem ne fugiant Chirurgi, placet, observationem aliquam in canibus annotatam adductis addere. Cl. Henricus Blasii, Medicus, haud ita pridem in eane Lienem easfcindere volens, peritonæo illius magnitudinis vulnus inflixit, similiter ac ventris integumentis communibus; ut intromissorum digitorum ope & intestina mitis modis loco suo dimovere, & lienem extra id extrahere, potuerit, hoc facto, instituta sutura ea quæ pellionum est, vulnus clausum, brevique canis curatus, qui etiam postea sanus vixit, impossibile dixisses, si quidem vulnus d ctum, miramque intestinorum agitationem manu operatoris peractam, considerare licuisset, animal ullum, ita constitutum, vivere posse.

Capiti huic et finem imponamus, Author sum, quoties occasio conveniens se offert, operationem hanc instituendi, nunquam eam fugiat Chirurgus, tanti periculi haud est quanti eam habent varii; in morbo per se absolute lethali, præstatne instituere remedium dubium, quo salvari posse ægrotantes ratio & experientia docent, quam nullum. *Job. à Meeckren in Observ. Medico-Chirurg.*

De Enterocele ex processus peritonæi laxitate in Viro.

Nec intestina, nec scrotum Herniæ causa unquam dici haberique possunt, sed tenera constitutio processuum peritonæi; his enim, levi ex corporis motu, dilatatis, antrorsumque extensis, imò, ut volunt alii, omni modo ruptis, facilis intestinorum ad aliena loca prolapsus.

Civis quidam Amstelodamensis, siccioris constitutionis, ea inordinato pedum motu, dum ea sedili surgeret, subitò contraxit bubonocelem, mox, ea prolapsu intestini in scrotum, Enterocelem. Chirurgo se committere non audens, ea Herbario *Remb. Dodonei*, qui in promptu erat, herbas florésve dolores mitigandi vi pollentes collegit, ea pharmacopœâ petita hæc medicamenta in lacte decoqui curavit, tumorique applicari; benè cessit negotium, dolor remisit, tumor imminutus.

Hoc in statu, fine ullo vinculi f. bracherii usu, solâ oleorum inunctione contentus, aliquandiu vixit. Tandem cum in convivio quodam cibo potuvè ventriculum plus justo replevisset, in tumorem inguinis non solum sed & scroti incidit, periculosum non minus quam dolorificum, accedente illico intestini in scrotum prolapso, horrendo adeò, ut & scroto rupturam, & ægrotanti mortem minaretur.

Vocatus inveni hominem pedibos manibusque adeò perreptantem, quod dolores ex rupturâ dictâ intolerabiles, in scrotum prolapsa intestina manibus tractare permittebat; causarant hæc tumorem magnitudinis immensæ.

Misero nostro ægrotanti quo quantum possibile succurreremus, primo Enema aliquod ex emollientibus & anodynis paratum, ita tamen ut decocti minor adsumpta quantitas quam ordinario fieri solet, oleorum contra, ut Amygd dulc. verbasci &c. major.

Ad inflammationem ex intestino, statu, fœcibusque causatam, quæ gravis his aderat; cataplasma hoc præscripsimus.

℞. Fatio. Tritic hord. an. ℔i. Furfur. Tritic. ℥iiii. Flor. Chamomill. Sambuc. an. M i. Ol. Mynill. Rosar. an. ℥ii. Vini rubr q s. M.F. Cataplasma.

Hæc interea dum præparabantur, nostrum fuit molliori manu, adhibitis linteis calidioribus, intestinorum repositionem procurare, quæ etiam benè successit, magna enim intestini hujus portio jam suo loco restituta, antequam præscripta pharmacopœus adferret.

Injecto hinc Enemate, applicatoque Cataplasmate, (quod post horam, duplici quantitate renovari curavimus) repositio intestini longè facilior fuit, integreque absoluta.

Repositum suo loco quo reservetur, consultum vinculum processui peritonæi dilatato appl care ad eum modum formatum, quo patate ea solitus Nicolaus Minnebroeder, Chirurgus hujus loci, qui etiam varios similì malo affl ctos curaverat. Vinculum hoc haud differt ab aliis, nisi quod duplea fascia, utrinque una, ad majorem firmitatem, ne deorsum decideret, humero incumbat. *Idem ibidem.*

De Herniâ flatulentâ scroti, seu pneumatocele ex vulnere Thoracis.

Vulnus thoracis non penetrans, Fabr. ab Aquapendente *inquit curatur ut vulnus simplex. In penetrante autem, præmissa corporis totius procuratione potissimum in id incumbendum, ut evacuetur colluvies, & humiditas, quæ in thoracem è labiis vulneris descendit, ne putrescens mortem inferat. Evacuatur autem per tres vias, per vulneris orificium, per os scil. tussiendo, & per urina viam.*

Georgius Stouk, discipulus Notarii cujusdam à condiscipulo vulneratur cultello exiguo pectoris latere dextro. Propter exilitatem foraminis & aëri & sanguini transitus omnis denegabatur.

Vocatus febrem adesse reperiebam gravem, cum asthmate, pectorisque duritie. Ministrorum nostrorum aliquis per vulnus sectione notabilem sanguinis quantitatem extraxit, quo facto ad modum ab Aquapendente præscriptum processimus.

Die tertio quartove scroti pars dextra eam in molem intumuerat, ut caput infantis minoris magnitudine referret. Flatulentus hic tumor, cujus causam cognoscere ut arduum, ita curationem instituere. Haud improbabile nobis videbatur flatus hic collectos ex cavitate pectoris descendere, adeoque diaphragma etiam perforatum esse; in ventre autem hærentes, ubi varii tumores in externis notabiles producere videbantur, per processus peritonæi ad latus vasorum spermaticorum testes accedere.

Curatio difficillima, atrophia aderat, indies magis magisque notabilis, expectoratio materiæ fœdæ continua, cum tussi gravi. Febris continua, cum sudore frigido, vomitus molestus, adsumptum totum mariné, vigiliæ diurnæ nocturnæque valde vexabant.

Tertia septimanâ tussi ejecit materiam quandam crassam, longam, rotundam, porosam, imputam, hanc particulam carnosam diaphragmaris habebamus, quod hic vulneratum conjiciebamus. Ea exceta febris, sudor, respirandi difficultas, debilitas plurimum remiserunt, undè consultum visum naturæ operanti succurrere; in locum adeoque apozematis ex Rad Chinæ parati, quo hactenus usus, vulnerarium hoc substituere placuit. ℞. Herb. Tussilagin. Mij. Capill. Veoer. byssopi, Sanic. Verben. an. Mj. Vincæ perv. Mß. Rad. Petroselin. ℥ii. Flor. Beton. Liquirit. Oculor. cancri an. ℥ß. Coq. in aq. hord. pat. iij. Molli parte. Utebatur hoc quotidiè bis terve. Syrupum etiam confici vulnerarium curavimus ea brassicæ rubræ & consolidæ succo.

Et horum usu id effecimus, quod vires corporis indies increverint, puruientæque materiæ per fistulosum pectoris foramen, evacuatio successerit; Hinc plumaceolum planum Oleo ceræ madefactum vulneri impo-

impoluimus, plumaccolo linteum quadratum, quadruplicatum, linteo verò ferrum ignitum, & hac ratione olei dicti virtus interioribus communicata. Ter quaterve hac methodo ubi in curatione nostrâ processimus, vulneris foramen claudi permisimus, & sanitati restitutum ægrum observavimus.

De aëria ex thorace per diaphragma apertum in scrotum motu in prægressis egimus, haud è re erit exemplo aliquo notabili dicta illustrare.

Petrus Jacobi, Diemensis, rusticus, ebrius cultro interfecit Cognatum, vulneratur interim à cognato. Vulnus erat abdominis inter costam spuriam secundam & tertiam per quod eo impetu aër extrorsum protrudebat, ut vix detineri potuerit. Unde hic aër controversiam inter medicos Chirurgosve movebat; erant enim qui non nisi in ventris imi cavum penetrare vulnus credebant, at horum opinioni accedere haud poteram, quod & ratio suaderet, & præcedens observatio docuisset, non nisi Diaphragmate læso aëri per vulnus viam concedi; unde oblique hoc vulnus sursum per diaphragma in thoracis cavitatem penetrare credibile mihi videbatur. Post diem tertium quantumvè aëris per vulnus dictum egressus haud amplius notabatur. Hic nova quærendi occasio, quid causæ subesset quod flatus haud diutius se exhiberet? ad hoc respondere nobis placuit, probabile omnino nobis haberi, vulnus intra costas & hepatis partem exteriorem penetrare in thoracis cavum, hoc autem ab hepate incumbente hoc tempore claudi.

In aperto cadavere (insidenti enim sellæ carnificis manu caput ablatum) suspicioni nostræ correspondere omnia, visum. Primò enim hepatis partem convexam sursum versus diaphragma elevatam notavimus, undè vulneris in eo obturatio. Secundò non solum vulnus diaphragma penetrasse, sed & pulmonis partem inferiorem fuisse ablatam, quam seto in thorace collecto innatantem vidimus.

In gratiam curiosorum hic loci addere placet, in Cordis ventriculo dextro sanguinis ne guttam à nobis fuisse repertam, in sinistro verò ipsumsum omninò sanguinem; quod sententiam scriptorum illorum confirmare videtur, qui volunt, in iis, qui violenta morte intereunt, sanguinem ipsumsum in venis contineri. *Idem ibidem.*

De Enterocele gravi.

Anno 1652. occurrit nobis vir satis annosus, qui Herniâ scroti laborabat enormi, erectus quoties incederet, tumor se extendebat ultra genua, evadebatque crassitiei satis notabilis.

Tumor hic quoties in scroto appareret, venter adeò detumescebat, ut etiam manu planâ premendo vertebras lumborum attingere liceret. Hinc ubi tumorem hunc tollere animus, elevatione leni omnia intestina in scroto prolapsa, per peritonæi patentem valdè aperturam facillimo negotio ventrem repetebant, nec ullâ in hac restitutione molestia afficiebatur, nisi quod, ubi intestina reposita diaphragma attingebant, animi deliquium non leve incurreret.

Admirationem omnem superabat, hilari adeò ipsum animo fuisse, atque ad opera navalia promptum, ut etiam mal. conscendere, ea celeritate dexteritateque valuerit, qua nullus sociorum.

De quo præcipuè conquereretur hoc unum erat, quod urina ad latus scroti distenti stillaret, undè excoriatio gravis & dolor insignis, membrum etenim virile scroto ita arctè unitum erat, ut impossibile esset urinam ex debito emingere. De curatione hujus affectus videri possunt quæ in prægressis observatione duplici habentur. *Idem ibidem.*

Hernia exulcerata, unde excrementa alvina prodibant, feliciter curata.

Clariss. Samuelis Ledelii, Miscell. Curios. Decur. iij. Ann. 2.

Decur. I. Anno 3. Observ. 122. Ephemeridum nostrarum, legimus de hernia exulcerata, unde excrementa alvina sine ulla sanitate noxa fuêre egesta. Simile quid mihi exhibuit pagus noster Wittgenau, in rustici oaote quadragenaria. Hæc eandem patiebatur calamitatem: quia verò ipsi molestum erat, excrementa videre prodire è loco insolito, ergo ex consilio vicinatum, succo absynthii expresso, per longam temporia intercapedinem delinit, tandemque claudit, & excrementa ad consuetam exclusionem deducit. Hoc tamen mali inde habet, quod, veluti constricta in sinu, procedit, nec corpus satis extendere, aut caput debitè extollere, nec onus gravius sine summa molestia sublevare valet. Aliàs mediocritet vivit, non sana, noo ægrota, sed in statu neutro. Docet hæc historia, intestinorum vulnera posse etiam coalescere, quanquam difficulter.

Hernia Inguinalis, cum abcessu, per Naturam curata.

Clariss. Alardi Mauritii Eggerdes, Miscell. Curios. Decur. iij. Ann. 4.

Graves sæpe post se affectus relinquunt Laboriosi partus, quod Mercatoris cujusdam nostratis uxor, non ita pridem est experta; hæc per ejusmodi partum herniam inguinalem contraxerat, cui post menses tres, dolor acerbissimus supervenit; mulier dolorum pertæsa me vocari fecit, cùm eam accessissem, de dolore ventris intensissimo conquerebatur, herniam vero ex pudore reticebat, importunis precibus auxilium & levamen flagitanti, mixturam paregoticam, ex v. mastich. menth. syr. Cort. Citr. Spir. Carminat. & paucis gran. Laud. op. præscripsi; Clysterem etiam ex decoct. Emoll. & Carminat. Oleo autem Ruland. & Sale gemm. acuatum injici, & abdomini Cataplasma anodyn. imponi curavi. Hisce dolor per noctem ita fuit mitigatus, ut patiens sibi sanitatem persuasisset, nisi odor stercoreus, quem ex stomacho ad os ascendere sentiebat, Ileum jam futurum prænuntiasset. Hoc signo inductus, ex patiente quæsivi, utrum præter ventris dolorem nullum aliud sentiret, incommodum? respondebat, se in ultimo partu per violentissimos conatus tumorem durum in inguine sinistro contraxisse, quem cùm manu examinassem, duas in illo reprehendi particulas instar farciminis lucanici, oblongas & duras, quas portiones intestinorum illuc in partu per violentam pressuram protrusas judicabam, quare reductionem sedulo adhibitis quibuscunque intrinsecis & extrinsecis, incessanter urgebam, sed eludebat omnem diligentiam pertinax malum. Mulier interim summo cum fastidio fæces alvinas per os continuo rejiciebat, donec die morbi, ni fallor vigesimâ appareret in tumore illo herniali pustula nigra, quæ paulò post excidua largum reliquebat foramen, per quod, cessantibus omnibus aliis symptomatibus excrementa alvi cum impetu effluebant, & licèt dirum hoc accidens instar monstri

ftri horridi patientem perterrefaceret, recipit illa nihilominus intra paucos dies appetitum & vires, quo viso recordabar fenicolæ illius, cujus historiam Ephem. nostrarum Decur. 2. An. 6. p. 413. retuli, adductoque ex ea prognostico, mortis proximæ timorem à patiente meâ abegi. Sed ecce miram Metamorphosim, quam quis non male miraculum Medicum dixerit. Postquam enim per tres ferè septimanas ex dicto jam foramine excrementa effluxissent, mulier pristinæ integritatis avida, Clysteribus à me ante præscriptis proprio Consilio alvum sæpius sollicitare, pristinamque fœcibus alvinis viam adaperire tentat, neque vano effectu aut irrito conatu, redierunt enim relicto foramine ad antiquum canalem excrementa, vulnere interim a Domino *Bauer* eximię scientiæ, & experientiæ Chirurgo, ritè deligato percuratoque, Mulier quæ letho jam adjudicata fuerat, per Dei gratiam, integrè convaluit.

Hernia Sectioni, Spasmus Superveniens lethalis.

Clariss. Eberhardi Gockelii. Miscell. Curios. Decur. iij. Ann. 5. & 6.

Anno 1696. Mense Novembri, Joh. *Bitterloff* Rusticus mediæ ætatis herniosus, ex Pago Pful, propè Ulmam, ad recuperandam per sectionem pristinam suam valetudinem, Ulmam se recepit, ibidemque se manui alicujus exercitati Chirurgi submisit, à quo etiam, in præsentiâ quorundam Medicorum & Chirurgorum feliciter sectus & decenter tractatus est; Hic Patiens ad duodecimam usque diem bene habuit, quibus prætertiapsis, ex improviso spasmo laborare cœpit, qui etiam in tantum invaluit, nervosque ac musculos gutturis, temporum, ac genarum ita obsedit, ut os ad comedendum vix aperire, nec deglutire vel respirare potuerit, & capite pronus in lecto, ac si fune tensus & ligatus esset, sedêre coactus fuerit.

Cujus causa externa, corporis refrigeratio ab aëre externo algido, per ineuntes & exeuntes tempore hyemali sæpius in angustum hypocaustum immisso, interna verò humores acri-salini, austeri & aluminosi, nervos infestantes & contrahentes, vel sanies nervos vellicans, & sursum versus suum principium contrahens fuit.

Ego ad hunc Patientem vocatus, ipsi sequentia remedia præscripsi. Et quidem internè ℞. Pulv. lumbr. terr. ℥j. C.C. phil. pręp. Pulv. Epilept. Marchion. Cephal. Michael August. aa. ℈j. Castor. ℈ß. Ol. macis gutt. iij. M.f. Pulv. subtil. de quo, quantum cultri cuspide capi potest, de die aliquoties in aqua Ceras. nigror. patienti exhibeatur. Et ℞. Aq. Cerasor. nigr. flor. tiliæ, Poeon. aa ℥ß. hirund. cum castor. Epilept. Lang. aa ℥ß. Confect. Alkerm. ʒß. Lapid. Bezoard Or. gr. V. Margarit. præp. Pulv. Marchion. Cephal. Michael. aa. ℈ß. sacch. perlat. ʒij. M. Dosis Cochleare unum vel alterum, sępius repetendo. Ad hæc Clyster etiam sequens fuit applicatus. ℞. Herbar. 5. emoll. flor. Chamomill. Verbasc. Summit. aneth. aa M.ß. Sem Lini ℥ß. Decocti hord. q.s. fiat l. a. ebullitio, Colatur. ℞. ℥vj. in qua dissolv. Electuar. lenit. Florenz. Diacathol. aa ℥j. ung. Clysmat. ℥j. Axung. anser. Gallin. anatis aa ʒvj. Vitell. ovor. Num. a. M.f. Clyster. Externè, nucha, collum, genę, spina dorsi, & venter tali linimento calidè fuere inuncta. ℞. Ol. Chamomill. Rosat. Lumbric. terr. de castor. aneth. aa ʒvj. Terebinth. pingued. hominis & Canis aa ʒj. M. d. ad fictile.

Sed omnia hæc remedia fine optato successu intère adhibita, ac dictus patiens, ingravescente morbo & symptomatibus occubuit, sicque effatum Hippocratis adimpletum est, qui sect. 5. Aphorismorum secundo inquit, Convulsio (vel spasmus) vulneri superveniens lethalis.

Hernia Pubis ab Obstetrice pro Utero habita, pessimè tractata.

Clariss. Joh. Petri Albrechti. Miscell. Curios. Decur. iij. Ann. 9. & 10.

Nocivos inter errores, quos ab imperitis Obstetricibus sæpius committi quotidiana docet Praxis, merito ille, quem jam referendi animus est, locum habet, dignus sanè, cujus hîc aliqua fiat mentio. Mulier quadraginta circiter annorum, venditione Malorum Citriorum hîc loci victum quærens, Anno 1694. incidit in contumacissimam alvi constipationem ac torminibus colicis miserè torquetur, succedente mox continuo vomendi conatu cum anxietatibus præcordiorum. Prout igitur mos obtinuit, ut mulieres in suis morbis priùs vetulas ac Obstetrices, quam expertos ad auxilium vocent Medicos, sic & illa, de qua nobis sermo est, earundem quandam accersi curat, remedia ex ea anxiè expetens. Obstetrix plurima de utero malè affecto blaterat, ac ipsi unicè causam morbi assignat; id quod audaciùs multò affirmat, dum denudato abdomine in inguine sinistro protuberantiam quandam gallinacei ovi magnitudine advertit; quâ conspectâ, uterum à sede naturali discessisse, eumque ob id indignabundum, tormina & alia symptomata ciere, imprudenter exclamat, addens, sui jam officii esse, ut eundem contrario motu ad naturalem redigat locum, quo facto futurum, ut quævis mala iterum evanescant. Quid fit? Ægrota dictis Obstetricis verbis aures præbens, hujus fidei & curationi se committit, at infausto admodum eventu; illa enim ter quaterve quotidie instmam accedit, repositionique putatitii uteri operam dans, tumidam partem premit, fricat, vellicat, trudit pellitque versus interiora, nihil interim remittente malo, quin potius eodem magis magisque in deterius ruente. Hinc permotus maritus, meum efflagitat auxilium, atque citò citius ad ejus me conferam uxorem, summopere petit. Adsum statim ac miseram in deplorando invenio statu, fœtidas jam & stercoreas copiosè evomentem sordes. Quæro ex Marito, num in uxore unquam vel umbilici, vel pubis observaverit herniam? Respondet ille, planè sibi ignotum esse, quid herniæ nomine veniat (*Er wisse nicht, was ein Brunch zu sagen sey?*) bene quidem se scire, quòd uxor ab aliquo tempore quendam in pube senserit tumorem, haud tamen se credere, eundem adhuc adesse, cùm adhibita Obstetrix, illum nihil aliud, quàm uterum fuisse perhibuerit, qui sede suâ naturali relictâ, sinistrorsum versus oberraverit; cuncta præterea enarrabat, quæ ab illa ad reponendum uterum hactenus peracta erant, annectens, juratò fermè eandem dixisse, quòd ille jam debitum iterum occupet locum, factisque omnibus quæ sui muneris esse putaverit, Medicus jam sit consulendus, qui cæteris Accidentibus idoneô subveniat consiliô. Impetratâ tunc licentiâ inspiciendi locum affectum, Bubonocele oculis statim occurrit, omnium malorum quæ hactenus Ægrotam excruciârant, vera causa; Ast, quod maximè dolendum erat, Tumor à pessima obstetricis contrectatione, violentis trusionibus, frictionibusque inflammatus, planè ad suppurationem

purationem tendens, mitum sumserat incrementum ad labia usque pudendorum jam proserpens. Detestor temerariæ hujus vetulæ frivolum omnino facinus, injectisque nonnollis Clysmatibus ac per os exhibitis iis, quæ emolliendi virtute prædita, alvi exonerationem promovere possent: Brevi, Deo sit laus! ejus naturalem iterum obtinuit apertionem, cum vomitus stercorei notabili remissione meliorique paulò post adspirante sanitatis aurâ. Ulceris interim, quod sponte apertum, puris ingentem eructavit copiam, Chirurgo cuidam commissa est curatio, cujus dexteritate & diligentiâ, istud quoque, licet post aliquot demum menses, feliciter consolidatum est. Quot verò molestiæ ac tædia interea Ægrotæ, tum ob dolores exin obortos, tum ob ægritudinem animi, quàm ob partium genitalium quotidie repetitam deligationem, pudor naturalis causabatur, fuerint devorandæ, norunt omnes, qui tum temporis cum illa conversantes, ob puniendam Obstetricis temeritatem, haud adeò fausta huic apprecabantur.

Sarcocele ingens, variis accidentibus stipata.

Clariss. Gustavi Casimiri Gahrliep. Ephemer. Germanic. Centur. 1. & 2.

Vir honestus à teneris mihi familiarissimus, dum in Academia Francofurtensi studiis mecum vacaret, ab Ephoro Nobili duorum Comitum Polonorum, quem dicteriis se vexantem, dum aliqualem vindictæ loco, titillando paulò nimis irritarat, jactu crepidæ sinistrum inguen & scrotum graviter non sine insigni dolore læsus, postquam ictus paululum dedoluerat, contusionem illic factam, ut solet juvenilis ætas, susque deque habens, post satis ingens temporis intervallum, testiculum sinistrum læsum sensim ac sine sensu incrementum aliquod notabile coepisse, ac multò majorem suo à dextris vicino factum animadvertit. Quod tamen, cùm inde incommodum notabile nullum adhue sentiret, patienter tulit. Præsertim cùm postea anno ætatis 33. contracto matrimonio, generationi prolis utriusque sexûs obicem nullum obtrudere, à nativitate filii primogeniti satis grandis, septimo à partu die Epilepsiâ sublati, & filiarum duarum, quarum prior anno ætatis duodecimo, posterior quintâ à partu septimanâ fatis cessere, deprehenderet. Nihilo tamen minus, augmentum continuari, marcescente interea, ob præreptum à compare suo nutrimentum, didymorum altero. Defunctâ post quindecim annorum conjugium priori uxore, liberis orbus, socero suo superstite septuagenario majore, quem hactenus altum, in ea orbitate deserere religioni sibi ducebat, à biennii viduitate ad secunda vota transire coactus, iterato matrimonio, duorum filiorum ac filiarum duarum prolifero factus pater. Quorum tres, filius nimirum ex illo connubio primogenitus ac filiæ duæ adhue superstites. Unde, ut in parenthesi quasi hoc addam, incertitudo illius asserti Democritici, cujus Columella lib. 6. c. 28. meminit, satis apertè liquet: quo à dextro testiculo mares, à sinistro fœminas derivari ex Democrito asserit, ac ligato (de Caballis agens) sinistro testiculo mares, dextro ligato fœminas generari contendit, cùm unicus hic, isque læsus & æger, emarcido altero, ad utriusque sexûs generationem pensum contribuerit sufficiens. Sublatâ demum & post tredecim annorum connubium & hac alterâ uxore, ac substitutâ illi ob liberorum, filiarumque præsertim educationem, post unius & dimidii anni viduatum tertiâ, Sarcocele jam manifesta sui indicia prodens, ob parcius fortè ætate jam provectâ Veneris exercitium, brevi tempore immensum aucta, ut caput infantis propè biennis facilè æquaret, ac ab ulteriori tandem illius usu planè arceret, interim nec mole prægrandi, nec pondere satis gravi, nec gressui aut incessui eâ ætate satis alacri & expedito, incommodum ullum aut impedimentum ultra septuagesimum annum jam provecto adtulerit. Donec 78. ætatis anno, post multas ærumnas simul irruentes corporis animique ægritudines & afflictiones in scorbutum, hypochondriacum malum, febrem quotidianam lentam cum consumtione carnis & spirituum omnimoda incideret, sublato penitus appetitu, cum nauseâ assumendorum omnium ferè invincibili ac virium totali prostratione, facies Hippocratica in procinctu, deque recuperatione sanitatis ferè conclamatum esset. DEO Opt. Max. sic clementer dubio procul, disponente, Natura fidelis ejus serva ac sui conservatrix planè sedula in ipsâ Sarcocele abscessum molita, sublato in tumorem coniformem paucis diebus satis grandem monstro illo sarcomatis scroti contenti; verùm (quod sanè mirandum) sine insigni aliquo dolore, nisi forte tensivo satis tolerabili, sine ullâ pulsatione, quæ in abscessibus, dum pus fit, rarissimè abesse solet, fortè quia hîc nullum suberat, sine omni molestia aut incommodo admodum sensibili, nec ullo signo ominis sinistri, nisi quod in apice coni illius macula initio parum, successu magis rubescens, vix pisi cicerulum magnitudine æquans, sensim in pustulam epidermidem elevans, mutata appareret, quæ post unum alterumve, octava tandem Augusti die circa meridiem, præter omnem expectationem, spontè absque ullo sensu ullius doloris rupta, madore solo linteaminum adjacentium aperturam proderet, ac subitò tantum, non sanguinis meri, nec cruoris nec saniei vel puris propriè dicti, utpote omni odore aut fœtore destituti, nec ichoris, sed humoris crassiusculi copiam eructaret, ut non solùm linteamina circumjacentia omnia contaminaret, sed & ipsas, sit venia verbo, caligas inundaret, & squalore immenso, ut vix esset ferendo, saburraret. Unde tanta illius copia, & qua cavitate collecta, cùm tumor suprà dictus capiendo illi non sufficisset, meum non est determinare. Triduum fluxus ille copiosus continuavit, qui puri nihil analogum, præter aliqualem consistentiam, ab illius plane difformem habebat, miscelæ potiùs similis laticis, cui pollen latericius commixtus, qui linteo exceptus, exhalante paulatim liquore & exsiccato penitus, minutissimis micantibus salinis quasi crystallis scatere videbatur. Consternabat initio patientem inopinatum illud profluvium, hinc cùm diem unum ac alterum continuaret, nec sponte sisteretur, nec plagulis aut Emplastris, nedum difficulter admodum illi plagæ applicandis aut spleniis coërceri posset, vocatur tandem & accersitur in subsidium Chirurgus aliàs non inhabilis, qui attonitus phœnomenon illud contemplatur & nunquam tale antea sibi visum asserit, tandem ampliandam esse aperturam censet, quo materiæ effluenti liberior pateat exitus, ne fortè partes reliquæ scroto contentæ, à putrilagine illâ (ab acrimoniâ tamen omni, quantùm adverti potuit, planè immuni) illic

diutius

diutius morante in pattem corruptionis trahereotur; tutundam itaque applicat paulatim ab humore turgescentem, & foramen ad pisi paulò majoris capacitatem tedactum, rotundolà è lino carpto paratâ, ac balsamo Arcæi imbutâ obturat, sicque dietim semel deligatum aliquot hebdomadas tractat, nec quicquam fluore indies continuante proficit; sed palliat vè inter spem & metum ægri curat. Materia interim, tam quà consistentiam quàm colorem & copiam subinde variante, ac pulvere illo tuso paolatim magis minusve deficiente, & in liquorem tandem, loturæ carhis aliquatenus similem, mutatâ; quandoque dilutiorem nonnunquam & subflavom, amyli instar diluti liotea, ubi siccata roborantis colorem & consistentiam induente. Demum Chirurgus à tempore medelam patientet præstolandam præfatus, expectationis cutæ malum committit, additò prognosticò ægro nequaquam acceptò, fonticuli vices subiturum illud foramen, ac à multis incommodis ætatem hanc provectam, aliàs sæpius gravaturis, præservaturum censet, sicque cùm nec consilii nec auxilii ulterius nil ab illo expectandum, ab ægro corporis sui Chirurgum posthac actuto dimittitur. Ab eo tempore varias subiit abscessus ille mutationes, nunc fluxum aliquot dies continuos servavit, nunc verso quasi epistomio eundem diem unum alterumve ac si plenam sanitatem promitteret, sufflaminavit, ac ne guttam quidem liquoris stillavit. Interea temporis successu papulæ, una priùs, mox & altera pisum in medio sectum referentes, à cute emerserunt, haud procul à foramine priori, quę rectà ferè lineâ viciniam prioris occupatunt, calami anserioi minoris transversi spatio ab invicem distantes, proxima priori nunc rurius paulum consertato, paulò major tertiâ, colorem cutis initio non mutantes, humorem tamen nullum adhuc sudantes. Posthoodum media illa papilla major cuticulâ, quâ tegebatur, adtritu spoliata liquorem priori similem quoque cœpit fundere, priori quasi obliteratâ, quæ tamen post unum alterumve diem recrudult, madorem priore tenuiorem exsudans; semel etiam lapillum (an ossiculum dicam ambigo) semen sinapi magnitudine æquaotem, unà cum latice extrusit. Demum & tertia papilla ut ut ratius & parcius lacrymas quasdam sudare cœpit. Nonc quandoque alternant, modò illa, modò altera, rarò tertia, modò duæ modò omnes, licet rariùs lympham suam, nune rariùs nunc parciùs aut laticem exstillant, quandoque nunc una, nunc duæ, nunc omnes tres rursus ad tempus clauduntur, sicque ægrum inter spem & metum suspensum tenentea, an noquam an nunquam à fonticulis spontaneis liberandus sit, placidam tandem analysin à divinâ gratiâ expectare jubent.

Cum obligatura vulnerum, quæ splenlis ac vinculis fit, ab initio admodum in hac plagâ molesta, imò ob crebram orinæ redditionem penitus incommoda, coactus est æger loco splenioium ac vinculorum bursam aot bulgam, aot capsam, vocet quisque, prout ipsi vilum, cupream stanno soternè obductam, & externè corio molliori vestitam excogitare, sibique comparare, quâ reculas suas, patrimonium istud carnosum, imposito foramioibus Emplastro tribus tutundulis balsamo Arcæi præmunitis, & applicato desuper pulvillo, ab ulteriori deligatione immuoit, bis dietim recondere, sicque hoc adminiculo, à cingulo forti coriaceo, ilia ambiente duobus locis connexo ac suspenso, adjutus dis noctesque gestare, ac sic sat commodè tolerare possit. Plurima eaque non indigna circa hunc casum occurrunt. Unde nimirum abscessus ille sine omni dolore, sine pulsatione in parte adeò iensibili, tam subito congestus & ortus, tam properè auctus; tam inopinatò absque ullo doloris prodromo sponte apertus, tantam saburræ copiam (cui capiendæ tumoris capacitas neutiquam sufficisset) eructaverit? An pro evacuatione critica habendus sit ille fluxus, quo morbum præcedentem gravem in marasmum tendentem solvere Natura sit conata? Annon Naturæ conatus ille, præcipuæ indicationi virium instaurandarum, quæ corporis marcescentis nutrimentum potiùs & augmentum effl.gitare videtur, quàm tantæ humoris copiæ, in sene præsertim subtractionem, è diametro contratius sit judicandus? An fluxus ille etiam nunc perseverans, pro infausto an pro salutari indicio sit habendus, an ægro à majoribus incommod s præservando, ut quidam non infimi nominis Medici censuerunt, servire possit? Num verò pro lethifero cum tempore sit habendus perstans ille laticis fluor? Multum humoris, fortassis & nutrisil, corpori subtrahendo, eoque exhauriendo potius suoque vigore, satis jam exhausto, ulterius spoliando, aptus sit judicandus? Qualis illa & unde derivanda pulveris illius laterito pollini similis, tussi ab initio tanta copia, & illius per aliquod tempus continuata eructatio, jam verò sensim deficientis paucitas? Quæ iondoni illius ac quantum sensuum judicio assequi datum, omni penè acrimonia carentis, laticis, cui pulvis hic immixtus, origo? An vas aliquod lymphaticum in scroto per diæresin, vel diapedesin, aut anostomosin apertum illum sensim excernat aut exsudet; Verùm horum evolutio ac resolutio animi mei ac judicii provectâ hac ætate aliquatenus jam torpentis horizontem transcendunt: Aliis ergo ingenio vegetiori præditis meque sagacioribus lampada trado.

(Berolino Augustam Vindel. die 8. Decembr. An. 1708. Missa.

Monuit postea, die 6. Junii An. 1710. Nob. hujus Observationis Autbor, faciem ulcerls descripti quotidie ferè aliam induere faciem, tam quoad exteriorem affectum, quàm quà redundantem materiam, tum consistentiâ, tum colore, tum copiâ semper variam: ab aliquot hebdomadis præter faciem paulò quàm ante crassiorem, frustulatim aliquando cum impetu tanquam è siphone ejaculatas ad distans nooounquam, prosilire particulas carnuleotas, pallide rubentes, diversas tam copiâ quàm magnitudine, seminis papaverini & cannabini, pisi etiam tàm majoris quàm minoris, quas ipsam testis esse substantiam suspicatur, paulatim satisceotem ac recedentem, sed absque omni dolore ac foetore, cum aliqua tamen, sed vix sensibili corporis alteratione, viriumque jacturâ.

Enterocele magnetica, seu per Sympathiam curata.

Clariss. Joh. Georgii Hoyeri Ephemer. German. Centur. 3. & 4.

Curas Sympatheticas ad lydinm rectæ rationis lapidem

lapidem examinanti, triplicis generis occurrunt. Sunt enim (1.) porè naturales seu rationales, cuivis Medico Christiano & rationali concessæ & usitatæ (2.) Superstitiosæ à Medicis rationalibus negligendæ, quando verba vel preces simul proferuntur (3.) Magicæ, animo nocendi, seu proximo damnum inferendi institutæ. Nullus enim dubito, quin plurima veneficia per sympathiam & antipathias explicari possint. Scilicet Cacodæmon cùm supra naturæ vires agere non possit, abstrusioribus his mediis utitur.

De istis Observatione CXVIII. Centuriæ I. & II. Ephemeridum Nat. Cur. currente hoc anno editarum, fusiùs dictum. De his inferiùs nonnihil dicemus. Illarum verò exemplum sequens hæc observatio nobis submonistrat. Puer quatuor annorum, tenerioris constitutionis, alteruttro peritonæi processu, per casum ab alto disrupto herniosus factus. Itaque parentibus ejusdem non sine summo animi dolore animadvertentibus, scrotum à prolabentibus per rupturam intestinis sæpiuscule, mirum quantùm intumescere, magnasque sibi molestias, & majores filiolo dolores afferre: quin etiam reposita intestina post levissimum motum denuò relabi, variis remediis, cataplasmatibus, emplastris, ligaturis &c. frustra adhibitis. Deliberantibus, an tenerrimum corpus crudeli sectione periclitari velint, venator quidam herniosum magneticè curare spondet. Quare filiolus in proximam Sylvam apportatur, ibidemque fissa, mediante cuneo ligneo, quercu teneriori, eousque donec dictus puellus per fissuram trahi posset, ternis vicibus per dictam fissuram trahitur atque retrahitur, superadditis quibusdan verbis nescio qualibus. Postmodum quercus fissa ligamentis sedulò deligatur, stercus vaccinum vulneri corticis læsi illinitur, cuneusque sub quercu terræ immittitur, superaddito prognostico: Quamprimum quercus fissura fuerit consolidata, & cuneus sub quercu defossus putrefactus, herniosum certò certiùs sanatum iri. Id quod felicissimus eventus plane confirmabat, hernioso post semestre spatium perfectè, superstitiose tamen curato, & ab hernia adhuc libero existente. Regerat aliquis: Bona verba fuisse, quæ venator mussitavit, & forsan invocationem nominis divini. Sed Numen divinum in omolbus corporis necessitatibus invocari posse ac debere, dubito. Cujus quidem dubii decisionem Theologis reliquo, qui cum rationalibus Medicis loquor.

Bubonocele periculosa.

Clariss. Gustavi Casimiri Gahrliep. Ephemer. Germanic. Centur. 3. & 4.

Philippina honestorum parentum filia proba, natu Palatina, teneræ constitutionis, sexto forte ætatis anno, Parentibus ob Gallorum, Palatinatum invadentium, tyrannidem, extorribus extra patriam denatis, orba, à cognata quadam Consulis uxore in familiam suscepta, & sat rigide educata, servilibus & pro ætate ac viribus nimis gravibus laboribus exercita, decimo quinto ætatis anno, ab onere nimio, cui tollendo impar, dolorem cum aliquali tumore in inguine sinistro sensit, qui postea in bubonem excrescens, dein inflammatus in apostema transiit, obstructionibus, febri, torminibus, aliisque symptomatis, superveniente quoque interdum Ileo, horrendis ilspatum; tandem post unius alteriusve diei moram, perforato bubonis cacumine, tribus successive inde erumpentibus lumbricis, spithamam & ultra longis, exulceratum, quod diu saniem purulentam cum quibusdam excernendorum indiciis fœtidis eructavit. Herâ ogelectiùs, licet illud tractante, remediis quibusdam domesticis, interque ea decocti herbarum quarundam dubio procul vulnerariarum, usu. Dei potissimum gratiâ & ætatis juvenilis, si quid illa contribuere valuit, beneficio, ulcus illud diuturnum ac periculosum tandem coaluit. Ipsa saoitati quidem aliquatenus restituta, variis tamen infirmitatibus ac accidentibus subinde infestantibus obnoxia. Tandem ab herâ illâ severâ dimissa, Berolinum venit, novoque ministerio paulò tolerabiliori mancipata, triennium ferè firmiori valetudine gavisa. A trimestri autem malum illud tamdiu sopitum recrudescere cœpit, occasione nimirum rursus oneris oimii elevati, à quo in dolores colicos aut Iliacos, quantùm recordatur, denuò incidit intolerabiles; quibus sub hypochondrio sinistro ad inguen usque vergentibus, & immensùm dies noctesque torquentibus, gravissimè afflicta; obstructionibus quoque alvi pertinacibus, in perniciem simul conspirantibus, eodem, quo ante inguinis loco, prope cicatricem ab ulcere priori relictam, tumor rursus bubonem, aut bubonocelen potiùs, mentitus, emersit. Adhibentur, ut solet, in talibus ab astantibus egenis, graves in Medicos, Pharmacopolas, & Chirurgos, erogandas impensas vitantibus, rursus domestica & euporista tam interne, quàm externe, sed frustra: tumor enim ille neutiquam iis cedens, indies potiùs augetur & altios adtollitur, ac gravia illa symptomata magis ingravescunt, gemente interim & miserandum ejulante ægerrima & miserrima patiente: demum & vomitus fœtidi superveniunt, Ilei instantis prodromi haud obscuri. Solicitor tandem, eousque cùm deventum, ut opem ægræ feram. Symptomati itaque urgentiori, ut aliquomodo saltem occurrerem subventurus, primùm Enema satis validum emolliens ac stimulans, in Pharmacopolio Regio parandum, & prorinus applicandum, ordioo, sed irrito effectu. Paratur postea, me inscio, à Chirurgo pauperum, ex mera urina, sale & oleo aliud, sed eodem successu; accurritur denuò ad me, præscribo cataplasma, validè admodum emolliens, tumori aliquoties calidè adhibendum, cujus ope cacumen tumoris sub Epidermide aliquatenus attenuatur, quo audito, enema aliud validius præscribo, paulò post iteratam Cataplasmatis applicationem administrandum, pro alvo pertinaciter adeo adstrictâ, magis lubricanda & ad viam ordinariam sollicitanda. Quo vix dum peracto, Bubo ingeori cum fragore, displosæ instar bombardæ, præsente & assidente Chirurgo, crepat, atque copia insignis stercoris liquidi, cum pure admodum fœtido, tandem & injecti enematis liquore succedente, effluit. Unde mox insigne levamen cruciatuom, quibus miserrima hactenus torta, obortum. Deterso tandem sollicitè squalore, ulcere mundato, ac rite pensato vulnere, ut & propinaris interdum vehiculo commodo guttis aliquot Essentiæ traumaticæ D. Wedelii, alvus demum ad officium debitum rediit, consuetâ viâ recrementa secernens & eliminans. Vulnere itaque medii ferè digiti longitudinem ac transversi latitudinem æquante,

æquante, ficque transversim ab inguine ad pubem descendente, Chirurgorum duorum dexteritati ac follicitudini commisso, sub spe recuperandæ propediem sanationis, ac integrâ tandem valetudinis ulteriori me ejus curâ subducens, pene restitutum destitui.

(Berolino Augustam Vend. d. 28. Junii An. 1712. missa.)

Postea inaudivi, illam aliquandiu satis incolumem vixisse; verùm haud ita pridem recidivam esse passam, ac malum illud recruduisse, quo eventu, cùm in auxilium non fuerim vocatus, ignoro. (Idem d. 6. Maji. A. 1713.

Anatomicæ inspectiones.

Hernia à ruptura Peritonai.

Anno 1613. Septembris 24. aperui corpus cujusdam decollati, in quo cùm ruptura intestinali laboraret, affectum & peritonæum ruptum ostendi, quomodo per eam rupturam intestina vel omentum decidunt. Modum etiam incidendi & ligandi demonstravi. Plorea idem in utroque latere habebat venas & arterias emulgentes, *Ioh. Rudolphus Saltzmannus Observ. Anat. p. 42.*

Enterocele à dilatione sola processus peritonai citra rupturam dependens.

In Herniofo hydropico secto post mortem, ejusmodi foramen per quod intestinum in scrotum descendens transmittebatur, rotundo margine integrum, nec dum scissum vel ruptum ullo modo deprehendimus. Per quod intestini tenuioris portio illa, quæ supra cœcum est, in scroti, aqua pleni, infimam sedem usque ferebatur, totoque illo ductu huic processui peritonæi hujus aquæ causâ, quæ tunicas has erodendo ut conglutinentur facit, firmiter accreverat & adnatum erat, nihilominus sine incommodo excrementa egerente, nec dum de dolore conquerente. *Platerus Practic. lib. 3. cap. 2.*

Vasa Seminalia Peritonao obvolvi ex sectione Anatomica Herniosorum patet.

Notandum quod quando musculi oblique descendentis tendo modice relaxatur, fit Herniæ illa species quæ Bubonocele vocatur: Quando vero valde dilatatur, tunc fiunt Herniarum duæ species, Intestinalis & Omentalis; Valent namq, corpora hæc in scrotum descendere, Neq; si alicui sit mirum si contra opinionem cujusdam Excell. Medici sententiam qui cum Fernelio credebat vasa seminalia à Peritonæo non esse inducta, neque ita de facili tendinem hujus musculi perforari posse, cùm jam sæpe, ut vidi, & celeberrimis Medicis ostendi rem aliter se habere, non solum in cadaveribus, sed in vivis, præsertim anno 1596. in quo vidi puerum qui Hernia intestinali afficiebatur, & cum à Chirurgo à Nursia per incisionem curaretur, Testiculo cum suis vasis avulso manifeste inspexi, atque ostendi vaginam ut ita dicam, testiculo à peritonæo factam, quæ ita erat dilatata in suo exortu, usque ad finem & fundum, ut duo digiti manus meæ facile ingrederentur, quod credo omnibus facile esse visu. *Hippolitus Bosc. us de Facult. Anat. Lect. 1. p. 9.*

Mulieres Herniis esse obnoxias ostendit dissectio virginis, cui à relaxato Peritonao Inguinalis accidit.

Ligamenta uteri Rotunda oriuntur à fundi uteri lateribus, iis præsertim in locis ubi Tubæ Fallopianæ utero committuntur, & inter duplicaturam Peritonæi versus inguina utrinque ascendens, & ut vasa spermatica in maribus, ita hæc Ligamenta in mulieribus extra abdominis cavitatem prodeunt; hinc illæ eadem ratione ut viri Herniis sunt obnoxiæ, quatenus scil. Peritonæum eo in loco, ubi ligamenta exeunt, præter modum dilatatur: Quemadmodum hisce diebus observavimus, dum Filiam Hernia laborantem post mortem dissecaremus, eo namque in loco, ubi rotunda uteri ligamenta abdomen deserunt, Peritonæum adeò relaxatum invenimus, ut integram foveam sive bursam efformaret, per quam intestina in inguen descendendo herniam intestinalem producebant. *Regnerus de Graaf. de muller. organis cap. 10.*

Hernia ope subligaculi solius curata, natura hiatum materia adiposa offarciente.

Sacrificulus in ædibus S. Andreæ Artium sacris, nomine Ioan. Moretus, Hernia completa laborans me accessit, opem efflagitans, maximo enim se dolore affici dicens, præsertim ubi officii causa esset canendum: Viso loco laborante; à cautione abstinendum dixi, n onere alteri concesso; hinc plurimis morbo congruis præscriptis, inter cætera subligaculo descensum cohibere jussi, quo & quinquennii vel sexennii spatio usus est; atque ex eo quærens qua valetudine frueretur, se sanum esse asseruit: Quo de rei veritate constaret, in ædes meas eum deduxi, examinatisq, genitalibus, nullum Herniæ vestigium comparuit.

Eo autem semestri post ex Pleuritide defuncto, cadaveris apertionis concessa, inquisivi sedulus quibus repagulis natura descensuris intestinis obviam ivisset: Fidem tettor me circa foramen productionis peritonæi, invenisse substantiam adiposam, magnitudinis mediocris globuli sphæristerii, tam arctè dicto processui adnexam, ut vix sine dilaceratione adjacentium locorum divelli potuerit: Quæ sanationis causa fuerat: Multos prætereà novi qui à pertinaci subligaculi gestatione, eaque sola citra aliud præsidium sanitate consequuti sunt; quibus, prius macilentis, post obesis factis, circa intestina colligitur pinguedo, à qua intumescunt, unde nullus in scrotum patet transitus, relicto postmodum sine recidiva subligaculo. Ex quibus patet temere instituendam non esse castrationem. Rea certe admiratione non caret, naturam morbos incurabiles creditos, superare, levi auxilio adjutam. *Pareus Operum lib. 8. cap. 15.*

Extraordinaria Herniarum species per Anatomen deprehensa.

Hæ sunt simplices Herniæ & compositæ, prout vulgo describuntur, sed nobis plures alias praxis demonstrat, & quæ apud Scriptores non reperiuntur; nam experientia me docuit Peritonæum etiam in parte posteriori versus Dorsum posse disrumpi, & ibi Herniam efficere: Inguina sunt locus Hernils consuetus, verum noli tibi persuadere Peritonæum in aliis locis etiam non posse dilatari aut disrumpi, & ibi Herniam efficere: Supra umbilicum contingit, sed rarissime; Infra ubilicû, & ad ejus Latera, & longe supra Inguina, non

non duntaxat ego, juxta alios Herniaſ vidi, ſed cum illis tanquam cum abceſſu agebatur, & Chirurgus non aliam ſui erroris rationem in medium producebat, quam quod ibi Herniis conſuetus locus non eſſet. *Barbette Chirur. parte* 1. *c.* 7.

Bubonocele à deſcenſu Coli in inguen.

Occurrit ante aliquot annos mulier 40. annor. quæ jam à ſex annis hernia gravi ex caſu laborabat: ſic ut ſubligaculo forti propendentia, detinere coacta fuerit.

Aperto in cadavere: Inteſtinum Colon, rupto peritonæo, dilatatis externis, cavitatem ventris magna parte reliquiſſe obſervabatur, loco eo ubi ad conſtituendum Rectum flexuoſum valde ſiniſtro in latere detinetur. *Ger. Blaſius obſerv. medic.* 8.

Herniis ab inteſtini Cæci deſcenſu.

Cum Cæcum inteſtinum prope renem dextrum peritonæo contumaciter adhæreat, non poſſum adduci ut credam cum Galeno ſolum hoc inteſtinorum omni vinculo ſolutum eſſe, ob idque facile in ſcrotum decidere: Experientia docet ſolum Ileum pubi proximum Enterocelen facere; Invenit tamen in puerulis, quibus rum oſſi ſacro incubat, in ſcrotum delapſum. Et nuper in Pharmacopœi cadavere juxta inguen provolutum obſervavi. *Riolanus Anthropogr. lib.* 2. *cap.* 12.

Hernia à deſcenſu omenti.

In ſubjecto virili ob cuſam monetam ſtrangulato 1638. Pariſiis, Omentum in inguen dextrum producebatur: Deinde vero muſculo cremaſteri ita adnatum viſebatur, ut naturalem nexum diceres. Epiplocele enim laboraverat: Uterque quoque Teſticulus Hydrocele infectus. *Bartholinus cent.* 2. *obſerv.* 85.

Hernia à deſcenſu inteſtinorum inter cutim & muſculos.

Experimur etiam proceſſum peritonæi in Inguinibus ita poſſe dirumpi, ut inteſtina non in ſcrotum, ſed inter cutim & muſculos verſus femur ſeſe urgeant. *Barbette l. c.*

Hernia ab inteſtini & omenti prolapſu.

Pagano cuidam viro robuſto cum duobus litigant, & in terram dejecto, adverſariorum alter pedem in inguinis dextri regionem adeo impetuoſe impegit, ut vehementem inde cruciatum mox ſentiens, vix iterum potuerit aſſurgere: Inde in lectum collocato, ſtatim tumor in eo loco amplus apparuit. Chirurgus & Lithotomus vocati, rupturam in peritonæo factam, atque procidentiam inteſtinorum ſequutam judicabant, aliquotque dies in reponendo inteſtino laborarunt, fomentis, inunctionibus & manuali operatione adhibitis: Quibus cum nihil proficeretur, dolorque in dies augeretur, & tumor admodum ruberet, ad nos advectus fuit: Com vero cognoviſſem illum totos octo dies, ex quo læſus fuerat, nihil per alvum dejeciſſe, vomituraque ea nocte excrementorum alvi ſequutum, & poſtmodum omnino inteſtina procidiſſe, uti & omenti portionem tumore in inguine perſiſtente, nec in ſcrotum deſcendente, inteſtina ex læſione inflammata, uti & vicinas partes aſſeveravi: Et quia tumor mollis, plenus & lividus erat, ſanguinem quoque illic collectum ex læſione, eumque ex diotina retenſione corruptum eſſe judicavi. Quibus conſideratis, cum nulla alia ſpes ſaluti eſſet & gangrænæ indicia, excitatis jam nigris in inguine puſtulis, exſudanteque ichore apparerent, perſectionem cutis viam patefaciendam & per rupturam peritonæi tunc conſpicuam, inteſtina reponenda, Ægro etiam hoc unice rogante, neceſſariorem fuit exiſtimatum. Itaque Chirurgus, cutem tumori inſtratam attollens digitis, ne dum ſecaretur, inteſtina forte læderet, eam novaeola aliquoutique diſcidit, ægro nullum inde dolorem ſentiente, quod emortuæ carnis è gangræna ſignum erat, ſtatimque flatus fœtidiſſimi & corruptus ſanguis lividus, cadaveroſi & abominandi odoris, per foramen peritonæi ſciſſum, è vulnere erupit, tanta copia ut pelvim pene impleret: Inde ſectionem longo vulnere continuans, omentum, quod omnino corruptum erat & prociderat cum inteſtinis, ab his, amplitudine duarum palmarum abrupit, atque hæc eadem admodum rubentia cruentaque per rupturam intrudere, ruſumque erumpentia retinere ſtuduit, quod dolorem ægro pariebat, ut omnino interdum deficeret: Poſtea pannis duplicatis & involutis, applicatiſque eum emplaſtro, ne erumperent inteſtina cavit, mortem interim prædicens, uti & ego, cum pulſus in eo deficeret, extremaque frigerent, quare tres tantum horas in agone veriatus exſpiravit.

Abdomine ſectione reſerato, inteſtina intrinſecus livida aliquouſque, uti & peritonæi inferior ſedes, carnoſaque vicina loca contuſa apparuerunt, ex quibus ea inflammata gangrænataque fuiſſe ſatis apparuit. *F. Platerus obſervat. lib.* 3. *pag.* 756.

Ob Herniam caſtrati plerique intereunt, vi illata peritonæi proceſſui, nervo ſexti paris, & vaſis ſpermaticis.

Et ſi ea curandarum Herniarum via, quæ aureo puncto fit, dolore ac periculo non vacet, tutior tamen eſt quam illa quæ fit per caſtrationem, quæ ægros remedii crudelitate enectos manifeſto mortis periculo exponit: Caſtratores enim, dum timent ne curatione abſoluta ſuperſtes ſit relaxatio, violento tractu peritonæi proceſſum à partibus quibus adhæret divellunt, unaque nervum à ſexta conjugatione, qui ad teſtem pergit: eandem vim ſpermaticis vaſis inferunt, quibus ex rebus dolor excitatur ingens, convulſio, hæmorrhagia, inflammatio, putredo, ac denique mors, ut ego in multis obſervavi, quos paucis poſt diebus quam exacti fuerant, exſecui mortuos: Hæc pericula & damna, etſi nonnulli evadant, illi tamen generandi facultate per omnem dehinc vitam privantur. Quare nunquam caſectioni Toſtium ſubſcribam, niſi forte ſarcocele aut gangræna ipſos invaſerit. *Parens lib.* 7. *cap.* 16.

Entero-Epiplocele lethalis ob ſequutam gangrænam. I. Ob Ilei & Epiploi, cum aqua & flatibus. 2. *Ob Epiploon maximam partem devolutum.* 3. *Ob inflammationem Epiploi & inteſtinorum.* 4.

Accerſitos olim fui ad Senem quendam hernioſum, cui inteſtina in ſcrotum prolapſa erant, & qui variis iiſque gravibus ob id moleſtabatur ſymptomatibus. Apud

Apud quem Chirurgum reperi illa in suum redigere locum annitentem, applicatione fotuum & unctionum, ex rebus magna ex parte adstringentibus apparatarum: Ego animadvertens eorum usu impediri potius quam promoveri curationem, confestim ex emollientibus & relaxantibus curavi concinnanda remedia, quorum usu intra paucas horas suo loco fuerunt restituta intestina, & dolores quibus acriter infestabatur sublati: Post aliquod autem temporis spatium, quia fasciæ usum aversabatur, relapsa cum essent, denuo ad illum sum vocatus, ac eadem quæ antea per aliquot dies usurpans remedia, nihil profeci, nec ullo modo intestina potuerunt restitui, & sic me præsente bonus senex exspiravit.

Ego hærens qua ratione id potuerit accidere, quod usu convenientium remediorum morbus, quemadmodum antea, non cesserit, petii ex uxore defuncti ut liceret dissecto cadavere ejus contumaciæ investigare causam: Illa non refragante, Ego & Chirurgus opus anatomicum moa aggredimur, & reperimus intestina, unà cum epiploo, admodum livente, in scrotum decubuisse, & eo intestina adeo intricata, ut ob id impossibilis omnino fuerit eorum reductio, Et sic αὐτόψία in veram ejus contumaciæ pervenimus noritiam. *Ex Observationibus Cosmæ Holzachii.*

D. N. herniosus erat; In scrotum pars Ilei devoluta erat cum Epiploo, præter aquæ copiam: Colon flatibus turgidum. *Vide lib. tit. de palpit. cordis.*

3. Dom. du Lac, annos circiter quinquaginta natus, ab incunabulis Entero-epiplocele vexatus, cum Tumorem ad immensam magnitudinem devenisse observaret, Tiertio Arvernorum, patria, Lugdunum medelam quærens concessit: Convocati in consilium D. D à Claustro, Grassius Ego, Mag. Panthotua & Benoist Chirurgi, exitum lethalem & calamitatis plenum prædiximus, qui sectioni soli cedere possit, evidenti periculo obnoxiæ, ob debilitatem partibus inductam, gangrænæ & sphacelo expositarum: Objecit æger se ab anno bis vel ter volvuloso affectu affectum fuisse, ob quem in exitium pene deductus esset: malle se remedii aleam subire, quum nihil morte funestius ipsi accidere posset, languoribus finem impositura: Masculus ægri animus assensum Medicorum & Chirurgorum obtinuit: præparato ergo corpore Celotomen peregi, atque Omenti uncias octodecim exsecui, membranis tenaciter annexi, immutato quadantenus illius colore: Operatione peracta curam juxta methodum institui: sed Anima ejusmodi domicilii pertæsa, id atrophia consumptum septima die deseruit.

Præsentibus dictis D. D. Medicis & M. Chirurgis cadaver aperui: Omenti vero tantum portiunculam, ovo columbino magnitudine parem intestino Ileo hærentis, reperi, cujus pars gangrænâ erat affecta, convulsionum & mortis causa:

Inde colligo iu affectibus qui minus spei quam timoris præbent, non temere ad operationes accedendum esse, sed demum habito consilio, & perito à viris Artis petitis, quo præcedente matura deliberatione & prognostico, libera sit erga Deum & homines conscientia. *Josephus Covilliard Operationum Iatro-Chirurgic. Gallice editarum 17.*

4. Illust. J. H. Heslerus, ab octodecim annis Herniosus, vehementi correptus tussi, intestinis vi deorsum pulsis & quasi incuneatis, tandem inflammatione & ingentibus doloribus supervenientibus, bis vomuit nigra, cum præ anxietate non posset contineri lecto, & omnibus invitis sæpe surgeret, à loci mutatione remedium dolorum sibi promittens, tandem sedili locatus, lethali animi deliquio correptus placide exspirabat.

Aperto cadavere scrotum dextrum omento & aliquibus intestinis plenum inventum, ita erant impacta, ut quamvis corpus adhuc caleret; via extrahi sine ruptura potuerint: Inflammata erant, tensa erant quasi: inde biduo ante obitum è lecto surgens, erecto non poterat ambulare corpore: ventrem semper pronus curvare cogebatur. *Rolfinkius Epitomes meth. & cur. cap. 26. lib. 3.*

Hernia à prolapsu partis mesaraei & intestinorum in scrotum, cum putredine.

NI. Hernia laborans suasu amicorum agyrtam conducit, qui ad suppurationem illam perducere ausus est, (Existimans, ut credo, esse sarcocelem) Itaque ad eam stercore utebatur caprillo destillato: circa 14. diem oborta febre, vocor & ego tum propter febrem, tum propter urinæ difficultatem: Adveniens igitur & omnia diligenter perpendens, periculum existimo agyrtæ cura ægro illi allatum: nimirum ob febrem symptomaticam, itemque dysuriam ex consensu istarum partium ortam, & inprimis quod hernia esset intestinalis, quæ cresceret nonnihil & decresceret: adde decubitum vel ascensum: præterea membranosas illas partes ad suppurationem prorsus esse inhabiles, & rem nonnisi gravissimis intervenientibus symptomatibus in effectum posse deduci: Quin & ut effectus responderet, tamen corruptis illis membris functiones naturales necessario aboleri: Æger contra malle se periclitari quam cœptam curam intermittere, meque rogare ut febris tantum curam habere non gravaret: Pergit itaque adhue per tres septimanas: tunc redit agyrta iste, rusticus qui erat, & cum phlebotomo incisuras instituit per fundum scroti satis altas, ad materiam exhauriendam, tertio vero die æger moritur.

Aperio cadaver, astante ipsius agnato, & mesaraei partes cum intestinis prolapsas putrescentes jam & corruptas invenio, Itemque in collo vesicæ abscessum quantitatis nucis avellanæ, ut non tantum ratione contenius, sed & abscessus difficultas illa urinæ exorta fuerit. *Phil. Salmuth centur. 1. observat. 11.*

In consultatione referebat nobis I. Dom. Sala vidisse se mesenterium cum intestinis tenuibus omnibus in scrotum delapsum, abdomenque alterum præ se tulisse, qua mole compresso vesicæ collo, urinæque impedito transitu, necessitatem moriendi ægro esse accitam. *Th. Bartholinus cent. 2. histor. 95.*

Hernia vicennalis, solo pondere molesta, ex decubitu Ilei & Epiploi in scrotum.

Anno 1678. 18. Januar. dissectum est cadaver Caroli Ludovici, in Nosodochio Genevensi, à Mag. Bailly Chirurgo, me præsente & Dom. D. de Communis, Nosodochii Medico ac Mag. D. Dentand Chirurgo peritiss. Septuagenarius erat dictus Ludovicus, Vir procerus, vino & veneri, dum juvenis, addictus, qui totam Persiam peragraverat: Obiit autem ex Peripneumonia. Ante 20. annos Hernia laborabat, quam præ pondere & magnitudine subligaculis sustentabat, cæterum immunis omnium affectuum quos hernia comites sibi accersit:

Dissecto scroto, primò se obtulit Omentum eo devolutum, paucula pinguedine obductum, flavescente: hinc intestinum Ileum, cum annexo mesenterio, ad ulnæ

ulnæ nostratis longitudinem devolutum, citra ullas læsionis notas: Peritonæi productio, adeo expansa & dilatata, ut nequaquam detractis intestinis & omento, quinque digitos conjunctos admitteret, manum integram, alias excepturum: Omentum autem peritonæo & intestina arcte invicem cohærebant, ut hinc conspicuum sit operationem sine dilaceratione impossibilem futuram fuisse: Testes exigui, compressi, flavescentes, nucis moschatæ magnitudinem vix æquantes: Stentorea voce erat præditus: Diversorium, cui pro insigni appendebat effigies viri sylvestris, in suburbio San-Gervasiano, ejus fuerat: Coma autem & barba hirta, effigiei prototypus videbatur. *Theophilus Bonetus in Sepulchreto.*

Enterocele nativa. 1. Incurabilis ob substratum scroto adipem, & Ileum vaginali tunicæ affixum. 2. Ob prolapsum Ilei intorti, cum dilatatione externæ tunicæ vaginæ, internæ ruptione 3. 4. 5.

1. Joh. le Charron volvulo affectus evasit, exactisque aliquot annis alio morbo interiit: Aperto cadavere, observatum est mediam quandam partem intestinorum & mesenterii rupto peritonæo in scrotum amplissimum, & omni fide majus prolapsam, ut etiam inde retrahi nequiret: Et ista prolapsio erat illi naturalis, intestinaque tanquam in loco nativo & augebantur in scroto & nutriebantur: Jac. Thevart Annot. 2. in cons. 24. lib. 2. cons. Ballonii.

2. Cuti scroti naturaliter nullus intervenit adeps, retulit tamen mihi Christ. Riedinger se illum observasse in Dom. Martino Schario, qui cum intestinali Herniâ laborasset, nullus Chirurgorum unquam ea, quæ in scrotum prolapsa videbantur, ita reducere potuit, quin semper adhuc præter testem, tumor instar ovi gallinacei majoris remaneret.

Aperto mortui cadavere observarunt in scroti fundo multùm pinguedinis excrevisse, & intestinum Ileum vaginali tunicæ plurimarum fibrarum interventu firmiter accrevisse: Reguerus de Graaf, lib. de *virorum organis pag.* 20.

3. Anno 1664. Dn. Christoph. Heidenius in Herniam intestinalem incarceratam in scroto, cum stercoris vomitibus, obstructionibus alvinis, torminibus ventris, singultibus &c. incidit: Elapso sextiduo in consilium vocor, examinantis ante à Dn. N. adhibitis clysteribus emollientibus & humectantibus, insessibus, inunctionibus & aliis remediis, testor nihil amissum fuisse quod ad restitutionem in integrum requireretur: Sed quam operosæ, imo impossibiles herniarum istarum in abdominis cavitatem per hæc media, ut & manualem operationem, sint repositiones, tot lugubria hactenus facta testantur exempla & in demortuis αὐτοψία. Quæ causa etiam est quod dicta præsidia suos sæpe deserant authores, ut ægros postmodum prognostico cogantur relinquere: Proximam curationis attingit metam qui dislocationem & prolapsum intestinorum in scrotum corrigere novit: Hoc me cum Deo & rei veritate gloriari possum me ope Emplastri mei magnetici (propria experientia à me inventi, inque pluribus diversæ ætatis, constitutionis & sexus subjectis, eodem etiam malo plures per vices ad desperationem usque aliorum recurrente, multoties non sine fructu probati, quod satis dilaudare nequeo, Lumbis applicati, tormina juxta sopiendo ventris atrocissima, intorta, dislocata, & incarcerata in scroto intestina, quamprimum incaluerit, ob proximam abdominis transfert sedem, ipsis etiam ægris, non quidem sine molestia, vim ejus attractricem animadvertentibus.) dicti Domini intestina convoluta, & in scroto incarcerata, in pristinum reposuisse locum: Namquamprimum die 2. Januar. 1665. hocce Emplastrum ipsius lumbis circa horam noctis nonam fuit applicatum, vix dimidio horulæ elapso spatio tantum exercuit tractum, ut præ cordis angoribus & levibus leipothymiis, nisi adstantes qui tum excubias agerent generosam emplastri virtutem ipsis quasi manibus palpassent, vi abrumpere tantum non commoveretur, donec ipse salutarem extractione εὐφορίαν tandem percepisset, eo quod intestina sensim ac sensim in abdominis cavitatem serpendo retrocedere sentiret: Dum hæc ita peragerentur, loco vini meri, id quod Divinus Senex inculcat, internorum confortantium usus internus & externus cordialium non fuit posthabitus: hisce per aliquot horas continuatis, optima recuperandæ valetudinis spes affulsit, dum boni volvuli hujus insequuti fuere exitus, quos Hippocr. 2. Epid. s. 6. in comment. Vallesius recenset, scil. somnus, lassitudo & diarrhœa, quæ ex fæcibus constabat nigris, gangrænam minitantibus: Ad œsophagi tandem & faucium asperitatem, & læsionem ex stercoris & aliorum acrium humorum transitu caussatam, profuere lenientia mucilaginosa & putredini resistentia: Sterno dolenti Empl. Oxycroceum levamen attulit, Et sic D. G. præter omnium expectationem tum temporis ex Acherusia quasi palude liberatus est æger: Sed quid fit? Ne de hujus Emplastri virtute ab aliis frivole ac temere impugnata, ullus dubitationis relinquatur locus, ecce idem Herniosus cum anno 1665. 19. Junii, herniam suam sine subligaculo gestasset, in idem malum, sed aliis comitatum symptomatis incidit: Ille illico, idem etiam Emplastrum adferri è mea domo jussit, Lombis ut denuo imponeret: hoc quidem iterum suam exercuit vim attractivam, sed irrito conatu: Ego elapso jam dum biduo domum revertens, illico ad ægrum accersitus, deveni, habito ultro citroque mentis discursu, ad impediti effectus causam, quæ fuit 1. vis emplastri veteris exantlata; 2. dozis ejus malo expugnando inæqualis, 3. nova symptomatum syndrome, qualis, præter obstructiones alvinas & urinarias, vomitus stercorum, ventris tormina, fuerunt, summa virium diminutio, dyspnœa, nephritis, emphysema ventriculi, cum incipiente tympanitide &c. Ego vero seposita omnium horum affectuum medela, iterum aggressus sum dislocationem & prolapsum intestinorum in scrotum; sine his enim reliqua non insequuta essent symptomata. Emplastro meo renovato, & dozi ejusdem aucta, pristinam institui curam semestrem, quæ licet lente procederet, levibus tamen aliis juxta adhibitis, intestinorum distorsio & dislocatio probe fuit correcta, subligaculis tamen semper coërcenda. Sed tandem anno 1666. 4. Maii dictus D. æger lethalem metam attigit, superveniente ex lapsu prono in terram vasis cujusdam ruptura in scroto eodem affectu defunctus.

Cum corpus ad inspectionem aperiretur, observavi prolapsum intestini Ilei intorti in scrotum cum dilatatione externæ tunicæ peritonæi, & internæ ruptæ & dilaceratæ: Intestina inflata cum peritonæo, omento & mesenterio erant inflammata, & tantum non gangrænosa, ob circulationem sanguinis impeditam & spiritus vitalis oppressionem: Vesicula fellis erat instar ovi anserini in magnitudine: Ad mediotis: Ren dexter fuit minor sinistro: scroti sectionem mensura una & circiter seri

cruenti

cruentis effluxit; Constitutio Hepatis & Lienis Ulteriorem cultri progressum adstantes prohibuerunt: Emplastri compositionem libens communicarem, nisi reteraxisset quorundam objurgandi audacia, fiet tamen si benevolum aliquem offendero. *Fridericus Hofmannus meth. med. lib. 2. cap. 2.*

4 Mense Dec. 1676. obiit famulus Chirurgi Nosodochii Genevensis, Enterocelæ obnoxius: Eâ tum temporis prehensus, præ vehementia doloris, accedente syncope, intra horas 24. extinctus est. Ante apertionem loci affecti, perpendit Mag. Bailly, Chirurgus peritissimus, vix trium digitorum spatium inter umbilicum & pubem intercessisse, Scrotum vero mire tumebat à fæcibus in Intestino conclusis; facta autem hypogastrii dissectione, reperit Intestinum Ileum bis, in formam literæ S conduplicatum; adeo in via coarctatum ut neque hinc impellendo, neque inde trahendo, in sedem naturalem compelli potuerit, etiam ablatis in intestino contentis.

5 Anno 1674. Apparitor Genevensis, nomine Dominice, septuaginta quatuor natus annos, ab Enterocele extinctus est, post trium septimanarum languorem: In quo etiamnum Ileum intestinum eodem modo conduplicatum deprehensum, atque tam arcte incuneatum ut nulla vi, etiam remotis impedimentis, in abdomen compelli potuerit. *Theophilus Bonetus in Sepulchreto.*

Epiplocele lethalis ob corruptionem Omenti, Testium & vicinarum partium 1. A maxima Omenti parte in scroto. 2. Epiplocele ab Omenti in Testis seminaliumque vasorum tunicam descensu. 3.

Anno 1585. robustissimus quidam Faber lignarius Genevensis, quum elevasset pondus ingens, Omentum ei prolapsum est in scrotum, & quia reductum non fuit, intumuit, Inde dolor acutissimus, inflammatio, aliaque gravissima symptomata., denique mors sequuta 7. die.

Ego scrotum incidi, & inveni Omentum, imo etiam Testes vicinasque partes plane corruptas & gangræna infectas: *Fabritius Hildanus cent. 1. observat. 72.*

2. Conspicatus sum Omenti selibram extra umbilicum; Et in scroto Omenti libram & amplius *Columbus de Re Anatom. lib. 15.*

3 Ego non semel sane Omentum in eam testis seminaliumque ipsius vasorum tunicam (cui peritonæum originem præbet) devolutum, ac miris modis mediocrem omenti aliàs constitutionem adauctam deprehendi: Nam cum tota omenti pars alioquin intestinis incumbens in mediocriter pingui homine vix libræ aut sesquilibræ pondus excederet, Vidi tamen omentum ita p. n. in ea testis tunica auctum, ut quatuor aut quinque librarum pondus penderet, & ventriculum ex sua sede ita deorsum distraheret, ut ventriculi deficiente munere, variisque obortis singultibus id pondus mortis occasionem fuisse inter secandum collegerim, cum in morbo quodam laterali, qui alioquin bene expurgatus fuerat, scrotum ex more ab ægro adstantibusque subligari neglectum fuisset: Quin etiam quo exactius ramicum herniarumque, uti vocantus, rationem perquiro, eo etiam magis omnes illos molles ramices, quos carnosos vulgus appellitat, ac merito à varicosis affectibus distinguit, ex omenti prolapsu incrementoque progigni mihi persuadeo. *Vesalius Anat. lib. 5. cap. 4.*

Hernia triplex lethalis, ob putrefactionem intestinorum in scroto incipientem;

In quodam magni nominis Viro, vitam sedentariam agente, temperie humida prædito, & diu in viduitate vitam transigente, hernia tum aquosa, tum carnosa ac intestinalis (de qua ultima tamen semper fuit dubium cum nullos dolores sentiret vehementes) excreverat in tantam magnitudinem ut ultra 40. libras penderet, & ipse amplius hoc pondus propemodum ferre non posset, propter difficultatem spirandi, cum omnia magna vi deorsum traherentur, semperque lecto affictus decumbere coactus fuit: Tandem cum nulli amplius remedio locus esset relictus, & mors illi brevi immineret, de consilio Medicorum & Chirurgorum, prius tamen prognostico indicato, cùm omnibus copia aquæ adesse videretur, sectio fuit adhibita in loco inferiore, ubi undans aqua percipiebatur, Qua adhibita sine magno dolore, effluxit cum impetu illius ad libram 1. sed foramine obstructo tunc, Medici noluerunt plus excerni: Sequentibus diebus tribus plus illius evacuatum est, & æger non male se habuit. Verum quarto die febris supervenit cum erysipelate, quod alioqui illi fuit sæpe molestum, præsertim in pede altero, qui ob scirrhum œdematosum inusitatæ quoque fuit magnitudinis, ac paulatim vires decreverunt ut paucos post diés placidissime obierit.

Apertum scrotum, quod ex sectione alioqui satis detumuerat, & spem aliquam convalescentiæ, præbuerat, Reperta intestina putrescentia, quæ proculdubio mortem accelerarunt. *Observatio Joachimi Camerarii.*

Hernia ex Aquosa, Varicosa & Carnosa conflata.

Nobil. Ramsæus accepit in sinistræ natis partem superiorem & externam introrsum & deorsum leviter tendens vulnus, ex quo statim concidit: Huic accessit vulneri, inter alia symptomata, sinistri testiculi cum tumore & summo dolore inflammatio, quæ tamen post magnam partem sublata, remanente solum levi duritie, robore & dolore: vocatus deprehendo herniam, non ventosam, ob defectum flatuum; nec simplicem aquosam, quia scrotum nec lucidum, nec aqua turgidum: nec Carnosam simplicem, ob dolorem. Sed Herniam ex Aquosa, Carnosa, & Varicosa conflatam: Aquosam quidem inculcat tumor instar ovi oblongus, cum testiculi occultatione quoad tactum & visum. Accedit & hoc quod sinistro lateri aquosæ herniæ valde sint familiares, quod nempe vena spermatica sinistra oriatur ab emulgente: Carnosæ vulnus ad sinistræ natis partem superiorem vergens ansam dare potuit & causam; generatur enim hæc hernia ex sanguine testes & scrotum obruente, ibique in molem carneam mutato: cui affluxui vulnus potuit, ut dixi, ansam dare, ut non solum in principio statim testiculi sinistri inflammatio, sed & dolor sequutus fuerit: Suppetias fert sanguis adustus melancholicus à vitio lienis oriundus, renisque sinistri debilitas: Varicosam monstrat dolor, qui exacerbatur in distensione vasorum spermaticorum, unde erectionem penis cruciatus intensissimi comitantur: Omnia incassum remedia, nam sequenti mense moritur.

Aperto corpore, Renum loco portionem pinguem quasi, Lienis vero loco ovi gallinacei quantitate nigrum frustum, sanguinis coagulati facie, inveniebamus: Cavitas, (circa vesicam) abdominis, aqua erat repleta, ut & scrotum circa sinistrum testiculum potissimum, dextro longe minorem: Vasa testiculorum varicum modo consistebant; Dextri testiculi substantia spongiosa & putrida, tunicæque adnata erat, In dextra scroti parte caro adiposa. *I. D. Horstius observ. Anatom.6.*

Herniosi calculosa vesica unam scroti partem implebat, Intestina tenuia alteram.

Venetiis quendam Herniosum novit I. Dom. Sala, cui omnia signa calculi vesicæ videbantur adesse, nec tamen cathetere aut candela potuit deprehendi: In mortui cadavere calculus cum ipsa vesica unam scroti partem impleverat, intestina omnia tenuia alteram. *Th. Bartholinus cap.4. observ. 28.*

Hernia à descensu Ilei in scrotum, subsequente Iliaco affectu, irremeabilis ob excrescentiam circa meatum enatam.

Dom. à Charancon, Senator Cambetiacensis, cum quodam die in Vinea aliquid magno cum niso ageret, repente sibi imum ventrem crepari sensit, atque intestina in scrotum prolabi, quæ cum reponere conaretur, nec posset, in Iliacam passionem incidit, secunda enim die ructibus & vomitibus assiduis vexatus, alvum habuit penitus suppressam; difficultas etiam urinæ illum comitabatur: Sub vesperam febris, sitis, oris amaror ingens, vigiliæ, jactationes, ventriculi subversiones, dolores, seu potius cruciatus, clamores continui illum torquebant, adeo ut nihil per os admittere & retinere posset. Ego accersitus sub vesperam secundæ diei, ex pulsus inæqualitate, inordinatione, parvitate & celeritate etiam, ex tot symptomatum vehementia & subitanea virium dejectione, morbum acutissimum & quartum diem non præteriturum pronuntiavi. Atque præscriptis quibusdam topicis, ne nihil fecisse viderer, cardiacis, anodynis, ad discessum me paravi: Sed victus precibus remansi, & protinus enema emolliens & anodynum parandum & injiciendum curavi, post tres horas iterandum: quæ ambo ante diluculum tertiæ diei per os reddidit: Tertium post meridiem injectum, sub vesperam adhuc sincerum evomuit, & ea nocte fæces ipsas fœtentes, & iterum bilis copiam cum violentia & cruciatu maximo per vomitum rejecit; sicque viribus & spiritibus exhaustis, corpore prorsus inanito, sub vesperam quartæ diei defecit.

Dissecto cadavere, Ileum intestinum, quod in scrotum descenderat, livens invenimus, & supra os pubis, in meatus initio (quod notatu dignum) spongiosam, seu potius fungosam carnositatem reperimus, intestinum circa meatum involventem, membranisque vicinia adeo adhærentem, ut vix manibus & unguibus avelli posset: Eam excrescentiam primo statim die enatam, & à sanguine ob dolorem & rupturam in plagam confluxo, & ad locum laceratum concurrente, genitum fuisse autumo, qua fungositate viam obstruente, facta fuit impossibilis intestini delapsi reductio. *Abel Roscius ad Fabritium Hildanum cent. 6. observ. 70.*

Hernia à vase deferente in scrotum delapso.

Præterea non semel tantum observavimus vas deferens corrugatum in scrotum descendisse & ibi Herniam effecisse, quæ manuum ope facillime reduci poterat: imo quæ, si corpus resupinaveris, sua sponte intro recedit, à qua tamen nihil mali expectandum aut metuendum est. Talis Hernia *Spermatocele improprie à me vocatur. Idem ibidem.*

Hernia ab aqua testiculum replente.

Quidam ex phthisi obiit: Illi Testiculorum alter in magnam molem excreverat, durus, qui aquam fundebat citrinam, ut in hernia aquosa: membrana, quæ aquam continebat, erat plane cartilaginea & quasi cornea: ipse enim testiculus sua propria ab hac diversa cingebatur. *Rumlerus observ. medic. 52.*

Hernia ab aqua inter testiculi tunicas.

Ego in testiculo dextro hydrocelem vidi: Aquosus humor inter nerveam tunicam & erythroidem continebatur: Evidentes erant tres aut quatuor propagines vasis deferentis intra testem vitiatum & sanguine sanioso refertum dispersæ. *Riolanus Anthropog. lib. 2. c. 29.*

Scroti apertio inutilis in hydrocele ob corruptum Testiculum.

In Generoso quodam viro, quàm omnis periculi plena sit scroti & erythroidis membranæ in hydrocele per scalpellum apertio, teste non sublato, compertum est. Ab aliquot annis sinistra parte hydrocele huic molesta fuerat; frustra cataplasmatis ac aliis remediis usus crebro, tandem temerarii Chirurgi consilio acquiescens, aperiri sibi scalpello tumorem permisit: Effluxit cito omnis humor, tumor quoque subsedit: sed cum testis ipse omnino esset corruptus, vicinas partes facile infecit: Subsequuta mox scroti universi, ac etiam penis, cum tumore & ingenti dolore gangræna: delirium cum vehementi febre, propter doloris magnitudinem, supervenit, ac non ita multo post mors incessit.

Ren hujus sinister corruptus fuit, & seminalis in erythroidem descendens, valde ampla & multum patens. *Dodonæus observ. medicin. 40.*

Tumor, seu Hernia Umbilicalis, lethalis ob Jecoris lobum alterum, extra Peritonæum prolapsum eidem accretum.

Beaverat Deus Illustr. Mariam Henly prole mascula, in hoc infantulo fausta Junone Lucina recens nato, observavit obstetrix quendam umbilici tumorem, nucis moschatæ magnitudinem æquantem: Uterque Parens Medicum & Chirurgum in consilium adhibent, & me quoque ad octo milliarium distantiam vocari curant: Convenimus omnes intra 30. horarum spatium, jamque tumor ad pugni magnitudinem accreverat: Quo diligenter examinato, candela admota, conspicienda se præbebant Intestina versicolora, in eum prolapsa, rupto peritonæo: desuper verò à dextra

tumoris

tumoris parte, quæ sphacelo correpta erat, nescio quam carneam substantiam, intestina deprimentem deprehendimus. Chirurgus cum altero Medico spem unam in tumoris incisione collocatam esse affirmabant, fore, sic ut intestina in suum locum reponi queant: Ego contra dissuadebam, quod intestina sphacelo correpta viderentur, & infantulum admodum debilem, moriturum dicebam, & præstare eum intactum relinquere, quam artem apud plebem maleficam desamare: Parentes vero, filioli vitæ desideratissimi, iis auscultantes, anceps potius remedium experiundum constituerunt, quam infantulum sine auxilio, etsi dubio, Libitinæ absorbendum relinquere. Facta ergo incisione, cum Chirurgus immisso in vulnus digito intestina in suum locum reponere anniteretur, reniteute carnea substantia, ipsis incumbente, eademque deprimente frustra laborabat; infantulo mox vitalem auram, quam vix hauserat, immature effundente.

Aperto à morte corpusculo, ne vestigium quidem omenti conspiciendum erat: Lien præterea exiguus admodum apparebat, intestina tenuia, rupto peritonæo, in umbilicum prolapsa & sphacelo emortua: Hepar verò, quod continuum esse solet, nec in lobos, ut in quadrupedibus, divisum, in duos lobos profunde sectum erat, quorum alter in proprio loco, dextro scil. hypochondrio, sub diaphragmate & costis nothis conspiciebatur: alter vero extra peritonæum prolapsus, eidem adeo firmiter accreverat, ut novacula ab eo separari minime potuerit: Cætera sana. *Fridericus Lossius observat. 30. lib. 2.*

Omphalocele ab ortu contracta.

Puella modo nata, tumorem immensum in umbilico propendentem secum in lucem attulit. Quem cum vocatus inspicerem, deprehendi tenuia esse intestina per umbilicum prolapsa, globi magni instar convoluta, tenui membrana pellucida, qualis amnion fœtum involvens existit, investita, in quam chorda umbilicalis desinebat, & vesica ampla humore plena adhærebat; infans cætera bene habitus erat. Cùm autem intestina premendo reponere studeremus, videbantur nonnihil in abdominis cavum ex parte remeare; mox tamen rursum cum murmure egredi: Quæstio erat in vesica aperienda, digitoque immisso, foramen per quod egrediebantur investigandum esset, ut per illud intestina reponerentur? Verum quia mox postea intestina inflammata esse conspiciebantur, atque infans stercora evomens admodum debilis erat, nihil tentare voluimus.

Cum exspirasset, atque abdomen aperiretur, intestina quæ exciderant, membranæ amnio qua ambiebantur, adeo connexa invenimus, ut nulla ratione ab ea avelli potuerint.

An hoc situ in utero fœtu existente & crescente intestina collocata semper fuerint, vel postea antequam nasceretur prociderint, vel in partu, in dubium vocabatur. Ego procidisse diu antequam in lucem ederetur ex eo collegi, quod dum eum mater utero gestabat, ob excrementorum duritiem, conatibus magnis abdomen premere coacta fuit, & quod amnios membrana illi fuerit adnata: Potuisse autem fœtum, dum utero inclusus calore matris fovetur, citra incommoda hoc perferre, quæ postea cum à matre separaretur, supervenerunt, eumque è medio sustulerunt, censui. *Platerus Observ. lib. 3. pag. 75.*

Hernia cystica, cui ex terrore juncta bubonocele.

Herniam magis esse expansionem, aut extensionem peritonæi, quàm rupturam, aut dilacerationem ejus, haud dubito, quin inter medicorum filios satis constet. Hic affectus nomen mutuatur à contento; sic hernia dicitur intestinalis ab intestino in ea contento, & omentalis ab omento, &c. Non minus etiam cum vesica urinaria prolabitur in scrotum, hernia cystica dicenda foret, qualis mihi bis occurrit cum Andrea Boë Kelmanno Chirurgo expertissimo. Amplissimus vir, Dom. N. N. Mercator Amstelodamensis, ab aliquot annis in tantam mingendi difficultatem incidit, ut urinam reddere nequiverit, nisi manu scrotum elevando comprimeret. Retinuit hoe malum tamdiu, donec simul, mirum dictu! in Bubonocelen solo terrore incideret: Dolium enim ingens vini de improviso tumpebatur in ejus cella, unde ita obstupuit præsens, ut illicò in bubonocelen incideret, Id quod semel mihi adhuc observare contigit in alio, qui solo terrore subito herniosus factus erat, retulitque mihi supra citatus Chirurgus in herniis sanandis versatissimus, se se hoc quoque pluries observasse. Hæc igitur bubonocele coëgit ægrum aliorum manus auxiliares implorare; vocabar ergo cum D. Bellangerio, Medicinæ Doctore eximio, Andr. Boëkelmanno filio, Chirurgis dexterrimis. Verumenimvero bubonocele tam arctè comprimebatur à tendinibus musculorum adsitis, ut nullus nostrum opitulari ægro potuerit, ita ut brevi diem suum obiret. Multiplicis hujus herniæ apertionem concesserunt nobis consanguinei, in qua notavimus bubonocele dissecta, intestini ilei portionem inflammatam, & gangrænam (ut sæpius contingit) obsessam, aperturamque (ut vulgo loquuntur) vel potius dilatationem adeo exilem aut arctam circa tendines musculorum abdominis, ut digitus pertransire vix potuerit; onde dicti intestini portio reponi nequiquam potuit. In scroto posthac totam vesicam urinariam prolapsam offendimus. *Fridericus Ruyschius in Observationibus Anatomico - Chirurgicis.*

Herniæ intestinalis curata post mortem dissectio.

Cantor quidam quadragenarius, sæpius cantando in herniam intestinalem incidit, non absque dolore, præsertim inter cantandum. Chirurgus advocatus illum à cantilenis abstinere jussit, & brachetium inguinibus accommodare, quod sex annis gessit, interea temporis se curatum confessus, Post illud tempus, sex mensibus elapsis à pleuritide tollitur.

Aperto cadavere invenit idem Chirurgus multum adipis in eo loci ubi peritonæum fuerat dilatatum, & per quod intestina deorsum permeabantur, ad magnitudinem pilæ. Adeps dilatationi latæ erat accretus, ut nisi cum laceratione circumjacentium partium divelli quiverit.

Omnia ea quæ peritonæum nimis intumescere cogunt, ad herniam procurandam ansam præbent Hernia nihil aliud sonat quàm dilatatio peritonæi, idque quovis in loco Bracherio postea ita constrictum est, ut dilatatum concreverit: vascula tamen adiposa ob summam dilatationem tantam adipis quantitatem in se collegerunt, ut locum antea

dilatatum repleverint; *Stephanus Blancardus in Anatomia Practica.*

Bubonocele Ileosa.

Puerum curavi quadrimum, dire torminosum, acutè febricitantem & interdiu noctuque ejulantem, necnon susque deque omnia rejicientem alimenta, excrementa, remedia. Quarto die extinctus est. In Inguine dextro ileon reperi ab agyrta *bubonoceles curanda specie*, scuto ita compressum ut gangræna & sphacelo fuerit occupatum. *E Collegiis Clarissimi Caroli Drelincurtii.*

Epiplocele mira.

Puero saltu inguen sinistrum intumuit. Judicatum est, *ileon* eo delapsum, Retrusum & contentum. Sed rursus ludibundo puero cursibus & saltu non unum Inguen, sed & scrotum tumidius evasit. Primis mensibus retrusum est denuo epiploon suas in sedes & scuto firmatum. Sed tandem neglectum est ligamen, specie curati morbi. Verum Interjecto tempore præpaico tumor majorem in molem surrexit, sed quoniam indolens, in cura fuit nulla per menses plurimos. Tandem vero tumor inguinalis dolorem peperit, & ad ligamen prius impulit. At industria nulla prior artifex omentum repellere potuit. Nihil igitur admotum, sed res naturæ commissa. Puer interim & adolevit & virilitatem attigit. Is vero febre synocha putri cadaver evasit, in quo summa cum voluptate omentum detexi intra scrotum tunicæ erythroideæ penitus accretum fibrillis scilicet veluti hederaceis in illam tunicam penitius infixis, singulas autem omenti arterias atque venas non modo crassiores detexi, sed elongatas omnino & per modum vegetationis intra scrotum ita radicatas, ut non nisi filamentis disruptis illud è crypta sua in apertam lucem protrahere valuerim. Quid miri igitur omentum istud reduci non potuisse. *Ex iisdem Collegiis.*

Enteromphalocele fœminina virilisque.

Mulieri ætat. 35. annor. in laborioso partu ob spiritus contentionem laxatus est umbilici circulus, & ileon leviter erupit. Retrusum est primò facilè & contentum per aliquot annos, sed deinceps conamine quodam altius protrusit ileon, nec amplius ita regestum, ut antea. Mansit ergo tumor, primis quidem mensibus æstivis indolens, sed autumnio & hyeme sævus, præsertim borea flante. Deinde autem, non ad unius boreæ flatum, sed ad quemvis imbrem dolor repungebat acutior & acutior, donec tandem intercluso chylo tam enormiter tumuerit, ut nec remediis cesserit. Toto demum ambitu livescente, febris, vomitus, convulsio, sudor frigidus & syncope ægram de medio sustulerunt. Repertum est ileon duplicatum laqueo veluti constrictum intra umbilicalem annulum, livens omnino & sanie olida fluxum.

Id ipsum in Causidico sexagenario vidi qui ventricosus admodum erat, & per multos annos tumorem illum levi scuto compescuerat indemnis. Sed venit tandem suprema dies qua umbilicus dirè tortus est, donec accedente sphacelo febrili indolentia supervenerit cum animi deliquiis, sudoribus frigidia & ipsa morte vomitum occupante, aliàs in procinctu uti patuit è nausea & singultibus. *Ex iisdem Collegiis.*

De Sarcocele & Hydrocele quædam rursus ex iisdem Collegiis.

Lucripetas exector barbitonsores qui sarcomati testiculorum hydrargyrosin adhibent, quæ loculos emungit, sed de causa conjuncta nihil demit, imò majus exinde & dolentius surrectum vidi sarcoma;

In Hydrocele; tunicam inter erythroideam atque testiculi nervaceam, setaceum notavi utilius longè ad recursum morbi arcendum quàm simplex paracentesis. In Physocele autem quam in recens natis millies vidi, neutrum convenit, sed cataplasma admotum è rosis rubris, balaustiis, caphura & salis armoniaci tantillo.

Anatome Mulieris Omphalocele prægrandi, defunctæ.

Clariss. Ioh. Henrici Hottingeri. Miscell. Curios. Decur. iij. Ann. 9. & 10. p. 410.

Mulier triginta sex annos nata, à matrimonio contracto pluribus infestata erat morbis, Febrim acutam, Pleuritis vera altero subsequente anno excipiebat: quas tamen feliciter superabat. Puerperium primùm, in eoque partum laboriosissimum presso, ut aiunt pede, Umbilici ad pomi majoris magnitudinem procidentia sequebatur, Paupercula, tam ob rem angustam quàm etiam malum haud adeo incommodum reticuit ac neglexit. Alterum puerperium nec minus laboriosum ac diu renitens, quod annis ab hinc duobus erat, protuberantiam mirum in modum auxit, ut globum majoris molis superaret, sen si diametrum ipsius consideralles, pedem vel ultra adæquasset. Reddita hinc ad omnia officia peragenda in idonea, emaciata, anhelosa ac hectica; Sumptibus ulteriùs parcere studens, ex linteis, sed minùs dextrè confecit subligaculum, non tamen intestina in locum suum naturalem reprimere valuit. Anno plus hoc contenta, symptomata modò recensita magis increbuerunt, appetitum amisit, sitis accessit, calidos cibos rejecit, frigidos autem in deliciis habuit; Statu miserrimo constituta, malo quotidie magis ingravescente, Opem Chirurgi alicujus experti efflagitare coacta est; Subvenit ipsi statim Emplastro ac subligaculo accommodato, intestina reducere diu, sed frustra laboravit; Levamen hinc haud leve se percipere, ob pondus non amplius ita grave dependens, asseruit. Ob diætam verò minus convenientem (cùm enim Lacti & Lacticiniis frigidis nimis indulsisset, frigidam pro siti fallenda copiosè, ingurgitasset, &c.) omnia in pejus ruebant, lancinationibus ac torminibus abdominis vexabatur, clinica & lecto affixa per duorum mensium decursum permanebat, tandem à doloribus exercitata nostra è vita discessit. Subsequente die defunctæ cadaver perlustravimus, tumorem aliquo modo subsidentem deprehendimus, Cutim cruciatim pro more incisam separavimus, Aponeuroses Musculorum obliquè descendentium crassas valde extensas, ipsos verò Musculos planè depressos & in Hypochondriis residentes observavimus: Recti verò mirum! ita expansi & totum abdomen obducentes, duas ferè palmas latitudine utrique superabant, separati verò ordinarios non mentiebantur. Cæteri Musculi Abdominis, ut obliqui descendentes, corrugati, minùsque conspicui in

Hypochondrii

Hypochondriis degebant. Peritonæum cutis externæ crassitiem & densitatem æmulans secatu difficile, apertum, internè intestina firmiter adnexa tenebat, livescebat grandinibus copiosissimis, quasi glandulis duris schirrosis pisum adæquantibus conspersum apparebat; Omenti nulla ampliùs vestigia aderant; Omnia intestina tenuia, æquè ac crassa abdominis parietibus adnexa erant. Ventriculus, Hepar, Lien ac Renes similibus grandinosis prolibus circumdata conspiciebantur: (cæterum in Hepatis, Lienis, Renumque parenchymatibus, interiorem ipsorum substantiam concernentibus, nihil desideravimus. Uterum, qui humoris caseosi quasi micam condebat, valde parvum & corrugatum, ovaria in utroque latere ipsi appensa putrilaginosa, bis eum separabant; Vesica urinaria corrugata, omni lotio depauperata erat, ceu quæ aliquot ante ipsius obitum dies, ntioam absque ulla perceptione de se misit. In thorace, veteris Pleuritidis umbram invenimus, Pulmones puro, sinistro lateri accretos, pleoramque materia quædam cartilagini haud absimilia vestiebat, ejusdemque lateris lobus in puttedinem inturrebat; Alter etiam ab aliqua labe infectua, à priore tamen discrepabat. Pericardium potiùs corium durum, quàm membranam tenuem credidisses, pulmonibus agglutinatum, uti & cordi affixum hærebat, ut carceri quasi angusto ita arctè cor detinebatur, ut ab eo scalpello manu suspensa cautè quamvis absque ipsius substantiæ læsione separari ac avelli nequiverit, neve guttam quidem liquoris continebat. Cor flaccidum planè molle, ac vel solis digitis facile discerpi potuisset, in utroque ventriculo moleculas polyposas recondebat.

HERPES

Vid.

CUTIS VITIA.

HORDEOLUM.

Vid.

PALPEBRARUM AFFECTUS.

HYDATIDES.

De Hydatidibus forsan hic in specie non ageremus, ni de Doctissimi Lectoris utilitate crederemus, Exercitationem Anatomicô-Chirurgicam quam in hôc argumentô conscripsit Clariss. Godefridus Bidloo, saltem jam tradere: quæ hæc est.

Lymphaticorum, qui, cum ortu, dispositionem viciniàque cum partibus, negotium eorumque cum myriadibus, usum observavit, inficias non ibit, vasa hęc, in magnum Reipublicæ Medicæ commodum, ab celebrandis omoi veneratione eorum detectoribus, memoriæ typis tabulisque tradita elegantet abundanterque, ut totum perreptitant corpus (quod, doctu ligato thoracico in genere; liernia omni constricto vasorum apparatu, ante eorum in ejus molem in-et egressum, in specie liquet) ita ubique locorum, tam respectu ipsius machinæ liquorisque in ea contenti, cum illorum officii, ægritudinibus symptomatibusque subjici quàm plurimis concedetque multum nos; si non omne id, quod nobis de eorum revera tunotescit structura, hujus & superioris seculi debere diligentiæ affirmabitque tamen mecum, rerum si fuerit arbiter æquus, de eorum morbis, machinam sive, sive contenta humorumque respiciat usum, oondum esse dictum distinctè; exemplo sint de aquosorum (quod aiunt) tumorum, hæc vasa respicientium genere Hydatides & cum iis cæteræ analogæ partium distentiones; harum enim de originatione, progressu cootentique liquidi dispositione ejusque ab statu naturali mutatione, ea sententiarum est varietas & confusa doctrina; ut de iis disserere utile mihi videatur & necessum maximè.

Vasorum lymphaticorum, perspectam Erymologiam historiamque lectoribus benivolis asserraque (ut pinguedine turgere hydatides & quæ porrò de iis hallucinata est veterum Medico-Chirurgorum schola) jam dudum esse & abundè refutata; ne quod dictum sit prius & satis, dicam iterum, supponens; contendo; Hydatidum multiplex; sed verò distinctu facile, esse genus.

Primum, ex dilatata, inter valvulas, vasis intercapedine, quę distentio, vase obstructo superius, pro liquidi contenti majore, vel minore ex glandulis impetu, citò, vel tardè absolvitur.

Distentionem hanc valvulas inter; non autem in earum fieri regione, demonstro ipsius ex vasis dispositione, sive structura; valvularum enim latera hoc vinculo; ne ab sese invicem recedant nimium, eo ornantur loci atque hoc modo, distentioni deest opportunitas.

Secundò; etsi lymphæductus, in genere, ab angusto in angustum tubum propageotur abeantque; multis attamen, inter valvulas, locis, varias obtineat, respectu latitudinis, dimensiones ipsæque valvulæ, varia, respectu longitudinis, dimensione, ab sese invicem distant; ut Mercurio, aliove, ipsis infundendo liquido, apparet liquidè; quinimò pondere, aut vi infusionis, quocunque eruperit loco Mercurius, aut aliud ipsis infusum liquidum, nunquam è regione valvularum vasorum latera franguntur.

Obstrui & quo modo, vasa lymphatica, annitor demonstrare schematibus infra propositis. Primò, loco, quo vasia lymphatici latera, prætet ordinem, extenduntur, eo loci excitari quandoque obstructionem, ipsis patet, tum in vivis, tum demortuis animalibus; digito quippe eo loci, vicinæ partes tumentes, induratæ & ab obstructionis termino hydatides de majoribus in minores abeuntes, exploratu fuot facilea. Illæ sint exemplo, quæ in labiis, palpebris aliisque tenuioribus, quatuor involuctorum toti corpori communium, velamentis ornatis partibus, observantur. Hæ obstructiones in vasorum si accidant, mox ab glandulis, egresso, digito explorari non poterunt cruntque parvi momenti; vas etenim hoc usu jam nunc destitutum, evanescit superius, id est, oculum fugit &, ut multa vasa, in formam membranaçeæ striæ ligamentive obliterat, delitescit; si io parte, ab glandulis remotiore, ipsa cum concreti inspissatique liquidi massa hydatidumque serie (ut supra) exstabunt demonstrabiles.

Secundò; si volneris, ulcerisve cicatrice, vas hoc intercipiatur obrureturque, aut membranæ, cui inhæret (sunt enim membranæ, quotquot & quo sint loco, singulæ & omnes, tendinea) convulsione alibi locorum constringatur, vel ipsum vas ab viciois hoc, illove loco, cum in modum, comprimatur partibus; ut muneri obeundo par non sit, vel partium coalescentiâ officio destituatur; excitari necessariò vasis interioris partis distentionem formarique hydatides, nemo negaverit Physico-Chirurgus.

Inde

Inde patet; fungente; cum arteriis, glandula suo munere, debere primò; intercapedines prædictas inter valvulas, obturationis termino proximas, deinde & exteras extendi, mutatique vasis, hac parte, longitudinem, principio in ovalem, posteaque plus minusve rotundiorem figuram.

Cùm autem vasa hæc variam patiantur, respectû latitudinis, ut & distantiæ ab sese invicem, valvularum dimensionem; quinimò eorum corpus substantiâ, fabricâ ubique locorum ejusdem non sit firmitatis, duritiei, mollitiei, tensilitatis &c. fit, ut hæ hydatides quoque magnitudine, figurâ, duritie, tensilitate &c. differant.

Secundum hydatidum genus istis nascitur locis glandosis, in quibus arteriæ finem venæque initium statuo, nutritiaque ab sanguine separatur materia vasaque initium ducunt lymphatica.

Hujus generis ortus progressusque hi videntur. Liquidum in corporis incrementum ab sanguine segregatum in partes, quibus erat destinatum, ægritudine, sive mala dispositione, correptas, non transiens, iisve non oppositum, eatendit tractu temporis, (arteriâ huic parti propriâ laticem continuò effundente suum vasisque recipientibus venosis reducendum sanguinem) ista loca & quoniam illa circumscriptione non carent, formam munusque obtinent glandulæ, extruitur sacculus membranaceus tumorque hic, qui non ratò multas, primi generis, complectitur hydatides, adeoque tandem incrassatur, ut dimidii digiti quandoque superet latitudinem, membranas autem ægritudine accedentium, ut & contentorum liquidorum, correptas, mole augeri semper, verum, quàm quod verissimum est. Huic hydatidum cœtui sanguifera inhærent vasa copiosè, imo & in parte tumoris interiore conspicienda, quæ in primo genere, ut plurimum, via deteguntur.

Duorum horum generum tumorum quamvis plurima mihi sint exempla, unum tamen solummodò; sed utrumque comprehendens genus, referre afferaque mea quoque commonstrare practicè deque curatione, juxta animi mei religionem, operæ-pretium credidi, agere apertè.

Monere autem mihi liceat in antecessum, Primò; hasce & similes hydatidea non curari, nisi chirurgicè, id est, comprimendo, deligando, extirpando scalpello, forfice, igne; rejicio enim, ni fallor, jure merito de supellectile instrumentorum, hoc in morbo, acum auream cum ferrea. Secundò; causticis (potentialibus ut vocant) nihil effici tutò; è contrario, digito, quæ explorati possunt hydatides, instrumentis peti posse tractatique cujuscunque sint magnitudinis, loci, aut figuræ, ullo sine vitæ discrimine auferrique probè. Tertiò; glandosa obsidentes viscara hydatides, puta hepar, lienem &c, curari nunquam. Exemplum mea indigitatum, hoc est.

Anno 1699. Octobris 11. post iteratas tumoris uniformis, uni coloris, durioris, parvi doloris, magni tamen oneris: erat enim spithamæ dimensionis, ab auris regione usque in posticam superioremque scapulæ dextræ extensi partem, inspectiones atque cum celeb. medico *van Leeuwen*, dexterrim. chirurgis *van Eyk* & *Koeks*, consultationes, abstuli, *Roterodami*, viro mercatori, *Jacobo van Helmont*, statura proceriore & tobusta, annorum 32. humero ipsi jam ab sex annis impositam sarcinam, hac methodo.

Dissecui, linea, tumoris parte media, perpendiculari, tria generaliora corporis, manu mea chirurgique *van Eyk* elevata de tumore velam na; verum eo non prodeunte, membranam musculorum, toti systemati universalem perforavi; sed neque & nunc in conspectum assurgente, musculum trapezium, parte qua ab colli vertebrarum spinis descendit, findere itaque non destiti, obliquè hoc modo pertusis recedentibusque hisce fibris motricibus versus tendinum alligationes; erumpi mox tumor, qui, dum eum digito liberum ab vicinis sistere molior partibus, ea rumpitur vt,ut ego & adstantes (inter quos quidam Med. studiosi) ejus latice conspergeremur conspurcaremurque fœdè: eo partim capulio, immitto vulneri digitum experiorque intus monstra ali, tumores, nempe, latitare intus varios; comprimo itaque cloacæ ima, prosiliunt illicò variæ magnitudinis, figuræ & distentionis tumores, quidam soli, quidam connexi inter sese invicem, quidam pellucidi, quidam opaci, ad numerum 36. & plures (abstulerat enim mox clanculum discipulus chirurgus quosdam, quorum octo mihi postea tradidit) hisce repositis, arripio, cui infarcti erant separoque de vicinis partibus, multa non sine molestia sanguinisque effusione, sacculum impleoque hiantis magnique vulneris cavam, carpro gypso conspersò propicioque lateribus labiisque compressulis, ligaturis, verbo chirurgicè. Perlustrato ter quaterve postea vulneris statu, committo ejus curationem, cum medico, chirurgis, qui eâ diligentiâ eâque felicitate rem peregere, ut intra quatuor septimanas domo exierit; octavâ autem integerrimè extiterit curatus, fruens in hoc usque momentum, ut hujus anni 170°. septimo Martii mensis, mihi tabellis primò; deinde suâ præsentiâ significavit gratulabundus, valetudine prosperrima.

Concatenatæ hydatides pondere moleque minores, aut motu non agitatæ violentiore sacculo p ædicto; aut parti, in qua excitantur, manent affixæ.

Si verò, tractu temporis, pondus & moles ingravescat, aut motu agitentur violentiore, prædictum in sacculum, aut partes inter vicinas, ratione majoris, aut minoris contiguitatis, mollitiei &c. cedentes, loca quærunt fiuntque eruntque funtque hydatides plus, minusve pendulæ. (1)

Quod si pondus, moles & violentior motus ingravescat ulterius, decidunt in prædictum sacculum, aut partes inter vicinas, quibus recedere facta est opportunitas atque hoc casu unà, aut multæ sunt; sed sine sacculo & liquore cui innatent, hydatides deciduæ. (2)

Quod si excitentur in partibus, cavitate donatis, quibus quædam de corpore rejiciuntur. (3) eruntque nuncupandæ rejiciendæ, videlicet, virtute machinæ corporis, aut medicè; raiò chirurgicè.

Trium harum specierum recitaturus exempla, non possum in antecessum non narrare, quid Amstelædami, simili cum Helmontii tumore acciderit.

Similem cum, forte fortuna, ante aliquot annos, aperuisset tumorem Amstelædami, medicaster quidam Valentyn, persuasit ægræ, ea incantatione malum hoc traxisse originem, credulum mea spargitur in vulgum fabulæ rumor impostorque lucripeta, famæ quoque inhians, pendulas deciduasque hasce hydatides ei pro ovis obtrudit, eâ quidem impudentiâ & animi firmitate; ut, non ægra, ut non vulgus tantùm; sed & non inferioris subsellii cives (taceo quosdam medicastros lipposque aliosque imperitos, sed muneribus

alias

alias spectabiles viros) de tramite rationis prudentiæ & pietatis seducerentur figmentoque fidem adhiberent ipseque ego (fores enim ipsius populi noctè dieque rerum novarum cupidi obsidebat agmen) intrarumpere vix potuerim postea que fuerim expertus, eorum multos in hoc usque momentum, credulitatis hujus, ne dixerim fidei, servare reliquias & stigmata.

Hæc refero, ut tyrones medico-chirurgi, dum actu quid opus sit, simul & discant resistere præjudiciis, fallaciis impostoribusque, quotum turba medicinam chirurgiamque, pro viribus suis lacessere, deprimere, perdere desistet nunquam.

Primò; in membranis quæ nascuntur hydatides, vesiculas exstruunt depressas, vel fiunt pendulæ tardius, aut citius, magno, aut parvo pedunculo, pro minore, vel majore succi lymphatici in eas impetu, aut minore, vel majore tenetitudine, vel densitate ipsios, cui affiguntur, membranæ. Hujus exemplum, ut minora & ab aliis recitata, taceam, vidi ante aliquot annos Amstelædami, cum famigeratiss. Medic. Egb. Veen, in cadavere uxoris lutoris, una quæ hydatis pendula (nulla quippe alia ei erat infarcta) ovario alligata dextro, libras capiebat liquidi non fœtentis; sed turbiduli XL. ea cum ventris distensione inferioris, ut impregnatam jurasses & non sine verisimilitudine, quoniam antea trium liberorum extiterat mater, annosque ultra 37. non numerasset.

Huic observationi non imparem videat lect. beniv. quoque apud alios, quibus hæ hydatides, placentæ glandulæ minutissimæ videntur, cum probatu sit facile, eas lymphaticorum systemati suam debere originem.

Secundò; deciduas hydatides, formicarum ovis simillimas, in hepate, multo, variis locis, pure turgente, atque hoc modo locum ipsis in eo laxitate cedente, quatuor ante annos, auditoribus meis demonstravi in nosocomio.

Tertiò; rejiciendarum hydatidum (prædictæ classis speciem) acervos in naso, stomacho, intestinis, utero, vesica &c. locis excretioni cuidam aptis naris, detexi multoties.

Hæ rejiciendæ hydatides, vel si malueris, dejectæ jam nunc per anum, quæ in corpore stantæ quandoque cum intermixtis membranis gluten album albumenque exprimunt ovorum multasque quandoque expelluntur ad libras.

Quæra quispiam, non immeritò, quid obstet, quo minus teneræ hydatides tumoreque decidui non frangantur succumque inter & in alias partes non effundant suum, multo vicinarum partium motu & allisione agitati semper?

Respondeo: Primò; hydatidum membranas, morbo correptas, nempè, densiores fieri tensilioresque, atque contentum in iis liquidum, purum, putum diu posse resistere motui, mutationi putredini atque proinde non frangi semper.

Secundò; fieri & accidere illud sæpius, medicis, vel chirurgis id non observantibus indeque varios latices (respectu commiscendorum, cum bocce vicinarum partium liquorum) forma sub varia varioque sub; sed non vero nomine, nunc medicè, nunc chirurgicè, nunc & virtute organorum, quæ occupant, de corpore eliminari.

De hydatidum porrò figura nemini non constabit, eam; videlicet, ut plurimum esse rotundam, vel sphæricam; sed verò ratione ipsius vasis lymphatici inter valvulas varia dimensione (vide pag. 12. lin. 5. 6. 7. 8.) quandoque & debere extare variam, verum globosam, ex parte, semper.

Est & aliud hydatidum (tertium) genus, cognitu apprimè dignum, labiis internè scorbuticorum familiaris morbus: invadit illa ex albo, nempè, livida, sine dolore, quantocyus flaccescens, albescens ulcerisque formam fingens induensque depressum tuberculum, quod, ni memoranda mox excepetis methodo, cum labiis genas cumque hisce ossa gangræna, sphacelo, carie corrumpit & non rarò homini vitam adimit.

Esse principium hujus mali partemque primò affectam, loci in quo nutritionis negotium absolvitur, lymphaticorum vasorum, cum levi eorum eminentia; ex hisce liquet phænomenis.

Primò; priusquam, hoc tuberculum, vel ejus generis quædam apparent, turget languido somnolentoque homini in genere facies, in specie labium, victum respuenti alvumque non deponenti, torpent artus omnique totique deest corpori vigor.

Secundò; tuberculum hoc nunquam in pustulæ formam, rubedine conspersam, sequenti quod in classe plus, minusve pro corporum dispositione, observatur, assurgit; sed ab apparitionis tempore brevi flaccescens, intra biduum ulcusculi imponi, in fundo albescentis, cum labiis duris, obtinet faciem. Fundo pertuso liquidi aliquid; sanguinis verò, nisi profundius ei intruseris scalpellum, emittitur nihil.

Si unquam, jam nunc res agitur magna, chirurgo pertractanda; sed confestim; quod si enenim moras nectitaverit, peragenda procrastinaverit, egerit imprudenter: totam itaque hanc, imo & vicinas pertundat, convulneret partes, usque dum sanguinis puri, puti insignior defluat copia, crebris scalpelli ictibus (scarificationibus dicunt) sticeque *vitrioli cyprini solutione*, repetatque hunc actum bis, vel ter ea die agatque, respectu totius corporis, remediis volatilibus medicè: crudescente jam nunc parte affecta, injiciat ei *chelidonii succi saccharati*, vel ejus nominis *mel*, largam portionem genisque maxillæque inferiori sæpissimè irrigandum ex herbis seminibusque fragrantibus &c. fotum; caveat autem sibi, ne hoc temporis morbique statu *spiritu* utatur *vini*; ejus enim insperstone ulcusculi, vel apertæ hydatidis, cum fundo, margines indurantur: abstineat quoque *mirrha*, *aloë*, &c.

Hac servavi methodo, Deo adjutore (Nobiliss. Juvenem annorum tum temporis vix quinque, hoc jam tempore, nostro in Athenæo Themidem venerantem, in quo hic morbus derepente, id est, duorum dierum spatio, ab aciculæ capitis magnitudinis tuberculo, ad digiti latitudinis circulum inferiore in labio expatiatum divagatumque vidimus.

Curavi hoc modo, haud ita pridem, Amstelædami, postquam sexto, aut septimo ab morbi initio die, eum deseruerat, ut mortis candidatum, chirurgus, puerum 8. annor. Judæum: curavi, inquam; sed non sine sinistri totius ossis propriè dicti, maxillæ superioris ablatione, quod in rei exemplum possideo; sed non itidem eo in statu morbi, fœtentibus, nempè, squallentibusque partibus mollioribus osseque nigricante, sine *spir. vin. ung. fusci Felic. Wurtzii* iterata creberrimaque inspersione. Quod mirabere (lect. beniv.) tota quanta, tanto, quæ juveni jam nunc de vulnere relicta, vix hujus appositi circuli circumferentiæ, parva cum faciei deformitate, cicatrix est.

Majoris momenti poterit videri tertium, quod sequitur

sequitur, exemplum; primarios hac in curatione Amstelædamenses medico-chirurgos eo tempore habui consultores adjutoresque, habeoque & hoc tempore rei gestæ testes.

Filius sartoris annos agens circiter novem, Amstelædami hoc morbo adeo corripiebatur violenter ut quarto, aut quinto die, livido fœtentique ex ulcusculo, totum ferè inferius vitâ erraret destitutum labium. Præstabam, quod potis eram, medicamentis incisionibusque leviusculis (scarificationibus) sed sine fruge. Hoc in casu dubio; si unquam, chirurgico ausu (absit jactantia) forfice partes tesecul correptas atque cicatrice, mediis vulgaribus, obduxi facilè. Inter curandum autem observabam, deficiente labio, parte maxima, salivâ madere conspurcatique pueri pectus de die in diem fœdius; ita ut bracteâ tandem capsulâ, mento appensâ, eam recipere adigeretur osque ipsi ringens, nobilioris in artis dedecus, ab me factum videretur; ut non sine indignatione operationis meæ censores & post ictum cum piscatore sapientes nomothetæ quidam medici & chirurgi increpitabant: hoc, etsi stomacho vitæ stadio illo valebam; concoquere tamen non valebam: aliud propterea quid aggrediebar audebamque, cultello, nempè, myrtiformi, quod in mento labii reliquum erat, ab couhærentiis resolvi undique cum angulis superioris labii suturâ intercepi confirmavique solidè: en tragœdiæ felicem catastropham liberavi enim puerum memoratis ab molestiis eò quoque usque, ut applaudendo criticis meis erraret exemplo.

In castris hoc grassari morbi genus vehementer, autumnali præsertim tempore regionibus (sub jove frigidore, prætermittendum hic non videtur, ut & prædicto pede curari ritè.

Hisce enarratis perceptu concessuque facilioratetuur mea cogitata rationesque, quare hunc morbum, genus speciemve dixerim hydatidum sphacelumque sis alium aliterque constituerim, quàm cæteris corporis partibus; Ut rem extra omnem dubitationis collocem aleam, audi (lector: beniv:) multa, quæ doceant propositi veritatem ulterius: unicuique parti corporis, pro sua dispositione, esse specificos morbos, in confesso apud omnes est: ex: gr: arteria, vena, nervus &c. et morbo an laboret? phænomena indigitant specifica, nulli alteri parti tribuenda. Sic in hoc morbo quæcunque apparent, nutritii lymphaticorumque spectitant, cum partis vesiculari elevatione, ut supra & ex ipsa jam liquet curatione, organum.

Moriuntur autem, hoc morbo affectæ partes citius, alio quàm quidem aliæ sphacelo corripiendæ; qui partes hæ in antecessum, stagnante liquido nutritio, partim in organo secretionis partimq; in lymphaticis (sanguinis proinde quoque munere destitutis vasis) jam nunc intus ad mortem, ad sphacelum sunt dispositæ proximè; cum in alias partes, puta carnem, vasa sanguifera, glandolas &c. prævia non sine & in partibus vicinis perseverante inflammatione, sphacelus agat eique viralis mobiliorque resistat latex sanguineus: esse & sphacelum, ratione dispositionis partium, variam, in nervorum cætu patet distinctè: nervus quippe inferius, pone in manu sphacelo exceptus, separatur, viciniis conservatis partibus, atque quandoque in ipsam axillam; hic verò arteriaque venaque &c. conservabuntur sphacelo in totum corrupto musculo eis adhærente quàm proximè.

Ut autem in hoc morbi genere nutritionis lymphaticorumque cum contentis organum & vasa destituuntur munere, sanguifera illaque cum iis perduntur; ita in sequenti genere lymphatica per sanguifera pessundantur.

Sed vide (lect: beniv:) hunc affectum ne cum ulcere virulento, corrosivo, arrodente, neque cum ulcere in genere, quod Græci νομὴν dixere, confundas: omnia enim illa ulcera alia principia, alios progressus, alia phænomena aliamque obtinent curationem, de quibus singulatim dicere nimis dissertationis, nec pagellæ est; ne autem de verbis lis & in verbis versari hæc videatur doctrina concedo facile, lymphatica in hoc morbo, cum organo secretionis succi nutritii, sphacelo verari sui generis i. e. ab omni sphacelo distinguendo & hac dicendi nuncupandique methodo posse retinuntiari, hunc morbum esse lymphaticorum & nutritionis organi sphacelum: esto, modò phænomena descripta curatio sequatur præscripta, juxta rationem, semper, sufficiat. Quare autem hunc lymphaticorum affectum ad hydatidum quoddam retulerim genus, monui supra repetoque verbo; quia in eo mox ab initio vas lymphaticum organumque secretionis succi nutritii turget.

Ubi arteriæ & venæ, latice nutritio in partes detruso lymphaticorum radices, paululum ab earum glandolo de organo (supra descripto) progressu, extra implieant, intricant, obambulant, adeo; ut munere suo debitè fungi nequeant, nascitur tumor hydatico-sarcomaticus, id est, in quo sanguiferis luxuriantibus, lymphatica opprimuntur citissimè eorumque limpidus latex patum, in initio, postea verò nihil augetur: extus itaque sarcomatis ex livido rubentis, intus verò hydatidis, laticem, retinentis primum, præbet faciem.

Hoc tumorum genus, labiis genisque frequens, vulgò cancrum; sed malè, vocant; cancer quippe glandulatum conglomeratarum, non verò lymphaticorum morbus est.

Horum tumorum, memoriæ mandanda plurima suppeditavit exempla, praxis mihi meæ chirurgica; præprimis in viro publicano, Annorum 26. aut 27. cui inferius labium hisce tumoribus usque adeo intumescebat, claudi, ut nullo posset modo, horrendo adspectu nudi prostarent dentes salivaque de ore, cum dolore fluitaret acerbiore continuò. Multis incassum ab aliis adhibitis remediis, mihi tandem, de vita jam quasi desperans, curationem committit, quam scalpelli forficisque ope auspicor; quam autem operationem; nisi post integræ horæ intervallum multasque ægri vociferationes, absolvo. Horum tuberculorum, variæ magnitudinis, quædam racematim cohærentia (semina cancri vocant) una vice, quædam verò singulatim, ad insignem numerum, multa sectione atque incisione aufero: omnium maximus tumor, dimensionem nucis avellanæ non excedebat; multitudine, non autem magnitudine, conspicui extant. Hæmorrhagiam restringuo spongiis, gypso auxiliantique juvenis digito, carpto obvoluto, vulnerata vasa comprimentis. Peracto negotio omnique singuloque deposito tuberculo, vulneribus lacerationibusque prospicio chirurgicè. Sequenti die, apparatu amoto, pendulum video & quasi sine motu & vita labium; videt sentitque illud & æger, heu! quibus me, impatiens iræ dixerim, an furoris, non lacerat scinditque dicteris scommatibusque! ut me criminatur? inicitiæ, crudelitatis &c. contumeliosè. Sed expedio rem: curatur; notissimis ex melle spirituque vini remediis labiumque splenis machinisque ex charta, ligno, linteo, corio, pro re nata, confectis suffultum, corrugatur; ita ut, quod patulum invitus nuper, jam nunc, si velit, occlusum habeat os.

Non

Non poilum fatis mirari, Clariff. Solinginm, v'rom mihi amicitiâ quondam conjunctum, cap. 36. Operat. Chitutg. dictitaviffe, *forficem ; hac in operatione nullius, acum verò multi effe ufus hæmorrhagiamque cauterio extare deprimendam actuali.* Crediderim ipfi, veteres, hac in parte, imò & nomiois hujus mutbi refpectu, fequenti, veram non innotuiffe hujus tumoris difpolitionem, nec extirparionis methodum, ab qua tamen tota & omnis dependet rei exitus; videlicet, labium pollice & digito indice ad ejus extima ora firmiffimè arrepto, invertendum extrorfum & nunquam, nifi re peractâ plenè, dimittendum; quinimò quemcunque avulferit tumorem, eum auferendum per alium, cui & fanguinis repreffio, ut fupra, commendanda. Si æger laffatus tuque digitos remittere cogeris, fac genaa intus interim labiumque detergas, perlnftres explorefque, an tumoris quid, quod omiferis, tranfierir, reperiatur & pergas eodem, quo incepifti, modo. Poft curationem labium illud tenue cum fuperiore (& fic vice verfa, in fuperiore fi fit) quoniam mole differt, interius folummodò conjungitur clauditurque, eminente atque propendente labiorum altero.

Hifce anatomicè perluftratis tumoribus, eorum, ut fupra innui, detexi difpolitionem, fabricam, texturam; effe, nempè, hydatides fui generis, habentes, cum tumore *moro*, commune nihil: quod mox tumotibus diffectis ad oculum patet: liquidi in *moro* intus enim nihil, bifce verò in tumotibus pellicula intus dnriore obvelatis liquidi putioris, vel poft longum temporis intervallum, tenacioris multum; puris tamen, ut hoc obiter moneam, formam induens, nunqnam.

Ne poftremò vobis (Tyronos medico-chirurgi: quibufdam enim impofuerunt) fimilitudine cum prædicto aliifque imponant morbis, qui peffima ex confuetudine, irâ, aut futore, ab dentium compreffione in labia, cxftruuntur tumores, hæc vobis animadvertenda.

Primò; hofce tumores livefcete, dolete, extuberate poft actum mox; fed fecundò; pallefcete, non dolete, flavefcete itidem mox curatique brevi, adbibitia, tertiò (dentibua carpto obvolutis, ne de novo inter fefe collidantur eundemque compiimant locum) *fpiritu vini tepidâ diluto*, parti affectæ ipfique labio exterius *defenf. Vigon.* quod fi avolfi quid vix labio cohæreat, forfice auferendom illicò vulnerique primò; *aq. lithorg.* deinde *mel* infpergendum *rofaceum.*

Quamvis (lector beniv.) hac exercitatione de generali fpecificaque Hydrope tumotibufque fympromatibufque chyli limphæque organa porrò fpectantibus; dicendi nata mibi proba factaque videatur opportunitas, fubfifto (affinitate etenim non ficta, cum hifce & alia conjuncta incedunt tumorum genera, longum quorum dimetiri fyrma, non negligam impofterum) ne ab fcopo, mihi hoc temporis momento propofito, avertar, quàm oportet, longius.

HYDROCELE Vid. *HERNIA.*

HYDROCEPHALUS.

Hydrocephalus Aqoofum Capitis Apoftema, feu aquofitas quæ in Capite reperitur dici confuevit.

,, Congregatur autem interdum, inquit Manardus ,, Epiftol. Med. lib. 7. Epift. 2. in capitibua præter- ,, tim puerurum aqua in medio aut cutis, aut pe- ,, ricranii, aut hujus & offis, quam ὑδροκέφαλον Græci vocant. Pariter Galeous Aquam in capite extra cranium interdum effe admittit, tuncque mollem apparere tumorem; aut quandoque fub cranio exiftere, neque tum foris confpici; vel nonnunq quam utrobique ineffe. Affetunt porro nonnulli, ejufmodi morbum nequaquam fieri, neque inchoari, nifi in recens natis puerulis, idque ex morbi hujua caufis ritè peufîculatis conftare putant; nihilominus tamen obfervatum fuit, pueros feptem, octo, decem, duodecim annorum hoc Affectu laboraffe.

II. Eft autem Hydrocephalus Tumor aquofus; vel tutam exteriorem capitis partem, vel majorem ejus portionem occupans; binc quibufdam haud immetiio Hydrops Capitis appellatur.

3. Caufa itaque hujus Affectus eft Humor Aquofus in toto corpore redundans, hinc in capitis partes, exteriorea plurimum, effufus, qui nonnunquam ferofus, aliquando pituitofus, & fubcruentus, femper verò lentur ac fubvifcidus exiftit.

4. Cæterum quatuor hujua Affectus enumerari folent differentiæ, defumptæ ex fede diverfa. Aliquando namque aquofus humor intèr cutem confiftit & pericranium, tuncque mollis eft tumor, doloria expers, eique impreffa digitorum iuhærent veftigia. Nonnunquam pericranium inter & cranium humor colligitur, eftque Tumor magno cum dolore, neque tam facilè tactui cedit. Aut inter cranium & craffam menyngem; Vel fub menyngibus in ipfins cerebri ventriculis humor continetur, atque tum foris nulla tumoria mollities eft, fed futurarum cranii dehifcentia fentitur, quemadmodum vifum fuit in bienni puella, cujùs meminit Aodræas Vefalius, intra cujus cerebri ventriculos novem prope aquæ libræ deprehenfæ fuerunt, utj refert *Humani corpor. Fabric. lib. 1. cap. 5.*

5. Equidem Aquofus Humor fi extra cranium hæreat, Hydrocephalus aliquando curatur, nifi ob tenellam patientis ætatem remedia adbiberi nequeant. Sed fub cranio, vel ipfo in cerebro fi humor collectus fit, lethalis eft affectus: hinc rectè ait J. C. ,, Arantius lib. de Tumor. pt. nat. cap. 1. eorum qui ,, ab interna caufa Hydrocepbalo corripiuntur, & præcipue altius latitante malo, neminem evafiffe vidi. Si apoplexia aut Lethargus accedat, mors præ foribus eft.

6. Ut autem tollatur hic Affectus, Antecedentes Caufæ primo funt removendæ. Quem in finem circa Victum, Refque cæteras Nonnaturales, & circa Remedia Univerfalia, fi ægrotans adultus fit, eadem conveniunt, quæ pro Oedemate curando propofuimus. Sin vero infans fit, Nutrix parce tenuiterque vivat, & ficcantibus utatur, humectantia fugiat, ac parum bibat; dein curandum ut tum Infanti tum Nutrici alvus femper libera fit.

7. Sed ad Continentem Caufam ex parte læfa tollendam, duplex occurrit Curationis Methodus. Altera eft, quæ Topicis convenientibus abfque manuali operatione omnem bumiditatem abfumit. Altera vel unica incifione, vel pluribua fcarificationibus aquofam materiem educit. Prima Curationis Methodus fane tutior eft, In Puerulia præfertim natu minoribus; atque poros cutaneoa Aperientibua, Materiamque Conjunctam Attenuantibus & refolventibus perficitur, fub quacunque forma Capiti applicentur. ex. gr.

℞. Rad. Calami arumat ℥iij. Fol. betonicæ, majoranæ, Salviæ, rosmarini, Summ. Anethi an. Mj. flor. Stæchados Arab. Mß. bacc. Juniperi ℥ß. Sem. Cumini ℥iij. Cerevisiæ tenuis vel vini albi Gallici ℔iiij. S. A. in Diplomate pro fotu. Hoc fomentum cum pannis laneis Capiti calide admoveatur, ac identidem renovetur, exacte interim cavendo. ne unquam refrigeretur. Et quia sæpe id prohiberi nequit, hinc fomenti loco Capiti imponatur cucupha ex foliis majoranæ, Betonicæ, Salviæ, calamenthæ, floribus stæchados, Lavendulæ, rosis Rubris Nuce moschata; &c. quæ sæpius permutetur.

8. Malunt alii totum caput linimento inungere.

℞ Olei cucumeris asinini ℥j. Rutæ, anethini an. ℥ ß. Absynthii stillat. gutt. xv. M. F. Linimentum, eique inunctione facta mappam probe calefactam, vel modo laudatam Cucupham imponere.

In adultioribus haud inutiliter Spiritu vini calido caput fricari solet, quod tamen non temere in Infantibus tentandum.

J. B. Cortesius laudat Unguentum à Foresto descriptum & probatum, quo spatio trium dierum, in puero quindecim dies nato Hydrocephalum se curasse refert.

℞ Pulv. Absynthii. flor. Camomillæ aut meliloti an. ℥ij. butyri recent. Olei camomillæ aut Anethini an. ℥iiij. Ceræ parum q. s. M. F. S. A. Unguentum. Alii Cataplasma ex Cephalicis in vino coctis compositum, & capiti applicatum multum laudant.

Cataplasma ex Cochleis cum Decocto Cephalico minutim contusis extollit Avicenna, eoque Ægram se sanasse refert Carolus Piso.

IX. Sed remediis hisce si morbus non cedat, ad alteram curationis partem, Chirurgiam puta, deveniendum est, quæ proponitur ab Aetio & Paulo Æginera, dicendo: " quod obi aquosa materia " inter cutem & pericranium, vel inter pericranium & cranium continetur, & quando tumor par" vus est, apex ipsius unica Incisione per diame" tron à parte postica ad anteriorem ducta inciden" dus. Si vero materia inter pericranium & crani" um continetur & tumor major sit, duas per " medium se mutuo secantes, crucis instar incisiones " moliemur, vel triangularis formæ. Sin grandior " adhuc sit tumor; ternas literæ H figuram æmu" lantes, aut etiam plures juxta tumoris magitu" dinis proportionem.

10 Equidem Curatio hæc, quæ per Incisionem fit, quamvis à gravissimis descripta sit Auctoribus, cum vix tuta sit, mihi non probatur; atque de periculosa illa Hydrocephali apertione testatur Fabricius Hildanus Cent. 3. obs. 17. imprudenter illos agere, qui in Hydrocephalis multa promittunt, sectionemque tentant, Si tamen ... imposita exsiccantia & resolventia medicame... osus humor absumi nequeat, atque ade... irurgia requiratur, præstat in pluribus capitis locis maxime tumidia (cavendo à musculis temporalibus) cum Phlebotomo parvas facere incisuras, quales in Venæsectione, aut parris post appositas cucurbitulas scarificatione fieri solent; Deinde mappæ siccæ ac probe calefactæ imponantur, quæ identidem, quoties à suscepto humore seroso madefactæ sunt, permutentur, usque dum omnis aquositas ablata, & Hydrocephalus sanatus sit.

11 Alii Causticis capitis cutem aperire, vel Actuali Cauterio inurere, quinque, sex, pluribusve in locis suadent: sed videtur talis Chirurgia merito suspecta, & ob Cerebri vicinitatem admodum periculosa. Atqui potius usu venirent Vesicatoria, Fonticuli, Setacea.

12 Si sub cranio, viz. crassam menyngem inter & cranium, vel sub menyngibus ipso in cerebro hæreat aquosus humor, nulla tentanda Chirurgica Operatio, sed per sola Topica procedendum, & reliquum opus naturæ committendum: recte namque inquit Ambrosius Paræus Chir. lib. 7. cap. 1. ex tumore & humore intus sub cranio contento neminem convaluisse vidi. At de variis, nec non monstrosis Hydrocephalis videantur Scenkius obs. medic. libr. 1. p. m. 10. 11. 12. Fabricius Hildanus Cent. 1. obs. 10. Cent. 3. obs. 17. 18. 19. Cent. 4. obs. 10. *Ioh. Munnicks in Chirurgia ad Praxim hodiernam adornata.*

De Hydrocephalo, sic scribit Clariss. Antonius Nuck in Experiment. Chirurgic.

Datur Hydropis species ὑδροκέφαλον Græcis dicta; ab obstructis aut disruptis Vasis Lymphaticis capitis originem trahens. Hinc Tumores & aquæ collectiones in eo fiunt vel externè vel internè. Externè inter cutim & cranium, Internè inter Cranium & Duram matrem, nonnunquam inter Duram & Piam matrem, subinde inter Piam matrem & cerebri Corticem, vel denique in ipsis cerebri Ventriculis aquæ colliguntur, quibus caput in monstrosam magnitudinem extenditur.

Infantes frequentius hoc malo corripiuntur quàm adulti, quoniam eorum vascula, justò adhuc molliora, levi negotio extendi, nimis verò extensa facilè dirrumpi possunt. Sanguine insuper succisque ab eo dependentibus crassioribus & ad obstructionem magis aptis sunt prædiri.

Chirurgus prudenter hîc procedat summopere necessarium putamus; Chirurgiâ enim, incisione & perforatione institutâ, nunquam Hydrocephalum restitutum audivimus, sed omnes, in quibus Operatio fuit administrata, extinctos inde fuisse, Practici fide dignissimi unanimiter testantur.

Si malum internè à lympha crassa & viscida, Vasa Lymphatica obstruente, originem traxerit, medicamenta Volatilia atque Sudorifera, Diureticis maritata, internè assumpta, utramque absolvunt paginam.

Externè Cataplasmata, vel Fotus capiti calidè admovenda v. g. Ex *Fol. Artemis. Major. Rorismar. Absint. Ceph. & Croco* cum s. q. *Vin. alb. Gall.* quòd bis terve de die renovetur. Vel

℞. Pulv. Rad. Cucum. Asinin.
Irid. aa. ℥ß.
Sem. Cumin. ℥j.
Farin. Fabar. ℥ij.
Flor. Meliss.
Anthos. q. pl.

Cum vino F. Cataplasma eodem modo applicandum.

Huc Cataplasmate Practicus quidam singulari cum successu fuit usus.

Nonnulli fasciæ adminiculo, quam *Capitalem* Latini, *La Capelline* Galli vocant, quaque totum caput obvolvunt, Hydrocephalum restituere conantur, sed irrito planè conatu.

Si verò malum fuerit externum, & in principio, vel si leviore humoris extravasati pressione, Suturæ à se invicem recedant, imposito prius *Emplastro de Cumino*, dictâ fasciâ patientem aliquando restitutum novi.

Quæritur, an Fonticuli, Setacea, & Vesicatoria alicujus utilitatis huc in affectu esse possint?

Resp.

Resp. Si lympha acrior fuerit, Vasis Limphaticis adhuc integris, præter interna medicamenta, eadem profuisse practicis observatum. *Hæc Clariss. Nuckius. Sequuntur jam Curationes aliæ &c.*

Curationes.

In Hydrocephalo limacea cum suis testis pistentur & reducantur in formam emplastri, quod capiti applicatum & relictum, donec sponte cadat, mirabiliter resolvit. *Johann. Hartmann. in Prax. Chymiatric.*

Curatio hydrocephali in infantibus adhuc lactantibus admodum difficilis est, quòd infantes sint tenerrimi, & medicamenta purgantia non tolerent, quocirca caute admodum & summa cum prudentia cum his procedendum est. Solis topicis fovendum est caput, ut roboretur calor eorum nativus & sic per insensibilem transpirationem materia hydrocephali evacuetur. Topicum autem medicamentum, quo solo tenellorum infantium caput refocillari, & materia hydrocephali evacuari potest, sic componi debet.

℞ Ess. rorismar. & salv. an. ʒj. pulv. cinnam. & nuc. moschat. ana ʒß. caryophyl. ℈j. ceræ ℥ ij. picis navalis ℥ iij. fundatur & liquatur cera cum pice, quibus liquefactis adde pulveres, & ultimo infunde essentias, dum materia saltim tepet, ne essentiæ evanescant, & lege artis fac cerotum, quod deraso capillitio semel in die capiti infantulum applicetur, donec caput omnino detumeat. Quod si vero infantes sint robusti, ut purgantia medicamenta sustinere possint, mercurio dulci spagyricè præparato purgentur sequenti modo.

℞ Mercurii dulcis ℈ j. diagrid. è succo liquiritiæ dissoluti & rursus exsiccati gr. v. conserv. viol. ʒ j. m. f. bolus, detur mane cum regimine & custodia artis. Per capitiapurgium nostrum ac sternutamenta etiam expurgari queunt, ut materia hydrocephali per nares educatur, sicuti pariter per sudores & urinas hæc affectio exterminari potest. Sudores sudorifico nostro cum jove & mercurio parato promoventur.

℞ Milii solis ℥j. saxifrag. & rest. bovis an. m. j. terebinth. Venet. ℥iij mell. opt. ℥iv. spiritus acet. rectificat. ℔ j. f. omnium destillatio per alembicum vitreum in cineribus ad materiarum siccitatem, ita tamen ut caveas, ne materiæ comburantur: Hujus liquoris destillati ʒß. misceatur cum jusculo pulli, & detur manè semel in die, essent. etiam salv. gutt. 3. aut. 4. in jusculo pulli propinatæ ad hydrocephali curationē valdè cōferunt. *Joann. Petr. Faber in Patholog. Animal.*

Autor hic docet, quid solicito medico in cura hydrocephali cum primis agendum, ut scopum suum consequi feliciter valeat; Nimirum talia esse adhibenda dictitat, quæ calorem nativum specifica virtute (medicamenta cephalica, eaque calida dubio procul hic subaudit) exhilarare ac recreare ita queunt, ut refocillatus denuo functiones suas exserere, ac potissimum collectam aquosorum recrementorum copiam expellere auspicetur: Hoc enim nisi fiat, prognosticum mali ominis instituit Autor, & infantulis hinc moriendi necessitatem imminere non immeritò prædicit: Exinde enim non tantum calor nativus penitus demum extingui aut suffocari potest, verum etiam tenelli cerebri violenta ob pondus retenti copiosissimi seri compressio, vel lethalis ejusdem obstructio ac per consequens aut apoplexia aut lethargus pertimescendus erit. Duo sunt in Arte Medica juxta Epiphan. Ferdinandum ardua, quæ difficultatibus scatent non contemnendis, ac titubantem proinde Medicum, gravidis nempe & infantibus mederi. Infantes enim quod attinet, ipsi sanè secundum ipsius Galeni confessionem quàm maximè intractabiles existunt, præsertim quod medicamenta convenientia, prout par est, insinuari ipsis nequeant; & quod tanto insuper robore non polleant, ut remedia illa & ex illis quidem purgantia, quæ tunc eaque fortiora medendi methodus requirit, tutò porrigi possint. Ergo ut in dubiam aliam hic utique, itur, & valde anceps propterea infantilium morborum curatio deprehenditur, quapropter cuncta prudenter & caute hic peragenda erunt; ne conscientiæ suæ Medicus injuriam faciat, hoc est neque temerarium nimis, neque formidolosiorem etiam se in hoc casu exhibeat: Hac ratione enim penitus vitanda non adhibebit & usurpanda non expavescet aut abhorrebit. Tutò autem hic tuta progredi circa tenellorum lactentiumque hoc malo afflictorum curam se existimat Autor, si ad sola topica tunc refugiat: Unde etiam hujusmodi formulam remedii seu cerori adposuit, quod tamen ut ut juxta componendi leges se recte omnino habeat, nostro quidem animo nisi universalia hoc est clysteres ad minimum ac sudorifica debitè præmittantur, non tantum nequaquam secure, sed cum exitio potius applicabitur, quoniam eo ipso pori potius (qui nil aliud sunt, quàm quædam insensibilis transpirationis ac sensibilis pariter seu sudorum portæ) ob admotam undique cum pice ceram, conglutinabuntur aut obstruentur, adeoque materiæ peccantis vitium quo minùs excerni queat; citius retardabitur, verum etiam quum topicum istud vim calefaciendi ac fundendi habeat, sic confortato calore nativo aut spiritu, ac proinde exstimulata insimul expultrice colluvies serosa deorsum citius pelli, atque ad vitalia seu præcordia præcipitari poterit, ut vehementissima tussis, gravior anhelandi difficultas aut catarrhus suffocativus facilè hinc succrescere valeret. Nos itaque hujusmodi characteria topica, nisi balsamica & secretè habenda virtute (sic namque efficaciam præstabunt aquosam seu serosam hanc colluviem quasi magnete extrahendi) singulariter dotata sint, nisique in forma liquida præscribantur, nullo modo commendare possumus: Aut si nihilominus culpiam hic curandi modus vel hoc ipsum Autoris topicum arriserit, suademus ut in antecessum clysteres supra à nobis designati & postmodum sudorifica nobiliora pariter superius laudata præmittantur: Hac enim ratione tutius quodammodo Authoris methodum sequi licebit. Quid faciendum cum robustioris constitutionis infantibus hydrocephali sarcina onustis nunc subjicitur; & propterea purgans iis porrigendum, utpote cujus vim sustinere sic valebunt, absque hæsitatione ulla consuadetur. Verum nec forma cathartici illius nec dosis approbanda nobis videtur, siquidem tam in forma boli medicamenta infantibus vix ac ne vix quidem insinuari posse ex praxi constet, quam ipsam dosin mercurii dulcis videlicet ad ℈j. pro hac ætatula esse evidenter nimiam, vel quilibet statim conspiciat. Verum instabit fortassis quispiam primò, remedia ex mercurio præparata tutius exhiberi non posse, quàm in formula pilularum aut boli vel etiam electuarii, quod mercurialia exactius sic subigi ac commisceri queant, ut in deglutiendo faucibus vel œsophago non adhærere, adeoque salivationes aut hujusmodi incommoda alia exinde alioquin provenientia oppido sic præcaveri possint. Deinde in hujus mali

mali cura mercurium dulc. nequaquam negligendum esse, quod in serositates & humores noxios præ reliquis omnibus purgantibus masculè sed sine perturbatione ulla ac blandè educat, & proinde infantibus etiam secutè præbeatur. Respondemus his omnibus nos etiam nullatenus contradicere; sed tantommodo in dosi hujus mercurii primò desiderare, quod tunc gr. v. vel vi. ejusdem & diagrid. gran. 3. vel 4. (acuuntur enim mercurialia purgantia non absque ingenio cum fortioribus purgantibus, ut eo citius nacto hoc stimulo operationes suas perficiant, nec diutius in corpore permaneant) sufficere possint. Dein; de quod formam pharmaci concernit; rectius electuarium liquidiusculum hinc conficietur, addendo scilicet conserv. viol. ℈j. & parum insuper de syrupo viol. admiscendo, quo modo sicut nec minus vel cum syrupo solo purgans illod facilius insinuari posse infanti hydrocephalico non desperamus. De caputpurgiis seu sternutatoriis, quorum quidem usus præmissis itidem universalibus in hoc affectu plurimi valoris est, dum materia peccans per nates velut per propiorem viam & confestim sic educi potest, adootamus, quod infantes valde inepti existant ad applicandum sibi remedii genus, dum fortiter id naribus attrahere, prout requiritur, non calent, nisi pulvis cannulæ beneficio naribus insufflatur, aut si liquidum sit ptarmicum per siphunculum immitatur. Ideoque tunc balsamus majoranæ commodius substituetur, qui narium interioribus inunctus suaviori modo ac pedetentim sternutationem concitabit. Deinde circa sudorificum maximum seu joviale nullum est dubium, qoin id cum fausto successu tunc adhiberi poterit, præsertim si ad gran. 3. cum aqua sudorifica ac cephalica propinetur, sicuti etiam diuretica sed pariter præstantiora multum auxilii præstare id poterunt, quorum mentio & catalogus alibi plenius oblata occasione examinabitur. Illud verò diureticum, quod in præsenti ab Autore adscriptum concernimus, tenellorum constitutioni itidem valdè ingratum ac horridum erit, cum primis in tanta dosi ad ℥ ß. nempe cum jusculo potrigendom: Cui accedit, si ingredientia nullo præoccupati affectu æstimare non vereamur, quòd singolaris aut nobilis tantoque Chymiatro digni remedii titulus huic dioretico nulla ratione attribui queat. Præstantiora ergo quum habeamus hodierno seculo hujusmodi efficacia medicamina, & quum ipse Autor & alii in hoc tractatu suo excellentiora diuretica nobis communicaverit, quorum dosis ad quasdam guttas dumtaxat aut grana se extendit; non injuriâ levioris conditionis medicamenta proscribimus, aut sicco pede præterimus. Specifica cephalica, quorum numerum adornare etiam possunt essentiæ rorismar. & salv. spagyric. aut peculiari menstruo paratæ non pœnitendam operationem exierent; modo præmissis universalibus curæ hujus primordium fuerit institutum. Quod autem tam frigide hujus affectus curatione tractaverit Autor; forsan deficienti occasioni, & dum malum hoc (prout rarum id est, ac proinde Medicorum paucis hujusmodi observatio contigit,) ipsi curandum non occurrit, non male adscribemus: Unde & nobis consultius videtur hic nostro quoque loco abstinere manum, quod sub scuto experientiæ de hydrocephalo testatum dare parum aut nihil valeamus: Interim tamen hoc saltim adjicimus: Medicos illos non aberraturos, qui ad nobilius emeticum aliqood in pauca dosi datum in principio mali, ubi vires adhuc constant, præmisso tamen convenienti enemate, confugiunt, utpote cujus beneficio ex capite (factam exiodè concussionem compatiente) serosa hæc materia commodiuscule & moveri & promoveri, hoc est evacuari poterit: Deinde cum spiritum nostrum cephalicum in percurando hydrope tanquam singulare & probatissimum specificum fuerimus experti, quantò magis is & quidem duplici ut patet vel multiplici potius (viscera enim mitè confortat, calidum innatum recreat, sudorem & urinam suaviter provocat, imò cruditates digerit, ac superfluitates omnes potenter consumit,) nomine ad hydrocephalum ex sententia tollendum conducet, videlicet in aq. quadam cephalica v. g. salv. vel ceras. nigr. vel flor. tiliæ &c. ad gut. vi. vel vii. sedulò exhibitus. Ad extra tandem aquam nostram salutarem nunquam non feliciter in sublevandis omnis generis tumoribus calide adhibitam usurpavimus. *Christianus Langius in Animadversionibus ad Joh. Petri Farri Pathologiam.*

Medicamentis absumentibus aquosum humorem, simulque etiam affectam partem roborantibus utendum, qualia sunt sequentia.

℞. Rof. rub. turfur. melilot. an. ℳ. j. flor. anth. chamœmel. salv. beton. stœch. an. p. j. bulliant in s. q. aq addita vini austeri quarta parte, quo decocto modice calente, infantis caput singulis saltem octo horis irrigetur quinque vel septem diebus continuis; dein.

℞. Ol. chamæm. aneth. an. ℥j. pulv. absinth. rof. rub. an ʒvi. sulphur. exacte pulverat. ℥ij. ceræ, q. s. f. linimentum, quo ter in die caput infantis liniatur, & lanâ succidâ obtegatur: interposito interdum præscribendi nunc cataplasmatis usu.

℞. Mell. ℔... origan. m. j. sal ℥ß cum modico vini austeri & croci gr. iv. vel v. F. cataplasma capiti infantis de more adhibendum. De Chirurgia nihil proponendum duco, quod tumorem hunc præsidiis præscriptis ex arte administratis omnino cessurum putem; verum si punctione seu incisione pro educenda aqua opus erit, aqua sensim ac paulatim, non autem tota simul evocetur, ne infantis vires dejiciantur. *Jo. Zecchius consult. 64.*

Hier. Fabric. ab Aquapendente, in hydrocephalo infantium maximo, ut remedium efficacissimum, laudat aquam calcis vivæ, si ea calida spongia imbuatur, & capiti imponatur, ac hoc solo remedio se hydrocephalum curasse scribit. Idem commendat spiritum vini primæ destillationis, cum parte quarta aq. scabios. cum spongia impositum. Monet autem hic spongiam novam esse recipiendam, & arctè fasciâ capiti alligandam, ac ne refrigeretur, calido linteo superposito moderate calefaciendam esse. Exsiccant & thermæ sulphureæ, ubi earum est copia, si spongia in iis madefiat, & capiti imponatur; in defectu vero coquantur in aqua sal. sulphur. & alumen, & eodem modo applicentur. Avicennas usurpat cochleas, quas coquit in decocto artemis. stœch. calamenth. vel ebul. easque ita coctas contundit, & calide capiti raso applicat. Sed ante usum discutientium & exsiccantium medicamentorum evacuanda est aqua è toto corpore (si per ætatem fieri possit) hydragogis, sudores & urinam moventibus. Adultioribus pil. coch. exhiberi possunt, vel succus iridis, vel gr. ij. elaterii cum pil. convenientibus: per sudorem serosum humorem evacuant decoctum lign. guajac. sarsaparill. sassafras, vel balneum laconicum, & sudatorium: per urinam evacuant decoct. betonic. rad. fœnicul. asparag. sem. anis. & alia. *Daniel Sennertus pract. lib. 1. part. 2. cap. 28.*

Consultatio

Consultatio.

Puello onius & dimidii anni, per sex menses ablactato, cùm à parentibus pauperioribus fere negligeretur, nec ei alimenta convenientia, sed lac pressum, crudum, fructus horarii crudi, aliaque similia darentur, & caput etiam hyberno tempore non satis tectum servaretur, caput in parte capillata & fronte usque ad oculos cœpit intumescere, qui tumor spatio unius mensis in tantum adauctus est, ut fere ad vitilis capitis magnitudinem excreverit: facies tamen non intumuit. Et autem tumor ille mollis & albicans, eique alte impressa digitorum vestigia inhærent. Puer interea mediocriter edit & bibit, non febricitat, sed somniculosus est, & totius corporis membra languide movet. Nates præter consuetudinem sicciores sunt & saliva paucior ab ore profluit. Urina & liquidæ alvi dejectiones satis copiosè procedunt.

Hujus pueri affectus Medicis hydrocephalus appellatur, qui est tumor capitis, quo caput à serosi humoris collectione intumescit. Hic serosus & pituitosus humor collectus est extra cranium, & latet sub cute, quod tactu percipitur, quia nulla ossis durities sentitur, sed tantùm mollis tumor. Serosum, pituitosum & copiosum, esse humorem qui colligitur, patet ex colore cutis albicante, & quod alte impressa digitorum vestigia capiti inhæreant sine dolore. Causa antecedens hujus mali sunt humores frigidi & humidi in toto corpore, & imprimis in cerebro collecti, qui extra cranium elati, & sub cute condensati, causam continentem constituunt. Humores hi generati sunt, tum ob pravum victum pituitam crudosque humores producentem, tum ob frigidam & humidam totius corporis constitutionem, quippe horum ratione viscerum coctiones debiliores evasere, unde multi pituitosi & serosi humores generati sunt, qui partim per urinas & alvi liquidas dejectiones evacuati, partim ad caput delati fuerunt, cumque per nares & palatum more solito non effluxerint, à cerebri calore in crassos vapores attenuati, cranii poros & suturas transierunt, atque sub cute rursus condensati, ibidem constiterunt & collecti sunt. Per nares & palatum evacuati non sunt, quia sua crassitie ductus eò tendentes obstruxerunt. Sub cute autem collecti sunt, quia ab externo frigore ejus pori angustiores & humores ipsi densiores evaserunt, ita ut ob crassitiem per contractos poros permeare non potuerint. Cumque quotidie novi humores ad priores accesserint, & nulli vel admodum pauci per poros dissipati fuerint, hinc factum quod caput spatio unius mensis in tantam magnitudinem intumuerit. Æger alimenta adhuc assumit, quia ventriculi appetitus à cruditatum saburra non multum impeditur, cùm illa per copiosas urinas & liquidas alvi dejectiones satis evacuetur. Non febricitat, quia humores non putrescunt, nec caloris est nimius excessus aut malignitas. Somniculosus est ob frigidam & humidam cerebri intemperiem, cujus ratione non tantum nervi sensorii flaccidi, & ad spirituum animalium transitum, atque objectorum sensibilium receptionem minus apti sunt, verum etiam pauciores spiritus animales generantur, cùm à frigida humiditate angustiores seu strictiores factæ sint arteriolæ in plexu choroide, atque hinc pauciores spiritus vitales transmittantur, qui quandoquidem materia sunt è qua animales conficiuntur, sequitur si illa materia pauca sit, necessario quod inde generatur paucum esse debere. Hæc spirituum animalium paucitas etiam in causa est, quod æger totius corporis membra languide moveat; cùm enim dicti spiritus pauci ad partes & musculos influant, necessario motus animalis languidus est. Alvus liquida est ob copiam serosorum & pituitosorum humorum, qui in corpore generantur, & magna parte ad intestina defluunt, quorum tenuior pars sanguini permista, & in renibus ab eo separata, urinas quoque facit copiosas.

Hic affectus admodum periculosus est; licet enim collectio fieri sit extra cranium, atque hinc magnam sanationis spem promittere videatur, tamen periculo non vacat, cùm capitis intemperies, totiusque corporis cachexia magna sit, serosus humor copiosus, & ætas tenella, quæ fortia remedia non fert. Quis tamen in re dubia adhuc spes apparet, curatio quamprimum est instituenda antequam affectio pejor fiat.

In curatione serosus & pituitosus qui in toto corpore redundat humor, in primis ille qui in capite colligitur, quocunque modo clementer evacuandus, & viscerum corroboratione ac intemperiei sublatione ejus copiosior generatio, & in capite collectio impedienda.

Primò cum cochleari exhibeatur syrupi de cichor. laxativ. ℥ ß. cum pulver. jalappæ gr. v. vel vi. vel passularum solutivarum ʒ v. vel vi. comedendæ dentur. Postea subinde exhibeatur pauxillum theriacæ veteris, & si fieri possit, sudor provocetur. Offeratur etiam ter quaterve de die pauxillum conserv. anthos; melissæ, aut florum salviæ. His præmissis sequenti fomento tepido caput sæpe foveatur.

℞. Herb. betonic. rosmarin. origan. thymi, flor. chamomill. melilot. stœchad. an. m. j. fol. laur. m. ß. sem anis. fœnicul. cumin. an. ʒ ij. vini alb. q. s. coquantur ad ℔ ij. pro fomento, cum magna spongia aut panno laneo admovendo, diligenter cavendo ne refrigeretur. Postquam usu hujus fomenti tumor capitis maxima ex parte dissipatus est, ad ulteriorem intemperiei sublationem, inungatur caput mane & vesperi hoc unguento calido.

℞. Olei chamæmel. unguent. alabastrin. an. ℥ j. olei nucis moschatæ express. ℈. iv. pulv. castor. styrac. calam. benzoin. an. ℈ j. misce; f. unguentum. Post inunctionem imponatur capiti tale capitium.

℞. Fol. rosmarin. majoran. flor. chamomill. melilot. an. m. ß. benzoini, garyophyllorum, nucis moschatæ, an. ℈ iß. f. pulvis grossus, è quo in serico rubro conficiatur secundum artem capitium interfutum. Postea relicto etiam linimento, hoc solum capitium diu in capite gestare debebit. Interea etiam ad viscerum corroborationem bis terve de die exhibeatur cochleare hujusmodi mixturæ.

℞. Aq. flor. tiliæ, liliorum convallium, ana ℥ ij. aq. cinnam. ʒ vi. syrup. de stœchad. ℥ j. misceantur. Vel hujus loco detur subinde pauxillum melicrati. Regioni ventriculi, hepatis & lienis hoc linimentum inungatur.

℞. Olei laurini, chamæmelin. unguent. martial. an. ℥ ß olei nucis moschatæ expressi ʒ iß. misce fiat linimentum. Si hæc non profuerint, in capitis tribus quatuorve locis maximè tumidis lanceolâ perforatio exigua per cutem facienda est, non major quàm in venæ sectione fieri solet, ut per illa foraminula serum paulatim exstillare possit, quod mappis calidis impositis excipiendum est, usque dum fluere desinat, postea antedictum capitium capiti imponendum est.

In victu sit aër calidus & siccus. Cibi offerantur paulò sicciores quam ordinarie hujusmodi puellis exhiberi solent: ut panis biscoctus masticatus: offæ ex pane albo cum decocto passulatum, aut jusculo gallinæ bumectatæ, ac cinnamom. & sacchari pauxillo conspersæ: Pulticulæ etiam conficiantur ex farina tritici cum decocto passulatum, iisque aliquantulum vini addatur. Bibat æger subinde lac amygdalarum cum paoxillo aquæ cinnamomi. Abstinendum ab usu lactis pressi acidi, ieri lactis, cerevisiæ tenuissimæ, fructuum horariorum, & pomorum, licet coctorum. Somnus sit mediocris, non nimis longus. Excreta naturalia si non procedant, arte provocentor. *Isbrand. de Diemerbroeck de morbis Capit. Medicat.* 25.

Observationes.

Quamvis in ventre ut plurimum sese manifestat hydrops, eum tamen in omnibus fere corporis partibus nasci posse experimur. Præter abdominis enim hydropem, sive ascitem, pectoris etiam datur hydrops, capitisque ac testiculorum, tam virilium quàm muliebrium, nec internis tantum, sed & in externis corporis partibus, cujus veritatem demonstrabo obs. 28. hic loci saltem acturus de hydrocephalo, quem mihi videre licuit 4. Decembr. ann. 1685. in filiolo Chirurgi cujusdam Hagiensis bimulo, cujus caput latitudinem adulti capitis multum excedebat, hoc enim totum ambiens, à syncipite videlicet ad occiput, linteum tres spithamas, sive ulnam longitudine æquabat. Infans ille sano quamvis, & bene disposito corpore in lucem fuit morbo, à quo usque tempore caput primo increscere, visusque sensim imminui cœpit, tandem omnino sublatus.

Quemadmodum diversus admodum est abdominis hydrops, ita etiam hydrocephalus, qui tam partium capitis aqua distentarum, quam causarum intuitu multiplex est. Collectio enim aquarum contingit, vel in toto capite vel in aliqua parte; siquidem nonnunquam in externis tantum advertatur partibus, inter cutem videlicet, & pericranium, vel inter pericranium, ac cranium, quandoque & internis tantum partibus inter cranium, & meninges, inter duplicaturam duræ meningis, falcisve, vel ipsas inter cerebri membranas, aut inter piam matrem, & cerebrum, imo aliquando in dimidia tantum capitis parte, interdumque simul tam in internis, quam externis. Attestante Vesalio lib. 1. de humani corp. Fabrica cap. 5. Ut & Fabrit. Hildano cent. 1. observ. 10. in ipsa interdum cerebri cavitate reperitur aquæ quantitas, hydrocephali sæpius causa. Dionys. vander Sterre tract. de partu fol. 168. se duos hydropes in embryonum partibus capitum externioribus vidisse narrat, è quibus, aperta tantum cute, aqua profluxerit. Similis rei mentionem facit Carolus Piso de morb. à serosa colluvie sect. 2. part. 1 c. 1. fol. 49. Puellæ, inquit, cuidam frons, palpebræque supra admirationem tumebant adeo depressæ, & conniventes, ut eas tollere, oculosque aperire nequaquam posset: sed & calanticam, sive redimiculum capitis abjicere à me jussa, universum pariter caput immaniter conspicatus, in eodem sæpiuscule manu contrectato mollitiem deprehendo insignem, & humorem sub cute fluctuantem, qui tactum subterfugiens quidem, sed mox refluens, recurrensque evidenter se proderet. Hoc malum, cum ad menstruam purgationem, hactenus omnino suppressam, tum ob assiduam sub sole moram, cui ejus loci incolæ maximam vitæ in hortorum, viriumque cultu transigentes vivunt obnoxii, ortum fuisse autumo. Non multum differt quod habet Epiphan. Ferdinand. hist. 21. fol. 66. & Joh. Baptist. à Lamzweerde append. obs. ad armament. Chirurg. obs. 33. fol. 153. Henricus Regius Prax. med. cap. 13. fol. 57. Pueri meminit trimuli, cujus caput contactum molle erat, & digitis pressum subsidebat in fossulas, radiisque solis, vel candelæ expositum pellucebat; quamvis ille judicaverit malum intus in cerebro latuisse, quia puer sensibus erat stupidioribus, & somnolentus, reliquo corpore, licet sufficienti cibo, potuque frueretur, macilentus, pallidusque. Credidit Riolanus humorem in externis hydrocephalis transire ad cerebri ventriculos, verum Joh. Jacob Wepferus exercitat. de Apoplexia fol. 20. statuit ipsum non primo externe congregari, posteaque versus interiora prorumpere, sed vice versa originem habere in cerebri ventriculis, interdumque versus exteriora adeo expelli, ut ibidem animadverti queat. Andr. Vesalius lib. 1. cap. 5. de non exiguo agens hydrocephalo humorem nonnisi in cerebri ventriculis reperiri ait. Humorem illum omnium primo in iis provenire ventriculis G. Fabrit. Hildan. etiam cent. 3. obs. 17. scribit: alias enim (inquit) nonnullæ post mortem viæ reperirentur, per quas ille è partibus externis deductus fuisset ad cerebri ventriculos, quas tamen, etiamsi diligenter indagaret, reperire non potuit. Zacutus Lusitanus prax. admir. lib. 1. obs. 5. humorem invenit inter duplicaturam duræ meningis. Theoph. Bonet. Anatom. pract. lib. 1. sect. 2. obs. 45. fol. 112. ejusmodi liquorem lymphaticum à Chirurgo Bayily non tantum inter duram meningem, & cranium, sed & in falce, & duræ meningis duplicatura, ad quinque circiter libras Medicas repertum fuisse refert. Expertiss. Steph. Blancardus collect. phil. med. cent. 1. obs. 73. fol. 65. se in septem mensium abortu inter duram, & piam matrem magnam aquæ sanguineæ latentem quantitatem animadvertisse memorat, cujus forsan causa, ut ait, fuerit præcedens matris lapsus: cerebrum autem ejus molle & aquosum erat. Johannes Jacobus Wepferus exercitat. de Apoplexia histor. 13. fol. 376. & histor. 14. fol. 398. se non cavitates tantum cerebri, sed & locum illum inter duas meninges plerunque vacuum iero repleta invenisse narrat.

G. Fallopius obs. à Francisc. Michino edit. indicat se intra pueri cujusdam sexennis piam matrem, & cerebrum, ut & inter hujus gyros aquam conspexisse. Andr. Vesalius lib. 1. de hum. corp. fabrica bimulæ puellæ meminit in cujus cerebri ventriculis septem mensium spatio novem aquæ libræ collectæ fuerint. Quamvis autem cerebrum ejus juxta verticem ita pressum, & in se contractum reperiretur, ut membranam aliquam crassiorem referret, & genuinæ cerebri membranæ sibi adeo essent contiguæ, ut unum, idemque corpus viderentur, cerebellum nihilo secius, ejusque basis, & nervorum processus naturaliter se habebant, quare puellæ ad finem usque vitæ mens sana fuit. G. Fabrit. Hildan. cent. 1. obs. 10. fol. 19. pueri cujusdam mentionem facit, cui caput in tantam excreverat molem, ut ejus rotunditas ulnam & quartam ejus partem, altitudo autem ab aure ad aurem totidem æquaret longitudine: is autem non ita natus fuerat; sed cum septimum ætatis mensem vix attigisset, caput mirum in modum ei tumescere cœperat. Intra triginta autem menses paulatim ad dictam magnitudinem excreverat, unde puer in lethargum inciderat,

nec ita diu post obierat. Dissecto cranio in duobus anterioribus cerebri ventriculis aqua crystallo lucidior ad libras Colonienses 18. apparuit. Hæc autem non ventriculos tantum, sed & substantiam cerebri distendebat, ita ut totum cerebrum (cerebellum excipit Hildanus) in sacculum extenderetur, unde circumvolutiones, gyrive cerebri, turgentibus omnibus, non apparuere. Dura & pia matres integræ erant, atque ita dilatatæ, ut totum cerebrum cooperirent: cranium similiter dilatatum erat, sed passim membranosum potius, quàm osseum, nec reperiebantur meatus, per quos serosus ille humor ad caput delatus fuerat, quantumvis accurate dispicerentur omnia. Cur autem, dicet quispiam, hoc, quidquid est liquoris, in cerebri ventriculis apoplexiam non producit? Resp. Quia aliquo modo est spirituosa respectu aliarum aquarum, & coagulationis expers, adde quod sensim in cerebro colligatur, & non subito; sensim enim ibi collecta sensim quoque poros, tubulosque cerebri dilatat, & non comprimit, vel obstruit, ut quidem fieret, si uno impetu fuisset collecta. Idem Hildanus cent. 4. obs. 10. fol. 294. pueri cujusdam quintum ætatis annum nondum prætergressi meminit, cujus capitis circumferentia continebat pedes Geometricos duos, cum sesquipede, & pollice, altitudoque eadem erat: cranium utcunque durum erat, & nonnisi quibusdam locis membranosum, reliquæ vero corporis partes proportionem pueri ejus ætatis observabant, non ita, ut hydrocephalorum solent esse corpora, extenuata. Ingenio puer stupidus admodum erat, visu, audituque, nec non loquela destitutus: Id vero malum ex eo provenerat, quod circa annum ætatis suæ primum morbo laborasset gravissimo, & acuto. N. Tulp. obs. med. l. 1. c. 24. fol. 49. de puero memorat quinquenni è cujus capite post mortem eductæ fuerint quinque aquæ libræ, quibus effusis omnia adeò vacua apparuerint, ut plerique Medicorum præsentium, sed præpropere, hic caput sine cerebro conspici judicaverint. Tale autem hydrocephali exemplum affert. Theod. Kerckring. obs. Anat. 46. fol. 102. & Zacut. Lusitan. prax. Med. admir. lib. 1. At oculi acie illuc penitius directa, satis perspicue liquebat non defuisse cerebrum, sed amissa figura globosa, formam convexi fornicis induisse, ut instar membranæ crassioris undique arcuatæ dissolutorum ossium circumferentiæ adhæresceret, quali etiam modo se habuisse puellam Andr. Vesalii, de qua loco adducto, idem affirmat.

Demonstravit an. 1666. D. Joh. Hornius Anat. Professor Leydensis hydrocephalum pueri anni unius è quo aq. ℥ 36. hauriebantur. Th. Bartholin. cent. 1. hist. 20. fol. 40. exemplum habet pueri quinquennis hydrocephalo laborantis, cui caput tantæ molis erat, ut tria adultorum superarit, circumferentia ulnam æquans cum quadrante, duasque spithamas altum, fronte ita elevata, ut oculorum orbitæ mediam faciei partem occupare viderentur. Suturæ laxatæ omnes à summo capite ad occiput, & in utroque capitis latere. Nulla verba articulata proferre, nec ciborum quicquam manducare potuit, quia superior dentium series longè ab inferiori propendebat. Os perpetuò madebat sero copioso affatim è capite profluente. Pedes sustinendo corpori impares erant. Hoc autem malum inde ortum arbitratur Barthol. quod matri pauperculæ, quæ undecim sine labe tali pepererat liberos, quum hunc utero gereret, præter consuetum morem gravia omnia evenissent, uterusque adeò intumuerit, ut prono in terram corpore progredi fuerit coacta. Plura hujusmodi habent M. Aurel. Severinus de noviss. obs. abscess. c. 9. Schenck. pag. 11. & 12. Paulus Æginet. lib. 6. c. 3. Ætius tetrab. 2. serm. 2. c. 1. Philip. Ingrass. lib. de tumor. præter naturam tr. 1. c. 1. fol. 380. Nonnunquam dimidiam tantum capitis partem occupat hic hydrops, cui rei bina profert N. Tulpius obs. Med. lib. 1. c. 25. fol. 50. liquorum, vel in dextro, vel in sinistro cerebri ventriculo hærentium exempla: in quorum alterutro se ultra duas aquæ libras tam strictè uni isti parti inclusas vidisse ait, ut altera illæsa planè esset, & integra.

Differunt autem hydrocephali ratione temporis, vetustatis, & magnitudinis. Nonnulli se ante partum in utero materno manifestant, sive ex imaginatione, sive ispsu matris, aut ipsius fœtus incommodo intra uterum situ orti, vel etiam matre nimis crassis alimentis, aut fructibus, aliisve refrigerantibus utente, unde sanguis ejus nimis evadit crassus, & tardus, vel etiam, quando illa tempore graviditationis aliis obnoxia fuit morbis. Balduinus Ronssæus de extract. fœtus c. 23. Goudæ anno 1562. se puerum quendam vidisse hydrocephalo laborantem scribit, cui mortuo in lucem prodeunti caput toto corpore fuerit gravius; cujusmodi plura extant apud Helvvigium obs. phys. med. 3. fol. 9. Joh. Lechel. ephem. German. decur. 1. ann. 1. pag. 138. necnon Stephan. Blancard collect. med. phys. ut de morb. pueror. fol. 208. Nonnulli post nativitatem demum serius, citiusve se manifestant hydrocephali, quamvis raro, vel non adeo magni conspiciantur in illis, quorum crania jam omnino clausa sunt, quia ossa tunc solidiora evasere, & per consequens intus contento liquori non facilè cedunt. Hujusmodi autem pueri prius obirent, quàm semel occlusa crania dehiscerent, quamvis G. Fabrit. Hild. cent. 3. obs. 19. exemplum habeat juvenis cujusdam 18. annor. cui monstrosum valdè erat caput; rotunditas enim ejus duos pedes Geometricos, & pollices decem continebat, altitudo capitis ejusdem erat magnitudinis; reliquum corpus, imprimis pedes (qui contorti erant, & retracti) & crura extenuata erant; cranium autem non membranosum, ut plerumque hydrocephalorum esse solet, sed durum; solidumque Mente non usque adeo constabat: loquebatur tamen satis distinctè, comedebat avidè, & multum; sed mirum in modum ipsum à morbo epileptico vexari referebant Parentes. Caput verò accrescere inceperat tertio ætatis anno, cum morbo quodam liberatus esset acutiore. P. Borelius hist. & obs. rar. cent. 1. obs. 38. fol. 43. de puella quadam 12. ann. nata narrat, quæ maximo continuoque verticis, suturæque coronalis diu laboraverat dolore sine febri tamen, tumoreve, aut rubore, cuique remedia omnia utiliora incassum admovebantur, ita ut tandem mors finem miseriis, & doloribus ejus imposuerit. Aperto autem capite, abscessus repertus fuit naribus, & infundibulo cerebri inhærens, è quo aq. clarissima cum impetu ad libras duas exivit quasi è fonte scaturiens, & in altum prosiliens: causa verò hujus mali fuerat, quod quinque vel sex ante morbum mensibus scabiem capitis, sive achores passa à Monachis quibusdam malè curata fuisset remediis repellentibus, frigidisque unguentis, unde caput refrigeratum, serositatesque in eo cumulatæ fuerint. Zacutus vidit hydrocephalum in puero decem annos nato. Roget quispiam cur magis affectus ille in infantibus quam

adultis observetur? Ratio est, quia tunicæ arteriarum iis sunt molliores, atque pori, tubulique angustiores, nec motus sanguinis tam efficax. Interim quoque arteriarum facilius dilatantur, & particulæ crassiores in cerebrum deponuntur. Quæritur autem, anne & in brutis reperiantur hydrocephali? Eos in vitulis, bobus vaccisque observavit Joh. Jacob. Wepfer. exercit. de Apoplexia fol. mihi 69. & Thom. Barthol. act. Hafn. tom. 1. pag. 249. indicat quæ idem Wepferus, Colonos id animadvertere posse in brutis, quando in pratis vertigine corripiuntur, testaturque se audivisse apud Subsylvanos in Helvetia frequentem hunc boum esse morbum, ac se vertigine prodere. Addit & bubulcos esse, qui ipsi medeantur. Hi primo malleolo post cornua pulsant, ubi ex sono aliud vacuum spatium, ac vulgo sunt in craniis bubulis, percipiunt, eumque mox perterebrant, ac foramini pennam inducunt, & attracto spiritu vesicas hujusmodi extrahunt. Si in superficie existat prompte suctioni cedit; si autem profundior, & cerebro immersa sit, successu frustrantur. Ac tum quidem quantocyus bos mactandus est. Idem hoc modo multa animalia curata fuisse ait, memoratque quum jovenca in pascuis crebrius vertigine corriperetur, se mactatæ caput, in quo causa mali latuerat, forte fortuna obtinuisse, quo aperto, ac cerebro denudato, sinistrum latus sub syncipite tumidius & mollius reperisse; quod cum durius attrectasset, prosiliisse aquam limpidissimam, faciemque ei conspurcantem. Post quod, inquit, tumor subsedit. Divulso autem cerebro ad corpus usque callosum ventriculum sinistrum aperuit, invenitque vesicam tenerrimam, totam anteriorem ejus partem occupantem, quam citra ulteriorem lacerationem integram extraxit, ovum gallinaceum magnitudine superantem. In ventriculo, verticem versus superius, & infra, asperitas leviuscula ubi vesica annata erat, apparuit, ac si seminib. papaveris albi aspersus fuisset; Ventricolus autem sinister duplo major erat dextro: in anteriore parte superior ejus pars, & lateralis tempora versus, propter extensionem, tenuis vix cultelli dorsum æquavit: cætera omnia in cerebro sana erant. Similem, at paulo minorem vesicam idem Wepferus in bovino cerebro, dextri ventriculi anteriori parti undique accretam se invenisse ait, in cujus fundo mucus instar sedimenti crassioris, atque candidi lapilli, tanquam creta friabilea, subsederant. Si quis quærat, quo pacto liquor ille in cerebri cavitates perveniat: dicendum est, varias circa illud phænomenon occurrere considerationes, litemque adhuc sub judice esse. Existimant Riolanus, Regiusque poros in dictis cavitatibus existere, humoremque illum à circumferentia cerebri ad punctum, hoc est, ad cerebri cavitates transire; hæc tamen opinio à Wepfero fol. 60. refutatur. Thom. Bartholinus lib. 3. cap. 6. anatom. reform. negat ibidem poros esse conspicuos, & etiamsi darentur, facillimè, utpote minimi, obstruerentur, unde hic illic defectus in sensibus, aut etiam apoplexia oriretur. Statuunt alii malum hoc internè ex debili cerebri calore originem ducere, quia hoc valdè refrigeratum, humectatumque nutrimentum suum debitè præparare, humoresque ab infernis partibus illapsos sufficienter transpirare non potest. Quidam autem arbitrantur vitium hoc externè à quadam violentia, lapsu, allisione, contusione, dura, imperitaque obstetricum contrectatione in partu, vel alio quodam violentiori modo provenire, unde cerebrum puerorum lædatur rumpanturque lymphatica vascula, sicque magna tandem lymphæ colligatur copia, qua nondum occlusum, tenerumque cranium sensim extendatur; unde etiam fiat (ut aiunt) ut morbus iste in pueris magis, quàm adultis reperiatur. Nonnulli etiam vasis lymphaticis obstructis, hydrocephalum produci autumant, unde lympha, cessante circulatione, aquosi causa sit tumoris. Nonnulli quoque opinantur aquam illam ex arteriolarum extremitatibus, vel etiam per modum transudationis ibidem colligi. Hydrocephalus autem externus meo quidem judicio, quod tamen meliori nihil derogare opinioni velim, à superfluo plerumque quodam humore provenit, qui ex arteriarum extremitatibus, vasisque lymphaticis procedit, vel propter illorum abundantiam, vel obstructionem, vel etiam tardiorem sanguinis intra arterias motum à viscoso, crassoque humore sanguini mixto ortum, unde hic necessario minori vi in vasa lymphatica propellitur: quamvis etiam fieri possit, ut tenerum necnon porosum valde infantia caput ab aëre frigido non bene defensum fuerit, unde humorea in vasculis lymphaticis facilius condensantur, sicque ad motum evadunt ineptiores vasis ipsis magis, magisque intumescentibus. Hydrocephalum hujusmodi externum provenire posse ab arteriarum extremitatibus vel hinc magis patescit, quod tales hydrocephali non tantùm à violentia, aliave causa externa nascantur, sed & quod in iisdem limosa quædam, vel sanguinolenta, turbulentaque semper reperiatur lympha, cùm tamen in internis hydrocephalis ea clara semper, & limpida appareat, hanc sententiam confirmat præter alios Epiphan. Ferdinandus hist. 21. fol. 66. Si verò quispiam dubius roget, undenam contigerit; ut in cane Richardi Loweri tr. de corde c. 2. pag. 123. ligata vena jugulari, omnes supra sit; musculi, & glandulæ liquido, pellucidoque repleti fuerint sero? Id forsan contigit, quia sanguine per ligatam venam jugularem versus inferiora non retrogrediente, sed in ipsa arteria manente, per poros tunicarum arteriolarum, quæ in extremitatibus non duplices, sed simplices sunt, non nisi purum serum transcolatur; illarum enim arteriolarum textura transcolationi tenuis ejusmodi humoris satis idonea est. Quantum autem ad internum attinet hydrocephalum, lympha in cavitates cerebri, aliumve capitis locum eodem defertur modo, quo ille humor, qui in aliis corporis partibus producit hydropem, ut in tunicis viscera circumcingentibus, testiculis tam virilibus, quàm fœmineis, peritonæo &c. in quibus ultimis partibus multoties quidem centum, & quod excedit, aquæ libræ fuere repertæ. Verosimile est hoc, quidquid est lymphæ, per arteriolas in glandulas cerebri corticales delatum, ibidemque separatum per canaliculos (eodem planè modo, ac in renibus aliisve corporis partibus humores sequestrantur) ad cerebrum deduci, estque hæc hydrocephali lympha ejusdem planè naturæ, cujus est illa, quæ in ventriculis cerebri sanorum hominum semper reperiri solet, quemadmodum abunde è sapore & colore colligitur; qui humor naturaliter semper à subsequente novo inde propelli solet. Verùm quorsum ille, cavitatibus cerebri irrigatis, in sanis deferatur, an scilicet ad ossum, sive oculos, auresve, aut oris cavitatem, non adeo exploratum est. Joh. Lechelius Ephem. Germ. decur. 2. an. 2. obs. 178. fol. 363. exemplum habet pueri masculi, cui recens nato caput hydrocephalo obsidebatur, cujusque non multo post mortui totus cerebri cortex non cernebatur

debas

debat calami scriptorii crassitudinem, quo separato, loco ventriculorum offendisse se ait amplam quasi vesicam limpidissima, & insipida aqua repletam, quantitate uncias 50. excedente, neglecta ea, quam spongiæ, & linteamina imbiberant; effusa autem hac collapsi cerebri ventriculi manifesto docuere illam in utrumque ventriculum per corticis quosdam tubulos, à recentioribus Anatomicis passim descriptos destillasse, ac undique sui copia cerebri substantiam, cranium, pericraniumque extendisse, atque capiti illam deformitatem produxisse. Fieri etiam potest, ut abscessus, sive vesiculæ aquosæ in cavitatibus cerebri tam brutorum quàm hominum repertæ primo ex aliis parvis vesiculis plexui choroideo annexis consientur: quia glandulæ illæ tunc etiam tumidæ sunt & induratæ, quæ successu temporis ita accrescunt, dum superfluus humor propter obstructionem revehi nequit. Ita Willisius glandulas illius plexus sæpe se vidisse testatur tumidas. Scribit etiam Franc. Sylvius disput. 4. se glandulas illas in solis morbosis reperisse; forsan quia tunc temporis superfluo humore tumefactæ melius conspici potuerint. De glandulis hisce agit quoque Whartoun. Adenogr. cap. 24. fol. 142. ut & Theodorus Kerckringius observ. 10. pag. 29. Testatur D. Fred. Ruysch. Medicus, & Anatomicus Amstelodamensis expertissimus se in dissectione cadaveris cujusdam fœminei glandulas copiosas magnitudine sem milii reperisse plexui illi anneaas. Joh. Jacob. Wepferus pag. 375. se non cerebri tantum cavitates humore plenas, sed & ipsum plexum sanguinis fetè expertem vidisse ait, in quo multæ conspectæ fuerint glandulæ, sed albicantes, limosæ, tactuque duræ; fol. autem 415. se observasse tradit varias hydatides tam in sinistro, quam dextro plexu choroideo, necnon fol. 410. se varias in plexu dextro hydatides animadvertisse scribit, quarum quædam pisis majores fuerint, ut & pariter in sinistro, quarum una avellanæ nucis magnitudinem excesserit. Quando itaque liquor hic vasculorum lymphaticorum præter consuetudinem, & naturam viscosa quadam sanguinis materia incrassatus est, obstruct onemque ibidem produxit, vasa lymphatica continua subsequentis lymphæ pressione tandem rumpuntur, sicque liquorem suum inter membranas effundunt, & receptaculum quoddam ibidem efficiunt, vel etiam inter vasorum lymphaticorum valvulas hydatides producunt. Contingit etiam, ut extremitates arteriarum à viscoso quodam humore sint obstructæ, vel vasculum quoddam alicubi tumore quodam prematur, unde sanguinis circulum suum per arterias absolvere non valentis tenuis, & aquosus liquor extra ipsas per poros transcolatur, qui ita hydrocephali interni causa est. Sunt qui dubitent an in cerebro vascula dentur lymphatica, verum testatur epistola quadam Steno sæpius se vascula quædam lymphatica circa glandulam pinealem animadvertisse, quæ, ut ait, totidem forsan viæ fuere lymphaticæ humectationi ventriculorum cerebri destinatæ. Et, siquidem eadem in pectore, abdomine, aliisque externis membris reperiuntur, non ita erraverit forte an, qui nec caput ipsis destitui dixerit, hoc enim instar gazophylacei cujusdam humorum, utpote lymphatico liquore, aterilisque liquorem istum advehentibus abunde ditatur. Ita ut dubitare non liceat, quin caput aquæ, ac thorax, venterve, aut alia corporis exteriora membra, suis scateat vasculis lymphaticis. Ac quamvis nulla adhuc cerebro reperta sint hujusmodi vascula, non tamen non existere dicendum erit. Sed quænam quæso, fuit causa, cur infimæ corporis partes illius, de quo retuli, ut & in aliis, quæ adduxi, exemplis, adeo fuerint macilentæ? Nos causam fuisse putamus, quod durante hydrocephali accretione, ille parco admodum, imo sæpe nullo usus fuerit alimento, solo materis lacte contentus. Accrescente itaque capite, reliquæ corporis partes decrescebant, quod nutrimento destituerentur, quemadmodum aliis partibus, nutrimento alio delato, accidit. Conferatur obs. 49. tom. nostri primi, ubi de magno liene. Sic etiam refert Thom. Barthol. Act. Med. Hafn. vol. 1. obs. 92. Quomodo D. Borrichius duarum gallinarum, quas macrescere quotidie & fine manifesta causa, suppetente licet sagina largiori, oppido attenuari videbat, in conspectum prolata viscera omnia flaccida, & exsucca, præsertim quæ in abdomine continebantur, reperit. Solum ibi hepar præter morem imminens, adeo non videbatur imminutum ut plus, quam decuplo auctius cerneretur, & quod accedit, pinguissimum: quale quid etiam observarunt. Job Læsel, in tenuum scrutinio, Olausque Rubecq. obs. anatom. Quod autem in gallinacea genere vitium deprehendit, id in anse ibus delitiarum loco in cænia antiquorum æstimatum fuit. Hinc *Martialis lib. 13. Epigram.* 58.

Aspice quam tumeat magno jecur ansere majus
Miratus dices, hoc, rogo, crevit ubi?

Juvenalis Satyra. v.

Anseris ante ipsum magni jecur anseribus par.

Certum autem est liquorem hydrocephali è succo quodammodo constare nutritio; idem enim satis lentor, qui post ejus evaporationem animadvertitur, demonstrat. Infirmarum partium marcor forsitan inde quoque ortus fuit, quod sanguis illarum partium crassior plerumq; minusque spirituosus existat quam supremarum, nec non quia ille per secretionem magnæ copiæ tenuis liquoris in capite aliquanto crassior factus, obstructione inde in vasculis suborta, inferias partes tam bene nutrire nequeat, vel denique, quia tubuli nervorum aliquomodo pressione lymphæ sunt obstructi, unde spiritus satis abunde in partes, pro circulatione humorum nutrientium propaganda influere nequeunt. Puer autem ille sensim visum amisit, quod tubuli nervorum opticorum paulatim magis, magisque materia viscosa intus contenta obstruerentur, vel etiam nimia ejus quantitate comprimerentur.

De signis, prognosique hydrocephalorum legi poterunt Paul. Ægineta lib. 6. cap. 3. D. Sennertus lib. 1. prax. part. 1. cap. 28. necnon Ambros. Paræus lib. 7. oper. Chirurg. cap. 1.

Dicendum restat, an hydrocephalus queat curari? externus quidem facilius curatur, sed internus, præsertimque locum habens in ipsis cerebri ventriculis, nulla est sanabilis arte, teste etiam Galeno lib. med. introduct. Quum autem medico consistar in medicamentorum internorum usu, longoq; tempore ea assumi debeant, difficile ad eorum assumptionem adducentur infantes. Balth. Timæus lib. 5. de morbis infant. cas. 5. fol. 144. dicit se puellam bimestrem sanasse, quæ tumore capitis insigni, & pellucido ejusdem undique coloris afficiebatur, tumor in altum elevatus tactui cedebat, rursusque assurgebat & compressus aquæ fluctuantis motum prodebat fine dolore. Ab humore autem seroso extra cranium, in-

teg

ter cutem, & pericranium collecto, tumorem hunc excitatum fuisse signa modo enumerata satis ostendisse ait, sensim autem, & in utero materno coacervatum esse serum exinde collegit, quod mater alioquin valetudinaria, & ad hydropem disposita, toto gestationis tempore potu cerevisiæ tenuis, sive secundariæ usa, multum aquosi, & serosi humoris cumulavisset. Quare nutricem sanam, & boni habitus substituendam suasit, cumque infanti tenello ea medicamentis internis nihil adhiberi posset, externis agendum esse censuit, imposito sequenti, cataplasmate, cujus solius usu aliquandiu continuato sensim disparuit tumor. ℞. Pulv. rad. cucum. asinini, iridis an. ℥ß. sem. cumini ℥j. far. fab. ℥ij. mell. anthos. q. s. f. cataplasma capiti raso calide applicandum. Laz. Riverius obs. med. à Sam. Formio communicat. pag. 350. infantis recens in lucem editi, hydrocephaloque laborantis meminit, qui totum caput, cum magna futurarum dilatatione occupabat, dicitque sine ullo impedimento, aut alio remedio hunc se curasse, sola scilicet fascia Guidonis in formam cucuphæ concinnata, qua totum caput obvolutum fuerit. Hæc autem fascia, Gallis *Capeline de Guidon*, quotidie renovabatur, & intra 15. aut 20. dies tumorem prorsus evanuisse tradit. Circa hydrocephali curationem inquit Steph. Blancardus lib. de morb. puer. fol. 208. optimum esse existimo, ut caput valde calidum servetur, sique infantes in cunis decumbant, calidus aliquis lapis, vel arena calida circa caput ponatur, unde obstructiones iterum reserantur, & lympha liberum acquirit transitum; sudorifera quoque, ut censet ille, hoc casu utilia sunt. Idem collectan. med. phys. cent. 3. obs. 47. fol. 248. exemplum habet hydrocephali cujusdam in sutura lambdoide siti, magnitudinem æquantis panis albi, quales binos argenteorum nummorum minimo nostrates emunt, qui fotu quodam ab eodem descripto, præmissa corporis debita evacuatione, sublatus fuit. H. Montuus Pueror. Pragmat. cap. 8. Opifici cuidam instar bovini caput intumuisse memorat, ita ut eo tota facies, nasusque contegeretur. Huic autem consuluere, ut ligneum in os immitteret fustum, quo facilius respiraret. Atque ita quidem porro avertentibus à capite remediis, sobriaque vivendi lege percuratus est. De puero sexenni sanato vide Ephem. Germ. ann. 2. pag 137. Quæritur porro, an hydrocephalum, curandi gratia, incidere fas sit? N. Tulpius obs. med. lib. 1. cap. 25. fol. 51. binis hydrocephalis dimidii capitis, de quibus supra, Chirurgum varia inussisse ulcera, cutemque non uno dissecuisse loco, sed utrumque, æquè improspere cessisse ait, eastillante humore magis guttatim, quàm tam effusè, ut levaret cerebrum & exhauriret fontem, vitalem calorem alioquin certo extincturum. Deinde, etiamsi aq. majori copia ex cerebri cavitate simul effluxisset (quod tamen isto modo fieri nequit) alia tamen in effusæ locum successisset: adde, si malum diu duraverit, crania valde distenta, & aucta esse, unde postea collabi nequeunt. Non minus infelicem eventum habuit infans quidam, de quo Schenk. obs. med. lib. de monstros. cap. conformat. Ex Joh. Franc. phys. Camicensi fol. mihi 11. G. Fabrit. Hild. Cent. 3. obs. 17. fol. 198. exemplum habet infantis cujusdam, cui cum tertium ætatis mensem vix absolvisset, caput paulatim accrescere cœperit, ita ut infantuli caput antequam ipse octavum ætatis mensem attigisset, magnitudinem capitis cujusvis hominis longe excederet; usque adeo namque aqua limpidissima extendebatur cranium, ut cutis, omnesque subjectæ partes pellucidæ redderentur, & posita ex adversa parte candela, aut ad radios solares collocato capite, aqua facillime conspiceretur: Interim Chirurgum juvenem, ingeniosum tamen satis, in consilium adhibuerant, qui, inciso bregmate dextro, aquæ clatæ ad libram unam circiter, prima vice extraxit, moa turundam imposuit, & emplastro quodam vulnus obturavit, sed quia caput aqua valde turgebat, ita ut ea continue, & copiosè effluerct, vites infanti adeo fuere debilitatæ, ut intra horas 36. è vita discesserit. Periculosa itaque valde est cranii apertio, & aquæ evacuatio, nec sine ratione; continetur enim, inquit ille, aqua ipsis cerebri ventriculis, ideoque si quis illam educere tentet, meninges simul, & substantiam cerebri incidat, necesse est: cerebrum etiam, præsertimque partes ejus internæ, liquefcunt, præcipue si diutius ibidem hæreat, adeo debilitantur, ut materia nutriens illuc deducta in laudabile mutari nequeat nutrimentum. Hanc quoque ob rationem Cæs. Arant. lib. de tumor. sectionem in hydrocephalis internis non admittit; ut nec P. Ægineta lib. 6. c. 3. neque M. Aurel. Severinus Chirurg. effic. part. 2. fol. 135. Nonnisi externi itaque incidendi erunt hydrocephali, nec quicquam adhibitis exterioribus, interioribusque remediis, approbante ipsomet Galen. lib. med. introduct. c. 18. dum dicit hydrocephali pericranium duabus, vel tribus, prout scil. id magnum fuerit, incisionibus aperiendum esse, quæ tres lineæ secundum Æginet. l. 6. c. 3. instituendæ sunt ad figuram literæ H. Idem Paræus affirmat lib. 7. c. 1. necnon Epiph. Ferdin. hist. med. 21. fol. 67. ut & M. Aurel Sever. G. Placentinus, Forest. &c. Carol. Piso sect. 2. part. 1. de morb. cap. ext. ab illuvie serosa c. 1. fol mihi 52. se ejusmodi hydrocephalum senis cujusdam multis tam internis quàm externis remediis incassum adhibitis, sonticulo occipiti inusto percurasse scribit. Joh. Bapt. de Lamzvverde obs. ad armament. Chirurg. obs. 33. fol. 253. hydrocephalum quendam in muliere quadragenaria curatum fuisse ait, cui diu crudeli capitis dolore intentæ, tandem media byeme caput extrinsecus tumore œdematoso in tantum excrevit, ut duplo fere majus videretur, & oculi amplius aperiri non possent, aureique ad pollicis crassitiem intumescerent. Per quam humorum metastasin internus, acutusque dolor externus evasit, multoque levior. In curatione autem caput variis vulnusculis lanceola factis hic illic perforati se jussisse dicit, è quibus serosus liquor copiosè exstillavit, sicque caput paucis diebus multum detumuit; adhibitæ etiam fuere fomentationes, & cucuphæ è cephalicis calidis, ac discutientibus confectæ, & sic ægram convaluisse affirmat. Hoc autem malum infantibus, inquit, raro, sed adultis rarissime accidit. *Cornel. Stalp. obs. rarior. cent. 1.*

De periculosa hydrocephali apertione.

Aquileæ ad Rhodanum fluvium, in ditione Reip. Bernensis superiori anno 1668. puellus ex parentibus honestis, corpore quinetiam satis bene constitutis & temperatis natus fuit, nisi quod mater quæ antea, si recte memini, bis utero gestaverat, etsi natura satis robusta, totum tamen gestationis tempus præter consuetudinem corpore aliquo modo imbe-

imbecillior fuerat. Nihilominus, nato Infantulo, nulla deprehensa fuit in ipso deformitas, aut vitium in conformatione, omniaque ut videbantur, secundum naturam sese habebant, præter oculum sinistrum, qui aliquo modo depressior altero videbatur. Quum vero tertium mensem ætatis vix absolvisset, caput paolatim accrescere cœpit, ita ut antequam infantulus octavum mensem ætatis attigisset, magnitudinem capitis cujusvis hominis longe excederet, ita enim aqua limpidissima extendebatur cranium, ut cutis omnesque subjectæ partes pellucidæ redderentur, & posita ex adversa parte candela, aut ad radios solares collocato capite, aqua Ista facillime conspiceretur in capite. Interim etsi infans continuo valde morosus esset, lactabat nihilominus, & alimenta infantium more sumebat, quibus tamen corpus minime nutriebatur; sed nutrimentum totum ad caput diffluebat. Porro cùm genere & virtute vere nobilissimus vir, Dn. Antonius ab Erlach, ejus loci nomine Reip. Berneosis pro tempore præfectus prudentissimus, fautor meus omnimode observandissimus, hujus rei inspectionem ocularem ipsemet habuisset, meque rerum rararum curiosum agnovisset, mense Martio proxime elapso, ut ad se proficiscerer, per literas me monuit, idque ad eum finem, non solum ut infantulum fuum hoc bernia laborantem, quemque tunc sub curatione habebam, inviserem, verum etiam casum hunce infrequentem annotarem, ac consilium imo & auxilium meum adderem. Sed quia Burgum Segusianorum, Galliæ Provinciam; ad nobilem virum Dn. Jacobum Wall‑y ictu Scloperi graviter læsum, tum vocatus fueram, puerum hunce adire mihi non licuit.

Cæterum, interim dum per menses aliquot Burga & Lugduni hæsi, Chirurgum juvenem, ingeniosum tamen satis, in consilium adhibuerunt. Is incisio bregmate dextro, aquæ claræ ad libram unam circiter pro prima vice extraxit; mox turundam imposuit, & emplastro quodam vulnus obturavit, Sed quia caput turgebat aqua, ita ut & continuo & copiosè efflueret, vires adeo debilitatæ fuere, ut intra horas triginta sex è vita discederet, cum menses octo, & dies quatuor vixisset.

Hæc ex relatione ipsius parentis habeo. Quum enim vicesima die mensis Junii, Aquileam ad prædictum generosum virum vocatus essem; parentem defuncti infantis, Jean Baptiste Petraux nomine, advocati jossit, qui coram generoso viro Dom. Præfecto, omnia quæ acciderant, narravit.

Vides itaque, vir clarissime, quam periculosa sit apertio cranii & evacuatio aquæ hydrocephali, idque non immerito. Continetur enim, ut ego bis in hydrocephalorum dissectionibus observavi, aqua in ipsis cerebri ventriculis, ideoque si quis illam evacuare tentat, meninges simul & substantiam cerebri ut incidat, necesse. Hæc autem absque mortis discrimine fieri non posse, etiam tyrones norunt. Quid igitur, inquies, erit agendum? Profecto ut ingenue fatear, morbum hunc planè incurabilem esse, cum ratio tum etiam experientia mihi suadet. Quoad experientiam, scio clarissimum atque doctissimum Du. Johan. Slotanum, apud Colonienses Doctorem Med‑cum longe celeberrimum, in infantulo suo, cujus ad calcem observat. 10. Cent. 1, fit mentio, non solum omnem curam, diligentiam, industriam, atque scientiam suam adhibuisse, verum etiam aliorum in re medica clarissimorum virorum per Germaniam, consilium auxiliumque implorasse, sed oleum, ut dici solet, & operam perdidit. In altero præterea infantulo, cujus in eadem observatione fit mentio, similiter multa variaque medicamenta à viris doctis frustra adhibita fuere. Quod ad rationes spectat, nullus negare potest, morbum hunc magnum esse, ideoque juxta Hippocratem extremis indigere remediis. Extrema autem remedia sunt sectio, ustio, evacuationes item fortes, & exquisita victus ratio. Sed quis quæso hujusmodi remedia in tenellis Istis infantulis adhibere ausus esset? Adest præterea tanta cerebri labefactio atque imbecillitas, ut non solum major pars nutrimenti sui proprii in serum convertatur, verum etiam excrementa serosa ex infimis partibus corporis recipiat: solent enim membra fortiora continuo ad imbecilliora demandare. Hinc accidit, quod reliquum corpus hydrocephalorum minime nutriatur, etsi membra nutritioni inservientia, optime & secundum naturam sese habeant, ut in istis dissectionibus, quarum observ. 10. Cent. 1. fit mentio, observavimus. Imprudenter itaque agunt illi, qui in hydrocephalis multa promittunt, sectionemque tentant. Tibi quid videatur rescribe. *Gulielm. Fabric. Hildan. Obs. Chirurg. Cent. 3.*

Artificiosus Hydrocephalus.

Anno 1593. Lutetiæ Parisiorum puer quindecim aut octodecim circiter mensium ætatis visus est, cui capitis ita extensa erat cutis, ut magnitudinem capitum infantulorum, quorum observatione decima Centuriæ primæ fit mentio, excederet, Parentes autem hujus Infantuli ipsum de oppidò in oppidum circumvehebant, ac ut monstrum videndum exponebant, indeque maximum lucrum quæstumve recipiebant.

Tandem vero cum concursus hominum esset magnus, & magistratus Parisiensis pro singulari sua prudentia dolum malum & fraudem subesse suspicaretur, parentes in vincula conjecit. Quæstione adhibita, delictum crudele atque impium fassi sunt, nimirum se cutem capitis infantuli sui, circa verticem ad musculos usque incidisse foramine parvo, ac per illud ipsum (inter cutem & musculos immissa fistula) inflasse, ac paulatim, & intra menses aliquot (inflando singulis diebus aliquoties) cutem capitis infantuli in istam extendisse altitudinem, cumque hunc inde per Galliam, quæstus faciendi gratia, visendum exhibuisse.

Foramen autem ea Industria fecerant, ut extracta fistula, cera aut simili aliqua materia illud facile obturare possint. Nefando ac immani scelere satis explorato ac cognito, parentes ambo morte mulctati fuerunt.

Historiam hanc nobilissimus Dn. Ludovicus Wallier, (qui se puerum hunce Parisiis vidisse affirmat) præsente nobilissimo Viro Domino Philippo Destavaye, Domino de Molondins, mihi anno 1609. 23. Maii communicavit, eamque hic adscribere visum est. *Idem ibidem.*

Hydrocephalus Incipiens Curatus.

Anno 1667. Hannoveræ curæ meæ submittebatur puer sex annos natus, huic in tantum caput auctum erat, ut mole vel Juvenis 18. annorum caput æquaret: totam verò cum naso faciem occultaret, artus è contra & venter tabescebant. Ego primò omnium suadeo, ut quantum fieri posset, baculo

baculo ro os immisso illud apertum tenerent: hinc capite raso singulis diebus, bis aut ter, caput oleo chamemelino in quo stæchas Arabica, spica, lavendula &c. per aliquot dies infusa erant, iungo, inde aqua vitæ Anhaltina abluo. Nonnunquam quoque aquam St. Elisabethæ Reginæ Hungariæ applico, linteisque madefactis frequenter foveo. Utrique Cruri cauterium applico, corpus quater singulis septimanis cum Syrupo diacoidi purgo, in potu semper aliquid de oleo tartari per deliquium facti exhibeo, in cibo sæpius aniso, cumino, aneto ut utatur suadeo. Hoc modo, sensim caput detumuit, venter & artus nutritionem suam recipiunt, adeo ut intra duos menses puer integræ sanitati fuerit restitutus. *Alardi Herm. Cummii.*

Anatomicæ Inspectiones.

Bogislaa Nicolai, &c. Sexto mense gravida abortum rejecit, cætera non inelegantem, sed à temporibus & fronte nucham versus tumore ingenti deformem, qui mitræ Tutcicæ similitudinem gerebat: Mox ramen sponte aperta propè sinistram autem aure, evacuataque inde aqua loturæ carnium simili, concidit & flaccida cute quasi disparuit, nisi quod immisso flatu eandem figuram turbinatam & ovalem nancisceretur. Resecta ista in particulas membrana crassiore, calvaria ostendebatur naturali forma, sicut in puerulis solet: E jugularibus autem venis, intra processum ossis jugalis temporum, ambiens & suturas mendosas, ad os frontis usque sese ostendebat, proximeque cum pericranio copulatus cernebatur, qui crassitie stilum ferreum intortum referebat: Iconem non addo, illi hydrocephalo similem, quam dedit M. A. Severinus de Abscess. cap. 9. ut ovum ovo similius non sit. Th. Bartholin. tract. de Cometa, pag. 97. ex communicatione Frideric. Hammerici Med. Helsingorensis.

Augustæ Vindelicorum puellæ bienni caput in mensibus plus minus septem ita increverat, ut nullum viri unquam viderim quod non mole illi cederet: fuitque is affectus quem veteres hydrocephalum vocarunt, ab aqua quæ in capite asservatur, sensimque colligitur: Quanquam ea non inter calvariam & exterius ipsam succingentem membranam, aut cutem, (ubi alias aquam reponi Medicorum libri docent) huic puellæ fuerit collecta, verum in ipsius cerebri cavitate, adeoque in dextro sinistroque illius ventriculis, quorum cavitas amplitudoque ita increverat, ut novem fere aquæ libras, aut tres Augustanas vini mensuras continuerint: Adhæc, ut cerebrum in capitis vertice, membranæ quasi modo erat & quodammodo continuum cum tenui sua membrana corpus, ita quoque calvaria fuit prorsus membranea, tantaque duntaxat sede ossea, quanta calvariæ puellæ erat amplitudo, priusquam caput extra modum incresceret: ea ferè ratione qua in nuper natis pueris frontis os & verticis ossa constare cernimus, ubi illa alioquin mutuo sunt contermina, & in admodum pueris insigni intervallo amplitudineque visuntur membranea: Cerebellum interim, cerebrique universa basis secundum naturam habebant, uti & nervorum productiones, dein nullis prorsus sedibus quàm in cerebri ventriculis, adeoque atque dixi adauctis, aquam reperi, & puella ad mortem usque sensibus omnibus integris est usa: Et quoties caput, quum illum paucis ante mortem diebus conspexi, ab adstantibus movebatur; & nonnihil, quantumvis etiam leviter, erigebatur, gravis illico tussis puellæ molesta fuit, cum difficili respiratione & totius faciei miro rubore, sanguinisque suffusione & lacrymarum proventu: Reliquo corpore mediocriter habuit, etsi laxis infirmisque, sed non resolutis tamen fuerit articulis, neque præsenti etiam insigni macie, aut etiam seroso in membris tumore, aut morbo comitiali, aut tremoris alicujus notis. Jecur cum paulo post mortem spectaretur, subpallidum, & nonnihil naturali alias jecore contractius duriusque occurrit: Liene interim maximo & molli conspicuo, perinde ac si jecoris vices aliquandio obivisset: Adeo ut cum præsentibus Medicis nihil æquè admiratus fuerim ac tantam aquæ vim in cerebri ventriculis, absque majoribus symptomatibus tamdiu collectam fuisse. *Vesalius Fabr. corp. hum. lib. 1. cap. 5.*

Dissecabatur Lugduni Batavorum ann. 1666. Infans unius anni, à puero hydrocephalus: Ex hujus capite D. Van Horne extrahebat uncias 36. aq. limpidæ subsalsæ: quibus extractis adeo apparebant cuncta vacua, ut quis existimare potuisset cerebrum hic planè deficere: sed oculi acie eò penitus directa, apparebat cerebrum nequaquam deesse, sed amissa saltem figura globosa, induisse formam convexi fornicis & ab exuperante aqua sequacem ejus medullam adeo fuisse distentam, ut instar alicujus crassioris membranæ, adhæresceret undique arcuatæ ossium circumferentiæ, ita tamen ut tam exterior cinereus cortex, quàm interior albicans medulla optime discerneretur. Præterea 1. sub cute nulla conspiciebatur pinguedo. 2. In thorace notabilis aquæ quantitas, illi quæ in capite continebatur similis. 3. renes adhuc inæquales. 4. glandulæ pituitariæ & pinealis nullum vestigium, in pavimento tamen cerebri notabantur aliqua filamenta nervorum, materia quadam mucilaginosa obtecta; quæ credita sunt esse filamenta seu propagines nervorum sexti paris. Ex observationibus Alardi Hermanni Cummii, Archiatri Brunsvicensis in Miscell. curios. ann. 1670.

Infantis octimestris hydrocephalo affecti à Cl. Hornio dissecto capitis perimeter erat 1½. ulnæ: Tumor digito prementi cedebat, non remanente vestigio; Cranii ossa, quamvis hiabant ab invicem, eo quo pueris solent loco, solito tamen ampliora erant, magis tenuia, ita ut cultro commode secari possent; non multum absimilia cornibus ex quib. lucernæ fiunt. Dura meninx cranio arctissimè annexa, aqua, nec inter cutem & pericranium, nec inter hoc & duram meningem, nec, quantum observari poterat, inter meninges, sed intra ventriculos cerebri laterales continebatur; ejus quantitas octo pintas Leidenses, sive 156. uncias medicinales, h.e. tredecim libras excedebat: aqua erat limpidissima, nullo notabili sapore prædita, nisi quod aliquantulum ore detenta, salsugine quadam linguam feriret: Cerebrum amplum, & pueri cerebro densius duriusque. Ejus anfractus omnes penitus obliterati, contra cerebri laminæ egregie distinguebantur, Cerebellum totum cerebro minus affectum, vasa quædam per superficiem cerebri serpentia sanguine turgida, sinus falcis superior planè sanguine vacuus: Cerebri sinus laterales, quibus aqua continebatur, pro quantitate aquæ distenti, adeo ut totum cerebrum nonnisi saccus videretur. Glandula pituitaria flaccida & satis magna; glandula pinealis nulla inventa, nescio an errore dissecta ablatave: In plexu choroide glandulæ nullæ observatæ: radix spinalis medullæ quasi in filamenta fissa, quod memini in cerebris ovium aliquando observasse. Omnes ferè corporis glandulæ solito majores, mesenterium totum plurimis glandulis rubentibus, lentesque parvas æquantibus consitum. *Matthias Paisenius in miscell. cur. ann. 4. & 5. obs. 197.*

Solutio

Solutio continui contingit aliquando in cerebro à causis internis &c. Vera autem tanta est aliquando ot capitis juncturæ solvantur magoo spatio: quod vidimus an. 1598. in filio Dom. Merindoli Aquensis, è cujus capite dissecto effluxit ingens copia serosi humoris, qui in ventriculis & tota cerebri substantia inclusus manebat: Distabant autem suturæ 4. ferè digitis à se invicem. *Iacobus Fontanus pract. lib. 1. cap. 3.*

Vidi quatuor infantea hoc capitis affectu laborantea, è quo numero unum mortuum dissecui: Et sanctè testor cerebrum me reperisse pilam palmariam vix mole æquans: neque sanatum vidi cui aquosus humor partibus internis conclusos est magna copia: si verò partes exteriores obsider, sanationem non respuit: si ergo humor inter cutem musculosam & pericranium, aut inter hoc & cranium, si pauca iosit quantitate, resolveotibus tentanda ejua discussio. Si non succedat, ad incisionem transitus fiat, vitato musculo temporali, expresso inde humore loturæ caroium simili: ater aliquando sanguis concluditur: si contusionis soboles sit, sanguinis grumi humori permisti aderunt: humore vacuato, linteis discerptis inflictum vulnua oppleatur, factaque idonea ligatura, eaque arcta ad cicatricem deducatur. *Pareus oper. lib. 8. cap. 1.*

Decennis puer percussus est cum ense in parte superiore capitis; hic passus est vulnus satis magnum, cum incisione ossis, velaminum, & deperditione substantiæ cerebri, nam hæc exivit quantitate nucis juglandis: curatus convaluit citra noxam. Hic post tres annoa, confluentibus succis ad partem debilem, hydrocephalo correptua emoritur.

Apertum caput sine cerebro est inventum: dura meninx in conspectum apparuit duplicata, habebat tamen in se aquam limpidissimam, bonique odoris, quæ ab adstantibus gustata, insipida videbatur: at in præsentia putrilaginis tantæ jocundum odorem persentiri monstrosum est, cùm ingeos corruptio graveolentiam ex se prodat manifestam. *Zacutus prax. admir. lib. 1.*

Coloniæ multoties invisi puerum robustissimis parentibus natum, cui caput in incredibilem molem increverat, ita ut ipsius rotunditas ulnam & quartam partem ulnæ Colooiensis, ejusdemque altitudo, ab una aure ad alteram, ulnam cum quarta parte excederet, non autem sic natus erat, sed cum septimum mensem ætatis vix attigisset, cœperat ei caput monstrosè excrescere: nullus præcesserat morbus, reliquum tameo corpus vitiose nutriebatur: verum caput intra menses 30. paulatim in illam magnitudinem accrevit, ac tandem puer in soporem lethargicum incidit, nec ita multo post obiit.

Cranio dissecto, iovenimus io duobus anterioribus cerebri ventriculis aquam crystallo clariorem, ad libras Colonienses 18. illa autem oon solùm veotriculos, sed & substantiam cerebri disteodebat, ita ut totum cerebrum (cerebellum excipio) in sacculum extenderetur: hinc fiebat ot circumvolotiones & gyri cerebri non cooipicerentur, sed turgerent omnia, dura & pia matres integræ erant, atque ita dilatatæ ot totum cerebrum operirent; cranium similiter dilatatum erat, sed passim membranosum, potius quam osseum: tertius ventriculus anterioribus confusus non apparebat: in quarto viscidam quandam materiam, parva tamen quantitate invenimus, reliqua in cerebri basi secundum naturam erant, nec reperiebantur meatus per quos serolus ille humor ad caput delatus fuerat, quantumvis accurate dispiceremus omnia: Partes vitales & naturales perquam sanæ erant, onde earum functiones parum lædebantur, ita ut vix febre uoquam laboraverit, quinimò edebat, bibebat, excernebat, & dormiebat ut sanus, ipsa tantum deerat nutricatio; totum eoim corpus (excepto capite) perexiguum & extenuatum remansit; actionibus autem animalibus, quæ ex cerebro prodeunt, puta ingenio, loquela, visu, &c. destitutus fuit, brachia autem & tibias, labia, palpebras, oculos voluntarie vix movebat, at involuntariè sæpiùs h.e. cootrahebantur & convellebantur continuo, absque tameo dolore. *Fabrit. Hildanus Cent. 1. Obs. 10.*

Humor capitis hydropem inducturus, inflat, & extendit interdum tam late oobile hoc mentis palatium, ut in ætate tenella, nonnunquam excedat magnitudinem virilem. Delitescente aqua, non minus extra, quàm intra calvariam: & utrobique, modo supra, modo infra membranas obvolventes, vel cerebrum, vel calvariam ipsi circumpositam.

Puer quinquennis, dissectus in valetudinario publico, congesserat in capite tantum liquoris ut vitiata naturali figura, tantopere inter se desciscerent dissoluta ossa: ut dilatata ipsorum compages, haud parum discreparet à virili magnitudine. Cui ooeri impar cum foret exile corpusculum, cogebatur, vel perpetuo desidere; vel assiduo incumbere cubili: saltem eousque, dum finem miseriæ imponeret mors.

Qua defunctus ostendit, io capite suo detineri, quinque aquæ libras: quibus effusis, fuere omnia adeo vacua, ac inania, ut plerique Medicorum præseotium, sed præpropere, judicaverint hic conspici, caput sine cerebro. At oculi acie, illuc penitius directa, vidimus satis perspicue cerebrum ooo defuisse: sed amissa figura globosa, induisse formam convexi fornicis: & ab exuberante aqua, sequacem ipsius medullam adeò fuisse distentam, ut instar alicujus crassioris membranæ, adhæresceret undique, arcuatæ, dissolutorum ossium circumferentiæ. Mirabantur autem summopere, qui sectioni interetant Medici, qui, ex tam deformi cerebro, & medulla adeo extensa, ac irrigua, prodierins (quod tamen sancte adseverabat pueri pater) iotegra mentis munia. Quum in aliis, vel solius figuræ vitium, inducat, sive morbum attonitum, sive lethargum, vel fatuitatem, vel insaoabilem aliquam amentiam. Aliis vero suggessit, confusa hæc iotricati cerebri congeries, inexpugnabile argumentum, adversus distincta illa loca, quæ nonnulli adsignant, cuilibet animæ facultati. Alii vicissim credebant, hic coofirmari dogma Aristotelis, asserentis cerebrum, non mentis ergo, sed refrigerandi cordis causa, constructum. Et prout quisque, vel amore, vel studio fuit, in hanc illamve partem, pro eo, etiam extulit ejecitve, vel hujus, vel illius senteotiam. Sed exercitatiores, confugiebant ad ingenuum illud: Quantum est quod nescimus! velut namque in aliis, sic certè credibile est, potissimum nos cæcutire, io genuino cerebri regimine: cujus opera multo fortassis sunt diviniora, quàm quisplam hactenus, suo comprehendit captu.

Sicuti autem priori puero, totum caput: ita proruberat aliis, duntaxat media ipsius pars: hærente liquore, vel in dextro, vel sinistro cerebri ventriculo. In quorum alterutro, memini me bis vidisse, ultra duas aquæ libras, inclusas tam strictè uni isti parti; ut altera foret planè illæsa ac integra. Inusserat quidem hisce capitibus, ulcera chirurgus; & dissecuerat non ono loco, cutem: sed utrumque, æque improspere; exstillante humore magis guttatim, quàm tam effuse, ut levaret cerebrum, & exbaotiret

fontem, vitalem calorem; alias certò extinctuum. *Nicol. Tulp. Observ. Med. lib.* 1.

Anno 1676. Calendarum Januarii decimo septimo dissecui Leovardiæ septem mensium abortum. Mater gravida ac paupercula desiderabat comedere carnem vaccinam salitam, quam præ egestate ad lubitum habere non potuit, tandem à vicinis vel ab aliis civibus eandem nacta est. Cùm porrò ferè satiebatur, quidam cornice fores pulsat, quas ut aperiat, à mensa surgit & per gradus descendens, cecidit, frustum istius carnis adhuc bucca tenens. Postea abortivit. Abortum paulo post præsente Augustino Reilnaldo aliisque Chirurgis aperuimus. Caput permagnum, intra spatium crassæ & tennis meningis duæ circiter libræ lymphæ cruentæ continebantur, glandola pinealis solito major & lympha turgida. Cerebrum aquosum & molle. In ore habebat vesicam lividam & carni salitæ, coctæque similem: primo intuitu carnosum quid esse putabam, sed incisione facta, lymphę unciæ ferè triginta ad laqueare vi quasi adactæ saliebant: hæc vesica totum os implebat ac linguam adeo premebat, ab interiore gingiva oriri videbatur, cùm alias ortum multo posterius habuit. Cystis aquosa videbatur mihi esse partem œsophagi posteriorem, & hinc liquet cur ventriculus adeo parvus erat, hujus vesiculæ constituendæ gratia, ventriculus suisum trahi debuit.

Porrò quoad hydrocephalon ex lapsu matris ortum, dicimus matrem unà cum fœtu eadem quasi vita frui, eodem modo ac surculus arbori insertus: omne enim quicquid patitur mater gravida, idem patitur embryon; matris terror fuit & embryonis; vascula lymphatica matris, satis rigida ac tenacia erant ne à terrore rumpantur, sed in fœtu nondum excluso mollia admodum, ac facilè fragilia, unde vascula lymphatica, cerebro contenta, ruperunt; liquorque effusus, cranium necdum coalitum, immensum dilatarunt, hinc hydrocephalos seu capitis hydrops. Sed unde vesicula ori contenta? Experientia satis docuit, quid non possit matris imaginatio. Fibræ nempe œsophagi adeo à liquore ex ruptis lymphaticorum vasculis dilatatæ fuerunt, ut vesicula extra os quasi propendere coacta fuit: interim vascula quædam sanguinea, cruorem reducere impotentia, rubedinem & livorem vesiculæ induxerunt, eo modo ac si carnem salitam, voraciter à matre ingestam repræsentaret. *Steph. Blancard. Anatom. pract.*

Hydrocephalus cum vesica carnosa circa suturam sagittalem.

Anno Christi nati 1666. die 7. Martii, Noribergæ, uxor J. W. textoris serici, juvencula, & anno præterito nupta, filiolam peperit facie quidem formosam, sed capite monstrosam, in cujus apice, circa suturam sagittalem excrescentia vesicæ instar, aqua repletæ, multo major puellæ capite prominuit, rotunda, rubicunda, tactu mollis & pellucida, maculas aliquot habens nigricantes, putredinis accedentis indices; circa radicem cutis apparuit naturalis & pilosa: Tertio post die noctu vesica hæc multo quam ab initio minor, sponte per vesiculas hinc inde exortas & apertas multum humoris serosi & rubicundi instar loturæ carnis exsudavit: Ideo 10. Martii Fridericus Kuhne, Chirurgus celebris, accersitus statim hanc vesicam monstrosam in parte anteriore versus radicem aperuit, cumque multum humoris serosi instar loturæ carnis effluxisset, totam vesicam jam semiputridam, ad cutem usque naturalem abscidit, absque ullo puellæ ejaculatu, Digito cavitatis superficiem explorans, ad magnitudinem ovi gallinacei, cranium nullum, sed loco illius cuticulam expansam reperit. Adhibitis postea emplastris suppurantibus aliisque remediis convenientibus, effecit ut cutis ad radicem vesicæ abscissæ positæ sensim abscesserit. Infans inde lac quidem maternum sugens & pultes pro more comedens, valde tamen debilis, die decima denique vitæ suæ mortem obiit. Posthinc accuratiori facta inspectione in loco concavo excrescentiæ abscissæ, subtus cranium nullum, sed meninges apparuere, nec intus in latere dextro cerebrum, sed loco hujus carnosa & glandulosa moles, in sinistro vero latere cerebri substantia naturalis inventa fuit. Ex communicatione D. Pauli Freheri.

Scholion Helwigianum. Practici communiter statuunt Hydrocephalum esse tumorem, seu collectionem humoris serosi, vel in toto capite, vel in parte aliqua capitis, scilicet nunc inter cutem & pericranium, nunc inter pericranium & cranium, nunc inter cranium & cerebri membranas, nunc inter membranas & cerebrum, itemque, Vesalio attestante lib. 1. de corp. human. fabric. cap. 5. & Fabricio Hildano cent. 1. obs. 10 in ipsa interdum cavitate cerebri. Causam autem hujus morbi constituunt duplicem; internam, nempe cerebri calorem debilem, cum cerebrum nimis refrigeratum ac humectatum, alimentum rectè elaborare, vel humores ab inferioribus partibus transmissos discutere nequit: vel cum vasa capitis rarescunt, & aquosam illam substantiam, quæ sanguini mista, in locum aliquem effundunt; Externam causam atque evidentem, plagam seu contusionem, quæ præsertim ab Obstetricibus fœtui in partu, vel alibi rudius contrectato & appresso capite infertur. Indè morbus hic in infantibus, quàm in adultis, ob calvariæ teneritatem, frequentior, periculosior, ac ut plurimum lethalis. De diagnosi, prognosi, & curatione hujus affectus latè satis scripserunt Daniel Sennertus lib. 1. Prax. part. 1. c. 28. & Ambrosius Paræus lib. 7. Oper. chirurg. c. 1. Hydrocephalum nostrum in utero ex interna causa ortum suum habuisse, historiæ series demonstrat, ac paucos dies vixisse. Alioquin cognovi Ratisponæ uxorem cujusdam vigilum Præfecti, temperamenti frigidi & humidi, corporis obesi, fere quadragenariam, quæ sæpius singulis pene annis, accrescente Luna, calvariæ suturis se dilatantibus & adaucto capitis tumore, hydrocephalæam singularem patitur, sed malo huic mature hydragogis, præsertim gargarismate quodam certo occurrit. Duorum hydrocephalorum etiam meminit Thom. Bartholinus observat. anatomic. cent. 1. observ. 28. Curationem & anatomiam hydrocephali ab Alhardo Hermanno Cummio conscriptam lege in Miscellaneis Anni primi Academ. Naturæ Curiosor. obs. 46. & 47. Nicolaus Tulpius habet etiam lib. 1. observat. medicar. c. 25. historiam hydrocephali, ac ejus curationis infelicia. Jo. Petrus Lotichius lib. 2. consil. & observat. medic. capit. 1. obs. 7. refert, sibi Anno 1633. Mindæ puellum ejusmodi semestrem consilii causa oblatum fuisse, sed noluisse quicquam tentare, ac sub prognostico illum dimisisse.

Additamentum Schrockii. Omnis morbus monstrosi quid in se continet, cum præter Naturę ordinem & intentionem generentur. An verò Hydrocephalus proprie sic dicta inter Monstra referri queat, merito dubitatur. Communiter non monstrorum, sed morborum in catalogo ponitur; & Illustriss. Thom. Bartholinus in tract. de Cometis, abortum,

abortum Helsingorensem hydrocephalum, quem pro monstro vulgus habuerat, morbis, non monstris, adnumerandum fuisse, decernit. Hydrocephalus utique, dum non nisi hydrops capitis exsistit, semper morbus est. Quandoque tamen revera monstrorum numerum augere probabile est. Id quod patebit, si monstri definitio ei adplicetur, quod juxta Licetum aliosque, est Vivens subcœleste, membrorum constitutione enormi, videntibus horrorem cum admiratione incutiens, raro admodum nascens, ex secundario naturæ instituto genitum, propter aliquod impedimentum in principiis suæ conformationis. Fœtus enim, cujus caput ab ingenti seri copia in immensam molem extensum est, deformi illo & improportionato capite, videntibus, non tantum vulgò, sed & Medicis horrorem cum admiratione facile incutere potest, inprimis cum rarus admodum sit, paucisque Medentibus videre tales contingat, ac fœtum magnopere deformet. Cæterum ex secundario Naturæ instituto semper generatur varias ob causas, interdum etiam propter aliquod impedimentum in principiis suæ conformationis. Hydrocephalum itaque & morbosum, & interdum quoque monstrosum dari, dici posset. Ille non tantum embryonem, sed & adultos invadere valet, collecto nimirum p. n. in capite aquoso humore; præterea intra cranium quandoque consistit, latetque, qualem Petr. Borellus cent. 1. histor. 8. describit: unde nec deformis nec horridus videntibus adparere potest; interdum in fœtu sine errore formatricis in utero, abundantis, & vel ibi sponte stagnantis, vel ob externam aliquam violentiam, ubi percussionem, casum &c. cum primis in partu contrectatam durius & compressam ab incauta vel imperita obstetricis manu tenellulam calvariam, collecti seri soboles esse potest. Hic autem, scilicet monstrosus Hydrocephalus quod detur, ipse Bartholinus laudatus non planè contradicit, dum à morboso illo Helsingorensi actionem sympatheticam excludi haud posse, cum Cl. Friderico Hammerito adfirmat; hæsisse enim, refert, mulieri hoc fœtu gravidæ in fixa memoria insortunium, quod pridem ejus culpa infanti Chirurgi acciderat, qui in lebetem ferventis aquæ demersus paulo post exspiraverat. Sic etiam Guil. Fabric. Hild. cent. 5. obs. 3. puellam ætatis undecim aut duodecim circiter annorum, ob intempestivam curiositatem, continuo circa infantulum hydrocephalicum fuisse versatam, caputque ejus tractasse commemorat, tam altæ memoriæ ejus idea hydrocephali impressa, ut aliquot post annos viro cum nupsisset, toto gestationis tempore monstrosum illud caput continuo ferè ante oculos ipsi observaretur, fœtumque pariter hydrocephalicum enixa fuerit. Imaginationem itaque hujus mali præcipuam fuisse causam apud me, sic Hildanus subjungit, nullum est dubium. Idem confirmare posset historia à Levino Lemnio lib. 1. de occult. natur. miracul. cap. 4. descripta, si internam etiam capitis, stupenda magnitudine, à phantasia matris ex conspecta hydrocephali pictura attonitæ, deformati constitutionem traderet; ubi quidem serum copiosum non defuisse, suspicari licet. Et cur phantasia carnosas, aliasque præternaturales excrescentias embryonis capiti sæpius adnectens, humoris serosi cursui uberiori ad partem illam pariter ansam præbere nequeat? Quidquid sit, præsens casus, ob miram, quæ post mortem comparuit, capitis constitutionem, monstra inter referri utique poterit. *Alardi Hermanni Cummii.*

Hydrocephalus vitio spinæ bifidæ.

Anno 1683. d. 22. Febr. natus est infans masculus Parentibus quibusdam magni nominis, non sine magno gaudio. Sed ubi statim post partum tenelli infantis corpus paulo exactius examinarunt, duos tumores, unum in occipite, alterum in spina dorsi offenderunt. Ille in medio occipitis juglandem magnitudine æquavit, tactu mollis, colore fusco, multis pilis obsitus, similibus murium pilis. Mater hujus tumoris causa fuit, uti postea dicetur. Alter tumor in spina dorsi, magnitudinem ovi anserini habuit, initium sumens ab ultima thoracis vertebra, tendens usque ad os coccygis, colore sanguineo, tactu mollis, instar fungosæ carnis. Ad latera vero tumoris spinæ dorsi divisæ, margines utrinque satis luculenter digitis tangi & distingui poterant. Medicos & Chirurgos consuluere, quid circa istum tumorem agendum? Chirurgorum intempestiva suppuratio rejecta, Medicorumque opinio admissa, nempe & naturam tumoris & conditionem corporis infantis requirere lenia exsiccantia ex variis herbis & floribus, quæ etiam adhibita; & sæpe quotidie tumori calide imposita.

Secundo à partu die apparuit totalis utriusque pedis paralysis à coxendice usque ad plantam, non sine suspicione illum morbum ortum vitio spinalis medullæ. Varii spiritus & aquæ spirituosæ membro affecto adhibitæ, sed incassum, uti etiam exsiccantia pro curando tumore.

Interea caput sensim sensimque in molem præternaturalem extensum, ossa calvariæ nec dum ferruminata ad pollicis latitudinem & amplius ab invicem distare observata, pericranium pellucidum & reliquum corpus macie consumi deprehensum. Lacte interea rite tenellus nutritus, excrementa debite reddidit, somno refectus & ceteræ medii & infimi ventris functiones integræ repertæ, nisi quod tussiret quandoque & difficulter respiraret, quæ tussis eo aucta, ut sub initio. Mali usque ad finem vitæ cum stertore & sonitu clangosum duxerit spiritum.

Interea moles capitis adeo aucta, ut truncum corporis præponderaret, cum summa miseri infantis molestia.

Die 28 Maii placidissime hic infans absque motibus convulsivis animam efflavit.

Die 29 Ejusdem, permissu Parentum, corpus examine disquisitioni anatomicæ subjectum

Aperto abdomine, nullum fere omentum, nisi tantillum, quod fundo ventriculi adhæsit; intestina verò laudabiliter constitutа reperta. Ventriculus, hepar, lien, renes, optimè, in pectore pulmones & cor absque omni culpa.

Exemptis his, spina dorsi ab altera parte tumorem supra descriptum, obtulit.

Quo dissecto duo cochlearia aquæ insipidæ & limpidissimæ, crystalli instar efflusere, nihil cruoris, nihil substantiæ fungosæ vel peregrinæ; nihil, quod magis, spinalis medullæ, repertum, filamenta quædam alba & tennissima si excipias; rudera potius membranæ investientis spinalem medullam, quam nervorum.

Vertebræ vero ipsæ, ab ultima thoracis usque ad os coccygis supputando, in utramque partem dilatatæ, admodum deformes, quarum structura depravata spinæ bifidæ, quam Tulpius obs. 38. l. 3. exhibet, tam similis est, quam ovum ovo. Per foramen ultimæ thoracis vertebræ hians in apertum tumorem

& explicatas lumborum vertebras, stylo Chirurgus penetravit, usque ad tertiam colli vertebram.

Medullæ spinalis in utrumque crus nulla divisio, quare tota in liquorem limpidum sesoluta, cruribus nihil virium afferre potuit.

Porro caput in tantam molem cretum insolita promisit.

Pericranio facili negotio in crucem dissecto, ossa cranii infantum more nullibi conglutinata, in naturali statu omnia apparebant, nisi quod longius quam solent, & latum pollicem ab invicem sejungerentur.

In medio quoque occipitis osse, rotnodum foramen, crassum digitum admittens, in conspectum veniebat, omnino præternaturale, pericranio eo in loco, ut principio dictum, in levem tumorem elevato, ac pilis consito.

Meninx dura piaque, ut & cortex cerebri, quoad externam faciem, erant sanissima. Cum vero in cerebri corticem ad ventriculos ejusdem explorandos culter fixus, viderunt corticem non excedere calami scriptorii crassitudinem, quo separato, loco ventriculorum offenderunt amplam quasi vesicam, repletam limpidissima & insipida aqua, quantitate oncias quinquaginta excedente, neglecta ea quam spongiæ & linteamina imbiberunt.

Hac effusa collapsi cerebri ventriculi manifesto docuerunt, illam in utrumque ventriculum per corticem, mediantibus tubulis, à recentioribus Anatomicis passim descriptis, destillasse, undiqoe sua copia cerebri substantiam, cranium, pericranium extendisse, atque capiti illam deformitatem conciliasse.

Reliquas cerebri partes, glandulam pinealem, nates, vulvam &c. examinare non permisit præceps aquarum affluxus, & hunc insecuta partium illarum confusio. Ex cerebello tamen adhuc integro, & naturaliter constituto pars in spinam dorsi pro medulla deferebatur, quæ solummodo unam & alteram thoracis vertebram assecuta in brachia dimittebatur pro motu illis conciliando. In reliquis thoracis vertebris medulla sensim deficiebat, & in prima lumborum erat planè nulla: Altera pars cerebelli in aquarum cerebri per occipitis ossis foramen insolitum supra descriptum, propulsa, ibi tumorem illum pilis consitum formabat, qui signatura muriformis ante obitum credebatur.

Mater infantis quæsita, an tempore gestationis terrorem ex re aliqua adversa passa sit, unde signaturam illam muriformem fœtus acquisivisset? Respondit, se quidem à muribus ordinario non moveri, sed accidisse ante 4. menses, ut maritus parvulum saccolum herbarum odoriferarum plenum, lusus ergo ipsi ex improviso in occiput jacuerit, quo perterrita sibi imaginatam esse, murem ab alto in occiput cecidisse, & citius locum affectum digitis parum fricuisse.

Cui verò tumorem spinæ adscribere deberet, nescivit: Nisi quod cecidisset aliquoties graviter, & semel cervi cujusdam vertebras ad usum œconomicum in longum diffindere paulo attentius intuita sit. *D. Ioh. Lechelii.*

In Hydrocephalo, qui puerilis & jam pridem natorum, forte etiam nascentium, est morbus, serosa colluvies nunc cerebrum atque membranas, nunc membranas & Cranium, Periostiumque & cutim inter, sæpius tamen in Cerebri cavitatibus, ut quæ natura excipiendo sero sunt destinatæ, deprehenditur. Unam ego Hydrocephali anatomiam, quod rara sit minusque pro sui pretio descripta, curiosius exponam. Anno vertentis seculi sexagesimo sexto à B. D. van Horne, Anatomico celeberrimo, Infantem dissecari vidi fere septimestrem, cujus caput jam inde à nativitate ex Hydrocephalo tumescens tandem cæteri corporis staturam enormi magnitudine infamare & vitam copia inundantis seri obruere cœpit. Utrum septenarius Criticus tantopere nonnullis & ipsi M. A. Severino, in Hydrocephalo Hildani & ipso septimestri, formidatus, an secretior impetus tempus hoc definiverit, superstitiosi ocli cultoribus interpretandum relinquo. Certè Infanti nostro statim à partu secundum omnes dimensiones caput in majus augeri cœpit, invalescente tumore ad mortem usque, adeo ut peripheria capitis æquaret ulnam fere & dimidiam. Reliqui corpusculi & ipsius vultus proportio longè pro isto capitis officii tumore minima; jurasses universo trunco vultuique detractam humiditatem in unum caput concessisse, adeo macra omnia atque strigosa. Tensa quam maxime capitis cutis, nec Periostium, ullis aquis rigabantur, ubi tum ossium compages alia apparuit, quam esse solet. Hiatus ille rhomboides, Fontanellam vocant, longe patentior quam oportet, continuato etiam per suturas, sagittalem & coronalem, plus quam digitali divortio, satis ostendebat subjectam Cerebri molem in dies auctiorem coalitum impedivisse, atque hinc in illo suturarum divulsarum spatio cutis ipsa cum dura menynge arctissime concreverat, adeo ut laboriose secerni potuerit. Tenuiora adhæc videbantur Bregmatis ossa & cornea fere, in oris etiam quæque suis cartilaginosa ad notabile intervallum, ubi radiantium fibrarum ossearum lusum pulchrè animadvertere licuit. Nulla interim aqua, neque cranium inter & crassam membranam, neque hanc & tenuem, superficies duntaxat cerebri solito humidior; hic vero ingens cerebri tumor complanata undique superficie, mæandrorum, qui alias distinguere corticem solent, vestigia aboleverat, adeo & venæ, quæ copiose irrigare cerebrum debebant, paucæ apparuere, & in ampliata propulsaque Cerebri convexitate exiles. Itaque, cum intus ali monstrum videretur, scum admovit Anatomicus, qua in Paracentesi uti solemus, cerebrumque, cujus passim crassitudo vix digitum æquabat, pertudit. Fluere statim limpidissimi seri rivus cœpit, quem, quod deliquium metuendum non erat, ad uncias Clxiii. non numerato, quod in anfractus cerebrique basin se diffuderat, excepit. Subsidebat interim Cerebrum pro ratione & modo fluentis aquæ, jamque formam & magnitudinem subsidendo amiserat, cum interiora ejus cultro rimari curiosa manus cœpit; reperit autem ipsam illam Cerebri substantiam tenuem admodum, intus etiam rarissimis sanguinis permeantia vestigiis perfusam. In Ventriculorum fundo lenta reliqua erat & pituitosa Lympha, quæ se glutinis instar parietibus cerebri medullaris & ventriculorum limbis applicaverat. Quid quod radix Cerebri à perpetuo illo diluvio & seri incubitu in fibras diffluxisse videbatur, quibus alias constare naturaliter solet. Loco suo quæsita Glandula Pinealis non apparuit, sive avulsa seu deliquio soluta. In plexu Chorioide nullæ etiam glandulæ conspectæ. Cerebellum autem plane integrum & nulla sui parte labefactatum, nulla etiam aqua in Ventriculo ejus, adeo &, quod mirandum, gyri anfractusque illæsi & lætiore sanguinis colore perfusi. Et hæc quidem erit Hydrocephali historia, cujus causam si altius repeto, non ambigendum,

quin

quin sæva Obstetricis manus intempestiva compressione ossium Bregmatis plurimum eo contulerit, & coarctato infimul venatum spatio lentæ Circulationi & hinc ortæ secretioni Aquosæ occasionem dederit, quæ deinde laxatis fibrarum medullarium intervallis se in Ventriculos, ordinarias humidi lymphatici officinas, stillando effuderit. Vulgato experimento jam olim cognovi, ligatis venis jugularibus internis in vitulo sæminostro cerebrum copiosè à restagnante sero inundatum fuisse; adeo & à remissâ circulatione lentiusque eunte sanguine idem fieri probabile est. *Ioh. Nicol. Pechlinus in Observat. Physico-medic.*

Hydrocephalicus & hydropicus.

Sigmund Biermann adolescens 27. circiter annot. in tenella ætate, ut sciscitantibus nobis confessus est, motibus convulsivis valde obnoxius, à cathartis toto reliquæ vitæ decursu nunquam immunis exitit. In Nosotrophium, propter summam imbecillitatem, sex circiter ante obitum septiman advectus præcipuè tum de diarrhœa querelas movit & appetitu prostrato, cum siti, quæ tantum non ad finem vitæ usque duravit: manus erant tremulæ, pulsus nunquam naturalis, sed tremulus & creber, tractu temporis. feri effusionibus magis magisque urgentibus, & infimo ventre plenius intumescente, æger Creatori spiritum reddidit.

Præsentibus Medicis aliquot inter quos tum erat Clariss. D. D. Stokerus Scaphusianus, sub vesperam operi sectionis nos accinximus Ann. 1677. mens. April. Curæ præcipuè fuit cerebrum, unde cranio ablato illud studiosius lustravimus. Dura mater densissima fuit, & Pia ipsi parum absimilis, si non densior, sanguine præterea corrupto ac putrido penitus sputcata. Cerebrum, quasi mera gelatina obductum esset, per hanc ipsam transparuit, ejus substantia tota flaccida fuit, & aqueis humoribus irrigua, qui pia meninge ablata copiosè in fugam dabantur. Ventriculi anteriores, una cum tertio & quarto, ichore aquoso erant referti; in plexu choroïdeo glandulam utrinque reperimus durinsculam, nisi magnitudine. Aperto abdomine, al quot mensuræ seri putridi, summè fœtentis erumperunt. Epiloon putruit, pancreas albicans & durum, hepar parte cava inflammatum & corruptum fuit. Ex vesicula fellis, cujus facies exterior gelatinosa videbatur, discissa effluxit humor, qualis ex ovo putrido prodire consuevit. In Mesenterio lympham in vasculis stagnantem animadvertimus, in quam vero, uti nec in thoracem media urgente nocte, studiosius inquirere non licuit. *Ioh. Iacob. Harderus in Observation. Anatomico-Practicis.*

Jacobi Calvas Mercatoris Nemausensis filius, tertium ætatis annum agens, vegetus & elegans, sine causâ manifesta soporatus & torpens, ἀπόπληκτος, post multa valida & confestim sine fructu adhibita remedia, pulsu & respiratione paulatim deficientibus, è vivis excessit.

Aperto capite cerebrum sero è vasis scatutiente inundabatur.

Filius Causidici Nemausensis primi nominis, in eadem ætate constitutus, actis ingenii, haud multum absimili, verum iniquiore fato functus est; etenim ophtalmia & Lippitudine frequenter laborans, per dies quindecim sustinuit convulsivos motus, quos excepere veternus & mors.

Apertum caput, fontanellam oppido hiantem, suturamque sagittalem os coronale intercindentem, & ad nasi usque radices protensam exhibuit. Dura meninx admodum densa fuit, ejusque vasa, quæ sub osse parietali sinistro sita sunt, fuere turgida sanguine, & inflammatione occupata. Paucissimus adfuit sanguis in vasis cerebri, quod ut & fistula spinalis, vasto seri gurgite restagnabat. Dum viveret misellus, meatulum infra sinistram aurem situm, lympha perpetuo madentem, verum post mortem prorsus obliteratum, gessit. Malè huic se habuere pancreas & mesenterium; magnaque fuit ipsi vesicula fellea, quam limpidus, sed fusci coloris succus adimplebat Ann. 1679. *Ex communicatione Clarissimi Viri Domini Rivalier Medici Nemausensis &c.*

Sutoris Nemausensis filiolus ab ipso ortu laboravit Hydrocephalo, ex quo caput in molem immensam, & solita q. adruplo majorem, creverat, cranii sinuris quatuor ferme transversorum digitorum spatio dehiscentibus; Hebes & sensibus propemodum orbatus, oculisque mire inversis, ad omnia, prætetquam ad exsiccandas nutricis mammas, male se habens per sesquiannum victitavit. Tandem motibus convulsivis fractus fatalem diem clausit. Ann. 1680. *Ex eadem communicatione.*

Historia Anatomica Hydrocephali 1665.

Mulier staturæ mediocris, sana, bene colorata, secundò gravida d. 14 Dec. stato tempore & absoluta quadraginta septimanarum periodo mane stimulus ad patiendum pati cœpit, post meridiem nixus increbuerunt, ac vesperi horis tribus vehementissime ipsam affixerunt; quibus elapsis prodiit fœtus podice & sensim reliquo corpore ad collum usque: caput diu in utero perstitit; post multos & validissimos conatus tandem fœtum mortuum totum exclusit, cujus motum toto hoc die non amplius animadverterit. Fœtus erat masculus aspectu monstrosus: caput enim virile æquabat atque in dorso gibbus videbatur. Circa quintam vespertinam Parens vocatus fœtum hunc cum chirurgo diligenter perlustravit, In capite Frons, Tempora & Occiput protuberabant admodum & Sinciput in fastigium monstrosum attollebatur: Facies tel qua bene conformata & parva erat sc. oculi, nasus, genæ, labia à venustate matrem referente prorsus nihil abscedebant. Omnes suturæ sc. ossis frontis, coronalis, sagittalis, Lamdoides & temporum plurimum hiabant, adeò ut ossa plerunque ultra unciam distarent: In dextro latere sc. in fronte & bregmate sub cuti capillata, ut & ibi, ubi suturarum hiatus tangebatur, fluctuantem humorem sensit: in sinistro autem latere cutis capillata arctius ossi adhærebat. Totum caput albicans erat, exceptis bregmate dextro & suturarum divulsarum sedibus lividioribus incisa, cuti in sincipite dextro prosiliit aqua loturæ carnium similis, fœtoris expers copiosè atque inclinato capite ad libras tres circiter emanavit. Hinc ampliato vulnere & cuti antrorsum usque ad frontem, retrorsum usque ad nucham & in latere usque ad aurem dextram incisa, invenit ossa sincipitis & frontis prorsus non solùm à cute sed etiam pericranio foris denudata ac imprimis os sincipitis avulsum ab osse temporis prominebat inferius pertenue & quasi pecten latis & in acumen desinentibus Stylum dentibus: totus verò ossa hæc dura matre naturali crassitie arctissime obducebantur atq; ea intermedia circa hiantes suturas uniebantur excepto illo loco, ubi os sincipitis pectinatũ quasi protuberavit. Dura matre ad latus dextrum corporis falciformis à fronte ad occiput & in latere ad aurem

incisa, reclinatis ossibus occurrit cerebrum, cujus superficies anfractibus ferme destituta, rugosa tamen instar bursæ capacioris semivacuæ atque hinc inde aqua loturæ carnium simili inundata. Spatium inter duram & piam matrem in hoc latere amplissimum erat. Inciso cerebro ad interiora ventriculi dextri, deprehendit illum capacissimum, spatium namque ejus antrorsum, retrorsum atque ad latera expansum fuit ab aqua: Fornix & paries ejus dexter tempus versus crassitie parvi digiti multò minor fuit: continebat adhuc aquam cruentam, & quamvis cerebri substantia intus, extusque ab ista aqua madefiebat & continuè abluebatur, nihilominus tamen multò densior, firmior & tenacior erat quàm aliàs in hac ætate imò adultioribus observatur: speculum lucidum robustiùs erat solito, nec facilè rumpebatur. Plexus choroideus in glomerem quasi contractus, totus posticam partem occupavit, prædirus copiosissimis & amplissimis vasis sanguine nigro turgidis, pendebant ex ipso aliquot corpora atro-rubentia, quorum tria papillas unciam semissem longas referebant, gracilia & in apicem acutum desinentia, ex quibus pressis stillavit aqua subcruenta; alia minora insuper aderant. Præter hiatum naturalem hujus ventriculi circa crura medullæ, vidit in latere dextro posteriora versus ipsum lacerum fuisse, adeò ut foramen facile digitum admitteret: quod tamen recenter vel in ipso difficili partu factum fuisse conjecit, qu'a ejus labia inæqualia & prorsus albicantia erant, similia scilicet illis quæ fecit dum ventriculum istum studio perrupit.

Tota interna superficies hujus ventriculi lævis subflava & firma fuit ac si membrana debitò densiore investita fuisset. Incisa dura meninge in sinistro latere ad latus corporis falciformis & ad latus secundum ductus suturatum, nullam aquam inter cutim capillatam & ossa invenit, nec uti in dextro latere cutis ab ossibus secesserat, verùm quoque plurimum hujus aquæ subcruentæ in spatio itidem amplo inter duram & tenuem meningem deprehendit, non tamen tam copiosam ut in dextro latere. Aperto ante ejus sinistro ventriculo ac vulnere ad occiput usque dilatato invenit quoque aquam subcruentam absque ullis grumis: parietes itidem medullosi hunc ventriculum constituentes, longè graciliores erant, quam in sanis videntur: Spatium quoque illorum amplum erat, minus tamen quam dextrum, prout quoque aqua in minori copia quam in dextro superérat, quamvis plurimum quoque ad dextrum ventriculum inclinato dextrorsum capite defluxisse videtur. Interna superficies hujus ventriculi undiquaq; lævis & albidior quam dextri fuit. A cruribus plexus choroïdei in parte postica pendebant quoque corpora atro-rubentia papillaria nec pauciora nec minora quam in dextro ventriculo, vasaque ejus sanguine turgidissima erant, adeò ut glandula pinealis his prorsus obvolveretur. In ventriculo tertio eadem aqua, sed minori quantitate pugnavit. Circa glandulam pituitariam quoque vasa sanguifera capillaria conspectiora erant; ipsa verò & Infundibulum à naturali constitutione non multùm descivisse videbatur. Cerebellum in suo antro delituit atque ab aquæ hujus illuvie immune servabatur beneficio sepimenti à dura matre inter cerebrum & cerebellum existentis. Flaccidius multùm erat cerebro uti solet. Spina dorsi ab ultima cervicis vertebra ad os sacrum usque manifestè duplex erat. Vertebræ lumbares in gibbum attollebantur: ibique cutis multò sanguine, ob partum difficilem suffusa erat. Incisa cuti in dorso circa primam vertebram lumbarem sub illâ invenit substantiam medullarem cerebro similem, subflavam ad nucis juglandis magnitudinem: qua remota nullum foramen nullumve aditum alium ad spinalem medullam deprehendere potuit, nihilque aliud quàm cavernulæ huic substantiæ destinata apparuit. An verò per utramque spinam medullæ descenderit? Per morositatem parentis indagare non licuit. *Ex communicatione Clariss. Viri Antonii Drelincurtii Rerum Publicar. m Bernensis & Friburgensis Archiatri Extraordinarii & Antistitis.*

Hydrocephalus apertus.

Clariss. Ambrosii Stegmanni. Miscell. Curios. Decur. iij. Ann. 1.

Meretrix quædam infantem Wettmi enitebatur hydrocephalo laborantem, qui post mensem in tantam molem crescebat, ut mater impar esset infantem ex cunis attollere. Hinc, cùm sic in sua miseria periisset infans, ex curiositate & petitis quorundam amicorum aperiebam caput, ex quo plus ultra xii. mensuras vel ℔. xxiv. ichoris profluebat (velut hoc Chirurgi & omnes alii attestantur, qui huic apertioni interfuerunt) Cerebrum exiguum erat, instar oculi bovini ad ℥iß. accedens, & simul totum putrefactum & corruptum.

Hydrocephalò laborantium Anatomiæ. Clariss. Ioh. Conradi Brunneri, Miscell. Curios. Decur. iij. An. 1.

Henrici Slatteri filia, nata Beringæ prope Scaphusiam die 24. Febr. Anno 1688. capite benè conformato matri & obstetrici visa fuit. In dorso, ad latus vertebrarum dextrum, macula livida apparuit uncias quinque longa & tres lata, quæ in dies aliquantulum augebatur, nunquam tamen ad altitudinem & crassitiem parvi digiti assurgebat; tam splendida evasit ut mater faciem & speciem vestium intueri in ea, ceu in speculo potuerit. Pes dexter à vitæ primordio semper immotus fuit. Circa decimum ætatis diem, cùm aqua per tenuissimam maculæ membranam, transpareret; à Chirurgo vulnusculum inflictum fuit, profiliit aqua limpidissima, ac si puellus, ut mater loquebatur, mingeret: Vulnusculum brevi coaluit, quod matr fexies adhuc diebus insequentibus refricuit: qualibet vice aqua ex vulnere ad ℥iij. effluxit: hac emissa, sinus amplus, & in hoc caro cruda per cutim conspiciebatur: secedente tenerrima cute ulcus mansit, quòd à Chirurgo paucorum dierum intervallo consolidatum fuit. Quamprimum ulcus cute obductum fuit, nihilque seri amplius exstillavit, sinciput dextrum primum, postea & sinistrum in fastigium attolli cœpit, ac intra quartam ætatis septimanam hydrocephalus vastæ molis emersit. Interea semper edit, fuxitque Infans, alvi fœces & urinam ritè excrevit; habitus autem qui ante plenus, sensim emaciari cœpit.

Die 1. Maii caput vastæ molis apparuit, altum tres palmas & fermè totidem latum; Sinciput mirè in utroque latere fastigiatum, in duos quasi colles divisum, intermedia convalle: tempora summopere prominebant: frons depressa, planè non prominula, & occiput depressum erat. Ossa sincipitis ad duas palmas à se invicem, & temporum palmam à sincipitis ossibus distabant. Attactu

molle

molle totum caput fuit & manifestè fluctuatio percipiebatur exceptô ubi ossa cuti affixa erant. Vasa sanguifera in temporibus & sincipite rutilabant; sanguine distenta. Caput tepebat, alicubi frigidum erat. Vertebra prima dorsi magis debito protuberabat, ubi macula olim, ibidem cutis depressior, & rubicunda cicatrix remansit. Famelica & siticulosa mirè linguam vibravit, & labia lambit: Postquam mater lac in infantis osculum emulsit, avidè illud abligurivit, posteaque suxit; secus si fecit, non suxit. Pulticulam avidè comedit & sitiit. Aiebat mater nycthemeri spatio præter lac maternum (quo non abundabat) ad ℥viij. aquæ bibisse. Vagiit, brachiaque movit, oculos item, quorum tamen non nisi album conspiciebatur, nisi deorsum ductis palpebris inferioribus. Excrementa alvi & urinam risè excrevit. Diaphragma ordinatè movebatur, hypogastrium inæqualiter intumescebat, mox iterum subsidebat; intumescentibus intestinis tormina pati videbatur; nam præsentibus illis intumescentiis subinde vagiit. Habitus multùm extenuatus erat, non tamen tantopere, ut in hecticis & tabidis observatur. Illam audire ex nullo indicio constitit, at tactum integrum esse manifestò patuit. Mirè lacte materno delectari ex linguæ vibratione & labiorum lambitione colligere licuit, quæ alacriùs fiebant ex ejus suctione, quàm aquâ ori instillatâ. Cutis capitis non prorsus depilis erat. Capilli erant subfusci. Inter sugendum & bibendum inter aliquid convulsivi patiebatur in faucibus, propter quod deglutitio impediebatur. Hæc omnia abundè contemplatus literis consignavit *Venerandus Wepferus noster*, parentesque ut infantis obitum indicarent, præmiis instigavit.

Die 15. Maii misella diem suum obiit. Absente Venerando Wepfero in me secandi munus recidit. Percepto nuntio, eodem die ad dissecandum cadaver properavi, meque è vestigio secutus est Excellentissimus Dn. D. Screta. Mirati sumus ambo stupendam capitis molem atque figuram insolitam; quam cùm superius jam sit descripta, hic repetere supervacaneum duco: Anatome autem sequentia nobis exhibuit: Incisa decussatim cute capillata, quatuor ejus lobos detraxi, inter separandum multum seri exsudavit; ex incisis autem & dissectis venis sanguis aquosus effluxit. Separata cute, pericranium cum dura matre coaluisse observavimus: utrumque Cerebri hemisphærium mirè fastigiatum erat, corpusque falciforme intermediam formabat convallem. In summitate cerebrum erat pellucidum, ceu vesica aquâ plena eidem incumberet. Ossa cranii longissimè à se invicem mira membranarum ententsibilitate abscesserant. Sinus longitudinis utrique hemisphærio arctè immersus, nonnisi à parte postica, qua sanguis pellucebat, fuit conspicuus: hunc incidi, stylumque immisi, qui in profundum ibat inter utrumque hemisphærium ad trium digitorum transversorum longitudinem: Corpus falciforme secundum longitudinem & latitudinem extensum & extenuatum fuit. Abhinc vulnusculum in summitate cerebri papyro madido, quem examussim referebat, nec tamen prorupit aqua, donec vulnusculum alterum inflixi: tunc nempe prosiliit aqua limpidissima. Instrumentis idoneis destituebamur, quibus aqua ponderari potuisset, octo autem librarum pondere, tum Excellentissimo Dn. D. Scretæ, tum mihi quoque visa fuit. Ejus in cochleari ferreo nonnihil prunis imposuimus; sensim evaporavit, & bulliendo spumam concitavit; non in gelatinam concrevit, uti aqua in ventre hydropicorum reperta solet, sed post evaporationem sal acre reliquit; Effluente aquâ, utrumque cerebri hemisphærium unà subsidit; tandemque hac penitùs emissâ, usque adeo capitis moles concidit, ut modo conspici caput sine cerebro dixisses. Dilatato vulnusculo, intus specus nitidus & ingens caverna apparuit, cujus interiora vasis sanguiferis ornabantur. Remoto corpore falciformi, quod profundè cerebrum sulcabat, corpus callosum candidissimum, sed mirè extensum & extenuatum in conspectum venit: Speculum lucidum & in hoc cavitatem, quam duplicatura constituit, intuiti sumus. Nullam autem ruptionem ultra modum distentarum partium reperimus. Corpora striata depressa erant & interiori cerebri superficiei adæquata. Luci exposita exhibuerunt *innumeras papillas, acicularum capitellorum magnitudine prominentes*; attactu nec asperæ nec inæquales, nec nisi radianti luci obversæ conspiciebantur. Processus, qui crura medullæ oblongatæ conjungit transversus, brevis aliàs ad unciam unam cum dimidia vi aquarum diductus erat. Thalami nervorum opticorum cum protuberantiis orbicularibus ritè sese habuerunt. Glandula pinealis parva & mucaginea inter contrectandum diffluxit. Plexus choroideo utrique tuberculum phaseoli magnitudine erat innexum, testiculos fœmineos examussim referens, circum circa hydatides ceu ovula in ovariis mulierum conspiciebantur, Processus mammillares dicti, exigui, cæci & impervii fuerunt; reliqua nervorum paria omni vitio caruêre, nisi quod aquis erant submersa. Infundibulum rescissum inflare frustra conatus fui, quippe flatum non transmisit. Glandulam pituitariam diligenter examinavi; nihil tamen præternaturale in hac offendi, nisi quòd humor unctuosus, pellucidus tamen stylo, visci instar adhæsit.

Cerebellum flaccidum fuit; ventriculus quartus peramplus, emissa aqua subsidit. Spinalis medulla in meditullio perforata fuit & aquâ referta. Stylus immissus mergebatur sponte sua ad palmæ longitudinem versus maculam; quæ juxta spinam dorsi visa fuit. Hanc incidi; cavitas adhuc, & spinalis medulla nuda apparuit; vertebræ ibidem ad pollicis distantiam hiabant. Tubulo exploravi atque flatu, si quis forte meatus exinde versus cerebrum & vice versa daretur; frustra autem fui, nullum quippe flatum transmisit. Circa primam dorsi vertebram (de qua suprà) tuberculum apparuit; incisa cute, officulum inæquale & informe subfuit. Longiorem pervestigationem importune muliercularum fletus prohibuerunt; loculo proin nos, alii terræ mandarunt cadaver.

II. Michaëlis Flor, Civis Heidelbergensis filius, natus die 24. Octobr. Ann 1688. omnibus bene conformatus visus fuit; in dorso supra os sacrum macula, seu substantia tendinosa & coriacea apparuit; suxit infans & bellè valere visus fuit; brachia movit, pedes autem ferè immoti manserunt; postquam ad eam pervenit ætatem, qua alii infantes, quorum plures peperit mater, pedibus consistere valebant, penduli manserunt erecto infante, & urina sponte effluxit; anus insuper ad trium unciarum longitudinem excidit, ut repetita repositione opus fuerit. Alvus plerumque fuit lubrica, Macula dorsi in dies augebatur, & in majorem molem, quin tumorem tandem insignem excrevit, ut præ hoc nec cubare nec quiescere liceret infanti nisi in alterutrum latus devoluto. Tandem de abscissione tumoris monstrosi cogitare cœperunt Parentes, vocarunt

runtque Chirurgum Circumforaneum, qui decimâ quartâ ætatis septimanâ extirpationem ausus fuit. Tumorem circumcidit temerarius, & filo, acu traducto comprehensum protraxit, mox abscidit & extirpavit funditus. Inter abscissionem plus libra aquæ limpidissimæ effluxisse, saporis salsi, testatum fuit, In medio tumoris radix seu pedunculus apparuit cavus, qui inflatus in varias ramificationes, tandemque expansiones membranaceas abiit, ceu cellulas & concamerationes, in quibus dicta stagnavit aqua. Post amputationem caput infantis considere statim & mole minui observatum fuit; indicio haut obscuro, aquam ex ventriculis & cerebri cavitatibus promanasse. Pedunculus nonnisi congeries fuit, seu fasciculus nervorum è spina dorsi exorbitantium, in medio pervius, ut stylum facile admitteret. Circumcirca alii nervi non eodem fasciculo comprehensi ad tumorem tendebant: vasa quoque sanguifera è spina dorsi emergentia eodem appellebant: Subtus membrana spinalem medullam aliàs involvens apparuit inanis; adeò ut vel omnis medulla spinalis hâc exorbitans, in dictum tumorem terminari visa fuerit. Anos propendit ad unciæ unius cum dimidia longitudinem. Caput collapsum fuit eo usque, ut fonticulus pollicem meum facile ceperit, & ossa temporum sibi invicem impenderint. Cæterum nihil vitii foris apparuit; interiora perlustrare vetuit superstitiosæ matris pietas.

Scholium. Qui ventriculos cerebri tantùm levitatis gratiâ conditos esse existimant, nimis leves mihi Naturæ contemplatores; neque ad rem satis attendisse illi videntur, qui non ex primariâ naturæ intentione, sed secundariò tantùm & accidentaliter ex cerebri complicatione hos resultare existimant. Sed & insuper mirari subit eorum sententiam, qui cerebri ventriculos spirituum domicilia statuere non dubitant. Certè si attentiùs pensicularent, quæ crebrius dissecanti cerebra obtingunt phænomena, modò aquarum illuvies & stagnationes in hisce cavitatibus, etiam in sanis (uti in capite vituli hodiedum mactati, quod præ manibus est, videre licet) modò earumdem vacuitates glandulæ pinealis (quæ in lepore mira est & visu lepida, in homine etiam sano modò mucaginea, modò sabulosa, modò etiam lapidea; in canibus verò intricatissima) dignitatem non tantopere extollerent, dum in hac ceu solio sedenti animæ circumstans spirituum satellitium famulari, glandulæ motui obedire, mandata audire & fideliter exequi ingeniosè fingunt. Mihi vero pro nobilissima functione stabilis ac certa in microcosmo fabrica, non variâ aquarum illuvie turbata, condita & assignata videtur. Tandem verò qui cerebri ventriculos meram cloacam nominant, minùs decenter de sacra Palladis arce sentire postea patebit. Aliter autem sentiet, qui miram concamerationem cerebri structuram, mirabilem in hisce. Plexuum choroïdeorum expansionem, ipsam denique convallem, qua inclinator & sponte sua ruunt in iis contenta, attentiùs consideraverit; nec potest non horum usum bariolari, & ad experimenta conversus ipsis quasi oculis usurpare. Alibi laticis lymphici, per totum corpus ubertim manantis historiam pro modulo tradidi,& experimentis fretus in ipsa quoque ditione animali hunc contemplatus sum. Spiritus nempe, seu particulæ sanguinis subtilissimæ sub lymphæ involucro, ceu Schemate fluido ad penitissima cerebri penetralia deducti, crassius involucrum exuunt & diversum ab eo iter instituunt. Probabile est (quod deinceps clariùs patebit) lympham suo functam munere, ceu phlegma spirituum, partim per venas remeare, partim verò ad intima penetralia postquam pervenit venarumque superavit regionem, ubi remeare non datur, ulterius progredi, & in ipsos cerebri ventriculos tanquam in cisternam confluere: Ad quid enim tantus ventriculorum cerebri apparatus & admirabilis structura, nisi humorem quem etiam in sanorum cerebris tam uberem videre est, susciperent, susceptumque aliò derivarent? Nec verò excrementitius censeri deber, quippe per mirabiles vasorum & serpentinos flexus ad ipsam Palladis arcem perductus, purissimus censeri meritò & defæcatissimus audire potest: nobili insuper hoc functus munere, plura adhuc corpori elargiri potest commoda, cujus generis recrementa, natura nunquam immediatè eliminare solet. Quapropter rem minùs attentè pensitasse videntur, qui per processus mammillares hunc in narium cavernas excerni putant; siquidem pro narium humectatione, qui secundarius ipsi tribui posset usus, sat glandulatum suppetit, adeoque superfluus & inutilis in his foret. Validum in Doctissimi Lowerì de catharris argumentum, cùm autem non in omnium manibus versetur elegantissimum scriptum (cujus exemplar mihi in Anglia agenti, Author humanissimus dono dedit) textum ipsum apponere, operæ pretium erit: „Humorem, inquit, „intra processus mammillares (de brutis sermo „est) contentum ipsos non permeare aut pertrans„ire meliùs innotescet, si ipsorum substantiam, „conformationem & usum paulò accuratiùs per„pendemus: duplici enim substantiâ, non secus „ac reliquæ cerebri partes, medullari scil. & cor„ticali constant; in medullari autem ipsi spiritus „animales hospitantur, unde in nervos ab ea ex„ortos, & in nares implantatos excurrunt; si au„tem aqua in cavitatibus processuum contenta „per medullarem ipsorum substantiam in nares „transeat & extillet, necesse est ut per nervos „fluat, & ipsorum corpora pervadat. At quid „inde de olfactu fiet, si ipsa ejus organa conti„nuò humore excrementitio scateant? In humano cerebro processus isti sunt exigui, imò cæci & impervii, nec à ventriculis cerebri, sicut in quadrupedibus plerisque, sed à substantia medullari sub corporibus striatis ubi nulla datur cavitas, utrinque oriuntur, nervosque ex amussim, interdum nervorum fasciculum referunt, nervorumque proin, nec alio officio fungi credam tantisper, dum alii me perspicaciores cavos hos mihi ostenderint in homine.

Viam, qua excernantur humores contenti, monstrabit sedulò naturæ contemplatori, vel unicâ concamerationum structurâ, quæ eò inclinare videtur, ut humor ex omnibus recessibus cerebri confluua versus infundibulum sponte fluat & subjectæ glandulæ instilletur pituitariæ. Huic operi velificantur plexus choroidei; Alibi demonstratum fuit; quàm facilè lymphicus humor à frigore lentorem contrahat, suamque fluiditatem amittat. Ne id in his cerebri cavitatibus eveniret, mirabili vasorum plexu cautum est, ut igne hoc jugi perpetim caletent ceu hypocausta, & humor in his contentus liquescens commodè in infundibulum devolutus ulteriùs provehetetur, de quo Willis ingeniosè disserit. Accedit motus cerebri successorios, atteriarum pulsatione & vibratione concitatus Quemadmodum autem cribra artificiosè agitantur, & in molendinis percutiuntur ut materia contenta cribretur & ejiciatur: ita & in cerebro humoris redundantis

excretio

excretio ceu mechanicè perficitur. Ipsum denique infundibulum inter binas carotides continuò pulsantes & verberantes reperitur constitutum, quæ motu atque calore suo lympham in infundibulum defluentem liquant, ejusque excretionem promovent. Ex hisce usum retis mirabilis in brutis perdiscere licet. Etenim quæ pendula gestant capita, & ad demetendas herbas in terram defixa, pleraque reti mirabili donantur & in suo genere gaudent bruta animantia. Facilè quippe latex in cerebro stagnaret, lentorem conciperet, & ad excretionem minus aptus fieret: pulsatili autem hac & calorificâ plexûs arteriosi machinâ, tum fluiditati ejus, tum motui atque excretioni consultum videtur. Homini, cui erectus ad sydera vultus, generoso equo, & ut nuper vidi lepori, animali crebro sedenti erecto capite, eodem machinamento fortè opus non erat; humor enim in cerebro resultans, elato capite facilè, quin sponte sua depluit: sufficit proin carotidum, tum verberando, tum calefaciendo lymphæ motum juvantium vicinia.

Diu mihi hîc cum aliis hæsit aqua. Vidi equidem ceu meridianâ luce clariùs humores in ventriculis cerebri collectos in infundibulum confluere, & ad subjectam glandulam pituitariam decumbere, viam autem, qua exeant aut excernantur, nullam reperire potui. Doctissimus Lowerus duplicem describit in homine ductum & icone illustrat: „Duo, „inquit, vasa ex utroque sellæ turcicæ latere con„sita sunt, quæ hiantibus quasi oculis, aquam om„nem à glandula pituitaria destillatam excipiunt, „quorum ductus facilè patebunt, si aqua aut lac „è siphone in venam jugularem utramvis propè „calvariam injiciatur, mox enim conspicietur pro„pe glandulam pituitariam erumpere atque scaturire. Idem experimentum Clariss. Thomas Willis ante perfecit, qui cum diligentissimo Lowero meritò curiosissimus hujus glandulæ scrutator audire potest. Sed pace tantorum virorum dicam, quæ ego circa hanc observavi. Vasa, seu ductus, quos illi detexerunt, certè nonnisi venarum sunt propagines. Foramina quippe in capite vitulino ossi cuneiformi insculpta ducunt ad subjectum, ossi ipsi immersum vas sanguiferum, quod in binos rivulos divisum reflectitur utrinque ad venas jugulares. In capitis humani Anatome injeci olim, ope syphonis, ceram rubicundam in alterutram venarum jugularium, penetravit hæc usque ad glandulam pituitariam quam undique alluit & coronavit pulchrè, ipsam verò glandulam non subire, sed tantùm alluere claro hoc experimento didici. In scrutinio glandulæ pituitariæ è calvaria vituli exemptæ, cautissimè membranam qua investitur separavi, nullum autem vasculum excretorium, quod ipsum subingrediatur, bibatque infusum laticem deprehendere, nec vel minimum hujus vestigium observare potui. Adeo, ut ex Anatomia, tum aliorum, tum propriâ, parum mihi de excretionis modo in hac glandula constet. Nec tamen probabilis mihi videtur Clariss. Diemerbrokii sententia, dum glandulam pituitariam penum suum supernè versus cerebrum effundere statuit: quippe per processus mamillares nihil humoris saltem in homine excerni ex suprà dictis abundè constare arbitror; quo autem concederet tandem humor in cerebrum effusus, fateor me non concipere. Quin structura hujus glandulæ contrarium innuere videtur, quippe insigni hæc cavitate prædita est, saltem in homine, quâ humorem supernè infusum excipit. Verisimile est laticem ex omnibus cerebri partibus confluum in infundibulum devolvi, glandulæque pituitariæ infusum ejusdem porulos trajicere ac perreptare, osculis vasorum reducentium ad hoc configuratis hiantibus infundi, juvantibus hoc opus pluribus machinamentis perquam ingeniosis, & ita (more totius corporis lymphæ) in massam sanguinis derivari: hujus enim conservationi, ceu humoris utilissimi naturam mirè studere alibi demonstratum fuit. Ne autem ἀσύμβολος sim in abstruso hoc, sed scitu perquam necessario naturæ artificio; fert sententia, vasa lympham in hâc glandulâ absorbentia non esse sanguifera, qualia depingit ingeniosissimus Lowerus, sed revera lymphatica existere, quæ etsi ob loci asperitudinem Anatomicorum diligentiâ nondum fuerint detecta adeoque invisa, eadem tamen existere nullus dubito.

Quemadmodum nimirum reliquæ glandulæ conglobatæ in capite lympham sive circa nervorum expansiones in membranis (uti dudum observavit Venerandus Senex noster Wepferus) scaturientem & ad glandulas conglobatas per vasa lymphatica transfusam, sive ab ipsis immediatè arteriis iisdem suffusam filtrant, percolant, & per alia in parte sima exorientia vasa lymphatica ad commune lymphæ receptaculum remittunt; ita quoque cum glandula pituitaria comparatum videtur. Experiundo enim didici, in capitibus præsertim boum, lympham in partibus nutriendis resultantem, glandulas, tum maxillari tum parotidi tum aliis conglobatis, per peculiaria vasa lymphatica advehi, earumque parti convexæ susis ramificationibus infundi (cujus elegantissimum argento vivo experimentum cepi) quæ posteaquam glandulæ substantiam pervasit, ab aliis parte sima oriundis vasis lymphaticis excipitur, & ad commune lymphæ receptaculum defertur. Cùm itaque glandula pituitaria ex conglobatarum genere videatur, lymphaque supernè instilletur, quid obstat quo minus vasa lymphatica supponamus, quæ percolatam lympham absorbeant, & more aliorum, ad commune receptaculum retrahant? Nec enim fas erat, lympham à cerebro refluam, immediatè in sanguinis massam redire, quin more totius corporis lymphæ suo charactere in glandula conglobata insigniretur, de quibus forsan aliàs pluribus dicendi erit occasio. Plura sunt in nostro Hydrocephalo, quæ hanc Theoriam confirmant Phœnomena; inter quæ illud in primis enucleandum est, cur in recens natis præcipuè cadat hydrocephalus? Equidem nullum est dubium quin humores in cerebri ventriculis collecti apud plures frustrentur exitu, & alios quoque ætatis homines pessundent; unde meritò Carolus Piso Caput castellum seu labrum seri appellavit. In adultis autem non hydrocephalum sed Apoplexiam, uti subsequens Observatio testatum faciet, aut alium affectum soporosum inducit: nimirum ab exundante perperam sero in adultis corpora medullaria ob soliditatem & resistentiam cranii cedere nescii comprimuntur, spirituumque animalium effluxus per nervos intercipitur; in tenera autem ætate cedit exterior cortex, integumenta membranosa humiditate scatentia dilatantur, & mirum in modum diducuntur. Recens autem natos præcipuè manet hoc fatum (uti videre est apud Fabric. Hildan. Forestum & alios) quia prono plerumque capite & inclinato, nonnunquam planè demisso, præsertim circa tempus partûs, in utero reperiuntur, quo situ restagnat humor in cerebro: lentorem forsan concipit, hinc percolationi per glandulam

dulam pituitariam minus idoneus, infarctis ejus poculis congeritur in ventriculis & accumulatur, donec caput in immensum excrescat, tandemque obruatur aquis. Præterea dum eluctatur infans per uteri claustra, caput ejus mirè comprimitur, ut interdum vel terrorem incutiat inexpertis primiparis: ex ista coarctatione fibrillæ cerebri non possunt non violari, nec mirum si humores nimium admittant in cerebri ventriculos exsudantem, minusque proportionatum, quam ut filtri sui porulos trajiciat atque pervadat. Nullum est dubium, quin in memorato casu affectûs primordia jam in utero facta fuerint, antequam lucem aspexit misella, nimirum postquam aqua in ventriculis cerebri collecta exitum per glandulam pituitariam, sive propter lentorem, sive aliud vitium non obtinuit, regurgitavit versus cerebri ventriculos, quos adimplevit, inde versus quartum redundans ventriculum, spinalem medullam perforavit, cuniculumque per medium hunc egit: eò autem loci, quò vertebræ hiant adhuc in tenella hac ætate eorum molita est, cutim autem densam dum perrumpere non potis erat, saltem maculâ lividâ notavit, quæ statim post partum animadversa fuit. Illud verò attentionem meretur, nimirum quòd intra decem dies eousque cumulata fuit aqua in ventriculis cerebri, ut non modò per spinalem medullam cuniculum egerit, cutimque firmam in tumorem elevârit, sed & insuper eousque extenuarit, ut aqua intus conspici potuerit, quæ vulneratâ cute, tantâ vi prosiliit, ac si puellus, ut mater loquebatur, mingeret: sex in sequentibus diebus postquam vulnusculum refricuit mater, qualibet vice ℥iij. aquæ limpidæ effluxerunt. Consolidato ulcere, intra mensem caput in tantam molem excrevit, quanta in Historia morbi describitur. Duplicem autem hujus colluviei in dissectione capitis, videtur mihi videre scaturiginem, Sunt equidem, qui omne seri depluvium glandulis plexuum choroïdeorum tumefactis tribuerunt. At verò ventriculi cerebri, quos ad recipiendos hujus superfluitates conditos esse tantùm non omnibus probatur, non solùm propter hasce glandulas facti videntur; quippe laciùs patent, adeoque etiam aliundè, quàm ea hisce glandulis humores in illos confluere videntur; Dissecui olim caput vituli vertiginosi: inveni in ipsa cerebri substantia tres hydatides, ovi columbini magnitudine, humore limpido plenas: indicio, etiam in ipsa cerebri substantia fluere humores & epidermide obduci posse. Id effecti autem meritò tribuimus papillulis, quæ in corporibus striatis, lævibus aliàs ac perpolitis, capitulorum aciculorum magnitudine prominebant numerosissimæ, ut serum copiosius eructarint in cerebri ventriculos: sanè similes in aliis quoque cerebris morbosis observavi, præsertim in colluvie serosa, de quibus in posterum mecum viderint alii, si quidem nascatur occasio; interim admonitos velim, nonnisi ad radios solis conspici hasce papillulas. Nec tamen omni culpæ eximimus glandulas plexuum choroïdeorum, quippe tumidiores repertæ fuerunt, easque vitiosas ut plurimum observavit in hydrope cerebri Clariss. Thom. Willis. Utrum primariò & per se, an huic immersæ lacunæ fuerint viriatæ, dubito. Certum tamen est, in hydropicorum ventre glandulas plerunque corrumpi, tandemque quasi elixari. In plexibus choroïdeis glandulis id muneris delegatur, ut, cùm vix detur immediatus ex arteriis in venas transitus, sanguis arteriosus (qui calore perfundit hasce cavernas) venis per dictas glandulas committatur. Si quis autem has glandulas propterea tantum conditas, & plexibus choroïdeis intertexto existimet, ut serum seu lympham secernant, huic regero, non opus fuisse tantâ venarum & arteriolarum loquela ac frequentia. Nec ad depurandum sanguinem destinatæ videntur, quippe is ex arteriis plexuum choroïdeorum, non ad substantiam cerebri corticalem, ne spiritus inde elaborentur, progreditur, sed proximis redditur venis ad torcular reducentibus.

Quantâcumque autem copiâ cumulata fuisse aqua in cerebri ventriculis, hydrocephalum non produceret, nisi viâ, qua aliàs excerni solet aut intarcta, aut alias obstructa fuisset. Sed unctuosus circa glandulam pituitariam humor, qui stylo visci instar adhæsit, index fuit farcientis intus, & colatorium, seu glandulam pituitariam obstruentis mucilaginis Interceptâ ita & interclusâ excretionis viâ, stagnante & regurgitante versus cerebrum aquâ caput infantis non potuit non brevi temporis spatio in vastam excrescere molem.

Exemplum Hydrocephali, in quo glandula pituitaria planè defuit, videre est in Colleg. Curios. An. 2. Decad. 1. Observ. 47. Aliud apud Doctissimum Lowerum in tractat. de catarrhis, ubi glandula pituitaria, qua infundibulum infesebatur gelatinâ quâdam viscidâ ad magnitudinem minoris fabæ penitùs opplera fuit. Usque adeò verum est, humiditates cerebri per glandulam pituitariam transcolari & in massam sanguinis derivari. Ex hisce quoque infertur, impropriè cerebri excrementa dici, quæ natura nunquam in suum sinum recipere solet. Cur verò non immediatè per apertos tubulos, sed mediante glandula hac lympha in cerebro resultans venis instilletur, ratio videtur, quia quemadmodum lympha ubi in corpore, saltem, quod compertum habeo in capite resultans, antequam in massam sanguinis refunditur, glandulas conglobatas alluit, ut in iis aliquid delibet (nec enim frustra has conditas fuisse existimare fas est) ita etiam cum lympha in cerebro redundante comparatum videtur, nec enim priùs in massam sanguinis reducitur, quàm in glandula pituitaria charactere suo insignita fuerit, de quibus alibi forsan pluribus.

Hydrocephali Anatome.

Clariss. Ioh. Davidis Maucharti. Miscell. Curios. Decur. iij. Ann. 4.

Anno 1691. d. 18. Maii, obiit Mothingæ, Eslingensis Diœceseos pago puer octennis, per annum integrum Hydrocephalus, octiduo ante mortem mihi monstratus, ut si quid opis in me esset, conferrem; Quem tamen cum prognostico brevi moriturum esse, dimiseram. Obtinui verò à parentibus, quibus à veneficis afflictum esse, persuasum erat, ut calvariam saltim aperire liceret, uti adstantibus Chirurgis duobus sequentia à me detecta & observata sunt.

1. Totum corpus ad sceleti formam matre consumptum pustulisque siccis plurimis conspersum.

2. Caput maximum, quatuor spithamarum exten-

earensione circumferentia sua superans, undique durum & tactui nullibi cedens, cutis post capillos ablatos livida, nunquam læsa fuisse videbatur, hac vero cum pericranio sublata.

3. Cranium undique integrum, omnes suturas, sagittalem totam, coronalem & Lambdoideam fere integras duplices exhibebat, ita ut suspicio non vana sit, postquam puer ex alto, per 5. nimirum gradus lapideos, lapsus esset, & suturæ ab invicem ob violentiam externam discessissent, novum os in spatiis ab illis relictum generatum fuisse, & hujus suturarum duplicaturæ, causam extitisse, erat verò binarum sagittalium suturarum distantia sesquipollicaris.

4. Sertâ ablato superiore Cranii hemisphærio, totam hujus cavitatem cerebro repletam, nullam verò aquam inter hoc & matrem duram reperii.

5. Durâ matre, vasis sanguivehis ad rupturam turgidâ dissectâ, inter hanc & cerebrum ne guttulam aquæ inveni.

6. Cùm ergo cerebri magnitudinem admirarer, & ut penitiùs inspicere queam, quod in cadavere fieri incommodus ejus situs prohibebat, extrahere illud anniterer, vi non adeò magnâ adhibitâ, aquæ plurimum, & ultra dimidiam mensuræ Wirtembergicæ partem profluait, quam ex anterioribus cerebri ventriculis oriundam, horum maxima cavitas, & cum dolore nostro ruptura docuit.

7. Cùm verò nihilominus in extractione cerebri pergerem, hoc quidem cessit, cerebellum verò erat immobile & cum dura matre, hæcque cum cranio firmiter coaluerant.

8. In cerebro ergo solo extracto, præter cavitatem anteriorum ventriculorum maximam, cerebrique substantiæ tenuitatem plexus choroideos magnos, tumidos, glandulis plurimis, milii grano non nihil majoribus, dutia respersos conspexi.

9. Cerebellum deinde magna vi evulsum, totum induruerat, in dextra tamen parte & majus & durius, ita ut dextra medietas ℥iiij. sinistra ℥iß. saltim pondere æquarent, ad bilancem examinatæ, interim totum cerebellum erat solidum, nullamque cavitatem habebat.

Cætera perlustrare non licuit.

Hydrocephali 24. Annor. Anatome.

Clariss. Viri Riedlini. Ephemer. German. Centur. 1. & 2.

Decem præteriére anni, quòd Augustæ Vind. vocatus fui ad virum quendam ex haud ignobili, quin sic sat clarâ familiâ ortum, qui tum arthritide decumbens meum desideravit consilium; hujus querelis dum aures præbeo, & medicamenta præscribo, obtutui meo se obtulit puer, horrendæ magnitudinis capite instructus, manuum pedumque usu destitutus, & sedendo decumbendoque tempus consumens. Hydrocephalo itaque hunc laborare statim statui; & vel hac de causa eò curiosiùs in quævis ejusdem facta inquisivi, quia tum multa quidem de hoc morbo laborantibus legeram, hactenus tamen nullum unquam videram; quantùm verò memini, tum mater recensuit, se hunc filium sanum atque incolumem fuisse, nisi quod interdum catharris (quorum originem parietibus tum recens incrustatis & dealbatis adscripserat) laborarit: Hicce verò tum suadente insigni quadam Matrona se unguentum quoddam opposuisse, quod catharrhos quidem exsiccavit, at caput ab illo tempore semper excrevisse sic ut anno ætatis tertio magnitudinem consuetam jam longè excesserit, quæ ab hoc tempore semper majus incrementum sumserit, donec anno ferè septimo increscere desierit, & tam diu quidem puerum incessisse; nec manuum usu destitutum fuisse, ac supervenisse tum apoplexiæ quendam insultum, qui eum sic debilitarit, ut ex illo tempore autuum usu continuò fere destitutum vivat: Intellectu tamen semper sic gaudebat, ut tandem & ad S. Synaxin admitti potuerit: Jam tum verò statim in votis habui, ut aliquando post mortem caput hoc aperire liceret, ut vera tam diu instantis hujus mali causa innotesceret; hocque votum meum non uni solùm amicorum meorum detexi; ex quibus Pharmacopœus industrius, Dn. Joh. *Bierman*, mei memor, cùm nuper Ann. 1703. d. 1. Januar. beatè defunctus fuisset, à matre superstite impetravit, ut hæc sequenti die monstrosi capitis apertionem concesserit, ubi primò quidem circumferentiam externam exploravi, hancque undecies hujus lineæ longitudinem æquasse, inveni; remotis hinc integumentis communibus, uti in aliis hoc morbo defunctis, suturas minus firmiter cohærentes, quin hiantea repertæ fuere ita in hoc cranio tam arctè clausæ conspiciebantur, ut in quibusdam locis illarum vix vestigium quoddam notari potuerit; sertâ mediante hinc non absque labore, remotâ eâ, quæ eminet cranii parte, per felicem Chirurgum Samuëlem *Sturmium*, hoc duplo crassius ubique ferè comparuit, & quoniam cerebrum arctè eidem conjunctum fuerit, absque hujus læsione, ubique serra penetrare non potuit; unde sub apertione adhuc non parva seri limpidissima copia profluxit, quod vase ad id destinato excepimus; licet verò hujus seri semper plus effluxerit, quo magis cranii superior pars remota fuit, ubi tamen sedem suam habuerit? ea seposita non statim patuit; donec cerebrum in duo sua hemisphæria divisum fuit, ubi statim tanta cavitas in utroque oculis patuit, ut in ea omnem liquorem contentum fuisse nemo dubitavit; qui nempe ventriculos utrinquè sic distenderat, ut facillimè duos pugnos quilibet admisisset; cerebrum verò ad cranium sic compresserat, ut nullibi digitum transversò crassius extiterit; & seri quidem, quantùm vase subtus posito excipi potuit, mensuræ quatuor cum dimidia evacuatæ fuerunt; utque de cranio insigni extensione judicare possis, para serrâ resecta duas cum dimidia Augustanarum continebat mensurarum: Ante septem annos, cum & visum perdidisse, mater ejusdem postmodum retulit; & quod notatu dignissimum, eum per aliquot annos, per quinque vel sex hebdomadas alvum obstructam habuisse, & tum quidem nonnisi parum admodum secum excrevisse; sique vel ex Fol. senn. paratum laxans eidem exhibuerit, hoc statim convulsiones excitasse, eadem narravit: In quorum contingentium causam plus otii me nacti, sine

fine dubio non absque quadam utilitate inquirent: quotquot verò ego hac de re consului Auctores, qui tam diu Hydrocephalo laborantem descripsisset, mihi quidem non obvenit. Natus enim hic noster An. 1678. Mense Maio, & eo tempore, quo supra memini, vivis subtractus fuerat, per integros viginti quatuor annos itaque cum tanto hoc malo conflictatus est; adeoque inter rarissimos hic casus meritò locum obtinebit.

HYDROMPHALOS.

Vid.

HERNIA

HYDROPHOBIA.

Vid. sub titulô *RABIDI MORSUS.*

HYMEN ejusque Chirurgia.

Hymenis Chirurgia in eô tota est, ut cum hæc membrana in anteriore sinûs pudoris sede posita, solitô crassior, ac densior est, nullôque foramine prædita reperitur, sectione per novaculam incidatur, & immissâ turundâ plumbeâ foramen apertum ad plenam cicatrisationem teneatur. De arctiori tantùm foramine, nihil hîc addimus, quia ipsius dilatandi methodus omnibus satis nota est.

HYPOPIUM. Vid. sub titulô *CORNEÆ VITIA.*

Finis Libri Octavi.

JOH. JAC. MANGETI
BIBLIOTHECÆ CHIRURGICÆ
LIBER NONUS
De Affectibus atque Operationibus Chirurgicis à Literâ I incipientibus.

ICHOR & MELICERIA CELSI.



E hôc morbô articulos variis de causis affligente, tam accurate pro more agit Tractatû speciali Experientissimus Guilielmus Fabricius Hildanus, ut illum integrum h'c legendum tradere commodum omnino credamus. Sic autem Vir Eximius.

Cap. I. *Quid sit Ichor & Meliceria, aut Hydrarthros, & quomodo inter se differant.*

QUia affectum, de quo in hoc libro scripturus sum, antiquis & rationalibus Medicis & Chirurgis, imò & qui superiori seculo floruerunt, incognitum fuisse, inde nobis conjicere licet, quod apud Hyppocratem, Galenum, Avicennam, Paulum Æginetam, Oribasium, Aetium, Albucasin, Lanfrancum, Theodoricum, Rogerium, Guidonem, Vigonem, Tangantium, imò ne quidem apud Ambrosium Paræum, quem tamen diligentissimum scriptorem, & longè præstantissimum & exercitatissimum Cheirurgum fuisse scimus, nihil de ipso legimus, quare ut rectè intelligatur, primò quid sit Ichor in corpore humano, dicemus, eumque duplicem, Mitem videlicet & Acrem esse, ostendemus. Postea quid Ichor & Meliceria actis, sive Hydrarthros sit, differemus, causas præterea, signa, pronostica, & curationem, tum Empiricam, tum Methodicam addemus. Tandem quoque quomodo symptomatibus, quæ subsequuntur, occurrendum sit, objiciemus, & sparsim Medicamenta empirica, & quæ in hoc affectu præter rationem applicantur, refutabimus. Omniaque observationibus, exemplis, & historiis utilissimis illustrabimus.

Ichor autem, sive, ut loquitur Hippocrates, serosum excrementum in corpore humano (ut post Aristotelem testatur doctissimus Caspatus Hofmannus, libro de Ichoribus) est sanguis crudus, aut quia nondum concoctus est, aut quia feruit. Et alibi, Ichor est aquosum scilicet sanguinis, sive id fiat, quod sanguis nondum perfectè sit coctus, sive quòd post coctionem corruptus sit. Ex quibus colligere licet, duplicem esse Ichorem sive serum in corpore humano, Mitem videlicet & acrem.

Ichur mitis, est excrementum serosum chyli, ab hepate ex venis lacteis attracti, ad nutritionem quidem corporis destinatum, sed à calore nostro innato nondum satis coctum, & in sanguinem conversum. Converteretur tamen paulatim in sanguinem, nisi suum quoque haberet usum, & diutius moram in hepate traheret. A summo itaque Architecto hujus Microcosmi, in hepate à sanguine segregatur, hoc modo, ut quicquid crassum & viscidum est, ad renes & vias urinarias descendat, & excrementitios humores hepatis secum vehat. Hinc plerumque in morbis urinas spissas, turbulentas, multisque excrementis refertas profluere videmus. Subtilissima verò & purissima pars hujus Ichoris, sanguini permiscetur, & ex hepate per venas in totum corpus spargitur, in hunc finem, ut sit veluti vehiculum sanguinis, qui alioquin ad venas capillares, præsertim minutissimas, permeare non posset: in nutrimentum tamen corporis non transit, sed tandem ut excrementum per sudorem exhalat evacuaturque. Est & serum biliosum, amarum & acre, quod in hepate à sanguine segregatur, & in vesicula fellea congregatur, in hunc usum, ut ad intestina descendat, & quotidiè excretionem alvi promoveat. Est etiam quartum genus Ichoris qui in splene, à sanguine, pro nutritione splenis destinato, veluti excrementum (non tamen planè inutile) per vas breve ad ventriculum mittitur. Estque frigidus & austerus, ad appetentiam ventriculi excitandam.

Ex his perspicuum fit, ichorem sive serum (loquor autem de ichore miti, sive mansueto) quamvis sit excrementum sanguinis, ad conservandam tamen optimam valetudinem, non exiguum usum habere. Si verò acrimoniam, aut qualitatem aliquam

quam malignam adeptus fuerit ichor ille, harmoniam istius partis, in qua decumbit, destruit. Verbi gratia, si ichor crassus & pituitosus, propter intemperiem aliquam præter modum calidam hepatis, & admixtionem bilis, acrimoniam contraxerit, sequitur incontinentia & stillicidium urinæ, cum maximo ardore & dolore, nonnunquam quoque ulcera renum & vesicæ procreat. Si ichor ille subtilis & purissimus, qui cum sanguine ad venas capillares fluit, acrimoniam & malignitatem aliquam acquisiverit, sequuntur ulcera, scabies, & hujus generis vitia in externis partibus corporis, in quo totum numero quoque affectus, de quo in sequentibus acturus sum, collocandus est. Non tamen abivis corpus infestat, sed articulos nervosasque partes saltem, propter causas, quas posthac recensebo, occupat.

Est autem Ichor & Meliceria Celsi, seri acris ad læsos, & dolore magno & inflammatione tentatos articulos, ex reliquo corpore copiosa affluxio, & cum ingentibus doloribus, inquietudinibus, febre, viriumque prostratione effluxio, aliorumque symptomatum scaturigo. Dixi ab initio, affectum huncce antiquis incognitum fuisse, Celsum tamen, quem meritò Hippocratem Latinum appellamus, ejus notitiam aliquam habuisse ex libr. suo 5. cap. 26. sub titulo de sanguine & sanie & pure, & eorum speciebus, quando meliora deteriorave sint, colligere est, hæc enim habet verba. Est, inquit, quædam sanies, quæ vel Ichor vel Meliceria nominatur. Et paulò post, Ichor tenuis subalbidus ex malo ulcere exit, maximeque ubi nervo læso, inflammatio sequuta est. Meliceria crassior, & glutinosior, subalbida mellique albo subsimilis fertur. Hæc quoque ex malis ulceribus, ubi nervi circa articulos læsi sunt. Et inter hæc loca maximè ex genubus &c. hactenus Celsus. Hæc quia ad institutum nostrum faciunt, & affectum huncce Celso cognitum fuisse indicant, placuit illum Celso adscribere, & Ichorem & Meliceriam Celsi appellare.

Apud Germanos, quia frequens est affectus in articulorum vulneribus, Chirurgi nonnulli de eo scripserunt, inprimis Paracelsus, Felix Wirtzius, Hans von Gersdorf genandt Schilhans / Petrus von der Stille / Christoph Wirsung. Johan. Coletus, forsan & alii, qui mihi ad manus non venerunt, sed pace eorum sit dictum, haud appositè rem tetigerunt, ut posthac fusiùs ostendemus. Cur autem symptoma hoc antiquis & etiamnum rationalibus Medico-Chirurgis veluti incognitum (nullus enim ex professo quicquam de hoc quod sciam scripsit) Lector posthac videre poterit.

Diximus superius, Ichorem & Meliceriam Celsi, serosum, crudum, indigestum esse serum, testatur id Celsus, loco præallegato, & ipsa experientia fidem quoque facit. Est præterea acris Ichor iste, propter doloris vehementiam, inquietudinem & internorum viscerum intemperiem calidam, calor nativus adeò debilitatur, ut serosum huncce humorem in pus laudabile concoqui non possit. Quapropter ab intemperie illa calida acrimoniam acquirit, nervos, ligamenta, imò & plerumque ossa ipsa erodit, & cuniculosa ulcera hinc & inde perfodit. Læsis præterea articulis sequitur Ichor acris, tum propter nervorum abundantiam & exquisitissimum sensum, quo præditi sunt, tum etiam propter caloris nativi imbecillitatem, & sanguinis penuriam, quæ omnia ad concoctionem ichoris desiderantur. Non omnes autem læsi articuli Ichore, & Meliceria acri tentantur, sed hi tantum, in quibus dolor maximus, & inflammatio supervenit: nisi enim supperveniret dolor, nulla fieret attractio humorum excrementitiorum & sanguinis, & proinde nulla subsequeretur inflammatio, aut membri læsi intumefactio, multò minus copiosa illa ichoris profluxio. Calor enim nativus partis læsæ sufficiens esset, ad concoquendum ichorem, qui ab initio mitis est, & cum vulnere proportionem habet. Quia autem propter inflammationem partis affectæ, & totius corporis intemperiem calidam, propter doloris item vehementiam, vigilias, aliaque gravissima symptomata, calor nativus destruitur, & quodammodo extinguitur, ideò affluens ichor in pus converti non potest, sed crudus & indigestus affluit, sed & propter maximam inflammationem acrimoniam acquirit, ex qua symptomata omnia ingravescunt, & plerumque non tantùm partem læsam, sed totum corpus destruunt. Dixi antea, læsis articulis symptomata, hæc præsertim supervenire, vulnera enim, & contusiones carnosarum partium, propter nervorum paucitatem, minus sunt dolorosa, & proinde affluxui humorum, & inflammationibus minus obnoxia. Abundant præterea his in partibus, sanguis & spiritus vitalis & naturalis, simul & humidum radicale, quorum beneficio mox ab initio, nisi error in curatione à Medico & Chirurgo commissus fuerit, affluens ichor in pus laudabile convertitur.

Ex toto præterea corpore ad articulum læsum Ichorem sive serum hoc confluere dixi, contra falsam & ineptam barbitonsorum & Anatomiæ imperitorum hominum opinionem, qui ichorem illum articulo læso ingenitum esse, & nequaquam aliunde profluere statuunt, hancque ob causam Ineptissimo, ut Joh. Langius Epistolarum Medicinalium lib. 1. Epist. 3. & alibi testatur, vocabulo, Das Gliedwasser / hoc est, aquam articulorum appellant, & esse arbitrantur. Quod tamen falsissimum esse, etiam mediocriter in dissectionibus Anatomicis versatis Medicis atque Chirurgis, notum est. Sciunt enim, in omnibus articulis totius corporis, non tantùm humoris serosi contineri, quantum ex digito uno vulnerato nonnunquam una die & nocte profluere videmus. Addam exemplum unum aut alterum.

Nobilissimus & Prudentissimus Vir, Dn. Johannes à Watenwyl, Inclytæ civitatis & Reipublicæ Bernensis, Consul prudentissimus, Patronus & Amicus meus observandus, felicissimæ memoriæ, cùm vulnus quamvis exiguum in digitum medium recepisset, illudve à barbitonsore malè curatum fuisset, exorto dolore, ichor exstillare cœpit, & quidem tam copiosè, ut intra paucos dies plus quam mensuram integram Bernensem effluxisse sæpissimè mihi affirmaverit: idque tanto cum dolore, febre, virium prostratione, aliisque gravissimis symptomatibus, ut parum abfuerit, quin vitam amitteret. Tandem quidem convaluit, sed articulus sanciatus suo motu destitutus fuit: uti hisce meis non rarò vidi oculis: reliqua ex relatione nobilissimi ægri habeo.

Ante annos aliquos, cùm Lausannæ Equestrium Medicinam & Chirurgiam facerem, in suburbio Martres, civem quendam quadragenarium Claudium nomine, doliarium, curandum habui. Ille findendo ligna sibimet ipsi vulnus sub rotulam dextram secure inflixerat. Id cùm ab initio non usque adeò magni momenti esse arbitraretur, & proinde expertos Chirurgos non adhiberet, sed nescio quo Balsamo semetipsum curare vellet, & labia vulneris intra dies quindecim uniret, collectus fuit ichor in profundo vulneris; quapropter exorto dolore intensissimo me advocare jussit. Tum totum crus supra modum intumefactum inveni, inprimis genu, quod & inflammatione adeò erat obsessum, ut Gangrænam in proximis esse, mihi videretur. Aderat præterea febris continua & ardentissima, capitis & lumborum

rum dolor maximus, fitis inexhausta, nausea, eructationes, cibi fastidium, Inquietudines, Vigiliæ, Lipothymiæ, & tanta virium prostratio, ut sibi vix in alterum diem usque vitam transigere posse putaret, parumque superesset spei. Ex ipso autem vulnere caro fungosa & livida, ad magnitudinem ovi gallinæ excreverat, quæ pelliculo obducta esse videbatur: In illam cum stylum exploratorium immisissem, (quod facilè & fine ulla violentia præstiti) Ichor tam copiosè effluxit, ut prima illa vice ultra sesquilibram in scutellam colligerem, sequentibus quoque diebus continuò & fine intermissione eastillavit, ita ut fanctè affirmare possim, intra paucos dies ad multas libras effluxisse. Tandem summa à me adhibita diligentia utcunque convaluit, utcunque inquam, genu enim suo motu privatum fuit, totumque corpus propter morbi violentiam & diuturnitatem cacochymicum, languidum, & ad vitæ suæ finem imbecille remansit.

Exempla hæc (quorum nisi Lectori tædiosum esset, infinita habeo) adscribere placuit, ut barbitonsores eorum ineptiam ex eis videant, continent quidem articuli in se humorem viscosum, & veluti mucilagineum, à natura (ut docet Hippocrates lib. de locis in homine, & libro de fracturis ossium) in hunc finem procreatum, ne continuo motu excrescerent, sed lubrica persisterent: verùm tantam copiam, ut plerumque effluere videmus, in se continere posse, absurdum est dicere. Secundò, ut indigitatem, Ichorem hunc ex reliquo corpore ad articulum læsum confluere. Quod & post Damocratem testatur Langius, loco superiùs allegato, his verbis. Quamvis, inquit, bona pars Medicorum causam phlegmonis vulnerum, in corporis Cacochymiam referunt, Damocrates tamen (me judice) rectiùs in dolorem refert, qui ex musculorum nervis & tendinibus vulneratis, oboritur circa articulos, sensus & arbitrarii motus organa: quæ cum ferè nulla carne sint cooperta, acutiùs sentiunt, & ob id majori dolore quàm Epigastrii musculi carnosi affliguntur: qui velut cucurbitula omnifariam humorum alluviem ad vulnus pellicit, quod tandem vulnus intumescens, tertio aut ad plurimum quinto die phlegmone & aliis symptomatibus corripitur. De his videat Lector plura apud doctissimum Langium loco citato, & in epistola ad Lectorem libri primi Epistolarum. Tertiò patet ex prædictis observationibus & historiis, affectum huncce scaturiginem esse quamplurimorum gravissimorum symptomatum, uti sunt Cacochymia, ictetitia, Atrophia, hydrops, & infinita alia, de quibus in fine hujus libri sigillatim & fusiùs agemus.

Distinguit quidem Celsus loco citato affectum huncce in Ichorem & Meliceriam, sed distinctio hæc solummodo in colore & consistentia materiæ, quæ effluit, consistit, nec usque adeò magni momenti esse arbitror. Si quis tamen accuratum observatorem, & diligentem Chirurgum se præbere voluerit, videbit materiam, quæ ab initio morbi effluit, verum & subtilissimum Ichorem plerumque instar aquæ limpidissimæ esse, tandem verò in Meliceriam abire, & crassiorem & glutinosiorem fieri. Mutatio illa materiæ effluentis, optimum signum est, & naturam circa concoctionem ichoris occupatam esse, & in victricem morbi evadere posse, spem facit.

Est alius affectus Meliceris dictus, de quo Galenus libro de tumoribus præter naturam, sed cum Ichore & Meliceria Celsi nullam habet affinitatem. Est enim abscessus mollis, flaccidus, & indolens, ex materia frigida, melli albo non absimilis, & membrana inclusa, genitus. De quo institutum nostrum non est hic tractare.

Cap. 2. *De Causis Ichoris & Meliceriæ Celsi.*

HActenus quid sit ichor acris, sive hydrops articulorum, breviter exposui, sequuntur nunc causæ. Sunt illæ externæ & internæ, adeò tamen concurrunt, ut una sine altera via reperiatur. Externa est vulnus aut contusio, fractura vel dislocatio. Interna est Cacochymia, & redundantia pravorum humorum: plerumque etiam plethora. Paracelsus tertiam addit causam, videlicet negligentiam vel potius inscitiam Chirurgi, quam ego causæ internæ præfero. Etiamsi enim corpus Cacochymicum, vel etiam plethoricum fuerit, rarò tamen Ichorem consequi videmus, si vulnus à rationali Medico aut Chirurgo ex arte curatum fuerit, uti postea fusius dicam.

Non autem omne vulnus hujus mali causa existit, sed illud præcipuè, quod aut in ipso articulo, aut prope ipsum infixum est: idque propter sequentes causas, Nervi, qui, ut testatur Galenus de usu partium lib. 12. corpori motum & sensum largiuntur, hinc inde per musculos dispersi, in ipso articulo tam copiosè concurrunt, ut via detur vulnus in articulo, ubi non sit læsus nervus, aut nervosum quid. Hinc protinus sequitur ingens dolor, dolorem (quia humores ex viciniis loc s ut cucurbita ad se trahit, ut idem Galenus docet) sequitur inflammatio, quæ calorem ejus partis ita debilitat, ut influentium humorum impetui resistere non sat's sit potens: quapropter tanto cum impetu, tantaque in copia circa vulnus confluunt, ut cum beneficio naturæ in pus laudabile converti non possint humores illi, indigesti & crudi effluant, necesse est. Ichor ille propter maximam intemperiem calidam partis læsæ, moram actimoniam acquirit, partesque nervosas pungit & erodit: hinc dolor magis magisque exacerbatur, morbusque augetur, donec dolor sedatur.

Sunt præterea juncturæ respectu aliarum partium propter carnis, venarum item & arteriarum penuriam imbecilliores, & frigidiores, & proinde minus idoneæ ad digerendos serosos hosce humores. De contusionibus & fracturis, quæ circa juncturas fiunt, idem statuendum est. In his enim si error in curatione commissus fuerit, dolor, affluxus humorum, & inflammatio supervenerit, facilè hydrathros sequetur, ut postea exemplis ostendam.

Non sufficit autem externa sive primitiva illa causa, nisi interna, quam Medici antecedentem vocant, concurrat. Si enim repletio sive ad vires, sive ad vasa, non adfuerit in ægro, non facilè vulnus inflammatione tentabitur. Non facilè meritò adscribendum est: nonnunquam enim affectum huncce in corporibus robustissimis, sanis, & puris accidisse memini; addam exemplum unum aut alterum.

Rusticus quidam sanus optimoque corporis habitu præditus, Hans Schlichter nomine, subditus Nobilissimi Viri Dn. Petri à Watenvuil, Domini in Weil &c. Cùm Anno 1617. ab alio quodam rustico in conflictu, ad secundum articulum medii digiti manus sinistræ morsus fuisset, & ab inexperto quodam barbitonsore curari posse, credidisset, non diu post secutus est dolor maximus, inflammatio & tantus affluxus humorum serosorum, ut vix credibile sit. Tandem exesis & putrefactis ligamentis & appendicibus, à me, divino aspirante auxilio feliciter restitutus fuit, nisi quod junctura illa rigida & immobilis permanserit, quemadmodum proliæ dictum fuit in quarta Cent. Observ. 87.

Anno 1583. Mercatori cuidam in Langenberg, prope Dusseldorpium, Githard Munch nomine, post

morsum hominis in dextrum indicem idem accidisse memini. Is quamvis esset Vir juvenis, robustus, & optimo corporis habitu præditus, nihilominus tamen, exorto prius dolore, tanta sequuta est humorum affluxio & inflammatio, ut Chirurgi, quibus curatio commissa fuit, manum ad carpum amputare decreverint. Industria tamen & arte Viri præstantissimi, Dn. Cosmi Slotani p. m. (apud quem ego tum temporis artem meam exercebam) non tantum manus, verum etiam digitus conservatus fuit. Propter erosionem tamen tendinum & ligamentorum primus & secundus articuli rigidi permanserunt. Longa quidem ac laboriosa fuit curatio hæc, adeo tamen ad votum successit, ut in toto isto tractu, tam à nobilibus quàm plebeis, laudibus veluti ad cœlum extolleretur Dn. Slotanus.

Hæc in eum finem scribo, ut manifestum fiat; tantam doloris attrahendi esse potentiam, ut etiam serum & veluti nutrimentum ipsum pro nutritione constitutum, ex toto corpore ad se trahere, & in excrementum convertere possit. Hinc sequitur atrophia illa maxima, quam plerumque hydrarthrum sequitur. Vidi id plenius Novisiæ in Belgio in puella quadam sana, & optimo corporis habitu prædita Magistri Anthonii ben dem Kan/ p. m. barbitonsoris filia. Illa die quodam deambulando per urbem, pedem sibi aliquantum contorsit: verum cum dislocationem nullam adesse, mater, rerum Chirurgicarum non ignara, cognovisset, non usque adeo hac de re sollicita fuit. Post dies aliquot cum pes intumuisset, & dolor accrevisset, accedit ad ipsam barbitonsor quidam, qui antea artem suam apud prædictum M. Anthonium didicerat. Is ultro se offert, se velle & posse intra paucos dies pedem in pristinum statum restituere. Mater itaque concedit, filia patitur, barbitonsor ex parte vino oneratus, crudeliter pedem extendit, & hinc inde detorquet: quid fit? Exoritur dolor immanis, & longè acerbissimus, ut sincere & veluti testis ocularis affirmare ausus sim, intra paucos dies ad multas libras aquæ aut Ichoris ex pede, multis in locis exulcerato, effluxisse; at quis non videt ichorem aut humorem huncce serosum & indigestum ex toto corpore, doloris vehementia attractum fuisse? Reliqua enim membra intra paucos dies ita exaruerunt, ut ossa vix cute obtegerentur. Statim quoque post crudelem ac nullo modo necessariam illam extensionem, febris, lipothymiæ, nausea, inquietudines, delirium aliaque gravissima symptomata supervenerunt. Tandem post infinitos dolores, arte & industria Domini Johannis Daingens, ejus urbis Chirurgi non vulgaris, utcunque restituta fuit, utcunque inquam. Ligamenta enim, cartilagines & appendices articuli, quia ab humore illo acri erosæ fuerant, rigida & immobilis permansit junctura, ita ut per totam vitam claudicaret. Anno 1622. simile exemplum vidi Bernæ in juvene quodam, cujus historiam vide circa finem hujus libri cap. 29. de ulcere cum osse carioso.

Duplicem autem esse materiam effluentem ex articulo hydrarthro obsesso, suo loco dicetur, nimirum aut tenuis aut subtilis, quæ propiè Ichor dicitur, aut aliquantum spissior, & Meliceria appellatur, quæ diversitas ratione humoris, in corpore redundantis, accidit. Si enim pituitosus fuerit æger, materia quæ effluit, ichorosa, alba & veluti serum lactis existet: nonnunquam quoque aliquomodo viscida, glutinosa, ac si albumen ovi concussum permixtum esset, effluit. Si biliosum fuerit corpus, aliquantum flavescet; sin atrabilaris, obscurus erit. Rubescet verò, & cruenta erit, si æger plethoricus, aut vena aliqua capillaris erosa fuerit.

Secundum porrò caloris innati partis affectæ conditionem, & humoris effluentis copiam ichor, qui affluit, nunc subtilissimus, nunc verò aliquo modo spissior erit. Si enim ad summam imbecillitatem redactus fuerit calor innatus, tum partis affectæ, tum totius corporis, serum, quod effluit, subtilissimum erit, præsertim si in copia effluxerit. Quantum vero prædictus calor robustior fuerit, tantum ichor erit spissior. Calor enim nativus virulentam illam materiam digerit, concoquit, & paulatim in pus convertit. Hinc evenit, quod in hydrarthro ichor primò subtilissimus effluit, post impetum verò morbi, & sedatis doloribus, cum natura vires suas recolligit, paulatim incrassatur materia illa acris, fitque instar mellis albi: deinde quoque oleaginosa, donec vi naturæ in optimum pus redacta fuerit.

Tertiam causam hydropis articulorum, ignorantiam Chirurgi esse, ab initio hujus capitis diximus. Paracelsus hujus quoque fuisse sententiæ, & synoviam suam sæpissimè propter incuriam & inscitiam Chirurgi accidisse, diversis in locis testatur, Bertheoneæ lib. 1. cap. 7. mihi tomo. 3. pag. 347. inter alia hæc habet verba: Wann das Gliedwasser gehet / so ist es ein Zeichen eines unverständigen Artztes: hoc est, quando aqua articulorum fluit, ignorantiam Medici denotat. Fatetur Paracelsus, ignorantiam Chirurgi quidem esse causam, interim tamen quomodo aliquis huic malo præcavere, vel methodice illud amovere & curare possit, suos non ex arte instruere, ex eis, quæ in scriptis suis continentur, satis apparet.

Joh. Langius lib. 1. Epistolar. Medicinalium, Epistola 3. de ineptis & ineruditis Chirurgis scribens, rem veluti acu tetigit, his verbis. *Quum*, inquit, *teste Galeno in curando vulnerum nihil sit prius, providere ne plegmone corripiatur, hi.* (videlicet barbitunsores) *non modo quid phlegmone sit, ignorant, sed nec musculorum aut tendinum, aut articulorum compaginem, aut situm noverunt, &c.* Quibus verbis magnus ille vir, præcipuum illud, quod in Chirurgo rationali desideratur, Theoriam videlicet, sive fundamenta artis Chirurgicæ, comprehendit; ut enim fidelis ac diligens architectus primò fundamentum ponit, deinde superædificat: ita etiam vult Langius, ut Chirurgus primò imbutus sit Theoria, hoc est cognitionem habeat principiorum artis. Ubi enim Theoria deficit, praxis incerta & labilis est, omniaque experimenta Empiricorum periculosa sunt, attestante Hippocrate lib. 1. aph 1. Contra, si Chirurgus ingeniosus & diligens in Theoria versatus fuerit, facilè in excellentissimum practicum evadet, in gravissimis quin etiam affectibus, quæ facienda, facilè cognoscet.

Theoria autem in se comprehendit cognitionem subjecti Chirurgiæ, hoc est, structuram corporis humani, notitiam item morborum, eorumque causarum, accidentium, & hujusmodi. At quia hæc plerumque in Chirurgis Germanis, proh dolor, desiderantur, ut quorum major pars studiorum, quibus fundamenta artis acquiruntur, contemptores, mirum non est, si symptoma hoc inter ipsos tam frequens est, & vix reperiatur barbitonsor, cui non sit notissimum. Qua methodo verò sit evitandum, aut quibus remediis curandum, ipsos ignorare fidem facit quotidiana experientia, Imò & remedia ipsa, ut cap. 12. fusius ostendam.

Vult præterea Langius in prædicto loco, Chirurgus notitiam habeat structuræ corporis humani, & meritò. Quemadmodum enim nullus artifex, quamvis rudis, in sua arte perfectus esse potest, nisi habeat notitiam subjecti suæ artis, ita etiam nemo perfectus esse Chirurgus, nisi Anato-

miæ scientiam aliquam habuerit. Præcipuum autem in curatione vulnerum est, scire, quænam pars sit læsa, inde enim quænam symptomata exspectanda, facilè conjiciet Chirurgus. Si enim venæ aut arteriæ sectæ fuerint, hæmorrhagia exspectanda est, nervo verò aliisque nervosis partibus læsis, dolor ingens, inflammatio, convulsio & hujusmodi symptomata metuenda sunt: quibus omnibus diligens & in Theoria versatus, Chirurgus, tam victus ratione, quam evacuationibus, aliisque præsidiis maturè resistere potest, hæc verò quia puri Empirici ignorant, mirum non est, si vulnerati etiam ex minimis vulneribus gravissimo hocce symptomate corripiuntur, Paracelsum quin etiam ignorantiam & inscitiam Chirurgi synoviæ caosam esse, statuisse.

Præter prædictos errores alios quoque nonnullos vulgus Chirurgorum, propter inscitiam committit, dum alii decocto vulnerario, alii Emplastro stiptico, sive fodicationum Paracelsi, vel balsamis quibusdam, vulnera omnia, sine distinctione statim ab initio, protinus occludere, & ad cicatricem perducere tentant. In vulneribus carnosarum partium, ubi neque nervus, neque nervosum quid lauciatum, neque contusio adest, etsi id locum habere posse videatur, quia tamen periculo non vacat methodus illa Empirica & irrationalis, & doctrinæ Galeni adversatur, ideò à rationalibus Medicis non probatur, sed ut periculosa & incerta rejicitur. Non enim sufficit, ut citò curemus ægrotum, nisi id tutò quoque & jucundè, hoc est, sine dolore fiat. At hujusmodi medicamentis, quæ vulnus protinus claudunt, sine periculo ab initio uti nos non posse, docent quotidiana exempla & ratio ipsa. Dum enim superficies vulneris, quæ carnosa, calida humidaque est, & sanguine abundat, citò coalescit. Nervosæ verò partes, quæ frigidæ & siccæ, paucoque sanguine præditæ sunt, confestim ac simul consolidari nequeunt, colligitur materia serosa in profundo vulneris, quæ mox acrimoniam acquirit, nervos nervosasque partes pungit & vellicat, hinc dolor gravissimus, & plerumque hydrarthros sequitur, sed de his plenius suo loco dicturus sum. Rectè itaque dicit Seneca: *In morbis nihil magis periculosum est quam immatura Medicina.* Vidi id Anno 1620. Mense Junio in juvene quodam Bernensi, 12. circiter annorum, & Magistri Matthis Keller Aerularii filio. Is sibi ipsimet cultro infligens vulnus in sinistri indicis articulum, qui medius est in ordine, ubi sola cutis in transversum incisa fuit. Superficiem vulneris decocto vulnerario, intra paucos dies consolidavit. Verum collecta materia in profundo vulneris, digitus totaque manus mirum in modum intumuerunt, dolor maximus exortus, & hydrarthros sequutus est, ut capite 7. fusius dicam. Quæ incommoda & horrenda symptomata ex Emplastro stiptico, & balsamis ab idiotis & theoriæ artis imperitis, applicatis, sequuta fuere. Lector suo loco quoque videre poterit. Hinc curationes hujusmodi, quæ citò fiunt, tutò tamen, sed & multò minus jucundè, fieri non posse, videmus. Quapropter doctrinam, quam magnus Hippocrates lib. 1. Aphor. 22. de internis Medicationibus nobis reliquit, ad externa vulnera haud inepte & malè quoque referre, & accommodare posse mihi videtur, de quo plura cap. 6. Deo dante.

Alium & gravissimum profectò errorem Fælix Wirtz, Chirurgus Basileensis, alioquin diligens, sed in theorica arte parum versatus, inter Chirurgos Germanos introduxit, qui & plerumque Ichorem & Meliceriam provocat, dum in digitorum & manuum vulneribus, usum turundarum improbat. Hinc cutis, quia membranosa est, protinus contrahitur, vulnusque clauditur. Natura enim partes nobiliores, veluti venas, arterias, nervos, nervosaque omnia, eute ab injuria aëris vindicare studet. Porrò caro, multo magis membranæ, partesque nervosæ, quia tam citò coalescere nequeunt, colligitur materia in fundo vulneris, (præsertim si angustum fuerit) incalescit, & dolorem, inflammationemque primò, deinde quoque hydropem in articulo sauciato procreat, uti lector videre poterit in quarta Centuria observationum nostrarum, Observ. 76. ubi errorem Wirtzii paulò prolixius refutavimus.

Inter Empiricos, & theoriæ artis imperitos barbitonsores, & hujus farinæ homines, maximo in pretio habetur unguentum, quod vocant armarium, eoque cultrum aut gladium, quo vulnus inflictum fuit, inungunt, sed ut plurimum parum feliciter, dum enim gladii aut cultri curam habent, vulnus verò negligunt, contrahuntur ipsius labia, gravissimaque subsequuntur symptomata, uti capite 10. prolixe scripsi.

Nonnulli inter Empiricos & Theoriæ ignaros, ulterius & magis ad Diabolica progrediuntur, & vulnera hi characteribus & signaturis, alii conjurationibus diabolicis, aliisque mediis, Christianis illicitis, sanare student, & justissimam Dei iram provocant, ægrosque suos plerumque in maximum periculum deducunt. His omnibus consideratis & ponderatis, quis quæso non videt, ignorantiam barbitonsorum, aliorumque imperitorum Empiricorum hominum, ut rectè Paracelsus scriptum reliquit, præcipuam esse causam hydropis articulorum, sive synoviæ.

Cap. 3. *De nomine hujus morbi.*

Apud Methodicos & rationales Medicos Ichorem & Meliceriam tatum quid esse, imò & antiquis Medicis, præter Cellum, incognitum fuisse morbum, capite primo ostendi. Ut igitur essentia morbi rectè intelligatur, visum est adhibere nomina, quæ Germani Chirurgi ipsi imposuerunt. Paracelsus vari s in locis hujus affectus mentionem facit, eumque synoviam Glidwasser appellat. Felix Wirtz eisdem vocabulis utitur. Vulgus quoque Chirurgorum Germanorum, dictionem Glidwasser / aut, ut aliis placet, Gluttwasser retinuerunt.

Videtur autem Paracelsum appellationem suam ab ovo deducere voluisse, cùm enim Ichorosa materia, quæ ex læsis articulis fluit, albumini ovi non multum sit absimilis, synoviam ex Græco vocabulo syn & genitivo ovi, formare voluisse (similitudinem quasi cum ovi albumine habentem (verisimile est. Sic enim alio in loco affectum huncce definit: Glidwasser / inquit, ist / wann der Klar deß Geäders außrinnet / zähe wie ein geschlagen Eyerklar / hoc est, synovia est, quando humidum nervorum viscidum, veluti albumen ovi concussum, effluit. Utitur quoque Paracelsus vocabulo isto Synovia in alia significatione, sed de hac institutum nostrum non est hoc loco agere. Videat Lector Scholia sua in libris Paragraphorum, Commentarium de Gutta, mihi tom. 2. p. 189.

Nonnullos affectum huncce Gluttwasser appellare diximus, & rectè quidem. Vocabulum enim hocce à prunis & carbonibus accensis Germanicè Glut / & aqua Germ. Wasser / deductum est. Quemadmodum enim prunæ corpus nostrum adurunt, dolorem maximum pariunt, patiemque, nisi maturè amoveantur, destruunt, ita etiam ingentibus doloribus & tormentis affi guntur hi, quibus ichor acris, sive aqua illa corrosiva ex vulneratis articulis profluit. Deinde quemadmodum Carbones igniti, insigniter exsiccant, omniaque comburunt, ita etiam ichor

ichor iste, propter acrimoniam, quam habet, non tantum humidum radicale exsiccat, verum etiam ut plurimum venas, arterias, nervos, ipsaque ligamenta & ossa erodit, & sæpissimè calorem nativum penitus exstinguit, ita ut Sphacelus, in quo pars affecta nigra, veluti carbo cernitur, subsequatur. Præterea uti ex carbonibus ignitis, vapores calidissimi sursum tendunt, ita etiam in hoc morbo ex parte affecta vapores calidissimi exsurgunt, partesque nobiles, inprimis hepar, cor & cerebrum feriunt, gravissimaque symptomata excitant, de quibus in sequentibus fusius.

Cæterum quantum ad appellationem Germanicam Glidwasser/ hoc est, aqua articulorum, si simpliciter & in ea significatione ponitur, in qua vulgus Chirurgorum illam sumit, ineptissimum vocabulum esse, cum Joh. Langio, *lib.* 1. *Epist* 3. sentio. Volunt enim, aquam hancce in articulis naturaliter contentam esse, id verò falsissimum esse, in præcedentibus ostendi. Non potest enim vox illa Glidwasser/ quicquam aliud, quam naturalem articulo insitam aquam significare. Adjuncto verò vocabulo Germanico sucht/ perbelle ad hunc morbum accommodari posse existimo. Appellarem itaque affectum hunce Germanicè Glidwasser-sucht/ hoc est, morbosa articulorum aqua. Vocabulum enim sucht/ dispositionem morbosam denotat. Sic rectè dicitur Germanice Wassersucht/ Geelsucht / Fallendesucht/ Lungensucht/ ꝛc. Latinè unico vocabulo eleganter appellamus affectum hunce hydrarthrum, hoc est, hydropem articulorum. Etiamsi enim in ipsis juncturis tanta copia aquæ naturaliter non contineatur, ut antea demonstratum est, in ipso tamen articulo læto recipitur, colligiturque. Sic quoque dicimus, hydrocephalus, hydrocardia, hydrops uterinus, quando aqua in capite, circa cor, aut in matrice, præter naturam copiose colligitur. Hujus sententiæ quoque fuisse Dn. Johan. Langium, ex epistola paulò antea allegata apparet. Ubicunque enim Celsus (loquor autem de editionibus Dn. Henrici Stephani, & Dn. Johan. Furnesii, quæ mihi ad manus sunt) Ichorem scribit, Langius hydropem ponit. Adscribam verba Langii, multum enim ad curationem vulnerum rectè instituendam, & hydrarthrum præcavendum faciunt. *Quum* inquit (*teste Galeno*) *in curando vulnere nihil sit prius, quam providere, ne phlegmone corripiatur. hi* (*videlicet imperiti barbitonsores*) *non modo quid phlegmone sit ignorant, sed nec musculorum & tendinum, aut articulorum compaginem & situm noverunt. Nec principio nervorum, ne spasmo corripiatur, providens: nec febris, qua totum corpus tabescit, rationem habent, quum vulneratis merum libere vinum, cibariisque aromatum condictura praeparatis, liberè vesci permittant: nec vulneris apostemationem agnoscunt, donec pro sanie bene cocta, liquorem faeculentum, oleaginenm, & instar seri lactis tenuem, ubertim emanare viderint, quem Democrates perbelle appellat ichorem, trigodynlepton, (Cornelius vero Celsus hydropem & Meliceriam appellat. Est, inquit, quædam sanies, quæ velut hydrops tenuis, subalbidus, ex male ulcere exit, maximè ubi nervo læso, inflammatio subsecuta est.* Hactenus Langius.

Non male autem vocabulum hoc hydrarthros, sive hydrops articulorum, & Germanicè Glidwassersucht/ huic morbo, propter sequentes rationes, convenire mihi videtur. 1. Quemadmodum in hydrope aqua in partibus carnosis totius corporis, ut in Anasarca, vel in abdomine, scroto, & cruribus tantum, ut in Ascite, colligitur, ita in hydrarthro in hanc vel illam juncturam læsam confluit. 2. Quando calor nativus hepatis ita languescit, ut chylus in sanguinem converti non possit, generatur hydrops, ita quoque ubi in articulis propter doloris vehementiam, inflammationem, & abundantiam humorum excrementitiorum, calor nativus veluti suffocatus, prosternitur, aqua ita concoqui non potest, sed cruda & indigesta effluit. 3. Quotiescunque insignes obstructiones viscerum, præsertim hepatis, adsunt, hydrops plerumque oriri consuevit. Si in articulis vulneratis, Medicamenta quæ insigniter exsiccant, constringunt, & poros claudunt, uti sunt, pili capreolatum, de quibus vide Langium loco citato, aut pulvis Ostreorum, Cranei adulti, ossis sepiæ, spodii &c applicas, aut vulneris labia protinus, & antequam vulnus probè sit digestum, & mundificatum balsamis, potionibus vulnerariis, aut emplastro Stictico, sive fodicationum Paracelsi, claudis, Ichorem aut hydrarthrum excitabis. Clauso enim vulnere in superficie, & putrescente materia in profundo, incalescit, fitque acris, dolorem excitat, & serosos humores ex proximis adjacentibus partibus, vel etiam ex toto corpore attrahit, sequiturque hydrarthros periculosissimus, quemadmodum capite primo de cive Lausannensi dictum fuit.

Cap. 4. *De signis Ichoris & Meliceriæ Celsi, hoc est hydropis articulorum.*

Etiamsi inter Germanos adeò frequens sit hydrops articulorum, ut etiam plebeis hominibus, & ipsis barbitonsorum tyronibus notissimum, antea dictum fuit, & proinde ut de signis aliquid scriberem, supervacuum esse videatur. In gratiam tamen aliorum, quibus affectus ille adhuc incognitus, observationem singularem, ex qua omnia ferè signa hujus affectus colligi possunt, adscribam.

Anno 1616. patricio cuidam Bernensi Dn. *Philippo Kilchberger* nomine, in conflictu vulnus ad sinistrum carpum ense inflictum fuit, ubi vix cutis ad ligamentum obliquum usque sauciatum. Advocatus Chirurgus, qui suo more vulnus curat, & ut parvum, parvo quoque spacio temporis cicatricem obducere tentat. Ab initio quidem ex voto succedere omnia, & nullum adfuit symptoma, præterquam quod in digito annulari & auriculari de stupore quodam molestò conquereretur æger, quod in vulneribus nervosarum partium, brachiorum videlicet ac manuum, crurum item pedumque, veluti symptoma inseparabile esse consuevit. Dum enim illico post ictum humores circa partem læsam confluunt, facilè impeditur spiritus animalis, quo minus liberè ad extremitates confluere possit. Ex hoc porro stupore (quod monendum est, antequam ulterius progredior) facilè cognoscet diligens Medicus & Chirurgus, non solum quæ pars sit læsa, verum etiam læsionis magnitudinem. Nervum enim aut nervosum quid læsum esse denotat: &; prout major fuerit stupor, eò majorem quoque nervosarum partium esse læsionem, argumentum est. At si nervus omninò fuerit abscissus, non stupor tantum, verum etiam sensus & motus abolitio sequitur. Sed hæc obiter. Redeo nunc unde paulisper digressus eram. Diximus, vulnus tam exiguum fuisse, ut ligamentum obliquum vix læsum, quapropter ab initio neglectum, & tum in victus ratione, tum in reliquis omnibus erratum est. Porrò circa tertium diem morbi, cum æger ipse simul & Chirurgus omnia jam in tuto esse arbitrarentur, paulatim exortus est dolor, qui intra horas 24. ita adauctus fuit, ut incredibile sit dictu. Ego quinta die morbi advocatus, ægrum præ summo dolore ejulantem, & alta voce exclamantem inveni. Febris maxima, ardens & continua, cum linguæ

linguæ ariditate, capitis dolore continuo, & sitis inexhausta adeiat. Vigiliis quoque, inquietudinibus, nausea, eructationibus, cibi fastidio & vomitu vexabatur, & lipothymiæ frequenter superveniebant cum ventris constipatione, renum & lumborum dolore intensissimo. Manus simul & brachium mirum in modum erant tumefacta & inflammatione obsessa. Vulnus carne spongiosa, & aliquo modo livida, aut ex pallido livescens, repletum: ex quo non pus coctum, sed humor turbidus, & veluti serum lactis copiosissimè extillavit. Hæc etsi gravissima essent symptomata, cum bono Deo tamen feliciter à me restitutus fuit, nullo remanente manus incommodo.

Cæterum etsi ex prædicta historia signa omnia hujus symptomatis colligere possint, in gratiam tamen tyronum paulò prolixius ea explicare visum est. Primum itaque signum est, quod non pus, sed Ichor, hoc est, serosa & viscida materia ex vulnere effluat, ab initio quidem parcè, paulatim tamen copiosior. Sed hic notandum est, in omnibus ferè vulneribus nervosarum partium, ab initio serosum & crudum quid effluere, etiamsi omnia rectè & ad votum incedant, quapropter ex solo isto signo, aquam articulorum ut ita dicam, fluere, nondum est judicandum, donec & alia advenerint symptomata.

2. Circa tertium & quartum diem, pars affecta intumescit, ex reliquo enim corpore humores circa vulnus confluunt.

3. Eodem quoque tempore propter affluentium humorum copiam, inflammatio subsequetur, & æger vapores quosdam calidos, (fliegende Hitz) ex ipsa parte læsa sursum ascendentes, percipit.

4. Oritur dolor intensissimus. Materia enim in parte affecta collecta & acris reddita, nervos nervosasque partes pungit, atque vellicat.

5. Labia vulneris in aliquibus contrahuntur, ut plurimum tamen, & ferè in omnibus, elevantur & intumescunt, & vulnus carne quadam spongiosa, & ex pallido livescente, repletum conspicitur: Quæ omnia ex serosi humoris abundantia & malignitate, nec non caloris nativi ejus partis labefactatione procedunt.

6. Febris adest continua, quæ in aliquibus ardens, in nonnullis remissior existit, prout dolor intensius aut remissior, & abundantia humorum in corpore adfuerit. Ex febre postea linguæ asperitas, sitis, capitis, lumborumque dolor, inquietudines, & vigiliæ, nausea, & cibi fastidium, vomitus, alvi constipatio, aliaque symptomata supervenire consueverunt. Hæc breviter de signis; Quæ præterea symptomata exspectanda, lector ex sequenti capite colligere poterit.

Cap. 5. *De Prognosticis Ichoris, sive Meliceriæ.*

QUid sit hydrops articulorum, ipsiusque causas & signa breviter exposuimus, nunc quæ ante curationem perpendenda, & ægro adstantibusque prædicenda, paucis ut anoectam, ordo tractationis postulat. Inprimis autem scire expedit, omnem Hydropem articulorum, gravem atque periculosum esse affectum, etiamsi in minimo fuerit digito. Talem enim esse morbum, ut omnes partes principes ab ipso altesreotur, sæpissimè vidi. Idque præcipuè fit ratione doloris. Dolor enim quotiescunque partem aliquam infestat, humores ex toto corpore cum violentia, & veluti cucurbitula ad se trahit: testatur id Galenus multis in locis, & ipsa experientia fidem facit. Inde cacoëthem, ut testatur Gal. meth. medendi lib. 5. statim fieri, quæcunque in articulis accepta vulnera sunt, omnes ferè sciunt. Humores enim serosi, qui ex toto corpore ad articulum confluunt, incalescunt, putrefiunt, maligni & acres fiunt, tandemque ligamenta, appendices, cartilagines, nonnunquam & ipsa ossa erodunt. Porrò cum omnes partes corporis arteriis, venis, & nervis præditæ sint; propter doloris vehementiam, & in parte affecta collectam materiam acrem & malignam, per venas hepar, per arterias cor, inficiuntur & incalescunt, & hepar quidem propter venarum multitudinem & magnitudinem primo, mox quoque cor mediantibus arteriis, sic febris, sitis inexhausta, dolor capitis & lumborum, multaque alia symptomata, quæ febres comitari solent, oriuntur. Si dolor diu duraverit, Lipothymiæ quoque superveniunt, primò, quia dolor vires dissolvit, deinde etiam quia vapor putridus & malignus ex ipsa parte affecta per arterias ad cor ascendit. Delirium quoque nonnunquam supervenire consuevit; Idque tam propter consensum, quem cerebrum cum parte affecta, mediantibus nervis habet, tum etiam, quia vapores multi calidi & sicci, sive biliosi & putridi, ad caput ascendunt. At si delirium diu infestaverit ægrum, phrenesis quoque periculosa consequi solet. Diu durante dolore, spasmus tandem invadit ægrum. Accidit ille ut plurimum aut propter Sympathiam sive consensum, quem pars læsa cum cerebro & spinali medulla habet, aut quia vehementia doloris & continuis vigiliis, nervi præter modum exsiccati & arefacti fuerunt, tum etiam quod præter maximam copiam serosorum humorum, qui ex vulnere effluxerunt, totum corpus, & per consequens nervi exteouati & exsiccati sint.

Gangrænam in aliquibus consequutam fuisse hydropem articulorum, observavi. Johan. Langius Epist. 3. lib. 1. id quoque testatur. Accidit illa propter ingentem inflammationem, præcipuè si frigida medicamenta, uti mos est quorundam barbitonsorum, applicantur, ulceribus enim frigidum frigiditasque mordax cutem obdurat, substantiam ejus densans & constringens. Dolorem insupportabilem facit, eò quod nativum calorem, qui suppurationis causa est, extinguat, livorem obducit, & denigrat, rigores febriles; convulsiones, distensiones creat. Hæc faciunt frigida medicamenta, præcipuè in vulneribus nervosarum partium, ut alibi testatur Hippocrates. Est igitur summo studio procuranda & accelleranda suppuratio, sive digestio vulneris, quæ quidem in aliquibus citò, in aliis tardè perficitur ut cap. 6. fusius dicemus.

Ut plurimum autem sic in copia, uti sæpissimè antea dictum fuit, affluentibus humoribus (qui propter intensissimam intemperiem calidam partis affectæ, acrimoniam, & quidem malignam acquirunt) ligamenta & appendices articuli corroduntur, quibus exesis, ossa, mediante callo validissimo connectuntur, & junctura fit rigida atque immobilis, nec ulla arte aut industria (quod tyronibus artis diligenter notandum est, ne inconsideratè ea, quæ nemo præstare potest, ægris aut adstantibus promittant) restitui potest, quod ego in multis observavi, etiam in nobilissimo viro Dom. Johanne à Watteovvil, cujus mentio facta fuit cap. 1. & in rustico quodam, cujus memini cap. 2. Habeo inter rara mea anatomica, ossa brachii sinistri, in sepulchro quodam reperta, quæ in ipso cubito validissimo callo, & quidem tam eleganter sunt connexa, ut an antea ibi fuerit junctura, vix appareat. Accidit id procul dubio propter hydropem istius articuli. Os enim humeri supra cubitum fractum fuisse, etiam nunc ex callo evidentissimè apparet. Hinc conjicio, fra-

cturam non satis rectè curatam, inflammationem & affluxum humorum ad cubitum, ejusque hydropem sequutum fuisse. Hominem autem huncce multos annos cum hoc affectu vixisse, nec unquam brachium sursum elevare potuisse, & ad pectus semper gestasse, ex capite cubiti apparet: illud enim non sphæricam habet figuram, sed obtusum & depressum est.

Anno 1618. Basileæ in Cœmiterio ad S. Elisabetam os femoris sinistri inveni, quod in Musæo meo etiam nunc reservo. In hoc osse caput femoris cum capsula sua callo tam arctè & validè cohæret, ac si unicum esset os, vixque apparet, juncturam ibi fuisse. Vulnus autem globulo plumbeo vel sagitta ossi ipso femoris infixum fuisse, non longè à capite femoris in osse perbellè apparet, sed de his plura cap. 25. Placuit exempla hæc addere, ut ex eis juniores Chirurgi & Medici discant, se oleum & operam perdituros, quotiescunque post hydropem articulorum, amissum motum articuli restituere student.

Sæpissimè quoque in ipsa curatione propter doloris vehementiam & inflammationem, nervi & tendones retrahuntur, & incurvatur membrum, illæsis tamen ligamentis, & appendicibus, quo in casu adhuc aliqua spes restitutionis superest, quemadmodum postea dicemus cap. 26. Cacochymiam quoque, uti & ictericiam & Ascitem, post Meliceriam sequutam fuisse, observavi, sit id præcipuè, quando malum inferiores articulos, veluti pedes, genua & coxas occupat. Tunc enim dolor vehemens est, & ægrum ut plurimum per multos menses vigiliis & inquietudinibus mirum in modum excruciat, vires prosternit, omnesque actiones corporis impedit retardatque. Dormiendo enim concoctiones omnes perficiuntur. Contra si somnus doloribus & inquietudinibus interrumpitur, tunc chylus ex ventriculo & venis mesaraicis semicoctus & veluti crudus ad hepar pervenit. Hinc obstructiones, & labefactatio caloris nativi, & gravissimi morbi sequuntur. Si verò hydrops articulorum manus aut brachia occupaverit, minus est periculum: humores enim in tanta copia, uti ad crura, non affluunt, & æger postquam impetus mali cessaverit, deambulando corpus exercet, calorem innatum excitat, & concoctionem promovet. Contrarium fit in affectibus crurum, in quibus propter diuturnum decubitum in dorso, renes, præcipuè autem sanguis in vena cava & hepate incalescit, inde internarum partium perpetua intemperies calida, febricula, sitis, vigiliæ, tandemque ictericia & hydrops sequuntur, renum quoque & vesicæ calculi generantur. Interna quoque viscera & ipse sanguis in vena cava & hepate quando ita æstuant, vapores multos ad caput mandant, sitque inde catarrhis obnoxium.

Si æger natura cacochymicus fuerit, aut illam in morbo ipso contraxerit, difficulter sanabitur, præcipuè si humores acres ad ligamenta & ossa pervenerint, eaque carie contaminaverint. Hydrops articulorum (uti & alia gravissima vulnera, quemadmodum Clarissimus ac doctissimus Vir *Dn. Petrus Pavius* Anatomicus & Botanicus longè celeberrimus p. m. amicus meus sincerus ostendit) æstate superveniens, periculosior est, quàm qui hyeme, innatus enim calor alacrior, & plus potest hyeme quam æstate, morbo resistere, siquidem æstivi aëris non ambientis æstus, evocat dissipatque nativum corporis calorem.

Porrò cum in vulneribus magnis & pravis ut tumor adsit, natura ipsa postulat, sequitur, evanescente tumore, protinus circa vulnera articulorum convulsionem, & delirium in proximis esse, uti docet Hippocrates lib. 5. aphor. 65. & 66. Quippe, uti testatur Galenus, indicium est, humores noxios ad principes partes transmitti, qui tamen propter dolorem, quem prava & magna ulcera sequi par est, ad vulnera ipsa potius confluere deberent. Quippe dolor attrahit, & fluxiones concitat. Sæpissimè quoque meliceria in ulcus magnum & insanabile degenerat, quando videlicet ligamenta eroduntur, & caries in osse consequitur. Propter doloris vehementiam & diuturnitatem, propter vigilias item & appetitus prostrationem, in nonnullis vires ita dissolvuntur, & humidum radicale adeò absumitur, ut etiam animam efflent. In iis autem qui morituri sunt, ulcus ante mortem lividum & aridum, aut nigrum & aridum fit, parum aut nihil egerens materiæ. Id autem accidit propter summam alteratricis & expultricis facultatum labefactationem & imbecillitatem. De quo vide Hippocratem prænotionum *lib. 1. cap.* 8. & tractatum nostrum de Gangræna & Sphacelo *cap.* 11.

Cap. 6. *De curatione vulnerum in genere, ubi ab initio vulnus cruentum digerendum & suppurandum esse, ostenditur.*

Debebam nunc rectà ad curationem methodicam Ichoris atris, sive hydropis articulorum progredi, sed quia multi Chirurgorum decocto vulnerario, balsamis, emplastro stictico, aut unguento armario, aliisque medicamentis, præter rationem adhibitis, gravissimum hocce symptoma plerumque excitant provocantque, operæ pretium esse duxi, nonnulla de curatione vulnerum in genere, & quibus intentionibus incipienda & absolvenda sit curatio, præponere. Addam quoque suo loco, quid de prædictis Medicamentis sit censendum, & quomodo eis cum fructu & secundum rationem utendum.

Omnem autem solutionem continuitatis, unitionem requirere, etiam idiotis notum est, & post Galenum, Guidonem, omnes, qui de re Chirurgica scripsere, docent. Unitio autem hæc, sive consolidatio vulneris, à natura tanquam à principali agente, à Medico verò veluti Naturæ instrumento & ministro perficitur. Natura enim illa est, quæ per se sufficit consolidare vulnera, modo Medicus obstacula, quæ illam in suis operationibus impediunt atque retardant, auferat. Impeditur autem natura consolidare vulnus, si ossa fracta, & à periostio penitus separata fuerint, si telum, globulus plumbeus, ferrum, lignum, aut simile quid extraneì, vulneri inhæserit.

Summa itaque diligentia in hoc laborandum, primò ut sanguis, si profluxerit, sistatur: quia enim thesaurus vitæ est, multos ex ipsius profusione animam simul profundere, videmus. Deinde diligentia adhibenda, ut quicquid extraneum vulneri inhæret, dum adhuc cruentum est, extrahatur. Ossa confracta in locum reponantur, vel si à periostio separata fuerint, extrahantur. Impeditur quoque natura, & sanatio sive unitio vulneris retardatur, si dolor, tumor, vel inflammatio, aut affluxus humorum supervenerint, & partem læsam infestaverint. Hæc omnia diligens ac exercitatus Medicus & Chirurgus facilè avertet, si optimam victus rationem instituerit, corpus à pravis humoribus expurgaverit, venam, si plethora adfuerit, & vires permiserint, inciderit. Sed nec illa omnia sufficiunt, nisi topica ex arte quoque adhibita fuerint.

Porrò doctrinam, quam Magnus Hippocrates de Medicationibus internis, nobis reliquit, ad externa vulnera haud ineptè quoque referri atque accommo-

accommudari posse, mihi videtur. *Concocta*, inquit, *Medicamento purgare ac movere oportet, non cruda neque ineunte morbo, nisi materia turgeat, plurimùm verò non turget.* Vult Hippocrates in hoc aphorismo, materiam peccantem primò concoquendam & digerendam, deinde movendam atque expurgandam esse, non tamen ab initio, dum adhuc cruda & indigesta est. Quandoquidem nihil crudi, in quacunque parte corporis id lateat, commodè evacuari posse, experientia fidem facit. Hæc quoque in vulnerum curationibus locum habere, exemplis monstrabo.

Anno 1620. Mense Majo Reverendi & doctissimi Dn. Stephani Ecclesiæ Bernensis Ministri primarii filius, decem circiter annorum, vulnus contusum ad dextram palpebram recepit. Chirurgus, cui curatio vulneris demandata fuit, cum digestionis vulneris curam nullam haberet, decocto suo vulnerario & insigniter constringente, vulnus intra paucos dies cicatrice obduxit. Cùm verò durities & tuberculum scirrhosum & deforme remansisset, advocatus fui, purgato priùs corpore, ea quæ insigniter emolliunt, primò per dies aliquot, deinde quæ dissolvunt & discutiunt, simul applicui, quibus & quàm optimè restitutus fuit. Quàm infelix fuerit usus decocti vulnerarii in puella quadam, ad cilium dextrum vulnerata, Lector posthac cap. 7. videre poterit.

In tumoribus præter naturam, si quis materiam peccantem, crudam adhuc, nec satis concoctam & emollitam, in halitum resolvere, & per insensibilem transpirationem; ut loquuntur Medici, evacuare studet, is profectò subtiliores partes quidem resolvet, reliquum autem in scirrhum coagulabit. Addam exemplum. Nobilis quædam puella in arce serenissimi Principis mei, Guilhelmi; Ducis Juliacensium Cliviensium & Montensium &c. felicissimæ memoriæ, cùm ab adolescente in transitu ictum digiti ad papillam sinistram accepisset, & exinde dolor, postea quoque intumefactio totius mammæ exorta fuisset, ac puella propter verecundiam malum celasset, & illa ipsamet, quæ inflammationem extinguunt & insigniter repellunt & discutiunt, nequaquam tamen digerunt, sibi applicuisset, resolutis subtilioribus partibus materiæ peccantis, crassa in scirrhum concrevit. Ego literis nobilissimæ matronæ, Dominæ ab Hai, Architriclinæ Illustrissimę Principissæ, Hildenà Dusseldorpium accersitus Anno 1590. scirrhum durissimum, dolorosum & cancrosum, magnitudinem nucis juglandis non multum excedentem, ad latus papillæ, versus Sternum inveni. Consului, ut præparato satis corpore, cutis superficietenus (non enim in profundo latebat scirrhus ille) secundùm longitudinem incideretur, & scirrhus cum sua membrana extraheretur, vulnusque, ut artis est, curaretur. Cum verò manualem hancce curationem, longè facilem & securissimam, respuerent, cùm ipsa ægra, tum etiam adstantes, nihil cum ipsa tentare volui, sed ad meos me contuli. Post meum abitum cum alius quidam, ipsam absque manuali operatione sanare vellet, & primò emollientia, deinde erodentia applicuisset, in horrendum cancrum degeneratus est scirrhus ille, ex quo tandem miserè periit puella illa. Quod si ab initio morbi, materia circa papillam confluxa, digesta, postea, ut artis est, resoluta fuisset, procul dubio gravissimum hocce malum non supervenisset.

Redeo nunc ad Aphorismum Hippocratis, ex quo Methodica & artificiosa vulnerum curatio quoque colligitur. *Concocta* inquit, *medicare atque movere oportet*, quasi diceret, si tu materiam peccantem probè concoquis; postea moves atque evacuas, omnia, quæ circa ægrum facienda sunt, præstabis, & natura, quæ præterea requiruntur, facilè perficit. Cæterùm etsi ad vulnerum curationem hæc quatuor requirantur, digestio videlicet, mundificatio, carnis generatio, & cicatricis procreatio, priores tamen duæ præcipuè arte, posteriores naturæ beneficio fiunt. Vulnus si statim ab initio probè digestum, deinde mundificatum fuerit, natura facilè per se carnem generat, & cicatricem inducit, modò Medicus illa, quæ naturam in suis operationibus, ut antea quoque dixi, impediunt, amoveat.

In abscessibus eodem ordine procedendum est, ante omnia enim materia in parte affecta contenta, emollientibus & anodynis digerenda & concoquenda est, tum vomica aperienda, & pus evacuandum. Tandem mundificatis sinuositatibus (dummodò Orificium abscessus rotundis apertum retineatur, symptomata quin etiam, si supervenerint, removeantur) natura per se sinuositates carne adimplebit, tandemque cicatricem inducet. A digestione itaque, secundum doctrinam Hippocratis, Curatio inchoanda est.

Porrò cùm omne vulnus ab initio sit crudum & indigestum, & ex se, præcipuè vulnera nervosarum partium, materiam serosam emittere scimus, statim secundùm mentem Hippocratis digerendum est; Digesto enim vulnere, & optimo ex se emittente pure, non facilè symptomata aliquod ægrum molestabit, nisi error vel à Chirurgo vel ægro commissus fuerit. Quandoquidem humores, qui propter solutionem continuitatis, subitamque mutationem, ad partem læsam decumbunt, & symptomata excitant, digesto vulnere effluunt, non digesto verò, in parte læsa retinentur, pessimaque symptomata excitant. Deinde perpendendum est, vix occurrere vulnus, etiamsi instrumento scindenti factum fuerit, in quo non aliquid sit contusionis, Ecchymosis, quæ sæpissimè in ambitu vulnerum ense factorum conspicitur, satis superque fidem facit. Cùm itaque caro contusa, docente Hippocrate, ut putrescat, & in pus convertatur, necesse sit, iterum manifestum fit, curationem vulnerum ab eorum digestione auspicandam esse. Nisi enim venæ capillares, & meatus in ambitu vulneris, qui statim ab initio propter affluentium humorum copiam occluduntur & adimplentur, reserati fuerint, & materia præternaturalis, in ipsis contenta, digeratur & concoquatur, putrescit in ipsis vasis, & acrimoniam acquirit. Ex qua sequuntur extensiones vasorum, intumefactio, dolor, aliaque commemorata symptomata. Ex quibus satis superque apparet, quàm periculosa sit eorum methodus, qui decoctionibus vulnerariis, balsamis, aliisque similibus medicamentis, vulnera statim ab initio, & antequam digesta fuerint, occludere tentant. De quibus suo loco fusius.

Ut igitur symptomata evitentur, ab initio relaxantia, emollientia & mediocriter calefacientia sunt adhibenda, vulneribusque imponenda, Hujusmodi autem sunt unguenta à practicis Digestiva appellata. Præparantur illa ex Cera, Therebintina, Colophonia, Gummi Elemi, oleo rosaceo, amygdalarum dulcium, liliorum alborum, oleo de vitellis ovorum, butyro recentissimo, croco, & similibus, ut suo loco dicetur, In universalibus quoque nihil omittatur, & quæ affluentes humores reprimunt, calorem innatum conservant, præter digestiva, loco affecto applicentur.

Cæterùm, antequam hujus capitis finem faciam, monitos esse velim tyrones, de tempore, quo digestio vulneris perficitur, nihil certi statui posse. Vulnerum enim hæc citò, illa verò tardè suppurantur, idque secundùm conditionem vulneris, ac naturam partis

læsæ,

læsæ, constitutionemque ægri; Citius suppurantur vulnera, instrumento bene scindenti facta, confusa verò tardè; in illis enim vasa omnia ita sunt aperta, ut materia absque impedimento effluere possit, in his verò, propter contusionem, sanguis extravenatus, & humores, qui affluunt, diutius retinentur, & propter contusionem putrescunt, hinc calor innatus, cujus beneficio digestio perficitus, aliquo modo prosternitur. Citò digeruntur & suppurantur vulnera carnosarum partium, propter sanguinis & caloris nativi abondantiam: tardè verò in juncturis & partibus nervosis succedit suppuratio, propter caloris naitvi eis in locis penuriam, & dolorem, qui sequitur, actionesque naturales setardat, dum humores noxios ex universo corpore ad se trahit. Quapropter sæpissimè ex vulneribus articulorum ulcera cacoëthica fieri, Galenus ipsaque experientia testantur. Citò suppurantur & consolidantur vulnera, quæ in corporibus puris, & optimo succo refertis, occurrunt, tardè verò cacochymicorum, propter caloris nativi imbecillitatem, & humidi radicalis defectum.

Hæc, candide Lector, non sine gravissima causa adscribo. Vidi enim Chirurgos non vulgares, qui sibi certum tempus ac dierum numerum, ad digestionem perficiendam, fingebant. Elapso hoc tempore, ad mundificantia & abstergentia transierunt, etiamsi vulnus non satis digestum & suppuratum esses, idque maximo ægrotum eum damno. Non enim in omnibus subjectis æquabiliter perficitos digestio, ut jamjam dixi, sed in his citò, in illis verò tardè: Si itaque ante perfectam digestionem vulnetis, & symptomatum remissionem, mundificantia & abstergentia (quæ acrimonia quadam prædita sunt) applicueris, vulnus irritabis, dolorem excitabis, & novo affluxum humorum ad partem læsam provocabis, tandemque naturam in suis operationibus ita perturbabis, ut ex simplici vulnere fiat ulcus cacoëthicum & malignum. Hanc ob causam digerentibus & dolorem sedantibus, plerumque ad finem usque curationis feliciter procedo, præsertim in vulneribus nervosatum partium. Hoc modo enim ab omnibus symptomatibus, modò in universalibus nihil omissum fuerit, securus sum.

Cap. 7. *De decocto Traumatico, sive vulnerario, & an ab initio in vulneribus articulorum conveniat, nec ne?*

QUia permultos atque gravissimos errores, magnaque symptomata, & præcipuè hydropem articulorum, ex usu decocti traumatici sive vulnerarii, quotidie consequi, in præcedentibus dictum fuit, necesse est investigare, an symptomata illa ratione decocti, an potius propter imperitiam barbitonsorum, aliorumque theoriæ artis Chirurgicæ imperitorum hominum, superveniant, nec ne? Omne vulnus cruentum crudum esse, & digestionem, sive suppurationem requirere, primam & præcipuam intentionem in curatione vulnerum esse, proximo præcedenti capite demonstratum fuit. Suppurationem quoque medicamentis, quæ modicè calefaciunt & humectant, fieri, diximus, quapropter nunc investigandum est, an decoctum vulnerarium hasce babeat facultates, anque digestio ulla vulnerum ex ipso petenda aut expectanda sit? id verò ut commodè & rectè fiat, ipsius ingredientia examinanda sunt. Decoctum autem Halwilianum, & plerumque omnia, præcipuè ex pyrola, sanicula, consolida saracenica, Artemisia (quam rothe Bocklin / appellant) vinca pervinca (Halvvilianis Erteilen vocatur) Alchimilla & fragaria præparantur. Addunt sabinam, si aliquid præter naturam, spinæ videlicet, festucæ, fragmenta ossis, globulus plumbeus, aut simile quid corpori inhæserit, Herbas primò in umbra, dein in clibano exsiccatas, in pulverem redigunt, unamquamque seorsim. Postea æquali pondere simul commiscent, & ad usum reservant. Hujus pulveris accipiunt cochleare plenum (sic enim habet eorum recipe) quem in mensura una vini optimi tam diu coquunt, quantum ad ova duriusculè coquenda sequiritus temporis. De hoc decocto, una cum incocto pulvere prædictarum herbarum, ter in die ægro exhibent. Adultis cyathum unum, hoc est, ad quinque aut sex uncias, pueris verò & delicatioribus minus. Linteum quin etiam in ipso madefactum vulneri applicant. Hoc solo medicamento, neglectis omnibus aliis remediis, imò & universalibus, vulnera omnia, quantumvis maxima & periculo plena, sanari posse, sibi persuadent, sed eventus plerumque contrarium ostendit, uti ex eis, quæ sequuntur, videre est. Sed videamus nunc ordine ingredientia omnia. Pyrola exsiccat, astringit, & agglutinat, *Matthiolus in Diosco. lib. 4. cap. 16. Hieron. Tragus lib 2. cap. 53.* Collocatur autem in tertio gradu siccitatis, *Fuchsius plantarum historia cap. 176. Trbernæmontanus tom. 2. sect. 11. cap. 39.*

Sanicula non est simplicis naturæ, sed ut indicio est gustus, astringit, simul & amara est, ut hoc nomine calefactoriam & exsiccatoriam esse, nulli dubium sit. Statuunt autem calidam & siccam ordine secundo, *Fuchsius plantarum historia cap. 261. Tragus lib. 1. cap. 173.* Sanicula refrigerat & siccat, cohibet, reprimit, glutinat & roborat. *Matthiol. in Diosco. lib. 4. c. 38.*

Consolida Saracenica, sive consolida aurea, Germ. Heydnisch Wundtraut / exsiccat. *Tragus lib. 1. cap. 164.* Constringendi vim quoque habere Tabernæmontanus testatur, *Tom. 2. sect. 6. cap. 18.*

Artemisia calefacit, & modicè desiccat, quod ad calefactionem attinet, ordinis secundi, quod verò ad resiccationem, aut primi intensi, aut secundi remissi, est etiam modicè tenuium partium. *Galenus de simplicium med. facultat bus lib. 6. Diosco. & Matthiol. in commentariis lib. 3. cap. 111. Fuchsius histor. plantar. cap. 13. Hieron. Tragus lib. 1. capite 113.*

Vinca pervinca sive Clematis, alvi profluviis & Dysentericis prodesse, *Dioscorides lib. 4. cap. 6. Galen. de simp. medicamentorum facult.* testantur. *Refrigerat*, Matthioli verbis utor, *siccat, roborat, cohibet, sed siccitate prævalere reliquis qualitatibus, ex Paulo Aegineta recenset Fuchsius Histor. plantar. cap. 135.*

Beta nitrosæ facultatis est particeps, qua tum digerit, tum extergit, & per nares expurgat, cæterùm cocta nitrositatem exuit, evaditque leniter digerens, ad detergendum tamen digerendumque calidior est beta alba. *Galenus de simp. medic. facult. lib 8.* Nigram verò, sive rubram, adjunctum habere astrictionis quippiam testatur *Matthiolus in Diosco. lib. 2. cap. 116.*

Alchimilla exsiccat, cohibet atque conglutinat, *Matthiol. in Diosco. lib. 4. cap. 115.* Folia & radix adstrictione vehementi participant, atque adeo exsiccant. Recentiores idipsum in secundo efficere ordine tradunt. *Leonhard. Fuchsius historia plantarum, cap. 234.*

Sabina tertii est ordinis excalcfacientium & desiccantium, & ex numero eorum, quæ vel maximè tenuium sunt partium *Gal. lib. 6. de simp. medicam. facultatibus. Fuchsius historia plantarum capite 54.*

Fragaria refrigerat ordine primo, siccat secundo

do *Matthiol. lib. 4. cap. 38. in Diofcor.* Radlcea & folia aſtringunt. *Cordus hiſtoriæ plantarum lib. 9. cap. 186. Fuchſius hiſtoriæ plant. cap. 328.*

Vinum noſtrates eligunt generoſum, quale eſt Valdenſium aut Equeſtrium, de la conſte appellant, Germani vino Rhenali aut Neccarino utuntur. Sunt illa plerumque omnia calida & ſicca in ſecundo gradu. Quod ſi admodum vetus fuerit vinum, ex tertio ordine calefacientium & ſiccantium erit. Ut *Galen. de ſimplic. medicam. facultatibus lib.* 8. teſtatur.

Ex his luce meridiana clariùs elucet, decoctum vulnerarium inſignem exſiccandi, conſtringendi, & agglutinandi facultatem ex præſcriptis herbis acquirere, calefacit quoque propter ſaniculam, Artemiſiam, & in primis propter ſabinam, quæ in tertio ordine excalefacientium & ſiccantium, ut antea dictum fuit, collocatur. Vinum præterea calefactoriam vim adauget, eſtque veluti vehiculum, quo reliquæ facultatea ad viſcera vehuntur. Non promovet itaque digeſtionem aut ſuppurationem vulnerum, ſed eam impedit & retardatque. Deinde quoque, quia calidum eſt, uti ex ingredientibus videre licet, ſanguinem & humores incendit, & ſymptomata omnia inprimis verò dolores & inflammationes excitat. Digeſto verò & ſatis ſuppurato vulnere, nec non ab omnibus ſymptomatibus liberato, cùm Intentio Medici eſt abſtergere, mundificare & conſolidare, Inſigne & longè excellentiſſimum eſſe medicamentum, omnibus rationalibus Medicis in confeſſo eſt. Hinc videmus, non eſſe, propriè loquendo, decoctum vulnerarium per ſe, quod dolores, inflammationes, & hydropem articulorum excitat, ſed inſcitia atque ignorantia barbitonſorū aliorumque hujus fariuæ hominum, illotis, ut dicitur, manibus, ſacroſancta Dei dona ſine methodo & contra naturæ ordinem tractate, & ut Plinius loquitur, *experimenta per mortes ducere non erubeſcunt.* Quàm infeliciter autem hæc aliaque plerumque ſuccedant, exemplis nonnullis declarabo.

Anno 1616. gladiator quidam Bernæ, M. Conradus nomine, gladio acuto in brachium finiſtrum inter carpum & cubitum vulneratus fuit: Reſtricta hæmorrhagia, decoctum Halwilianum ter in die bibit, eoq; per barbitonſorem vulnus abluere juſſit. Ab initio curatio ad votum ſucceſſit, circa tertium verò exorta eſt inflammatio, dolor Ingens, febris, nauſea, & appetitus proſtratio. Ego cùm in conſilium vocatus eſſem, manus totumque brachium intumefactum, & ad cubitum uſque inflammatum reperi, muſculi quoque pectoris per conſenſum afficiebantur, hine quoque de anguſtia pectoris conquerebatur, propter vapores quoque ex inflammato brachio aſcendentes, cor nonnunquam veluti lipothymia afficiebatur, vulnus exterius veluti cruſta obductum & clauſum erat. Accepto ſtylo exploratorio, cùm anguem in herba latentem detegere vellem, ecce adſtantes, qui criminari me incipiunt, meque admonent, ne tale quid tentarem, ne vulnus refricarem, cutem enim ſuperficietenus, tantùmmodò ſciſſam eſſe, ægrumque decoctum vulnerarium ab initio bibiſſe. Imaginantur enim ſibi noſtrates homines, decoctum hoc conſolidationem externam vulnerum non concedere, niſi ipſa concavitate prius conſolidata. Immiſſo ſtylo exploratorio cùm vulnus ſpithamam ferè profundum eſſe, & verſus cubitum ipſum penetrans vidiſſent, obſtupuerunt ferè, & ſupra modum admirati fuerunt. Quibus remediis autem ipſum curaverim, Lector in quarta Centuria Obſ. 83. videre poterit.

Anno 1619. Nobiliſſimi ac ſtrenui viri, Dn. Nicolai à Mullinen, Inclytæ Reipublicæ Bernenſis Conſiliarii prudentiſſimi, & Ducis exercitus apud Rhætos fortiſſimi, ancillia, cùm vulnuſculum contuſum ad Cilium inferius dextrum recepiſſet, illudve intra paucos dies nulla præcedente ſuppuratione aut digeſtione vulneris, decocto Halvviliano conſolidatum fuiſſet, iterum in profundo collectum fuit pus. Ego cùm advocatus eſſem, oculum Inſigni inflammatione tentatum inveni. Dolor capitis aderat maximus, ſimul & Febris atque vigiliæ. Suppurativis & pus moventibus per diem unum aut alterum applicatis, in ipſa cicatrice vomicam ſcalpello incidi, deinde abſtergentibus & mundificantibus per dies aliquot adhibitis, ulcus feliciter conſolidavi, nulla relicta oculi aut viſus læſione.

Anno 1620. Juvenis quidam 13. circiter annorum ætatis, & Magiſtri Matthis Keller, acularii filius, cum ſibi ipſimet vulnuſculum in ſiniſtri indicis articulum, qui medius eſt in ordine (ubi ſola coris in tranſverſum inciſa fuerat) inflігiſſet, & decocto traumatico vulnus, ut videbatur cicatrice obduxiſſet, iterùm collecta fuit materia in imo vulneris, quapropter exorto dolore intenſiſſimo & acutiſſimo, in conſilium me adhibuerunt parentes. Tum juveni manum & brachium ad cubitum uſque intumefactum, febris quoque aliaque cap. 4. commemorata ſymptomata aderant, inprimis verò Lipothymiæ, quàm primùm vulnus obligare vellem, ipſum infeſtabant. Dolores adeò erant magni, ut nullis ferè anodynis ſedari poſſent, tandemque propter vigiliarum vehementiam ad ſoporifera mihi confugiendum fuit. Ex quibus quàm maligna & acris ſit materia, in parte hoc morbo affecta contenta, apparet, dum enim non tantùm partes nobiles, veluti cor, hepar, & cerebrum, malignis ſuis vaporibus afficit, verùm etiam proximas adjacentes partes erodendo invadit. Vidi id in hoc puero, in quo quamvis nihil eorum, quæ facienda erant, prætermitterem, obſtare tamen non potui, quin materia ſinum, verſus poſtremum articulum & metacarpum, ſibi faceret, Tandem nihilominus feliciter ſanitati reſtitutus fuit, & ita quidem, ut digitus ſuo motu nullatenus privatus fuerit.

Porrò quemadmodum tempus morbi, quo decocto traumatico uſurpari convenit, perpendendum, ita etiam ſubjectum ipſum, hoc eſt, corpus ægri, ipſiusque conſtitutio, diligenter examinanda &, inveſtiganda eſt. Cùm enim in'igniter aſtringant & exſiccent, ut antea quoque dixi, & temperamentis ingredientium videre licet. Omnibus qui obſtructionibus viſcerum, veluti hepatis, lienis, & venarum lacteatum laborant, adverſiſſimum eſſe medicamentum, nullus in controverſiam vocare poterit. Quandoquidem conſtringendo & exſiccando excrementitios humores in viſceribus retinent. Hinc dolores, tormina hypochondriorum, inflationes, ſcirrhi viſcerum, tandemque virium & appetitus proſtratio, aliaque incommoda ſequuntur, quemadmodum ego in diverſis ægris obſervavi. Inprimis autem in nobiliſſimo viro Dom. Jacobo Wallier, qui cùm à teneris annis obſtructionibus viſcerum obnoxius fuiſſet, & anno 1609. propter graviſſima ulcera decocto Halvviliano uſus fuiſſet, omnia illa incommoda, quæ recenſui, ex uſu decocti prædicti in ſe expertus eſt. De his videat lector obſervationem & curationem ſingularem, de vulnere graviſſimo ſclopeti, à nobis editam.

Nobilis quidam prope Lauſannam cacochymicus, & obſtructionibus viſcerum, ſimul & ulcere circa coſtas laborans, cum ex conſilio imperitorum hominum decocto vulnerario uteretur, in tertianam incidit, quâ diu periculosè labo-

ravit, Videat itaque Chirurgus primò, ne decoctum adhibeat nisi vulnus sit digestum, suppuratum, & ab omnibus symptomatibus liberum. Noo enim solummodò impedit digestionem & suppurationem vulneris, verùm etiam dolores & inflammationes adauget, dum ratione vini aliarumque herbarum, quæ ingrediuntur calidarum, sanguinem & humores incendit, calidamque intemperiem in visceribus inducit. Deinde prospiciat, ne viscera excrementitiis humoribus sint referta, aut obstructionibus obnoxia. Decoctum enim vulnerarium astringendo & siccando, meatus obstruit, transpirationem prohibet, & proinde putredinem inducit, ex qua cachexia, febris, ictetria, & hujusmodi gravissimi morbi subsequuntur. *Quæ enim perspiratione carent*, inquit Galenus, *facile putrescunt*. Quapropter ante usum decocti, & dum eis utitur æger, corpus diligenter ab omnibus humoribus excrementitiis expurgandum, & vena, si plethora adfuerit, & vires permiserint, incidenda, optimaque victus ratio observanda est. Hæc verò quia vulgus barbitonsorum, propter inscitiam theoriæ, non observat, quis quæso non videt, eorum ignorantiam, noo autem medicamentum, hydropis articulorum, aliorumque gravissimorum symptomatum causam esse præcipuam. Est itaque verissimum divinum oraculum à Galeno prolatum: *Auxiliorum nimirum dextrum usum, partem artis esse præcipuam.* Plura qui de decocto Vulnerario videre cupit, illudque ad Vulnera externarum partium pervenire non posse, & proinde vulneribus non prodesse, internis verò visceribus mirum in modum obesse, scire desiderat, is doctissimum Virum Dom. D. Johannem Marthæum, quæstionum nobilium, qu. 30. legat.

Cap. 8. *De Balsamis, tam naturalibus, quàm artificialibus, num & quando in vulneribus articulorum conveniant?*

QUum ab omni ævo Balsamum veluti singulare donum Dei extiterit, & ad plerosque, tam internarum quàm externarum partium corporis morbos sanandos, medicamentum fuerit laudatissimum, ne dicam planè divinum, factum est, ut eo quoque abutantur empirici & irrationales Chirurgi, quasi medicamentum adeò universale esse possit, ut in omnibus morbis, in omnibus quoque etiam ægris, ætatibus, naturis, & temporibus anni aut morbi, tutò & sine ulla distinctione applicari possit. Hinc ex hoc tam optimo & pretioso medicamento, tot tamque gravissima symptomata, & ipsum hydropem articulorum, consequi videmus. Habent morbi interni, ut Medicis notum est, sua tempora, ut vocant. Principium videlicet, augmentum, statum & declinationem. At quis unquam fuit tam insulsus Medicus, ut uno eodemque medicamento per totum cursum morbi uteretur? De vulneribus eadem est ratio. Habent vulnera sua quoque tempora, secundùm quæ medicamenta sunt mutanda. In principio sanguis est sistendus, & quæ res extraneæ, veluti plumbum, ferrum, lignum, festucæ, ac nisi planè separata, vulneri inhæserint, extrahenda sunt. Hæc disertè quoque docet Hippocrates lib. 2. aphor. 29. inquiens: *dum morbi incheant, si quid movendum videtur, move, dum verò consistunt & vigent, melius est quietem habere.* In augmento cùm propter solutionem continui, subitamque mutationem, humores ex toto corpore, veluti cum impetu affluunt, dolores, inflammationes, aliaque gravissima symptomata excitant, eis, quæ repelluot, refrigerant & astringunt, ad alia loca repellendus est humor affluens, & ex parte affecta repellendus, dolor leniendus & inflammatio sedanda est, id verò ut commodè & ex arte fiat, digerendum est vulnus, quemadmodum capite 6. demonstravimus, in statu, hoc est, non amplius affluentibus humoribus, sedato item dolore, & remissa inflammatione, optimèque digesto vulnere, clementer abstergendum & carne implendum est. Materia quin etiam in parte affecta collecta, emollientibus & resolventibus discutienda est. In declinatione cicatricem inducere, & partem affectam, propter solutionem continui labefactatam, corroborare convenit. At quia scioli, ac ineptissimi barbitonsores, de una eademque fidelia omnes volunt curare ægros, mirum non est, si gravissimos errores circa ægros committant. Hæc autem ut dilucidiora evadant temperamentum ac facultates balsamorum consideremus.

Balsamum hodie habemus duplex, naturale, & artificiale, naturale est aut veterum aut recentiorum. Naturale veterum, cujus *Dioscorides lib. 1. cap. 17. Galenus de simplicium medicament. facult. lib. 6. Plin. lib. 12. cap. 25. Avicenna lib. 2. Tractatu 2. Paulus Ægineta, Oribasius & Aetius* meminere. Olim, ut testatur Dioscorides, in Judæa & Ægypto nascebatur. Hodie an arbores, ex quibus profluebat liquor iste, extant, & si exstant, ut sit, scimus, ex præscriptis aliisque probatissimis authoribus Balsamum antiquorum summè calidum fuisse medicamentum. Sic enim habet Dioscorides. *Efficacissima*, inquit, *vis inest ferro, & quàm maximè calfaciens:* Galenus Balsamum siccare & excalfacere in secundo gradu & tenuium esse partium scribit. Avicenna verò Balsamum in principio tertii gradus esse calidum testatur.

Balsamum recentiorum quadruplex est, Indicum, Americanum, Balsamum novum ex Insula Hispaniola, & Tolutanum. I. Indicum seu Occidentale, quod ex Occidentali India in Hispaniam adfertur liquor est arboris, Indis Xilo dictæ, punico malo majoris foliis urticæ similibus serratis, & tenuibus, cujus cortice, qui tennis est, vulnerato, liquor tenax subalbidus, paucus, quem incolæ sibi reservant, effluit. Sed ex ramis & truncis assulatim & minutatim concisis, & cum aqua in lebete decoctis, ubi refrixerit, conchis oleum supernatans colligunt, quod ex nigro rubet, odoris suavissimi, gustus acuti & aliquantum amari, calidum & siccum est gradu secundo, sumitur in corpus, foris illinitur, & Chirurgis remediis permiscetur. II. Balsamum Americanum, quod ex Americæ sive novi orbis continente adfertur, seu Peruvianum, liquor est arbori hastæ magnitudinis, ad radicem ramosæ, duplicique cortice, quo vulnerato ex medio spacio alba, lympidissima & odoratissima lachryma effluit. III. Balsamum novum, quod ex Insula Hispaniola adfertur, succus est plantæ sponte nascentis, arboris magnitudine ad duorum hominum proceritatem interdum assurgente, caulibus cineteis, foliis supernè viridioribus, acutis, costa per medium divisis, foliis sex digitorum longis, quatuor cum dimidio latis, pediculis rubescentibus, fructu racemoso longo, acinis rubentibus, ex asparagis & summitatibus, ut etiam racemis, expressus succus in aqua ad medias coquitur, ad mellis crassitudinem, quod ad ulcera & vulnera utuntur Balsamo, efficacius. Plura apud authorem generalis Indorum historiæ. IV. Tolutanum, quod ex continentis quadam provincia inter Cartha-

Carthaginem & Numen Dei sita, Tolu ab India appellata, liquor est arboris pumilæ pino similis, ramosæ, foliis instar Ceratiæ perpetuò virentibus, cujus cortice inciso, arboris veluti quibusdam cochlearibus è terra nigræ confectis, adnexis, liquor colligitur ex rubro ad aureum tendens, dulcis, odore limonum fragrantiam referens, quod præstantius eo, quod ex nova Hispania adfertur, & ad omnia ad quæ & Balsamum Ægyptium efficax. Plura vide apud Bauhinum, Nicolaum Monardem, & in appendice historiæ Lugdunensis.

Cæterùm etsi balsamum sit Medicamentum laudatissimum, & in vulneribus approbatissimum, quemadmodum ab initio hujus capitis diximus, & ego ipsemet à multis abhinc annis in ægris meis expertus sum, & in dies experior, quin tamen adeò universale censeri non potest, ut in omnibus vulneribus & quovis etiam tempore tutò applicari possit. Videndum primò, in quibus vulneribus conveniant balsama; deinde etiam quo tempore applicanda. Conveniunt autem in simplicissimis vulneribus, hoc est ubi nullum symptoma, veluti dolor, inflammatio, affluxio humorum, aut simile quid concurrit; testatur id quoque Nicolaus Monardis, in sua, quam de Medicamentis ex nuvo urbe delatis, scripsit historia. Cum enim calidum sit medicamentum, quemadmodum antea dixi, inflammationem & affluxum humorum, & proinde dolorem adauget, gravissimaque symptomata excitat. Conveniunt præterea, ubi nihil extraneum vulneri inhæret. Quia enim balsamorum vis atque potentia est, protinus labia vulneris contrahere, consolidationemque accelerare, remanente re aliqua extranea & pure in profundo vulneris, subortiuntur mox symptomata gravissima. Sunt itaque in vulneribus carnosarum partium, si simplicea & à re incidente facta fuerint, uti etiam in ulceribus, post eorum mundificationem adhibenda. In vulneribus autem contusis non tutum est eis uti, nisi digestu, & satis supporato & mundificato vulnere. In vulneribus faciei à re incidenti factis, excellentissimum est medicamentum, præcipuè Balsamum Tolutanum, quod mihi familiarissimum est, nullam enim ferè cicatricem post se relinquit. In aliis verò capitis vulneribus nonnisi cautè in applicatione balsamorum procedendum est. Cranium enim si læsum, aut contusio & concussio aliqua cerebri adfuerit, ab initio morbi ab eis abstinendum est, ne propter immaturam consolidationem vulneris, & retentionem sanguinis extravenati aut puris, grave aliquod symptoma incidat. Eadem est ratio, cur in vulneribus juncturarum mihi semper suspectus fuit usus balsamorum, quemadmodum postea, cum de balsamis artificialibus dixero, agam fusiùs. Si quis tamen à principio Balsamo Tolutano (cujus ego præcipuè experientiam habeo, quòd & hodiè præ reliquis ad nos affertur; cum fructu in articulorum vulneribus uti voluerit, ut in universalibus nihil prætermittat, necesse est, deinde etiam ut vulnus, ne ipsius labia protinus contrahantur coalescantque, pulvillis duriusculis ex filamentis paratis, adimpleat, res ipsa postulat.

Sequitur nunc, quo tempore morbi sint applicanda balsama? Nullum enim medicamentum, quod planè sit universale, exstare, Medicis notum est, vulnera quin etiam sua habere tempora, non minus ac morbi, ab initio hujus capitis diximus. Deinde quidnam in unoquoque circa vulnus moliendum sit, adscripsimus, ex quibus satis superque apparet, balsamum neque ab initio, neque in augmento applicandum esse, nisi vulnus fuerit simplex, & in parte planè carnosa. In augmento enim, ut dixi suppurandum est vulnus & pus movendum, suppuratio autem fit calidis & humidis medicamentis, veluti sunt unguenta digestiva, de quibus suo loco, non autem calidis & siccis; ut sunt balsama. Sciunt præterea practici, vulnera ab initio affluxu humorum doloribus, inflammationibusque esse obnoxia, quapropter medicamenta lenientia & anodyna sunt adhibenda, non autem quæ acrimoniam aliquam obtinent, ut sunt balsama. Quantum ad vulnera articulorum, in quibus tantoperè celebrantur balsama, vix reperies quod planè sit simplex, propter exquisitissimum enim sensum, quibus juncturæ sunt præditæ, statim exoritur dolor, dolorem sequitur affluxus humorum; quandoquidem dolor veluti cucurbitula ad se trahit ex toto corpore humores, & sanguinem, hinc inflammatio, abscessus & hydrops articulorum, aliaque gravissima mala. Sed estne in causa Balsamum? Nequaquam. Est enim medicamentum planè divinum, ut antea dixi. Sed in causa est inscitia & ineptia balneatorum, aliorumque artis Medicinæ imperitissimorum hominum, qui illud indifferenter & absque judicio in omnibus vulneribus, veluti panacæam applicant. Concludemus itaque, Balsamum in principio & augmento ex arte applicari non posse, nisi vulnera fuerint simplicissima, & nullius ferè momenti. Digesto autem & satis suppurato vulnere, excellentissimum esse medicamentum. Mundificat enim, abstergit, carnem generat, humidum radicale adauget, calidumque innatum refocillat, & partem affectam propter solutionem continui labefactatam, corroborat, cicatrices quin etiam planas & pulchras efficit. Ossa cariosa & confracta balsamo extrahere volunt aliqui, quod ego tamen non observavi, nec videtur mihi rationi consentaneum esse, medicamentum quod insigniter conglutinat, labiaque vulneris contrahit conjungitque, simul quoque ossa (nisi forsan id facultate quadam occulta fieret) extrahere posse, cum ad ossis excretionem vulnus apertum ac hians requiratur. Hactenos de Balsamis naturalibus, sequitur nunc de artificialibus.

Quum à multis jam annis, ut testantur viri docti, Balsamum illud, quod ex Judæa & Ægypto olim proveniebat, perierit, & Balsamum recentiorum nonnisi superiori seculo ad nos, ex regionibus istis à Christophoro Columbo, Americo Vesputio, Magelano, Francisco Pizardo, Francisco Draco, Thoma Candilo, & aliis noviter inventis, allatum, ac tanto pretio à Mercatoribus æstimatum venditumque sit, ut nonnisi locupletissimi homines eo uti possint, cogitare cœperunt viri docti, quidnam ipsius loco substitui possit: Nec inutilis, profectò, fuit ipsorum labor atque industria. Extant enim balsama artificialia, quæ balsamis naturalibus tam in internarum quàm externarum partium morbis, haud multùm cedere videntur. De quibus lector videre poterit Johannem de Vigo, Andernacum, Gesnerum, Evonymum, Fallopium, Weckerum, Quercetanum, Paracelsum, & alios, apud quos varias & diversas compositiones inveniet. Parantur autem Balsama aut ex vegetalibus, veluti ex radicibus, herbis, floribus, seminibus, corticibus, succis, ex gummis item, Resinis, Terebinthina, Cera & aliis. Aut ex mineralibus, ut Mercurio, Marte, sulphure &c. De quibus vide Quercetanum & alios, qui artem Chymicam excoluerunt. Nos, ne quid hîc desiderare posset lector, compositionem unam aut alteram ex vegetalibus, ex Johanne Vigone, Chirurgo præclarissimo, & æterna laude dignissimo, qui sub Julio secundo Pontifice Max. circa annum 1503. Romæ floruit, hîc adscripsimus, plura qui videre cupit, præ-

scriptos authores consulat. Descriptio quæ exstat lib. 18. cap. 19. sic habet.

R. *Ol. Omphacini* ℔ij.
Styracis calamita.
Landani.
Croci.
Olybani.
Gummi Arabici.
Rubia tinctorum.
Gummi hedera.
Aloes.
Masticis.
Caryophyll.
Galanga.
Cinamomi.
Nucis muscata.
Cubeba an. ʒij.
Gummi Elemi ℔j.
Myrrha.
Bdellii an. ʒj.ſ.
Galbani ℥vj.
Spica.
Ligni Aloës. an. ℥j.
Serapini.
Ammoniaci.
Opoponacis. an. ℥x.

Omnia pulverisanda pulverisentur, & permisceantur cum dicto oleo: deinde ponantur in alembicum cum suo capello & recipienti, & arte & igne elambiceotur, & omnia sint bene inlutata & obturata luto sapientiæ. In principio per horas duodecim ponendo alembicum ad ignem lentum, & ipsum meliorando in sex horas, donec elambicatum fuerit, quo facto, statim residuum specierum iterum pulverisetur, & cum prædicto oleo elambicato, iterum ordine ante dicto per tres vices reiterando elambicetur, & tandem habebis oleum, quod verè est sicut balsamum, stat enim ad omnem balsami probationem.

Valet autem (ut idem Vigo testatur sequentibus verbis) *oleum hocce benedictum sive Balsamum, ad multas corporis passiones, videlicet contra spasmum de repletione, contra paralysin, contra juncturarum dolores, à materia mixta causatos, facta universali purgatione, & valet etiam contra discrasiam cerebri, facta à materia frigida. Et propterea cerebrum frigefactum confortat. Valet quoque contra morbum caducum, unctum parum supra coronalem commissuram. Valet præterea ad fistulas desiccandas, facta prius mundificatione cum medicamine ferti, Valet insuper ad magnas plagas recentes sanandas, Catarrhum etiam frigidum, & omnem cerebri humiditatem extraneam destruit; & spiritus cerebri confortat, aperit venas oppilatas, causa humorum frigidorum. Et si in aure cum bombyce imponatur gutta una, auditum devastatum emendat, præsertim quando à causa frigida causatur. Item pannum rosatum madefactum cum dicto oleo, & applicatum temporibus, dolorem hemicraneum & vertiginosum tollit, & scothomiam, & vena oppilationem cerebri multum juvat. Et si bibatur de dicto oleo uncia semis cum modico vini odoriferi, in aurora per tres dies, animam, cor, pulmonemque renovando mirabiliter confortat. Item adversus quartanarios, si sumatur cum modico vini odoriferi, mirum in modum valet, & sit ad quantitatem cochlearii, & hic ordo per quatuor terminos servandus est, sumendo quotidie prædictum oleum per horam ante diem, in diebus, in quibus non exspectatur paroxysmus; item sumptum per triginta dies cum modico vini, & parum pæonia, ad quantitatem jam dictam, morbum caducum sanat; item adversus unamquamq; animalium morsuram venenosam mirabiliter valet, denique ad omnem debilitatem nervorum (crede mihi) magna est Medicina. Ulterius adversus dolores morbi Gallici, est præsentaneum remedium, & istud oleum est sicut Balsamum, & tantæ virtutis & potentia super jam dictas ægritudines, quod nec Auro nec Argento emi posset.* Hactenus Vigo.

Porrò cum in præparatione hujus balsami aliquo modo obscurus sit author, sciant tyrones, non esse, propriè loquendo, distillationem, de quo loquitur, sed potius fermentationem sive digestionem. Oleum enim Omphacinum, multò minus gummata, per alembicum simplicem, de quo hic utitur Vigo, ascendere non posse, sed remanere in fundo alembici, cum reliquis ingredientibus, & nihil præter phlegma, ut vocant, exstillare, eis, qui in arte distillatoria versati sunt, notum est. Ad quid igitur, inquies, labor iste? Respondeo, ipsum summopere necessarium esse. In hac enim distillatione, quæ veluti fermentatio, maceratio, aut digestio est, beneficio caloris activi partes subtiliores à crassis & excrementitiis separantur, & utile ab inutili, ut dicunt, ita segregatur, ut postea diversæ qualitates ingredientium sensim ita inter se commisceantur, ut inde fiat medicamentum temperatum, & ad prædictas operationes aptum. Ut enim in ventriculo, beneficio caloris nativi, & facultatis concoctricis, ex diversis, & quidem facultate inter se contrariis, ciborum generibus chylus, pro nutritione corporis aptus, conficitur, ita & in hac distillatione. Rectè itaque ab initio per duodecim horas lento igne procedit. Quemadmodum enim violentus corporis motus, statim post sumptum cibum digestionem destruit retardatque: ita quoque violentus ignis, ab initio admotus, ne diversa corpora probè ad invicem copulari atque conjungi possint, impedit. Tandem verò augendus est ignis, ut vi caloris tota vis ex medicamento extrahatur.

Cæterum absoluta prima distillatione, quæ spacio 18. horarum perficitur, non protinus aperiendum est alembicum, ne inclusi spiritus evanescant, & in halitum abeant, sed exspectandum usque dum omnia ferè sint refrigefacta; *ferè* inquam: Oleum enim dum adhuc tepidum, percolandum, fortiterque exprimendum est. Residuum quod in colatorio remanet, contusum, denuò in alembicum projiciatur, & affundendo oleo percolato, & phlegmate exstillato, reiteranda est distillatio & expressio, eodem planè modo, ut ab initio, idque tertiò repetendum est. Tandem percolatum & expressum oleum in vasis vitreis diligenter clausis, ceu balsamum pretiosum reponendum & conservandum est. Atque hanc esse mentem Vigonis, existimo. Si quis tamen non tantum phlegma, imò & ipsum oleum exstillare voluerit, ille ut loco alembici, de quo loquitur Vigo, retortam accipiat, necesse est, sed balsamum erit acre, insigniterque calidum, ut vix in internis affectibus usurpari possit.

Aliam descriptionem balsami in vulneribus, ulceribus, aliisque externis affectibus nervorum, ex causa frigida ortis, efficacissimi eodem libro & capite describit Vigo hunc in modum.

R. *Terebinthina* ℔j.
Thuris albi
Ladani an. ℥iiij.
Masticis
Galanga
Caryophyll.
Cinamomi
Zedoaria
Nucis muscata
Cubeba

Ligni

Ligni aloes an. ℥ij.
Gummi elemi ʒvj.
Olei rosati Omphacini ℔. ß.
Olei mastichini ℥j. ß.
Vermium terrestrium lotorum cum vino ℥iij.

Omnia simul misceantur & elambicentur in vase vitreo; more jam dicto in superioribus receptis. Hæc Vigo.

Ego ex sola terebinthina & gummi elemi conficio Balsamum longè excellentissimum, cujus præparatio exigui laboris est, interim tamen in vulneribus, post ipsorum suppurationem & digestionem: in ulceribus & fistulis, post ipsarum mundificationem, præstantissimum est medicamentum.

Fundo horas tres terebinthinæ purissimæ in retortam vitream, diligenter lutatam, eamque in fornacem aptam impositam. Primò oleum (sive ut vocant spiritum) limpidissimum lentissimo igne, sex circiter horarum spatio, quem separatim reservo. Deinde parum adaucto igne, oleum rubicundum, & veluti rubinus lapis, pellucidum profluit. Tandem ad summum ferè gradum accenso igne, oleum ad mellis circiter spissitudinem exstillat. Primo oleo, sive spiritu in internis affectibus utor, secundum & tertium oleum in affectibus nervorum, à causa frigida ortis, præstantissimum est, si partes malè affectæ eo inungantur, sive id per se fuerit, sive cum aliis oleis, veluti lumbricorum, vulpino, & similibus mixtum. Postremo, quod veluti balsamum est, in vulneribus & ulceribus utor hoc modo. Accipio hujus olei sive balsami ℥ij. Gummi Elemi purissimi & pinguis ℥ß. commisceo ambo in sartagine, lentissimo igne, donec gummi dissolutum sit, tunc percolo, & in vase vitreo reservo. Quod si nimis spissum fuerit balsamum, addo parum de tertio oleo. Etsi autem Balsama præscripta artificialia, uti quotidiana experientia docet, præstantissima sint, cautè tamen in vulneribus junctutarum cum eis procedendum est, & omnia, quæ de Balsamis naturalibus scripsimus, in applicatione eorum observanda sunt. Nequaquam autem, nisi vulnus probè digestum fuerit, conveniunt. Si enim ab initio morbi applicentur, gravissimum hocce symptoma, Hydropem videlicet articulorum, excitare solent. Vidi id in cive Lausannensi, Claudius nomine, de quo lector videat historiam Capite primo. Possem & alia exempla in medium proferre, nisi id forsan lectori esset tædiosum. Omnia itaque secundum rationem sunt facienda, quemadmodum docet Hippocrates.

Cap. 9. *De Emplastro Stictico, sive fodicationum, an & quo tempore in vulneribus articulorum conveniat?*

Liberales artes omnes, imò & Mechanicæ, in Germania ad summum gradum perfectionis & splendoris pervenisse, omnibus notum est. Chirurgia tamen succumbit & planè vilescit. In causa est, quod illa imperitis, & plerunque in theoria indoctis barbitonsoribus, sine contradictione, & examine à Principibus & Magistratu, maximo mortalium damno, concreditur. Hinc fit, ut theoriam non tantum spernant, verum etiam in ipsa versatos Medicos atque chirurgos contemnere & flocci facere non erubescant. At quia Magistratus amplissimus illis non interdicit, quin potius connivet & hujusmodi garrulos & inflatos supetbulos præ aliis nonnunquam promovet, mirum non est si omnia in deterius ruant, & nobilissima ars eò pervenriat, ut etiam *in multis locis* pleraque locorum in Germania (horribile dictu) ipsam carnifices exerceant. Ad hunc autem contemptum artis, & ignorantiam barbitonsorum propagandam & augendam, ansam dederunt nonnulli, qui super'ori seculo multa variaque remedia Empirica, in medium attulerunt, quibus (spreta theoria) mirabilia, ne dicam impossibilia, se præstare affirmant. Hinc fit, ut cùm illi decocto vulnerario, sive balsamo aut Emplastro aliquo, vel unguento armario, omnia curare posse sibi imaginentur, ut studium theoriæ negligant, ac juvenilem ætatem in puerilibus ac futilibus rebus consumant.

Porrò inter Medicamenta empirica, à modernis & præcipuè à Paracelso aliisque Germanis inventa, non postremum locum obtinet Emplastrum Sticticum sive fodicationum (*Stichpflaster*) quo nihil præstantius in rerum natura exstare, nonnulli affirmant, Inter quos etiam fuit *Oswaldus Crellius*, alioquin in arte Chymica vir excellens & præclarus. In praxi verò Chirurgica ipsum haud multum versatum fuisse, ex eis, quæ Emplastro suo Stictico adscribit, satis superque apparet. Scribit enim in Basilica sua Chymica, mihi pagina 269. *Vires sui emplastri Stictici innumeras esse, nec sub lunari globo reperiri efficacius.* Præstantissimum esse emplastrum Sticticum Crollii, uti & alia emplastra Stictica, quæ à Paracelso in Chirurgia sua, à Felice item Wirtzio & aliis proponuntur, in controversiam non voco. Sed tantum hoc dico: sæpissimè quoque affectum, de quo hic agitur, Ichorem videlicet actem, hoc emplastro excitari. Non quod emplastrum per se causa sit, sed quia sine ratione applicatur. Est enim certa, & firmissima regula, ut suo loco dicam, nullum esse remedium adeò generale, ut in omnibus morbis, omnibusque ægris, & per totum cursum morbi applicari possit. Sed aliud in principio morbi, aliud in augmento, aut Statu & declinatione applicandum esse. Quapropter dum Chirurgi suo emplastro Stictico, ab initio vulnerum nervosarum partium, & ad finem usque curationis utuntur, gravissima symptomata excitant. Addam exemplum unum aut alterum. Aulicus quidam Illustrissimi Principis Juliacensium, Clivensium, & Montensium &c. circa annum 1580. vulnus circa cubitum accepit, ubi axillaris vena, & nervi nonnulli abscissi fuerunt. Incidit in manus empirici, qui hoc solo emplastro (acriter tamen dissuadente Cosma Slotano, ejusdem Principis Medico-Chirurgo primario, Præceptore meo plurimum honorando) vulnus se feliciter curare posse gloriabatur. Brevi quidem cicatrice obductum est vulnus, sed brachiom mox intumuit ac doluit, tandemque exorta est febris, hinc affluxus & inflammatio nova, & collectum fuit pus in profundo vulneris, ex illo demum putrefactio. Excsa & denuò aperta vena, tanta sequuta est hæmorrhagia, ut vulneratus interierit. Idem & in aliis adverrisse observavi. Juvenis quidam robustissimus prope Hildenam, in duello vulnus cultro ad dextram spinæ dorsi partem, circa quartam vertebram lumborum recepit. Incidit in manus barbitonsoris, qui cum vulnus solo emplastro Stictico curare vellet, brevi ex vulnere satis lato facta est fistula angustissima, profunda, & summè dolorifica.

Anno 1591. & biennio post acceptum vulnus, venit ad me Hildenam, ubi tunc Chirurgiam faciebam. Immisso Stylo exploratorio, (*vid. Tab. VIII. fig. 1.*) in profundo vulneris corpus quoddam durum sese obtulit, cum verò lateret, an pars esset cultri, an verò os ipsum, stylum exploratorium fabricandum curavi, cujus cuspis fabricata est in forma torcularia. Instrumentum hoc ad fundum usque vulneris leniter immisso & circumducto, cum illud corpori isti prædurо infigere non possem, ægro audacter dixi, cultri cuspidem vulneri-

vulneri adhuc inhærere. Si enim pars vertebræ sese obtulisset Stylo exploratorio sine dubio torcular admisisset. Præparato corpore, tum optima victus ratione, tum purgationibus, & venæ sectione, dilatata fistula, spongiis præparatis, & radicibus gentianæ, aliisque convenientibus remediis io ima ulceris parte cuspidem cultri inveni, cujus longitudinem & formam depictam lector in prima Centuria Observat. 62. videre poterit.

De infelici successu emplastri Stictici aliam historiam, annotatione dignissimam, Lector videre poterit in tertia Centuria Obs. 24. de juvene quodam, qui gladio (non tamen districto) in sinistram maxillam prope oasum graviter vulneratus fuit, adeoque ut illum ipsum gladium tanta vi faciei infixum, manubrio atque oodo in terram delapsis, sibi ipsimet ambabus manibus totisque viribus tandem extrahere coactus fuerit. Quo facto & extracto, oullum planè vaginæ vinculum, sed nodum tantummodo gladii mucronem conspicere licuit. Hic quum Chirurgus, qui hoc vulnus solo emplastro nigro, sive fodicationis (Germanicè (*Stichpflaster*) nullis injectis turundis, spatio sex septimanarum cicatrice obduxisset, sequutus est affectus longè gravissimus, qui ægrum in quartum usque anoum mirum in modum excruciavit, uti lector prolixè videre poterit loco præalîegato.

Cæterum quum emplastra Stictica suum quoque usum habeant io praxi Chirurgica, maximarumque virium sint, si rectè & methodicè adhibita fuerint, visum fuit hic inserere ea, quæ post Paracelsum *Oswaldus Crollius* de suo emplastro Stictico scriptum reliquit, simul & descriptionem suam, quæ mihi inter reliquas compositiones præstantior esse videtur. *In cujusvis*, inquit Crollius, *salutaris emplastri Stictici compositione, secundum Paracelsum, quatuor diversorum generum ingredientia considerand a veniunt.*

1. Sanatio, quæ fit ratione Ceræ & Colophoniæ. 2. Accidentia, quæ solluntur & impediuntur beneficio gummatum scilicet Opopon. Galb. Sagap. Bdell. Ammon Elemi. 3. Putredo (quodlibet enim vulnus, etiam sine accidenti putredini est obnoxium, generat vermes, & carnis mala excrescentiam) quæ tollitur & præcavetur ope magnerum consolidativo um, Mastiche scilicet, Myrrha & similibus. 4. Ut præservet à mucore, scabie, ariditate, contractura, Synovia, & similibus accidentibus, quod fit per mineralia, scilicet, lithargyrium, Minium, Antimonium, Cerussam, Marcasitam, Calaminarem, & similia.

Vulnerum Ulcerumque telo inflictorum, Sticticum emplastrum præstantissimum.

1. ℞. *Minii*
Calaminaris.
Lythargyrii auri & argenti an. ℥iiij.
Ol. *Lini.*
Olivarum an. ℔. 1. ß.
Laurini ℔ ß.
Cera
Colophonia an. ♃. 1.
Vernicis
Terebinth. an. ♃. ß.
2. ℞. *Opoponacis*
Galbani
Serapini
Ammoniaci
Bdelhi an. ℥iij.
Carabe citrini
Olibani
Myrrha Alexandrina
Aloë epatica
Utriusque Aristolochia, longa & rotunda an. ℥j.
Mumia Transmarina
Magnetis
Hematitis an ℥j ß.
Corallorum alborum & rubeorum
Matris perlarum
Sanguinis Draconis
Terra Medicata Strigensis
Vitrioli albi an. ℥j.
Flor. *Antimonii* ℥ij.
Croci Martis tantundem.
Camphora ℥j.

Modum parandi talem servavi.

1. Gummata quinque in aceto macerata & cocta exprimantur per linteum crassum, bis repetendo colaturam (dosis gummatum potest augeri, propter fæces ab expressione remanentes & abjiciendas) postea super lentum calorem in monda sartagine usque ad consistentiam mediocrem inspissentur.

2. Oleum lini & olivarum imponatur alteri sartagini, & addatur lithargyrium auri & argenti, coquantur agitando, donec oleum coloretur, postea addatur Calaminaris, & paulò post Minium, Omnia illa agitando ferè per duas horas, coquantur simul ad sufficientiam, cujus proba est, si supra unguem gutta concrescat & condensetur, nec amplius diffluat.

3. Tandem etiam addatur circa finem vernix, oleum laurinum, Cera, Colophonia, omnibus beoè invicem mistis & liquefactis, & ab igne sepositis, postea da operam, ut sartago cum gummatibus paulatim calefiat, & successive affunde liquorem è secunda sartagine, gummatibus diligentissima agitatione incorporando supra lentissimum calorem (cave ne bulliat, alioquin, gummata in grumos coëont, & oleo difficulter miscentur) postea agitando addatur pulveres, & diligenter per horam omnia agitentur. Ultimo Camphora resoluta io oleo juniperino addatur; Si fortè nimis durum esset, addatur adhoc aliquid Ceræ & Colophoniæ.

Proba justæ decoctionis hæc est; bacillo intincto guttulas aliquot in aquam stillare sinito, si digitis adhæserit materia mollis, coquatur diutius, donec durescat. Tum demum ab igne deponatur, & in magnam pelvim aqua plenam infundatur, ac manibus (Oleo Chamomelino, Rosarum, juniperino, lumbricorum, Hypericonis ana q. sufficit, mixto) perunctis pinsere, ac instar malagmatis subigere convenit, horis tribus vel quatuor, servetur ad usum, efformatis inde prius magdaleonibus alutæ includendis.

Vires hujus emplastri, inquit Crollius, sunt innumera, sub Lunari globo non reperitur efficacius.

1. Contra inveterata ulcera, nec non recentia vulnera, & ictus, obicuoque sunt in corpore, etiam in capite.

2. Siccat & mundificat vulnera, carnem bonam prodocit, consolidat ac sanat una septimana efficacius quam aliud mense integro.

3. Putrescere non sinit bonum, insuper corruptionem, malæque carnis excrescentiam impedit.

4. Nervis truncatis aut contusis optimum est remedium.

5. Ferrum, lignum, plumbum, & alia quæque de vulneribus extrahit, superpositum eis tantum.

6. Venenosorum animalium curat morsus ictusque, attrahit enim venenum.

7. Maturescere facit apostemata cuncta, superpositione sola.

8. Contra Cancrum, fistulam, scrophulas, ignem persicum, est remedium excellens.

9. Mitigat omnes dolores cujuscunque vulneris, aut ictus,

10. Contra rupturam.
11. Ubi caput inflatum est, rasantur capilli, & imponatur emplastrum.
12. Dolores dorsi, impositione tollit.
13. Ficus cutis extra & intra sanat imponendo.

Vires suas servat integras annos quinquaginta, quo tempore æquè efficax est ac recens compositum. Eadem ferè verba habet Paracelsus in fragmentis de morbo Gallico, mihi pag. 673. Atque hæc sunt quæ Oswaldus Crollius de suo emplastro Stictico scripta reliquit. Paracelsus & alii sua non minus ad cœlum usque extollunt. Sed quia nudo, hoc est, solo emplastro ista omnia adscribunt, & universalia negligunt, caveant sibi tyrones, ne splendidissimis istis encomiis, & laudibus hujus emplastri seducantur. Si enim tantis virtutibus præditum esset hoc emplastrum, tunc ars Chirurgica non amplius esset ars, imò unusquisque idiota, etiam subulcus hoc emplastro instructus, optimus esset Chirurgus. Olim impudentissimus *Thessalus*, ut refert Galenus, Method. medendi lib. 1. se totam artem Medicam sex tantum mensium curriculo traditurum pollicebatur, citra ullam aliarum artium institutionem. At si illa omnia, quæ huic emplastro adscribuntur, vera essent, non menses sex, imò ne quidem dies sex, ad discendam artem Chirurgicam requirerentur; sed quemadmodum doctrina Thessali olim in perniciem humani generis cessit, ita fit & hodie cum hujusmodi medicamentis empiricis, & præter rationem adhibitis; dum enim horum medicamentorum facilitate alliciuntur barbitonsores, Theoriæ artem respuunt, negliguntque. At cum nullus commodè curare potest, nisi prius naturam corporis universi perspexerit, ut docet Galenus loco præallegato, mirum non est, si hi, qui nudis istis medicamentis empiricis procedunt, gravissimos committant errores.

Porrò omissis reliquis proprietatibus hujus emplastri, videamus, an in vulneribus articulorum, nervisque truncatis & confusis, optimum & securum sit remedium? Ubi illa omnia, quæ in præcedentibus, de Balsamis, & decoctis traumaticis sive vulnerariis, in medium adduximus, in memoriam revocanda sunt. Nimirum circa curationem vulnerum, non minus ac circa internarum partium morbos, quatuor consideranda esse tempora. Diximus præterea, in augmento vulnera affluxui humorum, & inde nascentibus inflammationibus, maximè obnoxia esse. Etenim in incipientibus inflammationibus, referente Galeno libro de venæ sectione, avertere, quod influit, expedit: idque ut alibi docet Galenus, commodè astringentibus & refrigerantibus fieri posse, omnibus in confesso est. Sed videamus nunc, an gummata illa, Opoponax videlicet, Galbanum, Sagapenum, Bdellium, & Ammoniacum, illam habeant facultatem, ut affluentes humores, qui omnium symptomatum causæ sunt, repellere, partemque affectam ab accidentibus, ut Crollius, & alii volunt vindicare possint? Id verò ut commodè fiat, ea quæ Dioscorides & alii de ipsorum facultatibus scripta nobis reliquerunt, ordine perpendemus.

Opoponax, inquit Galenus, de simplicium medicam. facult. lib. 8. tum mollit, tum digerit. At calefacit quidem in tertio ordine, in secundo autem siccat.

Galbanum, docente Dioscoride lib. 3. cap. 81. excalefacit, urit, extrahit, discutit, menses ac partus extrahit, appositu vel suffitu. Galenus Galbanum ordine tertio incipiente, aut secundo completo excalefacere, siccare verò secundo ordine incipiente testatur, de simp. med. facultatibus l. 8.

Serapinum Officinis, sive Sagapenum, ut Dioscorides lib. 3. cap. 79. ferulaciæ herbæ succus est, quæ in Media nascitur, gustu acri. Calidum & tenuium esse partium, Galenus quoque de simplic. Med. facult. lib. 8. testatur.

Ammoniacum tantam vim calefaciendi & attrahendi habet, ut etiam partus extrahat, testatur Dioscorides lib. 3. cap. 82.

Bdellium Lachryma est Saraceniceæ arboris, calefacit & emollit, partum quoque extrahit. Dioscorides lib. 1. cap. 69.

Cum itaque prædicta gummata sint calida, & ut jam jam demonstravimus, facultate attrahendi prædita, tantum abest, ut in principio & augmento applicata, partem læsam ab accidentibus vindicare possint, ut potius partem affectam excalefaciendo, & humores copiosè attrahendo, symptomata omnia vehementiora & periculosiora efficiant. Hæc evidenter testatur lumen illud Chirurgiæ, Joh. de Vigo, cum emplastrum oxicroceum in fracturis ossium rejicit, illudque propter accidentia, quæ excitare solet, Diabolicum appellat, *Sunt enim*, inquit, *aliqua ingredientia, quæ virtutem habent attrahendi materiam ad locum, cum mollificatione non parva, veluti sunt Ammoniacum & Galbanum.* Hæc Vigo. Sunt & alia ingredientia hujus emplastri, quæ ipsius facultatem calefaciendi adaugent, Therebinthina nimirum, ol. Laurinum, lini, colophonia &c. Ex quibus perspicuum fit, emplastrum hoc ab initio, & in augmento, è diametro contrarium esse in articulorum vulneribus, quæ quia, propter exquisitissimum sensum partis læsæ, doloribus & affluxui humorum maximè obnoxia, potius anodyna requirunt.

Inprimis autem, ad evitanda symptomata, vulnera ab initio digerenda esse, antea ostensum fuit. Digestio autem & suppuratio non calidis & siccis, sed gummata prædicta, aut frigidis & siccis, uti minium, lapis calaminaris, lithargyrum, sanguis draconis, terra Strigensis, & quædam alia, sed calidis & humidis perficitur. Ceram quidem & oleum olivarum, lini, & Terebinthinam, vim digerendi, & pus movendi habere scio, sed eorum vis à reliquis ingredientibus, videlicet calidis & siccis, simul & frigidis & siccis, obtunditur. Alius præterea committitur error circa vulnera, cujus erroris autor fuit Paracelsus, & ipsius sectatores, inprimis Felix Wirtz, dum usum turundarum in vulneribus rejiciunt, non sine maximo damno ægrorum. Vulnus enim nisi turundis munitum fuerit, contrahuntur ipsius labia (membranosa enim omnia facilè, & naturaliter quidem, contrahuntur) gravissimaque symptomata inde sequuntur. Pus enim in profundo vulneris colligitur, incalescit, putrescit, ac inflammationes, apostemata, spasmum, gangrænas, aliaque ulcera insanabilia excitat. De quibus lector exempla & observationes singulares, in quarta Centuria observationum nostrarum 66. videre poterit. Hæc verò omnia facilè evitabit rationalis Chirurgus, si turundis aut filamentis contortis, secundum vulneris conditionem, apertum illud conservaverit. Ex his omnibus manifestum fit, emplastrum hoc ab initio & augmento applicatum, symptoma, hydropem videlicet articulorum, provocare posse. Circa finem verò status, uti quoque in declinatione, remissis symptomatibus omnibus, præstantissimum esse medicamentum reor. Partem enim affectam ex vulnere labefactatam corroborat, & si quid humoris præter naturam, aut duritiei aliqua in ipsa remanserit, resolvit, carnis generationem promovet, tandemque cicatricem inducit.

Cap. 10. *De Unguentô armariô, ejusdemque authore, & quomodo Ichorem & Meliceriam procreet?*

HUc usque de abusu & vero usu decocti traumatici, de Balsamis item naturalibus & artificialibus, uti quoque de emplastro Stictico, quantum ad institutum nostrum necesse esse videbatur, egimus, ubi quoque demonstratum fuit, errores & symptomata, quæ ex usu prædictorum medicamentorum sequuntur, illa non medicamentis, quæ sua natura optima sunt, sed ignorantiæ potius & inscitiæ Chirurgi adscribenda esse. Sequitur nunc de unguento Armario, quod & stellatum, & sympatheticum, Germanicè Waffensalb vocant. Plerumque enim non solum affectum, de quo in hoc libro agitur, verum etiam alia quàm plurima symptomata gravissima excitat, optimamque valetudinem corporis destruit, Conscientiæ quin etiam maculam inurit. Hæc autem ut rectè intelligantur, ejus inventorem & propagatores eorundem, item compositiones & usum, ordine & paucis hic inseram.

Inventorem hujus unguenti esse Diabolum, testantur viri Doctissimi, in primis *Petrus Holtzemius*, Medicus doctissimus, & in Academia Coloniensi Professor Celeberrimus, libro de essentia Ellebori Extracta Capite 2. *Johannes Georgius Godelmannus*, de Sagis & Veneficis lib. 1. cap. 18. *Joh. quoque Robertus*, in eis, quæ de hoc unguento contra Goclenium scripsit, diversis in locis, præsertim sectione undecima, id manifestè ostendit.

In officina porrò Diaboli unguentum hoc pestiferum nocumentum, non medicamentum, cusum, ex scripto Empirici cujusdam, Germanorum celeberrimi, liquidum est, qui de hujus unguenti compositione, usu, atque præstantia scribens, insania & impietate summa ductus, docere non erubescit, quomodo quis unguento hoc adhibito, ægrum suum possit tormentis, doloribus, ac cruciatibus, lacerare, & eundem ab iisdem liberare vicissim. O hominis inaudita impietas? ô sæva inhumanitas? Diaboli autem instinctu à Paracelso superiori seculo introductum fuisse, nemo negare potest. Quod & ipsemet in libro quodam de Podagra fatetur, his verbis. *Hoc verum est*, inquit, *Multa sunt in Medicina artes, quæ à Diabolo, & spiritibus patefacta sunt. Vides*, addit Erastus, *quem habeat sua Medicina authorem?* Vox auditu impia, quæ & sacræ S. Scripturæ è directo repugnat. *Omne enim munus bonum, & omne donum perfectum*, inquit Divus Jacobus, *supernè est, descendens à Patre luminum.* Diabolum quoque aliquando per præstigiatores & incantatores, homines & bestias sanare videmus. Fit hoc permittente Deo, *Alioquin* (Libavii verbis, libro de Impostor. vulnerum, per unguentum armarium curatione, utor) *qui malus est; & malorum effectuum causa, aliquid boni per se produceret?* Si quem curat, ad confirmandam de se opinionem curat, id profectò longè pejus est; sublato enim corporis vulnere, animæ inuritur morbus gravissimus, & plerumque extremum interitum afferens. Morbum autem levem, graviore inducto curare, bonum esse nequit.

Cæterum cum virtus eorum, quæ cultro, telo, aut alio aliquo instrumento, quod sauciavit, inspergun'ur, aut applicantur, naturaliter ad vulnus pervenire non possit, cum inter agens & patiens mutuus contactus requiratur. Et proinde neque vulnus curare, multò minus dilacerare, aut ægrum doloribus excruciare possint, necesse est, id arte & industria Diaboli fieri, qui cum artifex sit longè astutissimus acutissimusq; & jam à primis seculis exercitatissimus, id perficere difficile sibi non est, ubi apud doctos & fide dignos viros exemplũ notatu dignissimum habemus, quod quia ad institutum nostrum magnopere facere video, hic annectendum duxi. Sic enim Godelmannus post Hectorem Boëtium & Cardanum de Duffo Scotorum Rege. *Duffus Scotorum Rex novo affligebatur genere morbi, ita ut quotidie sub primam vigiliam, lecto decumbens, insignes cruciatus per universum corpus sentiret, & in sudorem resolveretur, vigilque totam noctem auxius peragebat, sine ullo alique signe, vel febris vel vitiosorum humorum; Interdin verò à sudore liber quiescebat, & ita sensim quasi tabe consumebatur; plurimis quidem à variis Medicis exhibitis remediis, nihil prorsus juvabatur, tandem populari rumore, incerto tamen authore, increbuit. Regem in Meravia, Regione Scotiæ apud Ferres, à Veneficis mulierculis ita torqueri & cruciari. Distabant autem Ferres quinquaginta milliaribus à regia sede. Hæc cum ad Regis aures pervenissent, misit Rex clancularios exploratores, si qua mulierculæ veneficiis aut incantationibus essent suspecta, quæ ubi ex diligenti inquisitione præfecti Ferrerum essent exploratæ, noctu circumdatis ædibus cujusdam vetulæ, fores ruperunt, ac vetulam cum meretricula filia ad ignem sedentes, & ceream imaginem Regis Duffi veru circumligatam, ac ad ignem circumvolventes invenerunt, ac comprehenderunt. Altero die tortura subjecta muliercula, confessa sunt, Regis mortem, nisi fuissent raptæ, paucos post dies, sensim torrendo ejus imaginem, continuò subsequuturam fuisse. Ut enim imago ejus certis carminibus admurmuratis, ab igne, quotidie liquefieret, ita ipsum Regem quotidie tabe consumptum fuisse. Exustis his veneficis, unà cum cereâ imagine Regis, protinus Rex pristinæ sanitati restitutus est.* Hactenus Boëtius. Si cerea imagine, quæ prorsus nihil commune cum Rege habuit, arte diabolica hic affectus sequutus, quantò magis id fit cultro, aut instrumento, quo vulnus inflictum. Cum vulnere enim consortii aliquid habet, cum sanguine id aut ichore, ex vulnere profluente, illinitum maculatumque fit. Verum detestanda impietas est, docere, quomodo æger sit torquendus & doloribus afficiendus, cum Medici boni officium sit, ægrum à dolore levare, non excruciare. Vulnus sanare, non novis symptomatibus dilacerare. Dolorem enim vulneri supervenientem, omnium gravissimum esse symptoma, & Ichoris causam primam, jam sæpius ostensum est, itaque mirum non est, si superstitiosam hancce magneticam curationem plerumque sequatur, ut postea fusius. Hæc de inventore ac præcipuo authore unguenti armarii, quod postea industria Paracelsi primò propagatum & à superstitiosis hominibus Diaboli instinctu arreptum. Ante Paracelsum enim unguentum hoc inventum non fuisse, ostendit *Johannes Robertus* in libro suo de Ungu. Armario contra Goclenium sectione 8. & sect. 11. Post Paracelsum *Oswaldus Crollius*, *Johannes Ernestus Burgravius*, & nonnulli alii, miris modis hoc extulerunt. Variæ hujus unguenti apud authores descriptiones. Paracelsus Tom. 2. in Archidoxis Magicis, libro primo, mihi pag. 549. hanc posteritati reliquit.

℞. *Musci cranii humani* ℥ij.
Mumiæ ℥ß.
Pinguedinis humanæ ℥ij.
Sanguinis humani ℥ß.
Ol. lini ℨij.
Ol. rosarum ℥j.
Boli Armeni ℥j.

Misceantur in Mortario & agitentur tam diu, donec redigantur in unguentum.

Eadem

Eadem pagina aliam habet descriptionem, ubi præcedenti compositioni addit Mellis ℥j.

Sevi bovis ℥j.

Rudol. Goclenius hujus Curationis Magneticæ hanc habet descriptionem.

R. Usneæ concretæ in calvaria furis suspensi, & in aëre derelicti.

Mumiæ veræ,

Sanguinis humani adhuc calentis, singulorum unciam unam.

Adipis humani uncias duas

Ol. lini.

Terebinthin.

Boli Armeni sing. ʒij.

Misceantur omnia simul in mortario, serventurque in vitro, vel urna oblonga & angusta.

Alii, addit, recipiunt usneam abrasam à cranio hominis violenta morte perempti, duarum avellanarum pondere.

Adipis verris aprugni,

Ursini sing. uncias vj.

Lumbricorum terrestrium ex vino lotorum, inque pistoris fornace olla tecta torrefactorum (non adustorum): uncias iij. horum in pulverem redactorum, unciæ uni adjiciunt

Cerebri aprugni siccati,

Santali rubri odorati, Mumiæ, & hæmatitis, singulorum unciam j. omnibusque mixtis cum adipe faciunt unguentum. *Hæc*, inquit, *descriptio optima esset, si succo & nervis, hoc est sanguine & adipe humano (in quibus maximè dominatur spiritus ille vitalis, vegetabilis, & b. lsamicus) non careret. Itaque in vera hujus unguenti compositione, sanguis & adeps humanus non sunt omittenda, quo etiam modo confectum apud me quovis ut tempore possit haberi (quoniam Chirurgi sæpe vel non sunt præsentes, vel etiam à vulneratis remotiores) nunc operam quantum possum impendo* Conficiendum autem est, *inquit Goclenius, sole existente in libra, Usnea verò colligetur cum Luna crescente, inque Veneris existente Domo si fieri potest, non Martis aut Saturni. Si in Veneris domo locum habere luna non potest, diligenter attende, ut possit abradi usnea, luna versante in piscibus, hoc enim signum est omnium convenientissimum. Propter Iovis domicilium, & Veneris exaltationem, proximum huic est taurus & libra.* Hactenus Goclenius.

Hæ, quantumvis sufficere possent, descriptiones & compositiones unguenti armarii. Quia tamen *Crollius* maximus habetur patronus Magneticæ hujus curationis, ejus descriptionem, quæ in sua basilica chymica, mihi pag. 178. exstat, quoque hîc apponam.

R. Adipis Verris aprugni
Ursini ana lotenes octo.

Quo seniora animalia, eo melior adeps. Utriusque animalis adeps prius in vino rubro per dimidiam horam lento igne bulliat, postea effunditur super aquam frigidam & cochleari colligitur pinguedo innatans, quicquid fundum petit, abjiciatur.

Postea recipe lumbricorum ex vino vel aqua lotorum sextarios duos, torrefiant in olla tecta in fornace pistoris, cavendum tamen, ne adurantur, postea terantur in pulverem.

R. Hujus pulveris
Cerebri Aprugni siccati,
Sandali rubri odoriferi,
Mumia
Hæmatitis ana unciam unam.

Demum accipe usnea è Cranio hominis, violenta morte perempti, abrasa, lunâ crescente, & in bona domo existente, Veneris, si fieri possit, non Martis aut Saturni, ad pondus duarum avellanarum circiter. Ex omnibus tritis & invicem mixtis, cum adipe secundum artem unguentum fiat, in vitro clauso, vel pixide, diligenter ad suos usus reservandum.

Si forsan temporis successu unguentum exsiccaretur, dicto adipe vel melle virgineo humectari & emolliri de novo poterit. Paretur unguentum sole in libra existente; Hæc Crollius. Proprias quoque suas descriptiones & deliramenta habet *Iohannes Colerus* lib. 18. cap. 145.

De viribus ac usu hujus unguenti *Goclenius, Crollius* & alii, hæc habent, *sanantur* inquit Goclenius, *hoc unguento sic confecto, omnia vulnera, quæ ferro, ictu, vel jactu infliguntur. Excipiuntur tamen illa vulnera quæ fiunt in arteriis, & uno è membris principalioribus, ut corde, cerebro &c. Modò telum aut instrumentum quod sauciavit, haberi possit, etiamsi patiens multis milliaribus à nobis absit.*

Usum hujus unguenti docent *Goclenius, Crollius*, & alii, his verbis: *Immergendum ferrum seu telum est, quod sauciavit (vel in hujus defectu lignum, seu ramus salignus in apertura cruenta madefactus) in unguentum & ita relinquendum: æger quotidie (à urinâ vel purâ aquâ vulnus eluat, deligatque mu do panno lineo semper pus extergendo, vulnusque aurora mundificando, & absque ullo dolore sanabitur. Hoc Maximilianum Imp. comprobasse, in confesso est. Si instrumentum, quo vulnus inflictum est, haberi nequit, aliud ducatur per vulnus, & loco veri teli id inunge utroque latere, reponatur loco mundo & temperato. Si enim aeri vel frigori nimio exponatur, excitabitur dolor. Attendendum est etiam cæsim-ne an punctim factum sit vulnus. In punctura enim telum inungendum est à cuspide Capulam versus, in Cæsura ab acie versus tergum. Meminisse præterea oportet obligare tela. Si non apparet quam altè fuit infixa, tota fuit inungenda; sin apparet, pars illa tantùm, quæ fuit in vulnere. Cùò sanatur us sæpe illino (præsertim verò si vulnus est magnum & profundum): si maturatione opus non est, necessitasq; eo non urget, intermitti quidam dies poterunt, imò sufficit, si senis diebus id fiat bis, vel ad summum ter, semper tamen vulnus mane abluendo, extergendo, iterumque deligando.* Hactenus Goclenius. Crollius & nonnulli alii eisdem ferè utuntur verbis: quæ quidem prolixè, & ut apud ipsum leguntur, adscribere volui, non in eum finem, ut Chirurgos in Magica atque superstitiosa curatione erudire aut instruere, meus animus sit, atque intentio mea, quin potius ut cognoscant, à Diabolo esse inventam & ab hominibus superstitionibus addictis, propagatam, & proinde homini Christiano nullo modo licitam. Præterquam enim quod conscientiam piam ac Christianam offendit læditque, cum neglectis naturalibus, & à multis seculis approbatis remediis, ad supernaturalia & superstitiosa transeamus, etiam periculo non vacat, quicquid dicant *Goclenius, Crollius* & alii, uti sequens Exemplum observatione dignissimum fidem facit. Genere & virtute nobilissima matrona, ANNA SIDONIA BREMSERINA de Rôdesheim, Nobilissimi ac Strenui Viri Dn. HERMANNI à CRONBERG, conjunx, cum Anno 1613. feliciter peperisset, nescio quonam infortunio factum, quod decima die post partum, vulnus ad latus papillæ acceperit. Vulnus etsi non usque adeò profundum esset, sanguinis tamen copiosè effluxit. Tentarunt quidem sanguis fluxum beneficio unguenti armarii cohibere, sed frustrà. A Chirurgo itaque restricto sanguine, non vulnus, sed cultrum, quo inflictum fuerat, summâ diligentiâ curabant &

tractabant quotidie; citò quidem & fine dolore ferè curatum fuit vulnus, verùm vix inducta cicatrice, obtuso in profundo oborto dolore, febre cum rigore, aliisque symptomatibus correpta fuit, & mamma cum tanto dolore intumuit, ut dies noctesque ejulare coacta esset ægra. Tandem 19 Aprilis 1613. cùm ego Wormatiâ (ubi tunc ad Generosum ac strenuum Virum, Dominum Eberardum Kemerer von Wormbs / genannt von Dalberg / vocatus fueram) ad ipsam Oppenhemium accersitus essem, in maximis angustiis ipsam inveni. Mamma enim supra modum tumefacta & indurata fuit. Dolor maximus & pungitivus, & febris ardentissima, nausea, eructationes, & Lipothymiæ aderant, cicatrix tamen præcedentis vulneris vix apparebat. Circa papillam livida erat cutis, ita tamen mollis, ut fluctuatio puris facilè deprehendi posset, quapropter suasi, ut incideretur vomica, id cum à me factum esset, dolor reliquaque symptomata remiserunt, pristinæque sanitati restituta fuit, & per multos annos supervixit. Integram historiam vide Centur. 3. Observat. 25.

Sed objiciet aliquis, quidnam in causa fuerit, cur matrona hæcce curata non fuerit, cum tamen multi alii ex eadem pixide, & ab eodem vulnerario præstigioso curati fuerant? Causa in promptu est. Erat matrona illa pia, fidelis & superstitionibus minimè addicta, ideoque fidem, quæ unà cum fortissima imaginatione in hujusmodi & similibus curationibus (ut multis in locis testatur Paracelsus) requiritur, non habebat: hinc Diabolus, qui potens est in infidelibus, in illa operari, curationemque absolvere non potuit. Contractis itaque & conglutinatis labiis vulneris, pus, quod evacuandum erat, in profundo vulneris collocatum fuit.

Ex hac historia patet, quàm periculosus sit usus hujus unguenti, quomodo autem hydrarthros sive hydrops articulorum ex ipsius usu consequi possit, paucis dicam. In curatione vulnerum diversas intentiones ut habeat Medicus, necesse est, videlicet: 1. Ut fluxus sanguinis sistatur: 2. Ut affluxus humorum & inflammatio arceantur, & dolor evitetur. 3. Ut labia vulneris, si magnoperè inter se disjuncta fuerint, ad mutuum contactum deducantur, relicto tamen foramine, per quod pus commodè evacuari possit: 4 Ut vulnus, si profundum simul & angustum fuerit, apertum retineatur usque dum satis digestum, & à pure mundificatum sit. 5. Ut pus bonum generetur 6. Ut malignitas vel venenum, si quod vulneri simul illatum, uti fit in morsibus & ictibus bestiarum, extrahatur. 7. Ut caro restituatur & generetur. 8. Ut vulnus cicatrice obducatur.

Porrò ut uno eodemque medicamento omnibus istis intentionibus satisfacere possit Medicus, absurdum & ridiculosum est dicere; Ad sanguinis enim fluxum cohibendum frigida & sicca requiruntur. Talia quidem sunt usnea, hæmatitis, bolus Armenus, & santalum, verùm hæc qualitates suas in mixtione amittere, doctè ac evidenter ostendit *Joannes Matthæus* Quæstione 29. Id quoque verissimum esse, prædicta matrona experta fuit, ut ex præcedentibus videre licet. Affluxus præterea humorum ut impediatur, quæ restringant & repellant, vulneri sunt applicanda, quæque frigida, ut portulaca, sempervivum, lactuca, albumen ovi, acetum, bolus Armenus, terra sigillata, rosæ, & alia quamplurima. Tertia porrò & quarta intentio manum Chirurgi experti requirunt. Id verò quia in nobilissima illa matrona neglectum, vulnus protinus clausum, iterumque pus in profundo collectum fuit, inde dolor ille gravissimus, reliquaque symptomata. Quòd si in articulo aliquo exstitisset vulnus, procul dubio hydrarthros sequutus fuisset. Quintò, ut vulnus digeratur, & pus optimum generetur, sua quoque requirit medicamenta particularia, ea autem modicè sint calida & humida, veluti, cera, colophonia, terebinthina, crocus, oleum Amygdalarum dulcium, vitellum ovi, & ejus oleum, de quibus suo loco plura; Sextæ indicationi ut satisfiat, ea quæ virus potenter extrahunt, & vulneris labia biantia servant, applicanda sunt, uti cepæ, allium, sal, dictamnus, ruta, Theriaca, Methridatium, radices gentianæ, Angelicæ, & hujusmodi conveniunt. Septimò, ut caro restituatur & generetur, danda est opera, idque fit sarcoticis, hoc est quæ modicè detergunt & siccant, uti sunt Aloës, Thus & Aristologia rotunda, ex quibus cum cera, terebinthina, & gummi Elemi, fit unguentum præstantissimum, addito parum olei rosacei. Octava & ultima intentio est, ut cicatrix inducatur, fitque eis, quæ refrigerant & siccant, ut galla immatura, Tutia, Alumen ustum, lapis calaminaris, cerussa, & hujusmodi. Hæc sunt, quæ rationales Medici in curatione vulnerum observant: idque maximo cum fructu ægri. Qui verò aliter faciunt, & prædictis intentionibus omnibus spretis, hocce unico unguento Armario satisfacere putant, ægrum in maximum periculum adducunt, propter ingentia symptomata, quæ empiricam hancce curationem ut plurimum sequuntur, præsertim in vulneribus magnis, profundis, angustis, & quæ circa articulos sunt. Ludibrio præterea piis & bonis sese exponit Medicus, qui neglectis medicamentis, à Deo hominibus concessis, & à majoribus nostris longo usu comprobatis, & ad præstigiosa à Diabolo inventa & introducta confugit.

Sed objiciet aliquis, jam olim experientia & exemplis comprobatum, vulnera multa, tam in brutis quam in hominibus, hoc unguento sanata fuisse; Nihil horum inficior, multa vulnera, præsertim in corporibus sanis, optimoque succo præditis, & in partibus musculosis existentibus per se, & sine medicamento, si quotidie, ut jubet *Goclenius*, pus panno mundo abstergatur, persanantur. Diabolus autem, ut astutissimus & fraudulentissimus, per suos vulnerarios semper dolo malo agit Quotidie enim vulnus, ut docet *Goclenius*, vel urina ægri, vel aquâ purâ abluunt, mundoque panno lineo pus abstergunt, deligantque. Porrò urinam extergendi, mundificandi, & consolidandi vim obtinere præter experientiam testatur *Galenus lib. 10. de simpl. Medicam. facultatibus.* Ubi inter cætera hæc quoque habet. *Nonnulli*, inquit, *Medici, eâ videlicet urinâ, psoras & lepras detergunt, perfunduntque ulcera prahumida & sordida: multoque magis computrescentia.* Aqua præterea, propter facultatem suam frigidam, cum in nonnullis vulneratis affluentes humores repellere; vulnusque à pravis symptomatibus vindicare sufficiens sit, ac vindicat, natura per se vulnus consolidat: hæc de unguento armario. Plura qui cupit, leget tractatum Clarissimi & Doctissimi Viri D. Andr. Libavii, de Impostoria vulnerum per unguentum armarium sanatione.

Cap. 11. *De dolore, & quibusnam præsidiis sit tollendus; ubi de anodynis in genere; & quibus facultatibus ea prædita esse debeant, agitur.*

Dolorem, qui vulneratis articulis supervenit, præcipuam esse causam Ichoris & Meliceriæ acris, antea persæpe demonstratum fuit; quapropter quàm citissimè tollendus & sedandus est, sic enim ablata causa tollitur quoque effectus ipse. Variis autem præsidiis

præsidiis sedatur dolor, quæ aut interna sunt, aut externa & topica. Internis veluti eis, quæ humores ad partem jaṁ fluentes per alias vias evacuant, & à membro læso avertant, sive id per alvum, aut per vomitum, sudorem, vel vias urinarias, aut alia loca convenientia, fiat, uti sunt venæ sectio, scarificatio, sanguisugæ. Sedatur præterea dolor per ea, quæ acrimoniam humoris peccantis ex corpore ad locum affectum fluentis temperant atque refrenant. Deinde etiam quæ vires à dolore prostratas instaurant. Nisi enim vires adfuerint, parum aut nihil efficient medicamenta, etiamsi ex arte præscripta & adhibita fuerint. Sunt enim vires, quæ medicamentum ex potentia in actum convertunt. Hæc tamen, propriè loqnendo, verè anodyna non sunt, testante Galeno de simpl. medicamentor. facult. lib. 5. cap. 18. Quandoquidem universalia sunt, & in omnibus morbis particularibus externarum partium, à Medicis & Chirurgis rationalibus topicis præmittuntur.

Externa remedia, dolorem lenientia, duplicia sunt: alia enim verè sunt anodyna, alia impropriè ita dicuntur. Sunt illa, referente Galeno, loco præallegato, quæ suo ingente frigore partem stupefaciunt ipsiusque sensum imminuunt, veluti papaver, Solanum, Mandragora, Hyoscìamus, Opium, ex quibus unguenta, olea, cataplasmata, & hujusmodi præpa antur, de quibus institutum nostrum non est, hoc loco agere. Monitos tamen velim esse tyrones, ut sibi caveant, ne hujusmodi medicamentis narcoticis, facilè, & nonnisi maxima urgente necessitate utantur: quandoquidem summa eorum frigiditate calorem nativum mirum in modum debilitant.

Vera anodyna, ut docent Galenus, Avicenna, & alii, temperatè calida & humida ut sint, necesse est. Sic enim habet Galenus de simplic. Medicam. facultatibus lib. 5. cap. 18. *Quæ itaque*, inquit, *revera sunt anodyna, partium sunt tenuium & calidiora sunt, est necesse, ut scilicet evacuent, digerant, rarefaciant, extenuent, concoquant, & æquabile reddant, quicquid partibus doloris est causa. Quare nihil prorsus astrictionis habeant oportet. Astringentia siquidem*, ut alibi docet Galenus, *& contrahunt, constipantque & condensant substantiam nostram*, hæc Galenus. Debent itaque anodina esse calida, propterea quod calor temperatus naturæ nostræ familiarissimus, & calorem nostrum innatum similitudine quadam fovet, & demulcet. Humida præterea ut sint, necesse est, ut partes propter inflammationes aut affluxum humorum extensæ, relaxentur, denique ut facultas medicamenti altius penetrare, & ad nervos pervenire possit. Varia autem anodyna ab authoribus ponuntur, Ego sequentibus in meliceria maximo cum fructu utor, ex quibus diversa conficio medicamenta, uti lector postea capite de Curatione videbit.

Rad. *Althea, liliorum alborum,*
Malva.
Herb. *Althea, Betonica, Origani, Calathi.*
Malva
Anethi, folior. violarum.
Flor. *Chamomilla, betonica, primula veris; salvia*
Melileti, croci.
Sambuci
Rosa.
Sem. *Lini*
Fœnigraci
Anethi
Cydoniorum
Meliloti
Ol. *Liliorum alborum*
Anethi, chamomilla
Lumbricorum
De vitellis ovorum, Vitellum item ovi,
Croci, Rosarum.
Oleum ex floribus Stolani.
Oleum de Ranis.
Ping. *Humana*
Ursi,
Caponis, anseris.
Canis, felis, muris alpini
Butyrum recens, non salitum.
Gummata & similia.
Cera
Terebinthina.
Colophonia
Gummi Elemi.
Farinæ.
Tritici
Hordei
Fabarum.
Lupinorum
Mica panis.
Liquores.
Aqua simplex
Lac muliebre
Vaccinum.
Caprinum
Asininum.

Ex his confici possunt, Emplastra, Unguenta, Linimenta, Cataplasmata, & fomenta, uti Lector suo loco videbit. Nunc ut curationem Empiricam, quâ Paracelsus & vulgus Barbironsorum in Ichore vel Synovia utitur, videamus, ordo tractationis postulat.

Cap. 12. *De Curatione Empirica Ichoris & Meliceriæ, inter barbitonsores Germanos usitata, ubi eorum Medicamenta examinantur.*

INsciriam barbitonsorum, aliorumque theoriæ artis Medicæ imperitorum hominum, præcipuam esse causam Ichoris sive hydropis articulorum, testatur Paracelsus, ubi capite secundo & alibi dictum fuit; quibus præterea Medicamentis præcipuè id perficiant, adscripsimus. Sunt illa veluti decoctum traumaticum, balsama, Emplastrum Stícticum sive sodicationum, & similia, perperam & sine ratione Empiricorum more adhibita, de quibus cap. 7. 8. & 9. prolixè. Videamus nunc, quibus medicamentis intempestivum maximumque illum confluxum crudorum & indigestorum humorum compescere, ac gravissimum illud symptoma removere; nervos intendant: quicquid præterea de eorum medicamentis, quibus in Ichore & Meliceria utuntur, censendum sit, anque tutò adhiberi possint, paucis quoque aperiam.

Paracelsus *lib. 1, Tract. 2. cap. 5.* Chirurgiæ suæ magnæ, mihi pag. 6. Meliceriam *(das Gliedwasser)* Emplastro Stictico, & aceto rosaceo calido curandam esse docet. Prælectionum Chirurgicarum de vulneribus *cap. 7.* mihi in Chirurgia magna *pag. 160. & 466.* inter alia hæc quoque proponit medicamenta.

R. *Ostreorum* ℥j.
Cranei adusti j.

Ossi

Ossis Sepia
*Mandibula lucis usta an.*ʒij.
Spodii

Terræ Sigillatæ an. ʒj. ſ. fiat pulvis. *Tollit*, inquit, *aquam articulorum ex imperitia Medici. Stercus porci, ſi coquatur cum ſanguine ex vulnere, & ſuperponatur, tollit aquam articulorum. Item Cochlea, ut faciunt raſores.* Hæc & quædam alia hujus farinæ medicamenta, hinc inde à Paracelſo præſcribuntur.

Felix Wirtz Baſileenſis, unguentum ſuum fuſcum (ſein braunes Sälblein) pro ſummo ſecreto in Meliceria habet, nec quicquam præſtantius inveniri poſſe, auſus eſt affirmare, Videat lector lib. ſuum Chirurgicum, in quarto editum parte 3. cap. 5. & 6. item parte 4. cap. 1. Conficitur autem unguentum hoc ex aceto, in quo per dies octo macerata fuerint ſequentia, nimirum radices ſcrophulariæ, centinodia, Chelidonium, & Veronica. Hujus aceti unciis tribus addit vitrioli calcinati ad rubedinem, & præparati ℥ij. phlegmatis vitrioli tantundem, Mellis deſpumati ℥vj. florum ſulphuris ℥j. ſ. Omnia ſimul coquit lento igne ad ſpiſſitudinem Electuarii.

[*Hans von Gerſzdorff gennunt Schylhans*,] Chirurgiam Caſtrenſem Germanica Lingua in lucem dedit, in qua Gualteri Ryffii Argentinenſis Doct. Medici longè celeberrimi nomen præfixit. In hoc libro mihi pagina 35. Meliceriam ſequentibus curari poſſe aſſerit.

R. Alumen, Cineres Iſatidis & lithargyrium, combure omnia ſimul, pulveriſa & inſperge vulneri, poſtea de eodem pulvere cum albumine ovi commiſce, & vulneri ſuperpone.

Aliud.

R. Vitrioli, hoc eſt; aqua vitrioli, coque cum pauco alumine, parumque ſulphuris, fiat lavamentum, quo vulnus abluatur.

R. Sandaracam adulterinum, lithargyrium, & acetum, coque omnia ſimul.

Aliud.

Accipe micam panis ſiliginis, vinum, mel, & raſuram cornu bovis, coquantur omnia ſimul in olla nova, extendantur ſuper linteum, & applicentur more cataplaſmatis.

Aliud.

Accipe mel, farinam volatilem & fuliginem, ex his confice emplaſtrum, & applica, cum oleum vulneri inſtillatum fuerit. Oleum ſic confice.

Accipe Olei lini ℔. ſ. *adde flores verbaſci; expone oleum ad radios ſolares dies* 14. *poſtea adde pinguedinis taxi ad ovi magnitudinem, & vulneri calidè impone, goſſipio oleo madefacto.*

Petrus *von der Stille*, alioquin Chirurgus non ineruditus, in Ichore & Meliceria hæc proponit remedia.

Accipe Albumen ovi, parumque croci, concute, & commiſce omnia, addendo aluminis ad magnitudinem nucis avellanæ, & cum filamentis vulneri impone.

Aliud.

R. Olibani, ſanguinis Draconis, Boli electi, Terra ſigillata an. ʒij. *fiat omnium pulvis tenuiſſimus, qui cum albumine ovi mixtus, filamentis applicetur vulneri.*

Aliud ejuſdem Authoris.

R. Oleum olivarum, & terebinthinum, miſceantur in ſartagine lento igne, poſtea adde farina lentium exſiccatarum q. ſufficit, ut formam unguenti acquirat, quod filamentis vulneri applicetur.

Atque hæc ſunt præcipua arcana, quibus barbitonſores graviſſimum hocce ſymptoma debellare tentant. Hiſce tamen ſi curatio ad votum non ſucceſſerit, ſuadet *M. Hans von Gerſzdorff*, loco antea allegato ex conſilio cujuſdam *Corn. Jacobs* nomine, nervos & venas cauſticis erodendas, aut cauterio actuali comburendas eſſe. Ille omni procul dubio à Paracelſo edoctus fuerat, qui tractatu ſecundo cap. 10. mihi p. 497. Curationem Ichoris ſive Synoviæ (*die Heylung deſz Gliedwaſſers*) cum hæmorrhagia eandem eſſe ſtatuit, eademque adhibenda eſſe remedia docet. In hunc quoque finem ſtercus porcinum præſcribit Paracelſus in meliceria. Illud enim vim ſiſtendi ſanguinem habere, *Chriſtophorus Landreus*, Medicus Gallus aſſerit, ſi cum ſanguine ex nare aut vulnere coquatur, & ab ægro devoratur. Sed videant Juniores Chirurgi, ne ſplendidis ac faſtuoſis iſtis Encomiis hujus ſtercoris à Landreo proditis, nimium confidant. Memini enim, olim in vitrico meo, *Petro Krantzio*, cùm hæmorrhagia narium periculosè laboraret, medicamentum hoc ex ſtercore porcino fruſtra adhibitum fuiſſe.

Chriſtophorus Wirſung, ne curatio hujus morbi graviſſimi, in libro ſuo defideraretur, maluit ex aliis Empiricis quædam inſerere, quàm planè tacere. Idem de Johanne Colero affirmare poſſum, qui farraginem medicamentorum Empiricorum, nec ullo ad morbum huncce debellandum accommodatorum, compilavit & Calendario ſuo perpetuo lib. 18. cap. 172. inſeruit. Imò ad illam quoque impudentiam devenit, ut fluxum hujus Ichoris ſpatio quadrantis unius horæ ſe reſtringere poſſe, auſus ſit affirmare, his verbis: *Ut aqua articulorum ſpacio quadrantis hora ſiſtatur. R. Medullam panis recentis, & ſi alicui aqua articulorum cum impetu fluit, accipe guttulam unam vel tres ſanguinis, hominis iſtius, cui aqua profluit, eaſque pani infunde, ægroque comedendum exhibe, & ſtatim ſiſtetur.* At quis quæſo non videt, hæc deliramenta eſſe, hominemque nullam habuiſſe notitiam morbi, ſed ex aliis abſurda ſua compilaſſe, & ſibi adſcripſiſſe. Hæc in eum finem ſcribo, ut videant Chirurgi, ne Empiricorum ſcriptis ſeducantur.

Porrò graviſſimè Paracelſum à via recta aberrare, cum curationem Meliceriæ cum reſtrictione ſanguinis eandem eſſe docet, eademque requirere remedia, ſcribit, manifeſtum fiet, ſi negotium paulò exactiùs examinaverimus & conſideraverimus. In hæmorrhagia unicam intentionem habere Medicum, nimirum ut oſcula venarum & arteriarum occludantur; Quibus autem remediis, id commode fiet, docet Hippocrates inquiens. *In his frigido uti oportet unde ſanguis copiosè profluit, aut profluxurus eſt.* Quæ enim refrigerant, ſanguinem craſſiorem adeóque ad profluendum minus idoneum reddunt. Præterea, quæ egregiè exſiccant abſque mordicatione, ſi apertis venarum & arteriarum oſculis inſpergantur, ſanguinem ſiſtunt. At hæc omnia ſi in Ichore & Meliceria adhibita fuerint malum adaugere, ex præcedentibus facilè colliget rationalis Chirurgus. Quæ enim exſiccant & aſtringunt dolorem non leniunt, quin potius ipſum exaſperant: dum materiam in parte affecta confluxam retinent includuntque. In periculoſa hæmorrhagia oſcula nervorum & arteriarum (niſi vulnus fuerit prope membrum nobile) cauſticis, aut etiam ferro candenti obturari poſſe, Medicis notum eſt, ſed quid quæſo hæc in Meliceria efficient? In hæmorrhagia corrigent cauſam mali, videlicet apertionem vaſorum, Meliceriæ verò cauſam, dolorem nimirum adaugent.

Præterea in hæmorrhagia vulnerum nihil præter ſolutionem continui, & fluxus ſanguinis, conſideranda ſunt. Non ſolùm enim adeſt ſolutio continui

&

& affluxus crudorum humorum, verùm etiam febris, inflammatio, dolor maximus, labefactatio virium, nausea, vigiliæ, & hujusmodi, quæ omnia diversa requirunt medicamenta, quorum in hæmorrhagia nullum adest. In hæmorrhagia applicamus quidem frigida, juxta doctrinam Hippocratis, non tamen supra ipsas partes, unde profluit, sed justa ipsas. *Frigidum enim*, ut alibi docet, *ulceribus mordax, cutem obdurat, & dolorem insupportabilem facit.* At Paracelsus ad eam quoque insaniam devenit, ut in Ichore & Meliceria, in qua tot tantaque graviora symptomata, quibus frigida sunt inimicissima, concurrunt, ulceribus ipsis acetum rosaceum applicat, & quia insignis adest inflammatio & intumefactio in Meliceria, propter copiam humorum qui ad partem læsam confluunt, ideò exiguus ille calor innatus facilè à medicamentis istis frigidis ac siccis, uti sunt, acetum, Ostrea, Terra sigillata, bolus, albumen ovi, lithargyrium, & similia, à Paracelso ejusque sectatoribus præscriptis, facilè suffocatur: quapropter Gangræna nonnunquam consequitur Meliceriam, ut testatur Langius Epist. 3. lib. 1. Sequuntur quoque ulcera maligna & insanabilia, propter erosionem ligamentorum & cariem ossium, quæ à materia illa acri contaminantur.

Cæterùm ut ad institutum revertar, Dolorem præcipuam esse causam Meliceriæ, antea persæpè demonstravimus. Est igitur tollendus. Id præterea anodynis, hoc est medicamentis, quæ temperatè calida & humida sunt, fieri debere, ab initio hujus capitis demonstravimus.

Videamus itaque, an medicamenta à Paracelso aliisque prodita, hasce habeant facultates, ut dolorem huncce tam gravissimum lenire possint.

Inter Medicamenta à Paracelso in Ichore & Meliceria celebrata, primum locum obtinet emplastrum Stichicum, sive fodicationum. At nos illud ipsum emplastrum Meliceriam provocare posse, capite nono rationibus & exemplis demonstravimus. In ipso enim, quæ insigniter excalefaciunt, & proinde attrahunt, uti sunt Oppopoonax, Galbanum, Ammoniacum, Bdellium, Colophonia, Ol. Laurinum & hujusmodi, aliis ingredientibus præcellunt.

Acetum refrigerare & astringere, tenuiumque esse partium, docent Dioscorides, Galenus & alii, acre quoque est, & proinde ulcera vellicat, mordet, doloremque excitat. Ex quibus videmus, acetum in Meliceria adversissimum esse. Testatur id quoque Avicenna inquiens, *Acetum est ex iis, quæ nervis sunt nocibiliores.* Nervi enim, ut partes spermaticæ, cum frigidi sint, calida requirunt. Si enim aqua frigida ulceribus inimica & mordax, ut testatur Hippocrates lib. 5. Aphor. 20. ac proinde dolorem excitat, quantò magis id faciet acetum, cùm sit non solùm frigidum, sed & acrimoniâ quadam præditum. Astringit præterea; ac anodyna, ut nihil adstrictionis habeant, necesse est, quemadmodum antea ex Galeno lib. 5. de medic. facult. cap. 18. demonstravimus, Gravissimè itaque hallucinatur Paracelsus, dum acetum in Ichore & Meliceria applicat.

Ostrea, etiamsi ulceribus cavis, fistulosis, & humidis conveniant, ut testatur Galenus de simplicium medic. facultatibus lib. 11. Inde tamen non sequitur, in Meliceria quoque ex usu esse posse. Loquitur enim Galenus de ulceribus, ubi sola intentio est exsiccare, quod Ostrea præstare possunt. At in Meliceria prius tollendus est dolor, quàm curatio vulneris instituenda.

Os sepiæ cum Ostreis easdem habere facultates, Dioscorid. lib. 2. cap. 23. & Galenus de simpl. Med. facultatibus lib. 11. testantur.

Mandibulæ lucii, uti reliqua ossa combusta, vim digerendi & exsiccandi habere, quis dubitat?

Spodium, ut docet Cordus in Dioscoridem lib. 5. cap. 81. nihil aliud est quàm extinctæ metallorum favillæ, quæ propter pondus rursus decidunt, & circa fornacem ejusque pavimentum colliguntur: Spodium autem easdem habere facultates cum pompholyge, medicamento omnium, quæ citra morsum exsiccant, præstantissimo, Galenus de simplicium Medicamentorum facultatibus lib. 9. testatur.

Desiccandi vim quamvis terram possidere testatur Galenus, de simplicium medicamentorum facultatibus lib. 9. Ergò & terra sigillata, & bolus Armenus desiccant, & proinde ex numero Medicamentorum, quæ in Meliceria adhibentur, meritò excluduntur.

Quid dicam de vitriolo, alumine, cineribus Isatidis & sulphure, quibus nonnulli in Meliceria quoque utuntur, affectumque adaugent. Hujusmodi enim acrioribus, dolores magis magisque excitant, affluxumque humorum ad partem læsam.

Felix Wirtz, Basileensis Chirurgus, unguentum suum fuscum (*sein braunes Selblein*) in Meliceria mirum in modum extollit. Conficitur illud ex aceto, vitriolo, ipsiusque phlegmate, melle & floribus æris, uti antea dictum fuit. At hæc omnia, ut acria, in hoc affectu dolores exacerbare, & proinde perniciosa esse, quis non videt? Etiamsi enim in aliis ulceribus putridis & sordidis suum quoque habeat usum prædictum unguentum, in ulceribus tamen articulorum, inprimis tantis doloribus obsessis, propter acetum, vitriolum, & mel, quæ omnia acria sunt meritò rejiciendum est. Morbi enim curantur non eis, quæ ipsorum causam adaugent, sed quæ ipsam tollunt, at dolor causa est Meliceriæ Ergo eis, quæ ipsam leniunt, est curanda. Atque hæc sunt Medicamenta, quibus morbum huncce tam gravissimum Paracelsus, & post ipsum barbitonsores, & empirici in Germania, debellare volunt. Interim tamen de causa antecedenti, ut vocant Medici, de victus ratione, de evacuationibus per pharmaca & venæ sectionem, multisque aliis symptomatibus removendis, de quibus postea fusiùs nihil adscribunt, præter decocta nonnulla, veluti sequens à Johanne *von Gersdorff genannt Schylhans*, præscriptum loco præallegato.

R. *Centaurii*
Origani
Radicis Gariophillatæ
Pimpinellæ
Auricula muris
Summitatum Canabis
Brassicæ
Tanaceti
Pentaphylli an. Mj. Coquantur in vino & melle. Hujus decocti exhibent ægro cochleare unum, bis in die, mane videlicet, & vesperi. *Si decoctum*, addit Dn. *Schylhans*, *in corpore remaneret, nec per urinam aut vulnus effluit, signum est, ægrum vix evasurum.*

Porrò non possum silentio hîc præter audaciam Gersdorffii aut Schylhans, qui ausus fuit Chirurgiæ suæ Castrensi, in qua inepta hæcce quoque habentur, nomen istius viri tam celeberrimi, tamque docti Dn. Gualterii Ryffii præfigere, procul dubio in eum finem ut libro suo splendorem afferret, eumque vendibiliorem redderet. Cùm tamen verisimile sit, Dn. Ryffium de hujusmodi nugis atque ineptiis ne quidem cogitasse. Cognoscet id facilè, qui reliqua ipsius

ipsius scripta perlegerit. Ex eis enim manifestum fit, ipsum fuisse Medicum & Chirurgum rationalem, & in arte Medica versatissimum. Sed & fucum facilè deprehendet, qui librum Gersdorffii, cum opere illo magno Chirurgico, Dn. Ryffii, ex Guidone & Tagantio excerpto, & Germanico idiomate impresso Francofurti partim Anno 1545. partim quoque 1562. conferre voluerit. De his Lectorem admonere volui, quia ego ipsemet in hac fui opinione, prædictas nugas à Dn Ryffio prolatas fuisse, tandem verò ex præfatione Gersdorffii Chirurgiæ suæ Castrensi, & collatione Chirurgiæ magnæ Dn.Ryffii, fallaciam cognovi. Simile delictum in Vesalium, Anatomicorum Principem, commisit olim quidam, *Prosperus Borgarutius*, nomine. Ille enim cum mortuo Vesalio, ipsius scripta Chirurgica in lucem emittere vellet, ea, quæ Vesalius propter insperatam & inopinatam mortem nondum absolverat ex Fallopio adscripsit, præcipue ex libro de homoribus præter naturam ex quo multa de verbo ad verbum descripsisse Borgarutium facilè videbir, qui unius atque alterius librum perlustrare voluerit. Inter alia quoque, ut Lector in tractatu meo de Gangræna cap. 17. videre poterit, Vesalio adscribit longè perniciosissimam illam opinionem, nimirum, Membrum sphacelatum in parte mortua esse abscindendum, Error qui omni procul dubio Vesalio nunquam in mentem venit, & cui acerrimè se opposuisset, si ipso vivente tale quid de ipso prolatum sparsumque fuisset. Borgarutium præterea hæc ex Fallopio decerpsisse, & Vesalio adscripsisse, stylus ipse lucuienter indicat.

Non absimile furtum Gallus quidam, Medicus, *Anthoine du Four, Perrotin* nomine, Excellentissimum ac longè humanissimum Virum Dn. Jacobum Aubertum Vindonem, apud Lausannenses Medicinæ doctorem longè celeberrimum, amicum & præceptorem meum æternum honorandum, perpetravit. Is enim libellum Gallicum de Peste Laosannæ in 8°. impressum, Anno 1571. defuncto D. Auberto de verbo ad verbum descripsit, & Anno 1588. Lugduni sub suo nomine in quarto excudi curavit, syndicisque & consiliariis Cameriacensibus in Sabaudia dedicavit, quibus (vide impudentiam hominis) Epistolam ipsam dedicatoriam, quam Dn. Aubertus Consuli ac Senatoribus Lausannensibus inscripsit, paucis immutatis voculis sibi accommodavit. Hæc profectò & similia furta homini docto, præcipuè Christiano, planè indigna, à Magistratu meritò mulctanda essent.

Cæterum antequam finem faciam hujus capitis, inepria & inscitia illa Gersdorffii tribus verbis refutanda est. Sunt hæc ipsius verba pagin. 35. *Si decoctum* (videlicet antea ex centaurio, Origano, Rad.Gariophillatæ &c. præscriptum) *in corpore remanserit, nec per urinam aut vulnus effluxerit, signum est, ægrum vix evasurum*. Porrò exhiber singulis diebus cochlearia duo sui decocti, unum manè, alterum vesperi. At quis quæso observare poterit, an exiguâ illa quantitas cum urina aut ex vulnere effluat?

In Meliceria enim serosi humores tam copiosè per vulnus effluunt, ut is lyncris oculis opus haberet, qui videre voluerit, sit ne decoctum, aut aliquis alius humor excrementitius, qui per vulnus aut vias urinarias effluit. Per vulnus enim, uti & per vias urinarias, nihil effluit, nisi prius in ventriculo fuerit concoctum, in intestinis quinetiam segregatum, ut si quid excrementitii adfuerit, per alvum evacuatur, purum verò per venas mesaraicas & portam ad hepar deferatur. In hepate præterea iterum fit concoctio atque segregatio, ut inutilis & serosus humor per renes vias que urinarias effluat, utilis verò & laudabilis, qui est sanguis ipse, per venas in totum corpus abeat. Ubi demum tertia & ultima fit concoctio atque segregatio. Purus enim sanguis admiranda atque singulari naturæ industria, in nutritionem partium corporis cedit, excrementum verò per sudores, nec non insensibilem transpirationem evacuatur. Peracta itaque tertia concoctione, saltem ad vulnus perveniet decoctum. Judica itaque, dico iterum, an decoctum sit, quod per vulnus effluit, an aliquis alius humor? Sed respexit Gersdorffius ad eventum eorum, quæ fieri solent, magis quàm ad causam ipsam, Ulcera enim eorum, qui morituri sunt, ut testatur Hippocrates prænotionum lib. 1. ante mortem livida & sicca, aut etiam pallida & sicca fiunt. Facultas enim expultrix adeò est infirma, ut materiam antea per ulcus evacuari solitam, ad partes remotiores propellere non sit potens, remanet itaque in corpore, & partes primarias magis magisque lædit. Hinc ipsum vulnus siccum & aridum conspicitur. Etiamsi hujusmodi, aliaque decocta copiosissimè sorbserit æger.

Cæterum cum *de mortuis*, ut prudenter monet Solon, *nil nisi bonum*, vitio forsan aliquis mihi vertet animadversiones hasce in Paracelsum, Gersdorffium & alios. Is si perpenderit Errores, qui in perniciem humani generis cedunt; detegendos potius, magisque utilitati viventium, quàm famæ defunctorum consulendum & prospiciendum esse, facilè mihi condonabit.

Cap. 13. *De curatione methodicâ ichoris, sive hydropis articulorum, & primò de victus ratione, quæ prima est intentio.*

CUm varia atque diversa symptomata, & quidem gravissima Ichorem & Meliceriam comitentur, quemadmodum in præcedentibus obiter quoque monui, & postbac capite 16. fusius dicam, necesse est, ut Medicus aut Chirurgus rationalis summam adhibeat diligentiam in curatione, eamque sic instituat, ut omnia ex arte expurgare possit. In primis autem sciat lector, totum negotium curationis Meliceriæ in hoc consistere, ut dolor sedetur. Est enim præcipua & principalis causa omnium reliquorum symptomatum, quemadmodum sæpius dictum fuit. Sic itaque instituenda est curatio. Primò præscribenda est victus ratio. 2. Prospiciendum, ut humor peccans concoquatur & expurgetur. 3. Ut topica convenientia applicentur. 4. Ut symptomata corrigantur: de his ordine & succinctè dicam.

Circa victus rationem considerandum est subjectum, hoc est ægri constitutio, si enim fuerit juvenis & optimo corporis habitu præditus, atque robustus, morbusque gravis, & symptomata peracuta, victus, docente Hippocrate lib. 1. aphor. 7. tenuis & exquisitus convenit. Sin fuerit senex & imbecillis, aliquo modo plenior esse convenit victus ratio, ut vires simul & humidum radicale, quod facillimè doloris vehementia absumitur, conservari possit, sit præterea frigidus & humidus: talis enim febricitantibus, uti sunt, qui ichore aut Meliceria laborant, convenit, ut testatur Hippocrates, talis præterea victus ratio acrimoniam humorum ad partem læsam fluentium obtundit, eosque mansuetiores efficit. Aër sit temperatus ad calorem vergens, frigidus verò diligenter vitandus, frigidum enim cùm nervis sit inimicum, facillimè exacerbatur dolor, si vulnus aëri frigido expositum aut in loco aliquo frigido deredum & curatum fuerit. Quapropter aëre existente frigido, interim dum vulnus curo, sartaginem prunis tepietam, à ministerio è regione

vulneris,

vulneris, aut supra illud ipsum tenendam jubeo. In vulneribus capitis, præcipuè ubi cerebrum detectum est, idem facio. Hoc modo enim aer corrigitur, Frigus præterea digestionem vulnerum, in Meliceria tantoperè necessariam, retardat atque impedit. Aer præterea intense calidus fugiendus est, Æstus enim ambientis nos aeris, calorem nativum corporis nostri evocat dissipatque. Hepat quoque & massam sanguinis, ipsosque spiritus incendit. Hinc humores, qui ad partem læsam fluunt, omnisque symptomata graviora reddunt. Quapropter cubiculum ægri aqua frigida sæpissimè aspergendum, & herbis frigidis, veluti foliis quercinis, salicis, rosis, & similibus, sternendum est.

Cibus sit subtilis & concoctu facilis, pane ex optimo tritico bene fermentato & probè cocto, non calido, neque nimis duro & sicco utatur. Facilè concoquitur caro castratorum, agnina, gallinarum, caponum, perdicum, turdorum, columbarum, avium in arboribus degentium, item ova recentia, aliaque quàm plurima edulia, quæ ex prædictis carnibus & ovis cum butyro parantur. Cum carne coquantur lactuca, portulaca, acetosa, cichorium, endivia, & similia, quæ vim humectandi & nutriendi habent. Ex prædictis quoque herbis, cum aqua parumque butyro & sale parata juscula, summoperè conveniunt, uti quoque ea, quę ex avena & hordeo decorticato fiunt. Ab eis, quæ difficultet concoquuntur, abstineat æger, sunt illa, veluti caro bubula, porcina, ferina, & in genere quicquid sale conditum & fumo exsiccatum est, sive caro aut pisces fuerint. Legumina, veluti lentes, fabæ, pisa, & phaseoli, quia difficulter digeruntur, ventriculum gravant, & obstructiones viscerum pariunt, fugienda sunt. Brodio tamen, in quo lentes & pisa incoxerint, quia abstergit, urinam ducit & obstructiones viscerum tollit, uti poterit æger. Usus piscium rarus sit atque paucus. Eligendi sunt saxatiles & mediocres, veluti trutæ, lucii parvi, percæ, & hujusmodi. Caseus quoque, quia difficilè concoquitur, & ventriculum gravat, fugiendus, uti quoque fructus horarii (citò enim putrescunt & in bilem convertuntur) acetaria & similia. Ab omnibus, quæ insigniter excalefaciunt viscera, sanguinem comburunt, & humorem biliosum augent, abstineat æger, sunt illa veluti aromata, in primis piper, Zinziber, gariophilli, cardamomum, allium, sinapi, raphanus, cæpæ, salsa omnia, & fumo exsiccata, atque hujus generis alia; Cinamomo tamen, croco, nucibus muscatis, & mace, uti poterit æger in cibis.

Quantum ad potum, necesse est, ut interim dum morbus in suo vigore consistit, hoc est, dum Ichor fluit, febris & dolor adest, à vino planè abstineat æger. Vinum enim, præterquam quod natura sua nervis inimicum, etiam interna viscera excalefacit, incendit, & dolores adauget, quapropter ab eo cavendum est, ut monet Galenus ubi phlegmonis suspicio adest. Loco itaque vini utatur æger Cerevisia simplicissima, lacte amygdalarum dulcium, aut sequenti decocto.

R. *Florum & foliorum betonica*
Agrimonia
Veronica an. p. ij. Liquiritia mundata & concisa ℥. ß.
Mellis despumati ℥ij.

Coquantur cum libris sex aquæ ad consumptionem tertiæ partis, Decoctum adhuc fervidum in poculum stanneum affundatur, & addatur Cinamomi minutissimè confracti ℥. ß. quàm diligenter coperto & tecto poculo relinquatur, donec per se refrigeratum fuerit. De hoc decocto bibat æger ad libitum, & quidem dum dolor est ingens & magnus per se, præcipuè si fuerit juvenis, senes verò quamprimum febris, dolores, inflammationesque remiserint, & vulnus ad optimam digestionem pervenerit, aliquid vini admiscere poterunt. Sitis verò, si ingens & maxima fuerit, ad ea, quæ magis refrigerant, & fervorem humoris biliosi effrenant, transeundum est, de quibus postea capite 16.

Porrò quum morbus in suo vigore consistit, maximique dolores adsunt, diligenter prospiciendum est, ne nimis gravetur corpus cibis, ubi enim morbus peracutus est, statim extremos habet labores, & extremè tenuissimo victu utendum est, inquit Hippocrates lib. 1. aphor. 7. *Melius enim est*, addit Galenus in commentario, *naturam permittere vacare circa morbi coctionem, quam distrahere ipsam ad cibos recenter assumptos conficiendos.* Nutriatur itaque æger, quamdiu dolores fuerint acerbissimi, tantum jusculis ex prædictis herbis paratis, cremore hordei, & avenæ decorticatæ, panatellis, & eis, quæ facilè concoquuntur. Si æger juvenis, robustus, & nondum à morbo absumptus fuerit, imperetur ipsi inedia, juxta illud Hippocr. *extremis morbis extrema conveniunt remedia.* Sin contrario modo omnia sese habuerint, pauló plenior ut sit victus ratio, necesse est, quo vires conservari possint.

Passiones præterea animi sunt fugiendæ, præcipue ira. In ira enim sanguis & spiritus in ipsis visceribus excalefactis, veluti cum impetu ad externas partes, & præcipue ad membrum læsum effunduntur. Humores præterea in ira & excandescentia acres & fluidiores efficiuntur; quapropter cum impetu ad vulnus ruunt, dolores reliquaque symptomata omnia adaugent. De his poterit lector videre observationes singulares in Centuriis nostris. Diligenter quoque prospicere convenit, ut alvus quotidie semel suo fungatur officio. Ex retentis enim excrementis symptomata omnia ingravescunt, ut capite 19. fusius dicemus. Hæc de prima intentione, victus videlicet ratione.

Cap. 14. *Quomodo in Ichore corpus à pravis humoribus sit expurgandum, quæ altera est intentio.*

QUia propter doloris vehementiam humores ad partem affectam trahuntur confluuntque, necesse est, eos per alias vias educere, & à vulnerato membro avertere. Fiet id quamprimum & statim ab initio, quum Chirurgus ad ęgrum convocatus fuerit, & quidem antequam vires à doloris vehementia prostrentur, nervique & ligamenta putrilagine contaminata fuerint. Evacuantur autem humores noxii per pharmaca laxativa, per venæ sectionem, cucurbitulas, Menses, hæmorrhoides, & sudorem, de quibus ordine. Et primò de purgatione, prius tamen præparato & concocto humore peccante; Concocta enim medicanda atque movenda sunt, non cruda, ut docet Hippoc. Ante omnia autem alvus si constipata fuerit, movenda est, fiet id suppositoriis, aut clystere. Si æger ab usu clysterum alienus fuerit, dentur ipsi pruna Laxativa, aut sequens minorativum.

R. *Rhabarbari electi* ʒj.
Fol. *Sennæ* ʒj. *s.*
Flor. *Tartari*
Sem. *Anisi an.* ℥ß.

Infundantur in aqua Cinamomi sine vino distillata, & aqua Cichorii ana q. s. Colaturæ fortiter ex-

pressæ adde syrupi rosati solutivi simplicis ℥j. Misce, fiat potio. Sic purgatis primis viis præparetur humor peccans sequenti apozemate.

R. Rad. *Cichorii*,
Polypodii
Lapatii acuti
Corticum interiorum
Rad. *Frangulæ*
Asparagi an. ℥j.
Fol. & Flor. *Betonicæ*
Primulæ Veris,
Scabiosæ
Agrimoniæ
Veronicæ
Acetosæ, *an.* Mj.
Trium florum cordialium &
Genistæ Hisp. an. p. 1.
Sem. *Anisi & fœniculi an.* ʒij.
Liquiritiæ mundatæ
Uvarum passularum exacinatarum an. ℥j.

Coquantur in s. q. aquæ ad consumptionem tertiæ partis. De hoc apozemate accipiet æger semel aut bis in die ad uncias tres, quibus admisce unciam syrupi de succo acetosæ, citronum, granatorum, aut berberorum. Vel detur sequens Julepus.

R. Aq. *Cichorii*
Acetosæ
Endiviæ
Primulæ veris
Ivæ arthriticæ an. ℥.
Syrupi de succo citronum & acetosæ ana ℥j.
Syrupi de succo berberorum ℥ß.
Misce, fiat Julapium pro tribus dosib.
Sic præparatis humoribus
Accipe de prædicto apozemate ℥iiij.
Foliorum sennæ ʒij.
Seminis anisi ℥j.

Coquantur ut colatura redeat ad uncias duas, in quibus infunde:
Rhabarbari electi ʒj.
Cinamomi optimi &
Florum tartari an. ℈j.

Maneant in Infusione per noctem, & quidem in loco tepido, facta expressione fortissima admisce elect. de succo rosarum ʒj.
Syrupi de Cichorio cum rhabarb. ℥ß.

Misce, fiat potio, detur in aurora cum custodia. Aut detur in forma boli, sequenti modo.

R. *Pulveris de hermodactilis*
Pulv. sennæ Brassavoli an. ℈ij.
Electuarii de succo rosarum ʒj. s. cum suff. q. Syr. de Cichorio cum Rhabarb. fiat bolus, involvendus sacchsro. Solus quoque pulvis de hermodactilis mirificè confert in Meliceria affectibusque articulorum, sive cum syrupo de Cichorio aut rosarum in forma boli, sive cum liquore aliquo convenienti exhibitus. Ego sequenti modo ipsum præparare soleo.

R. *Hermodactilorum*
Turbith ana ʒvj.
Diagridii & florum tartari
Foliorum sennæ mundat. an. ʒij.
Zinziberis
Cinamomi
Mastichis an. ʒj.
Sacchari ʒvj.

Misceantur fiatque s. a. pulvis tenuissimus, cujus dosis est à ʒj. ad ʒj. & s.

Sic purgato corpore reiteretur apozema per dies aliquot: iterumque expurgetur corpus, si opus fuerit. Frequenter autem propter ingentes dolores, quibus corpus ægri & præsens atque futurum periculum, quo animus excruciatur, etiam flava bilis in atram convertitur. Hanc ob causam quæ humorem atrabilarium respiciunt, præscriptis admiscere convenit; sunt illa veluti fumaria, Tamariscus, scolopendrium, lingua cervina, herbæ capillares, cortic. capparorum, summitates lupuli, cuscuta, epithymum, Syrupus de fumaria, de polypodio, syr. de pomis, capilli veneris, de bizantiis, conf. Hamech. Electuar. diacatholici, pilul. item de fumaria, de lapide lazuli, aggregativarum, de hermodactylis, Extractum quoque Esulæ arborescentis, Ellebori nigri, & hujusmodi infinita alia conveniunt.

Phlebotomia & cucurbitulæ hirudinumque applicatio conducibilis, cum ad revulsionem & derivationem, tum ad humoris peccantis evacuationem, præsertim si affluxus sanguinis ad articulum vulneratum magnus fuerit. Venæ sectionem enim, ut docent celeberrimi Medici, præscribimus, ut morborum incrementum impediamus, inflammationes vitemus, meatum aperiamus, transpirationem liberam reddamus, peccantem materiam minuamus, corpusque refrigeremus. Illa autem vena secanda est, ut Galenus docet, quæ ab ipsa affecta particula sanguinem celeriter avertat, inprimis si præter affectum externum interna inflammatio quoque adfuerit. Rectitudo autem fibrarum in venæ sectione observanda; quapropter si affectus in brachio aut manu fuerit, vena in poplite, aut pede, ejusdem lateris, secanda est, sin pes aut genu vulneratum, venam in cubito secamus; sanguis autem secundum magnitudinem morbi & virium tolerantiam extrahendus est, ubi necesse, ut Chirurgus Medici alicujus eruditi consilio utatur. Uti etiam in reliquis, quæ ad internas medicationes spectant. Cum enim gravissimus sit affectus, temerarius esset Chirurgus sibimetipsi adeo fidere, ut Medici consilia aspernentur. Plura de venæ sectione, hic quoque scitu necessaria, videat lector in tractatu nostro de Gangræna, postrema editione in quarto.

Usus cucurbitularum quoque in hoc affectu minimè aspernendus est. Si enim humor peccans ad partem aliquam cum impetu fluit, cucurbitulis ad alias partes commodè trahitur. De mensibus atque hæmorrhoidibus idem intelligendum est, ubi enim hujusmodi purgationes naturales supprimuntur, vulnera simul & ulcera externarum partium contumacissima efficiuntur: quemadmodum ego sæpissimè in praxi expertus sum, imò & quandoque insanabilia evadunt. Sunt itaque, si fieri potest, provocandæ hujusmodi purgationes suppressæ. Per sudores & frictiones quoque etiamsi evacuantur humores superflui, in Meliceria tamen non temerè sunt provocandi. Cum enim id fieri nequeat, nisi excalefactis visceribus, simul ac massa sanguinea incenditur acriorque fit humor biliosus, omniaque symptomata adaugentur: Quapropter in vigore morbi eos nunquam provocare ausus sui, in fine verò si symptoma aliquod remanserit, in quo sudor proficuus esse possit, audacter provocandus est, de quibus posthac.

Cap. 15. *De topicis medicamentis in Ichore adhibendis, tanquam tertia intentione.*

Etiamsi curationem Meliceriæ, diversis capitibus comprehensi fuerimus, non propterea tamen mens est, præsidium unum post alterum adhibere, hoc modo enim curatio in longum

tempus

tempus protraheretur, & occasio, quæ præceps est, amitteretur, uno itaque tempore præcipua præsidia simul præscribenda sunt, ut periculum quod ex mora provenire posset evitemus. Quapropter cum primum Chirurgus ad ægrum Meliceria laborantem vocatus fuerit, eodem tempore dum victus rationem præscribit, de reliquis quoque præsidiis administrandis, sollicitus ut sit, necesse est, ideoque ut humorem peccantem concoquit, evacuat & ad alias partes tam per pharmaca, quàm etiam per venæ sectionem & cucurbitulas trahit: ita quoque in topicorum medicamentorum applicatione nihil prætermittet.

In usu autem horum medicamentorum hæc præcipuè sunt observanda. 1. ut medicamenta, quæ vulneri ipsique parti affectæ (quamdiu dolor infestat) applicantur, omnia sint anodyna & dolorem sedantia. Dolor enim cum præcipuum & principale sit symptoma, inprimis sedandus est. 2. ut intemperiem partis affectæ corrigamus 3. ut materiam ad partem læsam cum impetu fluentem, repellamus. 4. ut confluxam evacuemus, & ulcus mundificemus. 5. ut id carne adimpleamus, tandemque cicatrice obducamus. De quibus omnibus hoc capite breviter disseremus. Et primò de anodynis. Cumprimum itaque ad ægrum hoc symptomate laborantem vocatus fuerit Chirurgus, vulneri sequens unguentum filamentis tepidè imponet.

R. *Ceræ novæ*
Colophoniæ ana ℥j.
Gummi Elemi.
Terebinthinæ Venetæ ana ʒiiij.
Ol. lumbricorum
Amygdalarum dulcium
Ol. de vitellis ovorum,
Rosarum ana ʒvj.

Misceantur lentissimo igne in sartagine, & per pannum percolentur, postea admisce pulv. lumbricorum terrestrium tenuissimi ʒij. Croci ʒj. Misceantur, reserveturque unguentum in vase vitreato. Ad uncias duas hujus unguenti admisce vitellum unius ovi, & magis fiet anodynum. Deinde Emplastro basilicone tege vulnus, toti verò membro malè affecto sequens cataplasma anodynum applica.

R. *Farinæ hordei*
Fabarum an. ℥iij.
Pulv. florum chamomillæ, betonicæ, Ivæ arthetica.
Meliloti
Rosarum an. ℥. ß.
Croci ʒ. ß.

Coquantur cum lacte recens emulcto ad formam cataplasmatis, tum admisce
Vitellos ovorum numero duos
Ol. rosacei &
Butyri recentis an. ℥j. ß. *Misce & applica calidè.* Aut

R. *Micæ panis albi* ℥vj.
Pulveris florum betonicæ
Rosarum
Ivæ arthetica an. ʒiij.
Pulv. fænigræci
Seminis cydoniorum, anethi,
Et Meliloti an. ʒij.
Pulveris lumbricorum exsiccatorum ℥. ß.
Croci ℈ij.
Butyri recentis & ol. lumbricorum
Ol. rosarum ℥j.

Cum lacte vaccino aut caprino recens emulcto, fiat cataplasma, addendo vitellos ovorum numero duos, applicetur calidè. In maximis & ingentibus doloribus Ichoris & Meliceriæ sequenti sacculo aliquando cum fructu usus sum.

R. *Radicum althææ*
malvæ an. ℥j.
Foliorum althææ
Florum chamomillæ
Meliloti
Sambuci
Hypericonis
Ivæ arthetica
Rosarum rubearum
Lumbricorum recentium an. Mj.
Foliorum malvæ M. ſ.
Seminis anethi ℥j.
Lini &
Fænigræci an. ℥. ß.

Incidantur & contundantur omnia grosso modo; pro sacculis ejus magnitudinis, ut totam partem affectam cooperire queant. Coquantur in aqua, vel, si dolor ingens fuerit, in lacte vaccino, applicentur calidè, & iterentur quotiescunque necesse esse videbitur. Ante applicationem autem cataplasmatis aut sacculi, totum membrum oleo lumbricorum & rosarum inungendum est. Aut

R. *Ol. rosacei* ℥j.
Ol. lumbricorum
Amygdalarum dulcium
De vitellis ovorum
Pinguedinis humanæ an. ℥. ß.

Misce fiat linimentum, quo tepide inungatur pars affecta. Quod si inflammatio aliqua ingens partem affectam infestaverit, olea & pinguia non temere sunt applicanda, inflammationibus enim sunt adversissima easque adaugent, herpetes & exulcerationes excitant, ut testatur Galenus de simplic. Medicamentorum facultatibus lib. 2. cap. 21.

Ad intemperiem itaque calidam corrigendam præstet universalia sequens applica cataplasma.

R. *Farinæ hordei* ℥iij.
Pulveris florum & foliorum betonicæ
Rosarum rubearum
Myrtillorum
Balaustiorum an. ʒij.

Cum decocto betonicæ, Ivæ arthetica & rosarum fiat cataplasma, addendo sub finem vitellos ovorum numero duos, applicetur calide, aut præparetur cataplasma ex mica panis hoc modo:

R. *Micæ panis albi* ℔. ß.
Pulveris rosarum
Myrtillorum
Balaustiorum an. ʒij.
Seminis cydoniorum
Fænigræci
Anethi &
Meliloti an. ʒj.
Pulv. lumbricorum exsiccatorum ℥. ß.
Croci ℈j.

Cum aqua betonicæ & lactucæ, vel harum herbarum decocto, fiat cataplasma, applicetur calidè. Si adfuerit herpes miliaris, uti sæpissimè fit in maximis inflammationibus, & post intempestivum usum olei, & pinguedinum, poterunt pustulæ inungi unguento albo Rasis cum camphora. Aut

R. *Seminis cydoniorum subtilissime pulverisati.* ʒj. ß.
Aquæ rosarum
Plantaginis an. ʒij.
Aquæ betonicæ ℥iij.
Cornu cervi usti & præparati
Cerussæ lotæ

Lapidis calaminaris an. ʒij.

Misce, fiat instar collyrii, quod linteis eo intinctis pustulis calidè applicetur, & reiteretur ter aut quater in die, ne exsiccatis pannis præter modum incalescant & majorem copiam humorum ad se trahant. Interim medicamenta, quæ ipsi vulneri imponuntur: quæque superius à nobis præscripta fuere, uti est unguentum ex cera, colophonia, gummi Elemi &c. Item emplastrum Basiliconis, mutanda non sunt, usque dum dolor omninò remiserit, & vulnus quàm optimè digestum fuerit, sed de his posthac prolixius.

Tertiò in usu topicorum observandum est, ut materiam, quæ ex corpore ad partem læsam fluit, aut potius doloris vehementia trahitur, in aliam partem repellamus. A patiente autem loco, inquit Galenus in arte medicinali cap. 19. astringendo atque refrigerando humores affluentes repellemus. Repellentia autem sunt vel frigida & humida, vel frigida & sicca; frigida & humida aqueæ substantiæ sunt succi, & aquæ destillatæ, veluti

Lactuca, succus granatorum
Portulaca
Sempervivi
Solani
Plantaginis
Rosarum
Equiseti
Acetum, aqua frigida simplex
Albumen ovi, & infinita alia.

Frigida verò & sicca terreæ substantiæ sunt, veluti
Terra sigillata
Bolus armenus
Sanguis draconis
Balaustria
Nuces cupressi
Cortices granatorum
Rad. *Bistorta*
Tormentilla
Tutia

Alumen, & similia. Ex quibus varia ac diversa componuntur medicamenta, hodie à practicis Defensiva appellata.

Non autem ipsi vulneri applicanda sunt repellentia, aut defensiva, sed regioni suppositæ ulceri, testatur id quoque Galenus de compos. medic. secundum genera lib. 2. Ulceribus enim sunt inimicissima; primò quia frigida, quandoquidem ulceribus frigiditas mordax, & dolorem tacit, inquit Hippocrates. Frigus præterea condensat contrahitque cutem, quæ in meliceria emollienda atque relaxanda est. Quapropter si vulnus in pede fuerit, totum pedem quidem & tibiam oleo rosaceo & lumbricorum inunges, defensivum verò ad poplitem applicabis. Sin genu vulneratum, ad inguen usque crus prædictis oleis inungendum, sed defensivum in medio ferè inter genu & coxam applicandum. Idem etiam de digitis, carpo, cubito, & humero intelligendum est. Applicetur itaque sequens defensivum.

R. *Boli Armeni* ℥iiij.
Terra sigillatæ ʒij.
Cornu cervi usti, &
Rasura eboris an. ʒij.
Caphura ʒiij.
Cera ℥iij.
Ol. *Rosacei* lbj.
Aceti ℥iiij.
Aq. *Rosar.* ℥ij.
Album ovorum numero 2.

Misce, fiat unguentum, quod diu servari potest.

Ego sequenti frequenter utor, parabilius est, & minoris pretii, efficax tamen.

R. *Farina hordei* ℥iiij.
Boli Armeni albi ℥iß.
Corticum granatorum
Pulv. *Rosarum*
Balaustiorum
Rad. *Bistorta an.* ℥ij.

Cum posca fiat defensivum in forma cataplasmatis, applicetur tepide. In castris si prædicta medicamenta in promptu non fuerint, Expressus succus sempervivi, portulacæ, plantaginis, foliorum salicis quercî, lactucæ, & similia, aut eorum decocta summopere conveniunt, si parum aceti, & albumen ovi admixtum fuerit. Linteum autem reduplicatum prædictis succis intingatur, & tepide applicetur. Si affluxus humorum maximus, æger juvenis & robustus, quinetiam corpus probè expurgatum fuerit, in decocto prædictarum herbarum, vel earum succo aut aqua destillata & aceto, fasciam intingere, & membrum ad truncum corporis ferè involvere soleo. Hoc enim modo affluxus humorum quàm maximè impeditur. Vulnus tamen ipsaque pars affecta unguentis, emplastris, cataplasmate diligenter munienda atque involvenda est, ne humiditas fasciæ vulnus, aut ipsius circumferentiam attingat. Acetum enim omniaque frigida hujusmodi vulneribus adversissima esse, antea ostensum fuit. Interim autem dum circa repellentia occupati sumus, corpus, etiamsi ab initio expurgatum fuerit, alvus tamen ut quotidie respondeat, necesse est. Virium præterea diligenter habenda est ratio: Si enim imbecillis, senex aut decrepitus fuerit æger, in usu repellentium prospiciendum est, ne modus excedatur, neve calor nativus intempestivo usu refrigerantium ita labefactetur, ut ex vulnere sequatur ulcus malignum & incurabile. Quapropter prædictis, calida nonnunquam, præcipuè si humor, qui affluit, ex parte pituitosus fuerit, addamus hoc modo.

R. *Farina hordei*
Lupinorum ana ℥ij.
Pulv. rosarum rubearum.
Absinthii
Scordii an. ʒij.
Radicum torment. &
Bistorta an. ʒj.
Salis marini ℥j. cum decocto betonicæ, salviæ, parumque aceti, fiat cataplasma. Cum primum autem affluxus humorum remiserit, ab usu repellentium desistendum est. quo calor nativus liberè affluere, digestionemque ulceris ac curationem promovere possit.

Quartò in usu medicamentorum localium observandum est, ut omnia eò dirigantur, quo materia præter naturam post usum repellentium in ipsa parte affecta relicta, collecta, & impacta, evacuari possit. Idque duobus efficitur modis. Primò medicamentis vulneri impositis, quæ non tantum mundificant, verum etiam proprietate quadam specifica, materiam circa articulum partesque nervosas collectam, attrahunt, & sensibiliter, ut vocant Medici, evacuant. At secundò, quæ materiam circa vulnus impactam resolvunt, in halitum convertunt, & insensibiliter per poros evacuant. De illis primò, de reliquis postea. Hæc tamen simul eodemque tempore applicantur remedia. Illa videlicet vulneri imponuntur, hæc verò toti membro malè affecto applicantur, sive id in forma cataplasmatis, sive fotus &c. fuerit. Diligenter tamen prospicere convenit, ne præposterè, sed decenter & opportunè id fiat. Quapropter in memoriam

moriam revocanda sunt ea, quæ capite 8. monuimus, videlicet vuln.ra non minus ac morbi interni, sua quoque habere tempora, principium nimirum, augmentum, Statum & declinationem. Circa finem itaque Status abstergentia & mundificantia sunt admovenda, hoc est, non amplius affluentibus humoribus, sedato item dolore & quàm exquisitissimè digesto vulnere, reliquisque remissis symptomatibus pravis, febre nimirum, vigiliis, inquietudinibus, nausea & similibus, antea commemoratis. Abstergentia autem & mundificantia sunt calida, & plerumque amara & nonnihil acria, quapropter in vulneribus ac ulceribus sordes potenter ad se trahunt, expurgantque.

Ne tamen dolores excitent, semper aliquid quod dolorem lenit, uti est crocus, Ol. de vitellis ovorum, & hujusmodi addendum est. Johannes de Vigo, Chirurgus longè celeberrimus, sequens mundificativum præscribit in vulneribus capitis, quo etiam in vulneribus articulorum maximo cum fructu utitur.

R. *Terebinthinæ claræ* ℥ij.
Mellis rosati
Succi Apii ℥ß.

Bulliant simul parum. Deinde additur vitellum unius ovi, fariaæ hordei bene cribellatæ ℥ß. croci parum. Et si in prædicta formula, inquit Vigo, addentur Mirthæ ʒij. & tantundem Aloes hepaticæ, parumque sarcocollæ, esset hujusmodi vulneris optimum incarnativum. Legendum autem esse existimo, drachmæ duæ Mirthæ, & tantundem Aloes, non unciæ, alioquin Mirrha, & Aloes pondus reliquorum omnium excederent, nec sufficerent terebinthina & mel Rosarum, ut medicamentum consistentiam acquireret requisitam. Si præter modum sordidum fuerit ulcus, ex ussu esse poterit mundificativum nostrum de succo Apii, cujus sequens est præparatio.

R. *Succi Apii*
Scordii
Arnoglossæ majoris
Rutæ an. ℥iiij.
Mellis rosati ℔ j.

Coquantur ad consistentiam Syrupi, tum admisce farinæ lupinorum
Pulv. radic. Aristoloch. rotundæ
Angelicæ
Vincetoxici
Theriaces an. ℥ß.
Aquæ vitæ ℥j.

Misce, fiat unguentum, quod servetur in vase vitreo. Applicetur per se, vel Unguento anodyno, ab initio hujus capitis descripto, mixtum.

Pulvis præcipitatus, diligenter præparatus & rectificatus præstantissimum esse Medicamentum in vulneribus Articulorum, sæpissimè expertus sum, non solum enim mundificat, verùm etiam materiam viscosam & circa partes nervosas collectam, specifica quadam facultate ex profundo ad præcavendum dolorem ad se trahit, clementer tamen & sine dolore. Materiam præterea Ichorosam & subtilem inspissat, tandemque carnem laudabilem procreat, & ita quidem ut frequenter eo ad finem usque curationis usus fuerim. Non autem ab initio inspergendus est pulvis, sed circa finem status morbi, quemadmodum de reliquis mundificativis paulò ante quoque monui. Poterit autem pulvis ille aut per se inspergi, aut aliis medicamentis permisceri hunc in modum.

R. Unguenti ex cera, colophonia, gummi Elemi, &c. ab initio hujus capitis descripti, unciam 1. pulveris præcipitati ʒiß. Misce & ulceri filamentis impone.

Atque hæc de iis, quæ materiam circa articulum collectam sensibiliter evacuant, sequitur nunc de reliquis.

Interim autem dum hujusmodi mundificativa & viscosam materiam ex profundo attrahentia ulceri imponuntur, Cataplasmata quoque & sacculi, qui dolores leniunt, nervos roborant, materiamque circa partes nervosas collectam resolvunt, applicare licet. Ubi sequens cataplasma convenit.

R. *Farinæ fabarum*
Lentium an. ℥iij.
Pul. rosarum
Camomillæ
Absinthii
Baccarum lauri
Foliorum & florum salviæ
Primulæ veris
Ivæ arthetica
Sem. Anisi an. ʒiiij.
Pul. lumbricorum ℥j.
Fimi caprini pulverisati ℥ij.

Cum decocto betonicæ, Ivæ Artheticæ & florum Camomillæ q. s. fiat Cataplasma, sub finem adde olei rosati & lumbricorum an. ℥j. applicetur calidè. Aut fiat sequens sacculus.

R. *Fol. & flor. betonicæ*
Salviæ
Rosmarini
Ivæ Artheticæ
Primulæ veris
Origani
Hyperici an. M. ß.
Flor. *Camomillæ*
Meliloti
Sambuci an. M. j.
Sem. Anisi
Fœniculi
Carvi an. ℥j.

Incidantur & contundantur omnia grosso modo pro sacculis ejus magnitudinis, ut partem affectam cooperire possint. Coquantur in aqua fontis & applicentur calidè, prius tamen tecto vulnere emplastro aliquo appropriato, veluti est emplastrum de Ranis sine Mercurio, aut Emplastrum Diapalmii, vel (quo ego utor) Emplastrum Slotani, cujus descriptionem postea adscribam.

Antequam autem Cataplasma aut sacculus applicetur, totum membrum malè affectum inungendum est oleis, quæ nervos corroborant & materiam impactam resolvunt, qualia sunt ol. & succus lumbricorum, ol. vulpini, ol. betonicæ, de Ranis, ol. ex floribus Slotani, & hujusmodi. Si durities aliqua insignis circa nervos adfuerit, addatur pinguedo humana, caponis, Ursi, felis, ungu. de althea, ol. liliorum alborum, ol. amygdalarum dulcium, & similia, de quibus sequenti capite fusiùs.

Sic satis mundificato ulcere carne implendum, & cicatrice obducendum est. Etsi autem generatio carnis opus sit naturæ, Chirurgus tamen sua industria aufert ea, quæ naturam in suis actionibus impediunt retardantque. Sarcotica autem, inquit Galenus, detergendi vim, sed sine erosione possident. Prospiciendum tamen, ne eorum vis detergendi & siccandi primum gradum excedat, alioquin excitaretur dolor, & de novo suborietur affluxus humorum, & inflammatio. Ego, uti antea dixi, sæpissimè ad finem curationis pulvere præcipitato, diligenter præparato & rectificato, ad finem curationis usus fui, diversas enim facultates in se continere pulverem istum sæpissimè expertus sum, dum sordidum ulcus mundificat,

dificat primò, deinde quoque carne implet. Unguento quoque anodyno, ab initio hujus capitis descripto, frequentet usque ad finem curationis usus sum, aut per se, aut pauco pulvere præcipitato admixto. Nonnunquam quoque ad unciam unam prædicti unguenti, myrrhæ & sarcocollæ an. ʒj. admisceo, & addo vitellum ovi, estque sarcoticum optimum; egregiè quoque hujusmodi ulcera, ex meliceria relicta incarnant, plenissimeque consolidant balsama, tum naturalia tum etiam artificialia, de quibus superius capite octavo satis dictum fuit. Plura qui videre voluerit, legat Galenum, Aëtium, Guidonem, Vigonem, Hollerium & alios. Ego enim nihil præter ea quibus cum successu usus fui, hîc in medium proferre constitui.

Cicatricem generat natura per se, nisi homidias ulceris obsuerit. Tollatur itaque eis, quæ insigniter exsiccant, sine mordicatione tamen. Hujusmodi sunt Alumen ustum per se, aut cerussa lota, calx decies lota, lapis calaminaris, lithargyrium, plumbum ustum, cornu cervi ustum, tutia, corallis præparatis, & similibus mixtum, & ulceri inspersum. Inter unguenta conveniunt ung. album Rhasis, camphoratum, unguentum pompholigos, unguentum de minio, unguentum de cerussa coctum, & diapalma; sequens quoque aqua insigniter exsiccat, & cicatricem inducit. præcipuè si intemperies aliqua calida partem læsam occupaverit.

R. Aq. *Plantaginis*
Rosarum
Caudæ equinæ an. ℥ij.
Tutiæ preparatæ, calcis decies lotæ
Cornu cervi usti & preparati
Lapidis calaminaris an. ʒj.

Misceantur in mortario & linteis reduplicatis, & in ea madefactis applicetur tepidè.

Qui in castris, medicamentis destituti, degunt, sequenti decocto uti poterunt.

R. Fol. & Rad. *Plantaginis*,
Fol. *Salicis*, *Quercus*
Pruni silvestris
Caudæ equinæ an. Mj.

Incidantur in minutissimas partes, & cum ℔iij. aquæ coquantur ad consumptionem tertiæ partis, applicetur tepidè linteis eo madefactis.

Cap. 16. *De symptomatibus Ichoris & Meliceriæ corrigendis, & primò de Febri.*

Meliceria cum affectus sit adeò gravis, ut plerumque symptomata plura negotii facessant Medico, quàm morbus ipse, operæ pretium esse duxi, si de eorum curatione in gratiam tyronum & præcipuè eorum, qui in locis à Medicis remotis vivunt, aliquid hîc annecterem. Inter symptomata autem nonnulla sunt acuta, reliqua minus acuta & veluti Chronica, & morbum ipsum comitantur, vel subsequuntur. Comitantur morbum dolor ingens, inflammatio, febris, vigiliæ, lipothymiæ, constipatio alvi, aut ipsius relaxatio immodica, ardor urinæ, & cacochymia. Externa sunt, veluti fungus ex læso articulo erumpens, atrophia totius corporis, vel partis læsæ, retractio nervorum, ulcera sordida, vel etiam cum carie ossis, labefactatio & imbecillitas partis affectæ, de quibus omnibus ordine & succinctè dicam, & primò de febri, dolor enim quomodo sedandus & inflammationes compescendæ sint, capite undecimo & decimo quinto ostensum fuit. Accidit febris præcipuè propter vehementiam atque diuturnitatem doloris, propter vigilias item, & quæ dolorem sequuntur, inquietudines, quibus de causis paulatim spiritus & humores circa cor incalescunt, intemperiemque calidam & præternaturalem in universo corpore, mediantibus arteriis & venis, excitant. Ex his facilè videre est, quomodo febri sit occurrendum, nimirum si causa ipsius tollatur & dolor sedetur. Sed ut decenti ordine fiant omnia, victus illa ratio capite 13. præscripta, exactè observanda est, corpus quo etiam à pravis humoribus expurgandum, & si plethora adfuerit, venam secare licet, de quibus quia capite 14. satis superque dictum fuit, ne actum agam, nihil hîc addam. A vino, uti in præcedentibus sæpius monuimus, abstineat æger, & bibat pro potu ordinario lac amygdalarum, aut decoctum Agrimoniæ & Veronicæ, Saccharo & Cinamomo aromatisato, sequenti quoque Julepio ardor febrilis arcetur:

R. *Aquæ boraginis*
Buglossæ
Acetosæ ana ℥ij.
Syrupi de succo Citronum, &
Granatorum ana ℥j.

Misceantur pro duabus dosibus, addendo spirit. Vitrioli guttul. duodecim; in castris loco prædictarum aquarum,

Accipe Agrimoniæ
Veronicæ
Acetosæ an. Mj.
Florum boraginis &
Buglossæ, si haberi poterunt, ana p. j.
Mellis ℥j.

Coquantur in libris VI. aquæ ad consumptionem tertiæ partis, Colaturæ adde succi berberorum ad saporis aciditatem. De hoc Julapio sumat æger bis terve in die. Quod si tussis aut angustia pectoris adfuerint, acidis abstinendum est, præcipuè à spiritu vitrioli, bibat itaque lac amygdalarum, aut sequens decoctum.

R. *Agrimoniæ*
Veronicæ ana M ß.
Flor. scabiosæ &
Tussilaginis ana p. j.
Liquiritiæ ʒiiij.
Mellis despumati ℥j.

Coquantur in ℔.6. aquæ fontanæ ad consumptionem tertiæ partis. Colatura aromatizetur drachmis tribus Cinamomi contusi. Carpis applicetur sequens epithema.

R. *Aquæ buglossæ*
Borraginis.
Melissæ
Rosarum ana ℥j.
Aceti rosacei ℥ß.
Specierum diatrion santali, ʒj.

Caphuræ ℈j. Misce; & linteis redoplicatis & madefactis applica. In castris accipe buglossam, boraginem, portulacam, lactucam & hujusmodi herbas refrigerantes, ex quibus prius cum aceto contusis, succum extrahe, & loco prædicti epithematis carpis applica.

Regio hepatis & renum ungenda est sequenti linimento.

R. Ol. *Nymphea*,
Rosarum ana. ℥j.
Cerati sandalini ℥ß.
Caphura dissol. in aceto rosac. ℈ß.
Misce.

Cap. 17.

Cap. 17. *De vigiliis & capitis dolore.*

Solent quoque ægri capitis dolore, & vigiliis torqueri, propter maximum enim æstum febrilem, vapores, qui ad caput ascendunt, membranas cerebri vellicant, dolores excitant, & somnum maximo ægri cum damno impediunt. Vigiliæ enim, ut testatur Hippocrates, si modum excesserint, malum. Quandoquidem intempestivæ vigiliæ concoctionem impediunt, cerebrum siccant, mentem & ingenium perturbant, & debilitant, nativum calorem humidumque radicalem consumunt, & nonnunquam morbos peracutos veluti delirium, phrenesin, mortem quin etiam inducunt. Quapropter summo studio in hoc laborandum est, ut causæ vigiliarum quamprimum tollantur. Ablata enim causa, tollitur etiam affectus, sunt autem illæ inprimis dolor, uti etiam ardor febrilis & acrimonia vaporum. Dolor quomodo sedandus, & æstus febrilis arcendus, antea satis dictum fuit, sequitur nunc quomodo vapores benigniores & mansuetiores reddantur, & deorsum trahantur. Fiet id tam internis quàm externis præsidiis. Internis veluti victus ratione & purgatione humoris peccantis, de quibus in præcedentibus. Vapores præterea benigniores reddunt & incrassant, somnumque clementer provocant sequentia.

R. *Aquæ lactucæ*
Et portulacæ ana ℥j.
Syrupi papaveris &
Syrupi de succo acetosæ ℥ß.
Specierum Diamargar. frigidi ℈j.

Misce, fiat potio, detur per duas horas post Cœnam. Aut

R. *Aquæ Nymphææ*
Cichorii ana ℥j.
Laudani grana tria
Conf. Alkermes ℈i.
Syrupi papaveris Erratici ℥ß.

Misce, fiat potiuncula, detur ut dictum. Acrimoniam quoque humoris peccantis obtundunt & somnum conciliant lac amygdalatum & emulsiones ex seminibus frigidis addito sem. papaveris albi. Item sequens Electuarium

R. *Conserva flor. Nymphææ*
Buglossæ, Boraginis, violarum an. ℥j.
Seminis papaveris albi
Portulacæ an. ʒß.
Diamargarit. frigidi &
Confect. Alkermes an. ℈ij.
Margar. præparatarum ℈j.

Misceantur & cum s. q. Syrupi de papavere, fiat s. a. Electuarium quo æger sæpè utatur ad castaneæ magnitudinem, & superbibat de suo decocto ex agrimonia & Veronica vel lacte amygdalatum. Enematibus præterea & suppositoriis vapores qui ad caput ascendunt, deorsum trahendi sunt, ubi sequens Clyster convenit.

R. *Foliorum Malvæ*
Betæ
Lactucæ
Helxines ana M. j.
Hordei mundati ℥ij.
Sem. anethi &
Anisi
Fœni græci an. ʒij.

Coquantur in s. q. aquæ ad consumptionem tertiæ partis in ℔. I. colaturæ dissolve.

Elect. Diacatholici ℥j.
Vitellos ovorum numero duos
Salis ʒj. *Olei violarum* ℥ij.

Misce, & fiat Enema. In castris ubi Elect. Diacatholiconis in promptu non est, augetur dosis salis, loco quoque Ol. violarum butyrum recens substituatur. Suppositoria fiant ex melle cocto cum sale aut sapone. Hæc de internis. Si internis istis præsidiis dolor capitis & vigiliæ non remiserint, externa quoque sunt adhibenda, inter quæ venæ sectio, cucurbitulæ & sanguisugæ numerantur. Quapropter si vires permiserint, & plethora adfuerit, secanda est vena, hæmorrhoides & menses si præter naturam suppressi fuerint, provocandi. Scapulis & applicentur cucurbitulæ primò siccæ, ut vocant, deinde etiam cum scarificatione. Ne id tamen fiat in Laconico prospiciendum est. Ad divertendam materiam ad caput ascendentem adhibent nonnulli frictiones, sed malè meo quidem judicio. Sanguis enim & humores, ex frictionibus magis magisque incalescunt, & acriores redduntur. His si dolor capitis non remiserit, inungenda sunt tempora & frons, Oleo Rosaceo. Aut

R. *Unguenti populeonis*
Olei rosacei ana ℥ß.
Opii dissoluti in aceto gran. iiij. *Misce.*

Cap. 18. *De Lipothymia.*

Accidit lipothymia sive deliquium animi in Ichore & Meliceria, propter doloris vehementiam atque diuturnitatem: propter vigilias item & inquietudines. Hæc enim & spiritus vitales, humidumque innatum absumunt, facultatemque cordis prosternunt. Accidit & nonnunquam lipothymia propter vapore in aliquem malignum & putridum ex parte affecta per arterias ad cor ascendentem facultatemque vitalem labefactantem, vidi id in militis, præcipuè juvene quodam Bernensi, Filio Dn. Mattæi Keller, cujus mentio facta fuit capite septimo.

Curationem quod attinet in primis instituenda est victus ratio ex cibis euchymis & plurimum nutrientibus, uti sunt juscula ex vitellis ovorum, cum pauco vini albi & georoli, nisi febris vehemens fuerit. Item dentur juscula carnium recentium, caponum, gallinarum, & pullorum, cum quibus coquantur flores buglossæ, boraginis aut calendulæ, Cinamomum, Macis & hujusmodi. Si propter Cacochymiam totius, vapores putridi ad cor ascenderint, clementer expurgandum est corpus, quibus remed is id fieri debeat, in præcedentibus satis superque dictum fuit. Exhibenda quoque sunt medicamenta quæ cor partesque nobiles roborant, & à malignis vaporibus defendunt, qualia sunt lapis Bezoar, cornu cervi usti & præparati, coralli & margaritæ, confectio Alkermes, de hyacintho, Theriaca, Mithridatium, aqua Cinamomi & similia. Aut paretur sequens potiuncula, de qua exhibetur frequenter ex cochleari.

R. *Aquæ buglossæ*
Melissæ
Rosarum an. ℥j.
Aq. Cinamomi sine vino distillata ℥ß.
Confect. Alkermes ℈ij.
Cornu cervi usti & præparati ʒj.

Syrupi papaveris Erratici, (mirum enim in modum vitales spiritus recreat.)

Syrupi de succo citronum ana ℥j.

Misce, fiat potio. Carpis sequens applicetur Epithema.

R. *Aquarum Calendulæ.*
Boraginis
Melissæ
Rosarum an. ℥iß.
Aceti rosacei, &
Vini Malvatici an. ℥j.
Spec. Diatrion santal.
Diamargariti frigidi an. ʒß.
Caphuræ &
Croci an. ℈ß.
Misce, fiat Epithema.

Libentius enim Epithemata carpis quam regioni cordis applico. Quandoquidem facultas medicamenti carpis applicati, faciliùs per arterias ad cor pervenit, quàm si regioni cordis, ubi vasa satis sunt exigua, admotum fuerit. Deinde frequenter ex incuria adstantium linteamina Epithemate madefacta refrigescunt, maximo cum damno ægri: præsertim in peste, aliisque morbis venenosis. Frigus enim illud externum præterquam quod pectori adversissimum, etiam materiam actem, & vapores malignos, ad perspirationem paratos, retrorsùm pellit, fontemque caloris facultatisque vitalis destruit. Labia quoque, nares, & tempora eodem Epithemate fricentur. In maximis præterea & frequentibus vitalium spirituum labefactationibus, Regioni cordis & ventriculi sequens Empiastrum applicari poterit.

R. *Micæ panis triticei* ℥iij.
Pistaciarum &
Amygdalarum dulcium an. ℥j.
Specierum Lætificantis Galeni
Et diamoschi dulcis an. ℈ij.
Croci ℈j.

Misceantur, & probè pistentur in mortario, addendo aquæ Cinamomi & aquæ rosarum ℥j. jusculi caponis q. s. fiat pasta, quæ extendatur super alutam & applicetur tepidè.

Qui in castris artem exercent, & medicamentis destituti sunt, Æstatis tempore sequens Epithema præparare poterunt.

R. *Foliorum & Florum boraginis*
Buglossa
Melissæ ana quantum volueris. Incidantur & pistentur, addendo parum aceti & aquæ rosaceæ, si in promptu est. Exprimantur validè, Colaturæ adde parum Cinamomi & nonnihil croci. Applicetur tepidè carpis.

Cap. 19. *De Alvi constipatione.*

Alvus constipatur in ichore & Meliceria laborantibus, tum propter diuturnum decubitum in dorso, & æstum febrilem, tum etiam propter facultatis expultricis imbecillitatem, quæ sæpissimè in hujusmodi ægris concurrere solebant. Propter decubitum enim & calorem maximum febrilem non solùm excrementa exsiccantur, verùm etiam facultas expultrix ita labefactatur, ut suo officio fungi non possit. Porrò cum ex hujusmodi constipatione alvi reliqua symptomata, veluti febris, dolor capitis, vigiliæ, delirium, nausea, cibi fastidium, & hujusmodi, mirum in modom exacerbantur, propterea quod viscera, hepar inprimis, & sanguis in ipsis venis incalescit, & proinde vapores ex infimo ventre sursum elevantur, partesque nobiles feriunt, videat Chirurgus, ut alvus sit lubrica, conveniunt itaque jusculа, in quibus spinachia, attriplex, beta, folia rhabarbari monachorum, mercurialia, & similia coxerint, quibus butyrum recens, & sal q. s. addantur. Aut accipe pruna Damascena numero sex, coquantur in aqua admixto saccharo ad libitum ægri, inter coquendum adde foliorum sennæ in linteo mundo ligatorum drachmam unam, cremoris tartari, & sem. anisi an. ℈j. sumantur cum jusculo suo duabus horis ante prandium. Conveniunt quoque suppositoria ex melle & sale, aut sapone Veneto, vel infundatur Enema sequens.

R. *Radicum & foliorum althea*
Malvæ
Violarum
Mercurialis an. M. ß.
Florum Chamomillæ
Meliloti
Sambuci an. p. j.
Seminis anisi
Fœniculi
Lini an. ℥ß.

Coquantur in aqua ad consumptionem tertiæ partis in ℔. j. Colaturæ dissolve Elect. diacarhol. & sacchari rubri ana ℥j.

Vitellos ovorum numero duos
Ol. Chamomill. Et
Anethini an. ℥ij.

Misce, fiat enema, quod iteretur quotiescunque necesse videbitur.

In castris, ubi plerumque medicamenta omnia deficiunt, præsertim hyemali tempore,

R. *Decocti brassicæ subrubræ* ℔. j.
Butyri aut ejus loco axungiæ porcinæ vel Ol. nucum aut raparum ℥ij.
Salis pugillum unum.

Vitellos ovorum numero duos. Hoc enemate sæpissimè cum maximo cum fructu usus fui. Quòd si nonnulla ex supra dictis, veluti flores aut semina carminativa, in promptu fuerint, addantur quoque, & præstantius erit medicamentum. Ubique itaque locorum, imò quovis etiam tempore, Deus suppeditat medicamenta, quo urgente necessitate ægris opem ferre possimus. Sed nonnunquam instrumentum, quo infundi possit Clyster, desideratur, uti aliquando mihi contigit. Ubi tamen parvo cum negotio ex ligno sambucino, aut nuceo, mihi cannulam paravi, & vesicæ bovinæ aut porcinæ alligavi.

Cap. 20. *De immodico alvi fluore.*

Propter vehementiam symptomatum, quę ægros excruciare solent, inter quæ præcipuum & omnium maximum est, dolor, quemadmodum antea persæpè dictum fuit, viscera omnia, & inter alia quoque nutritioni inservientia, nonnumquam ita labefactantur, ut cibum, usque dum à calore innato & facultate concoctrice probè sit coctum, retinere non possint, sequiturque fluxus alvi immodicus, qui plerumque in Lienteriam, nonnunquam quoque in Dysenteriam periculosam transit. Propter Febris enim vehementiam, maximamque intemperiem calidam hepatis, major pars sanguinis in flavam bilem convertitur, & singularem acrimoniam acquirit. Si itaque hujusmodi biliis ad intestina decumbit, facultatem expultricem præter modum irritat, intestina quin etiam nonnunquam erodit, & dysenteriam procreat.

Si ab initio morbi, cum vires adhuc constant, fluxus alvi supervenerit, non illicò, nisi in dysenteriam transierit, sistendus est. Hoc enim modo multi humores pravi simul evacuantur, maximo cum fructu ægri. Si verò in statu, aut quovis alio tempore, cum vires propter doloris vehementiam & diuturni-

turnitatem sunt prostratæ, & humidum radicale à calore febrili exhaustum, supervenerit, periculo non vacat; vires enim magis magisque absumuntur; tandemque planè prosternuntur, præcipuè si febris quoque adfuerit. Digestio præterea & consolidatio vulneris retardatur, omniaque symptomata ingravescunt, & ut plurimùm cachexia, Ictericia, vel etiam hydrops sequuntur. Diligentia itaque adhibenda est, ut fluxus ille immodicus sistatur. Fiet id si Principalis, dolor videlicet, ablatus, victus quin etiam ratio conveniens, ac reliqua omnia debito modo adhibita fuerint. Dolor quibus sedandus, capite 15. & alibi satis superque dictum fuit. In victus ratione præter ea, quæ cap. 13. tradidi, hæc sunt observanda; videlicet, si tormina & dolores intestinorum ingentes fuerint, uti fit, si fluxus alvi in Dysenteriam transit, eum sedandum esse addito jusculo butyro recenti, & oleo amygdalarum dulcium, aut pinguedine castratorum liquefacta, lumbricos terrestres, lotos & concisos, cumque carne castratorum coctos; si ægro eorundem juscula exhibita fuerint, mirum in modum dolores & tormina ventris, præcipuè dysentericorum compescere, læpissimè expertus sum, de quibus videat lector tractatum nostrum de Dysenteria cap. 7. Poterunt quoque cum carne coqui radices tormentillæ, bistortæ vel eryngii marini. Pro potu bibat lac amygdalatum, aut prisanam, in qua radices tormentillæ, aut bistortæ coxerint, vel

R. *Agrimonia* M. j.
Veronica M. ß.
Rad. *Bistorta, Liquiritia &*
Rasura cornu cervi ana ℥ ß.

Coquantur in ℔. 9. aquæ fontanæ, donec tertia pars sit absumpta, idque fortissimo igne & in vase aperto. Herbæ autem & radices ut sint exsiccatæ, necesse est. Recentes enim decoctum reddunt ingratum. Decoctum aromatizetur Cinamomo, in poculo stanneo, quemadmodum dictum fuit cap. 13. Post pastum utetur æger conservâ rosarum antiquâ, aut Mivâ Cidoniorum pro corroboratione ventriculi, & partium nutritioni inservientium, aut paretur sequens Electuarium.

R. *Conserva rosarum.*
Consolida majoris ana ℥j.
Cornu cervi usti prap.
Corallorum praparatorum an. ʒj.
Tormentilla subtilissimè pulv. ℈j.

Confectionis Alkermes, mirificè enim partes omnes nobiles roborat, & vires instaurat ʒiß. Misceantur in mortario, addendo syrupi de rosis siccis q. s. fiat conditum, de quo sumat æger frequenter ad nucis juglandis magnitudinem. Cum jusculis exhiberi poterit sequens pulvis.

R. *Terra sigillata*
Cornu cervi usti & praparati
Corallorum praparatorum
Radicum bistorta ana. ʒj.
Genitale Cervi exsiccatum, & scalpro aut lima abrasum & comminutum ʒj.

Misceantur, fiatque pulvis, de quo detur à scrupulo uno ad drachmam, vel drachmam unam & semis.

Si vires permiserint, & fluxus alvi ex materia acri ad intestina delapsa originem traxerit, expurgandus est ante omnia. Ubi sequens potiuncula ex usu esse poterit.

R. *Rhabarbari Electi* ℈ij.
Myrobalanorum Citrinorum ℈ij.
Syrupi de Cottoneis ℥j.
Aqua Cinamomi ʒij.

Cum decocto radicum & foliorum plantaginis fiat potiuncula.

Si verò fluxus alvi ex prostratione virium, & facultatis retentricis imbecillitate fuerit, purgantia nullum habebunt locum. Dolor ventris si magnus fuerit, emulsiones seminis papaveris albi, & amygdalarum dulcium, syrupus quin etiam de papavere, Laudanum & hujusmodi conveniunt. Venter inungendus est oleo Cydoniorum, rosarum, aut Myrtillorum. Plura videat Lector in Tractatu nostro de Dysenteria.

Cap. 21. *De Ardore urinæ.*

EX maxima illa intemperie calida hepatis, multum humoris biliosi in hepate generari, præcedenti capite dictum fuit. Ille si per Cholodochum ad intestina defluit, fluxum alvi excitat, sin cum sero ad renes & vesicam pervenerit, ardor urinæ, sive mixtio ardens sequitur, quæ intolerabiles quandoque cruciatus, & inter mingendum præcipuè, excitat, & ita quidem, ut febris, vigiliæ, inquietudines, reliquaque symptomata omnia inde adaugeantur; summa itaque adhibenda diligentia, ut ardori isti protinus occurratur. Fiet id tam internis quàm externis medicamentis. Interna sunt, velut victus ratio, evacuantia; & alterantia, de quibus ordine. In victus ratione omnia illa, quæ cap. 13. commemorata fuerunt, hîc quoque diligenter sunt observanda. Inprimis autem cremor hordei, avena decorticata. Juscula item carnium recentium, in quibus alterantia & refrigerantia, veluti acetosa, borago, buglossa, folia violarum & malvæ, portulaca, lactuca, cichorium, agrimonia, & similia cum butyro recenti) aut oleo amygdalino incoxerint, summoperè conveniunt. Interea quæ ardorem urinæ leniunt, vitellum ovi, non infimum locum obtinet, quapropter jusculis admisceri convenit. A vino planè abstineat, cujus loco lac amygdalinum, prisanam, aut decoctum betonicæ, agrimoniæ, veronicæ & liquiritiæ, antea capite 13. præscriptum, bibat, loco tamen mellis nonnihil syrupi de althea Fernelli admisceri poterit: serum lactis quoque convenit, humorem enim biliosum contemperat & hepar refrigerat. Aër sit temperatus. Frigidus enim etsi in hoc symptomate convenire videatur, vulneribus tamen nervorum, ut superius quoque dictum fuit, mirum in modum obest. Interim tamen ab aëre calido, omnibus quæ corpus, humores & sanguinem vehementer possunt accendere, uti & à vehementi motu corporis, omnibusque accidentibus sive perturbationibus animi, & inprimis irâ, abstineat æger. Propter iram enim, calor qui juxta cor est, ut testatur Galenus lib. de causis morborum, & proinde sanguis ipse in venis, effervescit, acrimoniam acquirit, & cum impetu ad partem exulceratam, veluti debiliorem, & proinde defluxionibus magis obnoxiam decumbit. Vidi id Anno 1623. Mense Januario, in Generoso quodam 40. circiter annorum ætatis, constitutione planè bilioso, & ulcere fistuloso in perinæo à longo tempore laborante, cui (cum in tota præscripta victus ratione peccasset) bilis adeò ad vias urinarias defluxit, ut cum ipsi venam in cubito secuissem, & ad uncias sex aut septem sanguinis extraxissem, ne guttula quidem bilis in sanguine conspecta fuerit. Dolor erat maximus, qui inter mingendum incœpit, & ad duas circiter horas post mictionem continuavit, deinde ad proximam usque mictionem nullus ferè erat dolor. Tandem ex infima

parte

parte scroti ruptâ interius vomica, & per priorem fistulam copiosè evacuata materia purulenta, plenissimè convaluit præter fistulam, cujus consolidationem non exposcit. Cum urina enim quotidie multi humores excrementitii, ex superioribus partibus maximo ipsius commodo evacuantur.

Duo autem in hoc casu annotatione digna occurrerunt. Primò, quod diutius, quam in ardenti mictione fieri solebat, urinam retinere potuit, ipsamque nonnisi bis in die, videlicet circa sextam matutinam & quintam vespertinam excernebat. Deinde quoque, quod neque doloris vehementia, neque puris generatione in perinæo ulla excitata fuerit febris.

Potiò evacuantia omnia leviora esse debent, fortiora enim purgantia, uti sunt, qui ex copioso scamonio, colocynthide, & hujusmodi præparantur, qui viscera & humores inflammant, malum exacerbare solent. Laudatur Cassia, reliquisque medicamentis in ardore urinæ à practicis præfertur; verùm propter vim diureticam, qua prædita est, persæpè dolorem augeri, ab ægris observatum est. Retulit mihi aliquoties Illustris ac Generosus *Dn. Zacharias Geitzcoffler* à Geilenbach &c. p. m. cum Anno 1610. Haunsheimii in extractione calculi operam meam ipsi præberem, se persæpe Cassiam in affectu suo sumpsisse, sed nunquam cum fructu. Testatur id quoque in epistola quadam ad me scripta, & Centuriæ primæ Epistolarum mearum inserta. *Petrus Pigray* Chirurgus Regius, Vir eruditione & experientia insignis, idem de Cassia observasse, ex capite quarto lib. 7. Chirurgiæ suæ apparet, ubi Cassiam calculosis advertissimam esse scribit, loco itaque Cassiæ ægro frequens potiuncula exhiberi poterit.

R. *Radicum polypodii*, *Acetosa*,
Liquiritia an ℨij.
Passularum enucleatarum ℥ß.
Prunorum numero 6.
Trium florum cordialium an. p. j.
Seminis anisi ʒj.
Foliorum senna ℨij.
Hordei p. j.

Coquantur in aqua, donec colatura redeat ad uncias tres, in quibus infundantur & macerentur per noctem

Rhabarbari electi ʒj.
Turbith Electi &
Cinamomi an. ℈ij.

Mane post unicam aut alteram ebullitionem fortiter exprimantur, addanturque syr. rosati solutivi simpl. ℥j. Misce, fiat potio. Aut

R. *Radicum Cichoris, corticum interiorum radicum frangula an.* ℥ß.
Foliorum Agrimonia
Lactuca
Cichorii an. p. j.
Tamarindorum &
Passularum enucleatarum an. ℥ß.
Foliorum senna ℨij.
Sem. Anisi, &
Sem. Carthami an. ʒj.

Coquantur in aqua, ut colatura redeat ad uncias duas, in quibus infunde Rhabarbari ʒ.ß. Cinamomi & cremoris tartari ℈j, maneant in infusione horas octo, expressione fortiter facta, adde Syrupi de cichorio cum rhabarbaro ℥j.

Pueris & delicatioribus detur syrupus rosatus solutivus, compositus cum rhabarbaro, agarico & senna per se, aut addito scrupulo uno Electuarii de succo rosarum.

Aut

R. *Manna Electa* ʒvj.
Elect. de succo rosarum ℈ij.
Syrupi de Cichorio cum rhabarbaro ℥ß.
cum jusculo carnis rec. fiat potiuncula s. a.

Aut

R. Guttæ Gamand. à granis quatuor usque ad octo, secundum tolerantiam ægri, cremoris tartari subtilissimè pulverisati ʒß. coquantur parum in jusculo carnis, aut aquæ lactucæ & cichorii, & fiat potiuncula, addendo parum syrupi rosati solutivi simplicis, ad libitum ægri. Convenit quoque vomitus, præsertim eis, qui ad vomendum parati sunt, potenter enim bilem ad superiora repellit. Provocetur itaque aqua tepida, cum oleo vel butyro, & gulæ immisso digito vel penna.

Aut

R. *Decoctionis radicum raphani* ℥x.
Syrupi acetosi simplicis ℥j. Misce fiat vomitorium, sumatur tepide & provocetur vomitus, gulæ immisso digito, ut dictum.

Aut

R. Rad. *Asari* ʒj.
Agarici ℈j. ß.
Decoquantur parum in aquæ hordei ℥x.
Colaturæ adde oxymelitis simp. ℥j. Sumatur ut dictum.

Prodest etiam venæ sectio, si vires adfuerint. Hippocrates in dysuria interiores venas malleoli incidere jubet. Illud tamen, inquit Varandæus lib. de aff. ct. Renum & vesicæ cap. 7. fit potius vacuationis particularis causa, ex parte jam Inflammata, quàm refrigerationis totius corporis, & revulsionis, quæ hic valde est necessaria, fitque ex vena cubiti dextri, propter situm hepatis. Hæmorrhoides quoque in consuetis provocandas esse, suadet Platerus Tract. 3. c. 10. mihi pag. 851.

Purgato corpore alterantia, quæ refrigerando intemperiem calidam hepatis, & acrimoniam humosis biliosi ad renes viasque urinarias defluentis, corrigunt, propinanda sunt.

Laudatur ab aliquibus lac recens emulctum, admodum enim lenit, & si excoriatio aliqua facta fit ab urina, eam sanat. Diligenter tamen in exhibitione lactis observandæ sunt regulæ, quæ Hippocrates nobis reliquit lib. 5. Aphorismo 64. sic inquiens. Lac dare caput dolentibus, malum; malum verò & febricitantibus, & quibus hypochondria suspensa murmurant, & siticulosis, &c. Facilè enim acescit & corrumpitur in ventriculo promptèque in bilem vertitur, & caput ferit. Præstat itaque exhibere lac amygdalarum & seminum frigidorum majorum, quibus addatur sem. papaveris albi. Dolorem enim & ardorem urinæ compescit. Aut

R. Aq. *Lactuca*,
Portulaca
Cichoris an. ℥j. ß.
Syr. *de papavere*, &
Syr. *de althea an.* ℥j. Misce, fiat julapium pro duabus dosibus, in aurora, & duabus horis post cœnam sumendis.

Aliud.

R. Fol. *Agrimonia*
Veronica an. M ß.
Flor. *Cordialium an. p. j.*
Flor. *Violarum*
Malva, &
Althea an. pij.
Coquantur in sero lactis optimè depurato, ad tertiæ

partis

partis consumtionem. In libra una colaturæ dissolve syrupi violarum,

Syr. de Althea, &

de Papavere an. ℥j. Misce, fiat Julapium; de quo æger bibat frequenter & quidem ad libitum, in maximo ardore urinæ, ubi dolor intensus est, sæpissimè ad narcotica confugere coactus est Medicus, ut

R. *Laudani grana tria*

Syr. de Althea ʒß.

Confectionis Alkermes (spiritus vitales, propter doloris vehementiam labefactatos, instaurat) ℈j. Cum s. q. aquæ lactucæ fiat potiuncula, detur duabus horis post cœnam.

Regio renum ac lumbi inunguntur ol. rosaceo, violarum, amygdalarum dulcium, Nymphæ, ungu. rosato & similibus, Aut

R. *Ol. Violaces* &

Nymphes an. ℥j. ß.

Ung. *Rosatei* ℥j.

Mucilag. sem. Cydoniorum. extr. aq. rosac. ʒß.

Caphura dissol. in aceto rosac. ℈j.

Misceantur in mortario fiatque unguentum, quo regio hepatis & renum inungatur. In maximo ardore hepatis.

R. *Aqua Agrimonia*

Veronica

Cichorii an. ℥ij.

Aqua Absinthii

Aceti an. ℥j.

Specierum Diamargariti frigidi &

Diatrion santali an. ʒj.

Caphura diss. in aceto rosac. ℈j.

Misce, fiat epithema, quod tepidè regioni hepatis applicetur linteis in eo madefactis. Carpis quoque, ad temperandum cordis calorem, simul applicari poterit.

In maximo ardore urinæ & cruciatu inter mingendum, ardorem compescit, & dolorem lenit insessio, sive semicupium hunc in modum factum.

R. *Radicum* & *foliorum malva, althea,*

Violarum, florum Chamomilla,

Meliloti an. m j.

Sem. lini,

Fœnigraci,

Anethi an. ℥j.

Incidantur, contundantur & coquantur in aqua pro semicupio.

Cap. 22. *De Cacochymia, & ejus curatione.*

DUplicia esse symptomata in Ichore vel Melicoria, videlicet acuta & chronica, antea cap. 6. dictum fuit. Acuta morbum comitantur: subsequuntur Chronica. De illis in præcedentibus breviter dictum fuit, sequitur nunc de reliquis, inter quæ cacochymia primum occurrit. Quæ nihil aliud est, quàm vitiosa humorum qualitas, Testatur id Galenus lib. 13. Meth. Med. c. 6. Ubi cacochymiam ita describit, ubi inquit, flava bile, vel nigra, vel pituita, vel serosis humoribus refertum corpus est, eum habitum cacochymiam vocant. Non solùm autem in quantitate humores isti in cacochymia abundare, verùm etiam in qualitate, iterum docet Galenus lib. 3. de temperamentis, cùm in multis cacochymiam ex pravis & vitiosis cibis, aliis ex corruptela & putredine fieri scribit.

Causa primaria & principalis hujus mali, est ventriculi summa imbecillitas, item viscerum naturalium, hepatis, lienis, & venarum mesaraicarum obstructio, atque labefactatio, quæ omnia ægro accidunt, in Meliceria præcipuè, propter doloris vehementiam atque diuturnitatem, inprimis si malum partes corporis quæ sub umbilico sunt, occupaverit, quemadmodum capite quinto dixi. Propter doloris enim vehementiam non tantum vigiliæ, & inquietudines supervenient, verùm etiam operationes omnes naturales, quæ dormiendo perficiuntur, retardantur. Somnum enim ad concoctionem plurimùm conferre, testatur Galenus multis in locis, præcipuè lib. 1. de alimentis cap. de tritico, ubi hæc habet verba. Quod autem eorum plerique, qui se confecerunt laboribus, minus à pravis cibis læduntur, ea causa est, quod iis somni sunt profundiores, quæ res ad coctiones multùm ipsis affert momenti. Et lib. 4. de tuenda sanitate. Nihil æquè concoquit, aut malos succos discutit, ut somnus, inter dormiendum itaque non solùm cibus in ventriculo concoquitur, & in chylum convertitur, verùm etiam fit separatio & transmissio chyli ad hepar. Ubi secunda perficitur concoctio, segregatio item excrementorum & ad omnes partes corporis sanguinis distributio. In quibus demum fit tertia & ultima concoctio & segregatio, ita ut optimus sanguis in nutrimentum partium cedat, excrementitius verò humor veluti excrementum, per poros, emunctoria, aliqua ad id destinata loca expellatur. Ex his manifestum fit, dolorem præcipuam esse causam, cur pravi humores in ægris, Ichore laborantibus generantur. Cùm enim propter ipsius violentiam, & vigiliarum diuturnitatem, concoctiones, segregationes & distributiones non perficiantur, corrumpitur cibus in ventriculo, & Chylus semicoctus ad venas mesaraicas, & hepar ipsum à chylo isto crudo, crasso & semicocto obstruuntur, inde febres, scirrhi hepatis, & lienis, calculi renum, vesicæ, aliarumque corporis partium, icteritia item & hydrops subsequuntur.

Cacochymiam quoque procreat & adauget prava victus ratio. Inprimis autem adversissima sunt omnia, quæ difficulter coquuntur, & chylum viscosum reddunt, qualia sunt extremitates animalium, caro salita & fumo exsiccata, legumina, caseus & similia. Cacochymiam quoque adaugent decocta traumatica sive vulneraria; propter insignem enim vim exsiccandi, quà prædita sunt, materiam viscidam in visceribus exsiccant & indurescunt, uti cap. 7. fusius dictum fuit.

Cacochymia autem semper præcedit cachexiam, de qua Cœlius Aurelianus lib. 3. de morb. Chron. c. 6. hæc habet verba. Cachexia nomen sumpsit à corporis habitu malo, Cacian enim vitium vel vexationem Græci vocaverunt, hexin habitudinem. Quum enim viscera naturalia ut antea dixi, officio suo fungi non possunt, sanguinem quintetiam ad nutritionem aptum, procreare non possunt, fit ut excrementa & superfluitates quamplurimæ generentur, sequiturque primò Cacochymia, hoc est, humorum vitiosa qualitas, quæ si non tollatur, in cachexiam transit, quæ sic cognoscitur. Calor cutis subalbidus, aliquando etiam plumbeus est, tardus ac piger fit motus corporis, cum inflatione inani. Aliquibus etiam ventris fluor, cum febricula latente, quæ circa vesperam magis augetur, supervenit, pulsus creber ac densus, angustia pectoris & cibi fastidium adest, & plerumque omnes à carne recenti abhorrere solent. Nonnulli vinum, alii magis aquam putam appetunt. Urinæ ut plurimum crudæ conspiciuntur.

Porrò

Porrò quum cacochymia principium sit gravissimorum morborum, & plerumque in ictericiam & hydropem transeat, uti superius dictum fuit, videat Chirurgus, ne quicquam eorum, quæ necessaria sunt, intermittat, ut itaque Medicum aliquem doctum, & in operibus Medicis exercitatum, in consilium advocet, etiam atque etiam necesse est. Id tamen quia ubique locorum & præsertim in castris fieri non potest, in gratiam & ægrorum & Chirurgorum pauca hæc adscribere volui, quæ ut benevolus lector benignè interpretari velit, summopere rogo.

A victus autem ratione curatio inchoanda est, quæ talis esse convenit, ut non solùm corpus nutrire, verùm etiam loco medicamenti inservire possit. Aer, si fieri potest, temperatus sit, ad calorem & siccitatem aliquo modo vergens, adversissimus est frigidus, non solum enim poros claudit, & perspirationem impedit, sed & membrum, nervosaque omnia, quæ antea ab Ichore excruciata fuere, debilitat. Præcipuè si ulcera adfuerint. Testatur id Hippocrates multis in locis, præcipuè l. 5. aph. 17. 18. & 20. Aer præterea summè calidus, quia sanguinem & humores acres efficit, & insitas facultates & vires partium dissolvit, viscidamque materiam visceribus inclusam exsiccat, obstructionesque magis magisque adauget, vitandus est. Quoad cibum, perpendendum est primò, ventriculum, omniaque viscera nutritioni inservientia propter præcedentes dolores, vigilias, & æstum febrilem, ad summam labefactionem & imbecillitatem redacta esse. Abstineat itaque æger ab omnibus, quæ difficulter concoquuntur & succum crudum crassumque generant, qualis est panis sine fermento, omniaque in sartagine, butyro aut oleo frixa. Noxia quoque est caro bubula & porcina sale condita & in fumo siccata, caro item ferina præcipuè leporina, Cervina, Ursina, aprina, & avium in aqua viventium, caseus item, lac & lacticinia omnia, præter butyrum. Pisces salsi, & qui in stagnis & limo vivunt. Adversissima sunt legumina omnia, jure tamen lentium & pisorum uti poterit æger, ut postea dicam. Ab acetariis quoque & fructibus crudis & horariis abstineat. Nutrimenti enim nihil, multùm verò excrementi procreant.

Secundò abstineat æger ab omnibus, quæ insigniter & præter modum sanguinem & humores excalefaciunt & adurunt, hujusmodi enim, sive medicamenta sive alimenta fuerint, non solùm alvum siccam reddunt, verùm etiam humores viscosos in venis mesaraicis, & hepate infarctos exsiccant, omniumque viscerum obstructiones magis magisque adaugent. Sunt autem illa inprimis salsamenta omnia, uti quoque aromata, & præcipuè calida usque in tertium & quartum gradum, qualia sunt piper, zinziber, caryophylli, cardamomum, piper ut vocant Hispanicum, allium quoque, porrum, cepæ, raphanus, & sinapi, nisi in exigua quantitate fuerint sumpta, nocent, inter aromata conveniunt cinamomum, macis, nux moschata, & crocus.

Tertiò consultè caveat æger, ne glutinosis utatur cibis, ex viscosis enim cibis viscosus provenit chylus, qui postea venis tam Lacteis, quam hepatis includitur, omniumque viscerum obstructiones adauget. Extremitates itaque & intestina animalium omnium, uti quoque caro vitulina & aguina (mucilaginoso enim succo prædita sunt) pisces absque squammis, aut qui in stagnis vivunt, caseus, lac & lacticinia, præter butyrum in omnibus morbis longis, minimè conveniunt. Quapropter non video, quomodo hujusmodi alimenta viscosa, præcipuè extremitates animalium, absque insigni detrimento in fracturis ossium ægris offerri possunt. Ex eis enim chylus viscosus generatur, qui venas Mesaraicas & hepar ipsum obstruit. Sanguis verò, qui ex ipso producitur, quia viscosus est, nonnisi cum difficultate pro nutritione partium distribuitur, imminuto itaque calore nativo propter penuriam alimenti, sanguis ille viscosus in venis putrescit, variaque symptomata procreat. Cujus rei exemplum annotatione dignum vidi. Nobili cuidam Juveni, & optimo corporis habitu prædito, ex familia Helvetica haud obscura oriundo, cum anno 1608. in Galliis os femoris in medio confractum & comminutum fuisset, cum ingenti contusione & dilaceratione musculorum, per multos menses lecto affixus permansit. Interim à Medico quodam docto, Chirurgo quin etiam doctrina & experientia claro, curatus fuit, & quidem ex arte, & eâ quâ potuit, diligentia. Interim tamen, ut de gravissimis symptomatibus, quæ ab initio morbi supervenerunt, taceam, post multos etiam menses, ne dicam annos, propter obstructiones gravissimas hepatis & lienis, quas in morbo contraxerat, diversis & & gravissimis affectibus, scirrhis videlicet hepatis & lienis, febribus tertianis & quartanis, ictéria & similibus excruciatus fuit. Ego tandem cum in consilium adhibitus fuissem, & multa tam externa quàm interna præsidia adhibuissem, & thermis piperinis alia quoties usus fuisset æger, restitutus fuit, & in hunc usque annum 1630. bona valetudine fruitur. Præcipuam autem causam obstructionis viscerum tantorumque gravissimorum symptomatum, ad usum alimentorum viscosorum referendum esse arbitror. Per menses enim novem & decem quotidie cibis viscosis usus fuerat. Quapropter ægris meis nutrimentis viscosis semper interdixi, nihilominus tamen fracturas multas & quidem maximas, etiam in magnatibus, feliciter, & cum laude curavi. Hæc obiter, & præter institutum, in gratiam tyronum monere visum fuit. Plura videat Lector Obl. 92. Cent. 1.

Quartò videat æger, ut ab omnibus cibis, facilè putrescentibus abstineat, uti sunt fructus horarij, videlicet Cerasa dulcia, pruna recentia, persica poma, cucurbitæ, melones, uvæ recentes, mustum, & hujusmodi, qui concoctionem ventriculi impediunt, calorem nativum debilitant & imminuunt, succumque crudum & putridum procreant.

Postremò danda est opera, ne cibus aut potus cacochymicorum sit astringens & exsiccans, hujusmodi enim non solum alvum siccam reddunt, verùm etiam vias constringendo, materiamque viscidam in visceribus exsiccando, obstructiones adaugent, hujusmodi autem sunt legumina, caro ferina, de quibus in prima classe quoque dictum fuit, Nuces quin etiam, amygdalæ, castaneæ, mespila, Corna, pruna sylvestria, sorba, uvæ, & fructus omnis immaturus. Farina quoque avenacea, apud nos usitatissima, propter torrefactionem, quia insigniter exsiccat, minimè convenit. Cotonea autem etsi astringunt, post pastum tamen sumpta summoperè conveniunt, Ventriculum enim corroborant, & digestionem promovent. Utatur itaque æger cibis, quæ facilè concoquuntur, succum quin etiam laudabilem procreant, neque excrementorum proventum faciant. Hujusmodi sunt carnes recentes, veluti bovina, vervecina, item caro Gallinarum, pullorum, alaudarum, columbarum, perdicum, ficedularum & avium in arboribus degentium. Conveniunt quoque ova recentia & ex ipsis præparata edulia. Cum carne coquendæ sunt herbæ, quæ intemperiem hepatis corrigunt. Quapropter si intemperies internarum partium ad-

fuerit calida, tunc lactuca, endivia, Cichorium, ſpinachia, Cerefolium, & portulaca conveniunt. Sin calor nativus viſcerum propter vehementiam ac diuturnitatem morbi proſtratus fuerit, refocillandus eſt eis, quæ mediocriter calefaciunt, quapropter ſalvia, roſmarinus, Majorana, folia, & baccæ lauri, mentha, betonica, & hujuſmodi cum carne cocta, conveniunt, Macis quoque, Crocus, Cinamomum, nux moſchata, cortices arantiorum & citronum cibis additæ, calorem innatum refocillant. Inſtaurant quoque calorem innatum, & humidum radicale adaugent Vitella ovorum, ſi in juſculo carnis diſſolvantur. Etiamſi legumina nutrimentum craſſum reddant, juſculo tamen piſorum & lentium, cum butyro recenti, ſale, & nonnihil macis vel croci, cocto, uti poterit æger, uti quoque cremore hordei, & avenæ decorticatæ. Conveniunt & ſorbitiunculæ ex vitellis ovorum, cum vino & aquæ præparatæ, addito ſacchato, Cinamomo & croco; tempore Veris holuſcula herbarum recentium, veluti Cerefolii, fœniculi, ſpinachiæ, betonicæ, foliorum urticæ, & ſummitatum ſambuci, præparata maximo cum fructu ægro in prima menſa aut (quod magis mihi probatur) per horam unam aut alteram ante prandium exhiberi poterunt. Diuretica enim ſine damno cibis vix permiſceri poſſe, alibi demonſtravimus. Summoperè quoque convenit ſuccus, qui ex perna vervecina, in veru percocta, & cultro hinc inde pertuſa & compreſſa, effluit. Vires enim labefactatas inſtaurat, & humidum radicale adauget, præcipuè ſi nonnihil vini, parumque aquæ Cinamomi ſine vino diſtillatæ, admiſcueris.

Si æger magnoperè acetaria appetit, poterit per intervalla uti cichorio, cerefolio, fœniculo, aſparago, lupulo, mentha, gemmis geniſtæ conditis, & capparibus. Ab eis verò quæ inſigniter refrigerant veluti ſunt lactuca, portulaca, & cucumeres & melones abſtineat.

Bibat vinum album, tenue & quàm optimè defæcatum. Si generoſum fuerit, diluatur aquâ aliquâ appropriata, aut quod efficaciùs, decocto veronicæ, ſaccharo, & Cinamomo aromatizato. Si Cereviſia uti voluerit, aut eis in locis, in quibus nihil præter Cereviſia pro potu utuntur, conſtitutus fuerit æger, videat ut illa ſit bene cocta & defæcata, non nimis generoſa, vetuſta vel acida. Vinum ſecundarium, uti quoque potus qui ex prunis & pomis ſylveſtribus, uvis immaturis, & granis oxyocanthæ fit, propter aſtrictionem mirum in modum nocet, ſi ſitis maximè & vires proſtratæ fuerint bibat æger lac amygdalarum, non tantum enim ſitim reſtinguit, verùm etiam viſcera humectat & egregiè nutrit. Renerus Solinander magni nominis Medicus in conſilio 6. ſect. 3. pro cachectico, vult ut quarta vel quinta, vel etiam ſexta pars amygdalarum ſit amara, & rectè quidem, ita enim lac magis fiet medicamentoſum, quandoquidem abſtergit & mundificat præcipuè, ſi, ut ſuadet Solinander, cum jure furfurum macrorum præparatum fuerit. In fine menſæ pomis aut piris coctis ſaccharo, aniſo, aut fæniculo aſperſis, uti poterit. Conveniunt quoque Cydonia cocta, & ſaccharo parumque Cinamomo aromatiſato aut Miva Cydoniorum ſine ſpeciebus, vel ſumat cochleare unum pulveris noſtri peptici ſtatim à paſtu.

R. *Panis albi toſti* ℥ij.
Pulpa Cydoniorum exſiccatorum
Cinamomi optimi
Pelliculartum interiorum ventric. gallinarum
Seminis aniſi &
Coriandri præparati an. ʒij.

Miſce, & fiat pulvis. Hæc de cibo & potu. Porrò quia exercitatio digeſtionem promovet; exiguos meatus expurgat, & excrementa expellit, utilius eſt, teſte Galeno de tuenda valetudine lib. 2. eam ante cibum adminiſtrare, dummodo mediocris ſit, nec laborioſa. Vult autem Galenus duplicem concoctionem, videlicet eam quæ fit in ventriculo, & eam quæ fit in vaſis ſanguinis peractam eſſe, ac denuo tempus cibandi inſtare. Poſt paſtum tamen modicè quoque corpus exercere convenit. Modica enim exercitatio, poſt ſumptum cibum calorem nativum excitat & adauget, & concoctionem promovet. Si verò æger propter debilitationem partium, corpus deambulando aut equitando exercere non poteſt, frictiones ſunt adminiſtrandæ. In ſomno & vigiliis modus quoque eſt ſervandus. Intempeſtivæ enim vigiliæ concoctiones omnes impediunt, cerebrum ſiccant, mentem perturbant, & humidum radicale abſumunt. Contra ſomnus immoderatus calorem nativum obtundit, & multos humores crudos gignit, corpuſque ignavum reddit. Paſſiones animi quoque veluti ſunt ira, metus & mœſtitia, æger quantum fieri poteſt, vitabit. Præter hæc operam quoque dabit, ut alvus quotidie ad minimum ſemel reſpondeat, id ſi naturæ & ciborum beneficio non fiat, ſollicitanda eſt prunis laxativis vel clyſtere lenitivo cap. 19. præſcripto. Vel imponatur ſuppoſitorium ex melle & ſale coctum. Summoperè quoque conveniunt pilulæ ſequentes. Partes enim nobiles corroborant, obſtructiones viſcerum tollunt, materiam viſcidam incidunt, attenuant & alvum lubricam reddunt.

R. *Aloes puriſſima & ter aut quater ſucco gratiola impragnata iterumque exſiccata* ℥j.
Rhabarbari Electi ʒij.
Turbith. gummoſi
Cremoris tartari an. ʒj.
Gummi Amoniaci puriſſimi & diſſoluti in aqua cinamomi ʒiiij.
Confect. Alkermes ʒj.
Ol. Cinamomi ℈ß.

Syrupi roſati ſolutivi compoſiti cum Rhabarbaro, Agarico & Senna q. ſ. Miſce fiatque maſſa, de qua æger (ſi tantummodo alvum duram lubricam reddere cupit) ſumat à granis 12. uſque ad ℈j. aut drachmam ſemis, per duas horas poſt cœnam. Sin ampliorem evacuationem habere cupit, ad ℈ij. aut ʒj. deglutiet, ut poſtea dicetur. Hæc de victus ratione.

Sic inſtituta optima victus ratione corpus quantum fieri poteſt à pravis humoribus expurgandum eſt, verùm enimvero quia materia peccans in cacochymia tenaciſſimè viſceribus inhæret, difficulterque ſuo loco movetur, juxta mentem Hippocratis lib. 1. Aphoriſmo 22. coquenda & præparanda eſt apozemate aliquo convenienti, ante omnia tamen vias communes ſequenti lenitivo expurgabis.

R. *Radicum polypodii q. Liquiritia*
Cichoris an. ʒß.
Corticum interiorum radicum frangula ʒj.
Veronica
Florum cordialium. an. p. ß.
Sem. Aniſi ℈ij.
Foliorum ſenna ʒj. ß.

Incidantur, contundantur; coquanturque in aqua, ut colatura redeat ad uncias duas in quibus diſſolve

Elect. diacarthami, &
Diaphenici cum Rhabarb. an. ℈ij.
Cremoris tartari ℈j. ß.
Syr. de cichorio cum Rhabarbaro ℥s.

Miſce fiat potio, detur in crepuſculo matutino, cum

custodia. Postridie, aut tertio die à purgatione, si plethora adfuerit, & vires permiserint, vena incidenda est, idque ex cubito ejusdem lateris de quo æger præcipuè conqueritur. Si menses, aut hæmorhoides suppressæ fuerint, venæ ad malleolos incidendæ, aut applicentur sanguisugæ venis hæmorrhoidalibus. Sin tamen maxima adfuerit virium omnium prostratio atque imbecillitas, venæ sectio omittenda, & ad humorum concoctionem progrediendum est, obl sequens convenit apoaema.

R. *Corticum interiorum, & flavarum*
Radicum frangula ℥j.
Radicum polypodii q. Liquiritia
Lappatii acuti an. ʒiij.
Asparagi
Cichoris
Fœniculi, & petrosolini an. ʒij.
Herbarum & florum betonica
Veronica, Cuscuta, scabiosa an. M. ß.
Trium florum cordialium &
Genista an. p. j.
Seminis anisi
Fœniculi an. ʒij.

Coquantur in s. q. aquæ potissimæ, ut Colatura tendeat ad lb. iij. Clarificetur & dulcoretur Syrupo de quinque radicibus q. s. hujus apozematis bibat æger per dies tres ad uncias duas in aurora, totidemque per horas duas ante cœnam.

Postea accipe de eodem apozemate ℥xij. In quibus infundantur, macerentur & coquantur s. a. sequentia.

Foliorum senna ℥j.
Rhabarbari ʒiij.
Agarici recent. trochiscati
Cremoris tartari ℥j. ß.
Cinamomi electi ℈ij.

Maneant in infusione & loco tepido per horas XII. deinde post unam aut alteram ebullitionem fortiter exprimantur addanturque,

Syrupi de Cichorio cum rhabarb. ℥ij.
Aqua Cinamomi sine vino destillata ʒj.

Misce fiat potio purgans pro quatuor dosibus in aurora sumendis, cum custodia. Si primus haustus sufficienter operatus fuerit, alternis saltem diebus medicamentum sumatur, aut dosis diminuatur, ut vires conservari possint. Quod si nimis segniter successerit operatio, postrema dosis acuenda est drachmâ unâ Diacarthami, aut Diaphœnicone cum rhabarbaro. Sic satis purgato corpore, poterit æger per dies aliquot quiescere, post pastum tamen nonnihil de suo pulvere peptico sumere, deinde apoaema præscriptum iterandum est. Quod si apozema ingratum fuerit ægro, soleo sequens præparare jusculum; quod propter singulares operationes tum in morbo regio, tum in reliquis omnibus obstructionibus viscerum, Jusculum Regium appello.

R. *Rad. Apii* ʒij.
Petrosolini
Fœniculi an. ʒiiij.
Passularum exacinatarum ℥j.
Croci ℈j.
Macis ℈ß. Incidantur omnia & caponi aut Gallinæ, cui collum, pedes & alæ abscissæ sunt, infarcientur. Coquantur in aqua, donec caro ab ossibus separata, & jusculum ad doses sex consumptum fuerit. Caro cum suo farcimento fortiter exprimatur, & fiat Colatura, addito sale, quantum satis est; sumat æger per duas horas ante prandium, quantum libuerit. Addo quoque nonnunquam nonnihil Cremoris tartari, aut salis nostri deoppilativi, ex Cichorio, fœniculo, petroselino, Hypericone, Eupatorio, & similibus herbis & radicibus aperitivis confecti. Si subacidus sapor ægro gratus fuerit, nonnihil vini aut aceti sambucini admisceri poterit. Si prostratio virium fuerit maxima, addatur nonnihil aquæ Cinamomi sine vino distillatæ. Jusculum hoc Excellentissimum est medicamentum, simul & nutrimentum in cacochymicis, quo ego sæpissimè maximo cum fructu ægrorum usus fui. Sin ægro vinum aliquod aperitivum gratius fuerit, sequenti uti poterit,

R. *Rad. Asparagi*
Brusci
Ebuli
Fœniculi an. ʒj.
Cinamomi electi ʒij.
Macis ℈j.
Herb. Betonica
Agrimonia &
Veronica an. M. ß.
Centaurii minoris,
Absinth. Pontici,
Card. benedicti an. p. j. Incidantur & contundantur fiatque nodulus, cui affunde vini albi & optimè depurati lbiij. De hoc vino bibat æger ad uncias tres aut quatuor, tribus horis ante prandium. Interim autem dum æger utitur aperitivis prædictis, subinde leniter leviterque expurgandum est corpus. Ubi syrupum de Rhabarbaro à Solinando tantoperè celebratum, convenire, sæpissimè vidi.

R. *Rharbari optimi* ʒvj.
Fol. Senna Alexandrina drach. 10.
Mechoacan. albiss. ℥ß.
Flor. Violarum recentium,
Fl. Prunorum sylvestrium, si haberi possunt, vel cotoneorum an. p. ß.
Cinamomi acuti interioris ʒj.
Zinziberis albi ℈ij. ß.
Aq. Betonica
Cichorii
Buglos. distillata in balneo Maria an. ℥4.
Rhabarb. & Mechoac. pulveribus irroratis aqua Cinamomi, infundantur omnia s. a. per noctem. Manè ebullitione & expressione facta, colentur & cum sacchari albissimi ℥. quinque vel sex Syrupi rosat. solut. ℥ij. Misce fiat s. artem syrupus. Detur ad uncias duas in exiguo haustu juris pulli non pinguis, cui paucæ passululæ demptis gigartis, pauca folia rosmarini & macis tantillum incocta sint, bibat.

Cæterùm præter victus rationem & purgationem pravorum humorum, partes nobiles summo studio corroborandas esse, ratio ipsa suadet. Quia enim in præcedenti morbo propter vehementiam & diuturnitatem doloris, æstum item febrilem, vigilias & decubitum, humidum radicale absumptum, calor quin etiam nativus prostratus, & proinde facultates omnes mirum in modum imminutæ fuerunt, nisi refocillentur, frustra medicamenta adhibentur. Est enim robur naturæ, quod medicamentum ex potentia in actum vertit. Corroborabis autem inprimis viscera, si præscriptam optimam victus rationem, observaveris, & pravos noxiosque humores (ex quibus continuò putridi vapores ascendunt, facultatesque omnes afficiunt) uti antea satis dictum fuit, evacuaveris: sine quibus corroborantia omnia nullius erunt momenti. Corroborat ventriculum & viscera nutritioni inservientia pulvis pepticus, antea præscriptus. Aut:

R. *Diacurcums*
Diarrhodonis Abbatis
Aromatici rosati an. ʒj.

Sacchari

Sacchari dissoluti in aqua Cichorii ℥iij.

Misce, fiatque tabellæ addendo ol. Cinamomi ℈ß. de quibus utatur æger aliquoties in die, præcipuè ante & post prandium & cœnam, ad drachmam unam aut duas. Aut detur sequens Electuarium.

R. *Spec. Aromat. rosati.*
Diacurcumæ an. ʒj.
Cinamomi electi ʒj. ß.
Corticum Citronum &
Rad. *Cichorii conditarum an* ℥j.

Cum s. q. Syrupi conservæ Corticum Citronum fiat Electuarium, de quo sumat æger ad magnitudinem nucis juglandis, ter aut quater in die,

Aut:

R. *Conservæ florum betonicæ*
Rosmarini
Salviæ,
Majoranæ an. ℥ß.
Specierum Dianthos ℈iiij. cum Syrupo de betonica fiat Electuarium.

Aut:

R. *Spec. de gemmis*
Laetificantis Galeni an. ℈ij.
Confectionis Alkermes &
De hyacinto an. ʒj.
Conservæ florum buglossæ
Borraginis & Melissæ an. ℥ß.

Cum Syrupo Conservæ Corticum Citronum fiat Electuarium. Sumatur ut præcedentia. Hæc de Intemit. Nec omittenda sunt externa; ideò si propter dolorem & vigilias caput labefactatum, & defluxionibus ubnoxium factum fuerit, præter optimam victus rationem & purgantia, etiam per intervalla cucurbitulæ scapulis applicentur. Quod si catarrhus ut sæpissimè fit, cum impetu ad oculos aut pulmones defluxerit, setaceum in Vertice, aut fonticuli in brachiis efformandi sunt, Cucupha quoque ex sequentibus parari poterit.

R. *Rad. Iridis Florentinæ* ʒij.
Styracis Calamitæ,
Benzoini,
Masticis,
Olibani an. ʒj.
Rosarum rubrarum,
Summitatum Majoranæ &
Flor. *Betonicæ, an.* ℈ij.
Moschi ℈ß.

Incidantur & contundantur omnia grosso modo pro cucupha intertexta, ut artis est.

Corroborat sequens linimentum, si carpi, & regio cordis eo inungantur.

R. *Ol. Rosati fragrantissimi* ℥ß.
Ol. Cinamomi ℈ß.
Ol. Corticum Citronum ℈j. *Misce. Aut:*

R. *Aq. Boraginis*
Buglossæ, rosarum & Melissæ
Aq. *Cinamomi an.* ℥j.
Acet. rosacei ℥ß.
Confect. Alkermes,
Spec. *Diamoschi dulcis an.* ʒj.
Croci &
Caphuræ an. ℈j. Misceantur, fiatque Epithema, Carpis autem tantummodò in eo imbutis pulvillis, applicetur tepidè. Mediantibus enim arteriis, vis ipsius facilè ad cor perveniet. Si quis tamen de hoc epithemate regioni cordis applicare voluerit, non errabit, videat tamen, ut linteis calidis cooperiatur, frigus enim pectori & spiritibus vitalibus no-

centissimum esse, omnes sciunt practici. Ventriculum roborat & concoctionem promovet sequens linimentum.

R. *Olei masticis, & menthæ an.* ʒvj.
Gummi tacamacæ ʒij.

Teratur lentissimo igne & percolentur. Postea admisce olei nucis Muscatæ per expressionem ʒj. ß.

Ol. Garyophyllorum ℈j.

Misce, fiat linimentum, quo regio ventriculi usque ad umbilicum quotidie bis inungatur, & linteum calidum apponatur, aut applicetur sequens emplastrum supra alutam extensum.

R. *Gummi Tacamacæ* ℥j.
Ol. menthæ & masticis an. ℥ß.

Dissolvantur lentissimo igne, & per linteum coleotur, postea admisce pulv. nucis muscatæ ʒij. Garyophyllorum.

Macis an. ʒj.

Misceantur & cum cera nova q. s. fiat ceratum, applicetur ut dictum est.

Hepar corroborat, obstructionesque insigniter tollit sequens linimentum.

R. Unguenti deoppilativi Foësii, Ol. lumbricorum an. ℥j. Misceantur, fiatque linimentum, quo regio hepatis, rotusque venter præter regionem ventriculi inungatur bis in die. Secundam enim concoctionem mirum in modum promovet. Unguentum deoppilativum Foësii sequenti modo præparatur.

Capit. succi Apii,
Endiviæ,
Menthæ,
Absinthii,
Petroselini vulgaris,
Valerianæ an ℥ß.
Olei absinthii,
Menthæ ana semilibram, Ceræ citrinæ quantum satis sit. Misce, & ad ignem fiat unguentum s. a. Viscerum obstructiones l betat, eoque crebrò in jecorariis utimur, additur quandoque pulveris calami Aromatici, spicæ nardi, sing. drachma una & olei cappatum aliquid.

Sunt qui hoc modo etiam parant:

Succi Ebuli ℥viij.
Succi Apii,
Petroselini sing. ℥iiij.
Succi Absinthii, &
Iridis singul. ℥v.
Ol. Communis selibram,
Ol. Absinth. &
Chamomelini sing. ℥vj.
Axungiæ anatis, &
Gallinæ sing. ℥ij.

Fervefiant omnia simul ad consumptionem succorum. Postea colentur, & cum cera alba & pauxillo aceti paretur unguentum. Hæc Foësius de unguento suo aperitivo, quæ hic inserere libuit, tum (expertus loquor) propter medicamenti præstantiam, tum etiam quod optimus ille vir & de re Medica tam bene meritus, olim mihi cognitus fuerit. Ego ceram non addo, ut facilius altiusque ad subjectas partes penetrare possit.

Lien, si propter vehementiam atque diuturnitatem morbi labefactatum, & obstructum fuerit, hypochondrium sinistrum inungendum est sequentibus.

R. *Ol. de capparibus &*
Rutacei an. ʒvj.
Ol. amygdal. dulcium ℥j.
Misceantur.

Aut

R. *Succi cochleariæ &*
Nasturtii aquatici an. ℥ij.
Ol. liliorum, amygd. amararum an. ℥ij.
Pinguedinis caponis & ursi an. ℥j.

Coquantur lentissimo igne ad consumptionem ferè succi, in colatura dissolve Amoniaci purissimi, & aceto scillino dissoluti ℨvj. Ol. nucis Moschatæ ℥ß. Misce; si intemperies calida renum adfuerit, inungantur lumbi, os sacrum, & regio renum linimento, antea capite de ardore urinæ descripto. Hæc de cacochymia, de qua nonnihil proliæ agere nolui. Est enim veluti scaturigo, ex qua Icteritia, febres erraticæ, quartanæ, & quamplurima alia symptomata profluunt, de quibus omnibus si sigillatim agere vellem, opusculum hocce meum in immensum opus excresceret, & multa jam antea dicta, repetenda essent, quod lectori ingratum foret. Itaque ubi diligenter quis curaverit cacochymiam, reliqua symptomata facilè evitabit. Quod si tamen advenerint, Medicus consulendus est.

Cap. 33. *De fungis in vulneribus articulorum crescentibus.*

HActenus de symptomatibus internis, tam acutis quàm minus acutis egimus. Nunc de externis aliquid quoque annectam, inter quæ fungus inprimis sese offert, plerumque enim in ipso vigore morbi accidere solet. Estque corpus carnosum, laxum, & ferè indolens, ex ipso fundo vulneris erumpens. Bruno affectum huncce *Nastam*, Theodoricus *Naptam*, & Beri apalia *Natam* appellat. Ego cum Galeno *lib.* 1. de locis affectis, & 3. Epidem. affectum huncce fungum rectè appellari posse, existimo. Quemadmodum enim fungi ut plurimum una nocte ex terra prorumpere solent, ita etiam excrescentia hæc subitò, imò etiam plerumque una nocte ex ipso vulnere propullulant atque excrescunt. Præterea quemadmodum fungi sunt laxi, mollea & porosi, veluti spongia. Fungi propter maximam humiditatem terræ crescunt, ita etiam excrescentia hæc carnea, propter ingentem affluxum humorum ex toto corpore ad partem læsam subitò propullulat, & quidem in tantam molem, ut plerumque non tantum totum vulnus adimplere, verùm etiam ipsius labia & margines obtegere soleat, uti ego in aliquibus vidi. In hoc tamen differunt, quod fungi ex putridis & corruptis terræ excrementis, hæc verò excrescentia ex benignis ut plurimum humoribus nascantur, quemadmodum fusiùs dixi observatione 36. Centur. 2. Porrò nascuntur fungi in vulneribus articulorum, propter maximum quidem confluxum humorum, ex toto corpore, sed summâ naturæ providentiâ & beneficio Dei. Cum enim nihil magis inimicum sit nervis, quàm injuria aëris, præsertim frigidi, natura, quæ semper studet, ut conservare possit suum individuum, excrescentiâ hacce nervos, aliasque partes nervosas sauciatas & detectas, veluti culcitrulâ plumeâ tegit atque cooperit, ne videlicet nervi, uti dixi, tum ab aëre, tum etiam inter curandum & abstergendum vulnus, lædantur. Idem in vulneribus capitis, ubi membranæ cerebri detectæ sunt, sæpissimè accidisse memini, ut lector videre poterit Obs. 14. & 15. Cent. 1. Solent autem fungos hosce comitari dolores ingentes, inflammationes & plura alia symptomata, de quibus antea cap. 4. dictum fuit. Hinc Chirurgi nonnulli commoti (existimantes excrescentias hasce causas esse symptomatum) eas forficibus, aut novaculâ abscidêre, vel causticis abrodêre, non sine ingenti damno & periculo ægri. Adaucta enim fuerunt symptomata omnia, præcipuè ab erodentibus, quorum acrimonia fungosam hancce substantiam ad nervosas partes detectas, facilè penetrare, easque lædere potuit. Ab initio itaque horum fungorum præscripta Methodus, ratione hujus fungi, non est mutanda. Sed in debellandis reliquis symptomatibus, veluti sunt dolor, inflammatio &c. progrediendum. Cum enim, ut ex præcedentibus colligitur, summo naturæ beneficio excrescentia hæcce in commodum ægri sit procreata, non est absumenda ab initio, donec nervi partesque nervosæ carne latis fuerint tectę, ut amplius ab externis injuriis lædi non possint. Sedato dolore, remissaque inflammatione, reliquisque symptomatibus, si fungosa excrescentia non remiserit, eis quæ exsiccant, deprimenda est, à lenioribus tamen incipiendum. Primò itaque sequens pulvis, qui exsiccat, citra omnem tamen mordicationem, inspergendus est,

R. *Rad. Iridis Florent.*
Angelicæ an. ℨiiij.
Aristoloch. rotundæ, &
Corticum ligni guajaci an. ℨij.

Misce, & in copia fungo inspergę, postea sequens applica cataplasma.

R. *Farinæ fabarum & Lupinorum an.* ℥iiij.
Fimi columbini ℥ij.
Pulv. Rosarum rubearum
Myrtillorum
Balaustriorum
Absinthii an. ℨij.
Salis Marini ℥ij. Cum lixivio simplici, fiat cataplasma, applicetur calide bis in die, inspersо prius pulvere prædicto, & filamentis adeò contecto, ut nihil humiditatis à cataplasmate ad fungum pervenire possit, ne propter acrimoniam Cataplasmatis fungus irritetur. Hoc per dies aliquot applicato pulvere, si fungus non flaccescit atque imminuitur, accipe præd. dicti pulveris ℨij. cui admisce Aluminis usti ℈j. vitrioli usti, & pulv. Mercurii præcipitati, rectificati, & loti an. ℈ß. Misce & insperge, uti dictum, cum applicatione Cataplasmatis. His remediis semper fungos in articulorum vulneribus feliciter sanavi. Quomodo verò in fungis cerebri sit procedendum, videat lector Obser. 15. Centur. 1.

Monitos autem velim esse Juniores Chirurgos, fungos in articulis, uti etiam qui ex denudatis meningibus cerebri prorumpere solent, etiamsi non illicò & subitò, sed pedetentim recedant, nequaquam tamen erodentia, multò minus septica applicanda esse, ex enim in vulneribus capitis mortem accelerarent. In vulneribus verò articulorum, dolores, inflammationes, aliaque graviſſima symptomata de novo excitarent, curationemque retardarent.

Cap. 24. *De atrophia post Ichorem aut Meliceriam acrem articulorum exulceratorum, ejusque curatione.*

QUia plerumque Ichorem & Meliceriam acrem articulorum exulceratorum, atrophiam sequi videmus, non abs re esse duxi, si in gratiam tyronum Chirurgiæ, de ea hîc quoque aliquid annecterem. Est autem Atrophia, ut docet Galenus, de symptomatum causis libr. 3. privatio circa nutritoriam actionem, ac deficiens nutritio. Estque vel universalis vel

vel particularis. *Universalis* est, quando totum corpus contabescit, extenuatur & absumitur: *particularis*, quando aliqua saltem pars ita afficitur: utramque post Ichorem accidere posse, sæpissimè mihi in praxi videre contigit, uti postea exemplis demonstrabo. Fit autem quando vel totum corpus, vel saltem pars aliqua, sanguine, succo & spiritibus ad sui nutritionem & vitam requisitis privatur, idque in Ichore acri, ex articulis profluente, hoc modo fit. Quotiescunque propter doloris vehementiam ac diuturnitatem, propter vigilias item, inquietudines & febris vehementiam, interna viscera, intempertie calida vehementer diu (uti sæpissimè fit in hoc morbo) molestantur, afficiunturque, ventriculus, hepar, lien, ac reliquæ partes, concoctioni primæ inservientes, imbecilles fiunt, ita etiam, ut plerumque propter diuturnitatem morbi & prædictorum symptomatum vehementiam, mesenterium, hepar ac lien, non solùm imbecilles fiant, verum etiam plerumque in scirrhum indurescant. Ex imbecillo itaque ventriculo chylus semicoctus, crassus & imperfectus sequitur, is cum ad venas mesaraicas & hepar pervenerit, obstructiones sanguinemque crassum, viscosum, & ad nutritionem partium ineptum gignit, propter crassitiem enim & viscositatem, quam habet, ad vias illas angustissimas, venas capillares, & partes extimas & musculosas permeare non potest; contabescunt itaque partes, sequiturque atrophia universalis, uti videmus accidere tum in morbis Chronicis, tum etiam in acutis, & Ichore acri articulorum, si in longum tempus profluxerit. Vidi id in quadragenario quodam cive Lausannensi, Claudius nomine, cujus mentionem quoque feci capite primo. Ille enim cum ab initio morbum neglexisset, tandem, propter doloris reliquorumque symptomatum vehementiam in maximam cacochymiam incidit. Inde sequuta est atrophia universalis, ita ut ossa vix cute obtegerentur. Ex qua nunquam perfectè sanari potuit. Erat enim pauper, non habens unde requisitam victus rationem observare potuisset. Vixit quidem per annos al quot, sed miserè claudicans per totam vitam.

Anno 1622. juvenem Bernensem 12. annorum, Jacobum, Dn. Jacobi Hibrenteri p. m. Filium, Ichore acri circa talum tam graviter laborantem, ut barbitonsor, cui curatio demandata fuerat, ipsum pro deplorato reliquerat, curandum habui. Ille similiter propter symptomatum vehementiam in tantam atrophiam incidit, ut corpusculum suum universum potius sceleton, quàm vivum corpus præ se ferret. Maximo cum labore tandem à me sanitati restitutus fuit. Ex atrophia quoque propter juvenilem ætatem, optimamque, quam observare potuit, victus rationem, convaluit, & nunc sine ulla ferè claudicatione incedit, currit ac saltat. Quid non potest juvenilis ætas? Sed de hoc ægro alibi fusius. Fit quoque atrophia universalis, quando pancreas indurescit. Impedit enim quo minus chylus ex mesenterio per venam portam ad hepar pertransire possit, uti Lector videre potest Obs. 70. Cent. 1.

Atrophia particularis propter defectum atque penuriam sanguinis & alimenti, membro quoque alicui peculiari accidere potest, reliquo corpore existente integro, variis ob causas, inprimis verò si dislocationes circa magnas juncturas, veluti coxas & humores, sive ex causa interna, sive externa acciderint, & in situm naturalem repositæ non fuerint. Tunc enim caput ossis, extra locum suum delapsum, venas, per quas sanguis defluere solebat, comprimit, inde brachium aut crus, nutrimento suo destituitur & contabescit. Si tuberculi duri, aut scirrhi circa majora vasa, vel si inflicto vulnere abscissa aut præter modum arctè ligata fuerint, idem accidere solet. Atrophia verò post Ichorem acrem articulorum accidit, non quidem ob dislocationem, sed primò, quia vena aliqua magna ab ichore isto acri, ex vulnere circa coxam aut humerum effluxo, erosa fuerit. Secundò, quando serosa illa materia ex corpore ad genua, pedes aut manus, cum impetu & in copia fluit, fit plerumque ut subtiliores partes ultrò ad pedes, vel manus perfluant, quicquid autem crassum, vel viscosum est, circa humores aut coxas remaneat, viasque, per quas alimentum fluere solet, obstruat. Tertiò fit atrophia post Ichorem acrem, quando pars affecta propter summam imbecillitatem nutrimentum non attrahit, attractum non satis rectè concoquit, minus in nutrimentum convertit. Quartò accidit atrophia, quando pars aliqua corporis, puta brachium, aut crus, uti sæpissimè fit hoc morbo, diu non movetur, motu enim partes corporis impinguescunt. Testatur id Hippocrates lib. de Artic. his verbis: *Omnia quæ in corpore ad usum facta sunt, si quis moderatè ipsis utatur, & in his laboribus exerceat, ad quos singula sunt assueta, sic quidem sana sunt, & augescunt, & probè consenescunt, si verò quis non utatur, sed quiescat, morbosiora fiunt, & non augescunt, & cito consenescunt.*

De signis ut quicquam commemorem, supervacaneum est, Morbus enim per se satis manifestus, omnibusque cognitus est, minimè tamen negligendus, præsertim si atrophia universalis fuerit. Arguit enim, ut ex præcedentibus manifestum sit, internorum viscerum, præsertim ventriculi, partiumque concoctioni inservientium, hepatisque (quod officina & scaturigo & sanguinis & alimenti, quo totum corpus nutritur) summam adesse imbecillitatem atque labefactationem, imò tantam, dico, adesse, labefactationem, ut sanguinem pro nutritione corporis sufficienter generare, multò minus ad partes longinquas mittere, minus sit potens. Si senex post Ichorem acrem fit claudus, vix ab atrophia curabitur, præsertim si victus rationem exactè non observaverit, uti ex præcedenti historia de Laosannensi, colligere est. In juvenibus verò non ita est periculosa.

Atrophia ex inveterata dislocatione in senibus incurabilis est, in juvenibus non item. Vasa enim ab osse compressa, quia nondum indurverunt, paulatim aliquo modo prolongantur, ita quidem, ut sanguis ac spiritus pro nutritione partis commodè perfluere possit.

Atrophia si propter majorum vasorum, arteriarum videlicet & venarum erosionem, uti sæpissimè fit in Ichore, fuerit, insanabilis est. Sic propter tumores duros & scirrhosos, vel denique propter terentam aliquam materiam crassam & viscosam circumcirca vasa majora, aut in ipsismet vasis fuerit; nonnisi maxima cum difficultate sanabitur: præsertim in senibus.

In curatione atrophiæ tam universalis quam particularis, semper ad causam respiciendum est. Ablata enim causa, tollitur quoque effectus. Si itaque propter obstructionem atque labefactationem viscerum, & appetentiam prostratam, fuerit atrophia, ut sæpissimè fit post Ichorem acrem articulorum, viscera suo referanda & corroboranda; idque fit medicamentis, tum per os sumptis, tum etiam

etiam exterius adhibitis, non neglecta victus ratione, de quibus omnibus capite præcedenti satis dictum fuit, superest itaque de cibis insigniter nutrientibus, qui in hoc affectu magnopere requiruntur, aliquid adscribam. Ante omnia autem sciant juniores Medici & Chirurgi, dandam esse operam, ut corpus, quantum fieri potest, sit mundum. Impura enim corpora, à cibis etiam optimis & insigniter nutrientibus, non nutriuntur, sed magis magisque pravis humoribus replentur. Quicquid enim boni ingeritur id à pravis & vitiosis humoribus, visceribus inclusis, corrumpitur. Testatur id Hippocr. lib. 2. aphor. 10. quibus autem medicamentis corpus leniter sit expurgandum, capite de cacochymia dictum fuit. Nutrimenta omnia sint talia, quæ concoquantur digeranturque facile, & bonum succum procreant, quò natura eis substantiam corporis exsiccatam atque extenuatam, partes etiam procul à fonte caloris nativi sitas, sine magno negotio irrorare, humectare atque reficere possit. Inprimis conveniunt juscula carnis boum juniorum, vervecum, gallinarum, caponum, perdicum, columbarum & similium, in quibus vitella ovorum dissolvantur, poterunt quoque cum prædictis jusculis amygdalæ aut pistaciæ dissolvi, & veloti amygdalatum exhiberi, hujusmodi juscula facilè concoquuntur, & in nutrimentum transeunt. Cavendum tamen, ne extremitates animalium, sive fuerint quadrupedum, sive volatilium, addantur. Continent enim in se succum ac nutrimentum nimis viscosum, quod obstructiones parit. Capite de cacochymia jusculum, quod Regium appello, præscripsi, quo ego sæpissimè maximo cum fructu in eis, qui propter cacochymiam vel hydropem extenuati erant, usus sum, quod & hîc summoperè convenit; non tantum enim nutrit, verùm etiam obstructiones simul aperit, & proinde chylus atque nutrimentum, quod ex eo provenit, facilè etiam ad longinquas partes corporis pervenit. Insigniter nutriunt cremor hordei, & avenæ decorticatæ: præsertim si gallinam, caponem, aut frustum carnis vervecis jusculo simul incoxeris. Cavendum tamen, ne præter modum coquatur hordeum aut avena, ne nimis viscosum reddatur jusculum. Convenit quoque usus lactis in atrophia, inprimis autem lac muliebre, uti & vaccinum, ovium, & asininum. An. 1597. matronam 63. annorum curandam habui, illam, quum propter herniam intestinalem, in gangrænam degeneratam, præter modum extenuata & emaciata fuisset; remissa febre, beneficio lactis muliebris post Deum in integrum restitui, & in 15. usque annum post curationem supervixit. De gravissimo hocce affectu videat Lector Obs. 55. Cent. 1. Singulis autem matutinis, absoluto somno, maximum haustum lactis ex juvencula, & optimo corporis habitu prædita, rustica, ad lectum ægræ emulctum, ægræ propinavi. Deinde circa decimam prandebat. Aliud habeo exemplum memorabile de præstantia lactis muliebris. Dn. Jacobi de Tribus Paterniacensis filiolus, 4. annorum ætatis, post Dysenteriam gravissimam Lyenteria correptus fuit, quam secuta est periculosa atrophia, ita ut ossa vix cute obtegerentur. Juscula & quicquid assumebat, indigestè iterum per secessum excernebat. Suasi ut mater infantem semestrem, quem lactabat, nutrici alicui committeret, periculumque faceret, an atrophiam hancce ac summam extenuationem corporis, cum labefactatione virium, lacte suo reficere posset. Mater consilium, infans verò papillas celeriter arripuit, & cum aviditate exsuxit, omnemque cibum in posterum respuit. Hæc cum ego viderem, & de salute ægri spem aliquam conciperem, singulis diebus regionem ventriculi, totumque abdomen sequenti unguento bis calidè inungere jussi.

R. *Masticis &*
Mentha an. ℥j.
Ol. nucis Muscat.
Gummi Tacamahaca pinguissimi ʒj.

Terantur omnia lentissimo igne, percolentur & reserventur in vase vitreo. Hisce præsidiis convaluit, & permultos annos supervixit; Egregiè quoque nutriunt vitella ovorum, & quæ ex eis conficiuntur edulia, modò ne sint dura cocta. Instaurativum longè excellentissimum hoc modo præparo, ægrisque ex morbo præter modum extenuatis, maximo cum fructu exhibeo. Accipio caponem, vel eo deficiente gallum aut gallinam exenteratam, extremitatibusque abscissis, carnem ossaque nonnihil contundo, postea in vas stanneum amplum atque spaciosum projicio, addo nonnihil cinamomi, & si in promptu est, perdicem. Poculum sive vas stanneum, vesica bovina madefacta, linteove forti diligenter claudo, & in duplici vase coquo per horas sex; per se refrigerato ferè poculo, sive vase, carnem per pannum colo, succumque carnis ægro exhibeo. Est enim præstantissimum nutrimentum. Adjiciunt nonnulli aurum, corallia, lapidesque pretiosos. Id unicuique integrum est, ea vel adjicere vel omittere. Ego cum doctissimo D. Sennerto & aliis sic sentio, ea ita fixa & compacta esse, ut eorum vis hoc modo extrahi nullo modo possit. Nonnulli quoque carnes, adjectis coralliis, margaritis & auro per alembicum distillant, sed revera parum nutrire aquam, quæ exstillat, expertus sum. Nam alimentosa pars carnium viscosa & stabilis est, difficulterque transpirat, ut Galenus lib. de Marcore cap 9. scribit, quapropter addit Sennertus, glutinis instar habet, seu ut Chymici loquuntur, minus volatilis, sed fixior est, quàm ut calore balnei in altum attolli possit. Quicquid verò in altum balnei illo calore elevatur, maxima ex parte vapores aquei sunt, qui nullam nutriendi vim habent.

Aliud instaurativum longè excellentissimum phthisicis extenuatis, & atrophia laborantibus, hoc modo conficere soleo; Accipio carnem illam musculosam, quæ sternum caponis vel gallinæ opplet, probè coctam, & minutim concisam, projicio illam in mortarium, & adjectis nucleis pinearum, pistacearum, & amygdalar. dulc. ana. ℥ß. Omnia pistillo contundo, cum jure caponis, quantum satis, addo nonnunquam aliquid sacchari, vitellum unum aut alterum ovi, parumque aquæ rosaceæ, & inter duos catillos super carbones coquo ad consistentiam pultis. Nutrit quoque plurimùm caro perdicum, turdorum & avium nemoralium, caro gallinaginis sive rusticulæ, non tantùm nutrit, verùm & in obstructionibus convenit. Pisces parum nutriunt, si quis tamen per intervalla eis uti voluerit, saxatiles, veluti trutam, percam, salmonem, lucium; item carnem caudarum & chelarum, gammarorum, & hujusmodi eligat.

Pro potu utatur æger lacte amygdalarum dulcium, aut emulsionibus pistacearum, & pinearum, vel decocto hordei, Liquiritiæ, & uvarum passularum exacinatarum, saccharo, vel quod melius est, melle despumato, parumque Cinamomi, aromatizato; Vinum, si æger bibere voluerit, subdulce, album, bene defæcatum, vetus, minimeque generosum sit.

Qui

Qui cerevisiâ utuntur, eligant sibi cerevisiam quàm optimè defæcatam, bene coctam, nec nimis recentem, crassam item & spissam. Crassa enim cerevisia quia plurimum frumenti habet, plurimum quoque nutrit. Hæc de cibo ac potu. Quoad exercitium, sit illud modicum; Sin verò propter imbecillitatem corporis deambulando aut equitando æger sese exercere non poterit, fiant frictiones, primò cum linteis calidis, postea cum succo lumbricorum, cujus modum præparandi petat Lector ex tractatu meo de Gangræna & sphacelo capite 13. in fine. Frictiones bis in die fiant, præcipuè tempore matutino, antequam æger Lecto egrediatur. Tunc enim quia pori sunt aperti, medicamentum facilius penetrat. Aër sit temperatus, calidus & humidus; somnus & vigiliæ mediocres conveniunt.

In Atrophia particulari, commemorata omnia, videlicet victus ratio, exercitia & frictiones, inprimis verò succus lumbricorum, & oleum nostrum de ranis, uti & aqua, quæ in præparatione colligitur, mitum in modum conveniunt. Oleum meum de ranis sequenti modo præparo.

R. *Ranarum viventium num. XII.*
Lumbricorum in aqua lotorum M. ij.
Florum & foliorum betonica
Iva arthetica an. M. ij.
Rosmarini
Majorana
Florum primula Veris
Salvia
Chamomilla
Meliloti an. M. j.

Omnia cum ranis & lumbricis incidantur, & in mortario conquassentur, projectis postea in cucurbitam affunde.

Aqua Juniperi sine vino distillata lb. vj.
Olei olivarum lb. vij.
Axung. humana
Felis
Canis &
Muris Alpini an. ℥ij.

Maneant in infusione horas 24. postea cucurbita suo capitello tecta, ponatur in arenam, & tam diu coquantur, donec tota ferè aqua sit exstillata. Oleum adhuc tepidum per prælum exprimatur, & reservetur ad usum. Odor, qui aliquantum gravis est, additione nunc olei salviæ, nunc Olei granorum Juniperi, spicæ, vel ol. ex floribus Sloeani, emendari poterit. Aquæ, quæ exstillavit, & in ampulla spaciosa collecta fuit, sequentia adde.

Cinamomi optimi
Gariophillorum
Nucis Muscata
Zinziberis
Curcuma
Macis
Cardamomi
Piperis ana ʒj.
Croci ʒß.

Contundantur grosso modo, misceantur fiatque infusio in prædicta ampulla, per Mensem integrum. Aqua hæc per inclinationem & expressionem separata, præstantissima est in affectibus nervorum & nervosarum partium: dummodò inflammatio aut intemperies calida non adfuerit. Manifestè enim corroborat, & circa nervos & articulos humores frigidos absumit. Odor ipsius aliquo modo gravis additione aquæ granorum Juniperi, spicæ, aut Cinamomi castigatur. Oleum similiter, ut dixi, coctum, postea per prælum expressum, in articulorum nervosarum partium doloribus, & proinde in Ichore & Meliceria Celsi summum est remedium.

In præparatione autem & coctione hujus olei id observandum est, totam illam aquam Juniperi, quæ herbis affusa, simul & succum ranarum & lumbricorum nequaquam elici posse. Oleum enim, quod aquæ supernatat, & in opere spatula in alembico deturbari & agitari non potui, impedit, quo minus tota aqua exstillet. Post distillationem itaque expressum oleum à subsidentia separandum, & seorsum conservandum est. Idem de subsidentia Olei intelligo, quæ separatim quoque in ampulla per annos aliquot conservari potest, dummodò oleum commune sit affusum; Subsidentia hac utor in cataplasmatibus, linimentis, aliisque medicamentis dolorem sedantibus, discutientibus, & resolventibus. Propter succum enim ranarum & lumbricorum, præstantissimum est medicamentum, quapropter etiam in colicis doloribus, ubi & Dysenteria utiliter Clysteribus admiscetur.

Si oleum de ranis in promptu non fuerit, paretur sequens linimentum.

R. *Ol. lumbricorum* ℥ij.
De piperibus de Euphorbio
Castorii an. ℥j.
Ol. granorum Juniperi ʒij.
Misceantur, vel
R. *Axungia Equi* Ramschmalts
Axungia humana
Ursi
Muris Alpini an. ʒj.

Misceantur & addantur Lumbricorum exsiccatorum, & subtilissimè pulv. ℥j.

Euphorbii
Piperis longi
Pyretri an. ʒj.

Misceantur, fiatque linimentum; quo tota pars affecta quotidiè bis calidè inungatur, donec ruborem concipiat.

Si durities aliquo in loco partis affectæ adfuerit, & transitum nutrimenti & spirituum retardaverit, emollienda & resolvenda est sequenti fomento.

R. *Radicum althea*
Liliorum alborum
Bryonia &
Ebuli ana ℥ß.
Foliorum althea
Malva
Betonica
Florum Chamomilla
Meliloti
Sambuci ana M. ßij.
Seminis lini
Fœnigraci an. ʒiij.
Anisi ʒj.

Incidantur & contundantur omnia grosso modo pro sacculo intersuto, qui aqua coquendus & calidè applicandus est, ter quaterve in die; post fotum inuncto loco affecto oleo lumbricorum, liliorum alborum & ungu. de althea, emplastrum de Muci-

Mucilaginibus; vel Oesypi Philagrii aut de ranis sine Mercurio; convenit & emplastrum de Cicuta, mirum enim in modum emollit & resolvit.

Cap. 25. *De rigidis & in unum concretis articulis, post curatum Ichorem & Meliceriam.*

FRequenter post curationem Ichoris & Meliceriæ, juncturam adeò rigidam & induratam remanere videmus, ut neque in hanc, neque in alteram partem deflecti possit. Hinc plerumque in longum tempus Chirurgus diu multumque laborare vidi, quo juncturam, nervos & ligamenta emollire possint, sed oleum atque operam perdiderunt. Ichor enim ille, qui ex toto corpore ad articulum vulneratum fluit, & ut antea dixi, acrimoniam contrahit, primò ligamenta & vincula, quæ articulum cingunt, deinde etiam cartilagines, quibus junctura incrustata est, erodit & absumit. Hinc fit, ut ossa à suis cartilaginibus & vinculis denudata, inter se per callum (quod ante me nullus, quod sciam, observavit) tam firmiter coalescant, ac si nunquam ea in parte fuisset articulus. Hoc multis paradoxum esse videbitur. Ego verò expertus loquor. Habeo enim in Musæo meo ossa in Cæmeteriis & ossuariis reperta, in quibus id evidenter apparet: & primò ossa brachii sinistri, hominis consistentis ætatis, quæ in cubito mediante callo tam firmiter & eleganter sunt connexa atque concreta, ac si continuum esset os, ac nunquam adfuisset junctura. Hoc quia, ut dixi, à Medicis nondum, quod sciam, observatum fuit, figuram horum ossium annectere placuit. (*Vid. Tab. VIII. Fig. 2.*)

Hujus connexionis ossium in cubito causam fuisse fracturam ossis brachii, & fracturam non satis rectè repositam fuisse, extuberantiæ, & prominentiæ Calli A. & B. notatæ, fidem faciunt. Propter asperitatem itaque & prominentiam fragmentorum ossis fracti, sequutum fuisse dolorem maximum, inflammationem & affluxum ingentem humorum cubitum versus, verisimile est, unde in cubitu hydrarthros ortus fuit, à quo primò erosa fuerunt ligamenta & vincula, quæ articulum cingunt, ita ut humor ille lentus ac viscidus, qui articulis naturaliter inest, affluxerit. Postea a prædicto Ichore acri crustulæ illæ cartilagineæ, quæ appendices ossium tegunt, erosæ quoque fuerunt, & ita quidem, ut partes spongiosæ apophysium tam ossis humeri, quàm etiam radii minoris, & focilis majoris invicem attingerent: inde factum est, ut ex nutrimento, ad utrumque os dilato, callus productus fuerit. De miranda hacce connexione ossium videat lector Obs. 77. Cent. 3. & Epistol. ad Dom. D. Pavium Anatomicum celeberrimum.


Habeo præterea in Musæo meo ossilei, hominis ætate provecti, in ossuario repertum. In hoc osse caput femoris suo acetabulo tam firmiter simul & eleganter innatum est, ac si cum osse coxendicis unum & quidem continuum esset os, ita ut an unquam ibi fuerit junctura, non nisi artis peritis notum sit, uti ex annexa figura apparet. In qua partem sanam ægræ opposui, ut affectus eò melius cognoscatur. (*Vid. Tab. VIII. Fig. 3.*)


Ex oculari autem inspectione etiamnum manifestum fit, femur à majore, sive exteriore processu, usque ad interiorem, sive minorem, ubi os ❋ signatum est, olim glande plumbea trajectum, mirumque in modum confractum, & quamplurima ossicula extracta fuisse, hinc femur brevius altero evasit, ut ex figura apparet. Globulum autem plumbeum prædicto modo os perforasse, inde conjicere licet, quod foramen in osse circa processum majorem parvum, ex adversa verò parte ❋ notata, magnum exstat. Experientia enim docet, globulum in suo ingressu parvum, in egressu verò magnum relinquere foramen. Porrò cum femur tam prope juncturam perforatum, mirumque in modum fractum comminutumque fuisset, dolores ingentes, & affluxus humorum supervenissent, erosa fuerunt ligamenta & cartilagines, ita ut caput femoris cum suo acetabulo mirando quodam modo in unum concreverint. Vidi idquoque in aliis corporis juncturis & præsertim in digitis. Habeo præterea in Musæo meo crus integrum, hominis consistentis ætatis, in quo femur cum osse tibiæ in genu ipso tam eleganter connexum est, ut ne Vestigium quidem juncturæ appareat. Imò & rotula ipsa, mediante callo tam arctè annexa est genu, ut nullo modo separari possit, sed ita incurvatum genu ut certum sit illum grallis incessisse. Addidissem effigiem hujus cruris, sed vereor lectori odiosum esse, librum figuris minus necessariis onerare. Mirum autem, verissimum tamen est, plerumque ex connexione hacce ossium, membrum non debilius, sed robustius, quàm non fuit antea, evadere, dummodò in curatione, membrum, ut postea dicam, in situm aptum collocatum fuerit. Exempla vidi primum in rustico quodam in agro Bernensi, de quo vide Cap. 2. hujus tract. Item Cent. 4. Observ. 88. Ille enim aliquoties sanctè mihi affirmavit, se in hac manu post curationem plus roboris, quàm antea habere. Aliud exemplum annotatione dignissimum vidi Coloniæ Agrippinæ, in nobilissimo quodam viro, ad quem una cum Clarissimo viro Dom. *Henrico Stapedio*, Medicinæ Doctore celeberrimo, & *Renero Slotano*, pharmacopæo excellentissimo, vocatus fui An. 1612. 6. Septembris. Ille ante aliquot annos ad dextrum cubitum vulnus ense receperat. Ex quo gravissima symptomata orta fuere, tandem quoque Ichor gravissimus, ossiumque in cubito connexio sequuta est, & ita quidem, ut junctura rigida & immobilis facta fuerit. Infinitorum propemodum Medicorum, Chirurgorum, atque agyrtarum, consilio usus fuerat, sed frustra. In hunc itaque finem accersitus fui, ut ex me intelligeret, an Medicamento aliquo apto atque idoneo, durities atque rigiditas illa articuli tolli, ac membrum in integrum restitui possit. Quum verò ipsi significarem, ossa ipsa in cubito per callum connexa esse, non tantum ipse æger, verumetiam adstantes omnes non parum admirati fuerunt & de hac connexione articulorum, se nunquam audivisse, neque apud authores legisse, affirmarunt. Commemoratione autem dignum est, nobilem huncce virum hoc brachio aliquantum incurvato, tam robustum, tamque validum fuisse, ut cuivis etiam robustissimo viro, in certaminibus, par propemodum fuisset. Ante omnia autem necesse est, ut Chirurgus perpendat, an articulum prædicto modo coaluerit nec ne? Si enim per callum connexus fuerit, frustra erunt omnia, quæ adhibebit. Vidi id Anno 1618. in Basileensi quodam viro juveni, cui propter Ichorem & Meliceriam cubitus connexus, & ita concretus fuit, ut junctura nullo modo moveri, flecti, aut extendi posset. Ego cum unà cum clarissimo & doctissimo viro Dom. *Joh. Friderico Wartenbergio*, Doctore Medico Celeberrimo, in consilium vocatus essem & coalitionem hancce juncturæ observassem, etsi omnia frustra futura prædixerimus,

fig. 1.














figure 6. & 7.







mus, tugarunt tamen patentes, ut teotarivam, ut vocant, curationem instituteremus. Corpus itaque purgavimus, fomenta, olea, emplastra, & Cataplasmata Emollientia per mensem ferè integrum applicuimus. Deinde ad Instrumenta sequenti capite delineata perveoimus, omnia quæ teutari potuissent, tentavimus, verum laboris nostri fructu & industria privati fuimus. In hujusmodi itaque affectibus nihil aliud tentandum est, quàm ut membrum corroboretur, de quibus posthac capite 30. dicturus sum.

Interim autem dum Chirurgus circa articulos, hoc morbo affectos, occupatus est, si de concretione ac coalitione juncturæ dubitaverit, necesse est, ut maturè perpendat, quisnam situs membri aptior commodiorve futurus sit ægro? Si enim brachium in cubito malè affectum fuerit, præstat ut sit incurvatum potius, quam tectum & extensum. Idem de digitis censendum est. Sciat tamen Chirurgus, digitos hoc modo affectos, non semper incurvari posse. Si enim ulcus ea interna parte digiti; & nervi digitum flectentes erosi & putrefacti fuerint, nervi verò extendentes illæsi permanserint, via fieri potest, ut digitus incurvetur. Sin verò nervus digitum extendens erosus fuerit, facilè incurvabis digitum. Cum crure verò longè alia est ratio: si enim malum genu, aut coxam infestaverit, longè commodius erit ægro, si crus extensum, quàm si incurvatum fuerit. Incurvato enim crure, æger absque gralla via incedere potest, uti ego in aliquibus vidi. Apparet id quoque ex præcedenti figura, ubi caput femoris non solum acetabulo suo adhæret, sed & in transversum detortum est, ita ut ægrum nunquam incedere imò nec gralla uti potuisse, ea siruosis satis appareat. Videat quoque Chirurgus ut ossa, interim dum per callum connectuntur, rectè se attingant, ne unum ad latus alterius eatubetantiam deformitatemque faciat, & imbecillitas perpetua istius membri sequatur.

Cap. 26. *De retractis nervis, & incurvatis juncturis, post Ichorem & Meliceriam.*

Retrahuntur plerumque nervi in hoc affectu, & incurvantur juncturæ, sine coalitione tamen ossium. Cum enim, propter dolorem maximum ac diuturnum, æger membrum extendere non potest, retrahantur nervi, & à calore isto præternaturali ac inflammatione, quæ membrum læsum infestat, exficcantur, & aridi fiunt, ita ut postea non nisi maxima cum difficultate extendi possint.

Diligenter autem hic affectus cum præcedenti distinguendus est, ne error in curatione committatur; si enim articulus per callum concretus fuerit, frustra adhibebuntur omnia, sin minus, curatio sequenti modo instituatur. Primò observanda est optima victus ratio. 2. Corpus clementer expurgandum, de quibus in præcedentibus abundè dictum fuit. Tertio, omnibus modis homectandi, & emolliendi sunt nervi, partesque nervosæ, ubi sequens convenit fomentum.

R. *Radicum althea*
Liliorum alborum
Brionia &
Ebuli an. ℥ß.
Foliorum & florum betonica
Iva arthetica
Rosmarini
Majorana an. M. ß.
Florum chamomilla
Meliloti
Sambuci an. M. j.
Seminis lini
Fanigraci an. ℥. j.
Anisi &
Anethi an. ℥ij.

Incidantur & contundantur omnia grosso modo, coquanturque in jure capitis & pedum vituli aut vervecis; in hoc decoctum immergatur membrum malè affectum bis aut ter in die, per horam unam aut alteram, prout ægro libuerit. Aut fiat sacculus ea præscriptis herbis, qui in prædicto jusculo coquatur, calidè applicetur, & per noctem retineatur. Abstracto sacculo, & linteis calidis abstersto membro, inungatur sequenti linimento calefacto.

R. Olei nostri de ranis, cujus descriptionem habes cap. 24.
Ol. *ex floribus an.* ℥j.
Ol *Lumbricorum*
Vulpini
Amygdalarum dulcium
Pinguedinis Muris Alpini an. ℥ß. *Misce.*
Aut
R. *Ungu. de althea* ℥j.
Pinguedinis humana
Anseris & caponis an. ℥ß.
Ol. *Lumbricorum* ℥j.
Ol. Granorum juniperi ℨij. *Misce.*

Post iounctionem applicetur emplastrum aliquod insigniter Emolliens, uti est Empl de Meliloto, de Mucilaginibus cum gummis, vel Emp. Oesypi Philagrii. Hoc modo bis in die curandus est affectus, donec satis emolliti fuerint nervi, & junctura ipsa. Tum adaptandum est membro unum ea sequentibus instrumentis (*Vid. Tab. VIII. Fig. 4. & 5*) stupis, gossypio, linteisque munitum, quod dies noctesque retinquatur, & pro arbitrio, & secundum tolerantiam ægri extendatur & incurvetur. Singulis tamen vel alternis diebus instrumentum amovendum, membrum inungendum, Emplastrum quinetiam renovandum est. Horum instrumentorum beneficio membrum incurvatum extendatur, lente tamen, ne dolores oriantur, & gravissima symptomata de novo subsequantur. Omne violentum enim periculosum. Interim autem dum genu appositum est instrumentum, deambulando blandè se se, si ullo modo fieri potest, exerceat æger. Sin brachium incurvatum fuerit, nunc antror sum, nunc retrorsum, sursum aut deorsum moveatur.

Cubitos incurvatos nonnunquam, sine prædicto instrumento, in pristinum statum reduxi hoc modo: Jossi ægro, ut præter prædicta Emollientia singulis horis manu pondetosum quid, veluti abenam lapidibus oneratam, arriperet, & deambulando hinc inde portaret. Est quidem extemporaneum sed non spernendum præsidium, quo in multis felici cum successu usus sum, etiam hoc Anno 1632. in filio nobilissimi ac strenui viri Dom. Jodoci à Diesbach &c.

Instrumenta ad cubitos & genua incurvata, ex magna Chirurgia Gualteri Riff *deprompta.*

Aut utere sequenti Instrumento, ea nostra inventione, quod quivis parvo cum negotio & sumptu habere, & tam ad genua, quàm cubitos incurvatos, adaptare potest: (*Vid. Tab. VIII. Fig. 6. & 7.*)

Instru-

Instrumenti præfigurati Explicatio.

Capsulam ex ligno fabricatam, tam in prima, quam in secunda figura denotat.

Annulus est ex lamina ferrea, ejus latitudinis, ut genu totum possit amplecti, fabricatum. Is autem in prima figura apertus, in altera verò clausus, & genu amplectens conspicitur. Ut autem eò melius adaptari possit, pars illa, quæ rotulam respicit, aliquantum excavata sit, necesse est.

Torcular existit, beneficio cujus annulus capsulam versus trahitur, aut quantum opus est, in altum elevatur.

Tam in primæ quàm secundæ figuræ parte una claviculum, altera verò foramina denotat, quorum beneficio annulus tantum, quantum necesse est, constringitur vel laxatur.

In prima figura cardines, quibus annulus clauditur aperiturque, denotat. Aperto itaque annulo, collocataque tibia in capsulam, annulus circumcirca genu adaptandus est, stupisque undiquaque & linteis muniendus; postea clavis & foraminibus, D. D. D. notatis claudendus. Habet præterea fibulas duas, F. F. F. F. denotatas, & lora duo G.G.G.G. signata, quorum beneficio tibia capsulæ alligatur. Circumducto præterea torculari C.C. notato a dextra in sinistram, annulus, simulque genu, capsulam versus trahitur, extenditurque tibia tantum, quantum Chirurgo opus esse videbitur. Porro torcular ut liberè in annulo circumvolvatur, necesse est; ideoque ex interiori sua parte nodum habet H. notatum.

I. Lamina est ferrea, quæ capsulæ mediantibus duabus claviculis firmiter annexa est, ut in ea torcular commodè circumvolvatur.

Cap. 27. *De ulcere sordido, post Ichorem & Meliceriam, ejusdemque curatione.*

Gravia sunt symptomata præcedentia, quæ verò sequuntur videlicet ulcus sordidum, putridum, & cum osse corrupto, periculo quoque non vacant; plerumque enim hominem vel interimunt, vel per totum vitæ suæ cursum miserè affligunt. De ulcere sordido, de quo in hoc capite actutus sum, exemplum singulare habeo.

Nobilis quidam in Ducatu Brunswicensi, *Conradus à Steinberch*, Vir juvenis, robustus, optimoque corporis habitu prædictus, cum in Belgio militaret, & quadam die in acie contra hostem strenuè pugnaret, ictu sclopeti ad sinistram rotulam vulnus recepit. In proximam urbem quidem conductus, ibidemque à Medicis & Chirurgis curatus fuit. Interim tamen propter doloris vehementiam atque diuturnitatem hydrarthros sequutus est, quapropter in patriam deportatus fuit. Ubi per multos annos ingentes dolores & cruciatus perpessus est. Ichor enim acris cùm ad tempus fluxisset, in sordidissimum ulcus degeneravit, cum tanto dolore, ut vix suffulcris incedere posset. Tandem Anno 1582. Dn. Cosmas Slotanus Medico-Chirurgus longè præstantissimus, præceptor meus æternùm honorandus (apud quem tunc temporis artem meam exercebam) in arcem *Bodenberg* in ducatu Brunswicensi, prope *Hildeshemium*, ad prædictum nobilissimum Virum vocatus fuit, ad quem cum pervenissemus, genu mirum in modum intumefactum, reliquum verò crus extenuatum invenimus. Genu variis in locis ulceribus sordidis scatebat, cum ossibus cariosis, & doloribus maximis, qui diu noctuque ipsum exercebant. Hinc viscera omnia interna mirum in modum labefactata & obstructa fuerant. Mansit Dominus Slotanus apud ægrum in arce Bodenberg per menses aliquot, ubi illam adhibuit diligentiam, ut æger non parum sublevatus fuerit, omnaque ad optatum scopum tendere videbantur, quapropter ut in curatione progredi vellet Slotanus, sedulò contendebat æger. Cùm verò Dn. Slotanus à Principe suo Dusseldorpium vocatus esset, nec ægro amplius adesse posset, camerato vehiculo Dusseldorpium se vehi curavit, ubi per menses aliquot in ædibus Dn. Slotani decubuit, interim a tribus istis præstantissimis Medicis, videlicet Dn. Renero Solinandro, Dn. Galeno Wiero, ac prædicto Dn. Slotano, ea qua fieri potuisset, diligentia curatus quidem, non tamen sanatus fuit. Propter maximam enim obstructionem labefactationemque internarum partium, tandem, & quidem in ipsis vigiliis Divi Michaelis, piè placideque obdormivit Anno 1582. Sequenti die, cùm coram prædictis Medicis, item Dn. Hermanno Hagio, Med. Candidato, & Dn. Wilhelmo Flodorpio, cadaver aperuisset Slotanus, interiora viscera omnia, præsertim hepar, mirum in modum à naturali statu decessisse vidimus, & in vesica fellea lapidem nucis muscatæ magnitudine & figura invenimus. Genu cum inspexissemus, ligamenta, cartilagines ipsaque ossa putrilagine infecta & consumpta erant. Cadaver Dusseldorpiæ à nobis conditum, & ad suos in patriam deportatum fuit. Hujus lapidis in vesica fellea reperti, meminit *Renerus Solinander* Consiliorum Medicinalium sect. 5. Consil. 16.

Historiam hancce non tantum in memoriam optimi ac nobilissimi hujus Viri Dn. Conr. à Steinberch adscribere volui, verùmetiam, ut Chirurgus magnitudinem hujus morbi inde videat, eumque præcavere edisceat. Si enim ab initio à Medicis & Chirurgis instituta fuisset, tam gravia symptomata procul dubio non supervenissent. Hydropem enim articulorum, sive Synoviam, ut Paracelsus testatur, ex ignorantia Medici aut Chirurgi provenire, ab initio Cap. secundo demonstratum est, Ichor enim acris non fluit, nisi error in curatione, sive à Medico, sive ab ipso ægro commissus fuerit. Ego jam in quinquagesimum annum ferè usque praxin Chirurgicam exerceo, ac interim iæ issimè articulos sauciatos curandos habui, per Dei tamen gratiam, nunquam symptoma hoc ægris meis supervenit, benedictus sit Jehova. Apud Dom. Slotanum quoque, cui in sextum annum inservivi, neque apud alios rationales Medico-Chirurgos, illud vulneratis supervenisse memini. Nunc, quomodo instituenda sit curatio, annectam.

Ante omnia præscribenda est optima victus ratio; expurgandumque corpus secundum humoris peccantis naturam, postea quin etiam nobilea corroborandæ sunt, de quibus cap. 22. de Cacochymia satis superque dictum fuit. Post hæc ulcus diligenter explorandum est, si enim angustum fuerit, inprimis dilatare operæ pretium est, idque fit turundis, vel ex spongiis præparatis, vel radicibus gentianæ facta, & mundificativo aliquo inunctis. At si citra periculum fieri potest, caustico ex solo capitello facto, cautè tamen agendum est, ne nervi partesque nervosæ lædantur, & dolores de novo excitentur. Satis aperto atque dilatato ulcere, si sordidum saltem & sine carie ossis fuerit, non usque adeò laboriosa erit curatio, imponatur itaque sequens mundificativum.

R. *Mellis*

R. *Mellis rosacei* ℥j.
Terebinth. non lota ℥. ß.
Pulv. radicum aristolochia rotunda
Myrrha
Aloes
Thuris an. ʒj. ß.

Misceantur in mortario, addendo Croci ℈j. Vitellum unius ovi, ad sedandos dolores, si supervenerint.

Aut:

R. *Pulveris radicum gentiana*
Iridis Florentina
Ligni Guajaci &
Farina Lupinorum an. ʒij.
Summitates centaurii, hyperici &
Scordii an. ʒj.
Terebinth. non lota ℥ß.

Mellis rosacei q. s. fiat in mortario unguent. Mercurium præcipitatum præstantissimum esse medicamentum in omnibus ulceribus, indies experior; Inspergo ipsum per se, vel hoc modo in forma unguenti filamentis impono,

R. *Mercurii præcipitati, rectificati, & aquâ rosaceâ & plantaginis loti* ʒij.
Unguenti rosati. Mel. s. ℥j.
Cera ʒj.

Misceantur diligenter in vase vitreo, spatulâ ligneâ. Mundificant quoque ulcera sordida ac putrida, unguentum Ægyptiacum nostrum, in tractatu de Gangræna & sphacelo descriptum, uti & ungu. Apostolorum, & Mundificat. de succo Apii. Præter pulverem autem vel unguentum, quod ulceri imponatur, sequens quoque applicatur Cataplasma.

R. *Farina fabarum*
Lupinorum
Hordei an. ℥ij.
Pulveris florum betonica
Iva arthritica,
Origani
Hyperici
Centaurii
Rosarum odoriferar. an. ʒij.
Salis commun. ℥iiij.

Coquantur cum decocto salviæ, Absinthii Vulgaris, & granorum Juniperi, fiatque Cataplasma addendo sub finem sapæ ℥iiij. vel, in ejus penuriam, mellis tantundem. Applicetur calidè.

Aliud.

R. *Farina lentium*
Lolii, an. ℥iij.
Fimi caprini ℥ij.
Pulveris florum Chamomilla,
Sambuci, betonica an. ℥ß.
Ligni Guajaci ℥j.
Salis Marini ℥ß.

Cum Lixivio consorum fiat Cataplasma, addendo sapæ, vel mellis ℥iiij. Cataplasmata hæc corroborant, & insigniter exsiccant, quapropter diligenter perpendat Chirurgus, adsit ne durities aliqua præter naturam circa nervos, vel in ipso articulo? tale enim quid si adfuerit, plerumque autem adest, non pura exsiccantia, sed quæ simul emolliunt, ex usu sunt, uti est sequens Cataplasma.

R. *Farina tritici*
Fabarum
Hordei an. ℥ij.
Pulv. Florum & foliorum betonica
Iva arthritica,
Origanii, &
Rosarum an. ʒij.
Florum Chamomilla
Meliloti
Sambuci
Radicum althea an. ʒiij.
Farina fanigraci
Lini an. ℥ß.

Coquantur cum decocto radicum & foliorum malvæ, fiatque Cataplasma, addendo ol. liliorum alb. & lumbricorum ana ℥j. vitellos ovor. num. 2. Aut applicetur Emplastrum ex Mucilaginibus vel de melliloto, aut Oesypi Philagrii. Præscriptis remediis plerumque usque ad finem curationis usus sum. Commemorata enim unguenta non solùm mundificant ulcera sordida, verùm etiam incarnant, & cicatricem inducunt. Quod si tamen circa finem caro aliqua laxa atque spongiosa excreverit, alumen ustum inspergito, & Emplastrum Diapalmeum, aut Sluiani, vel de cerusa cocta, de minio, vel simile quid, applicato.

Cap. 28. *De ulcere putrido & sphacelato, post Ichorem & Meliceriam.*

INter ulcus sordidum & putridum aut sphacelatum, maximum est discrimen; In ulcere enim putrido, calor nativus, (qui concoctionis humorum in corpore, & digestionis sanie in ulceribus opifex est) propter doloris vehementiam ac diuturnitatem, propter affluentis item humoris serosi copiam, vel ex toto, vel ex parte exstinguitur, de membro actum est, ut videre licet ex historia, quam postea ex Johanne Langio annectam. Si verò ex parte exstinctus fuerit, pars saltem aliqua membri morietur, & in escharam abscedet. Secus accidit in sordidis ulceribus, in quibus calor nativus quidem ad maximum langorem ac imbecillitatem, redactus est, non tamen exstinctus. Humidum quin etiam innatum in sordido ulcere; non absumptum, sed aliis pravis humoribus inquinatum ac depravatum est; hinc fit ut quum operationes naturales circa ulcus segniter perficiantur, excrementitii verò humores (qui sine intermissione affluunt) propter partis læsæ labefactationem, excipiantur, ut ulcus præhumidum ac sordidum sequatur.

De ulcere putrido & sphacelato; post Ichorem & Meliceriam sequuto, exemplum nullum me vidisse memini, facilè tamen membrum Ichore & Meliceride affectum in sphacelum transire posse, non absurdum est dicere, uti quoque in tractatu nostro de Gangræna & Sphacelo c. 4. demonstratum est. Johannes Langius lib. 1. Epistola. 3. de Ichore vel hydrope articulorum loquens, exemplum singulare habet; illud, quia commemoratione dignum esse censeo, hic annectere non gravabor. *Audi*, inquit, *obsecro illorum*, videlicet Chirurgorum, *dementiam. Ne talis Ichor, quem ipsi congenitum articulis humorem arbitrantur, effluat incassum: pilis capreolarum, quibus Ephippia Equorum infarciuntur, osculum vulneris, appositæ spleniorum fasciculo obstruunt, quo fit, ut ea sanies illa effluere non possit, ut subtercutanea totum perreptet membrum, tandem hoc semiputridum, obstructis vitalis spiritus meatibus, sphacelo emoritur. Dicere me pudet, sed dicam quod hisce oculis vidi. Amberga Chirurgum unguentum populeonis in patella fervefactum, bullient*

bulliens adhuc; vulneris osculo infundentem, à quo cum remedii rationem sciscitarer, malis mala curari oportere, respondit; tum patiens effusis lachrymis. Certè inquit, *tua remedia non mala tantum, sed pessima esse sentio; cui ego post biduum abscisso serra brachio medebar.* Hactenus Langius. Ex quibus colligere est, dolorem omnium esse gravissimum symptomata, & hujus morbi causam præcipuam.

Superesset nunc, ut de curatione quoque aliquid adderem, perficitur illa optima victus ratione, evacuationibus, tum per pharmaca, tum etiam per venæ sectionem, & topicorum administrationem; de quibus omnibus quia in tractatu nostro de Gangræna & Sphacelo satis superque d.ctum fuit, illa ut hic repetam, supervacaneum esse existimo. Unum tamen lectorem commonefacere volui, videlicet, ut mollius tractet hujusmodi ulcera, quàm si in aliqua parte musculosa essent; ne aucto dolore vires penitus prosternantur.

Cap. 29. *De ulcere cum osse carioso, ejusdemque curatione historica.*

TAnta est Ichoris, qui ex læsis articulis fluit, acrimonia, ut non tantum carnem partesque molles, verùm etiam cartilagines & ipsa ossa erodat atque contamineat, ut in nobilissimo ac strenuo viro Dom. *Conrado à Steinberch*, & in aliis vidi. Longè prætetea lateque serpit, & ulcera subcutanea & cuniculosa fodit, uti ex sequenti historia videre licet, quam in gratiam tyronum hic inserere volui. Est enim veluti compendium atque exemplar totius curationis hujus affectus.

Anno 1622. decima Augusti, Juvenis quidam Bernensis 14. annorum, Reverendi & doctissimi viri Dn. *Jacobi Haberewteri* p. m. quondam hujus urbis verbi divini Ministri filius, cum inter deambulandum pedem dextrum leviter contorsisset, & ab initio malum neglectum fuisset, post dies aliquot exorto dolore, barbitonsor vocatus fuit, qui dislocationem adesse, constanter asseruit; Id tamen falsum fuisse, inde apparet, quod æger in tertium & quartum diem per urbem ambulaverit, scholam visitaverit, & cum condiscipulis suis currendo & saltando se exhilaraverit. Quid fit? temerarius ille tonsor, nulla habita ratione doloris, aut inflammationis, dislocationem à se falso fictam reponere tentat, pedem violenter extendit, & ex una in alteram partem detorquet, ac miserè ægrum excruciat. Hinc aucta fuit inflammatio, auctus quoque fuit dolor, ita ut dies noctesque ejulare coactus esset. Febris quoque ardentissima, sitis inexhausta, lypothymiæ, eructationes, cibi fastidium, urinæ ardor, omniaque symptomata, quæ affectum huncce comitari solent, supervenerunt. In mortis itaque agonem ferè cum redactus, & à barbitonsore suo pro deplorato derelictus esset æger, ac ego in consilium vocatus essem, pedem totumque crus ad coxam usque mirum in modum intumefactum, omniaque symptomata, quæ capite quarto recensui, adesse observavi. Pes in suo ambitu octo habebat ulcera, sordidissima, quorum nonnulla in ipsam juncturam penetrabant. Ex quibus ichorosa materia tam copiosè effluebat, ut mirum sit, unde in corpore extenuato ac debili tanta colluvies humorum provenire potuerit. In medio tibiæ ulcus erat profundissimum, & cuniculosum. Ex una enim parte ad poplitem & versus flexuram ferè genu ascendebat; ex altera verò parte ad talum & articulum pedis descendebat.

Vix autem (quod annotatione dignum est) reperitur ulcus in hoc affectu, quod non sit cuniculosum, & maximè circa vasa venarum & arteriarum. Sanguis enim & humores, qui doloris vehementiâ ad locum affectum trahuntur, propter ingentem inflammationem incalescunt, & in ipsis vasis acres fiunt, proximasque partes erodunt: quemadmodum itaque prædicta vasa in diversas partes sparguntur, ita etiam ulcera cuniculosa efficiuntur. Hæc diligens Chirurgus diligenter observare, & cuniculosa hæcce ulcera maturè detegere debet: ne materia in eis retineatur, & adjacentes partes devastentur.

Curationem à victus ratione (quam imperitus & temerarius ille tonsor neglexerat) inchoavi, illamque propter summam imbecillitatem atque extenuationem corporis, insigniter nutrientem, ratione febris aliquo modo refrigerantem institui. Et quia alvus non respondebat, suppositorio ipsam laxavi. Eadem quoque die, circa decimam noctis sequentem potiunculam exhibui.

R. *Maconii calore solis præparati* ℈ß.
Confectionis Alkermes ℈j.
Syr. *de pomis* ℥j.
De succo citri ℥ß.
Aq. *Cinamomi sine vino distillata* ʒij.
Aq. *Buglos. & boraginis q. s. Misceantur*, fiatque potio. Carpis Epithema hoc modo præparatum applicui.

R. *Aq. Rosarum*
Buglossa,
Boraginis
Acetosa an. ℥ij.
Aceti rosacei, &
Aq. *Cinamomi sine vino distillata an.* ℥j.
Confectionis Alkermes ʒj.
Caphura ℈j.
Misce, fiatque Epithema. Applicetur carpis, & singulis horis renovetur.

Eadem quoque vespera totum crus à genu usque ad coxam sequenti linimento inunxi, pedem verò ac tibiam propter maximam inflammationem inungere ausus non fui.

R. Ol. *Rosarum*
Violarum, &
Amygdalarum dulcium an. ℥j.
Ol. *ex floribus* ℥ß.
Misceantur.

Tibiam & pedem, ut dixi, non inunxi. Pinguia enim inflammationibus adversissima esse, Galenus docet, & experientia fidem facit. Ulceribus, quorum novem, omniaque angusta erant, filamentis imposui.

R. *Cera nova* ℥j.
Colophonia
Gummi Elemi an. ʒvj.
Therebinth. Aq.
Betonica lota ℥ß.
Ol. *Lumbricorum*
Amygdalarum dulcium
Ol. *de vitellis ovorum*
Rosarum an. ℥ß.

Misceantur lentissimo igne & percolentur; Posteà admisce croci pulverisati ℈j. Vitellos ovorum num. 2. Pedi ac tibiæ usque ad genu sequens cataplasma calidè applicui.

R. *Farina hordei*, &
Mica panis albi an. ℥iiij.
Pulveris radicum Althea &

Sem.

Sem. *Fœni graci an.* ℥ß.
Sem. *Cydoniorum*
Anethi &
Meliloti an. ℥j. Cum lacte vaccino fiat cataplasma, addendo ol. Lumbricorum, butyri recentissimi an. ℥j. Croci ʒß. vitellos ovorum N°. 3. ferventur in vase vitreato, bene clauso, applicenturque calidè. Hic error Chirurgorum quorundam notandus est, qui cataplasma, quotiescunque illud applicant, in sartagine ad ebullitionem ferè calefaciunt, sed perperam: dum enim illud secundo vel etiam tertio ebulliunt, virtus ipsius evanescit, aut saltem multum imminuitur. Hæc cùm ego in juventute mea perpenderem, aliam institui methodum. Antequam enim fascias solvo, & vulnus aut ulcus detego, omnia prius præparo medicamenta necessaria. Cataplasma supra linteum extendo, turundas, aut pulvillos adapto, & unguento inungo. Tandem fascias solvo, Medicamenta abstraho, protinusque ulcera abstergo, non tamen tela, ut vulgus Chirurgorum, sed penicillis ex spongiis, hunc in modum bacillis annexis. (*vid. Tab.* VIII *fig.* 8. & 9.

Tela enim plerumque aspera est, nec sordes ulcerum, uti facit spongia, excipit. Abstersо vulnere aut ulcere, protinus turundam aut pulvillam appono, partemque, si opus est, inungo. Interim dum hæc facio, cataplasma impositum typhoto cum prunis sensim & ad libitum calefit, Typhorum si in promptu non fuerit; tegulam vel rotabulum calefacere jubeo, eoque cataplasma impono. Hæc autem ea propter sic instituo, ut vulnus illicò claudatur. Aër enim, præsertim si frigidus fuerit, vulneribus & ulceribus omnibus, inprimis capitis, pectoris, & partibus nervosis, adversissimum esse, docet experientia. Methodum hancce in omnibus ægris meis observo, quam in gratiam tyronum artis, simul & ægrorum, hic annectere visum fuit. Nunc iterum ad institutum.

Prædicta Medicamenta bis in die, epithema verò singulis horis iteratum, renovatumque fuit, & sequens mox quietior exstitit, quapropter cum prædicta medicamentis in decimum quartum usque diem processi, singulis quin etiam, vel alternis diebus, aut de tertio in tertium diem, præscriptam potiunculam cordialem ex Mæconio & c. post cœnam propinavi. Hisce remediis dolor intra paucos dies sedatus fuit, & ulcera ad optimam digestionem pervenerunt: vires quin etiam recolligere cæpit. Erat enim adolescens vividus, & optimo corporis habito præditus: quapropter sequenti potiunculâ clementer ipsum purgavi.

R. *Pulveris nostri Laxativi* ℈j.
Syrupi rosati solutivi compositi ℥ß.

Cum decocto pectorali fiat potio, quam in crepusculo matutino sumpsit, & clementer expurgatus fuit. Symptomata quoque ab eo tempore paulatim remiserunt.

Statim autem ab initio (quod notandum, & in omnibus ulceribus ichorosis, si angusta, sinuosa, & cuniculosa fuerint, observandum) superficies ulcerum nonnihil dilatavi, clementer tamen, ne dolores excitarem, Dolor enim cum sit causa hujus morbi, ut antea persæpe dixi, evitandus est, Ulcus verò, ut ichor illic acria, indigestus, & corrosivus, effluere possit, dilatandum. Dilatatio porrò hæc turundis, jam ex carbaso, jam ex spongiis præparatis, & suprascripto digestivo inunctis, facta fuit.

Impetum mali, cum jam devictum esse viderem, & Stylo argenteo ulcera explorarem, bone Deus quot ductus cuniculosos, sinuositates, imò & in ipsam juncturam usque penetrantes inveni? Ex interna parte tibiæ in medio, inter genu & talum, circa ramum venæ cavæ descendentem, ulcus erat sordidum, quod ex una parte ad genu ascendebat, ex altera ad talum & juncturam descendebat, circumcirca juncturam pedis ulcera octo angusta, & ad juncturam penetrantia erant. Hæc omnia spongiis præparatis, & nunc digestivo, antea descripto, nunc mundificativo ex pulvere præcipitato illinitis, paulatim dilatavi.

Dilatatis ulceribus, membranas & ligamenta putrida inveni, quæ quum paulatim beneficio naturæ à partibus sanis separata essent, os calcis ex utraque parte non saltem cariosum, verùm etiam (quod dicam admiratione non vacat) ex uno in alterum latus perforatum inveni, non aliter ac si aliquis terebello hujus O magnitudinis illud perforasset. Foramen hoc non statim ab initio, sed successu temporis eùm detectum esset, funem sericum mundificativo, capite de ulcere sordido, ex radicibus gentianæ, Iridis Florent. ligno Goajaco &c. præscripto, insuccatum, ex una parte pedis ad alteram per ipsum os Calcis perforatum traduxi. Quod & multi etiam Medici nostri, & *Dn. D. Ioh. Burgawer* Medicus celeberrimus, qui tunc temporis commensalis meus fuit, non sine admiratione aliquoties viderunt. Funiculis enim istis per multos dies, ne dicam septimanas, ad perfectam ulceris mundificationem usus fui. Tandem squamma ossis in forma tubuli excidit, foramenque ossis callo, & ulcus cicatrice obductum est.

Cæterùm quia perforatio hæcce rara, forsan & à paucis observata, reliqua quæ exempla habeo, hîc annectere non gravabor. In tribus autem diversis ægris illam vidi. Primus fuit æger noster, de quo hîc agitur. Secundò illam vidi in quadragenario quodam Genevensi, *Stephano Iuvenonio*. Ille cùm anno 1602. undecima Decembris, in acie adversus hostem pro patria acriter pugnaret, vulnus ictu sclopeti ad humerum dextrum recepit. Chirurgus cum ab initio glandem plumbeam ad sinistram homoplatam, ubi cuti erat proxima, excidisset, & nescio quo balsamo artificiali empiricorum more vulnus curare vellet, & intra paucos dies labia vulneris contracta essent, in gravissimum affectum evasit. Ulcus hocce quum in decimum mensem usque Genevæ curatum fuisset, & pro desperato, ac insanabili haberetur, venit ad me Paterniacum, ubi tunc temporis Medico-Chirurgus ordinarius eram, ubi ipsum feliciter, per Dei gratiam sanitati restitui. Laboriosa quidem ac longa fuit curatio, in qua & varia annotatione digna occurrerunt, & inter alia furculam in medio ferè ex una in alteram partem perforatam inveni; ex hoc foramine squammam ossis quoque in forma tubuli suo tempore extraxi, res profectò mira, cum sit unum ex ossibus totius corporis durissimum.

Tertium exemplum vidi Paterniaci Anno 1605. in puero quodam novem annorum, *Iohanne Dom. N. Pennini*, verbi divini ministri in præfectura Ebroduneosi, filio, qui mihi ex ædibus parentis Paterniacum adductus fuit. Laborabat autem puer iste ulcere fistuloso & inveterato ex interna parte tibiæ dextræ. Illud quum spongiis præparatis dilatarem, (exterius enim angustum, interius verò cavum & cuniculosum erat) & mundificarem, foramen rotundum ac magnum, ad medullam usque penetrans, in focili majori inveni. In hoc foramine, & quidem in ipsa medulla motum arteriarum, quotiescunque ulcus curabam, observare potui. Curatio quamvis laboriosa & longa fuerit, multa enim ossa cariosa extraxi, ad optatum tamen finem ipsam per Dei misericordiam reduxi: neque ab eo tempore usque ad annum 1629. circa festum divi Martini, quo me Bernæ invisit; de hoc malo amplius conquestus est.

Curatio autem hujus ulceris eapropter laboriosa, longa, ac difficilis fuit, quod prope talum extabat. Et proinde ulcus & circumjacentes partes inter deambulandum, currendum & saltandum (puer enim præter modum vividus erat) continuò contrahebantur. Venit mihi tunc in mentem curatio, cujus fit mentio Cent. 1. Obs. 38. quapropter ut pedem immobilem facerem, capsulam inferius depictam ex ligno fabricavi, (*vid. Tab.* VIII. *fig.* 10.) in quam pedem tibiamque ad genu usque linteis, stupis ac fasciis tam concinnè adaptavi, & tam arctè inclusi, ut pedem neque in hanc, neque in illam partem movere posset. Etiamsi propter ipsius vivacitatem, fulsulcris incedendo continuò corpus exerceret. Capsulam hancce per menses aliquot dies noctesque gestavit. Interim ulcus ab ossibus cariosis mundificatum & cicatrice obductum fuit. Ex his videat Chirurgus diligens, quàm noxium sit motus in vulneribus & ulceribus articulis proximis.

A. Foramen est in fundo capsulæ excavatum, ad excipiendum calcaneum.

B. Asserculus capsulæ è regione ulceris patum excisus, ne ulcus comprimatur.

Tria hæcce Exempla, uti dixi, in ægris meis vidi. Habeo quoque in Musæo meo ossa nonnulla tibiarum, quæ olim in ossuariis inveni, quæ eodem modo perforata sunt. Ex quibus perspicuum fit, ossa in ulceribus propter Ichoris acrimoniam sæpissimè perforari. Mirum itaque non est, plerumque ulcera ad finem vitæ durare, quando videlicet foramina hæcce cariosa à Chirurgo non deteguntur. Sed hæc obiter, nunc ad institutum.

Dilatatis ulceribus, quæ sordida erant, mundificativo ex Mercurio præcipitato & unguento rosato, Capite de Ulcere sordido descripto, vel etiam pulvere ipso præcipitato, parcè inspersо, mundificavi. Ubi verò os cariosum & denudatum fuit, jam pulverem Euphorbii per se, jam verò sequentem inspersi.

℞. *Rad. Aristolochiæ rotundæ*
Angelicæ
Iridis Florent. an. ℨij.
Ligni Guajaci &
Corticum ejusdem an. ℨiß.

Misce, fiatque pulvis tenuissimus, qui ossibus cariosis copiosissimè inspergatur. Interim tamen danda est opera, ne labia ulcerum concidant, & ulcera claudantur, quapropter spongi a præparatis diligenter apertæ sunt conservandæ, donec ossa cariosa naturæ beneficio excidant, nullo enim modo vi sunt extrahenda, quemadmodum sæpissimè juniores Chirurgos in scriptis meis monui. Caro si in ulceribus præter modum excreverit, pulvis præcipitatus, rectificatus & lotus, carni inspergendus est; Luxuriantem enim carnem reprimit, & malignitatem ulceris corrigit. Circumcirca juncturam Cataplasma corroborans ex farina fabarum, lupinorum, hordei, betonicæ & similibus, Capite de ulcere sordido descriptum, applicui. Et hoc modo ad finem usque curationis processi. Longa fuit ac laboriosa curatio, & per aliquot menses duravit, ita ut numerus turundarum, tam ex spongiis præparatis, quàm ex carbaso præparatarum, & in usum adhibitarum (ut æger ipse diligenter observavit, notavit, & etiam heri 20. Septembris 1630. coram me & aliis constanter affirmavit) numerum mille & quingentarum excedat: officula quoque multa extracta fuerunt, interim tamen ita convaluit, ut incedendo, deambulando, vix claudicatio ulla appareat. Calcaneus tamen nonnihil retractus est, & junctura pedis planè coaluit, & per callum eodem planè modo, ut antea Capite 25 de coalitione cubiti & coxæ dictum, concrevit. Hac methodo ac Medicamentis in ulceribus cum osse corrupto procedendum est.

Nonnulli ossi carioso oleum vitrioli, vel aquam, quâ aurum ab argento separatur, quam vulgus *fortem* appellat, applicant. Maximam enim exsiccandi vim habere, referunt; Quod quidem verum. Cariem tamen ossis non corrigere, sed adjacentes partes sanas destruere, in juventute mea apud practicos observavi, præsertim Dusseldorpii in nobili quodam viro, cui in levissima & superficiali carie ossis tibiæ, à Chirurgo suo applicatum fuerat oleum vitrioli, hinc tanta sequuta fuit caries in osse, ut Dom. D. *Galenus Wierus*, Medicus longè celeberrimus, illam vix tribus cauteriis benè ignitis castigare atque emendare potuerit, cujus rei ego sum testis ocularis. Quapropter caveant sibi Chirurgi, ne hujusmodi Medicamenta ossi applicent, sunt enim subtilissimarum partium, ita ut ad proximas partes longè latèque perfluant, & quæ sana sunt, destruant. Requirit quidem os cariosum medicamentum, quod insigniter exsiccet, sed necesse est, ut simul sit crassarum partium; tale autem est Euphorbium, quod cariem ossis, ut alibi dixi, & in multis meorum ægris vidi, corrigit, carnem tamen, ut hactenus Practici voluerunt, non adurit, aut inflammationem excitat, quapropter eo etiam in pueris uti possumus.

Pharmacopæi autem, quod notandum, quando Euphorbium in pulverem redigunt, guttulam unam aut alteram olei affundunt, ne eorum nares feriat, aut exulceret, sed malè; oleum enim ossibus denudatis adversissimum esse, sciunt Practici, & facultatem exsiccandi Euphorbii infringit. Loco itaq; olei Euphorbium spiritu vini irrorare convenit. Hæc de ulcere cum osse corrupto, videlicet quando superficie tenus cariosum est.

Si verò corruptio, aut caries ossis in ipso articulo fuerit, ita ut Euphorbium ad cariem pervenire non possit, de salute tamen ægri desperandum non est. In prædicto enim ægro non ubique ossibus cariosis Euphorbium inspergere mihi licuit, nihilominus tamen feliciter sanatus fuit. Ulcera enim beneficio turundarum ex spongiis præparatis aut radicibus gentianæ, aperta retinui, & mundificativum sequens quotidie imposui.

℞. *Corticum ligni Guajaci*
Sassafras
Rad. *Angelicæ*
Rad. *Aristolochiæ rotundæ an.* ℨiß.
Myrrhæ
Aloes an. ℨj. Fiat omnium pulvis tenuissimus, in mortario admisce extracti scordii ℥j. Mellis rosacei quantum sufficit. Misceantur, fiatque mundificativum, quod præstantissimum est in omnibus ulceribus sordidis, putridis, & cum ossibus corruptis, quo & in nostro ægro tanto cum fructu usus fui, ut natura ligamenta, vincula & cartilagines putridas paulatim ejecerit, & juncturam per callum connexerit, eodem planè modo, ut antea de cubitu & coxa dictum fuit. Interim autem dum circa ulcera, ut illa aperta retinerem, mundificarem, & ossa cariosa extraherem, occupatus eram, in universalibus nihil omissum quoque fuit: optimam victus rationem observavi, corpus per intervalla blandè expurgavi, & ne dolor excitaretur, operam dedi.

Prædicta Methodo & Medicamentis ita restitutus fuit pes, ut inter deambulandum per urbem vix claudicatio observari posset, ulcera etiam clausa permanserint; quapropter

quapropter scholam iterum frequentavit, tandemque artificium Mechanicum didicit, idque exercendi gratia,. post annos aliquot ad exteras regiones profectus est. Quum verò Anno 1629. in ipsis turbis bellicis in Germania opificium suum exerceret, multosque labores & molestias sufferret, cibis quinetiam sale conditis, & fumo exsiccatis vesceretur, & corpus ab eo tempore, quo Bernâ discesserat, purgatum non fuisset, usum quinetiam fasciarum neglexisset, humores iterum ad pedem defluxerunt, & inflammationes, pruritum, aliaque incommoda, quæ ulceribus præcedere consueverunt, excitârunt. Hæc cum iterum flocci-faceret, ad utrumque talum exortum est ulcus, cum quibus denuò per menses aliquot occupatus fui, iterum tamen, laus sit Deo, convaluit.

Cap. 30. *Quomodo pars affecta post curationem Ichoris & Meliceriæ, corroboranda?*

POstremum quidem, sed non minimum symptoma Ichoris, est labefactatio & imbecillitas partis læsæ, post curationem ulceris; inde fit, ut plerumque haud paucas ægro pariat molestias. Propter imbecillitatem enim pars affecta defluxionibus fit obnoxia, præsertim si malum in pede fuerit: humores enim ad locum decliviorem facilè decumbunt, facilimè verò propter summam imbecillitatem partis malè affectæ recipiuntur.

Imbecillitas autem hæc propter caloris nativi ac humidi innati diminutionem procedit. Quandoquidem intemperies illa maxima & calida, quæ partem læsam non raro per dies multos, ne dicam septimanas, aut menses, infestat, calorem innatum, & humidum radicale absumit imminuitque, ita ut ad repellendos humores, qui affluunt, non satis sit valida: & præsertim si vasa arteriarum & venarum erosa fuerint, uti in adolescente illo, cujus cap. proximo de ulcere cum osse corrupto memini, accidit. Hinc fit, ut plerumque (si æger de conservanda valetudine non satis sollicitus fuerit,) ulcera circa talum sequantur, quæ & difficulter sanantur, uti in prædicto adolescente vidi. Ille enim quum in quartum annum post curationem Bernæ in patria substitisset, ac ego totum illud tempus de ipsius valetudine sollicitus fuissem, sana ac integra permansit tibia: quum verò ad externas regiones profectus fuisset, molestias atque labores multos sustinuisset, in victus quinetiam ratione peccasset, & corpus in quartum annum purgatum non fuisset, humores frequenter ad tibiam defluxerunt, ac ulcera circa talos excitarunt, quæ mihi, cùm Anno 1630. Mense Septembri Bernam reversus esset denuò labores multos procrearunt, ut in fine præcedentis capitis dictum est.

Ponamus itaque casum, pedem Ichore fuisse affectum, juncturam quin etiam per callum (ut in præcedenti jovene accidit) coaluisse, hæc ægro observanda sunt. Primò utatur cibis bene nutrientibus, & optimum succum ac sanguinem procreantibus, à salsis & piperatis abstineat, ne excalefacto hepate, sanguis incalescat, & ad tibiam præter modum debilitatam defluat. 2. Corpus per intervalla pharmaco aliquo benigno evacuandum est. 3. Si plethora adfuerit, venam quoque brachii incidere convenit, de quibus in præcedentibus suo loco abundè dictum fuit. Superest igitur ut de topicis, quæ calorem nativum corroborant & fovent, aliquid adscribam. Eorum autem nonnulla ex cap. 24. de atrophia, uti est succus lumbricorum, oleum item & aqua ranatum, petenda sunt. Aut fiat sequens aqua:

R. Flor. & Fol. *Betonica*
Iva arthetica
Flor. *Primula Veris*
Granorum juniperi an. M. iiij.
Lavendula
Hyperici
Calamenti
Rosmarini
Majorana an. M. ij.
Oculorum populi arboris ℔. j.

Incidantur & contundantur omnia grosso modo, quibus affunde aquæ betonicæ, ut supernatet quatuor digitos. Maneant in infusione dies quatuor aut quinque, postea destillentur per vesicam s. artem. Aqua hæc præstantissima est in affectibus nervorum ac nervosarum partium, etiam in defluxionibus ad articulos; modò intemperies calida non adfuerit. Succus lumbricorum si cum prædicta aqua præparatus fuerit, præstantissimus erit. Totum autem crus ad dorsum usque prædicta aqua aut succo lumbricorum iungatur. Articulo malè affecto Emplastrum Stolani (cujus descriptionem alibi in scriptis meis habes) applica. Aut

R Empl. *Diapalmes* ℥iiij.
Cera nova ℥ij.
Gummi Elemi, &
Tacamahaca an. ℥j.
Masticis,
Olibani an. ʒx.
Pulv. *Lumbricorum terrest.* ℥iß.
Pulv. *Rosarum odoriferarum*
Myrtillorum,
Balaustiorum
Iva arthetica, &
Flor. *Hyperici an.* ʒij.

Dissolvantur gummata lentissimo igne, cum Ol. lumbricorum q. s. & percolentur per linteum. Postea commisceantur omnia cum Emplastro prædicto & cera liquefacta, fiatque massa, addendo nonnihil ol. granorum juniperi, aut spicæ, Emplastrum hoc præstantissimum est in affectibus juncturarum & nervosarum partium, si intemperies calida non adfuerit.

Tibia à digitis pedum usque ad genu fascia ex tela semitrita & suavi singulis matutinis involvenda est, ne sanguis & humores cum impetu ad pedem defluant. Fascia hæc, ut majoris sit efficaciæ, cerâ hoc modo præparatâ imbuenda est.

R. *Cera nova,* ℥vj.
Gummi elemi pinguis, ℥ij.
Pulv. Masticis,
Olibani, an. ℥j.
Olei rosacei q. s. Misceantur lentissimo igne in sartagine.

Si verò affluxus humorum vehemens fuerit, fasciam singulis matutinis, antequam æger è lecto surgat, sequenti decocto insuccare convenit.

R. *Foliorum & florum betonica*
Iva arthetica
Salvia
Absinthii vulgaris.
Rosarum rubearum
Florum chamomilla &
Sambuci an. m. ß.
Salis comm. ℥. ß.

Cum lb viij. fiat decoctio usque ad consumptionem quartæ partis. Fasciâ hoc decocto infuccatâ utimur interdiu, quando necessitas maximè urget, & cœlum est calidum, aut æger lecto vel hypocausto non egreditur. Si verò tempus frigidum fuerit, fascia humida nonnisi noctu utor, interdiu verò siccam applico. Modus ille, fasciis ligandi tibias, mihi frequens est & usitatissimus, eoque maximo cum successu in ulceribus tibiarum utor. Affluentes enim humores retinet, partemque affectam exsiccat corroboratque.

Vulgus, etiam multi ex Chirurgis vulgaribus, methodum hancce improbant, nulloque modo humores ex corpore ad ulcera tibiarum fluentes (quos parvos & corruptos esse dicunt,) fascia repellendos, retardandosque esse volunt. Si enim inquiunt, in corpore retinentur, quidnam exspectandum, quàm citius interitum? Respondeo, humorem, qui ad ulcera fluit, duplicem esse, naturalem & excrementitium. Natura enim sagax atque prudens, etiamsi individuum suum ut conservetur, semper occupata atque sollicita, fieri tamen non potest, quin unà cum excrementitiis humoribus laudabile quid ad ulcera fluat, facit id loci malè affecti declivitas & imbecillitas, quapropter excrementitios simul & bonos recipit, qui cum reliquis in parte affecta corrumpuntur, non aliter ac si in dolium humore aliquo putrido imbutum, generosum vinum infuderis. Sed ponamus casum, partem aliquam humoris excrementitii propter ligaturam in partibus supra genu sitis retineri, id tamen sine ullo incommodo ægri fieri, & quotidiana experientia fidem facit, & ars ipsa medica docet. In partibus enim istis musculosis, supra genu positis, calor nativus vegetus est & fortis, quapropter si quid excrementitii humoris in partibus istis remanserit, non tamen in corpus remeat, sed beneficio caloris nativi corrigitur, & per insensibilem transpirationem evacuatur. Habes candide Lector, meam de gravissimo hocce affectu sententiam, quam ut candidè interpretari, & ad DEI Opt. Max. gloriam, commodumque ægrorum; in usum convetti velis, ex corde opto.

IMPERFORATI.

De cura eorum quorum penis podexve clausus, similiter ac earum quarum vagina non aperta.

IN recens natis non rarò podicem imperforatum observari, exclusionem fœcibus denegante membrana quadam crassiore, orificium intestini recti claudente, variis ab authoribus varia proposita exempla declarant, legi hac de materia possunt quæ habent *Fabr. Hildanus parte 1. obs. 3. Antonius Benivenius lib. 1. cap. 30. Ambrosius Pareus lib. 24. cap. 17.*

Membranam hanc anum claudentem unguibus lacerari posse Paulus Ægineta lib. 6. cap. 6. docet Hier. Fabr. ab Aquapendente orificia clausa instrumento secante aperiri vult. imò unguibus venenatis imperitæ obstetricis apertionem hanc minimè permitti debere; addit insuper monitum hoc: Nullam sectione perficiendam esse aliqua in parte corporis apertionem alio loco, quam ubi veri foraminis vestigium, digito obvium, notari potest: Ubi enim, inquit, vestigium nullum occurrit, coire usus non obtinet. Exemplum hujus rei apud *Hildanum part. 1. cap. 75. invenire licet.*

Honesta, inquit, quædam Matrona Genevensis filium peperit, qui clauso ano excrementa per ductum urinarium simul & urinam excernebat, accersito itaque Medicorum & Chirurgorum collegio, nullus in ea fuit opinione, ut de ani incisione quicquam tentaretur. Tandem cùm excrementa indurescerent, nec per ductum ullum amplum amplius permeare possent, inflatus est venter, exorta febris, aliaque symptomata, ita ut decimo septimo ætatis die è vita decesserit, aperto cadavere inventum est intestinum rectum vesicæ fundo adnatum. Admonitionem hanc consideravimus in recens nato filio alicujus aurifabri, cujus glans non perforata; nullo præsente meatus vestigio. At subtus glandem insculptum observabamus foraminis vestigium, membranaceo quodam velamento rectum, hoc loco instrumento à nobis noviter invento, in hypopio usuali, apertionem fecimus, & effluxit urina insigni satis copia, satisque rivulosè.

Infantes nobis occurrerunt varii, quorum anus imperforatus; integumento membraneo incrustatus, similiter ac puellæ diversæ, quarum vagina uterina velamento simili occlusa. Io omnibus felici successu instrumentum modo indicatum usurpavimus, nec unquam foramini facto turundas aut alia ejus sortis imponere coacti sumus, cum nullus metus sit modo dicto aperta conglutinari subito iterum posse, quale quid sibi persuadet Paulus, continuus enim materiæ affluxus unionem haoc non potest non impedire; in puellulis tamen cum larga, continuaque adeo; imo nulla excretio humoris excrementitive liquidioris per vaginam, non inutile observavimus Emplastrum Diapalma liquefactum plumaceolis exceptum, turundæ forma vaginæ imponere, quo inhibeatur conglutinatio, *Iob. à Meekren in observation. Medico-Chirurgicis.*

De imperforata quadam, Epistola ad virum celeberrimum D. Ioannem van Horne, Anatomes Profess. Lugd. Batavum.

Domine; Ultimas nostras ad te missas, quibus dubia quædam curiositatis gratiâ solvebantur his concludebamus verbis:

Quod si quædam rarius occurrentia in arte) nostra se exhibuerint, haud intermittam quin eorum te participem reddam.

Accipe ergo, Vir Celeberrime, haud adeo admiratione dignum, quam rarius occurrentibus annumerandum quod civitas nostra mulieres tales qualem hic proponimus raritis exhibeat.

Propositum minime nobis de puellis agere, sed virginem exhibebimus adultiorem.

Rensje Eeltjens, ex Frisia oriunda, Amstelodami licet nata, virgo robusta, annorum viginti duorum, & alvi & urinæ excrementa legitima quantitate, debitoque tempore, deponebat; menstrua vero necdum observaverat, satis licet annosa; urinæ tamen excretio tandem valde interrupta fuit, forsan quod materia serosa ventris cavo colligeretur, brevi enim abdominis tensivo tumore correpta. Accedebant pressiones dolorificæ gravissimæ circa pudenda, vehementes adeo fuerunt, ut vestimenta lacerare, omniaque turbare coacta fuerint, imò desperatione mota violentas sibi intulisset manus, ni sotor impedimento fuisset.

Quæcunque ipsi præscripta fuerant medicamenta plus noxæ quam commodi attulerant.

Dissentientium medicorum Chirurgorumque ingens

ſatis hic numerus, unde factum, quod quæcunque uſurpaveotur oihil omnino effecerint, adeoque anſa data fuerit vulgo, Medicorum Chirurgorumque inſcitiam magis accuſaodi, quàm ſtatum ægrotantis deſperatum deplurandi.

Fuerunt qui cauſam borreodi ſymptomaris menſtruorum ſuppteſſiooem conſtituerunt, ex vaſorum uterioorum præteroaturali anguſtia ortam.

Alii gravidiratem ſubeſſe ſuſpicabantur; rati deniquc veneficio rem totam adſcribere baud detrectarunt.

Petrus Porgieter, Chirurgus, publico ſalario ad id obligatus, ut parturientibua pauperibus in caſu neceſſiratis ſuccurrat, uterum ad orificium externom prolapſum ſtatuebat, quod vitium manuale operatione corrigere reotabat, ſic tameo ut capiti inſiſteret ægrotans.

His aliiſque ſic fruſtra uſurpatis, vaginam uterinam imperforatam eſſe, ſic ut ingreſſua æque ac egreſſus negaretur excludendo æque ac admittendo, co quod membranâ validâ orificiom claoderetur, innotuit.

Membraoa hæc Medicia variia excreſcentia habebatur carnea, aliis carcinoma, aut aliud incurabile malum, io re adeo dubia certi aliquid quo conſtitueretur, Medici Chirurgique alii prioribua juncti, inter hos & me accedere voluerunt conſanguioei.

Inſpectione cooveniente habita portam eam anguſtam per quam Cæſares, reges, meodici, omniſque ordinia homines, mundum bunc intraor membrana quadam incraſſata clauſam iovenimus, cui ſimile exemplum Hildanus part. 3. obſerv. 60.& 61. proponit; Clauſura hæc arcta adeo obſervabatur, ut digito oullus coocederetor iotroitus, onde factum quod menſtruus ſanguis, in dies acrimonia, menſe quovia quantitate, auctus, ad locum anguſtatum fuerit collectua, quæ cauſa repletiooia, teoſioois, intumeſcentiæ, doloriſque ſummi.

Hoc in caſu medium nullum excogitari poſſe indicabam, quàm inſtrumeuto commodo vagiuam aperire, & quidem ad modum eum quem io ancilla fere mortua exercuit Fab. ab Aquapendente part. 2. oper. Chir. cap. 82. & Wierus lib. de præſt. Dæmon. cap. 38 in virgine Craueburgenſi. Aſſentiebat ægrotaoa, ſuadebant idem Chirurgi Medicique præſentea.

Operationis modua quis fuerit, antequam proponamna, duo bæc conſideratiooe ooſtra digna occurrebant. 1. Aonon exiguo quodam foramine membranam dictam perforare neceſſarium, ne materia intus collecta confertim nimls effluat, cum virium proſtratione ſumma, quale quid io apertione abſceſſuum magnorum obſervamus.

2. Aonoo ſectio quædam hic inſtitui debeat, cruciata, quam commendat Corn. Celſus lib. 7. cap. 28. ne lædatur via urioaria.

Ad primum reſpondebam, vix eam bumoris copiam hic collectam eſſe, quæ æquiparari queat ponderi fœtus recens nati cum annexis, nec tameo puerperas calore, ſpiritibus, roboreque præter modum ſemper deſtirui.

Ad ſecondum, ſufficere hic ſectionem ſimplicem, quæ à parte inferiore deducatur ad ſuperiorem, quo, etiam jam effluente materia, apertio continuari queat, ncc humor exiens eam inhibeat.

Operatio ipſa hoc modo inſtitura. In dorſum proſtratæ virginis crura utrinque primo ad latera depreſſa, qoo labia pudeodi magis diſtarent, hinc lanceola diſſectio membranæ obliquo ductu ne orificium veſicæ urinariæ læderetur, peracta, illico materiæ impuræ, aliquomodo fœtentis, colore & conſiſtentia bepati comminuto ſimilis quantiras ea effluxit, quæ librarum quatuor cum dimidia; nocte ſequenti ejuſdem homoris quantitas major ſe exhibuit; parcior hinc aſt alterios conditionis.

De eventu ſuo tempore certiorem te faciemus, interim tuum erit Hymeo, an membrana incraſſata imperforata vitium hoc appellari debeat, determinare. Operatiooi dictæ adfuerunt. *Arnoldus Tholinx. Franciſcus van der Schaagen. Ioannes Deyman. Simon Dilleman; Adriaen Reyniers, Medici. Georgius Van Lotn, Chirurgus.*

Vale vir magne in commodom Reipublicæ Medicæ, & oominis gloriam æternam; favereque perge in nullo non inſervire tibi paratiſſimo Jobo à Meckren. *Idem ibidem.*

Atreſia accidentalis, & una menſtrua.

Non temerè ſtatim omnem atreſiam, quæ infantibus puelliſque evenit (pro periculoſa habendam eſſe ſequentibus exemplis perſuadeor. Puella erat annicula, intertrigioe aut excoriatione oopioſa ob urinæ acrimoniam, ut fieri ſolet, affecta, huic tandem Vulvæ oræ coaleſcunt interveoiente membranula alba, nonnihil etiam dura, quippe quæ initio immiſſi ſpecilli apicem repellere videretur. Mira inde Parentum ſollicitudo, non ſtatim io boc caſo ad Medici aut Chirurgi operas properantium; ſed, dum interim animi pendent locumqoe iterum iterumque inſpiciunt, veriti, ne longiore mora magia iodureſceret valvula & tandem ſero negligentiæ pœoam luerent, auxilium Medici implorare conſtitount: Nutricula autem, tum Medici Chirurgive maoum crudelem ominaretur, effuſiſſimis precibus fere & fletibus Parentum propoſitum Medicique præſentiam ſi non avertit, certè dilationem aliquot dierum impertavit. Illa interea locom quotidie diligentius inſpectat, nec, quod ante ſæpe & liberali manu tentaverat, partea illas ſevo obducit. Octavo inde die foraminulum, quod fortè ſevum ante occluſerat aut occluſum ſolidaverat, apparet; magna inde Nutriculæ, majura etiam Parentibua tripudia. Jam vero patulum forameo non inſpicere tantum ſed & tractare auſa Nutricula, baleoariam alterius fæminæ cooſilio immittit virgam, leoteque ad juſtæ magnitudinis proportionem dilatat, ex qua nihil tale in adoleſcente virgine conſpectum. Adeo etiam initio leviculis adjura natura magnoa prævertere morboa ſolet. Crediderim ego bic ab urinæ acrimonia exeſos interiorea labiorum naturalium margines purulenti quid ſudaſſe; hinc deinde ſaniem, conjuncta lo illo membrorum poſitu ſuperficie utraque, exſiccatam membraoulæ quandam præbuiſſe ſpeciem, non aliter atque excoriatæ partea coire invicem, aut jungi per lympham ſanioſam glutinoſamqoe ſolent. Aliud menſtruæ ἀτρησίας genus puellæ jam nubili & octodecim annis majori eveniſſe memini, cui quoties meoſtrua fluxere, fluxerant autem ab anno quarto decimo, toties tribus quatuorve diebus aote fluxum nymphæ per membranam coaleſcebant gelatinoſam, adeo ut aditus penitus obſtrueretur: hanc illa adventante iam ſanguine molliorem digitis facile reſolvebat, patente hunc io modum fluxui via. Certè hic etiam à lympha uterina & vaginali, quę ſæpe acris & copioſa præire menſibus ſolet, membranulæ valvuloſæ ſpeciem enatam arbitror, ſed quæ à ſanguine emollita, digitis facile cederet, nec ante rediret quàm eadem illa ſanies, quod tribus quatuorve diebus ante menſes

fieri solebat, angustias subiret menstruumque φανόμενον repeteret. *Ioh. Nicol. Pechlinus in observationibus Physico-Medicis.*

Infantis penis non perforatus.

Sicuti puellæ quandoque clausis nascuntur vaginis (quod pluribus probaverim testimoniis) ita pueri interdum occlusis prodeunt virgis. Hujusmodi exemplum vidi cum Chirurgo Adriano van der Cruys, in nautæ cujusdam filiolo, cujus masculi membri anterior pars non erat perforata, vel minimum saltem aperturæ indicium solito gerebat loco, quæ tamen transmittendo lotio non esset apta. Ita ut procedente tempore aliam sibi aperuerit urina prorumpens viam, sub freno videlicet penis. Infans tamen, quoniam recens natus erat, fideli Chirurgi opera hoc incommodo fuit liberatus.

Varia clausarum virgarum exempla passim habent scriptores nostri; quibus, solito deficiente transitu, urina sibi alium aperuit; vel infra glandem penis uti præcedenti observatione patet, ac mox de ulteriore dicetur) vel in media urethra, aut etiam circa penis radicem prope pubem, ipsove quandoque in perinæo.

D. Melchior Fribe obs. 98. Miscell. Medico-Physicorum, Ann. 3. p. 158. virum quendam se novisse tradit, cui penis non solito loco, sed infra prope frenum perforatus esset; per quam aperturam idem non urinas tantum, sed & genituram egereret. Duxerat bis uxorem ille, ac sex genuerat liberos, nec minus quam alii coitu delectabatur. Nec dissimile est quod tradit G. Samuel Polisius obs. 106. Miscell. Medico-Phys. Decur. i. ann. 9. p. m. 265. de senescente, qui ejusmodi male formato pene prodierat, ac licet hic solito loco foraminis quoddam gereret vestigium, seminis tamen urinæque excretioni non sufficiebat; hæc tamen ille per aperturam infra glandem absque incommodo egerebat. Uxorem duxerat, liberos autem non procreabat.

Apud Benivenium cap. 90. p. m. 259. de puerulo legere est, qui obstructa anteriore penis parte, per angustum foramiculum infra glandem urinas ejiciebat, quod earum vi paulatim eo loci factum erat, quamvis non sine lachrymis, membrique illius tumore procederet ejectio. Idem quoque de puero refert, qui, licet pene perforato, meatum tamen urinarium fune media in virga, insciis parentibus ne noctu lectum permingeret, præcluserat. Ita ut vinculum istud, quanquam impere ferretur, removere nescia urina duobus in locis tumentem admodum aperuerit penem, quæ foramina, nonnisi hac via transeunte urina, atque oria etiam temporis processu callo obductis, sanari nunquam potuere. Meo quidem judicio, nisi cutis forsan fuerit minus tenuis, foraminis labia incidi & abradi potuissent, inducta interim antrorsum in penem plumbea vel argentea cannula, donec medicamentis idoneis cicatrix nata fuisset, remansura.

Simile præclusi fune penis exemplum Bierlingus obs. 204. p. 305. Ephemer. Medico Physic. German. se vidisse ait in puero, cujus virga supra locum quo præclusa erat tota sphacelo corrumpebatur, ac putrefiebat. Ille autem per factam, qua proximè ventri adhæret, penis aperturam, postea semper absque incommodo lotium excrevit.

De infante bimulo scribit Amatus Lusitanus Curat. 27. Cent. 1. p. 42. cui pene non perforato, nec ullo foraminis loco debito existente signo, prope testiculos per aperturam egrederetur urina.

Pueri trimuli meminit Gerh. Blasius obs. Med. 5. p. 39. qui rectè alioquin se habens, locum per foramen in perinæo excreverit prope penis radicem, hic enim nullum omninò permittebat transitum, nec ullo tegebatur præputio.

Casus ejusmodi meminit Theod. Kerkringius obs. 54. p. 115. de egeno quodam, cujus in cadavere infra scrotum fistula fuerit reperta, per quam multos annos, perforata etiam ipsa vesica nec non transitum negante virga, urinas emiserit. *Cornelius Stalpart. observationum rariorum Cent. 1.*

Anus imperforatus, Ejusque Anatome.

Ancilla ex illicito concubitu prægnans, xv. Octobris 1979. Viennæ fœtum, quoad externa masculum ad initium noni mensis, aliàs quidem vivum (sed cum pedibus prius in partu venisset, ac collo diutius inter sinus muliebria latebras hæsisset, deinceps suffocatum, enixa est: Qui cum à Medicinæ Studioso ad me delatus esset, convocatis aliis Collegis studiosis, partes externas, examino, in quibus alias nil præter naturale observavim; nisi quod dextra manus duobus tantum digitis prædita esset, Metacarpus etiam ita contortus, ut potius plantam pedis referret, addita portione callosæ pellis circa extremam plicaturæ partem, quæ non inconcinnè calcem repræsentabat. Pedes etiam nisi quod mirè contorti, nil insoliti habebant: converso verò fœtu in abdomen in dorsi spina σκολίωσις seu obliquatio observata tùm & anus desiderata, loco cujus eminentia quædam callosa ad lineam usque, scrotum dirimentem, protensa erat, contrectatisque à me digitis iis partibus, Meconium per penem prodiit; unde, statim conjectatum, naturam viam pro alvinis excrementis per membrum affectasse: quæ ut melius pateret, abdomen decussarim, illæsis tamen Umbilicalibus vasis, aperio; inter quæ arteria Umbilicalis sinistra, tum & Urachus desiderabantur, dextra etiam non rectà deorsum in iliacum ramum descendentem ferebatur, sed paulo altius ante divaricationem Aortæ inserebatur. Hepar mole vastum, &, uti fieri in nuper natis assolet, utrumque Hypochondrium occupans: sub eodem stomachus latitabat; qui admodum contractus, ac multum protensus potius intestinum quoddam referebat; Scatebat is prætetea muco subpallescente, qualis & in ore reperiebatur. Lien naturaliter se habebat, intestinum duodenum verò, ubi cholodochus, seu potius communis ductus inserebatur, summopere dilatatum, ita ut novum quasi ventriculum repræsentaret. In jejuno & ileo nil. p. n. observatum; Cæcum vero, licet protensius, contractum tamen & vacuum. Colon ab initio satis tenue, sed in progressu dilatatum, nec multis cellulis exaratum, versus rectum copiosissimo Meconio turgescebat, ac tandem in rectum terminabatur, quod etiam eo loci, ubi aliàs vesica locari solet, in appendicem vesicæ æmulam (hæc enim etiam in hoc fœtu deficiebat, dilatabatur, ac tandem non per anum, sed antrorsum, membrum virile pendulum præputio suo munitum referens, extra corpus finiebatur, cujus structuram, ut meliùs innotesceret, propria manu delineatam transmittere lubuit. Jam admirabar naturæ industriam, quam putabam loco vesicæ dilatationem seu appendicem recti substituisse, sicque compendiaria via utrumque excrementi genus excretum voluisse; sed cum in Renes inquirerem, hi non glandulosi reperti, sed eorum loco glandulæ tantum Renales, irregularis figuræ, substantia solito solidiori

præditæ,

præditæ, & compressæ admodum conspectæ, adhærescebant ex insuper ramusculis ex Aorta & cava descendente oriundis, quæ emulgentes venas & arterias supplebant, nulli etiam Ureteres ad appendicem recti, vesicæ æmulam, vitebantur: unde in opinione mea superiori me falsum deprehendebam. Ex iisdem Aortæ & cavæ truncis vasa exoriebantur spermatica utrinque in testiculos minutos ciceris magnitudine, & compressos, fœmineos ferè æmulantes, ac vasis seu capreolis suis pampiniformibus insignitos, terminata, qui testiculi non in Scroto, sed ad latera pelvis in abdomine (qui locus aliàs muliebrium est) situabantur. Scrotum verò vacuum erat ac dartio crassiuri præditum. Inquirebam in testiculorum deferentia vasa, ac vesiculas feminales, & prostatas, sed præter confusionem vasorum quasi gangræna tactorum, ob comprimens rectum meconio admodum turgescens, nil observare licuit, neque aliud in abdomine præternaturale visum. Unde ad examen medii & tuomi ventris progressum, qui nil p. o. etiam in se recondebant. Dubium tamen ex hisce moveri pulset, utrum fœtus hic enixus) in utero enim vixisse sup. a relatum) supervivere potuisset? & num ad generationem aptus? Putarem ego salvo meliori judicio, nec vivere illum stante hac constitutione partium potuisse, nec enim locus erat pro excretione Urinæ, nec generationi aptum (cum & locus pro excretione feminis desiderabatur) fuisse, tum corpora nervoia penem non constituebant, quæ ad rigiditatem illius in generatione necessaria; involuntariè etiam fæces alvinas detu bas se, inde colligere licuit, quod Musculi ani cum levatores, tum sphincteres deficiebant, *D. Wolffstriegel in Litt. Vienna datis ad D. Sachsium.*

De Ano clauso.

Anno 1672. d. 7. Jan. Vocatus fui ad Civis cujusdam primarii filiolum vix viginti quatuor horas natum, inveni misellum illum fasciis involutum in gremio obstetricis jacentem & quasi animam agentem, ut ab adstantibus etiam mortuus crederetur: à fasciis ergo ipsum liberari jussi, & linteis calidis debile illud & pene emortuum corpusculum involvendum curavi; hoc facto, quamprimum ex proximo pharmacopolio afferri potuit exhibui cochleare aquæ ex typhia C. C. recens destillatæ, inde sensim ad se se rediit pusio, inquisivi postea ulterius in causam ictûs debilitatis & lypothymię; anum ergo guttur illud inferius imperviom esse comperi, observans præterea quoties misellus ille respiraret, materiam excrementosam in ano latentem, exitum vi quadam moliri: meo jussu advocatus fuit Chirurgus expeditæ manus, qui instrumento incisorio tunicam illam quę anum claudebat, perforavit, exiit illico materiæ excrementosæ atramenti crassioris instar satis magna copia; subsequutus inde paulum bonus ille pusio liberius respirare cœpit, sequenti tamen die fatis concessit, quia quamprimum anus pervius esset, etiam per nares materia putrulenta effluebat, fortè abscessus ibi latentis signum: sic Ars nisi naturam adjutricem habeat frustra sæpe tentat auxilium. *D. Casp. Kolichen.*

Anus imperforatus.

Anno 1669. Mense Octobri in Suburbana Uratislavia Villa, Fabro cuidam lignatio nascebatur puellus cætera optimè conformatus, præterquam quod anus penitissimè clausus esset. Obstetrix id vel ex negligentia non observaverat, vel nescio qua ex timiditate rem parentibus revelare distulerat. Tandem quarta post partum die anxia ad me venit, consilium petens; cui respondi periculum hinc vię impendere, nisi ocyus à Chirurgo perito clausa porta aperiatur, opus tamen fore ut ante ipse infantulum viderem, quàm certum curationis modum determinare possem; properat obstetrix & patri responsum meum denonciat; qui haut cunctanter filiolum ad me deferri curat, ipse spectator curationis futurus. Sublatis ab infante linteolis comperio anum sitè quidem locatum, nonnihil tamen prominentem præter f.l tum, & penitus coalitu veluti consutum, nec nisi levissimum, ac vix ab acutiori oculo ritè discernendum indicium Foraminis, quod lineola subtilissima, veluti calamo inscripta, designabat. Digito etsi comprimeretur anus, in intestino tamen recto quicquam detineri excrementum, neutiquam dijudicari poterat. E contra guttatim semel atque iterum, aliquando etiam paulò longius feces alvinas modo tenuiores modo crassiores, prout paucior copiosiorve urina ipsas diluebat, per mentulam excernebantur, ex qua non tarò etiam flatus cum sibilo p.orumpebant. Jam quoque venter ab excrementis retentis manifestè intumescebat. Interea serio pensitatis, quæ in tali casu, Sennertus, Riolanus, Mercurialis atque Minadous consulunt, atque insuper in consilium adhibitis viris aliquot ex Praxi Medica celebribus, Fautoribus & Amicis meis omni cultu & honore observandis, vitium hoc non sine ratione pro inemendabili habitum est: Nihilominus ut parenti, tam enixè flagitanti ut quodvis auxilium tentaretur, etiamsi frustraneum foret, satisfieret, indultum fuit Chirurgo, aliàs satis solerti, ut periculum faceret, quoad aperiri clausura posset. Hic quidem Lineolæ supra memoratæ, atque ab ipsa natura in prominentem anum inscriptæ, Lanceolam dextrè infigit, verumtamen sive ob profunditatem coalescentiæ, sive ob laxitatem corrugatæ in extimo Sphinctere cutis, acies instrumenti etiam valentius & bis adacta, profundius penetrare non potuit quàm ut locua superficie tenus cum paucarum gutta um sanguinis profusione, vulneraretur, quemadmodum laudatus Sennertus satis clarè & fideliter *lib. 5. instit. p. m. 1005. prædixerat.*

Cum ergo melius esset, ut ab operatione hac manus detraheretur, quàm ut infantulus porro & frustra torqueri deberet, statueretur, patri spe omni curationis excluso filiolus domum reportandus redditus est. Infantulus vero, abdomine toto à Genitalibus usque ad sternum, mirum quantum intumescente, or tantum non inclusa ibi viscera, præprimis tamen ventriculus, transparerent, die abhinc tertia (quæ septima à partu erat) miserrimo adstantium parentum spectaculo, suffocatus obiit.

Cadaver, sectione dignissimum, nec prece, nec promissis, nec comminationibus à matre nimium superstitiosè obstinata impetrari potuit. Infantulum hunc spectarunt Consilioque & operationi interfuerunt Viri Nob. & Experientiss. DD. *Godofredus Tilesius, Physicus Reip. DD. Philippus Iacobus Sachs à Lewenheim, D. Gasparus Feldnerus, D. Ioh. Ianisius, Practici Vratislavienses, nec non Dn. Daniel Schmied, Chirurgus.*

Scholion. Trea occlusorum Podicum potissimum dari species ex practicorum traditione & quotidiana Experientia comprobata facile; videlicet Angustiam sive Conniventiam intestini Recti, Ani Clausuram per membranam, & Coalitum, propter

quem patientes propriè Atretæ ſive imperforati dicuntur.

Illam obſervavit Scultetus in Armamentario Chir. obſ. 77. (vel 71. ſecundum exempl. German. Francof. edit.) ibique curationem per immiſſos penicillos ex radice Gentianæ, ad inteſtinum dilatandum, exhibet.

Iſtius deſcriptionem & curationem Sennert. Inſtit. l. 5. p. 1. S. 2. c. 7. p. m. 1005. Fabritius Hildanus C. 1. obſ. 73. Ronſſeus Epiſt. 14. p. m. 45. nec non Botellus C. 1. obſ. 77. & C. 3. obſ. 9. fideliter communicarunt; unde elucet Eandem contingere triplicem, videlicet, in aliis inveniri membranam tenuem, quæ facile digito dilacerari poteſt; in aliis membranam denſiorem, quæ ſcalpello opus habet; quale exemplum Nobiliſſ. Dom. D. Sachs à Levvenheimb, Fautor & Amicus, inter præcipuos ob ſingularia benevolentiæ ſuæ teſtimonia merito habendus, communicavit; nimirum quod Anno 1663. menſe Maio vocatus fuerit ad Fabri cujuſdam Lignarii recens natum puellum, cujus anum membranula contectum invenit, ſubtus latente coloſtro nigro. Is, ſectione membranulæ adhibita, & ſuppoſitorio abſterſivo & dilatante, operationem faciente Chirurgo Henrico Neugebanero, feliciter reſtitutus eſt, & aliquot annos vixit. Similem huic hiſtoriam *Oethens obſervavit, referente Schenck. lib. 4. pag. m. 383.*

In aliis denique foramen ani membrana prædura, in qua nullum fere veſtigium ani, præter maculam (quam lividam in ſuo infante ſpectavit Hildan. l. modo citato) apparet. Nec dubito quin ad hanc claſſem reduci debeat Sculteti obſ. 77. ubi refert, ſe noviſſe obſtetricem Patavinam, quæ anum totaliter occluſum acicula communi perforare, & foramen turundis ex Gentiana ampliare ſolita eſt.

In hac ultima, ſive tertia ſpecie foramen podicis omninò occludunt ſive carne, uti Ronſſeus Epiſt. cit. exiſtimat, ſive etiam cute denſiore, vel, quod fortaſſe ſæpius contingere poteſt, utroque modo. Neque etiam à vero abſona videtur conjectura naturam in bis duplici modo aberrare, vel in Conformatione inteſtini recti, quando illa hoc vel fundo veſicæ vel ipſius corpori, recto ductu (quemadmodum oblique ureteres inſeruntur) implantavit, quod Anatomia pueri Genevenſis apud Hildan. C 1. obſ. 75. & filiol. lapicidæ Scaphuſiani, ap. Schenck. l. 4. obſ. 6. de inteſt. recto p. 383. itemque Lautemberg. Proceſſ. Anat. l. 1. c. 16. confirmat vel quando collo veſicæ inteſtinum inſeritur, uti in fœmellis in pudendum, ut plurimum ſolet deſinere.

Vel II. in Conformatione Ani, quando inteſtinum rectum quidem recte conformatum eſt, Sphincter verò connaſcitur vel carne oppletur, quod Beniven. c. 30. d. Abdit. obſervavit. Hinc minimè mirum, ſi quandoque unà cum fecibus alvinis Urina quoque ſupprimatur, quale exemplum Garnerius Schenkio communicavit, & ab Hoc recenſetur l. 3. obſ. p. m. 383. vel etiam ſi inteſtinales feces per Urethram excernantur, citra inſertionem inteſtini recti in veſicam; ſiquidem pluribus exemplis compertum eſt, materiam retentam ſua ſponte ſibi viam ex inteſtinis ad veſicam per exulcerationem ac fiſtulam quæſiviſſe, videlicet ex morbo inteſtinali, ut Scirrho, Calculo, Vulnere, Ulceribus venereis, &c.

Hoc tamen miratu dignum videtur adeo tenella infantum corpora tamdiu ſub tormento tam atrocis morbi durare poſſe; nam ut noſter infans ſeptimum, ſic Ronſſei undecimum, Garnerii ap. Schenckium decimum tertium, & Hild. decimum ſeptimum diem attigit. Obſervatum quoque dignum, quod imperforatis, ſtrictè nobis ſic dictis, Puerulis hoc vitium ſemper lethale ſit, quod è Riolano c. 33. lib 2. Enchir. Anat. p. 220. non obſcurè innuitur & plurimis exemplis alibi, præcipuè tamen ap. Tulpium l. 4. c. 35. p. 50. & Plater. l. 3. obſ. p. 565. confirmatur; Fœmellis verò non item, certè non tam ſubito, aut frequenter funeſta eſt ani occluſio, quod à Minadoo lib. 5. d. Ext. Aff. c 18. p. 27. col. 3. exemplo puellæ, comprobatur, cui cum anus imperforatus eſſet, & inteſtinum rectum in pudendum deſineret, per id feces ounquam non excernebat, vitam ad annos ſex & forte ulterius producens: cum quo conferatur *Fr. Sanchez. obſ. p. 375. & alii.*

Denique verbo notamus, quod non aliud exemplum imperforati ani, quod noſtro magis ſimile ſit, in lectione Practicorum obtigerit, quam quod Platerus in obſ. p. 564. habet, excepto eo, quod ibi præputium quoque coaluerat, & nota in Ruga figuram rotundam obtinuerat. *Henr. Volgnadi.*

De inteſtini recti perfecta & profunda coaleſcentia.

Pellionis filiolus altero demum poſt partum die imperforato ano deprehenditur: inſtituta proin inſpectione, & collecta hinc intima coaleſcentia, pro deplorato habitus eſt. Cum autem parentes quidvis experiri vellent prius, quàm innocens puſio propriis excrementis quaſi ſuffocaretur; cordatus quidam Chirurgus interveniens, facto tamen denuo prognoſtico, lancetta aperturam aggreſſus eſt, loco rimulæ non tam oculis, quàm conjectura qualicunque concepto, puello interim, quaſi bene ſecum ageretur, quietiſſimo, imo conatum fere quendam egerendi adverſus Chirurgi manum oſtendente. Poſtquam ad articuli pene longitudinem lente ſurſum pergendo pervenerat, nil vero exiret, deſtitimus, donec elapſis aliquot horis, rogantibus denuo parentibus, inſertaque iterato lancetta (exigua ſemper cruentatione) ſenſim ac ſenſim ad finem coalitus, qui longitudine ſua duos Auricularis digiti articulos (in mediocri viro) facilè æquavit, perveniretur, & excrementa nuper natis conſueta, cuſpidi occurrerent, ſatis liquida. Unde inſerta turunda prælonga meatus amplius dilatatus, indeque circumcirca uſualibus medicamentis cicatriſatus eſt: infante bene ingerente, bene egerente vegetoque. Demum anniculus, ni fallor, (affectu maligno tum, an epileptico? mihi nunc incertum,) diem ſuum inſperato obiiſſe dicitur. *Danielis Ludovici.*

De Pudendo Muliebri naturâ clauſo, arte adaperto.

Quemadmodum ſæpe infantes orificio ani occluſo naſcuntur: ita nonnunquam & fœminis ſinus muliebris in Utero Matris membrana quadam obducitur, ceu plurimi Authores annotarunt, quorum obſervationes congeſſit Schenck. lib. 4. obſerv. Medic. obſerv. 12. 13. 14. Præter eos Guil. Fabr. Hild. cent. 3. obſerv. 60. & 61. & Dan. Sennertus Inſtitut. Medic lib. 5. p. 1. ſect. 2. c. 7. ſimilium caſuum tractationem propoſuerunt. Nos quicquid hac in materia Antonius Stadtlander Chirurg. nobis communicavit, tibi benevole Lector candide impertiemus. Vocatus eſt prædictus Chirurgus ad Scabinum Veteris Civitatis H. B. mihi bene notum, cujus filiola quatuor annorum à prima

ſtatim

ftatim ortu hucusque urinam guttatim & cum summa difficultate atque maximo dolore reddebat. Parentes calculum suspicantes ad eum depellendum varia remedia quæsiverunt, sed frustra. Chirurgus autem naturalia puellæ inspiciens, invenit eadem membrana valida obducta, vix conspicua rima, quasi acu leviter facta versus intestinum rectum apparente, per quam urina in vagina cumulata non stillabat, sed vix transudabat: Ulterius instrumento illuc intruso, invenit membranam admodum crassam, circumcirca cum carnosa parte firmiter connexam, imo cum ipso meatu conjunctam, unde puella gravissimum dolorem in emissione urinæ percipiebat. Tum Chirurgus Parentibus indicavit, naturale hoc vitium nullo alio remedio præterquam Sectione corrigi posse: Sed hæc demum tertia die, illis perterritis, instituta est, ubi Chirurgus in præsentia Parentum & Consanguineorum, puella decenter disposita, sectionem ab inferiore parte versus superiorem aggressus, benedicente Deo, feliciter peregit; primum quidem scalpello, dein forcipe acuta ad id singulariter formata: separatis itaque singulis urinæ liberum transitum hucusque prohibentibus, partes vulneratæ Medicamentis, partim dolorem, partim sanguinem sistentibus, à prædicto Chirurgo undique secundum artem circummunitæ, & tandem unguento Diapompholygos perfectè sanatę sunt. Puella ista per Dei gratiam in totum restitutà in hunc usque diem optime valet. Notandum autem in ejusmodi operationibus magnam diligentiam adhibendam esse, ne vel partes versus collum lædantur, vel, quę separari debent, intactę maneant, neve foramen nimis angustum fiat, quod postea in matrimonio constitutis nocere poterit, & tandem ne partes divisę iterum coalescant: Cum plura exempla talium casuum apud authores inveniuntur. Singularem casum de partium Genitalium coalitu videat benevolus Lector apud Gregor. Horst. Epist. Med. lib. 1. Sect. 19. Faciliorem Sectionem & Curationem instituit dictus Chirurgus, in Nobili quadam Virgine, cui Genitalia naturaliter membrana, tympani crassitie, obducta erant, relicto à natura foramine ad pisi magnitudinem per quod tamen urina liberè effluebat. Similia exempla & operationes vide apud Hier. Fabr. ab Aquapend. Oper. Chir. pag. 1. cap. 82. 83. & 84. Joh. Andr. à Cruce Offic. Aur. lib. 5. cap. 47. Guid. de Cauliac. Tract. 6. cap. 7. Beverevic. Chirurg. cap. 3. de Paracent. Henr. van Roonhuysen obs. P. 1. pag. 102. 103. Paul. Barbet. Part. 1. Chirurg. cap. 13. tum etiam apud Franc. Peccet. & Pigræum in Chirurg, &c. *D. Simonis Schultzii.*

Rustica imperforata.

Par conjugum ex plebe rusticana se invicem Ratisbonæ coram Consistorio Episcopali, de impotentia maritali coarguentes, divortium petebant. Præses consistorialis, post multas altercationes ad certiorem litis decisionem, per certas personas, more veteri, utrorumque conjugum inspectionem corporalem decreverat. Qua facta, culpa in uxorem recidit; hæc etenim præter naturam, licet vicennali major ætate fuerit, imperforata inventa est. Igitur per Chirurgum ex artis lege inciso facta, posthinc concordes satis in conjugio isto vixerunt atque liberos progeneraverunt. *D. Joh. Helwigii.*

Anus imperforatus.

Clariss. Samuelis Ledelii Miscell. Curios. Decur. iij. Ann. 2.

Obstetricum incuriam plures fœtus mortis faucibus intrudere, experientia probat. In accessu meo Grünbergensi Obstetrix Jurata Puellam, quarto à partu die apportabat in musæum, & mensæ imponebat, consilium quærens. Perlustro fœtum, & abdominis inflationem intueor, cum levi convulsione faciei & vomitu. Interrogo, an alvus sit aperta? respondet nondum: applicata fuere suppositoria, sed invito conatu. Ano viso, jubeo per Chirurgum clysterem applicare, & dum canalem intrudit, resistere aliquid animadvertit, inde concludo anum esse clausum. Expono parentibus, necesse esse membranam, aut quicquid sit, lancettâ perforare ut exitus detur stercoribus: deliberant biduum, & tandem connuunt. Discindimus membranam, applicamus Clysterem, hinc aliquid fere excernitur, cum ex tenate & paucæ sanguinis guttulæ, nulla autem excrementa, id quod pro malo reputabam signo. Propino oleum amygdalarum dulcium ad lubricanda intestina, verùm omne vomitu rejicit, ut & Clysteres ano injectos, cum lacte matris cochleatim infuso Vitam protrahebat hic fœtus ad 12. diem quo obibat. Non dubito, si statim à partu viæ fuissent reseratæ, quin vitam puella protraxisset ad longius tempus; septimo namque demum die operatio instituebatur, fibris intestinorum jam convulsis. Viam tamen ordinariam fuisse apertam, monstrabant Clysteres, ano injecti, & per os exclusi. Sic in tempore venire omnium rerum est primum. Lege sis Dec. 1. Anni 1. Observat. 2. Item ejusdem Decuriæ Anni 3. Observat. 2. Pertinet autem ad Obstetricum officium, statim à partu omnes fœtus partes examinare, & an aliquid desit, an superflue adsit, aut quod debet apertum esse, occlusum deprehendatur, & vice versa, sine mora parentibus intimare, ut maturè prospiciant, ne fœtui ulla noxa affricetur.

Infans imperforatus natus, cum defectu intestini recti.

Clariss. Laurentii Heisteri. Ephemerid. Germanic. Centur. 3. & 4.

Quamvis non desint Auctores, qui exempla infantum ano clauso natorum (vulgo atretorum) annotaverint, & Amstelodami jam duos ipse viderim; ob singulares tamen circumstantias, observationem quæ hic in vicino pago Palatinatus superioris, Ehlsbach dicto Anno 1714. d. 24. Febr. sese obtulit, hic describere utile pariter ac curiosum arbitratus sum. Accersitus sum ad infantem masculini sexus die quarto à nativitate, de quo obstetrix illius loci ad me transmissa referebat, infantem hunc carere apertura ani, eum jam fœces nigras sive meconium vomitu rejecisse, summaque virium prostratione laborare, & propterea parentes auxilium à me desiderare. Qua de causa me mox cum nullis Medicinæ studiosis in viam contuli, & offendi infantem debilem vomiturientem, cutis colorem ex viridi & flavo mixtum, anum clausum, & loco ani vestigium quoddam firmam cicatricem repræsentans, introtractum, tactui non vel parum cedens. Ex quibus circumstantiis parum spei infantem

in vita conservandi superesse, Parentibus & adstantibus indicavi, quia ex duritie vestigii suspicabar intestinum rectum deficere, sicut cum Celeberr. Ruyschio jam olim Amstelodami observaveram, & propterea etiamsi apertura sive sectio institueterut, tamen ad locum fœcum me pervenire non posse; Nam in casibus sanabilibus, ubi intestinum rectum tantùm cute vel membranâ clausum est, vestigium molle & protuberans ostendi solet; attamen ne quid in casu tali ancipiti & desperato, ubi mors certa imminebat, à me omitteretur, unde auxilium adhuc quoddam exspectati vel spetari possit, me apetturam moliri velle proposui, quam & parentibus annuentibus tentavi. Nimirum cruribus infantis divaricatis lancettam majorem, quali pro abscessibus aperiendis Chirurgi utuntur, in cicatrice sive vestigio illo ani sensim ac blande secundùm situm intestini recti intrusi ad quatuor transversorum digitorum longitudinem, sed sine cavitatis sensu ac sine fœcum effluxu (quæ aliàs cavitate repertâ per vulnus effluunt) verùm perpetuò cultellus in densa massa carnea hætebat, nihilque nisi guttæ quædam sanguinis effluebant. Sed ne quid omitterem, quod prodesse posse, existimarem, mox loco lancettæ longiorem acum triangularem (quam Galli *trocar* appellant) immisi profundius, sed frustra quoque & sine effectu. Immissis tandem digitis accuratè exploravi, an intestinum aut cavitas ejus explorari queat, verùm nihil reperiri licebat.

Cùm itaque nihil auxilii superesse videbam, fato suo infantem relinquendum esse annunciavi, & infante mortuo ejus dissectionem à parentibus expetii: Moriebatur nocte sequenti post multos vomendi conatus & convulsiones horribiles, proximoque die dissectionem & explorationem suscepi; ubi observavi intestinorum crassorum cavitatem tantùm usque ad recti principium sive ad supremam ossis sacri partem se extendisse, reliquum ad anum usque spatium densâ quadam carneâ substantiâ repletum erat. Ex qua Observatione discere licet, quòd non omnes atreti unius ejusdemque sint naturæ, & quòd illi, quibus anus tenuiori tantùm substantiâ clausus est, curationem facilem, tales autem sicuti hic noster casus, nullam admittant.

IMPETIGO Vid. *CUTIS VITIA.*

IMPRÆGNATIO.

De eâ vid. sub titulô *Pragnantium Morbi.*

INFLAMMATIO seu PHLEGMONE.

ANtiqui omnem calorem, naturæ modum excedentem appellabant Inflammationem, & hanc duplicem faciebant, φλέγμωσιν καὶ φλεγμονήν. Igitur sicca illa inflammatio, in qua citra ullius humoris defluxum calor parti insitus excitatur, φλέγμωσις Græcis, Latinis Exarsio appellatur, estque prope incipiens inflammatio. Sed Phlegmone dicitur, 1. de quovis tumore calido, & eo respectu est calidorum humorum defluxu, sanguinis nempe puri, volatilis, aut biliosi, tenuis, fervidi, ut complectantur erysipelas, herpes & similes tumorum species. 2. De ea inflammationis specie, quæ nomine generis absolutè & usitate recentioribus dicta est Phlegmone; tumore nimirum à sanguine puro, eoque mediocri, seu temperato.

Est ergo Phlegmone seu inflammatio rubescens, renitens, dolorificusque tumor. Vel potius dicatur, tumor præter naturam è sanguine in cutem & subjectos musculos effuso, calorem, rubedinem, dolorem, pulsationem, & tensionem excitans.

Distinguitur porro Phlegmone in exquisitam & non exquisitam seu spuriam. Exquisita dicitur, quando purus sanguis extra sua vasa in aliquod membrum effusus est, eique inhærens alteratur, & inceditur. Non exquisita appellatur, quæ fit ex sanguine minus puro, sed hoc vel illo humoris genere abondante, unde Phlegmone Erysipelatodes, Oedematodes, Scyrrhodes.

Ideoque Phlegmonis causa habita semper fuit, vel purus sanguis extra sua vasa effusus, vel permixtione aliùs humoris inquinatus, qui non solummodo in cutem, sed in subjectam quoque carnem tandem confluait. Quum enim venæ arteriæque majores immodica sanguinis copia distenduntur, gravatæ in minores quasi onus deponunt, atque hæ demum in minimas, tumque per minima illarum oscula sanguis, qui cohiberi nequit, effluit, ac in vacuæ illabitur spatia; quæ inter fibras sunt primorum organorum, præcipuè musculorum, arteriarum, venarum, nervorum, atque membranarum. Quæ partes dum fluxione perfunduntur ac implentur, copia distentæ quasi divelluntur, ferventisque sanguinis ardore incalescunt, ac dolorem excitant: sanguis quippe extra vasa collectus, nec libere circulare potens necessario putrescit, ac inceditur.

Verum enim verò sanguinem licet veluti causam tumori huic enodando pleríque assignent auctores, tamen fiendi modum plurimi tacent; quem inter veteres aliquatenus exprimit, Doctissimus Fernelius l. de extern. corpor. affect. c. 2. quando dolorem ex calore, hunc ex vehementi inflammatione, illam à sanguine non in solam cutem, sed & in subjectam carnem impacto, & ea venis eo confluente oriri contendit &c. Hic quanquam causam attribuat fluxioni vasa distendenti, quæ distensio à plethora ad vasa oritur; equidem credendum non est, omnem omnino inflammationem à sola sanguinis copia fieri, cui ratio & experientia quoque contrariantur. Enimvero in plethora cruor tali modo vasa distendit; permeatque, ut sua sponte carceres suos non perfringat, nisi aliud quid accedat, quod sanguinis motum retardet, quodque stagnationem, effusionem, atque adeo inflammationem moliatur. Cl. Sylvius Praxeos Medicæ l. 1. c. 40. incendi sanguinem, & inflammationem oriri arbitratur, quatenus ea ipso in vasis suis valde distentis, & aliis quibusvis partibus subsistente, hoc est, stagnante mox incipiunt evanescere partes spirituosæ, magisque volatiles & subtiles, tum acidas, tum salinas temperare solitæ, unde utræque actiores factæ acrius in se mutuo insurgunt, effervescentiamque ob particulas sanguinis oleosas calidam excitant, quin paulatim sanguinem ita corrumpunt, ut in pus vertatur, & quidem pro sanguinis corrupti varietate plane varium: ubi satis clarè acidum accusat minus temperatum, partibusque spirituosis volatilibus illud temperantibus privatum.

Ex dictis itaque constare videtur, sanguinis in minoribus vasis stagnationis, hinc ejus effusionis, indeque ortæ inflammationis, primam esse causam Plethoram ad vasa, vel ea obstructione vel compressione. Enimvero venæ cum nunc à sanguine, nunc à pituita in ipsis coagulatis ac concretis obstruuntur; vel ab aëris externi frigore, aut potenter adstringentibus, medicamentis admotis constringuntur, tunc plus sanguinis per arterias influit, quàm per venas nunc obstructas vel compressas refluere potest; hinc

cruor paulatim collectus, eadem vascula magis, magisque distendit, & ita quidem, ut resrratia eorundem osculis, exitus ipsi pateftat; unde tunc (quoniam sanguis ex arteriis in venas non per anastomoses, sed per intermediam partium substantiam, hoc est, carnium tubulos seu poros circulatur) is necessario extravasatur, ac in vicinarum partium substantiam effunditur; ubi copia mediocri saltem collectus, modo nunc exposito, mox excandescit, & caloris sensum molestum in parte sensili producit; quæ mutatio Inflammatio vocatur.

Sequuntur nunc ordine symptomata pluribus morbibus communia, qualia sunt dolor, tensio, pulsatio, rubedo, febris, perpendenda. Et sane inflammationi plerumque conjunctus est dolor, propter peccana acidum acidius ac volatilius, effervescentiam inordinatam primo sanguini, dein membranosas partes vellicando dolorem inducens. Dolorem excipit tensio ab affluxu sanguinis in partem subjectam, quem venæ recipere nequeunt effervescentia præternaturali, obstructis vel compressis vasis, incipiente, tandemque ebullitione sanguinem in pus præcipitante, quæ postmodum cessat. Rubedo oritur ab extravasato & excandescente sanguine per cutem ac cuticulam transparente; altius enim impressus per musculos, cutemque vix transparet, ac minorem inducit ruborem, qui tamen pro ratione ebullitionis vel effervescentiæ sanguinis vel accrescit, vel decrescit. Cæterum febris, quæ non raro adest, vel primaria est, vel symptomatica; Viz. à sanguine acido, vel aliter depravato atque hinc in parte inflammata stagnante, unde motus ejus viriatur, ac inordinatior fit.

Signa porro, quibus dignoscitur hic affectus sunt membri inflatio, rubor, calor, dolor, profunda pulsatio, molestaque tensio, & alia ejusmodi, quæ sanguinis abundantiam, & extravasationem aperte arguunt.

Hæc verò partium externarum inflammatio à multis morbis liberat partes internas, adeoque salutaris plerumque; nisi extensione gangrænam produxerit. Periculosa equidem & difficilis curationis est inflammatio, quæ Oculos, Fauces, Penem, Muliebre pudendum, Articulosve occupat. In juvene, & Æstate brevius curatur: tardius in corpore pingui, quàm macilento.

Ut autem rectè perfecteque phlegmone curetur, duo imprimis sunt observanda: primum ut causæ antecedenti occurramus: secundum ut causam continentem evacuemus: quibus tertium adjungi potest, ut emendentur symptomata; quæ aliquando tam sæva superveniunt, ut omnem Medentis curam ad se neglecto etiam morbo, convertant.

Repellimus ergo, & corrigimus causam antecedentem recto rerum nonnaturalium usu, & humoris in partem influentis Revulsione.

Rectus rerum nonnaturalium usus in bona Diæta, seu debita ac ordinata illarum rerum dispensatione consistit. Aër eligatur serenus. Cibus Potusque modice sumantur, iique refrigerantes: calida quævis, dulcia, pinguia, ut Zinziber, Piper & similia nocent. Nocet etiam corporis motus, inprimis parti læsæ. Conducit somnus moderatus. Obsunt Alvi duritiea, Venus.

Quod si bona Diæta, hoc est, recta rerum nonnaturalium dispensatio ad humorem, qui in partem affectam influit advertendum, nec satis idonea, nec satis valida fuerit, venæsectio quamprimum instituatur, utpote summopere necessaria, vel ad evacuandum, vel ad revellendum, vel ad derivandum.

Interim vero dum hæc fiunt, cum rarissime corpus vitiosis non abundet humoribus etiam per clysterea, atque purgantia leviora ritè usurpata, sæpe æque ac venæsectio iteranda, multum efficere possumus.

Alterum autem Medici ac Chirurgi de evacuanda conjuncta materia consilium versatur in rectâ Topicorum applicatione, & commoda administratione, hoc est, in debita ac tempestiva eorundem ad partem affectam appositione, diligenter considerando, quod sit tumoris initium, quæ progressio. &c.

Remedia igitur quibus in inflammationis initio uti oportet, sint modice repellentia, quibus aliquid discutientium admisceatur, ut influens materia arceatur, & quæ nunc influxit leviter interim resolvatur. Quem in finem conducunt aq. plantaginis, solatri, spermatis ranarum, rosarum, florum sambuci, acetum rosarum, sambuci, vinum rubrum adstringens, saccharum Saturni, camphora, & similia: abstinendum verò à vehementer adstringentibus, Bolo sc. armeno, sanguine Draconis, Acacia, Gallis, Alumine, omnibusque oleosis & pinguibus, utpote valde noxiis. Quæ omnia poros obstruendo, adeoque difflationem prohibendo dolorem, calorem, hinc & inflammationem augent.

Sed quamquam incipienti inflammationi sint imponenda Repellentia, ab iis tamen abstinendum, 1. ubi juxta partes nobiles est inflammatio, vel in glandulis, 2. Quando humores maligni sunt. 3. Quando critice expelluntur. 4. Quum fit inflammatio in corpore Cacochymico, quumque pars affecta debilis admodum sit.

In incremento, hoc est, increscente Phlegmone, quoniam & repellere, & digerere tum oportet, habenda magis ratio humoris influentis, & ejus qui jam influxit. Sic nimirum repellentia admixtis resolventibus & lenientibus erunt temperanda, ut resolventia prævaleant. Fomentum ver. gr. applicetur ex Malvâ Althæa, Violaria, Absynthio, Scordio, Ruta, Floribus Camomillæ, Meliloti, Sambuci, Rosarum rubrarum, Baccis juniperi, similibusve in aqua, vel Cerevisia tenui decoctis.

In statu verò resolventium pondus augeatur, admixtis unà anodynis, si dolor molestus admodum fit. Cum autem ad declinationem vergat inflammatio, vehementius discutere convenit, adeoque sola discutientia & resolventia sunt imponenda. Quem in finem applicetur sequens, aut simile Cataplasma.

℞. Fol. malvæ, althææ an. Mj. summ. absynthii, flor. camomillæ, meliloti an. Mß. Coq. in cerevisia tenui ad mollitiem, dein in mortario contundantur; contusis adde farinæ hordei, fœnigræci an ℥iß. olei anethini ℥j. pulv. croci ʒß. M. F. Cataplasma. Cataplasmatis loco non minore cum fructu apponatur fomentum ex suprascriptis discutientibus, additis & aliis, decoctum, cui vel Vinum Gallicum, vel spiritus vini, pro re nata, admisceri potest.

Quod si inflammatio ægrè resolvatur, tendatque in suppurationem, promovenda erit & accelerata puris confectio ac generatio. Hoc verò præstant omnia medicamenta emollientia & Maturantia vulgo dicta, Radices puta & folia Althææ, Malvæ, Liliorum alborum, Branca ursina, Flores Camomillæ, Meliloti, Farinæ Lini, Fœnigræci, Farinum, Caricæ, Cæpæ sub cineribus assatæ, Unguentum Basilicon, Emplastrum Diachylum, & similia. Ex quibus commodissime parari solent cataplasmata, ex. gr.

℞. Rad.

℞. Rad. liliorum albor. recent. ℥iij. cæpatum sub cineribus assatar. ℥ij. fol. malvæ, althææ, flor. meliloti an. Mj. Caricarum ping. conscisf. N. x. coq. in aqua pura vel cerevisia teoui ad mollitiem; tunc in mortario contusis adde farinæ seminis lini, fœnugræc. an. ℥iß. unguenti basilici ℥ij. M. F. Cataplasma.

Si autem Ægris arrideant magis unguenta vel Emplastra, nec à pinguibus lædantur; inungi poterit semel aut sæpius pars dolens situ, ea unguento Agrippæ, Althææ simplici vel composito, Oleo lilliorum albotum, similibusve parato; atque ei imponi emplastrum Diachylum cum gummi, ut & Mucaginum.

Igitur ubi Calor, Febris, & alia accidentia temiserint, quando in mucronem tumor attollitur, quum pressione digitorum fluctuantis velut humoris inundatio percipitur, tum intelligere licet pus confectum esse. Quare sine procrastinatione tumor aperiendus erit, ne pus diutius conclusum mora reddatur acrius, ideoque nocentius, atque ab ipso partes vicinæ magis magisque corrumpantur, sicque ulcus majus, sinuosum, & fistulosum fiat. Aperiendus autem est loco commodissimo, hoc est, in loco tumoris maxime molli & declivi. Fiat vero apertio aut cauterio, aut Scalpro; equidem Scalprum Cauterio præferendum puto, præsertim quum tumori insit rubor, ardor, atque purulenta materies calida est.

Sed patiens si admittere nolit apertionem, danda opera, ut versus corporis superficiem alliciatur pus, quo citius ab ipso perforetur corrosa cutis; cui usui Cl. Sylvius prax. Medic. lib. 1. cap. 40. §. 58. sequens emplastrum valde extollit.

℞. Mellis optimi, farinæ secaliginis an. ℥j. vitellum unius ovi; imponantur blando igni, & agitentur ad emplastri consistentiam. Emplastrum hoc extendatur supra linteum densum, & applicetur parti affectæ, in dies renovando.

Possunt etiam Ficus contundi, & cataplasmatis modo calidè applicari loco tumoris maximè molli & eminenti, quo sic facilitetur ac promoveatur abscessus apertio.

Ubi autem multum puris continetur in abscessu, sedulo cavendum, ne omne una vice educatur, sed partitim; quoniam Ægrorum vires aliàs non parum prosternuntur. Ubi verò parum puris adest, nil nocet omne effluere, quod aptum est paratumque ut effluat; omissa pressione forti & diutina multis Chirurgis familiari, à qua nunquam aliquid commodi Ægris evenit, at sæpius multum incommodi.

Cæterum facta & aperta puri via, ad ulceris mundationem & consolidationem pergendum; in quem finem conducit digestivum ex Therebinthina, Melle, & Ovi Vitello, petiis impositum; vel applicetur unguentum Basilicon, vel unguentum Aureum, vel si magis detergendum sit.

℞. Therebintinæ venet. Mellis optimi, vel Rosacei an. ℥j. Vitellum unius ovi, Farinæ Hordei ʒij. Thuris ℈ij. M. F. S. A. Digestivum. Nonnulli laudibus extollunt Detersivum ex Apio, cujus hæc est descriptio.

℞. Succ. apii, plantaginis, betonicæ an. ℥j. Mellis optimi ℥v. Terebinth. venet. ℥iiij. farinæ hordei, orobi an. ʒij. pulv. aloës, myrrhæ, iridis Florent. an. ʒj. Coquatur mel cum succis, quibus consumtis addantur farinæ & pulveres, & omnia misceantur ad formam unguenti. Sin adhuc validius detergere fuerit consilium, utendum unguento Apostolorum vel solo, vel unguento Basilicon admixto.

Ubi verò satis detersum est ulcus, carne oppleatur, & cicatrice obducatur, adhibitis Medicamentis variis nunc exponendis, & porro exponendis lib. III. de Ulcerum curatione. Hunc tamen in finem vehementer laudat Balsamum sulphuris therebinthinatum Cl. Sylvius prax. Med. l. 1. c. 40. §. 61. 62. cujus effectus mirabilis ac fere incredibilis est, si ejus aliquid ulceri instilletur, aut illinantur. „ Mox enim, inquit, „ novi puris generatio ita fuit inde diminuta, ut non „ raro hujus unius Balsami ope intra paucos dies ple„ ne curata fuerint & in Mammis, & alibi excitata „ post inflammationes Apostemata notabilia.

„ Ex hoc autem experimento, haud parvi penden„ do, censui Ulcerum Apostematis consequentium „ Mundationem ac consolidationem consistere in „ Correctione puris acidi, rodentisque ulceratæ par„ ti adhærentis, atque sanguinem ipsi nutriendæ dica„ tum ex parte saltem corrumpentis, ac in novum „ pus vertentis: Corrigi verò illud pus parti affectæ „ adhærens à sulphuris Balsamo laudato, imprimis „ ratione Olei Aromatici, adeoque sale volatili oleo„ so abundantis, à quo spiritus acidus in pure luxu„ rians, quin sanguinem in pus indies corrumpens „ non tantum obtundatur, sed insuper mitigetur, „ emendeturque ita, ut affluens sanguis partes prius „ consomptas brevi reparet, consolidationemque ul„ timam expediat.

Ultimus tandem curandæ Inflammationis scopus est, ut symptomata, illam nonnunquam comitantia placentur. Sunt autem ea ut plurimum quatuor, dolor, Durities, Gangræna, Febris. Inter hæc primum locum dolor obtinet, in eoque sedando diligentem esse Medicum oportet, Nam præterquam quod vires prosternit, functionesque debilitat, etiam fluxiones ciet, adeoque inflammationem auget. Igitur imponatur cataplasma ex mica panis albi & lacti dulci, addito croci pulvere, confectum. Vel

℞. Flor. camomillæ, meliloti, sambuci an. Mj. coctis in lacte dulci, & in mortario contusis adde farinæ seminis lini, fœnigræci an. ℥ij. vitellos duorum ovorum, olei rosacei ℥iß. M. F. catapl.

Quod si dolor perseveret, nec his cedat remediis, ad validiora confugiendum erit, usurpatis etiam Narcoticis; ea tamen cautione, ne inde parti inferatur Necrosis. In hoc casu itaque cataplasmati addantur folia Hyosciami, Papaveris, Solani, &c.

Durities vel Gangræna quomodo curari debeant, suis locis sumus dicturi.

Ad curam Febris quod attinet, ea ad Medicum potius, quàm Cheirurgum spectat: Tolli tamen ut plurimum solet Diæta, venæ sectione, & Medicamentis, quæ in phlegmonis curatione observanda modo docuimus. *Ioh. Munnicks Praxeos Chirurgica lib.* 1.

Consultatio.

Inflammatio erysipelatodes cubiti in viro quodam Reverendo.

Maximi in Medicina momenti est, Vir Reverende, non tantum similia à dissimilibus secernere atque morborum naturam exploratam penitusque cognitam habere; sed & perspectâ morbi ideâ & vero schemate remedia cuique affectui debita prudenter assignare, Hoc opus, hic labor. Quod affectus qui Te affligit, sit phlegmone erysipelatodes in cubito oborta, ut scribis, facile crediderim, Venarum eminentia & tumor rubeus in parte affecta, atque in tumore fervor ac pulsatilis dolor, quæ graphice admodum

in

in literis tuis delineasti, id ipsum manifeste evincunt. Methodum vero in curatione susceptam probare nullus possum. Vidi plures ægros periisse magis debitorum remediorum neglectu, quam intempestiva & temeraria sæpe eorundem administratione. Venæsectio, ut fecisti, nullo modo omittenda erat, quæ in corpore plethorico, quale tuum est, omnino requiritur, & præcipuus scopus est in morbis à plenitudine obortis, ne scilicet sanguinis copia ad affectam partem confluens malum adaugeat, dummodo in principio instituatur. Inchoantibus enim morbis ex Hippocratis decreto, si quid movendum videtur, movendum. Gignitur enim phlegmone ex sanguinis copiosioris influxu quàm pars postulat, undecumque etiam influat, aut si qualitate præter redundantiam molestus sit. Requirebat eandem febris; quæ accessit, non quidem acuta, quod materia phlegmones in parte externa, longe à corde dissita, hærebat, magna tamen, quod inflammatio fuerit magna & profunda. Huic generationi in Te procul dubio, si præincipientem causam respexeris, magnam ansam præbuit, nimius concionandi labor & ardor immodicus, quo factum ut per æstum attenuato sanguine & concalefacto, exagitante motu & in fervorem sanguinis massam deducente, propulso foras sanguine è vasis majoribus ad minora; & inde ad minima, donec tandem è venis quasi expressus & ad inania musculorum spacia delatus, in phlegmonem degeneraverit. Ex quibus patet, quàm male & quanto damno tuo neglecta fuerit venæsectio. Nec obstabat, quam prætendis, vitium imbecillitas, tanquam contra indicans, cum illa à gravante sanguinis & humorum copia, minime vero resolutione aliqua evenerit. De purgatione omissa itidem es culpandus, præsertim in corpore cacochymo & sedentariæ vitæ assueto. Etsi enim inflammationes maxime à sanguine natales ortus derivent, attamen ansam iis præbent humores vitiosi & calidi qui sæpe sanguinem secum rapiunt. Hi itaque expurgandi, quod commode effeceris infuso rhabarbari cum corrigentibus in decocto tamarindorum, addita uncia una syrupi rosarum solut. & de cichor. cum rhabarb. Quod phlegmonem ipsam attinet, cum jam suppurata sit nihil habeo quod addam. An sponte sua aperta fuerit, an verò ferro vel medicamentis, de eo nihil in literis tuis. Illud tædiosum, diuturnum & sæpe minus tutum. Hoc non sine dolore. Ut ut sit, pus diligenter evacuandum, non una vice, sed pluribus; dolor mitigandus; & si reliquiæ quædam non suppuratæ apparuerint, in pus concoquendæ; vulnus mundificandum, ut ejus fieri possit agglutinatio, & alia, quæ Chirurgo tuo ex artis lege administranda relinquo. Tu his fruere in commodum tuum utertimum, meque, ut facis, amare perge vale. *Fredericus Lossius in Consiliis Medicis.*

Observationes.

Rustica quædam mulier magnam phelgmonem in brachio habebat, huic cùm menstrua deficerent, facta est phlebotomia in cubito ex loco opposito. Postea applicuimus parti affectæ quæ repellerent.

℞. Aceti opt. ℥iij. album ovi ℥i. aq. rosar. ℥iß. rosar. rub. pulv. ʒß. M. & petias lineas in hoc liquore madefactas loco affecto applicato. Hoc utebatur Benedictus Faventinus Præceptor meus.

℞. Unguent. de cerussa ℥ii. succi plantag. & semperv. an. ℥i. aq. rosat. ℥ii. M. & cum petiis lineis apposito. At cum hæc valde repellentia ob insignem dolorem minus juvarent, apposui emplastrum ex mica panis cribellati cum oleo rosac. & lacte; quod in omnibus inflammationibus cum rubore sæpe experti sumus, & dolorem sedare, & fluxum materiæ inhibere; dolor vero illo apposito mitigari cæpit, & inflammatio cessare. Interim statim post sanguinis missionem corpus purgavimus.

In alia, ad inflammationem brachii inunximus primò unguento rosaceo. Postea cum dolor intenderetur, cataplasma sequens imposuimus.

℞. Malv. m. iiii. pistentur ad mollitudinem, add. farinæ hordei ℥ß. ol. viol. rosf. unguenti popul. an. q. s. F. cataplasma: septies fuit reiteratum. Postea etiam brachium inunximus unguento populeo, oleo viol. amygd. d. rosf. an. part. æq. imposito deinde iterum cataplasmate suprascripto, tandem bene hæbuit & à phlegmone curata est: alteri hoc cataplasma egregie profuit & dolorem sedavit.

℞. Farin. tritic. q. s. coq. in aqua, addendo ol. rosac. q. s. & parum croci; hoc etiam maturat: hoc item emplastro commode sæpe usi sumus ad dolorem sedandum, & tumorem & tensionem emolliendam, & materiam insensibiliter resolvendam.

℞. Farin. sem. lini, fænugr. sem. aneth. fl. chamæm. melilot. bismal. coq. pistentur & corporentur cum mucilag. sem. althææ & butyro recenti, potest addi in processu farina fabarum. *Petrus Forestus. obs. 5. lib. 1. obs. Chirurg.*

Ubi cognoveris resolventia non complete opus suum, statim debes sollicitare ipsius phlegmones suppurationem, quam complebis sequenti emplastro.

℞. Rad. malv. fol. viol. an. M. iß. rad. alth. mucilam mesf. ℥i. rad. lil. alb. ℥iß. bulliant omnia in aq. ad medietat. consumptionem: deinde adde mucil. sem. cauliun ℥iß. farin. frumenti ℥i. pingued. porcin. butyr. rec. lact. mulier. an. ℥i. ol. lil. alb. amygd. d. an. q. s. ad impinguandum emplastrum, quod calidum loco dolenti apponatur. Ad idem egregie maturans & suppurans.

℞. Lactis vaccin. ℔i. medull. panis subtiliter triturata ℔i. succi caulium ℥iii. croci ʒß. ol. lil. alb. ℥iii. M. & calide apponito: maturata vero phlegmone (cujus indicia erunt mollities cum undositate apparens, carentia doloris, & tensionis privatio;) debes te præparare ad illius disruptionem, quod si pariens ferro vel igne terretur, disrumpatur sequentibus.

℞. Diachyl. simpl. ℥ii. fermenti ℥i. ol. amygd. d. ʒß. M. grosso modo, extend. supra corium, in medio pone stercor. columb. subtiliter pulver ʒi. & phlegmoni applicato; stercore apposito in loco in quo habilior erit ejus disruptio; secundum ingenium est hoc ruptorium.

℞. Fermenti ʒß. salis ℥i. aceti opt. ℥ii. pulv. cantharid. ℈iv. omnia simul bene misce, & in mortario bene ducantur, quousque fiat pasta, cujus ʒß. vel secundum quantitatem phlegmone disrumpendæ applicabis apostemati, superposito emplastro supradicto: rupto apostemate, sic ut plurimum medicaberis.

℞. Terebinth. ℥ii. vitell. ov. numero i. optimè agitentur simul, quousque F. forma unguenti, in quo tentam factam ex pecia vel ejus filis ad quantitatem foraminis affecti intinges, & foraminis impones; tum vero ipsum unguentum extendes supra peciam, & totum apostema teges: factaque idonea ligatura non multum stricta, ne prohibeatur eventatio spiritus & caloris ad membrum, & materiæ residuæ maturatio; sic continuabis per dies, donec materia fuerit sufficienter evacuata, & labia

vulneris optime digesta. Postea ad majorem mundificationem & absterfionem, appones unguentum sequens, & tentam intinctam in eo.

℞. Terebinth. ℥ij. mell. ℥i. M. & usui serva; semper superponendo unguentum digestivum prius factum: mundificata phlegmone, quod poteris videre ex privatione generationis saniei & alterius malæ materiæ currentis ex ulcere & sufficienter absterfa, indigebit tunc ulcus incarnatione & consolidatione: ideo cum sequenti unguento procedes.

℞. Terebinth. ℥i. mell. ℥iß. thor. mastich. myrrh. aloes; an. ℥i. sarcocoll. ℥ß. pulverizanda pulver. & omnia in mortario bene ducantur & agitentur, quousque F. unguentum: & sic continuabis usque ad veram ipsius consolidationem: hæc Præceptor meus Faventinus admonebat: si vero vehemens dolor inflammationi accesserit, modis omnibus is mitigandus est, quod si anodynis non demulcetur ad narcotica traseundum erit: inter hyoscyamum admirandam opem sæpe contulisse frequenti experimento præter quorundam authoritatem comprobatum est: itaque folia ejus sub calidis cineribus coquito, recenti axungiæ misceto & admoveto; hoc vehementer dolores mulcet, & phlegmonosos tumores ad suppurationem perducit. Petrus Forestus. schol. obs. 5. lib. 1. obs. Chir.

Vir quidam vexabatur in metacarpio & gibbo manus phlegmone seu apostemate calido: eximhui balsamum sulphur. ut eo mane meridie ac vesperi apostema probe illiniret, & linteola superimponeret cum levi ligatura; quod fecisset, statim maturationem, mox disruptionem & tandem perpaucis diebus consolidationem & optatam curationem consecutus est. *Martinus Rulandus curat.* 90. *cent.* 1.

Plurimos, cum paterentur apostemata, seu phlegmones, sanos feci intra paucos dies solo emplastro diasulph. (cujus descriptionem, vide lib. 18. sect. 22. subsect. 4.) admovi autem illud mane & vesperi, onde citissime ad suppurationem venerunt. Deinceps ultra rupta, & indies his mundificata, mox ad consolidationem perducta sunt: quia in hoc emplastro miranda & celeris inest vis emolliendi, suppurandi, rumpendi, abstergendi & conglutinandi. *Martinus Rulandus. curas.* 94. *cent.* 1.

Cuidam laboranti phlegmone erysipelatode in facie, folia hederæ arboreæ in aqua quæ à rectis regulatis cæruleis defluit cocta, & humida supra faciem posuimus: hoc experimentum habuimus à Chirurgo quodam seniore, quod in seipso, tum sua uxore sæpius, ad guttam quoque rosaceam in facie expertus fuerat: & ego in quamplurimis: semper enim mihi fœliciter successit applicatio fol. hederæ post universalia adhibita remedia: eodem modo & fol. tussilag. cocta in aqua & apposita egregie prosunt, ut expertus sum; quanquam in herpete magis conveniant. *Petrus Forestus. obs.* 6. *lib.* 1. *obs. Chir.*

Plantæ pedis inflammationes periculosæ.

Cum plantæ pedis partes sint nervosæ, ac proinde exquisitissimo sensu præditæ, atque in parte declivior: sita, non leviora symptomata ex ipsarum inflammatione oriri solent, cujus rei exempla aliquot in gratiam tyronum hic in medium adferre non gravabor. Juveni cuidam Coloniæ viginti circiter annorum ætatis, ex domesticis generosi Viri Dom. Gulielmi de Flodorff. Dn. in Leud. & Wel. &c. cum ex nimis violenta deambulatione dolor in ipsa planta pedis exortus esset, & ab initio remedia nulla adhibita fuissent, auctus est dolor, & mox sequuta inflammatio. Ego vocatus totum pedem in tumorem elevatum, & phelgmone occupatum inveni. Dolor aderat maximus, & ad coxas usque se se extendens; febris continua & ardens; inquietudines item, delirium & lipothymiæ. In curatione autem hunc in modum processi. Instituta victus ratione tenui, sequenti potiuncula corpus purgavi.

℞. Electuar. de succo rosar. ℥ß. pulver. Passavanti cum rhabarb. ℈iß. syr. rosar. sol. ℥i. cum decocto agrimon. veronic. radic. lapath. acuti, cortic. inferior. radic. frangul. & sem. anisi, fiat potiuncula. Qua clementer expurgatus fuit, Eadem die post cænam per duas horas ipsi ad gr. vi. laudani exh bui; quievit ea nocte, vireíque aliquo modo resocillatæ fuerunt; quapropter postridie venam brachii lateris laborantis incidi, & sanguinem ad ℥x. extraxi, erat enim plethoricus & robustus, hinc febris, dolores & inflammatio multum imminuta sunt. Statim quoque ab initio, coxam, genu, & quicquid ab inflammatione liberum, sequenti linimento inunxi.

℞. Olei rosac. ℥ii. olei lumbric. & axung humani. an. ℥ii. M. loco vero affecto, quia pinguia ex Galen. doctrina lib. 5. de simpl. medic. facultatib. admovenda non erant, sequens applicui cataplasma.


℞. Sem. cydonior. fænigr. alth. an. ℥ii. pulverisentur & macerentur aqua calida per duas horas, deinde admisce farinæ hordei ℥iii. pulver. rosar. ℥ß. coquant. cum s. q. aq. ad formam, cataplasmatis, postea admisce vitellum ovi cum albumine; applicetur & renovetur quotiescunque opus videbitur. His adhibitis medicamentis dolor multum cessare cæpit, & locus materiæ apparuit, cui emplastrum basiliconis, toti vero pedi cataplasma præscriptum applicui. Et quia pars illa pedis maxime callosa, lacte calenti, in quo semen fænigræci, folia malvæ & violarum incocta erant, diligenter fomentavi, deinde novaculâ callositatem illam abrasi, quemadmodùm obs. 97. cent. 1. in curatione paronychiæ scripsimus. Sic brevi in ipsa planta pedis rupta vomica, feliciter evasit. Interim dum circa curationem atque sanationem hanc occupatus eram aliquoties mihi narravit Generosa Dom. de Leud. quendam ex suis consanguineis ex simili morbo intra paucos dies extinctum, fuisse. Quod mirum nemini videri debet, cum locus iste, ut antea dixi, sit nervosus, & exquisitissimo sensu præditus, ut proinde gravissima symptomata accerseret. *Gulielm. Fabr. Hildanus observat. Chirurgicar. cent. iii.*

INSTRUMENTA CHIRURGICA.

Plura hinc inde in toto opere dispersa reperientur. Verùm non sic minus præcipuam ipsorum partem sub hôc ipsô titulô tradere necessarium credimus: Ac propterea sequentes tabulas super iis exhibemus.

TABULA





ex nimis violenta

TABULA

TABULA NONA.

Offert varia instrumenta pro cauteriis inurendis, ut & illa omnia quæ in Tripani Operatione, ut in ossium cranii fractorum lævigatione adhibentur.

Fig. 1. EXhibet cannulam ferream, per quam fonticulis loco in suturâ coronali inurendo, & priùs atramentô adnotatô, fortiter impositam, trajicitur subsequens cauterium solidum Figurâ 2. expressum, hocque bene ignitum.

Fig. 3. Denotat itidem cannulam ferream, superiori paulò profundiorem, excipiendo cauteriô Fig. 4. expresso destinatam. Hoc ultimum cauterium non est solidum ut prius, sed cavum ac incidens, adhiberurque cùm animus est in fonticulô prædictô applicando, non tantùm locum applicationis inurere, sed etiam incidere.

Figuræ 5. 6. 7. 8. 9. 10. & 11. Depingunt totam illam machinam quâ utebatur Casserius pro fonticulis applicandis iis qui ad visum ferri, vel cupri ignis perhorrescebant. Hic scilicet stylus ex cuprô solidus 6. immittitur in tubum ab inferiore parte cæcum, qui descendit de lamina superiori ad inferiorem Figurarum 5. & 7. totumque hoc machinamentum in pixidem ligneam, cum suô operculô Figuris 8. & 9. delineatam, & ab inferiore parte apertam reponitur, ut sine adspectu ignis tubuli ignitum stylum continentis extremum loco cui fonticulus inurendus venit immediatè applicari, imò per pistillum 10. per pixidis operculi medium trajectum, fortiter ad validiorem impressionem comprimi queat. Videant jam nostri an operosô ejusmodi instrumentô opus habeant.

Fig. 12. Exhibet cauterium incisorium quô pars aliqua non tantùm rescinditur, sed etiam vi igniti instrumenti in id adhibiti hæmorrhagia sistitur.

Fig. 13. & 14. Sistunt illa cauteria quibus internodia eximuntur, ac putredine accedente commodè utuntur, imò ob gangrænam emortua eradicantur.

Fig. 15. Oblongum ac convexum præbet cauterium, putredini ossium quorundam inurendæ accommodatum.

Alias non addimus cauteriorum figuras; illa enim siquidem variare debent & in formâ, & in magnitudine, ut & etiam in metalli crassitie; pro ratione & figurâ partium quibus applicanda veniunt, ut & pro amplitudine vulnerum, ulcerum, ac ossium cariosorum quibus imponi debent; item etiam pro ratione gradus ignis in illâ applicatione requisiti. Hæc omnia ingenio ac industriæ operatoris committi debent, qui nosse debet quomodo apta confingenda veniant instrumenta, variis suis applicationibus facientia.

Fig. 16. Est instrumentum, quod ab Hipp. *lib. 2. de morb. cap. de suppurata peripneumonia*, μαχαιρὶς στηθοειδὴς à Celso autem & Paulo passim *Spatha* appellatur: Scalpellus nimirum anceps, utrinque acutus, & in superiore parte paululum latus, qui in extremitate sua unam cuspidem coit. Hoc vulnera capitis in crucem vel triangulum dilatantur, & paracentesis in thorace tutò peragitur.

Fig. 17. Est *culter tonsorius*, sive scalpellus rectus, ex una tantùm parte incidens, ex altera verò retusus, quo utuntur, quando partium subjectarum non est habenda ratio, videlicet in cute capitis incidenda usque ad cranium, & gummatibus Gallicis, in tibia præsertim vel alibi, aperiendis: deinde ubi utraque acies aliquid lædere potest, ut in fœtu mortuo intra uterum in plures portiones dissecando, & vulvæ caruneulis incidendis. *Italis* vocatur *Scodeghino*.

Fig. 18. Est *Modiolus mas*, seu instrumentum ex optimo chalybe paratum, cavum, teres, imis oris serratum & quatuor alis præditum: illa scilicet pars Trypani, quæ circa os circumvolvenda est, & dicitur Græcis χοινίκιον, Celso verò l. 8. c. 3. *modiolus*: qui in medio clavum habet, ut, in principio circumvolutionis, *calvaria à pericranio denudata*, firmiter insistat, & partes circumpositæ, labia nempè vulneris & pericranium, ut maximè sensibiles, ab offensione tutiores reddantur. Quòd si modiolus in principio adhibendus clavum non haberet, summo cum periculo, & vehementi dolore fieret perforatio calvariæ.

Fig. 19. & 20. Sunt *Modioli fœminæ*, ejusdem magnitudinis cum præcedenti masculo, neque aliter differunt hi & ille, nisi quod clavo careant, unde *fœminæ* nuncupantur. Antequam his fœminis utimur, beneficio masculi cranio aliquod vestigium imprimendum, ut ei fœminæ firmius insistere possint. *Pro perforatione autem Cranii administrator ad minimum tres, sed exactissimè æquales modiolos in promptu habeat, unum nimirum masculum & duas fœminas*, ut aliquoties mutari, & in aquam frigidam, aut oleum rosaceum immergi queant, ne vel scobe pleni operationem retardent, vel ex crebra circumrotatione calefacti, cranium ipsique subjectas membranas inflamment.

Inventio alarum, quæ modiolos in cerebri membranas, vel propriam substantiam immergi prohibent, summum Hieronymi Fabricii ab Aquap. Ingenium arguit: nam quamvis ex recentioribus nonnulli, ut Vid. Vid. *lib. Chir.* 4. c. 10. & Joan. Andr. à Cruce l. 7. *de instrum.* etiam alarum in modiolis mentionem faciant, eas tamen nullus eorum tàm exactè & accuratè fabrefieri curavit, quàm Fabritius. His modiolis nunquam non felici successu sum usus, utunturque hodierna tempestate (omnibus veterum instrumentis, quæ olim ad perforandam calvariam excogitaverunt, & quorum schemata apud citatos modò Autores & Paræum l. 9. c. 18. inveniuntur, rejectis) chirurgi, præcipuè Paravini, Fabritiique in praxi & professione chirurgica successores; inter quos superstes est celeberrimus ille Medicus, Chirurgus & Professor Paravinus, Petrus de Marchettis, Eques Divi Marci Venetorum, meus olim in Anatomia & Chirurgia, per plures annos, respectivè condiscipulus, cujus mirificam operandi dexteritatem (qua ferè omnibus Italis palmam præripit) tota non tantùm Italia, & undique concurrens studiosorum cohors stupet, sed ea innumeri felicissimè restituti quasi ad cœlos usque extollunt.

Fig. 21. Est Trypani altera pars, quæ manubrium seu *vertibulum* appellatur, & excisum habet foramen, quo mediante *modiolorum apex gossipio involutus* promptè excipitur & extrahitur, quotiescunque commutatio τ χοινικίων fuerit necessaria.

Hac ratione ex modiolo & vertibulo componitur *Tripanum*, quò citò, tutò & jucundè perforatur cranium.

Fig. 22. Moderniores Chirurgi aliud manubrii genus adinvenerunt, figurà hâc notatum. Illud est arcuatum, & commodè postquam nodô seu globô in superiori suô extremô positô, fronti operatoris fuit applicitum, ejusdem manû vertitur sic, ut perforatio promptiùs perfici queat per modiolum inferiori extremo insertum.

Fig. 23. Est instrumentum compositum ex scalpro (ob lenticulam in extremitate) lenticulari dicto, & vecte. In fine perforationis cranii, hic *Vectis* inter labia excisi ossis immittitur, ad ossiculum hinc inde movendum, ut vacillet, & volsellæ (*Tabul. hujus Fig.* 32.) parte dentata auferri possit. Confert quoque ad modicas cranii depressiones elevandas, firmitatem suam in manu sola chirurgi obtinens. Lenticula inservit ad asperitates (*quæ post terebrationem, & ossis excisi remotionem relinquuntur*) abradendas & lævigandas, ne cerebri membranæ, ob continuum earum motum, illis allisæ offendantur.

Fig. 24. Est *instrumentum Lenticulare* solùm, quod oras facti foraminis, veluti modò dictum, lævigat, ne membranas pungendo, dolorem & inflammationem inferant.

Fig. 25. Est lamina argentea (*ex ferro enim nunquam parari debet, ob ipsi ingenitam frigiditatem, quæ tam crassa quàm tenui membrana cerebri nocet*) firma, paulùm resima, & ab exteriore parte lævis, quâ utimur in magnis cranii depressionibus & fracturis, ubi ter quaterve cranii os tripanô perforare; atque foraminum interstitia excindere necessarium est; tunc enim lamina inter calvariam & duram matrem demittitur, ut ejus pars exterior cerebro propior sit, ne acumine forcipum & serrularum, membranæ cerebri vel pungantur, vel incautè incidantur. Hinc membranæ custos dicitur, Græcis μηνιγγοφύλαξ.

Fig. 26. Est instrumentum decussorium, quô dura mater modicè depressa, cranio exactè applicatur, ut purulenta materia inter cranium & membranas collecta, per foramen modiolis factum facilè egrediatur.

Fig. 27. Est malleus plumbeus, quem olim usurpârunt, quando scalpris incisoriis particulam cranii separare voluerunt, ad prohibendum strepitum & cerebri commotionem. Recentiores Chirurgi utuntur ad hanc operationem forcipibus & serrulis.

Fig. 28. Est terebra triformis, instrumentum scilicet merè ferreum, tribus, iisque diversis terebris constans, quarum usus in ponctura cranii, quæ ambas laminas non penetrat, est necessarius, ut iis vestigium calvariæ impressum deleatur.

Fig. 29. Est vectis qui in depressionibus cranii elevandis usurpatur, quique valentiore attollit robore, quàm qui figurâ 23. delineatur.

Fig. 30. Est instrumentum, ob triplicem basim quam habet *Tripleides* appellatum. Si depressio cranii tam magna est, ut præcedentes vectes ob infirmitatem non sufficiant, *Triploidis* vectem B. (si spatium adest) submitto, & os depressum perpendiculariter attollo. Si autem locus huic vecti non conceditur, media depressio, triploidis terebrâ A. ultra diploidem perforari debet, & dictô elevari modô, unicè cavendo ne terebra ambas cranii laminas perforet, & duram matrem pungat.

Fig. 31. Est vectis, quô utuntur alii in maximis calvariæ impressionibus, imitando vietores, qui doliorum assulas intùs depressas simili vecte solent extrahere. Inditâ igitur vectis aduncâ extremitate a. sub os depressum, alterum vectis brachium rectum b. ossi sano inniti debet, ut, dum manubrium dextrâ deprimitur, aduncâ instrumenti parte id quod depressum est erigatur.

Fig. 32. Est instrumentum ad operationes manuales valdè necessarium, quod Celsus volsellam, Paulus Aegineta ἀκανθάβολον vocat. Hujus parte duplicatâ & dentatâ a. frustulum ossis corruptum ac mobile, spicula item & globuli, eorumque fragmenta, arundæ atque pili, & quæ idgenus alia in vulneribus extranea reperiuntur, extrahuntur. Famulatur prætereà medicinæ comptoriæ, eâ namque fœminæ pilos in superciliis & aliis corporis partibus radicitùs extirpant. Latiore sui parte b. ad ceratorum conducit extensionem, item ad pericranii ab osse separationem antequam modiolus admoveatur.

Fig. 33. Est forceps excisoria, cum rostrô psittacô a. cui superiùs cochlea umbellata b. affigitur, quæ rostrum ad duram matrem immergi vetat. Inferiùs habet manubrium c. quod cochleæ d. fig. 34. circumvolvitur.

Fig. 34. Est rostrum psittaceum extra suam cannulam e. Figuræ 33. positum.

Fig. 35. Est forceps alia cum rostrô vulturninô, cannulata, ad cujus cochleam circumducitur clavis.

Fig. 36. Est rostrum vulturninum sine cannula depictum. His forcipibus ossis aliquod frustulum in curatione vulnerum capitis, partim rumpendo, partim incidendo, aufertur.

Fig. 37. Est serrula versatilis, tympanis duobus, iisque dentatis prædita, utilis maximè ad intercidenda duorum vel trium foraminum, modiolis factorum, interstitia: Ubi enim vectes ob rimæ angustiam spatium non habent, interdum opus est ut in craniô duo vel plura foramina modiolis conficiantur, quorum interstitium hâc serrulâ, sine ullô læsionis periculô interciditur, quò vectis ad elevandum commodus submitti, & ossis frustulum, quod non raro membranas pungit, eximi possit. Hujus instrumenti partes conjunctæ literis minusculis, separatæ verò majusculis notantur.

Fig. 38. Est lamina ferrea A. in mediò secundùm longitudinem excisa, quæ superius manubrium B. habet, & foramen C. in flexurâ laminæ, inferiùs autem utrinque aciem acuminatam D. quibus cranio nudato firmiter insistit.

Fig. 39. Est claviculus umbellatus asteriscô notatus, per foramen C. Fig. 38. transiens, unde capsulæ E. infigitur. Hæc capsula laminæ ferreæ foramini A. Fig. 38. beneficiô orichalceæ lamellæ Fig. 40. regulariter annectitur per duas cochleas quas capsula in parte aversâ obtinet, correspondentes orichalceæ lamellæ, totidemque nodulos, ut Chirurgus beneficiô claviculi, capsulam in ipsô operandi actû, sursùm & deorsùm, pro libitû movere valeat. Foramini H. axis rotulæ imponitur, ut ex Fig. 41. & rotulæ centrô apparet. Lamella I. superiùs dentata est, & ibi excipit rotulam; inferiùs L. utrinque æqualis, ut serrula K. in capsulâ, & Figuræ 41. fissuris M. beneficiô rotulæ & capuli, regulariter dextrorsùm & sinistrorsùm moveri apta sit. Lamina orichalcea N. in mediô cava est, & duas habet cochleas O. hujus laminæ beneficiô serrula, cùm instrumentum planè fuerit compositum, æqualiter hinc inde ducitur.

Fig. 40. Est lamella orichalcea, cum duabus materculis, quæ suprà noduli vocantur.

Fig. 41. Est rotula semidentata P. & dimidia capsula Q. unà cum tribus foraminibus R. quibus tres cochleas Fig. 39. recipit, cum nodis, seu materculis S. firmatas.

Hæc

10. 6. 13. 17. 7. 9. 8. 12. 11.

28. 29. 30. 31. 32. 33.

39. 41. 42. 35. 34. 36.

23.

43. 38. 37.

Fig. 42. Est clavis, quâ instrumentum in suas partes dividitur, & iterum ex iis componitur. Litera T. axim notat, quæ capsulam & rotulam in parte aversâ perforat: V. verò ejus manubrium indicat.

Hæc machina à Sculteto excogitata, admodùm operosa est, & paulò obscuriùs explicata; sed ea facilè carere possumus, quandoquidem ad pompam magis quàm veram utilitatem, eae gitata videtur.

TABULA DECIMA.

Hâc Tabulâ delineantur rursùs quædam alia instrumenta pro Tripani operatione, ut & alia varia in fracturis Cranii adhibenda: Item pro setaceô in nuchâ conficiendo; Pro diversis oculorum & palpebrarum morbis; ac tandem pro polypô narium extrahendo, uvulâ exscindendâ, cum oris dilatatoriô, & rostrô gruinô obtusô.

Fig. 1. DEmonstrat Tripanum minoris apparatus, quod Chirurgi qui Matrem sequuntur facile possunt sibi comparare. Formam habet circini, & commodè contrahi ac dilatari potest, pro vulneris, aut putris super durâ matre collecti majore aut minore extensione. Hic autem,

a a. Pedem terebelli exhibet.

b. Parvam cochleam.

c c. Duas diversas acies quæ pedi a. imponuntur, prout occasio exigit.

d. Majorem cochleam, quam incurvatus clavus e. sustinet, quô terebellum extenditur & retrahitur, pro occasionum varietate.

Fig. 2. Est defensorium, quod in modum cranii incurvatur: Multis hoc & variis foraminibus 1. 2. 3. 4. 5. 6. non tamen penetrantibus, pertusum est; pes autem tripani in iisdem firmatur. Nam in illius cranio impositi, foramine aptiori, immittitur tripani pes alter terebræ a. & postquam locus in nudatô craniô perforandus attramentô delineatus est, terebellum ad eius mensuram per cochleam d. laxatur vel contrahitur: Quibus peractis & acie c. alteri pedi infixa circumvolvitur in circulum donec ossis partem auferendam exciderit.

Fig. 3. Idem quod prior repræsentat, sed simpliciori extructum methodô.

Fig. 4. & 5. Representant serrulas rectas, quibus interstitia foraminum modiolia in craniô factorum intercidantur, & scissuræ capillares, non penetrantes abolentur, craniique exterior caries abraditur.

Fig. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. Exprimunt scalpra varia, cava scilicet, semilunaria, acuminata ac plana, quibus in fissuris capillaribus, & ubi penetratin dubia est, Chirurgus uti potest. Illa itaque semper parata habeat, ne ex indigentiâ occasionem operandi, quam præcipitem esse nemo non ignorat, cum patientis periculô, & famæ propriæ naufragiô, perdat. Cum os cariosum in partibus extremis, femore, tibiâ, humerô & cubitô, detandendum est, scalpra majora & validiora confici debent; eaque omnia ex chalybe optimè depuratô, ut acies promptissimè abradat, parentur necesse est, ac manubriis instruantur ad formam illius, quod in Fig. 6. depingitur.

Fig. 13. Forceps est, cujus extremitates duæ superiores foraminatæ, per annulum mobilem ad inferiora depictum, stringuntur. Quique tum necessarius est quando Chirurgus famulum non habet qui sibi acum optimè ignitam ad parandum in nuchâ setaceum porrigat.

Fig. 14. Alius est forceps qui digitis Chirurgi in annulos inferiùs positos immissis stringitur, quibusque commodè utitur quando pars occipitis perforanda valdè carnosa est ac pinguis; Sic enim cutis apprehensa, cum crassa sit, circulum ingreditur superiorem, unde minimè elabi potest.

Fig. 15. Forceps est qui neque cavitatem habet circularem in superioribus, nec annulos ad sui inferiora, quoque Chirurgus macilentorum nucham facilè apprehendere potest, donec acû candefactâ, sibi à ministrô porrectâ, cutim perforaverit.

Fig. 16. Est acus pro setaceô quæ palmam æquare debet longitudine, & crassitie suâ paulò minor esse foraminibus in superiori forcipis extremitate sitis, ut per ea pro inurendo setaceô facilè transmitti possit.

Fig. 17. Est puntale longum & angustum, funiculum rotundum ex sericô purpureô adstrictum habens, qui ad medicatem traductus in cutis foramine relinquitur. Puntali huic affixus est globulus cereus, ut sine dolore transeat.

Fig. 18. 19. 20. & 21. Sunt ferramenta sive manubriis varia, quibus bene candentibus occipitium in infantibus & puerulis comburitur. Quæ operatio in adultis etiam non rarò peragitur.

Fig. 22. Est forceps per se stringens, quâ apprehenditur cutis, si setaceum simplici parandum venit sectione, seu perforatione per acum scindentem.

Fig. 23. Duas monstrat acus ad suffusionem deponendam aptas, quæ manubrio octogono argenteo ab utroque extremô insertæ sunt.

Fig. 24. Exprimit manubrium prædictum ab utrâque parte apertum, & in quô acus in alterô quidem extremô inserta conspicitur, in alterô verò cochleam tantùm exhibet.

Fig. 25. Est acus ad curationem cataractæ accommodata, cum manubriô & vagina argenteis.

Fig. 26. & 27. Exhibent acus, tum ad eandem postea deprimendam utiles, à Clariss. Antoniô Nuckiô inventas. In Fig. 26.

A. Est acus ex chalybe.

B. Manubrium ex lignô, argentôve.

C. Mucro excavatus pro excipiendâ acû sequenquentis Fig. 27. ubi,

A. B. Repræsentat acum cum suô manubriô

C. Verò extremitatem ejus obtusam, quam fovea suâ excipit acus prior, ut sic commodè introduci queat in interiora oculi per corneam, & ex eô quòd obtusa est, minùs facile discerpat atque distringat cataractam.

Fig. 28. Est annulus æneus, quem alii plumbeum volunt, utilis ad firmandum oculum in excisione pterygii, aliisque operationibus in illô peragendis.

Fig. 29. Est specillum oblongum, teres & argenteum, quod pro necessitate inflecti potest. Ejus alterum extremum latius est, alterum verò globulum rotundum & politum. Latâ specilli parte palpebrarum curatur coalitus, & pulveres ac plagulę unguentis illitę earum ulceribus applicantur. Globosam autem aliam

aliam extremitatem Chirurgi adhibent ad perscrutandum vulnerum & fistularum statum.

Fig. 30. Est specillum compositum ex latâ extremitate ad prædictos usus; & cochleâ in alterâ ejus parte acuminatâ, quæ gossipiô obvolvitur, pro detersione sordium in vulneribus, ulceribus, ac præsertim fistulis oculorum.

Fig. 31. Est scalpellus falcatus ex unô tantùm latere incidens, cujus mucroni argenteus affixus est globulus. Hôc utebantur Veteres pro separatione palpebrarum quæ coiverant cum tunicis oculi.

Fig. 32. Est hamulus auctus, ac in mucrone recurvatus, qui tam ad palpebram attollendam, quàm ad oculorum unguem levandum maximè est idoneus.

Fig. 33. Est vasculum oculare vitreum, ex crystallô ita conficiendum ut exactè oculi orbitæ respondeat, & medicamenta per infundibulum de eô exsurgens immissa contiuere valeat ne defluant. Ab Aquapendente inventum est hoc instrumentum, forsan minùs necessarium.

Fig. 34. Est instrumentum rectum, seu potiùs tenacula recta, pro polypô è naribus extrahendô, ex chalybe constructa, extrinsecùs convexa, intrinsecùs conceva, aciem habens introrsùm recurvatam, quâ nihil prorsùs incidi potest præter apprehensum polypum.

Fig. 35. Est instrumentum incurvatum, quô itidem inciditur & extrahitur polypus qui per narium foramina interiora ad fauces tendit & suffocationem minatur.

Alia plura instrumenta pro eadem polypi extractione excogitata fuere, quæ hic non recensemus, quia unusquisque pro occasionum varietate, ea facilè variare novit.

Fig. 36. Cannula est ex ferrô solida, quæ naribus tam altè immittitur, ut ulceris, quod ozænam vocant, longitudinem adæquet. Postea cannulæ huic omnino integræ, nullibique perforatæ, inditur stylus ferreus bene ignitus, quô cannula calefit, & ulcus exsiccatur.

Fig. 37. Est cannula ad latus perforata, pro callô prædurô ulceris in naribus existentis, per cauterium actuale consumendô, aut ossè corruptô maximè exsiccandô, idonea.

Fig. 38. Est cannula in summitate foramen habens, quæ naribus inditur, quando post excisionem & extractionem polypi, sangnis nimiùm profluens, Chirurgiâ per inustionem sistendus est. Præterea usurpatur, cùm summitas narium, pro ossis corrupti remotione aduri debet.

Fig. 39. Est *Stylus* ferreus, qui benè candens dictis cannulis immittitur, statimque retrahitur: quæ immissio & retractio toties repetenda est, quoties necessarium fuerit. Ad operationem hanc citò perficiendam. Chirurgus ad minimum duos in promptu stylos habeat, quos alternatim candefactos cannulæ immittat. *Notandum* verò, quod vasculum ocolare atque hæ cannulæ naribus immittendæ, in justâ magnitudine depingi nequeant, quoniam pro ratione ægrorum & magnitudine locorum affectorum debent confici.

Fig. 40. Est *instrumentum, quo abscinditur uvula*, orichalceum, quod in parte superiore circulum habet nonnihil excavatum *A.* in inferiore fistulam *B.* per quam fili (postquam in seminodum circumvolutum *E.* & in concavum annuli, ne hinc inde vacillet, repositum fuerit) extremum *C.* mediante stylo superius perforato *D.* trahitur: alterum fili extremum, per duos circuli annexos annulos ducitur, & inferiori fistulæ annulo alligatur. Hoc instrumentum primus invenit & descripsit Guilhelm. Fabritius Hildanus cent. 2. observ. 21. quô correctô uvulam militis Cæsariani, à Lue Gallicâ infestam & corruptam, absque negotiô ligavit Sculterus, & bonô cum successu abscidit, Ulmæ die 8. Junii anno 1637.

Fig. 41. Est *instrumentum uvula relaxata admovendum*, pariter orichalceum, cochlear nempe parvum (*dimidio autem majus debet parari, quam delineatum est*) cujus manubrium fistulosum, & novem pollices longum, inferiori cochlearis parti annectitur. Hoc cochlear pulveribus adstringentibus & digerentibus mixtis repletur, & uvulæ relaxatæ submittitur: deinde Chirurgus ore arripit fistulæ basin, & inflando pulveres columellæ & palato undique aspergit.

Fig. 42. Est *instrumentum oris dilatatorium* cum cochlea, ex Paræi l. 9. c. 25. delineatum, quo dentes constricti, valideque commissi diducuntur, ut cibus præberi possit, ne fame pereat æger.

Fig. 43. Est *rostrum gruinum*, dentatum, & in angulum obtusum directum, globulis, & peregri is corporibus, arripiendis, & è vulneribus extrahendis idoneum.

TABULA UNDECIMA.

De Instrumento volsellæ simili, cannula faucibus immittenda, forcipe pelicano, rostro corvino, vectibus trifidis pro dentibus evellendis, infundibulô, item aliis variis in paracenthesi abdominis adhibendis &c.

FIG. 1. Est *instrumentum Acantabolo simile*, forceps nimirum in semicirculum recurvata, dentata, & in apice nodulô donata, quâ ossicula, spinæ, aliæve res extraneæ, imis faucibus infixæ solent eximi. Quando Clariss. Hieron. Fabritius ab Aquap. *in faucium Chirurgia* acantaboli mentionem facit, intelligit instrumentum aliquod oblongum & tenue, quod duplex, alterum rectum, alterum securvum, quale hoc est: utrumque tamen ob arripiendi & extrahendi facultatem volsellæ nomen meretur.

Fig. 2. Est *cannula* argentea ut faucibus immitti queat, *incurvata*, crassitie pennæ oloris, & longitudine unius pedis, cum dimidiô vel circiter. Est undique perforata, & in sua extremitate spongiam, magnitudine avellanæ, novam & firmiter alligatam habet, quâ ad spinas è faucibus & mediô œsophago trahendas felici successû utitur Guilhem. Fabritius Hildan. Cent. 1. Obs. 26. ubi docet operandi modum per cannulam hîc depictam.

Exhibent ferramenta Figuræ 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9 & 10. quæ usurpantur ad dentes perforatos, aut mobiles, vehementissimè per intervalla dolentes, sub acerbissimô doloris paroxysmô eximendos: unde

Fig. 3. Est forceps, *pelicanus* dicta, quonim rostro pelicani volucris assimulatur: eô autem utuntur ad extrahendos dentes molares.

Fig. 4. Est *forceps dentaria communis*, Italis *canolo* appellata, quod firmum canis morsum imitetur.

Fig. 5. Est *forceps rostrum cervinum* referens: qua dentium radices extrahuntur: de qua Cornel. Celsus (*quem veluti in omnibus Chirurgiis mirabilem, nocturna versare manu, versare diurna consulit Fabrit. ab Aquap.*) l. 7. c. 12. de dentibus ita scribit: Quotiescunque dente exempto radix relicta est, protinus ea quoque ad id facta forcipe, quam Græci ῥιζάγραν vocant, eximenda.

Fig. 6. & 7. Sunt *forcipum dentariarum effigies*, quæ



nominatus, ob rostrum illius avis, quæ Latinis *Gallinago*, & Græcis Σκολόπαξ dicitur, nempe longus,

Gonorrhæa virulenta subortum in meatû u

Fig. 43. Est *instrumentum acû tricuspide* (*a*)

V v 4

...ios circuli annexos annulos ducitur, & inferiori fistulæ annulo alligatur. Hoc instrumentum

...φάγγαν vocant, eximenda.

Fig. 6. & 7. Sunt *forcipum dentariarum effigies*, quæ

quæ valent ad dentes evellendos, quibus neque pelicani, neque forcipis communis opera poteſt opitulari.

Fig. 8. & 9. Sunt *velles trifidi* appellati, quod plærumque tres cuſpides habeant ad protrudendos & excutiendos dentes inciſorios, & caninos, qui maxillarum alveolis ſimplici radici infiguntur.

Fig. 10. Eſt *dentiſcalpium*, quo ſeparatur gingiva à dentibus, ut minori cum moleſtia & periculo evellantur.

Fig. 11. Eſt infundibulum ſeu fiſtula argentea, cujus pars anguſtior inter gingivas ægri, qui arctè conſtrictos habet dentes, exttemas ponitur: latior verò cibum liquidum & potum excipit, atque ad æſophagum demittit.

Fig. 12. Cauterium ad dentagram demonſtrat ex Clariſſ. Antoniô Nuckiô; in quo

A. Eſt vagina ex cuprô facta.
B. Anſa ejus.
C Cauterii manubrium.
D. Cauterii extremitas, ad lineæ dimidiæ mathematicæ latitudinem caput exſerens, ne intimiùs, quàm decet, cauterium penetret.

Fig. 13. 14. & 15. Sunt limæ diverſæ aciei & formæ, quibus dentes nimis acuminati ac prominentes abraduntur; putredoque inter eoſdem interjecta, ne ulteriùs ſerpat, ſeparatur.

Fig. 16. Eſt forceps cum roſtrô pſittacinô, quâ utuntur in fracturis cranii, quando fruſtulum oſſis, quod membranas cerebri vel pungit, vel deprimit, auferendum venit.

Fig. 17. Eſt inſtrumentum, cum roſtrô corvinô in eundem finem affabrè factum.

Fig. 18. Quid ſit ex Tabulæ X. Fig. 43. colligi poteſt.

Fig. 19. Eſt ſpeculum oris, quô deprimitur lingua & maxilla inferior, ut oris vitia exactè perſpici, idoneis tam inſtrumentis, quàm medicamentis tractari poſſint.

Fig. 20. Eſt inſtrumentum inciſorium inſtar forcipis, quô exſcinduntur tumores & carunculæ oris.

Fig. 21. Eſt forceps cum roſtrô gruinô, dentata & recta, quæ volſellæ vices agere poteſt.

Fig. 22. Eſt commune oris ſpeculum, quô lingua à Chirurgis ſæpiſſimè deprimitur ad affecti oris vitia ſaltem inſpicienda. Hujus ſpeculi annulus acie præditus eſt, quâ abſterguntur craſſiora linguæ excrementa, quæ ipſi in febribus ut plurimùm tenaciter adhærent; quamvis præſtet ea abſtergere linteô imbutô liquore aliquô appropriatô.

Fig. 23. Eſt inſtrumentum argenteum, quô Chirurgi infantum recèns natorum linguam facilè elevant, elevatæque vinculum acutiſſimâ forficulâ tutò incidunt.

Fig. 24. Eſt canalis ex ferrô obliquus, & ad extremitatem ſ. perforatus, qui faucibus immittitur, ne partes vicinæ lædantur, quando poſt abſciſſionem uvulæ corruptæ, vel nimiùm auctæ ſanguis enormiter profluens inuſtione eſt compeſcendus.

Fig. 25. Eſt cauterium actuale, quod præcedenti cannulæ immiſſum, inſtar catenæ pro Chirurgi lubitû & neceſſitate affectûs, poteſt incurvari, vel ad tangendum ſaltem uvulam corruptam, vel ad ſiſtendam diminutę hæmorrhagiam.

Fig. 26. Eſt ſcalpellus ſeparatorius, quô tumores in ore tunicati radicitùs exſcindi queunt.

Fig. 27. Eſt *ſcapellus*, Σκολοπομαχαίριον à Græcis nominatus, ob roſtrum illius avis, quæ Latinis *Gallinago*, & Græcis Σκολόπαξ dicitur, nempe longus, & ad cuſpidem paululum incurvatus veluti roſtrum ſcolopacis. Hoc ſcalpello dilatantur vulnera thoracis nimis anguſta, & aperiuntur abſceſſus magni. Eundem laudat Fabric. ab Aquap. pro apertione abdominis hydropicorum infra umbilicum ad aquam emittendam. Nota, hic ſcalpellus pro dilatatione vulneris in thorace requirit globulum ferreum in mucrone, ne pulmones cuſpide ſcalpelli offendantur.

Fig. 28. & 29. Sunt *ſcalpelli ad mucronem recurvati*, & ſcolopomacherii Græcorum formam referentes; quibus fiſtulæ in habitu corporis mediocres commodè inciduntur, unde etiam *συριγγότομοι* appellari ſolent.

Fig. 30. Eſt *ſcalpellus falcatus*, qui Italis vocatur *gammaut*, & incidit ex parte cava, retuſus in parte gibbâ eſt. Hoc frequentiſſimè utuntur ad omnem inciſionem, quæ paſſim fit in omni apoſtemate, præcipuè verò in parvis inciſionibus. Hic ſcalpellus habet manubrium oſſeum, quod commodum eſt, ad dividendum ac ſeparandum aliquid ab aliquo: unde Celſus. l. 7. c. 16. *de tumoribus tunicatis* dicit: tum ſcalpelli manubrio tunica (quæ poſt inciſionem cutis protinus alba & integra ſe oſtendit) diducenda à cute & carne eſt, ejiciendaque cum eo, quod intus tenet: hôc diducitur quoque pericranium à craniô, & unguis ab oculô.

Fig. 31. Eſt *ſcolopomacharium* ſine manubrio.

Fig. 32. & 33. Sunt *ſcalpelli ancipites*, qui ad extremitatem referunt formam foliorum myrti: iis utimur ad mammas mulierum cancro affectas abſcindendas.

Fig. 34. Eſt *acus acutiſſima*, longa & anceps, quâ mammæ auferendæ trajiciuntur in baſi.

Fig. 35. Eſt *canalis ex auro Ungarico* paratus, & plurimis foraminibus perforatus.

Fig. 36. Eſt *ſtylus* ex eâdem materiâ confectus, qui cannulæ priori immittitur, ut ex duabus figuris unicum fiat inſtrumentum, quod in vulneribus thoracis pro Siphone utiliter applicatur, & ſanguinem ex thorace non concretum, aut pus tenue, trahit. Inſtrumentum hoc tractorium in angulum rectum vel obliquum flecti, & thoraci per vulnus, caſu vel ſtudio factum, immitti poteſt, ut ſanguinem nondum concretum vel ſaniem contingat: Chirurgus extrahat ſtylum ex canali, & ſtatim profluet de canali materia in thorace contenta. Hic trahendi modus ex thorace materiam tenuem, ubi ſectio inter 5. & 6. juxta Paulum, vel inter tertiam & quartam coſtam, juxta Hipp. propter virium debilitatem, vel aliud prohibens non conceditur, optimè ſuccedit.

Fig. 37. Eſt *ſcalpellus* ille recurvus, qui annulô aureô poteſt abſcondi, inciduntur hoc apoſtemata in facie aut gena puerorum & in mammis fœminarum timidarum, ne conſpicientes ſcalpellum perterrefiant, & ita inciſionem abſceſſus prohibeant.

Fig. 38. 39. 40. & 41. Sunt *cannulæ* magnitudine differentes, *alatæ*, & pluribus foraminibus perforatæ, ut vulnus thoracis teneant apertum. Sunt alatæ, ne vulneri immiſſæ, dum æger ſpirat, thoracem ingrediantur: tot verò foramina habent, ut ea ex omnibus, prout opus erit, poſſit exire colluvies.

Fig. 42. Eſt *fiſtula* ex aurô Ungaricô fabrefacta; *quæ* ante excretionem urinæ *meatui urinario immittitur*, ut per eam exeat urina, atque ita leniatur ſæviſſimus ille dolor & ardor, quem ſentiunt ægri, quando urinam ſine cannula reddunt, ob ulcus ex Gonorrhæa virulenta ſubortum in meatû urinariô.

Fig. 43. Eſt *inſtrumentum acû tricuſpide* (a) & *can-*

nulâ alatâ (*b*) constans, quo hydropicorum umbilicus, & in herniâ aquosâ scrotum perforatur, ad emittendam aquam. Hoc instrumentum intruditur usque ad cannulæ asterismum, postea acus retrahitur, & cannula sola ad alam intrusa in abdomine relinquitur, absque omni periculi metû.

Fig. 44. Est cannula sola, & sine acû depicta.

Fig. 45. Est acus sola extra cannulam posita.

Fig. 46. Est acus rotunda cum suô tubulô, quâ, in defectû acûs tricuspidis, pari securitate perforatur hydropicorum umbilicus, & herniosorum scrotum aquâ repletum.

Fig. 47. Est solus acûs rotundæ tubulus.

Fig. 48. Est sola acus rotunda.

Fig. 49. Est acus Magistri Jacobi Blokii; in quâ

A. Exprimit cannulam argenteam cuspide rotundâ.

B. Foramen per quod aqua è ventre in cannulam fluit.

C. Stylum, sive ferramentum, cannulæ mundificationi, post operationem inservientem.

D. Clariss. Pauli Barbette, cannulam exhibet chalybeam, cujus cuspis lanceolæ in modum est acuminata.

E. Ejusdem foramen exprimit, quale videtur in superiori Blokii cannulâ.

F. Idem ferramentum quod suprà.

Fig. 50. Ea describuntur acus & cannula à Dnô. Thevenot, in paracenthesis Abdominis instituendâ, usurpatæ. In quâ

A. Prima acus est simplex, & ex chalybe.

B. Ejusdem cannula ex argentô, quæ superiùs est alata.

D. Est secunda acus simplex rursùs ex chalybe, cum suô manubriolô argenteô.

E. Est ipsius cannula, cum capite, seu alâ in superiori parte, quæ duplici organô elasticô, & cochleâ est munita.

F. Est clavis inserviens occludendo & reserando magno organo elasticô.

G. Est retinaculum secundi organi elastici.

Hæc autem cannula confici potest ex aurô vel argentô.

H. Est acus simplex ex chalybe cum suô manubriolô argenteô.

I. Est præcedentis acûs cannula argentea, cujus caput ab aliis est diversum. Hic etenim reperitur cochlea 3 figuræ peculiaris supra quam locatur processus quadratus 2. cujus M. clavis est. 1. verò in specie operculum striatum, occludendo prædicto capiti 2. & 3. destinatum.

TABULA DUODECIMA.

Exhibet Siphones cum tubô rectô, ac incurvatô, matriculari & auriculari: Item fistulam eneматum, pileolum argenteum pro mammarum papillis, candelas cereas, syringótomos; ut & varia in castratione, calculi vesicæ extractione, ac glandibus è sclopetorum vulneribus educendis, usurpanda instrumenta.

Fig. 1. EST sipho ad extrahendum & infundendum aliquid sæpe necessarius, qui hic tubum annexum habet curvum, ut & rectus Fig. 2. videri potest.

Fig. 3. Est tubus curvus plurimis foraminibus pertusus, quem Metrenchytam nominant. Hoc siphoni adaptatô utuntur fæminæ quæ negotium injectionum in uterum immittendarum aliis præ pudore facilè non concedunt; quæque sibi ipsis liquores pro curatione variorum uteri, aut ejus vaginæ affectuum, commode satis applicant. Hic tubus confici etiam potest capite globosô, & ad amplitudinem nucis juglandis minoris extensô, per cujus foramina liquores protrusi, vaginam atque uteri interius collum cum impetû irrigant sicque eas partes eluunt.

Fig. 4. Est sipho auricularis Oteochyta dictus, quò liquores in auditûs organa, pro ulcerum detersione & consolidatione, infunduntur.

Fig. 5. Est Enterenchyta, canalis nempe orichalceus, in formam catheteris recurvatus, quem parari curent illi qui sibi ipsis clysterem infundere malunt, quàm ab aliô quôquam accipere, prælertim, si ob intestinorum, ac præcipuè recti vitia, creber eorum usus requiritur.

Fig. 6. Est dicti canalis, seu fistulæ incurvatæ clavis, per literam B. in figurâ præcedenti expressa: Cujus beneficiô enematis liquor in vesicâ vulgari modò alligatâ, ad ægrotantis libitum retinetur; quandoquidem illius ope canalis vel clauditur, vel aperitur.

Fig. 7. Est claviculus umbellatus, in Fig. 5. per literam c. adnotatus, qui clavi B. ejusdem figuræ intorquetur, ne aliquid de clystere in circumrotatatione clavis possit elabi quod linteamina inquinet.


Fig. 8. Est pileolus argenteus, vel etiam plumbeus, undique perforatus, qui exulceratis mammarum papillis applicatur, ut nutrices infantem cum minori molestiâ lactare possint. Usurpatur insuper hic pileolus in thoracis vulneribus: Postquam etenim cannulis rum priùs depictarum aliqua thoraci fuerit immissa, & spongiæ particula orificio cannulæ propè alam indita, superponitur pileus, ut materia, omni quasi momento, per ejus foramina paulatim, & sine virium jacturâ, transudet.

Fig. 9. & 10. Sunt *candelæ ex* filô forti duplicatô & *cerâ* albâ (cui modicum terebinthinæ additum sit, ne tàm facilè frangantur) *paranda*, quæ usurpantur ad suppressionem urinæ ex carunculâ in meatû urinariô existente, curandam. *Candela fig. 9. fracta est, ne in extractione candelæ frustulum ceræ, quæ non nunquam in medio filum non habet, in meatu relinquatur, & ischuria augeatur:* quare portionem fractam ad ellychnii extremitatem chirurgus forcipe abscindat, deinde meatui urinario, quantum opus erit; immittat candelam, oleo amygdalarum dulcium illitam.

Fig. 11. Est scalpellus recurvus, qui parte interna (*a*) aciem habet, & externa (*b*) est retusus, *Syringotomus* scilicet, ex altera extremitate (*c*) pungens. & incidens, quo utimur in fistulâ quâvis unum foramen habente, ut finis fistulæ perforetur, & postea ab unô ad alterum foramen incidatur interstitium: ad hujus cuspidem infigere oportet globulum ex cera alba formatum, quo fistulæ immissus scalpellus, sine omni obstaculo, dolore & noxa, ad fundum perveniat.

Fig. 12. & 13. Sunt scalpelli *syringotomi*, quorum uterque ex alterâ extremitate obtusus est, & globulum ex ferrô levigatum obtinet: His inciditur fistularum penetrantium totus ductus.

Fig. 14. Est *scalpellus* Syringotomus, quo dilatantur *vulnera abdominis*, ut *intestina prolapsa* & flatibus turgida commodè reponi possint. Globum habet in alterô extremô multò majorem, quam scalpelli duo





tur.

Fig. 12. Eſt *Forfex communis*, quo proceſſus peritonæi à ſcroto ſeparatus, acu perforatus, filoque conſtrictus, concluſò cum teſticulò abſcinditur.

Fig. 34. Eſt *Forceps*, *qua* extra[...] aſpera eſt, & *requiritur*, *quando* [...] *tractio uncis* modò delineatis *perfici* [...]

nulâ
bilic
ad
ditu
trah
min
Fi
Fi
Fi
in d
tur
tum
Fi
F
F
quâ
A
tund
B
fluit
C
ficat
D
chal
acur
E
supe
F
F
The
usur
A
B
alat
D
cum
E
peti
chle
F
mag
C
H
arge
H
brio
I.
capi
cocl
cessi
spec
piti

Ex

Fig

tub
vide
F ... tubus curvus plurimis foraminibus ... bus turgida commodè reponi possint. Globum habet in altero extremo multò majorem, quam *scalpelli* duo

duo priores, ne vulneri incrusus intestina lædat.

Fig. 15. Est *acus, seu instrumentum* ferreum, aciem ancipitem habens, quod Nursini meo tempore in Italiâ hâc in Chirurgiâ (*qua hernias curat cum excisione testiculi*) maximè exercitati, eôque nomine celeberrimi castratores, per inguinis vulnus ad scroti fundum demiserunt, quem instrumenti cuspide (*cui perpetuò cera alba exiguum globulum annectere oportet*, ob rationem supra allatam) perforant, quo purulenta materia, quæ per inguinis vulnus ad scrotum descendit, expurgetur. Hæc operatio, quoniam satis est horribilis, & maximo vitæ periculo non vacat, (*quod illius auctores optimè norunt, unde curandos suscipiunt ut mortuos*) Chirurgiæ studiosis alium eumque tutum hujus instrumenti usum aperiam. Inciduntur eo feliciter fines sinuum declives, quorum causâ fistulæ expurgari nequeunt, nisi æger ita situetur, ut pedes sursum & caput deorsum convertat, ac materia dein proprio motu emanet. Notum enim est, sinus illos, qui callum nondum contraxerunt, de quibus etiam hic sermo est, medicamentis solum agglutinantibus, & fascia convenienti posse curari, modò materia in sinû collecta exitum quotidiè habeat. Cùm autem situs iste sursùm conversus pedibus & capite deorsùm, satis sit importunus, hôc instrumentô, cujus cuspidi globulus ex cerâ debet annecti, sinuum fundus perforatur (intactô foraminum interstitiô) ut pus per inferius foramen egredi possit, & sinuum parietes agglutinari.

Fig. 16. Indigitat forficem quâ filum plumbeum, apprehenditur & circumgiratur in eâ herniæ desperatæ operatione, quam punctum aureum vocant, & in quâ multò satius est plumbô quàm aurô uti.

Fig. 17. Est forceps quâ filum prædictum abscinditur: C. autem demonstrat forcipem ipsam; d. verò arcum quô clauditur.

Fig. 18. Tradit acum lunatam, unâ cum filô plumbeô, quæ pro prædictô filô apprehendendô & transmittendo in acumine perforata est. Hic a. demonstrat acum, b. filum plumbeum.

Fig. 19. Est scalpellus rectus, & instar novaculæ ex unâ tantùm parte incidens, ex alterâ verò retusus, quô solô lithotomus quidam Ulmensis cutim inguinis & scroti, ad longitudinem duorum, trium, aut quatuor digitorum transversorum, pro separatione peritonæi, & extractione testiculi, dexterè solebat incidere. Alii prædictam inguinis incisionem scalpellô falcatô tentant, eamque, si nimis angusta fuerit rectô instrumentô versùs scrotum sufficienter producunt.

Fig. 20. Est instrumentum orichalceum, quod castratores non immeritò retinaculum vocant: prohibet enim ne intestina extra abdomen, in peritonæi processum, à scrotô separatum, & acû perforandum, filô constringendum, & forfice abscindendum, prolabantur.

Fig. 21. Est acus filum validissimum trahens, quô castratores in curâ enteroceles, herniarumque aliarum, processum peritonæi, à scrotô separatum, sufficienter attractum, & elevatum, immediatè supra applicitum retinaculum tutissimè perforant.

Funiculus hic (*a*) non est filum simplex, sed ex viginti ad minimum filis simplicibus compositus, & cerâ leviter obductus, quo processus peritonæl perforatus ante abscissionem arctissimè constringitur.

Fig. 22. Est *Forfex communis*, quo processus peritonæi à scroto separatus, acu perforatus, filoque constrictus, conclusô cum testiculô abscinditur.

Fig. 23. Est *catheter*, seu *Syringa tentativa*, quâ in canalem virgæ & vesicam positâ exploramus intimos vesicæ anfractus, in quibus latitare solet lapillus, quo humana natura sæpènumero cruciatur: Græcis appellatur καθετὴρ, & usurpatur ad urinam suppressam reddendam. Est argentea, ut inflecti possit, omni asperitate vacat, ne pars exquisitissimo sensu prædita in transitu catheteris afficiatur, & ut sine dolore vesicam ingrediatur. Pluribus in extremo foraminibus perforata est, ut retracto stylo, urina in vesica contenta, per fistulam liberè, & sine difficultate exeat. Notandum, quòd stylus fistulæ non immittitur, ut quasi vi vacui urinam suppressam secum trahat, sed ne urina statim effluat, dum Lithotomus vel Medicus lapillum expiscatur occultum.

Fig. 24 Est *stylus argenteus*, qui inflecti debet, ut fissuram, quam in medio sui usque ad extremum obtinet, in dorso vel gibba parte habeat: Latinis vocatur *Itinerarium*, eô quod virgæ immissum fidelissimè collum vesicæ monstret, & super ipsum incisio facienda sit, pro extractione calculi vesicæ.

Fig. 25. Est *instrumentum* orichalceum, *quo extrahitur calculus, qui in meatu urinario resedit*; specillum scilicet, quod parte, qua ad cochlearis auricularis similitudinem excavatum est, in canalem colis demittitur, ita ut lapillum prætereat & superet, ipsumque suo labro & cavo comprehendat: quo facto, per stylum specilli cannulatum, & latô orificiô donatum, urethræ, ut lubrica fiat, immittitur oleum amygdalarum dulcium, postea specillum sensim extrahitur, & canalis post lapillum digitô comprimitur, donec is è meatû urinariô foràs deducatur.

Fig. 26. Est forceps prædita rostrô corvinô, quare hoc instrumentum Corvinum rostrum nominatur, ad excipiendos & trahendos calculos ex vesicâ, paratum. Principium ejus notatum a. est forceps, in quâ duæ sunt cavitates e e. ut calculi commodiùs apprehendantur. b. est cochlea armata c. ne calculus apprehensus in extractione forficis exiliat.

Fig. 27. Est instrumentum eandem figuram ac nomen habens ac prius; cujus forceps a. dentibus a a a a a. munita est: ut calculum, si eâ magnitudine foret, ut nec forceps eum apprehendere, nec vulnus ei transitum dare posset, in minimas partes frangeret. Ala e. ob dictas causas, est cochleâ f. munita.

Fig. 28. Repræsentat speculum vesicæ apertum, quod in Figurâ 29. clausum exhibetur, utile ad collum vesicæ (per quod instrumentum pro capiendô calculô ad fundum vesicæ transmittitur) dilatandum.

Fig. 30. & 31. Sunt forfices quarum una clausa, altera aperta exhibetur, rostri anseris similitudinem referentes, unde ipsis nomen. Sunt illæ in dilatandis vulneribus mediocribus aptæ, ut aliis instrumentis, si quod in cavitatem vesicæ per vulnus transmitti debeat, transitus præbeatur.

Fig. 32, & 33. *Sunt Unci, quibus in minori apparatu extrahitur calculus*, digitis ultra vesicæ collum protrusus, & scalpellô detectus. Ambo ab externâ parte, quâ corpori junguntur, læves sunt, ab interiore verò, quâ calculum attingunt, asperi. Posterior in medio divisus post immissionem beneficiô cannolæ (*f*). retractæ dilatari potest, ut calculum eximendum meliùs comprehendat.

Fig. 34. Est *Forceps*, *quæ* extrà lævis, & intùs aspera est, & *requiritur*, *quando vulgaris calculi extractio uncis* modò delineatis *perfici nequit*.

Fig. 35.

Fig. 35. Est *Scalpellus instar spathæ anceps*, quo Lithotomus *C R.* sectionem suam supra calculum, digitis ultra collum vesicæ protrusum, instituere solet.

Fig. 36. Est instrumentum globulis ex vulnere trahendis maximè idoneum, ex optimô chalybe fabrefactum, & tribus constans partibus, duabus nempe cannulis & terebellô. Cannula externa a. cannulam internam, quæ in alterâ sui extremitate in duo divisa est cochlearia serrata b. claudere potest, ut globulum firmet, ne cum terebellô, quod ipsi infigendum est, circumvolvatur. Terebellum autem c. acutissimum est, & duabus suis cannulis paulò longius, quod per foramen capuli d. cannulæ immissum cernitur.

Fig. 37. Est Terebellum extra cannulas suas depictum.

Fig. 38. Est idem instrumentum cum illô quod Figurâ 36. depingitur, nisi quod terebellô careat; & eô extrahuntur globuli minùs inhærentes.

Fig. 39. Est instrumenti præcedentis cannula sola.

Fig. 40. Est instrumenti stylus, ad dimidium solidus, in extremitate alterâ cochlearium dentatorum effigiem referens.

TABULA DECIMA TERTIA.

Varia rursus depingit instrumenta globulis è vulneribus educendis apta, atque illud in specie quod Alphonsinum vocatur. Item cannulas, tum foraminibus destitutas, tum iis ad latera perforatas, cum stylô propriô, quibus in anum immissis exsiccari queunt intestini recti ulcera, ac comburi hæmorrhoides. Hic præterea reperitur vitrum extrahendis mammarum papillis occultatis idoneum, ac describuntur omnia instrumenta, tum quæ pro anô aut uterô explorandô, tum quæ pro fœtû extrahendô adhibentur, additis etiam pessariis variis &c.

Fig. 1. 2. 3. Repræsentant instrumentum quod Alphonsinum vocatur, quodque extrahendis è vulneribus scloperorum glandibus, accommodatum est. Illud describit Alphonsus Ferrius, Medicus Neapolitanus, lib. 2. de Vulneribus scloperorum. Ut autem commodiùs ac valentiùs manû teneri possit, atque ita globuli ac cætera extranea in vulnere certiùs explorari valeant, annuli forcipibus adjiciuntur; qualis est ille notatus A. in Fig. 1. qui ad anteriorem instrumenti partem protrusus, illud claudit. B. in Fig. 2. qui ad manubrium retractus, idem instrumentum aperit; quô in Fig. 3. globulus jam apprehensus depingitur.

Fig. 4. Est forceps anserina, quæ circa manubrium cochleam habet, ut globulum firmiter comprehendat.

Fig. 5. Est hamulus ferreus, educendis glandibus inserviens.

Fig. 6. Est forceps anserina, quæ si cochleam haberet, priori similis esset.

Fig. 7. Est terebellum acutissimum, cannulâ munitum, quô educuntur globuli scloperorum.

Fig. 8. Est idem terebellum extra cannulam positum.

Fig. 9. Est spatula rostrô anserinô prædita, ad excipiendos & trahendos globulos parata.

Fig. 10. Est instrumentum ad resiccandas hæmorrhoides internas, quæ vel tument, vel superficialiter intestinum exulcerant, idoneum; cannula nimirùm ferrea, quæ ano inditur: Est illa alata, & in fundô occlusa, ne ferramentum candens Fig. 13. quod ejus cavitati sæpius immittitur, altiùs quàm oportet perveniat.

Fig. 11. & 12. Sunt tubuli anô pariter immittendi, sed in latere (secundùm situm ulceris callosi, aut profundi, quod topicis non cedit medicamentis) perforati, quibus intruditur ferramentum ignitum Fig. 13. depictum. His tubulis partes sanæ ab immediatô ignis contactû defenduntur, quô solum ulcus tutissimè, bis vel ter, ferrô ignitô tangi possit.

Fig. 13. Est stylus ferreus præmemoratus, qui ignitus in cannulas, ad usus mox assignatos immittitur.

Fig. 14. Est vitrum vacuum ad formam propè cucurbitulæ fabrefactum, cujus altera extremitas os habet papillæ magnitudini respondens: Altera verò foramen parvum cum longâ fistulâ, per quam patiens ipsa suctû foràs trahit papillam occultatam, ut ipsam Infans ore postea commodiùs apprehendere, sicque lac maternum sugere queat.

Fig. 15. Est instrumentum, quod speculum ani ac etiam vaginæ uteri appellant, eô quòd hujus beneficiô speculentur ulcera intestini recti, & vaginæ uteri. Pars speculi A. notata aperta, & masculus dicta, maribus applicatur: Pars verò clausa, & B. signata, fœminis adhibetur, unde fœmina appellatur.

Fig. 16. Monstrat ejusdem speculi partem quæ maribus convenit, clausam, ac eam quæ fœminis applicari solet, apertam.

Fig. 17. Est forceps deceptoria, quia ægrotum decipit, dum in dilatandis, juxta antiquorum sententiam finibus impenditur.

Fig. 18. Est magnum matricis speculum, quod mulieribus adhibetur, solùm, quando incidendus est fœtus mortuus, aut inspicienda matricis ex lceratio. Videant periti an commodè ac tutò ejusmodi speculum ultra vaginam intrudi queat, pro collô interiori uteri dilatandô, & an sic conspici facilè queant uteri exulcerationes &c.


Fig. 19. Est instrumentum duobus uncis donatum, quâ olim utebantur pro extrahendô fœtû mortuô, vel in frusta incisô. In hôc autem, quandoquidem unci ex catenis dependent, vix possibile est ut illud satis tutò dirigatur, & in extractione satis firmum sit, ut omnis variatio præcaveatur.

Fig 20. 21. 22. 23. Exhibent instrumenta quæ hodie in fœtus extractione adhibentur: scilicet.

Fig. 20. Cultellum qui in uterum inter digitos occultatus inducitur pro extractione partium liberam fœtus eductionem impedientium.

Fig. 21. Uncum duplici acumine seu cuspide præditum, quique aliâ etiam simplex adhiberi potest. Ille itidem manû coopertus, ne partes per quas trajici debet lædat, in uterum introducitur, & in solidiorem aliquam capitis partem, fœtû mortuô existente, ac ad pedes nullatenus convertibili, intruditur, sicque totum illius corpus educitur, in id adhibitô vel unô tantùm unco, vel duobus, ab utrôque scilicet capitis latere unô, si ita requirat necessitas.

Fig. 22. & 23. Cochlearia duo, quorum alterutrum pone caput fœtus, ab ejus corpore in eductione separatum, & in utero restitans, demittitur, pro


Tab.
1
A
2
B
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
A
B
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32

Tab. XIV

Fig. 13.

Fig. 13.



pro ejus situ firmando, & impediendo ne variet dum per uneum intrusum educitur.

Fig. 24. Instrumentum nobis depingit quod figuram refert pedis gruis, & inservit extractioni capitis infantis in puerperæ uterô remanentis. Constat autem in sui extremitate quatuor dentibus seu uncis, qui per cochleam in inferioribus positam dilatantur aut contrahuntur, pro commodâ ejusdem capitis apprehensione & eductione.

Fig. 25. Gruis unguem delineat simplicem, quô molæ medicamentis minimé educibiles, detrahuntur. Hic cochlea ut in priori, & in eundem usum adest.

Fig. 26. Candelam ostendit latissimâ basi prædítam, ex cerâ flavâ & paucâ assâ fœtidâ confectam, crassitie uterinæ respondentem cervici, quâ prolapsus uterus in proprium ac naturalem suum retruditur situm.

Fig. 27.& 28. Exhibent pessaria, quorum primum ex pyriforme, secundum verò simpliciter globosum. Illa ex subere cerâ illitô confecta, & in sui mediô tubulata pro humoris ex uterô stillantis evacuatione, in vaginam ad usque uteri collum intruduntur, pro eô retrusô in propriô sitû firmandô. Iis appenditur funiculus, ut commodè pro detectione identidem repetendâ, retrahi queant.

Fig. 29. 30. 31. & 32. Sunt itidem alia pessaria, seu circuli uterini, ex lignô buxeô fabrefacti, qui in eosdem usus ac priores adhiberi possunt. Hi autem circuli ab ea parte quâ in vaginam introducuntur, debent esse paulò minoris circumferentiæ, quam in aliâ quæ ipsorum quasi basis est, ut sic scilicet commodiùs intruduci queant.

TABULA DECIMA QUARTA.

De instrumentis, quibus pes contractus paulatim extenditur; cubitus rigidus sensim & sensim flectitur, arteria carpi vulnerata comprimitur; De Machinâ quâ scarificationes omnes in cucurbitularum applicatione unô ictû imprimuntur; Et tandem de brachiis, manibus, pedibus, & membro virili arte factis.

Fig. 1. EST *instrumentum* ex ferrô fabricatum, *incurvatô & convulsô crure, genu adaptandum*, quod constat ex diversis partibus, nimirum capsulâ A. ferrea, quam transit cochlea B. & affigitur annulo ex lamina ferrea in latitudinem, ut genu totum complectatur, fabrefacto. C. fibulis D. ut claudi & aperiri possit: foraminibus in extremitate E. ut gossipiô & linteô instruatur; & tandem clavicula ferrea F. cujus beneficio attrahitur annulus, & crus in rectitudinem tendit.

Fig. 2. Est dimidia & inferior pars cochleæ B. Fig. 1. depicta.

Fig. 3. Est cochlea B. Fig. 1. extra locum, duabus constans partibus, quarum superior (*a*) post attractionem annulo affixa relinquitur, altera (*b*) extrahitur. *Hoc instrumentum non parùm differt ab eo, quod Guilhelm. Fabritius Hildanus in libellô suô de combustionibus c.* 15. *se invenisse scribit.*

Fig. 4. Est *instrumentum* ex variis è ferrô laminis confectum, plurimisque foraminibus perforatum, ut gossipiô & linteô indui, ac cubito instar manicæ adaptari, claudi atque aperiri possit. Cochleâ umbellatâ, quam habet instrumentum, *comprimitur arteria carpi*, consiliô aut fortuitò aperta, ne vitam cum sanguine profundat.

Fig. 5. Est *instrumentum* ferreum, quo utimur, quando cubitus inflecti nequit: Hôc instrumentô paulatim, mediante cochleâ, flectitur.

Fig. 6. Est forfex, quâ abscinduntur non solùm ossa, quæ in fracturis cum vulneribus eminent, & reponi non possunt: verùm etiam ea quæ suô acumine cerebrum pungunt. Hâc forfice etiam abscinduntur digiti manuum & pedum, superflui, sphacelô & carcinomate affecti.

Fig. 7. Est forceps incisoria, ad partes cartilaginosas & callosas facta.

Fig. 8. Est cultellus falcatus, quô caro usque ad os ferrâ resecandum inciditur, ante amputationem cruris, aut brachii necessarius.

Fig. 9. Est scalprum, quô non tantùm digitorum verùm etiam cubiti & radii capita amputantur.

Fig. 10. Est malleus ex lignô durissimô fabrefactus.

Fig. 11. Est truncus ligneus rotundus & altus, in quô partes scalprô auferendæ collocari debent.

Fig. 12. Est scapellus rectus, ex utrâque parte incidens. Lanceolam, seu Lancettam vocant; & est instrumentum Chirurgis omnium maximè usuale, quod in sanguine è venis educendô adhibent. Illius autem cuspis, vel est acutissima, quæ vas cum minori dolore pertundit, vel in modum grani hordei se dilatat, unde iscisio venæ paulò amplior efficitur, unde thrombi non ita facilè generantur. Verùm manûs dexteritas hæc omnia corrigit, ac commodè præverrit.

Fig. 13. *Machinam Scarificatoriam in partes divisam depingit. In superiori scilicet parte,*

- B Operculum est pixidis, quâ machina scarificatoria continetur.
- b Pixis.
- o o o o Orbis, in quo phlebotomi figuntur, prout se ab inferiori parte vitui præbet.
- . . . . . Puncta hæc indigitant foramina circuli, in quo firmantur phlebotomi.
- A A A Scarificatoria machina.
- d d Est axis rectus, cui annectitur orbis, in quo lanceolæ hærent.
- f f Lignum transversum.
- g Circulus est, quem quadratus axis perforat; atque sub eô Offendiculum, ne axis ulteriùs prolabatur.
- h Arcus, quo machina deprimitur.
- i Foramen, in quo arcûs globus globo axis infigitur.
- k k Duo transversi stili, qui orbem in æquilibrio tenent.
- b Orbis, cui imponuntur phlebotomi.
- c c Phlebotomi.
- n n Phlebotomi extra orbem, quorum numerus augeri & minui potest juxta arbitrium medici.
- o o Obstacula, quibus impeditur, ne phlebotomi profundius secare possint.
- m Arcus extra machinam, ut aliæ Figuræ.
- D Axis.
- G Lignum transversum.
- KK Stili.

In inferiori parte.

- B. Depingit machinam quâ pars gangrænata, vel aliâ de causâ scarificanda, unô ictû scarificatur.

ooooo Inci-

o o o o o Incidentes rotulas.
C Clavem, quâ rotulæ circumgirantur.
A Operculum.
Hæc omnia non ita distincta sunt, quin olteriori opus habeant explicatione, quam Lector industrius facile supplebit.
Fig. 14. Est ferreum brachium, in quô a a. est ferrea corolla, quæ brachii formam exhibet.
b. Est clavus, qui in majore cavitate continetur, quô brachium extenditur.
c. Est major cubiti cochlea; quæ ex chalybe temperatô, & trium pedum longitudine, vel circum circa esse debet.
d. Sunt dentes.
e. Est clavus.
f. Est cochlea, quæ clavum premit.
g. Est pessulus, qui cochleam claudit.
h. Est interior lamina brachii super cubitum.
i. Est apex ferreæ manicæ cum fistula carpi, cujus subsidio manus sursum deorsumque movetur.
k k k k. Sunt infibigacula, quibus ferreum brachium connectitur.
Fig. 15. Artefactam manum exhibet, quæ imposita trunco deperditæ manus, ita movetur, ut calamô scribat: hæc conficitur ex coctô coriô, quæ, si patiens, cujus manus detruncata est, litteris scribendis se det, per foramina o n o trunco sive brachio alligatur.
a. Manum denotat.
b. Metacarpum, in quem patiens truncum suum, quousque poterit, intrudet, ut motus eò meliùs perficiatur.
c. Est pena ænea, quæ digitis erecta tenetur.
d. Pluma calami est, quæ æneæ imponitur: ut si quis æneâ scribere non possit, ob gravitatem ejus calamum cygni, ad hoc paratum, æneæ imponat.
Fig 16. Artificiosum pedem exhibet.
a a. Est ligaculum, quô annulus fibulæ sursùm trahitur ad flexuram pedis.
b Est coxæ ligaculum, cum cochleatis clavis, clavorumque foraminibus, quô ænææ incurvantur vel eriguntur.
c. Est nodus, quem manu comprimendo contorquebimus.
d. Est minor annulus ante coxam, ad motum pedis juxta arbitrium compescendum.
e e. Sunt fibulæ anteriores, & posteriores ad pedem thoraci annectendum.
f. Est minor inferior basis, in qua coxa quiescit.
g. Est cochlea, ad movendum clavum, qui pedem sustinet.
h. Est clavus, qui baculum pedis rectum tenet.
i. Est annulus, cui funis annectitur, ad clavum retrahendum; ut baculus eò meliùs in sessione flexuram suscipiat.
k. Est pars, quæ conducit motui patellæ.
l. Est minor fibula, quæ impedit, ne clavus coxam prætergrediatur.
m. Est ferrea fistula, quâ baculus includitur.
n. Est vertex, in extremitate baculi, qui membrum sustinet, quô pes movetur.
o. Est Clavus, quô pes reducitur.
p. Est metapedium clavi, ad pedem ad inferiora pellendum.
Fig. 17. Est vestis præscripti pedis.
a. Laminas, quæ ornamentum, & motum genuum præstant, demonstrat.
b. Laminam tibiæ, ut pes debitum retineat situm.
c. Laminam suræ.
d. Laminas articulationis pedis, ut situs moturqu. conservetur.
Fig. 18. Est erector manus, qui, tendonibus & nervis metacarpi præcisis, ægro usu venit, hæc machina ex bractea confecta, & serico, lana aliaque re molli referta manui subponitur, prope primam digitorum conjunctionem. Postea que aptis ligulis ligatur! Hujus instrumenti præsidio manus erecta tenetur, ut ægro usui veniat: unde huic instrumento Erectoris manus nomen convenit. Rotunda instrumenti extremitas applicanda est a. articulationi primæ digitorum, extremitas altera b spectet carpum, hocque instrumentum ligulis c. per foramina o o. trajectis magis, aut minus constringatur.
Fig. 19. Interiorem ostendit machinam, quâ manuum digiti moventur, & numerus.
1. Exhibet rotulas singulorum digitorum, motui utiles.
2. Demonstrat ferreum axem, qui dictas pertransit rotulas, & circa quem moventur.
3. Sunt cochleæ, quibus singuli digiti sustinentur.
4. Sunt clavi, quibus singuli clavi sustinentur.
5. Est major cochlea, quâ minores quatuor aperiuntur, pro digitorum clausione procurandâ.
6. Est globulus in extremitate majoris cochleæ, cujus pressurâ aperitur manus.
7. Est clavus sub magnâ cochleâ situs, quâ manus clauditur.
8. Sunt digitorum axes.
9. Sunt digitorum conchæ.
Fig. 20. Exteriorem manûs apparatum exhibet, & modum quô brachio & thoraci annectuntur.
Nᵘ. 1. Demonstrat conchas digitorum articuloa referentes,
2. Sunt laminæ manûs formam exhibentes, in quinque distinctæ, ut motui commodiores sint.
3. Sunt fasciæ.
4. Sunt ferrei stili, quibus fasciæ annectuntur.
Fig. 21. & 22. Ochreas delineant, quibus curvati puerorum pedes, paulatim ad naturalem situm restituuntur. In Fig. 21, apertæ; in Fig. verò 22. clausæ apparent. In illis autem.
a a a. Sunt unci, qui foramina b b b. apprehendendo ochreas claudunt.
Fig. 23. Erectorem pollicis indicat, quô pollex, si tendo aut nervus abscissus sit, in suô situ retinetur; utque manus apta foret digladiationi, aliorumque instrumentorum apprehensioni; hic erector pollicis ex bracteâ conficitur; superiùs in articulatione cum manû coriaceis ligulis a a. firmatur annulis duobus e e.
Fig. 24. & 25. Exhibent penes arte compositos, qui usû veniunt stantibus pro urinæ excretione, quando ob tenebrosa furta improbæ Deæ in pœnam membrum virile dederunt, ne more sexûs fœminei incurvati mingere cogerentur. Hæc cannula urinaria principiô notatô d. ductui urinario apponi debet, ex aurô, lignô, laminâ plumbeâ, coriô, vel aliâ materiâ confecta. a. Est corpus cannulæ. c. exterius ejus foramen.

TABULA


Fig 1
Fig 2
Fig 4
N
N
8
17
16
18
19
20
21
22
23
25
26
28
29
P
O
N
M
A
C
S
T
V

TABULA DECIMAQUINTA.

Hic demonstratur Sutura quam siccam vocant, ac præterea ea sutura qua in Labiis leporinis curandis adhibetur. Item artificiosi oculi, nasi, & linguæ, ac varia instrumenta in membris luxatis reponendis maximè utilia.

Fig. 1. Exhibet methodum exsiccantis suturæ, in quâ

L L. Denotat longitudinem vulneris, in facie siti.

M M. Lintea glutine instructa quæ ab utraque vulneris parte agglutinari debent.

a a a a a a. Demonstrant fila per illa duo lintea quotumque nodatione vulneris labia invicem approximantur.

N N. Emplastra conglutinantia depingunt, à vulnere abstracta ac separata.

a a. Sunt fila quæ duos ex eorum finibus perforant

O. Est acus per quam filum traducitur.

Fig. 2. Offert caput hominis Labiis Leporinis deforme; in quâ,

E E. Sunt ambo fines acûs.

a a. Sunt Labia acûs beneficiô combinata.

c c. Filum demonstrat, quod circum acum giratur.

In Figurâ, jam explicata proximâ.

a a. Exhibet labia separata ac divisa.

b b. Locum inter illa medium, seu locum divisionis.

o o. Designat loca quæ perforari debent.

d d. Extremitates labiorum, postquam acû conjuncta fuere.

f f. Circumvolutionem fili.

Fig. 3. 4. 5. & 6. Repræsentant artificiosos oculos ex aurô, vitrô, cristallôve confectos, naturalem colorem mentientes. Figuræ 3. & 6. exhibent exteriorem seu convexam oculi artificialis partem: 4. & 5. interiorem, seu concavam.

Si oculus artificialis orbitæ imponi non possit; curandum ut ille fiat ad modum qui in Figuræ 7. depingitur: Qui scilicet ferreum filum curvatum habet adnexum, cui appenditur teniola quâ circùm aures giratâ in situ firmatur.

Fig. 8. Demonstrat perspicillum infantibus applicandum, quando in strabismum incidunt. Ejus autem foramina accuratissimè oculis supponi debent, ita ut pupillæ directè respondeant.

Fig. 9. & 10. Delineant artificiosos nasos, ex aurô, argentô, lignô, vel conglutinatô linô compositos, & ita pictos, ut nasum naturalem deperditum aliquatenus reparare queant. In figurâ autem 10. caracteres I I I I. barbam exprimunt, aptam illis qui magnam priùs aluerunt.

Fig. 11. & 12. Designant instrumenta quibus loquela perficitur, si pars linguæ deperdita sit. Superior pars a. quæ crassitiem dimidii Imperialis æquat, dentibus incisoribus adhærere debet: inferior verò b. quæ tenuior est, directè ac proximè truncatæ linguæ apponitur. c. autem est filum quô instrumentum collo annectitur.

Fig. 13. 14. & 15. Sunt obturamenta quibus palatum venereâ ulceratione corrosum, pro voce articulatiore faciendâ, obstruitur. Ex argentô conficiuntur, ac crassitiem coronati Gallici, & iis alligatur spongia, quâ palatô adhærere possint.

Fig. 16. Instrumentum itidem præbet ejusdem quæ priora naturæ; sed in quò locô spongiæ repetitur appendicula, seu protuberantia, quæ corvinô rostrô Figurâ 17. expressô, ita giratur ut in palati foramen introducatur pro sustinendô instrumentô.

Fig. 18. Modum depingit, quo luxatus humerus beneficiô communis luxatoriæ machinæ *Hippocratis*, in locum suum repositus, custoditur.

A A A Est extensum brachium.

B Annulus luxatorii Instrumenti.

c c c Sunt sustentacula, quæ brachium in pixide tenent.

D D Columna, in qua luxatoria machina quiescit.

E E E Pedes columnæ.

F F F Cochleæ sunt, quibus pedes columnæ sustinentur.

G Machina luxatoria *Hippocratis*, ambe nominata, dissoluta.

E E Annuli, quibus superior pars brachii interponitur.

I Extremitas Instrumenti luxatorii.

K Sinus seu rima columnæ, cui machina imponitur.

F Stilus, qui Instrumentum & columnam conjungit.

D Columna ipsa.

O O O Ejus pedes.

Fig. 19. Delineat, quâ methodô luxatus humerus reponatur.

Fig. 4. Exhibet machinam à Peritissimô Chirurgô Parisiensi, Dno. J. L. *Petit* inventam, pro humeri luxati reductione. In eâ autem.

A A A A. Sunt quatuor columnæ sedilis, quod nullâ dorsuariâ crepidine fixâ donatur, quia pro latere sinistrô æquè ac pro dextrô usurpari debet. Verùm illa tempore usûs conficitur, trajectis ab alterutrâ parte bacillis D D. per columnas scilicet, vel M. N. vel O. P. C C C C. Est ipsius ipsum sedile in quô reponitur æger, dorsô ad columnas P. O. conversô, ubi dexter humerus fuerit luxatus: at verò ad columnas oppositas M. N. ubi sinister.

E. Alius est bacillus quô semper trajiciuntur columnæ P. & N. idque altiori, vel minùs altô locô, pro varietate patientis staturæ. Ille culcitulâ laneâ instruitur, ut super eô reponatur ac colligetur brachium sanum, ne suis motibus Chirurgum operationis tempore interturbet.

K K. Est machina ferrea ad modum lunæ crescentis, vel semicirculi, in sui mediô paululùm compressi, efformata, cujus duæ extremitates X X. latissimæ sunt, earumque altera instar manus scapulam complectitur, dum altera anteriorem itidem pectoris partem amplexatur. Illa machina lanâ debet semper esse instructa ac præcipuè in sui mediô, quô luxatum humerum recipit, ne scilicet patientem lædat, & extremitatibus suis inducitur in foramina literis R. & I. designata. Præterea eadem machina, in sui mediô grandiori pertunditur cavô per literam F. expressô, quô cardinem excipit in extremitate ligni S S. situm. Hoc autem lignum trochleis instruitur T T. ac

que instrumentô in earum mediô positô, ac ipsarum cordas versante V. Aeget autem sedebit v. g. si sinister humerus sit luxatus, dorsô ad columnas M. & N. conversô, ponetque prædictum humerum luxatum super medium machinæ K K. quæ est pars ejus crassior, lignumque trochleas concludens catdine suô in cavum ejusdem machinæ inducetur, ut per cordas laqueo brachio injecto connexas pars illa sufficienter extendatur, idque per gradus mediante instrumentô cordas versante quod rotulâ armatur dentatâ, reversionem omnem motûs cordarum præpediente. Postquam autem extensio perfecta est, deprimitur lignum cum suis trochleis, quarum tum cordæ laxantur, & repositio seu reductio facta est.

Fig. 20. Luxatoriam cochleam depingit, absque ligulis, ex ferrô & chalybe fabrefactam.

A A A. Est tota cochlea quâ machina circumgiratur, crassitiem habens unius pollicis.

B. Pixis est cui unitur cochleæ extremitas, & quæ debet habere crassitiem duorum pollicum.

a a. Sunt duo unci divisi, de pixide nati, quibus funes connectuntur.

b b. Sunt funes ipsi, ex densô cannabe confecti.

C. Globum delineat quem bacillus ferreus

D D. Trajicit, ut eô cochlea circumgiretur.

E E. Demonstrat aliam cochleæ machinam, cujus ope tota luxatoria machina mensæ affigitur.

o o. Ultimæ hujus prædictæ machinæ cochleam exhibet.

b. Est globus in hujus cochleæ extremitate positus.

F. Stylus ferreus quô cochlea circumagitur.

G G. Sunt instrumenta duo ferrea, quorum alterum mensæ insidet, alterum verò sub eam firmiter per cochleam inducitur, ut sic tanquam per fabrorum ferrariorum forcipem comprehensa utrinque mensâ cochlea super eam commota seu potiùs vehementius tracta, vacillare nequeat.

H. Est aliud instrumentum annulo in quo cochlea A A A. contorquetur circumvolutum, indeque ad inferiora descendens ac instrumenta G G. ac cochleam o o. priùs descriptam sustinens; ut eô tota machina mensæ firmiter annecti possit.

Fig. 21. Ostendit capsulam, seu pixidem cochleæ suprà descriptæ in operatione quidem unitam; sed jam ab eâ separatam, cum duobus suis uncis, & fune appensô.

Fig. 22. Coriaceum exhibet ligamentum, quòd brachio, aut pedi, pro eorum extensione annectitur. In quo,

A A. Sunt hami prædicto ligamento appensi, quibus connectuntur funes uncis suprà per a a. designatis colligati.

O. Est fibula quâ clauditur coriaceum vinculum.

Fig. 23. Idem vinculum in longum extensum delineat: Ibi autem,

A A. Est prædictum coriaceum vinculum duos pollices latum, ac pedem unum & sex pollices longum. Ex densô hoc confici debet coriô, & ab utraque superficie perlui, ut ab earum unâ indicant literæ o o o o. & puncta ipsis interjecta. Sic etenim meliùs vim cochleæ in extractione sustinent. Puncta autem crassiora quæ utinque per totam longitudinem adnotantur, foramina designant, quibus styli 1, 2. affiguntur, ut ferrei hami firmentur, dum per vinculum, unde dependent, membrum extrahendum, stringitur.

O. Est fibula quâ vinculum membro circumvolutum, colligatur.

N N. Sunt ferrei unci mobiles, quibus funes ex uncis pixidis suprà descriptæ prodeuntes, annectuntur.

Fig. 24. Funem depingit uni ex vinculi hamis appensum.

Fig. 25. Est pixis quæ cochleæ luxatoriæ pro membri extractione unitur. Illa autem hic unicô uncô planô donatur, qui secundùm aliquos multò meliùs per lineas parallelas membrum adducit, quàm unci divisi, quandoquidem funes firmiùs in planô quiescunt, nec ita vacillare possunt, ac in uncis divisis facile est. Sic itaque tractio magis ordinata perficitur.

Fig. 26. Patientem offert, cujus humerus luxatus reponitur.

Fig. 27. Chirurgum ostendit, qui molli linteô membrum reponendum, quod cochleæ girations trahitur, lentè in naturalem suum locum premit.

Fig. 28. Repræsentat famulum, cochleam pro extractione circumgirantem.

Fig. 29. Mensam, aut aliud fulcrum aptum demonstrat, cui cochlea mediante suâ appendice, firmiter annectitur.

TABULA DECIMA SEXTA.

Exhibet Tubam sonoriferam pro gravi auditu; Torquen ad collum incurvatum; Torcularem (Gallis Tourniquet) *ad constringenda vasa sanguinea in membrorum amputatione; Bracherium ad urinæ incontinentiam; Postmen ad eundem affectum. Item applicationem aliquorum ex instrumentis suprà descriptis super corpore humanô: Sed præcipuè totum apparatum, instrumenta, ac fasciationes quæ adhibentur, in illâ Chirurgiâ quæ Curtorum dicitur, & de quâ sub titulô Caro ablata quomodo restituenda, ex Taliacotiô.*

Fig. 1. Tubam sonoriferam proponit, ex Clariss. Nuckiô; ubi,

A. Tuba.

B. Pars illa tubæ quæ meatui auditorio admovetur.

C. Os tubæ amplum, in quod adstans loquitur.

D. Manubrium quod patiens manû alterâ tenet.

Fig. 2. Turquen depingit ad collum incurvatum, ex eôdem. Ibi autem,

A A. Hemisphærium est ex ferrô confectum.

B. Annulus in parte elatiori, per quem trajicitur chorda trabi adalliganda.

C C. Extremitates, quibus alligatur corium crassiusculum lanâ investitum.

Fig. 3. Torcularem ostendit (*Gallis Tourniquet*) pro constringendis vasis sanguineis, ubi membra amputanda veniunt.

A A. Chorda.

B B. Duo bacilli, quibus circumagitur chorda, ut vasa constringantur.

Fig. 4. Bracherium ad urinæ incontinentiam offert, ex eôdem.

A A. Bracherium.

B. Fibula




Fig 1.
Fig 6
Fig 7



B. Fibula.

C. Pars pendula corii perforata, quâ constringitur brachetium.

D. Cochlea, cujus ope comprimitur pulvillus, cum annexô capitulô E. compressulâ instructo.

Fig. 5. Postomen ex eôdem tradit, ad eundem affectum.

A A. Postomis ex argentô cuprôve confectus.

B. Clavis instrumento affixa, quâ pro lubitû claudi & aperiri potest.

Fig. 6. * *De fundâ Galeni, cancro labiorum, arteria incisæ compressione, pedis contracti distensione, cubiti rigidi inflexione, sinus in femore magni apertione, locis & fasciis fonticulorum, glandium è vulneribus sclopetorum extractione, varicum sectione, labiorum vulneris per fibulas adductione, tibiæ cariosæ abrasione, & deligatura pectoris, quam Galenus* Cataphractam *vocat; agit ex Sculteto.*

A. Est *funda Galeni l. de fasc. c. 62.* fascia scilicet in quatuor partes scissa, ad labrum inferius deligandum accommodata, cujus descriptionem in gratiam studiosorum chirurgiæ, in primis verò barbitonsorum, quibus raro iste liber de fasciis est ad manus, transcribere volui, ut hanc fasciam, ejusque applicandi modum, ad curandos labiorum affectus, præcipuè verò cancrum exulceratum, utilissimum pariter, ac chirurgiam exercentibus scitu summè necessarium, addiscerent. *Medium, quod integrum est, injicito super labium inferius, superiores verò partes ad mentum adducito, atque inde ad occipitium, ibique in speciem literæ X. altera super alteram excedente, ad summum caput, & inter ipsum & frontem attrahito, ministroque tradito, reliquas verò binas partes sub infimis auriculis ad occipitium porrigito, atque ad formam literæ X. ad frontem attrahito, & has & quæ à ministro continebantur inter se devincito.*

Æ. Indicat labium exulceratum, fascia fundæ ad mentem Galeni deligatum. Patiens erat *Gallus Sigmam*, Rusticus Langenaviensis, ex Territorio Ulmensi, cancrô labiorum exulceratô affectus, qui postquam à multis chirurgiæ peritis dolens percepisset, se ab istô malô liberari non posse, nisi sectione radicitus extirpetur: patiens ob difficultatem domesticam, quâ premebatur, ab Inclytô Reip. Patr. Senatû supplex impetravit, ut in Xenodochium reciperetur, & cancer ferro ac manu chirurgi exercitati Georgii *Riedlin* abscinderetur. Abscissione per forcipem facta, & ulcere ad cicatricem ferè ducto, malum repullulavit. Senatus Inclytus hujus recidivæ certior factus patientem meæ curæ tradidit. Hic ob dolores capitis & artuum nocturnos, mihi valdè suspectus, in Nosocomium Gallico morbo affectis destinatum translatus, decoctum ligni Guajaci sumpsit, unde dolores capitis & partium extremarum cessarunt. Cancer verò interim topicis tractatus nihilominus pauperculum vehementissimè cruciavit. Deinde corpus, per sudorifera nimis calefactum, usu seri caprini depurati refrigerandum, & ab atrabilariis humoribus per epicrasin purgandum existimavi, decocto Magistrali sequenti.

℞. *Aq. fluviatilis lib. XV.*
Hord. integr. p. j.
Bulliant in vase obturato ad crepaturam hordei, tunc adde,
Fol. Borragin.
Cichor.
Bethon.
Cardui b.
Sonch. ana Mj. *& iterum bulliant ad remanentiam* ℔xij. *abjectis herbis, in colatura infund. p. 24. hor.*
Rad. Polypod. ℥iij.
Pulv. colocynth. in petias ligat. ʒij
Rad. hell. nigr. præp. ʒs.
Ireos nostratis.
Agaric. crud. ana ℥j.
Uvar. Passar. ʒvj.
Semin. anis. ʒß.
Misce omnia & ebulliant ad consumptionem medietatis, & in fine pro unica ebullitione adde.
Cinamom. *optim.* ʒij.
Nuc. Mosch. incis. ʒj.
Fol. sen. s. stipit. ʒjs.

Colatura dividatur in x. doses, ut una dosis sint ℥vijß servabatur in phiola quælibet, superaffuso oleo ad digiti latitudinem, & dabatur alternis diebus summo mane, à qua patiens jacuit in lecto benè coopertus, donec madorem corporis sentiret, atque post horam jusculum sumpsit, & quia, ob colocynthidem decoctum amariusculum fuit, statim post assumptionem deglutivit aliquid de pomo asso, aut ℥ß. passularum. Purgans hoc facilè trahit non solum humorem, qui influere potest, sed eum quoque, qui jam influxit. *Et notandum, hujus solius decocti crebro usu, multos ab exulcerati carcinomatis doloribus liberatos, plurosque à nondum exulcerato fuisse curatos. Hæc obiter de decocto.*

Præparato corpore, precibus pauperculi devictus labium forfice abscidi, primo intuitu bono cum successu. At sequenti die observavi tuberculum, quod *forfex, utpote quæ ad talem chirurgiam valdè est incommoda*, reliquit.

Hoc tuberculum pulvere illo caustico, quem ab Empyrico acceptum Aquapend. describit *lib. 1. pentateuch. cap. de cancro*, consumere frustra tentavi, indeque de certa curatione dubitare, & imminentem recidivam timere cœpi. Patiens autem meo jussu, repetiit usum decocti purgantis, singulis quaternis diebus, & cum oleus beneficio Ung. de Tutia sequentis

℞. *Ol. rof. complet.*
myrt. ana ℔.
Sevi vitul. castr. ʒvj.
Succi solat. hortens.
plantagin. ana. ʒx.
Vini granatorum ℥iv.
Bulliant ad succ. consumptionem; factâ colaturâ.
℞. *Ceruss. pulver.* ʒx.
Lithargyr. præp. ℥jß.
Plumbi usti & loti, Antimon. præp. ana. ʒv.
Tutiæ Alexandr. ʒs.
Camphor. ʒs.
Misce omnia in mortario plumbeo, &
F. Ung.

fere ad cicatricem duceretur, remanebat enim solùm illud tuberculum, bona victus regula, internis

exteriſque remediis inſtructus, ſpe citiſſimæ reſtitutionis lætiſſimus domum redire feſtinavit. At quod ſupra timui, elapſo ſemeſtri etiam evenit, recidiva ſcilicet altera, malum prioribus multò pejus. Has recidivas autem forſici, qua operatio peracta, unice adſcribendas exiſtimo. Hæc enim ad tentatam chirurgiam ineptiſſima fuit: *Si igitur cancer totum labium occupat, Chirurgi, meo & Riedlini erroribus docti eum forſice abſcindere caveant, ferè enim impoſſibile, quia ea aliquod veſtigium relinquat ex quo malum recrudeſcere queat.* Memini quod aliquando in publicis lectionibus ab Excellentiſſimo Adriano Spigelio, hanc cautionem audiverim, quam tamen pro nihilo habui, uſque dum in ruſtico hoc & alio expertus ea non obſervata, patientes de vita, & de fama chirurgum periclitari. Æger ſecundam recidivam paſſus, etiam tertiam chirurgiam à me petiit, quam moneta ex argento confecta, acutæ, & aquæ forti intincta, juxta Aquapend. placitum, adminiſtraſſem abſque dubio majori cum fructu, niſi vaſa circumcirca maxime tumida, laborem fruſtraneum fore indicaſſent.

B. Eſt uſus & *applicatio* illius *inſtrumenti*, quod in vulneribus, vel potius puncturis, arteriarum carpi, quæ in duello facilè contingunt pro ſiſtendo ſanguine, utiliſſimum expertus ſum ut infra ex ſingulari obſervatione patebit. Alii ſumunt monetam argenteam, quam vulneri ſuperligant: quia tamen ligatura iſta ſatis ſtricta eſſe debet (*laxior enim ſanguinis fluxum neutiquam cohibet*) ob imminentem manus extremæ gangrænam, & ſubſequentem ſphacelum (*comprimuntur enim vaſa ut alimentum & ſpiritus vitales & animales influere nequeant.*) valdè periculoſa videtur; unde hominum ſaluti melius proſpectum judico, ſi omnes chirurgi ſimile inſtrumentum in promptu habeant, ut tempore neceſſitatis eo uti valeant. Patavii, *ubi exercitium Anatomicum & Chirurgicum a plurimis ſeculis maxime floruit*, meo tempore reperiebatur exercitatiſſimus Arteriotomus, qui ad curandos capitis atrociſſimos dolores ſuaſu medicorum arteriam carpi non raro incidit; factaque ſanguinis evacuatione ordinata, vulnus prædicto inſtrumento ita compreſſit, ut ne gutta quidem ſanguinis citra chirurgi voluntatem profunderetur neque ullum ex compreſſione alias metuendum ſymptoma ſuperveniret. Sæpius Ulmæ accidit, ut ab imperitis balneatoribus, & chirurgi titulo certè indignis, pro vena baſilica arteria comes aperiretur, unde plerumque vel nimia ſanguinis profuſio, vel aneuriſma magnum quod malè curatum mortem intulit. Si itaque in futurum præter ſpem talis error committatur, pro correctione hujus (præter remedium, quod Clariſſ. Colleg. DD. Gregor. Horſtius obſervationum chirurgicarum prima, lectu certe digniſſima proponit) ſimile inſtrumentum, quod arteriam comprimendo ſanguinis fluxum ſiſtit, aut arteriæ cubiti læſæ adaptetur, meo judicio non erit alienum. In Helvetia arterias temporum caſu vel arte ruptas & inciſas, parte corticis mediæ nucis juglandis convexa feliciter comprimunt.

C. Indicat *applicationem ferri* inſervientis ad genu contracti extenſionem. Jacobus *Murdel* Jacobi Lanionis filius 5. annorum, in terram ſilicibus ſtratam patrem currendo inſequens, & ceſpitans cecidit, ſine doloris querela uſque in quartam diem ambulavit, quo claudicare, & de genu contuſo conqueri cœpit: Mater de puero ſatis ſollicita vocat barbitonſorem, Johann. Andream, qui ſtatim cataplaſma contra cruorem Felicis *Wirtzen*, altera die (pro diſcuſſione ut reor) linteum triplex ex vino calido expreſſum applicuit. Puer ita tractatus corripitur febre acutiſſima, quæ remediis convenientibus à Medico rite adhibitis, die quodam critico per abſceſſum pedis affecti, inflammationem ſcilicet eryſipelatoſam ſolvebatur, quæ totum crus & femur ad inguina uſque occupavit calore, rubore, & dolore puerum vehementer affligens. Curata inflammatione ſupererat in genu ante febrem contuſo tumor ingens, quem, cum omnia reſolventia explosiſſet, ad ſuppurationem ducere tentarunt, & genu tam in parte domeſtica quàm externa medicamine cauſtico aperuerunt, materia nulla, vel certe pauciſſima effluente. Re ita ſe habente, Medicus ordinarius diſceſſit, & totum curandi negotium Andreæ Barbitonſori reliquit, hic pro arte & Marte puerum tractavit, ulceraque cauſtico inuſta conſolidavit, & tumorem planè induravit. Mater magis quàm unquam ſollicita, & obſervans, bonum virum huic malo eſſe inſufficientem, & propterea etiam anxium, me conſilii cauſa vocavit. Hæc ex relatione. Accedens inveni tumorem in genu haud abſimilem iis quos vulgò *Glidſchwam* appellant, puerumque contractum, crus enim extendere non potuit. Facto prognoſtico, affectum hunc eſſe ancipitis & quidem diuturnæ curationis, rem ita aggreſſus; pro emollitione & diſcuſſione tumoris, quotidiè per quadrantem horæ cum ſpongia adhibui fomentationem ex ſequentibus.

℞. *Herbar. Malv.*
Verbaſci.
Bethon. ana. M j ß.
Flor. malv. M j.
Semin. lini. ℥ j.
Rad. Alth. ℥ ij.
Inciſ. & contuſ. ad chartam.

Poſt fomentationem appoſui ceratum diaſinapi, quod *Hieron. Fabric. ab Aquapend.* cap. de meliceride deſcripſit, & D. Spigelius ita correxit.

℞. *Salis gemm.*
Lithargyri aur.
Ceruſſ. ana. ℥ ij.
Cera & Terebinth. ana. ʒ ij.
Galbani.
Opopon. ana ℥ ß.
Sinapi pulv. ℥ ij.
Ol. veter. ℥ ix.
acet. acerr. q. ſ. F. l. a. ceratum molle.
Sub poplite & ad latera innexi genu ſeq.

℞. *Unguent. Eva* ℥ ij. ß.
Nervin. ʒ. vj.
Cerati citrini. ℥ j.
Ol. lumbr. terr. ʒ vj.
vulpini. ℥ ij.
M. pro Unguento.

℞. *Ol. olivar.* ℔ ß.
medul. crur. bovis
cera flava.
Reſin. Pin. ana. ℥ ij.
Butyr. rec. ℥ iij.
M. F. Ung. Eva. ſeu Anodynum, quod Foſcarinus ex Turcia ſecum attulit.

℞. *Succ.*

℞. *Succ. Nicotian.* ℥ vj.
Ceræ citrin. recentiss. ℥ iv.
Resin. ℥ iij.
Terebinth. ℥ ij.
Ol. Myrtin. q. s. F. cerat. molle.

cujus descriptionem habeo ex l. 1. Pentateuch. chirurgic. Hier. Fabr. ab Aquapend. cap. de herpet. miliari.

Usu fomentationis & cerati continuato, genu detumuit: ea innunctione verò poplitis pro extensione nullum juvamen patiens percepit; quare instrumentum hoc applicui, quo paulatim crus extendi possit, ferreum: quod patiens (prius applicato genu corroborationis ergo, cerato barbaro, cum Magistrali diasinap. misto, & facta inunctione poplitis, cum superposito sparadrapo seq.

℞. *Citrini med. descr.* ℥ ij. a.
Ceræ flav noviss. ℥ ij.
Resin. Terebinthin.
Pin. ana. ℥ j.
Misce ad ignem & intingatur tela.)

Continuè, noctes diesque portavit, singulis diebus cochleam instrumenti parum attrahendo, donec crus in rectum duceretur, ut spatio unius anni patiens sine baculo ambularet.

Anno 1636. Die 10. Octobris vocatus fui ad puerum Martinum Gravium Leipheimensem, qui mihi ostendit crus *ex ganglio in genu* versus posteriora cantractum, quod præmissis universalibus, eodem instrumento iisdemque topicis octo mensium spatio, in directum extendi.

D. Instrumenti *Tab. XIV. Fig.* 1. descripti usum ostendit: Nam sicut ad extensionem brachii nil melius, quàm lapidis ponderosi in manu gestatio, ita ad flectendum illud paulatim nihil conducibilius sum expertus, quàm hoc instrumentum: patiens erat puer militis, qui luxationem cubiti passus, ob malam situationem, eum flectere non potuit: huic ut pueros præcedentes, inunxi quotidie, sparadrappum applicui, & instrumentum gestare jussi: hic duorum mensium spatio convaluit, & pro necessitate cubitum, sine doloria sensu & impedimento, flexit. *Observent igitur juniores chirurgi, ut membra fracta aut luxata commodè collocent*: non rarò enim præter membri contracturam, sequitur inflammatio malam figuram.

E. Anno 1626. die 19. Novembris me vocat frater meus Martinus, ad socerum Joann. *Welventer*, Nautam Ulmensem, & in Danubio navigando versatissimum. Is ipse, quem Clariss. Collega, D. D. Greg. Horstius in suar. observ. Chirurgic. IX. curavit, ostendit mihi *sinum in femore sinistro* (qui ex contusione ad suppurationem ducta, & negligenter tractata, originem duxit) petiitque medelam. Ego sinus magnitudinem specillo explorans superficialem tantùm, at satis longum & latum inveni. Cum autem hujusmodi sinus declives, ut notum, rarò agglutinentur, seq. die forfice deceptoria, inscio patiente eum incidere tentavi, postea carne replendum: sed cum nimis tarde per forficem istam fieret operatio, nauta instrumentum animadvertens, femur movit, manibusque mihi dextram repulit. Unde seposita curatione per ferrum parumper (ut ex Fi-

gura patet) dilataturum, albumine ovi conquassato & stuppâ pexâ, obligavi: subsistente sanguine tertio & quarto die per siphonem infundebam hydromel pro eluenda cavitate: quinto, sexto & septimo vinum nigrum austerum, in quo coquebantur Baulaustia, cortices granator. &c. injeci, & spongiam novam eodem liquore madefactam & expressam fasciâ longâ, & trium digitorum transversorum latâ, (latior enim non ita stringit) superligavi ligaturam ab inferioribus incipiens, & supra sinum in parte sana finiens; his medicamentis, in quibus magna glutinandi virtus posita, & deligandi modo, intra septimanam, fratris socer felicissimè curatus fuit. Ab eo tempore *nunquam ad Chirurgiam deveni, nisi remedia pharmaceutica frustra fuerint adhibita*: Neque posthac amplius forfice deceptoria (quia Chirurgum, non ægrum decipit) ad sinuum dilatationem tum usus.

F. Indicat *locum fonticulorum in brachio*. Variis in locis conficiuntur fonticuli, hi tamen in brachiis Inusti reliquis utiliores, &, accommodatiores esse videntur: Unde etiam à Medicis præ cæteris eliguntur, pro evacuatione scilicet, omnium eorum humorum, qui caput humanum offendere solent; cum inter partes inferiores superioresque exactè medium situm obtineant, humorum in caput ascensum impediant, eosque influentes à capite, ob convenientem distantiam, commodissimè revellant, atque derivent. Nec solòm in capitis, oculorum, aurium, narium, oris, faucium & gulæ vitiis, verùm etiam in thoracis, cordis, & pulmonum affectibus, magnum & mirandum præstant auxilium. Quanquam autem hi fonticuli in prædictis morbis multum juvent, & ægris sint accommodatissimi, idque propterea, quod ipsos videre, propriisque manibus gubernare possint. Nihilominus tamen non pauci repelluntur, qui fonticulos in genere, ut qui diligentiam & laborem requirunt spernendo sanitatem, planè vituperant: alii ob fœtorem detestantur: reliqui verò ob timorem ignis sibi inuri recusant. His respondeo, quod neque vestimenta sine labore, manè & vesperi, induantur & extrahantur, neque excrementa absque fœtore reddantur. Sicut autem hoc vel illud ad vitam humanam est necessarium; ita hi ad benè vivendum, & integrâ sanitate fruendum, summè utiles. Et quemadmodum nullum pœnitet ullius laboris, quem induendo & exuendo impendet, ita nemo de his conqueritur, imò dum ipsos tractat, magnam voluptatem sentit, sive propter dulcedinem, quam ex prurítu percipit, sive quod de die in diem manifestè cognoscit illius materiæ evacuationem, quæ secundùm errores commissos genita, & in corpore retenta grave malum attulisset; aut potius quod beneficio hujus sanitatem amissam adipiscatur. Unde sæpius uno fonticulo non contentus, sibi facilè duos, interdum etiam plures, prout opus erit, parati curat: adde quod Fonticuli, si arte regantur, non fœtent, & facti in debito loco non doleant.

Locus fonticulorum quatuor conditiones requirit, 1. ut patiens ipsum videat 2. ut ad ligaturam sit idoneus 3. ut habeat venam 4. ut sit in musculorum duorum interstitio, ad prohibendum dolorem, quo impeditur facilè motus.

Locus hic in brachio invenitur, si chirurgus cobitum patientis, vario modo, volvit, flectit,

& extendit, usque dum debitam musculi deltoidis & bicipitis separationem invenit. Multi conficiunt fonticulum in ipso deltoide, quidam in fine hujus, alii in parte posteriore ipsius. Ego tamen, ob dictas conditiones, locum lit. F. notatum eligo, intersititium scilicet musculi deltoidis & bicipitis, idque potius in parte superiore, quæ minus sensibilis, quàm inferiore, ad quam brevi temporis spatio decurrit.

Invento fonticuli loco, modus erit considerandus. Paratur fonticulus scalpello, caustico potentiali, & ferro ignito. Cum verò ferrum ignitum hujus chirurgiæ inventoribus magis usitatum, caustica potentialia non probo, utpote quæ tardè, & ut plurimum cum dolore magno operantur; nec ita securè adhibentur, quoniam eorum agendi vis nobis non ita exactè est cognita, sed interdum *præter expectationem nostram efficaciora, non raro impotentiora inveniuntur*. Missum quoque facio ferrum secans, sive scalpellum, propter rationes modò recensitas, quibus addo, quod sectio fonticuli sanguinem profundat, quem plures videre nequeunt. Magna dexteritate veteres utebantur ferro ignito, quod erat incurvatum, & longum habebat manubrium: Sed cum vidissent, quod illud instrumentum non solum carnem à chirurgo signatam inurat, sed etiam partes vicinas calefaciat, præter hoc excogitarunt aliud instrumentum cannulatum, quod partes vicinas defendat. Per cannulam hanc non ignitam, & cuti fortiter impressam intrudıns solidum candens, ut penetret secundum Medici intentionem nonnunquam magis & minus profunde. Julius Casser. Placentinus invenit instrumentum supra descriptum, & hic Lit. G. signatum, quod ignem occultat, partes vicinas à læsione defendit, & præ cæteris instrumentis *ad omnes fonticulos extra caput inurendos accommodatissimum est*. Hoc me plus quàm sexcentos fonticulos, cum admiratione adstantium, & risu patientis fecisse, testabuntur illi, qui adhuc vivunt, & fonticulos à me paratos gestant.

H. Est *fascia pro fonticulis in brachio* ligandis commodissima, quia facillimè ab ægro adaptatur; utilissima, quoniam conservat fonticulum in suo loco & pulcherrima, eò quod ex tela alba parata potest lavari; neque hæc, ut reliquæ fasciæ, tàm facilè visus aut tactus sensu deprehenditur.

I. *Locus fonticulorum in femore est* (quatuor digitis transversis supra genu, inter musculum sartorium & vastum internum, quærendus) ad ligandum aptissimus, & comitem venam saphenam, ubi fonticulus in hystericis affectionibus efficacissimus, revellendo & derivando. Curavi eo mulieres quorum nomini parco, quæ ob suppressionem mensium, oceri furores, aliaque symptomata sunt passæ: plures etiam quæ ulcera in tibiis habuerunt dysepulotica; illic revellendo, hic intercipiendo & derivando.

K. Est *fonticulus*, quem mihi *inter principia musculi gasterocnemii*, contra dolorem Ischiadicum summo & felicissimo cum successu paravi. Laudat quidem Excellentiss. Adrian Spigel. *in hum. corp. fabric. l. 5 c. 9.* ob transitum venæ popliteæ inustionem fonticuli in sura, seu musculi gasterocnemii principiorum coitu, quem Daniel Bucretius *in Jul. Casser. Placentin. Tabul. Anatomic.* (quos ego ære emi Spigeliano ab Hæredib. Casserii) *lib. Tab. 2. lit. Græci* ψ. notavit. At quoniam locus ille ob suam declivitatem ad deligandum valdè est incommodus, ego juxta Andr. Vesal. *in corp. hum. fabric. li. 2. Tabul. 10. de musculis* locum paulò superiorem elegi, eumque non sine ratione: habet enim hujus loci fonticulus omnes boni fonticuli, quas supra recensui conditiones; venam popliteam, quam antiqui & recentiores in Ischiade, aliisque morbis pluribus, quos Aurelius Severinus *lib. de angeologia cap. 26.* collegit, magno certè cum successu apetiebant. 2. Interstitium principiorum gasterocnemii: neque enim metuendus ille nervus satis insignis, qui sub genu transcurrit, ut lædatur, nam ubi fonticulus conficitur, nervus progrediendo, jam jam profundiora petiit, ut ferro candente offendi nequeat. 3. Deligaturam firmiter consistentem. 4. Patiens ipse ipsum regere, & gubernare potest. Notissimum est, qui semel Ischiadicis doloribus vexatur, non facilè ab iis liberatur, ita ut sibi polliceri possit, se in posterum ab ejusmodi cruciatibus fore immunem. Sanctè tamen testari possum, memetipsum post usum balnei Thalsengensis, vulgò Gesundbrun / in agro Ulmano, siti, beneficio hujus fonticuli, per novennium, à paraxysmo prætervasse, & si vixero forsan ulterius, venæ Ischiadicæ sectioni, omnibusque purgantibus, sudoriferis, & topicis medicamentis, quæ per annum integrum, ex clarissimorum Medicorum consiliis, assumpsi & adhibui, valedicens. Quare si in futurum in tali cruciatu Ischiadis diuturno, tàm interna, quam externa remedia sine successu usurpata fuerint, meo consilio & bona spe salutis ad hanc chirurgiam, tanquam ad sacram anchoram confugiant, inustionem scilicet fonticuli in loco signato; non dubito enim, quin patiens sanitatem, Chirurgus vero maximam laudem deportaturus sit.

L. Est *fascia pro fonticulis in femore & sura deligandis, omnium optima.*

Quomodo fonticuli jam parati conservari, rectèque gubernari debeant, ex scheda Aquapendentis, qui ejus mentionem facit *in opere suo operationum chirurgicarum, & titulo de Fonticulis*, discere potuissemus, nisi illa incuriâ typographi, cui Autor schedam tradidit, ut typis in lucem daret, amissa fuisset. Hac igitur destituti legant elegantissimum tractatum, quem scripsit Hieron. Capivacius, de recta cauteriorum administratione, & Dominicus Galvanus Medicus Athestinus (*cui acceptum refero sparadrapp. meum.*

℞. *Cerati de ceruss. seu Albi collir. Aug.* ℥xij.
Pul. ceruss. ℥iiij.
Thuris.
Tragacanthi ana ℨvj.
Ireos. Flor.
Benz. ana ℥v.
Sterac. liquid.
Ol. spic. odorati ana ℨij.
Saponis Veneti. ℥ij.
Ceræ q. s. vel ℥ij.

Veronenses Chirurgi, in vitis olurpando addunt parum moschi ad gratiorem odorem.

Misce s. art. & cum tela nova F. sparadrappum, quo per annos viginti & duos, plus quam fonticulos mille summa cum utentium admiratione, ab omni symptomatum incursu præservavi) de fonticellis, lib. 2. cap. 13. 14. 15. 16. & 17. quæ ad mentem Aquapendentis, sui Præceptoris, accuratissime scripta esse certus scio, stylo tamen Italico, qui dignus esset, ut Latinitate donaretur.

Nonnulli miris laudibus deprædicant Ceratum, quo Dux Hetruriæ fonticulos suos ab omni symptomatum incursu præservat.

℞. *Succi Hederæ.* ℔iij.
Nicotian. ℔j.

Tere-

Terebinthin.
Resin. pin.
Ung. ros. Mes.
Cer. citrin. ana ℔j.
Ol. ℞. *Mosch.* ℥ij.
Pulv. cyper. odor. ℥j.
Cerus. elect. ℔j.
M. F. Ceratum.

M. Forceps in vulneribus sclopetorum, pro extrahendis globulis in profundo sitis, affabre facta.

N. dictæ *forcipis usum*, & applicandi modum ostendit, qui talis est: extrahatur terebellum, & exterior cannula demittatur versus cochlearia, ita ut instrumentum claudatur: hoc facto exterior cannula oleo rosato inungatur, & instrumentum dextra chirurgi vulneri clementer immittatur, usque dum cochlearium extremitas denticulata globulum amplectatur: tunc pollice atque indice sinistro, instrumentum chirurgus teneat, eoque quantum æger tolerare poterit, globulum premat ne forcipi cedat: postea digitis manus dextræ, terebellum, per foramen capuli rotundi immittat usque ad globulum, illudque circumvolvat, & globulo paulatim infigat. Quam primum vero Chirurgus terebellum globulo sufficienter inhærere cognoverit, cannulam exteriorem sursum parumper & sensim trahat, eamque statim deorsum remittat, ut cochlearia divisa globulum recipiant, & receptum firmissime tenendo terebelli operam adjuvent: quibus ritè peractis, terebellum & ambæ cannulæ, adeoque totum instrumentum cum affixo & recepto globulo, extrahatur eo modo, quem figura designat.

O. Indicat *sectionem varicum*, juxta Aquapend. sententiam, quæ tamen, ut nostris Germanis est horrenda, ita facile ex ea oriri possunt prava symptomata. Dum Patavii literis operam dedi, vidi rusticum in Nosocomio D. Francisci sub Excellentiss. Spigelii manu, summa cum utilitate, chirurgiam delineato modo institutam, sustinere.

Ego, ad imitationem, hunc operandi modum in patria semel tentavi: sed errore patientis, motu scilicet nimio, *qui nullus esse debuisset*, sequebatur inflammatio ægrum vehementer affligens, & prohibens, ut voto non potuerit respondere exitus: unde patiens cum suis parentibus, ea ut me corriperet & torqueret inflammatio, optarunt. Hoc famæ naufragium semel passus, varicibus in extremis affectos, deinceps solis topicis, sub tibialibus ex pelle canina confectis tractavi.

P. Ostendit *vulnus* acinace femori profunde inflictum, *quatuor suturis seu fibulis unitum*, & in declíviori loco foramen habens, cui rotunda Q. immittitur, ut, pro materiæ exitu, apertum conservetur.

R. *Ostendit modum deradendi tibiam cariosam scalpris Tabula VI. depictis.*

Martinus Schmidt / Oellingensis, puer undecim annorum conquerituꝛ de vehementissimo dolore tibiæ dextræ, & duobus foraminibus materiem puris fœtidam fundentibus, quorum unum erat circa malleolum internum, alterum circa externum. Hunc affectum Barbitonsor pagi illius ordinarius tractavit pro luxatione pedis. Anno 1640. Die 16. Decembris æger receptus est in Xenodochium Ulmense, quem jussu Inclyti Senatus visitavi, & statim animadverti affectum non esse luxationem, sed corruptionem & erosionem totius tibiæ, quam curare institui. Primis itaque diebus bonam victus rationem præscripsi, & sequentem potiunculam,

℞. *Syrup. ros. sol.* ℥ß.
Elect. lenitiv. ʒvi.
Decoct. fl. & fr. q. s.
M. F. Potio br.

à qua quinquies dejecit materiam valde serosam. 22. *Decembris*, à tibiæ capite usque ad malleolum internum sine læsione venarum, arteriarum, nervorum & tendinum scalpello incidi crus, digitorum unguibus periostium à tibia separavi, vulnusque stuppa cannabina, medicamento stegnotico (ex albumine ovi, aqua rosarum agitato, & pulvere adstringente Galeni) & fascia duobus capitibus prædita obligavi. *Die* 23. subsistente sanguine, vulnus religatum inspexi & inveni, quod mea me opinio minimè fefellerit: nam non solum pars anterior tibiæ in superficie, verum etiam posterior usque ad medullam corrupta fuit: mox etiam aliquot corruptæ tibiæ particulas volsella exemi, & vulnus denuo, ob vehementem patientis clamorem, medicamentis & fascia obligavi. *Die* 24. os corruptum scalpris derasi, & caput tibiæ inferius integrè corruptum, & valdè fœtens inveni. Quapropter os tibiæ decocto D vino purgavi, ipsique pulverem aristolochiæ & Iridis Florentinæ inspersi, & vulnus cerato diapalmæ contectum fascia obligavi. *Die* 25. & 26. propter magnam corruptionem os derasi, & multas corruptæ tibiæ partes volsella extraxi. *Die* 29. ab inferiori & interno tibiæ capite magnam portionem corruptam forfice abscidi. *Die* 30. fœtur ossis ab usu decocti divini nonnihil remisit. *Die* 31. postquam dolor pedis & fœtor remisit, ægrum glutinosa victus ratione nutrivi ad generandum callum, & vulneri ceratum divinum applicui ad inducendam cicatricem. Ab hinc usque in diem 4 Jan. Anni 1641. ex inferiore tibiæ capite, seu malleolo externo materia purulenta. *Die* 6. circa hoc foramen apparuit caro solida. *Die* 7. vulnus benè habuit & natura os tibiæ, à capite inferiore usque ad mediam partem, erosum, integrè separavit. Osse separato, vulnus mensis spatio consolidatum fuit.

S. monstrat deligaturam cataphractæ, quæ nomen habet à similitudine thoracis Romani, & prodest iis, quibus deligare juxta jugulum convenit latum scapularum os, pectus, dorsum, aut latera. Fascia autem unius capitis ita obvolvitur. Alæ primò circumdatur (Galen. l. de fasciis 79.) tum oblique per pectus ducitur, propè illam regionem, ubi jugulum cum osse pectoris committitur, inde per cervices, ad latum Scapularum os humeri contrarii; atque ad alam subjectam, ab eaque ad cervices, super partem prius injectam, ita ut propè cervices, similitudo X. literæ fiat, posthac obliqua datur, ad latum scapularum os ex altera parte, atque ad alam, ab ala ad cervices, ut in vertebra colli X. liter. figuram accipiat, deinceps sub ala, & oblique propè eam regionem ubi jugulum cum osse pectoris committitur, sic ut hîc quoque similitudo X. literæ fiat, & juxta cervices, & super latum scapularum os, & sub ala, ut quater X. literam repræsentet, nimirum semel à priore parte, semel à posteriore, bis propè jugulum. Ad eandem autem rationem, quoties opus est, circuit, deinde in orbem attrahitur circa pectus & latera sic, ut tota junctura thoracem referat. Numeri autem undique dispersi denotant rationem atque ordinem convolutionum.

Figuræ omnes quæ in hâc Tabulâ sequuntur, repræsentant instrumenta, fasciationes ac totum apparatum, quæ adhiberi debent in eâ Chirurgiâ exercendâ, quam Curtorum vocant, prout à Taliacotiô depinguntur.

Fig. 6. *Bicipitem exhibet forcipem & cultros.*

e. Lamina forcipis.
a a. Labium internum.
o o. Labium supernum.
d d. Linea forcipis.
i i. Arcus biceps.
k. Conjunctio.
f. Conjunctionis clavus.
l. Manubrium ferratum.
h. Manubrium annulare.
g. Serra Manubrii.
f. Annulus Manubrii status.
e. Annulus mobilis.
q. Culter.
c c. Culter acies.
b. Manubrium.

Fig. 7. *Forcipem tricipitem habet, cum delineatione longiori cutis propaginis, & cultros ad id operis necessarios.*

R a. Forceps triceps delineationis cutis propaginis.
m m. Lamina forcipis.
d d. Linea ipsius laminæ, per quam cultro admisso cutis inciditur.
c e. Laminæ infernum labrum, & brachium tangens.
c c. Laminæ supernum labrum, & cutim propaginem respiciens.
o o o. Arcus triceps forcipis, à quo nomen sumpsit.
i i. Conjunctio forcipis.
S. Conjunctionis clavus.
h h. Manubrium ferratum.
f. Manubrii serra.
n n. Manubrium annulare.
o. Manubrii annulus status.
g. Manubrii annulus mobilis.
Culter delineandæ cutis propagini necessarii, est idem qui in præcedenti Figurâ, per literam q. denotatur.

Fig. 8. *Acus, & fasciarum typum habet pro deligatione facienda.*

a a a. Acus.
b b b. Linum.
o o o. Fascia, quæ regia dicitur.
e e. Fascia cubitalis.
f. Fascia pectoralis.
g. Fascia brachialis.
c c. Fascia axillaris.
l l. Foramina funiculorum.
e e e. Funiculi.

Fig. 9. *Forcipem ad inserendam columnam, & cultros, & incurvas acus continet.*

S S. Forceps columnaris.
r t. Forcipis columnaris laminæ.
a a. Forcipis laminarum complexus. Nam illam clausam depingimus.
b b. Arcus forcipis.
V. Conjunctio forcipis.
X. Clavus conjunctionis.
c. Manubrium ferratum.
d. Serra manubrii.
n n. Manubrium annulare.
f. Annulus manubrii status.
e. Annulus manubrii mobilis.
o. Culter pro excoriatione inserendæ columnæ.
g g. Cultri acies.
h. Cultri manubrium.
l l. Acus incurvæ.
m m. Funiculi, ut ante.

Fig. 10. *Cultros configurationis habet & tubulos.*

e. Culter in mirthi figuram eductus ad efformandas rythonas.
g. Cultri hujus manubrium.
f. Culter alius instar olivæ, peræquè necessarius ad excavandas rythonas.
h. Ejusdem manubrium.
a a a. Tubulorum pars superna longior & nares contingens.
1, 2, 3. Tubulorum pars inferna brevior & maxillæ injectæ.
g g g. Tubulorum partes laterales.
o u u. Tubulorum cavum ad capita.
S S. Tubulorum cavum ad fines.
d. Tubuli capitis apex interior, quò cavum spectat.
e. Tubuli capitis apex, exterior quà globulum & alarum principia amplectitur.

Fig. 11. *Tectoria, annulos & funiculos, ex quibus colligandi modus comprehenditur, continent.*

a a a. Tectorium.
b b b. Tectorii summa pars, quæ perforanda est, & funiculus ille, quem ajugnm dicimus, transmittendus. Annulò non opus est. Nil enim ex nodò incommodi emergit.
c c. Tectorii dorsum.
o o o. Apex globuli.
a a a. Columna tectorii.
e e. Alæ tectorii.
h h h. Tectorii latera.
d d. Annulus superior pro superna deligatione.
e e. Annulus centralis Regius, pro regia deligatione.
f f. Annuli laterales regii, pro regia & catholica deligatione.
k o. k p. Funiculi deligationis regiæ.
k t. k s. Funiculi catholicæ seu obliquæ deligationis.

Fig. 12. *Vestitum universum, præter deligationis fascias, clarissimè demonstrat.*

N L K H. Cucullus.
A. Cucullì pars anterior quæ facies erit.
B B. Cuculli pars dextra.
O O. Cuculli pars sinistra.
C C. Foramen, quà patet auribus exitus.
D D. Tho-

D D. Thoracis, vel diploidis pars anterior.
M M. Thoracis, vel diploidis pars posterior.
E E. Locus quô brachia exeunt.
F F F. Funiculi
G G. Caligæ.

Fig. duæ 13. & 13. *Exhibent ægros, quorum labium inferius & nares decurtatæ sunt. Item propaginem delineat, cum linteolô injectô.*

a a. Cutæ nares ex adversô positæ.
a g. Cutis propago delineata, & à subjectis musculorum corporibus, secundùm domesticam, ac interiorem illius superficiem sejuncta.
H q. Pars illius superior.
D c. Pars illius inferior.
B E. Linteolum.
g. Labium supernum decurtatum.
d a c. Cutis propago ex quâ labium restauratur.
d. Radix propaginis.
a. Corpus ejusdem.
c. Apex illius, & pars insititia.
l. Area, & locus unde propago educta fuit.

Fig. 14. *Anticam, ac dextram deligationis partem ostendit.*

L. Cutanei traducis apex, ubi adest insitio.
I. Cutanei traducis radix.
n y. Areæ vulnus medicamentis obductum & deligatum.
a b c. Fascia regia.
D d. Fascia cubitalis.
c c c. Fascia pectoralis.
m. Fascia brachialis.
b b. Fascia axillaris.
o. Cucullus.
n n. Foramen auriculare cuculli.
g. Thorax, sive diplois anterior.
h. Thoracis disjunctio, insimul funiculis conjuncta.
a. Funiculi, quorum opera fasciæ cum cucullô, vel diploide conjunguntur.

Fig. 15. *Hac propaginis in supernum labium insitionem jam factam, & ejus deligationem demonstrat.*

C. Cutaneus tradux labio insertus.
n. Insitio ipsa traducis cum labiô.
e g. Area, unde tradux fuit eductus.
a a a. Fascia regia, cui cæteræ innituntur.
D e. Fascia cubitalis.
B. Fascia brachialis.
A. Fascia pectoralis.
F. Fascia axillaris.
O O. Cucullus.
E. Foramen cuculli ad aures.
a e o. Diploidis sive thoracis pars anterior.
b b b. Thoracis divisio, quæ funiculis constringitur.

Fig. 16. *Tum posticam deligationis partem; tum lateralem sinistram exhibet.*

D. Cutaneus tradux.
C. Cutanei traducis radix.
G. Areæ vulnus medicamentis obductum & obligatum.
a e o. Fascia regia.
E. Fascia brachialis.
A A. Fascia cubitalis.
F. Cucullus.
a. Foramen cuculli ad aures.
H H. Thoracis sive diploidis pars postica.
G. Principium fasciæ axillaris.
Q. Subligaria.

Fig. 17. *Nares monstrat deligatas pro consequenda efformatione.*

a a. Fasciarum infra & supra nates applicitarum basis.
B. Fasciæ ductus alter, qui ab imis naribus incipiens, supra per aurem ad occiput decurrit.
D. Fasciæ ductus alter, qui suprà ab narium dorsô, per aurium inferna in cervicem defertur.

Fig. 18. & 19. *Utriusque labii deligationem, & ea jam efformata demonstrat.*

A B E. Fascia deligans supernum labium.
A. Fasciæ basis.
B. Fasciæ ductus superior.
C. Fasciæ ductus inferior.
E. Finis & innodatio superioris ductus.
F. Finis & innodatio inferni ductus.
A. Deligatio inferni labii uno fasciæ ductu.

Fig. 20. *Aurium deligationem, post insitionem factam ostendit,*

O D E F G. Fascia.
O. Fasciæ basis, quæ gutturi subjicitur.
D. Fasciæ ductus anterior.
E. Fasciæ ductus posterior.
F. Posterioris ductus innodatio.
G. Anterioris ductus innodatio.
Ç. Cutis propago auri decurtatæ jam insita.

Figuræ 21. & 22. *Aures jam efformatas: & traducis aream exhibent.*

A. Area traducis supra aurem
B. Auris pars superior ex hâc traduce efformata.
C. Auris pars inferior itidem jam efformata.
D. Area traducis infra aurem, unde pars hujus inferior efformata fuit.

TABULA DECIMA SEPTIMA.

Recollectionem seu repetitionem, quandam proponit aliquorum instrumentorum, eorumque maximè usualium, ac quibus carere minimè potest Chirurgus in Artis suæ exercitiô. Item Turundarum, ac Cannularum, ut & Plumaceolorum, Emplastrorum atque Compressarum, in vulneribus & ulceribus adhibendorum varias Figuras ac formas tradit. Imò tandem Fasciationum præcipuarum super corpore humanô, applicationem exhibet.

Fasciationum aliarum paucarum rationem ac methodum hic adjecissemus. Verùm prę-terquam

terquam quòd dum illas quas collegit Clariss. Joh. Baptista Lamzvverde, in suâ ad Sculteti Armamentarium Chirurgicum Appendice, pro iisdem huc transferendis, attentiùs consideraremus, vidimus omnes quæ ibi continentur, sine ordine è Tabulis, Tomo XII. Operum Hippocratis & Galeni, Editionis Charterianæ insertis, excerptas esse, ac obscurè nimis, imò prorsùs erroneè ut plurimum explicatas: Unde ab illis consultò abstinuimus: Maxima pars earum aliarumque plurium, jam omnino est obsoleta; quæque verè necessariæ sunt in totô hujus Bibliothecæ decursû identidem occurrunt, aut satis commodè Chirurgi operantis industriæ indicantur.

Fig. 1. *Instrumenta, si ita loqui licet, universaliora, seu omni prorsùs Chirurgo, in Artis suæ exercitiô maximè necessaria ostendit, qualia à Peritiss. Chirurgô Gallô Dom. Dionis depinguntur.*

A. Forfices communes.
B. Forfices pro incisionibus, quarum alter apex, seu cuspis in globulum desinit, pro commodiori & minùs dolorificâ in partes incidendas insinuatione.
G. Forfices incurvæ.
D. Novacula
E. Scalpellus
F. Alterius formæ scalpellus.
G. Instrumentum pes araneæ dictum, quod vasis inter dissecandum sublevandis, inservit.
H. Scalpellus, Gallis *Lancetta*.
I. Scalpellus major, pro abscessibus aperiendis.
K. Specillum, in vulneribus ac ulceribus explorandis adhibendum.
L. Specillum aliud planum.
M. Specillum sinuatum, seu in sui mediô excavatum.
N. Cultellus incisorius, Gallis *Bistouri*.
O. Idem instrumentum rectum.
P. Idem rursùs instrumentum incurvum.
Q. Spatula.
R. Folium mirthi, seu instrumentum Figuræ myrthi folii.
S. Aliud instrumentum ejusdem naturæ: sed paulò aliter conformatum.
T. Elevatorium, per duas suas extremitates, quarum altera rotunda, altera quadrangularis, incurvum ac dentatum, sub ossa elevanda insinuandum.
V. Vulsella.
X. Acus recta.
Y. Acus recurva.
Z. Serra.

Fig. 2. *Varias turundas, seu penicilla, ut & cannulas, atque acum ad setaceos conficiendos, seu potiùs vulneribus & ulceribus ab unô extremô ad aliud trajiciendis aptam; ex eôdem exhibet.*

A. Parvula turunda, seu specillum ex linamentô confectum.
B. Turunda major.
C. Turunda rursùs crassior, ex linamentô parata.
D. Specillum majus ex linteô complicatô ac convolutô confectum.
E. Cannula major, tæniolâ per annulos io sui alterâ extremitate positos armata, ut in locum in quem intruditur commodè contineri possit.
F. Cannnula in sui alterâ extremitate alâ latiori donata ut in cavitatem in quam alterô suô extremô intruditur, illabi nequeat.
G. Cannula depressa.
H. Cannula incurva.
I. Minor cannula.
K L. Acus pro setaceis, cujus acumen ad formam capitis allii confectum est, ut scilicet dum adhibetur pro vulneribus aut ulceribus ab unô extremô ad aliud trajiciendis, per eorumque longitudinem linteolis longioribus unguentis imbutis, deducendis inservit, facilè non lædat ac pungat.

Fig. 3. *Plumaceolos varia formæ & magnitudinis ex eôdem Autore tradit.*

A B C. Plumaceorum oblongorum tres variæ magnitudines.
D E. Duo plumaceoli in sui mediô, filô ad firmiorem consistentiam colligati.
F. Magnus plumaceolus duplici filô ad caput colligatus, ut commodè è vulnere in quod intruditur, retrahi possit.
G H. Duo plumaceoli plani figuræ rotundæ, magnitudinis variæ, pro vulnerum & ulcerum quibus applicantur exigentiâ.
I K. Plumaceoli magni plani ac ovales, qui ad latera vulneris vastioris exteriùs applicantur.

Fig. 4. *Varias emplastrorum formas proponit.*

A. Emplastrum rotundum, quod est omnium maximè commune.
B. Emplastrum quadratum.
C. Emplastrum figuræ ovalis.
D. Emplastrum quadrangulare longum.
E. Emplastrum ad formam lunæ dimidiatæ, vel crescentis, quod in fistulis ani lateralibus, & in palpebrarum ægritudinibus adhibetur.
F. Emplastrum triangulare, in bubonocele, ut & itidem in lactymalibus fistulis usurpandum.
G. Emplastrum ad formam crucis Maltbensis, quod in vestiendis extremitatibus artuum decurtatorum impenditur.
H. Emplastrum fenestratum, in sui scilicet mediô perforatum, in bronchotomiâ aliisque casibus applicandum, ubi sine ejus sublatione vulnus curandum venit.
I. Emplastrum quod trapesiale dicitur. Utromque illius extremum per medium est resectum, ut commodè membris inæqualis magnitudinis applicari possit.
K. Emplastrum scutiforme dictum; quod in spatiô inter homoplatas præcipuè adhibetur.
L. Emplastrum ypsiliforme, perinæo præprimis in lithotomiæ operatione applicandum.
M. Emplastrum ad formam T. majoris exsectum, incisionibus ejusdem figuræ imponendum.






Fig. 1.
A B C D E F G H I K L
M N O P Q R S T V X Y
Z


Fig. 2.
A B C D
E F G H
I K L


Fig. 3.
A B C D
E
I G F
H K


Fig. 4.
A B C D
E F G H
I K L M


Fig. 5.
A B C D
E F G H
I K L M
O O P P N N



Fig. 6.
A R B C
F C D H
I Q L M P
N O G

Fig. 5. *Compressas super emplastris applicandas, earumque itidem varias formas delineat.*

A. Compressa quadrata, emplastro quadrato superimponenda.
B. Compressa splenica dicta. Ea si rectâ à summis ad ima imponatur, longitudinalis; si ab unô partis latere ad aliud, transversalis; si oblique, obliqua vocatur.
C. Compressæ longitudinalis alia magnitudo.
D. Compressa quæ circularis vocatur. Illa quandoquidem ad usque sui medium per longitudinem discissa est, faciliùs accommodatur partis cui applicatur inæqualitatibus.
E. Compressa triangularis, quæ semper crassissima fieri debet.
F. Compressa ad formam crucis Malthensis.
G. Compressa fenestrata.
H. Compressa trapesialis.
I. Compressa ad scapulam: quæ in humeri luxationibus adhibetur.
K. Compressa sexangularis: hæc figura rotunditati præfertur, quia partibus quibus imponenda venit, commodiùs multò applicatur.
L. Compressa obliqua, è pluribus compressis longitudinalibus ac angustis, se invicem decussantibus composita. Illa aneurismati præcipuè deligando apta est.
M. Compressa rotunda, quæ ad formam integri globi, vel ejus tantum medietatis conficitur. Illa sub axillis post reductionem humeri luxati præcipuè imponitur, ante ejusdem deligationem.
N. Sunt parvulæ compressæ, quadratæ.
O O. Aliæ compressæ parvulæ, figuræ cylindricæ.
P P. Aliæ itidem rursùs minores, quæ in suturis præcipuè tendinum usurpantur.

Fig. 6. *Varias fasciationum super corpore humanô, applicationem commonstrat.*

A. Fasciatio cucullata, Gallis *Couvrechef*, quia totum caput contegit. Conficitur è parvô mantili duplicatô, cujus medietas super capite; extremorum verò angulorum super facie pendentium, duo ad posteriora reflexi, super nuchâ constringuntur ac nodantur; alii verò sub mentô, colligantur.
B. Fascia frontalis, circum caput, à fronte scilicet ad occiput convolvendo.
C. Scapulare, quod ex linteo longiori & crassô conficitur. Illud in sui mediô discissum est, ut per ejusmodi fissuram caput intromissum, hoc genus fasciæ super humeros devolvatur, ut per extrema suâ ad anteriora ac posteriora dependentia suspendere possit varias fasciationes quæ vel abdomini, vel etiam thoraci applicantur.
D. Mantile quô triplicatô, vel quadruplicatô, totum corpus cingitur in vulneribus tum pectoris, tum imi ventris.
E F G. Sunt fasciolæ & compressæ in venæsectionibus adhibendæ.
H. I. Designant ejus fasciationis genus quod repens dicitur, quodque ab imis ad summa membri deligandi, in spiram deducitur.

L. Fascia simplicissima, eam tantùm longitudinem habens quæ pro unâ aut alterâ membri fasciandi circumvolutione necessaria est.
M. Fascia alia simplex, quæ contentiva vocatur.
N. Delineat eam tibiæ fasciationem quæ validior est, & non propriè differt ab eâ quam repentem mox diximus.
O. Fascia ab utrôque suô extremô ad medium usque convoluta, ut prædictô mediô parti fasciandæ applicatô, fasciatio ad inferiora & superiora produci queat, imò etiam pro necessitate ad suam originem redoci.
P. Fascia in unô extremô discissa, quæ incarnativa vocatur. Extremitas integra post partis circumvolutionem per alterius scissuram traducitur, ut sic commodè vulneris labia ad se invicem adduci queant per extremitatum prædictarum artificiosam retractionem.
Q. Fascia quæ quadriceps vocatur, Gallis *Bandage à quatre chefs*. Si pluribus capitibus donetur, numerus capitum denominationem faciet. Inservit autem ejusmodi fascia reuniendis labiis vulnerum alicujus partis transversalium; ac pro suturis in ejusmodi casibus devitandis non parum facit.
R. Est fascia ad formam litteræ T confecta. Hujus autem cauda, seu pars inferior, vel simplex est, vel in duas discissa partes, qualis hic exhibetur. Inservit hæc fascia in variis operationibus, sed præprimis in lithotomiâ, atque ani fistulâ.

INTERTRIGO

Vid.

CUTIS VITIA.

Hic uno tantum verbo de ani intertrigine, quæ nihil aliud est quam partium ano vicinarum, ac inter femora etiam sitarum, attritus ac excoriatio, à motu vehementiori & equitatione orta. Curatur sevo cervino & hircino, nec non pulvere ex floribus Balaust. rof. sant. rubr. & camphora, parato ac inspersо. Alii farinam nucis juglandia inspergunt, sicque dolorem mitigant. Alii partem affectam aqua rof. in qua aliquid salis saturni sit dissolutum fovent. Alii laudant adipem anseris, anatis, gallinæ, chalcitidem aqua subactam, mucilaginem semin. cydonior. & tragacant. ex aqua rosarum, vel malvæ paratam, item oleum amygdalar. dulc. myrtin. rosat. vitel ovor. item plumbaginem cum aceto & vino mistam, pulverem gallarum oleo vitell. ovor. exceptum, mista plumbagine myrrha & alumine, unguentum de cerussa, de lithargyr. cum pauxillo mercur. vivi, item gryseum ac sambucinum. Tandem remedium Foresti est si intertrigini argentina herbâ contusa apponatur, vel hujus herbæ succo partes affectæ liniantur.

INTESTINORUM MORBI.

De intestinorum fabrica, membranis, vasis, glandulis, de eorundem differentiis, situ, connexionibus, actione ac usibus fuse agitur ex Clar. Glissonio & aliis in Bibliotheca nostra anatomica; & præcipuè in Theatrô nostrô Anatomicô. Morbos quoq

quod attinet; illi sunt inflammatio, Angustia, lævitas, tumores, flatus, motus imminutus, intussusceptio, vermes, hernia, vulnus, ulcus, ac intestini recti affectus speciales, qui sunt inflammatio illius specialis, verrucæ, rhagades, ulcus & fistulæ. De inflammatione, angustia, tumoribus, intussusceptione actum capite de ileo, ac etiam de colica & de alvo adstricta, de lævitate, capite de diarrhœa; De vermibus, hernia, vulnere, ulcere; verrucis; rhagadibus, fistulis, propriis capitibus. Hic itaque spicilegium tantum aliquod eorum prope omnium per consultationes, observationes, & anatomicas inspectiones hinc inde excerptas, exhibebimus.

Consultatio.

Pro Illustri, & nobili Mirandulano, tumore scirrhoso intestini recti à sanatis hæmorrhoidibus exorto laborante.

Postquam satis perspectum est tumorem ad sinistram sedis partem in nobili, & illustri viro ab hæmorrhoidibus olim immodice fluentibus per incisionem, ablationemque sanatis suborrum latitare, ipsum idcirco rectum intestinum obsidere pro certo habendum; & quoniam tumor durus, ac renitens existit, inter tumores ideo scirrhosos, eosque potissimum qui ex minera melancholica mixta prædominante fiunt, est reponendus, in ea siquidem parte contextæ sunt venæ prædictæ ejusdem mineræ receptacula, patiensque habitus melancholici proponitur: atqui succum pituitosum subesse ex bis vel facile persuaderi potest, & primo quia occasione cujuslibet hæmorrhagiæ calor nativus valde depauperatur, unde insignis pituitæ proventus fiat, necesse est; secundo ubicumque succo melancholico pituitosus commiscetur, unaque ad cutim demandatur; colorem subrubrum suboriri contingit, qualis in tumore nostro conspici scribitur; pituitosus ergo succus melancholico subdominatur, in cujus rei confirmationem facit, & illud, quod pars laborans imbecillior facta quam pro naturæ statu conveniat, proprium haud bene conficit alimentum, proindeque excrementa pituitosa cruda coacervare cogitur, ut minimè interea dubitandum sit, scirrhum hunc illegitimum esse, non solum qua ex minera mixta ortum ducit, verùm etiam quatenus ob dolorem adjunctum non est immunis à sensu, quamvis dolorem partes adjacentes magis, quàm tumidam excruciare putem: ut ex bis etiam pateat, scirrhum hunc esse de genere eorum, qui non incipiendo, sed qui ex alterius morbi permutatione fiunt, pater adhuc à natura cancri liberum existere, quando neque venosus, neque lividus, nec inæqualis existat, continuoque non doleat, sed ubi tantum ab excrementis crassioribus descendentibus, fluxioneque humorum irritatur.

Scirrhus igitur hic (ut modus generationis ejusdem clarius innotescat) à succo melancholico peccante, pituitosoque subpeccante ortum ducit, & ex eisdem incrementum suscipit; an vero ab illis per repletionem, siccationem, vel concretionem fiat, & an humores eundem efficientes per fluxionem, vel congestionem colligantur, meo judicio non est difficile decernere, nam quoad primum cum non sit dubium, corpus egregii viri succo melancholico plurimo scatere, minime fieri potest quin scirrhus per repletionem fuerit subortus; pariter quoniam locus affectus, minera morbifica, ac usus olim medicamentorum adstringentium in unicam frigiditatem (à qua concretio) conspirant, ea propter in hujus tumoris generatione concretionem locum habere sentio, siccitas autem, quoniam causæ ipsum inducentes, uti nimis calefacientium, ac dissipantium usus, similiaque non præcessere, meâ sententiâ omnino secludenda. De secundo, & postremo statuo, succum melancholicum per fluxionem, pituitosum vero per fluxionem, & congestionem (ut ex supra dictis liquet) in parte laborante, & per transmissionem, ac attractionem colligi; Per hanc quidem primum ob max mum in alvo deponenda conatum, qui ab angustia intestini recti per constipans tuberculum facta procedit, deinde ob doloris subsequentis acerbitatem: per transmissionem vero ob partis imbecillitatem tum nativam, tum adscititiam, & à morbo, & à remediis adhibitis acquisitam, quam transmissionem sicuti respectu humoris melancholici à toto, vitio jecoris fervidioris (quod succi melancholici ferax esse solet) necnon forsan lienis haud bene massam sanguineam defæcantis, fieri non dubito, ita & respectu pituitosi ab eodem toto ob errorem fere triplicis coctionis totius nutritioni destinatæ prodire certum habeo; Error autem hic non nisi ex caloris nativi jactura, ac labe dependet, merito cujus in parte quoque laborante succus idem, ut statum fuit, ex parte coacervatur.

Doloris vero generatio sicuti & cujuslibet alterius ex objecto improportionato tactus organo oblato dependet, ex intemperie videlicet frigida inæquali, & soluta unitate à copia materiæ partes sentientes distrahente producta. Dolorem autem augeri modo, modo imminui contingit, quoniam minera peccans à debili calore in spiritum flatuosum interdum aliqua ex parte resoluta majorem infert distensionem, unde doloris augmentum, atque sævities; at spiritu illo dissipato distensio minuitur, sicque dolorem mitescere contingit; idem deinde dolor est periodicus, quoniam causa illius, fluxio inquam, & spiritus flatuosus quibusdam intervallis accedunt, & agunt, ubi scilicet alvus suo proprio fuerit munere; causam vero propter quam per unam, vel alteram horam ab excretione, & non statim dolor insurgat, ac inseviat, nullam aliam esse existimo, nisi quod fluxio sine temporis aliqua intercapedine materiam in ea copia, quæ vincat, & ob id tristem sensum excitet, suppeditare non potest, ut non sit mirum post unius, vel alterius horæ spatium ab alvi conatu, atque secretione dolorem accedere, ad quod etiam spiritus illius flatuosi generatio, quæ subito fieri nequit, non parum conducit, tandem dolor est uniformis, quia causa operatur, & ad operandum uniformiter promovetur.

Ex quibus ita constitutis facile sit intellectu ad Medicum curantem attinere materiam absorptam, replentem, & concretam evacuare discutientibus, ac emollientibus, calefacereque moderate calefacientibus, prius tamen danda opera, ne hæc eadem de novo generetur per alterantia viscera in contrarium, quod ubi Medicus obtinere non poterit, saltem materiam genitam ab affecto loco deflectat, sed inter cætera caloris nativi jacturam ut reparet omnino conabitur.

Sed ut verum fatear horum vix fœlix eventus est expectandus, quoniam sicuti scirrhus illegitimus difficulter admodum ob materiæ pervicaciam curationem admittit, ita ab eodem graviora longe mala superimminent, primum quidem in casu nostro

fœcum

fæcum retentio, quæ facile ob ipsius incrementum (ut ego sæpius vidi) succedere potest, unde omnis postmodum occasio volvuli non exquisiti; secundo imminet carcinoma non solum propter id, quod scirrhi melancholici à medicamentis quàm facile irritati in cancrum degenerant, sed ea potissimum ratione; quod patiens in ea est ætate constitutus (agit enim trigesimum septimum annum) in qua ut plurimum succi atrabilares gigni consueverunt; At quod curationis difficultatem auget, ut fere ex hoc impossibilis evadat, est quod scirrhus veluti internus existit, atque via topicorum usu gaudere potest, quibus & illud accedit, quod purgatio succi peccantis per medicamentum catharticum summopere necessaria per locum fit affectum, à quo maximè abhorret vera medendi methodus; In id igitur saltem incumbendum, ne aliquid deterius contingat; & quod nunc infestat magis quam fieri potest imminuatur.

Quod assequi materiis præsidiorum Medico licebit, atque primum Chirurgicis, ex quarum ordine præter venæsectionem prius medianæ dextræ, deinde salvatellæ sinistræ: hoc tempore administrandam & fonticulos in brachio dextro, femore sinistro, tandemque ad spinæ caudam quamprimum inustos propono, atque ut fonticuli magis, ac magis prodessent, pilas in iisdem gestari juberem ex pulvere hellebori nigri, & agarici simplicis cum cera excepto paratas, extrema quoque fricari, vinciri, lavari aqua actu calente, ac jugiter ventosari vellem.

De pharmacis autem ita sentio, ut ad universalia, ac particularia redigantur, in genere priorum primo occurrunt quæ materiam genitam respiciunt, & sunt præparantia, & evacuantia. Priora erunt; quæ ex betonicæ decocto, boraginis, buglossi, fumariæ, lupulorum, agrimonii, cichorii passularumque & syrupis appropriatis fiunt; Posteriora vero, si sint evacuantia sensibiliter, ac primum lenientia, occurrunt tanquam accomodatiora syrupus de polypodio magistralis, & mel rosarum solvens; si sint purgantia per alvum, ab infuso hellebori nigri, & agarici cum electuario lenitivo, aut decocto Epit, aut syrupo de polypodio dicto, non est recedendum: quinimmo non semel, sed pluries hoc vel simili medicamento uti proderit, quocirca hellebori ejusdem præparati, tum pulvis succo rosarum pluries irrigatus, in umbraque siccatus, tum extractum ejusdem mihi plurimum arrident, hoc infusum myrobolanorum Indorum, & chebulorum in vino subdulci, necnon epitimi in sero caprino depurato, prout Dioscorides perbibet, est ut referatur.

Nec ab horum usu me abducit illud, quod, scilicet, per locum affectum non sit evacuandum, quoniam id ipsum in Medicina (ut dicunt) regulari, non autem coacta, qualis est, quæ nunc facienda proponitur veritatem habet: Accedit, quod utique per partem affectam evacuare conveniens est, ubi materia medicamento purgante deducta in ipsa non detineatur, sed statim educatur, eo purgantis genere, cui medicamentum aliquod robur addens sit annexum, & idcirco myrobolanos, Rhabarbarum, ac similia addere si opus fuerit, expediet.

Sed purgantia per sudorem, urinas, ac vomitum non despicienda, pro sudoribus ergo movendis præter syrupum Sancti Ambrosii vocatum, extractum cardui benedicti, decoctum chinæ, & salsæ, modicique guajaci, aliquot simplicibus diureticis temperatis, ac emollientibus, contracrisque temperatum, instrumentum ligneum ad sudores movendos paratum summis laudibus extollo: Pro ciendis autem urinis ab usu seri caprini infusionis anisorum destillari adjecto lacte sem. melonum non recederem, quo non conferente ad pulverem rubeæ tinctorum, ad species electuarii Justini adscendere non dubitarem. Vomitus si modo ad ipsum pronus, facilisve patiens fuerit, cupia cibi sæpius moveatur.

At si medicamenta evacuantia insensibiliter agant, Medicamentum aliquod ex viperis paratum, item jus galli antiquioris, simplicibus fere omnibus commemoratis medicatum, necnon ammoniacum cum lacryma terebinthi, utramque antidotum magnam, ac salem theriacalem ex conserva boraginis propinatum omnibus præfero.

Verum si medicamenta respiciant materiæ morbificæ generationem, potissimum ad viscerum alterationem diriguntur, quare gratia jecoris præter lac asininum, atque caprinum serum cum succo cicoreaceorum assumptum, thermas etiam frigidas bibitas de more probo, sicuti & perfusionem factam ad hypochondrium dextrum cum succo prædicto adjecto aceto, ac tandem balneum aquæ dulcis non improbo; gratia vero lienis forsan læsi usum tum trociscorum de capparibus, vel de agno casto, item & medicamenti ex chalybe assumendorum, tum ammoniaci in aceto dissoluti cum succo radicis cyclaminis, & oleo capparorum admovendi propono proficuum; postremo gratia ventriculi mastichem, nucem myristicam conditam omnibus præfero, urgenteque necessitate thermas calidas non vitupero, à quarum usu si aliqua noxa timeatur, licebit ex oleo communi, atque butyro clysteres injicere; Exterius pro eodem ventriculo convenit ceratum ex mastiche cum speciebus diambræ, aut etiam stillicidium stomaticum, prout decet paratum.

Topica post hæc occurrunt, & primum sub forma insessus, qui commode satis, vel ex oleo sem. lini, vel ex lotura lanarum, vel ex decocto herbarum emollientium, adjectis pinguedinibus, ac medullis poterit parari, quibus in progressum addere licebit oleum rutaceum, irinum, ac laurinum, licebit & incoquere herbam Nicotianam, radicem peucedani, cucumeris agrestis: pariter injicere prædicta medicamenta vel primo medicamentum filii Zachariæ, ceratum ex Oesipo, & diachilone gummatum, deinde ceratum factum dissoluta in vino decoctionis fœnugræci erit opportunum; sed mihi maxime placet injectio, quæ fit ex mucilaginibus altheæ, fœnugræci, sem. lini cum succo tabaci: Tentæ etiam ex lana, quam succidam dicunt, prædictis imbuta uti & glandes factæ ex pinguedine capræ, leonis, ursi: Medulla cervina, & gummi ammoniaco, bdellioque, ac pulvere radicum cucumeris agrestis, & florum tabacci inde non sine fructu usurpari poterunt; luta quoque Patavina, primum Divi Bartholomæi, deinde Sanctæ Helenæ quomodocumque administrata meo judicio mirifici erunt usus, quinimmo cum sciam ex his olea chimicè parari, illa propterea (sicuti & balsamum verum) injecta maxime efficacia futura prædico. Et quantum ad suffitum attinet statuo, dum frequens est usus patienti jam dictorum, licere etiam sibi per anum fumum recipere, qui tum ex lapide pyrite; vel molari ignitis ac aceto acerrimo aspersis, tum ex decocto actu calente simplicium dictorum facto in lotura lanarum, &

aceto, in quo lapides igniti fuerint extincti, excitatur.

Vivendi modum appoſitum non propono, quoniam ab excellentiſſimo curante appoſite ſatis ſuperque poterit inſtitui, ſolum illud admoneo, ut continuo patiens bibat vinum aliquod cum chioa, guajaco, boragine, buglosso, ac ſimilibus medicatum, & alvum ſibi lubricam clyſteribus emollientibus, paſſulis, ac prunis præparatis conſervet; Atque hæc ſint ſatis à me nunc propoſita pro ſalute nobilis viri, cui Deus utinam faveat. *Julius Cæſar Claudinus in Conſultationibus Medicinalibus.*

Obſervationes & Anatomicæ Inſpectiones.

De Alvi excrementis per genitalia ejectis.

Martini Jenneri, mercatoris apud nos, filia ſexennis manibus pudenda continuò fricabat, quæ ob tei turpitudinem à parentibus ſæpius corripiebatur, tandem ex fructuum horæorum intempeſtivo uſu in malignam incidit dyſenteriam, qua de cauſa vocor in conſilium, propino contra malignitatem & humorum acrimoniam pugnantia remedia, non neglectis ſubinde cordialibus & roborantibus, enema etiam ex abſtergentibus & conſolidantibus injici curo, quod dum applicatur, liquor enematis per pudenda rurſus effluere conſpicitur, territus ad inſolitæ rei hujus viſum patens, me advocat, & ut inquiſitem & edicerem cauſam obnixe rogat; accedens puellam tabulæ imponi jubeo, pudenda inſpicio, & velamento aliquo carnoſo illa ſubducta, ſicque clauſa eſſe animadverto, ita tamen ut ſuperne & inferne illius exilis intromitti poſſit, ubi exilia foramina, per quæ urina impetuoſe extrudebatur, conſpiciebatur; cum autem liberum effluxum urina non haberet, moram circa velamentum trahere opus habebat; acrimonia autem feri terentra loca obſcœna rodebat, & vellicabat, quæ cauſa erat frictionis pudendorum, eroſum tandem per moram longam ſine dubio ex illa actimonia inteſtinum rectum eſt, unde per alvum excernenda, per genitalia communi facto meatu exire conſpiciebantur. Licet autem natura viam apertionis & ſectionis monſtraret, nolui tamen propter inſtantia fata, ne acceleraſſe me eadem jure culpari poſſem: nam ſumma virium debilitas, & extremorum refrigeratio, quam ſudor colliquativus excipiebat, poſtero die in felicem ἀναλυσιν terminabantur. *Joannis Schmidii.*

De Excretione fecum per umbilicum.

Vocatus Haynam Miſnicorum, & Medicinam ad hunc uſque diem ibi faciens, Anno 1668. ex Gemellis ibidem natis, alter etat maſculus, qui duodecimo à nativitate die inſultu epileptico tentatus, idoneis tamen medicamentis reſtitutus, poſt tres aut quatuor præter propter Septimanas, circa umbilicum rubor quidam inflammationem minitans, ſine tumore tamen, in eo ſe prodidit. Applicarat Chirurgus emplaſtrum quoddam defenſivum, cotidie bis renovatum: Hoc tertio die remoto, umbilicus ſimul excidebat, & poſteà: præprimis alvo ſegniori, ſtercora per umbilici foramen patiens excernebat, nihilque per anum dejiciebat. Externis conſolidantibus umbilico læſo impoſitis, ſimul interna, nempe ſyrupi & clyſteres emollientes, laxantes, & inteſtina rupta conſolidantes alternatim adhibiti, conſociabantur. Hiſce continuo adhibitis, non ſolum excrementa per emunctorium ordinarium dejiciebat, verum etiam intra paucas ſeptimanas, coaleſcente iterum umbilico, infantulus reſtituebatur, excepto, quod cotidie guttulæ quædam aquoſæ in loco affecto ad hunc uſque diem, quo hæc ſcribo, exſudent; ſine ulla tamen læſione, rubore aut dolore. *Melchioris Fribe.*

Lapis in Inteſtinis.

Perilluſtris & Generoſiſſima Matrona Hildeſiæ vivens (cujus nomini conſulto parco) à pridie aſſumptis ex meo præſcripto pilulis è gummatibus Nobiliſſimi Sylvii præceptoris honoratiſſimi; altero mane cum excrementis lapidem extulbat ovi columbini formam referentem, in exteriore ſuperficie ſubcinereum, & dum à me clavo ferreo in duas æquales partes diffringitur interius inſtar cryſtalli albicantem & rutilantem, ita ut qui olim ex Ennii ſtercore aurum, hic colligere potuiſſet gemmas *Joh. Henr. Brechtfeldi.*

Inteſtina Sphacelata.

Viduus quidam literatus, J. S. Uratiſlavię degens, quadragenario major, melancholicæ, & dum viveret, valetudinariæ conſtitutionis, M. Februario Anni 1670. ſolito plus conqueſtus eſt de ructibus acteris, inappetentia & dolore Ventriculi, once non Renum & dorſi. Subſecutæ dehinc ſunt obſtructiones alvi, noctes inquietæ & ſæpe inſomnes, doloreſque obſcuri, gravativi circa illa, iiſque in ſiniſtro latere ſupra Ventriculum quaſi accedentes. Febris apparuit nulla, major tamen nonnunquam ſub veſperam, quam interdiu, Lumborum dorſique incaleſcentia. Urinæ pallidiores plerumque & craſſiores deprehenſæ, cum ſedimento copioſo, nonnunquam tartareo rubro, ſæpius albo, mucoſo, pulſus indies debilior, ab initio tardior, verſus interitum celerior. Supervenit his omnibus Vomitus ſanguinis nigricantis in grumos majores tenaciſſimos maximam partem concreti; qui cum intra triduum copioſior aliquoties rediiſſet, Ægroto, exhauſto virium theſauro, lipothymias frequentiores, ipſamque demum mortem, quam die 6. Aprilis beate obiit, acceſſivit.

Ut itaque tot Symptomatum cauſa inquireretur, permiſſu ipſius Agnatorum, cadaver aperire conceſſum fuit, quod etiam factum præſentibus Viris Excell. D. Godofredo Tileſio, Ph. & Med. D. & Phyſico Uratiſlav. meritiſſimo, & Dn. Phil. Jacobo Sachs a Leuvenheimb, phil. & med. D. & Practico ſamigeratiſſimo, Amicis meis honoratiſſimis, qui ambo ultimis diebus mecum Ægri curam habuerant, Sectore Do. Franzio, Chirurgo noſtro induſtrio.

In aperto Corporis demortui Abdomine atque Thorace ſequentia ad partem affectam, cauſaſque morbi & mortis inprimis facientia, occurrerunt notatu digna.

(1) Pinguedo quidem ſat multa ſub cute per totum corpus diffuſa;
(2) Muſculi vero Abdominis & Thoracis exeſi.
(3) Cor nihilominus obeſum ſatis, durinſculum, compactum, beneque conſtitutum, Sanguine vacuum,

(4) Pul-

(4) Pulmones quoad colorem quidem à naturali statu parum differentes, flavidi tamen & exsangues, horumque lobus dexter interior versus dorsum Thoraci annexus.

(5) In Ventriculo nullus Sanguis, tunicæ bene constitutæ.

(6) Lien justæ figuræ, magnitudinis & coloris.

(7) Mesenterium non glandulosum, sed una cum Pancreate naturaliter constitutus.

(8) Hepar admodum magnum, totum obvolvens ventriculum, admodum pallidum, totum licet Sanguine vacuum, ponderans tamen ponder. Medic. ℔. iii. ℥. viii.

(9) Vena portæ versus hepar Sanguinis exhausta.

(10) Intestina in sinistro latere ferme bene constituta, quæ vero in dextro, livida, nigricantia, sphacelata, Vasaque meseraica in intestina desinentia sanguine nigricante turgida.

(11) Intestini coli pars superior in sinistro latere supra Ventriculum inflata, qua vero deorsum vergit incisum, sanguine concreto fæculento, nigerrimo, instar picis, quale vomitu rejecerat Ægrotus, admodum repletum.

(12) Renes pallidi & flavidi, inque dextro horum materia multa tartarea, & circa infundibulum calculus instar fabæ minoris:

(13) In sinistro vero major & albicans calculus, pondere scrup. V. fig. & magnitudine cordis avium oblongiore tornata, multæ materiæ seroso-lacteæ, quæ una cum plurimis particulis tartareis, instar calcis, per totam Renis substantiam dispersa erat, quasi innatans.

Mirum, quod viscera lienis, pancreatis, Hepatis cum suo felle, Ventriculusque in hoc corpore omnia deprehensa fuerint sana & naturaliter constituta, cum tamen Ægrotus per totum vitæ spatium, pallidus, & tristis incesserit, solitariamque & sedentariam vitam amaverit, omniumque Medicorum consultorum sententiâ Hypochondriacus audiverit.

Nec minus mirum, intestina illius sphacelata fuisse sine prævlis doloribus Abdominis, sine prævia Febre manifesta. Conjectura est, Sanguinem melancholicum, acido austerum inhabilem quidem ineptumque fuisse ad concipiendum subitam & magnam fermentationem & exæstuationem febrilem, nihilominus tamen, forte ab errore diætæ excalefaciente intra morbi decursum commisso, in tantum irritari & commoveri potuisse, ut per vasa mesaraica (hæc enim versus intestina repleta, versus hepar vacuefacta apparuere) ad intestina successive confluxerit, hisque sphacelum, misello vero mortem attulerit. *Friderici Ortlobii.*

Vulnus Intestinale periculosum feliciter curatum.

Anno 1676. Dominicus Simeoni Patavinus, annos natus xxvii. unus ex palatii apparitoribus, amicum quemdam suum litibus obrutum è castello Baldo, Patavium inter & Ferrariam sito, educere cupiens, quem à lictoribus conquisitum noverat, breviori via summaque diligentia eo concessit. Supervenientibus lictoribus quatuordecim, inclusi tres, portas apprime obseratunt, aditumque fortiter negaverunt. Explosa utrimque sclopeta lictori uni vitam eripuere, duos alios graviter vulneravere. Castelli dominus & ipse globo transfixus occubuit: Noctis beneficio aufugit amicus ille, ob quem exorta erat rixa. Solus remansit Dominicus, qui pulvere pyrio destitutus, hostium numero cedere coactus est, in latentis & corpus antrorsum submittentis abdomen, sclopetum majus (quod archibugio Itali nuncupant) explosum. Lictores actum esse de illo opinabantur, quem paulo post spirantem adhuc cernentes, in curru collocatum, Patavium reduxerunt. Magistratus indulgentia, Dominico saucio in ædes suas deportari concessum est, quem brevi in carcere periturum magna erat conjectura. Medicorum habito consilio, desperata fere omnia censebantur. Vulnus maximum in epigastrio dextro non procul ab umbilico, disrupti, præter tegumenta, tendines musculique, rectus, transversalis & obliqui, ingens αἱμοῤῥαγία, dejectiones supernæ infernæque, frequens syncope, prostratæque vires, ut ægro, sic Medicis spem omnem præscindere videbantur. Nunquam tamen omnino deserendum esse ægrotantem, dubiamque spem certa desperatione potiorem, & hoc confirmat exemplum. Quippe quinto morbi die, per alvum una cum fæcibus à clystere sollicitatis, in pelvim excidit globulus, tragœdiæ instrumentum. Longior non ero in enarranda cura: Sæviora abhinc cessavere symptomata; atque post unius mensis periodum plane liberatus est æger. Non deficientibus miraculum esse censent hus, benefici erga amicum animi pretium! At Medicis opera Naturæ curiosius scrutantibus alia via procedere expedit.

Perpendatur imprimis quæ à deciso globulo oritur maxima difficultas: Quo modo is in intestinum penetravit? quo modo & hoc sanatum est? Qui enim fieri posset per podicem dejici quod intestina non subiisset? si subierit, intestino perforato quænam fuit Medicina? Hanc cœlo delapsam interpretentur qui ulterius inquirere fastidiunt. Intestinorum qualiacunque illa sint, sectionem periculosissimam esse docent Authores, ratio & experientia. Crassa vix sanantur, Tenuia nunquam; ita Hipp. aph. 18. & 28. sect. 6. ἢ τῶν ἐντέρων τι τῶν λεπτῶν. Nulla prorsus facta fuit ἐντεροῤῥαφία. Ergo concludere licet ter profundum vulnus, Naturæ providentia agglutinatum fuisse, ut non immerito corpus nostrum innato balsamo sibi proprio refertum credatur. Quod majus est, nihil consutum fuit, neque cutis, neque musculi, neque tenuis illa membrana, nervosa atque exanguis, quæ vix araneæ telam mole superat, περιτόναιον nuncupata, sed omnia tam cito coiere, ut fidem superet. Nihil perinde incommodi reliquum fuit. Observatum in omnibus Galeni præceptum, Meth. l. 6. c. 4. excepta sutione, quæ inutilis censita est: Excisa intestina cum omento, in suum locum recondita sunt, medicamenta imposita, & ne qua præstantior pars simul afficeretur, quantum fieri potuit, prospectum.

Multos audio dicentes globum præter musculos non penetrasse, ac inter adiposam abdominis molem latuisse, donec tum suo pondere, tum etiam Naturæ vi, in imas ejus partes collapsus fuerit. Esto, nec tamen patet ad exitum via: An deinde globulus in capacitatem intestini penetravit, absque substantiæ deperditione? quo modo reparata illa fuerit? Qui fæces, ne foras prosilirent, coercitæ? Quid factum de sanguinis copia in abdomine sparsa, disrumpentis concutientisque globuli vi? An & hæc per disruptum intestinum

effluxerit ? Obſervationes huc referat quamtumvis curioſiùs, à Schenckio ſcriptas, l. 3. de acu, cultro, aliiſque per diverſas à naturali vias excretis, aut alienis humoribus per inteſtina deductis: Naturam continuo beneficam innumera producere liquet arti non expectanda, imo ne ſperanda quidem. Hinc Gal. monente, l. 3. de criſibus, Generoſus Med cus neque difficillimis caſibus terreatur. Celſus ad id. temeritatem aliquando efficere docet in morbis, quod prudentia nullo modo tentare deberet.

Ego quidem ad hujus rei conjecturam nec à temeritate præſidium invenio. Si Dominico ſuperſtes fuero, ab eodem vitam adhuc agente, venia jam accepta, ſcrutabor in ejus inteſtinis, ſi forte tam prodigioſæ valetudinis latentem modum dignoſcere potero. Interea ſi vobis, viri Eruditiſſimi, aliquid occurrat quod propoſitæ difficultati ſatisfacere queat, pro veſtra & in Collegam benignitate & in rem medicam ſtudio, mihi palam eſſe facturos & ſpero & rogo.

Inteſtinorum aliquod à globuli exploſi impetu fuiſſe hic læſum, vix dubitandum eſt; neque enim credibile eundem tam parvo temporis ſpatio, nec ſingulari aliqua violentia externa protruſum, cuniculos per tot illæſas partes, etiam ſatis craſſas & membranoſas: agere potuiſſe, ut quinto morbi die jam inteſtinum rectum ingreſſus fuerit: Symptomata etiam graviſſima non levius aliquod vulnus cutem tantum penetrans, ſed altius progreſſum, & in ſpecie dejectiones illæ ſupernæ infernæque &c. ipſorum inteſtinorum aliquod læſum ſatis indicare poſſunt. Neque ullo modo obſtat Hippocratis authoritas, multiplici ejus experientia procul dubio firmata, in aphoriſmo 18. ſect. 6. ab Exc. D. Authore citato: oti enim Coum noſtrum lethalia ſæpe dicere vulnera, quæ utplurimum, non ea neceſſitate & ſemper ſunt talia, alibi in hoc Libro ea Galeno fuit notatum, atque ipſe etiam lib. 2. Prorhet. vulnera, quæ magnam quidem perniciem adferunt; non eam tamen, ut, ceu ipſe ſe explicat, nemo ea his ſervari poſſit, recenſens, inteſtinorum quoque, nullo inter tenuia & craſſa facto diſcrimine, quæ ſunt, eis adnumerat. Dum vero Coac. prænot. 503. & ſect. 6. aphor. 24. ea tenuibus ſi quod diſſectum fuerit, non coaleſcere ſcribit, partim de vulneribus utplurimum, ceu dictum, taliter ſe habentibus, partim etiam de magnis diſciſſionibus interpretari debemus; prout ipſe quoque §. ſeq. 509. Coac. prænot. cum mortem prædixiſſet in inteſtino aliquo, ſive craſſo ſive tenui, vulneratis, ſi nempe per tranſverſum fiat plaga & magna: ſi vero parva & tecta, quoſdam evadere edicit. Nemo itaque amplius, inteſtina vulnerata mortem ſimpliciter inferre ex Hippocrate evincet. Neque aliud nos variorum docent obſervationes, qui tam craſſorum, quam tenuium inteſtinorum, vulnera ſanata viderunt; illorum ex gr. ſpecimen ſuggerentibus Nicol. Tulpio lib. 3. obſerv. Med. cap. 20. & Joh. Riolano in app. Sim. Pauli tr. de febb. horum Ephemeridibus noſtr. Curioſ. Ann. 1 ? ?. obſ. Jacob. Seidelio obſ. Med. 5. Joh. Heurnio in comm. ſect. 6. aph. 18. Hipp. & Jacob. Hollerio obſ. prope 17. nec non Comm. in cit. aphor. Conferatur etiam hiſtoria ab Ambroſ. Paræo lib. 24. Oper. cap. 19. memorata, nec non alia huic Authoris admodum ſimilis, quam Franc. Dalleriola lib. 4. obſ. 9. conſignavit. Unde etiam quodcunque tandem inteſtinum in hoc caſu globulus tranſfixerit, licet vel ipſum jejunum id fuerit, ceu quidem ex denominatione loci percuſſi, ſcil. epigaſtrii dextri non procul ab umbilico, quo nempe in loco illud naturaliter ſitum obtinere ſolet, nobis conjecturare licet, ſalvum evadere potuiſſe ægrum, non adeo eſt incredibile. Videri quidem hîc poſſet, ſcrupulum injicere metuendam chyli ex vulnere iſto in cavitatem abdominis effuſionem, quam olim non nemo pro ſtabilienda ſimilium in tenuibus inteſtinis vulnerum lethalitate publice in medium protulit, ita ut æger neceſſario nutrimento, in ſanguinem & ad ſingulas partes derivando, orbatus perire neceſſe habeat: aſt (ut taceam, quod ipſa læſæ partis glutinatio, de cujus utpote impoſſibilitate nullum penitus argumentum producitur, exitum illum chyli impediat, ſi quem vero egredi detur, ſicque conſolidationem is retardare queat, eandem tamen omnino inhibere minime valeat, cum chylus non continuo à ventriculo ſuppeditetur, perque inteſtina permeet,) ſi in ſuperiori parte inteſtini, & quidem ita in corpore à natura locati, ut tranſverſum ſitum obtineat, plaga infligatur, ille chyli ex cavitate iſtius prolapſus non adeo prompte aut copioſe contingit, ut mortis periculum, ob defraudatum corporis alimentum, inde ſit metuendum. Galenus quidem lib. 6. Meth. Med. cap. 4. jejunum omnino incurabile eſſe adſerit, tum propter magnitudinem multitudinemque vaſorum, tum quod tunica ejus prætenuis nervoſaque ſit, bilemque inſuper ſinceram univerſam recipiat, & jecinori omnium maxime ſit vicinum. Verum quod attinet 1. magnitudinem multitudinemque vaſorum, ſcrupulo huic ſatisfecit Heurnius, plerumque calamitoſum eſſe, l. c. ſcribens, ſi inteſtinum tenue ea parte vulneretur, qua meſenterium attingit, ob venarum eo venientium magnitudinem, quæ plurimum ſanguinis fundunt; id quod in parte oppoſita non adeo eſt metuendum. 2. ipſe Galenus Comm. 6. aph. 18. tunicæ tenuitatem & nervoſam naturam quodammodo impugnat, dum verba faciens de omnibus tenuibus, inteſtinorum tenuium naturam non parum participare ait carnoſæ ſubſtantiæ, ideoque in ſumma parte vulnerata ſæpius conglutinari, tota autem diſciſſa uſque ad eorum cavitatem, non quidem nunquam, ſed tantum rariſſime; hoc autem, addens, non tam propter eorum ſubſtantiam mihi videtur accidere, quam quod non poſſimus æque intrinſecus ſicut extrinſecus medicamenta vulneribus imponere. 3. Bilis in inteſtino jejuno jam acredinem ſuam, qua vulneris unionem impedire poſſet, depoſuit, videlicet tam à lympha pancreatica &c. quam ipſo inprimis chylo acidulo alterata, atque ita in ſincera ſua natura multum immutata; ſic ut humorem viſcidum è glandulis inteſtinalibus egreſſum, aut etiam ſerum nutritium ex diſciſſis arteriolarum oſcillis exſtillans impedire minime valeat, quo minus tenacitate ſua vel glutinoſitate, ſive balſamica, ſi ita loqui liceat, virtute, ceu ſarcocolla aliqua, vulneratæ partis labia, ab aere externo improportionato, vulnerum ſanationi non parum contrario, ob intimiorem, quem occupat, in corpore ſitum, ſic ſatis immunia, & poſt vulnerationem, dum aer in cavitate inteſtini prius contentus ex hiatu egreditur, concidentia, ſicque propius ad invicem accedentia, conjungat, iſtamque continui ſolutionem ita reuniat; quod denique 4. de vicinia hepatis dicitur, quomodo in conſiderationem venire hîc queat, penitus non video. *Caroli Patini.*

De Ilei vulnerati curatione.

Vocatus ante decennium ad Sartoris conjugem, cui maritus cultro vulnus inflixerat in hypochondrio dextro ſupra Os Ileon intempeſtiva nocte.

Vulnus

Vulnus obligatum est, mane dum Chirurgus, Nicolaus Reinhard, Emplastrum removet, fœces alvinæ subsequuntur, dilatato parumper vulnere apparet Intestinum Ileum læsum, placuit in casu desperato periculum facere, nec ægra 25. annorum dolores recusabat, modò vita donaretur, intestinum caute acu alligari cuto cuti, recentisque laridi lamella interposita, ut fœcibus alvinis pateret transitus cutem jungere jubeo, quod & factum, potionea præscribo vulnerarias, quibus ad stuporem curata est, binosque enixa est liberos annis sequentibus: cum de valetudine ipsius nuper quæterem, satis cessisse anno proxime præterito accepi. *D. Marchanquez.*

De Intestino Colo vulnerato cum Hypogastrio vulnerato coalescente.

Quod Natura sit morborum medicatrix, nemo nescit, & in hoc exemplo manifeste apparet. Anno M. DC. LXXII. die 12. Februarii, Servus à stabulis Illustrissimi Do. Do. Comitis Schillhard, &c. temperamenti sanguinei in taberna inter compotandum à quodam studioso, circa tertiam lumborum vertebram ex parte dextra à tergo, gladio quadrangulari per initium intestini coli & hypogastrium versus ilia sinistra transfixus, in domo ejusdem Illustr. Dn. decubuit. Curam ejus sedulam Chirurgus suscipiens illum deligavit: altero die amota ligatura, excrementa per vulnus hypogastrii exivere, & hac via alvi instar natura se per dies novem exonerare conabatur, quod in quavis deligatione apparebat: quo etiam tempore, alvus suum, omnino per glandes solicitata, præstitit officium; tandem decimo ab accepto vulnere die, per alvum copiosa dejecit, animo alias præsens; ad omnia oblata bene se habere visus est, nihilominus decimo sexto die fatis cessit. Ut lustrationi adessem, Chirurgus ex me petiit, quod etiam lubens præstiti. Apertum abdomen tetrum odorem spiravit, nam fœces per vulnus intestini coli in cavitatem illapsæ, intestina corrupta & gangrænosa reddiderant, vulnus vero intestini coli, sive labia illius, cum labiis vulneris abdominis in unum ita concreverant, ut cultello ad separanda ab invicem opus fuerit: & si cavitas abdominis ab hac sentina libera & expurgata primis diebus fuisset, ægrum evadere potuisse, una mecum adstantes affirmabant, nec desunt tales casus. Similem fere casum proponit D.D. Franciscus Bouchardi, Anno III. Ephem. German. Observ. 8. qui videatur. *Simonis Aloysii Tudecii.*

Intestini coli pars per triennium & amplius ab abdomine pendula, ambulationem non impediens.

Mihi Lutetiæ Parisiorum anno 1661. degenti, juxtaque Theatinorum Templum fortuito progredienti, Mendicus occurrit quidam, è cujus abdomine prominens intestinum cum animadvertissem; illum propositæ stipi plus satis audientem, seorsum exegi, remque tunc ad libitum explorans, è sinistri Renis & Umbilici loco propemodum intermedio, pendulam Intestini Coli partem semipalmo longiorem comperi, cujus fæcibus identidem excipiendis appensam ille lateri scutellam aptarat; hic peristalticum ipsius intestini motum multoties observare licuit, adeo ut palmi longitudine modo protendi, deinde vero crassiorem in trunculum cogi, fæcibus nimirum excretis; videretur; nulla tamen ex parte (quod ego peculiariter demirabar) introrsum recondebatur: Interrogatus homo num ullis adhuc muniis anus fungeretur? num multis torminibus afficeretur? peculiare quid aliud in se ipso pateretur? ubinam gentium & quo pacto fuisset ita confossus; respondit, anum quidem omnino vacare; colicis vero doloribus, primo frigidioris alimenti, vel aeris occursu se torqueri, (unde luridus illi, mehercle, vultus) proindeque tegumento quodam ad id efficto scutellam ac intestinum, pro re nata, accingere & obvallare; nec nisi in dorsum paulo magis erectum commode decumbere posse; quoad alias functiones belle se satis habere. Cæterum in Anglica nave jam ante triennium militantem, majoris catapultæ glande, sinistrum circa Renem (ubi magna superetat cicatrix) trajectum ita fuisse. Rem hancce Clarissimo undequaque Viro domino Goidoni Patino Doctori Medico Parisiensi, Professorii Regio, Præceptori olim meo amicissimo, præsentibus, qui mecum viderant, aliis compluribus postridie narravi. *Franc. Bouchardi.*

De Gangræna intestini recti.

Anno 1673. die Augusti 10. vocatus sum una cum Antonio Stattlender, chirurgo ad Magnificum Dn. Burgravium Regium & Proconsulem L. N. annos natum 65. qui de dolore ani seu intestini recti, maxime circa dejectionem fœcum alvinarum jam à sesquiseptimana continuante conquerebatur: hic autem quotidie intensior factus, cum prædicta die lecto affixum domi detinuit. Eadem die & 11. Augusti, hora quarta vespertina febriculam percepit: urina erat admodum rincta & nonnihil confusa, pulsus celerrimus, calor ad tactum intensissimus, sitis maxima, hinc dolor partis affectæ, qui noctes diesque durans, omnem cibi appetitum prostravit & somnum cum magna inquietudine ademit. Chirurgus affectum locum cum inspexisset, invenit inflammationem insignem cum tumore ab intestini recti parte circa orificium vesicæ ad exteriora vergentem, sed cum speculum ob dolores Magnificus admittere nollet, iste omnia manibus tractare necessum habuit. Cum vero ante tres septimanas Magnificus Proconsul purgatione solita, hucusque ob publica negotia dilata, usus esset, & ante duodecim dies venæ sectionem satis largam instituisset, vitiumque languor insignis adesset, julepis tantum & aliis alterantibus atque corroborantibus, tam internis, quam externis pro virili optime ei succurrimus: sed inflammatio indies majus incrementum sumpsit, viribus interim corporis summe deficientibus. Die 14. Augusti, post applicationem enematis (cujus emolumentum jam semel expertus est, ejusque repetitionem ideo petiit) gangræna ex interiore intestini recti parte versus scrotum, (quam ominabamur) in conspectum veniebat. Ista, licet linimento magistrali Hildani & spiritu vini camphorato ei satis prospiceibatur, in horas crescente & scrotum occupante, tantaque succumbente die 15. Augusti hora media sexta vespertina Magnificus Dn. Burgravius placide in Christo expiravit. Notandum hic, quod jam à tribus circiter annis Magnificus Proconsul à dolore atrocissimo in sinistra parte faciei circa maxillam & oculum maxime infestabatur, qui quidem assumptia quolibet vere & autumno medicamentia purgantibus solitis aliquantisper remittebat, sed iterum mox revertebatur: qua de causa ipsi suasi,

suasi, ut fonticulum in brachio ejusdem lateris admitteret, sed frustra. Præterea sæpissime eidem molestus fuit totius corporis, præsertim autem superiorum partium, pruritus cum pustulis quibusdam, cujus gratia frequentes scarificationes, & quolibet vere semel venæ sectionem adhibebat: quæ autem symptomata, post inflammationem in Intestino exortam, penitus evanescebant; scilicet metastasi acrium humorum à capite ad inferiora & imprimis intestinum rectum facta. De quibus vide sis Stephanum Rodericum Castrensem in libello. Quæ ex quibus, dicto, cum primis libri 2. cap. 2. 3. &c. pulcre & docte disserentem. *Simonis Schultzii.*

De osse maxillæ Rhombi piscis ex intestinô viri alicujus extractô.

Jacobus Joosten, vir mediæ ætatis, dolore sensim aucto, afficiebatur circa intestini recti extremum, cum suppressione alvi & febri gravissima, pluribus, hinc inde ministratis, frustra usurpatis, quod hæmorrhoidibus internis ipsum vexari persuasissent alii, nos advocari voluit.

Accedentes, in parte ipsam, quam doloris, summi subjectum dicebat, nec inflammationis, nec tumoris indicia ulla observabamus, ne, in te licet incerta, nihil egisse videremur, linimentum hoc præscripsimus.

℞. Unguent. popul. rosar. an. ℥ß. olei rapatum ℥i. M. F. linimentum.

Nihil hujus usu effecimus; quod excretio alvina tarda valde atque molesta, imò materiæ purulentæ cui sanguinis plurimum commixtum, hoc enema, injici curavimus, ad doloris mitigationem valde conveniens.

℞. Decoct. emollient. ℥ix. olei mucag. amygdal. dulc. an. ℥i. unguent. popul. mell. rosac. an. ℥j. M. F. Clyster.

Podici applicatum hoc cataplasma.

℞. Micæ panis albi, farin. hord. an. ℥ii. mucagin. cydoniot. ℥i. unguent. popul. ℥ß. croc. Britann. gr. xxi. vitell. ovi num. 1. M. F. Cataplasma.

Tantum hæc profuerunt, quantum profuissent siquidem pulvinari fuissent applicata: Febris interim, dolor, vigiliæque, hinc quærelæ, magis magisque increscebant. Pharmacopœi servus qui applicaverat Enema, aliquod corpus durum occurrisse sibi, ubi fistulam atte imponere laborabat, per quam injiciendus clyster, referebat; hoc audito necessarium duximus digito in anum immisso an aliquid loco en bæteret aut præternaturalis quædam constitutio intestini recti adesset, explorare; quamprimum digitus in anum immissus occurrebat substantia illa dura, cujus mentionem fecerat pharmacopœus, hæc extracta mandibula erat piscis illius quem Belgæ vocant Eenschol, btonchi sub branchiis hærens; eam ante octiduum se avidius pisces tales comedentem deglutiisse, ante actorum jam memor, referebat æger, imo cum dolore ventriculi, intestinorumque gestasse.

Ablato hoc ossiculo (quæ ablatio non sine dolore peragebatur, eo quod transversum non solum situm obtineret, sed & utrinque lateribus intestini firmiter inhæreret, unde symptomata dicta exorta) illico symptomata omnia remiserunt, febris scilicet, dolor, excretionis alvinæ suppressio, vigiliæ continuæ, somnus econtra inductus placidus.

Parti affectæ applicavimus turundam melle rosaceo cui Aloes aliquid mixtum, inunctam. Et integre convaluit.

Similis fere casus occurrit aliquando Medico hujus loci celeberrimo Dn. Arnoldo Tholinx, nisi quod hic intestini recti circa plicaturam exulceratio accederet, & Chirurgus frustulatim, duas scilicet in partes forficis ope divisum ossiculum, extrahere coactus fuerit.

Gravius obvenit ægrotanti illi, qui referente nobis Collega nostro Dn Daniele Floriano, curæ Rogetii Bernardi olim Nosocomii chirurgi ordinarii subfuit, in quo ossiculum simile, gravissimo cum dolore, per lumborum inferiora, ulcere intercedente magno, prodibat. *Job. à Meekren in Observat. Medico Chirurgicis.*

De intestini tenuis vulnere.

Anno 1678. Vir nobilis ... & robustus, annos circiter natus 21. cum Galli & Lotharingi, aliquandiu excubias contra invicem agerent, gravi vulnere gladii punctim ictus; ex illorum exercitu, ad nos advectus fuit, ut pristinæ sanitati restitueretur, sedulam hunc ob finem operam ipsi locante chirurgo solerti Claudio Passavantin: denudato & ampliato tantisper vulnere; quod admodum angusti oris primum fuit, in abdominis cavum illud vergere deprehensum fuit, medicamentisque hac convenientibus illi prospectum: mox suspicio de intestini tenuis læsione Medicorum Chirurgorumque, quos ad ejusmodi vulneris spectaculum ille invitavit, animis inhærere cepit, nec fefellit eventus, subsequentibus enim diebus quoties fere vulnus denudabat, materia chylosa evidentissime profluxit, & in linteolis vel plumaceolis conspici poterat, adeo ut una de vasculi lactei punctura, chylo puto ita extillante, indicia certissime depromere potuerimus; Instituta exactissima diæta, qua Ægrotus ipse pejorum symptomatum adventum elusit, & adhibitis vulnerariis convenientibus, singula feliciter cesserunt. *Joh. Jacob Harderus Observationum Anatomico-Practicarum libro.*

Intestini à lumbricis perforatio cum tumore subitaneo in inguine dextro.

Vir 50. & quod excurrit annorum, sanus & incolumis, uti sibi quidem videbatur, d. 11. Aug. 1683. cum tota d. strenue desudasset in vineis, domum redux de atrocissimis torminibus ventris conqueritur, quæ excepit illico horror & calor inguinisque intumescentia, paulatim ita adaucta, ut femoris partem anteriorem & superiorem maximopere occuparet tumor, qui primum renitebatur, aliquot autem dierum spatio, instar vesicæ humore distentæ sua sponte ruptus fuit, ichoremque primum subatrum, hinc viridem, & deinceps purulentum, f. magis fæculentum copiose fudit, transudante primum sero tenui glandularum, mox hinc viis magis apertis, una materia fæculenta: materia quoque saniosa inter musculorum femoris interstitia collecta, illis pressis acervatim erupit: accersitus Chirurgus illius loci, medicamentis putredini resistentibus ac detergentibus sedulo pugnavit, nostram autem mox implorare jussit operam: Vocati d. 25. ejusd. sub vesp. mali faciem intuiti sumus, quam satis horridam deprehendimus: ex inguine enim dextro, pone scrotum, materia fæculenta, ubi tantillum premebamus, tenuis & graveolens, prodiit, reculitque

satis

Chirurgus, ex eodem antro (quod vulnus dilatatum satis non erat) triduo ante lumbricos sex se extraxisse: pridie etiam cum uvas comedisset ægrotus, semina earum per foramen dictum excrevisse, atque ab hoc tempore fæces per alvum dejecisse amplius: nec minus femoris interiora à massa serpente fuerunt erosa, foraminibus sinuosis hinc inde conspicuis: Facta incisione scrotum versus, ut mali exitus pateret magis, fæces liquidæ, cum sibilo & strepitu ex intestino evidentius prorumpebant, hujusque perforationem labiis vulneris sensim remotis, postridie magis patulam fore prædiximus, Interim seq. usum præcepimus: Chirurgus ter de die vulnus calidiuscule lavet cremore & sero lactis caprilli, cui immista sint sangu. dracon. subtiliss. & myrrha cum mastich. inde balsam. vulnerar. quod præscripsimus, moderato caloris gradu vulneri instillet: plumaceolisque eodem irroratis intestinum obmuniat pro viribus: ægrotus autem singulis diebus m. hauriat cyat. lact. caprill. cui sanicula consol. sarac. veron. & alchimill. fuerint incocta: borula v. post ut & sub 4. vespertin. dosin capessat pulv. vulnerar. ex radic. symph. fl. hyperic. corall. sangu. dracon. v. &c. paratum: Extractum quoque verxon. cum sanguin. dracon. in pilul. concinnatum sæpius exhibuimus. Postridie nunciari jussit Chirurgus vulnus jam magis patere, & post discessum meum sub vesp. lumbricum denuo se extrahisse: triduo post cum ægrum inviseremus, satis bene habebat, appetitus constabat, non nauseabundus erat, nec siticulosus, pulsus blandus & æqualis, fæces etiam per alvum jam excernebantur, at non diu substiterunt ista, quin pristin. symptomata ingruerent, ægerque viribus fractis lenta morte consumeretur.

Notatu dignissimum est Venerandi Hippocratis l. VI. Aphorism. 18. & 24. effatum: *κύστιν διακοπέντι ἢ ἐγκέφαλον, ἢ καρδίην ἢ φρένας, ἢ ἔντερον τι τῶν λεπτῶν, ἢ ἧπαρ θανατῶδες*: item *ἐντέρων ἢν διακοπῇ τῶν λεπτῶν τι, οὐ ξυμφύεται* quæ ipsa confirmat Coac. 509. istius modi autem periculum imminet, non modo quod intestina tenuia membraneæ partes sunt, & nerveæ sensilea, quæ facile non consolidentur, sed subsequentibus gravissimis symptomatis enecent, verùm quia cum vasis sanguiferis tenuis copiose instructa sunt, quibus hinc à vulnere profundiore læsis, hæmorrhagia nociva succedit, tum etiam ob motum peristalticum, cui ob chyli absolutionem solenniter vacant, latera vulneris difficilius agglutinantur; enim vero uti beneficio succi nutritii, sive particularum balsamicarum agglutinabilium, ceu balsamo quodam partes separatæ reuniuntur, ita vicissim mora & quies partium ad isthoc operis feliciter perficiendum requiritur, ne dictæ nutritiæ particulæ distrahantur & in cavum inaniter effundantur: atque hinc esse potest, cur vulnera crassorum intestinorum ita periculosa non sint, curamque facilius forte admittant, crassiore eorum substantia non rejecta: nec enim ea vasorum copia est, neque etiam jugis ita ipsorum motus, nonnisi fæcibus blande versus anum protrudendis emancipatis, cum contra illa motu sursum deorsumque officio suo defungi necesse habeant, istis aliquandiu feriantibus: Docet nihilominus experientia, vulnera tenuium leviora, fuisse curata, idque ipsum historia prior confirmat, quæ vasculi lactei puncturam simul commonstrat: graviora certe hæmorrhagiæ, aliorumque symptomatum, de quibus in histor. altera) absentia vulnus ibi superficiarium magis fuisse persuadent: Excellentiss. vero Patinus Anni 1. Dec. 2. Ephemerid. Observ. 20. meminit Dominici Simeonis Patavini à vulnere intestini li, globulo sclopeti inflicto periculosissimo feliciter liberati, solent quoque in gravioribus vulneribus, aliqui *ἐντεροῤῥαφὴν* instituere, labiaque intestini separata ad invicem adducere: commodum autem ista non semper succedit: attamen si de corpore & massæ præprimis humoralis *εὐθενία*, atque intestini crassi robore certi fuissemus, ejusmodi quid in quinquagenario nostro tentassemus, contrarium verò nobis tacici colore, copiosis lumbricis &c. imperantibus, remedium istud reluctantibus adstantibus ultro adhibere noluimus: Felicior isthoc fuit Mulietcula, cujus mentionem facit Clariss. D. D. Haesbaert, Societ. nostr. Rhases, cui post atroces cruciatus ex aperto in inguine tumore, lumbrici duodecim prodiere, & quamvis adjectum non sit utrum ex intestino perforato proruperint, tormina nihilominus & abdominis cruciatus, de istius labe satis testari posse videntur: quandoque etiam labia vulneris exterioris clauduntur, interioris necdum consolidatis, indeque funesto cum extra tumore recrudescente: interdum ex tumore in inguine suppurato, & materiæ acrimonia, ulcus fistulosum subnascitur, cujusmodi historiam heic inserere operæ pretium faciemus, puella 14. annor. circiter, quam cum B. m. Glasero in nosotrophio sæpius invisimus, adhuc in tyrocinio constituti, tumore in inguine dextro vexata, ex materiæ suppurantis acrimonia, tandem ulcus fistulosum incurrit: cum totius corporis cachexia & emaciatione paulatina: plurima tum in usum vocata fuere remedia vulneraria, antihectica & analeptica, sed in cassum: sæpius quoque de intestini crassi erosione (quod materia effluens gravi fœtore nares feriebat) præfat. Vir Celeberr. Chirurgo ordinario verba fecit, quia autem fæces ejusmodi, nec semper nec æque distinctæ videbantur, lis indecisa perstitit, donec rore vitali prorsus absumpto, ac spiritibus exstinctis, ægra inter vivos esse desiit: sectioni, cum ob negotia urgentiora Beatus Præceptor noster adesse non posset, aliquot nostrum, è quibus Excellentiss. D.D. Matthæum Harderum nominamus Amicum honoratiss. cum Chirurgo vacarunt, deprehendimusque præter viscerum omnium labem ac corruptelam, intestinum dictum, reapse erosum, effluente simili, cùm premeretur, materiâ, quam cum viveret misella, alvus reddidit, Non raro etiam Bubonocele, ejusmodi sub tumoris in inguine specie occultatur, cujusmodi in ancilla quadam vetula notavit sæpe laudatus Sponius, quæ præ pudore affectum diutius celans, cum tandem Chirurgo communicavit, qui hinc Bubonem præsto esse ratus, suppurantia imperite adhibuit, locumque paucis post diebus imprudentius scalpello aperuit, unde ichores & fæces alvinæ uberrim primo erupetunt, ægraque paucos intra dies, superveniente necrosi, è vivis erepta fuit; ejusdem, si non gravioris mali, sed felici successu curati historiam nobis aliquando perscripsit Excellentiss. Hottingerus Medic. Tigurinus, veteri amicitia junctissimus quam ipsiusmet verbis heic commemorabimus: Digitum, inquit, nuper leviter intendi in curam Viri vel pro desperato relinquendi, ni charitas Christiana aliud juberet, hic cum annorum 56. herniâ à multis annis affligeretur, curam palliativa certiorem, magno suo damno non admisit, sed apud artificem de tumore inguinis conquestus est, qui sive ex imperitia de tumore inguinis conquestus est, qui sive ex imperitia de tumoris specie minus sollicitus, hunc pro rato habuit, & tanquam materialem bubonem tractavit, medicamentaque emollientia lacti incocta imposuit, ex quo tumor cum intestino intra

ſe contento, vi medicameotorum ad putredinem & ſubſequeotem ναυσίαν tendebat: Ego omoium ignarus & abſeos, unice rogatus de remedio ſitim ſedaturo, pro more judicium couſque ſuſpeodi, donec mentione facta tumoris & ſingultus obſervati, oon ſioe Dei provideotia pejora ſuſpicatus ſum, atque ἀντιπερισταλσιν aliquam ab hernia oriundam ſubſequi poſſe & periculum in mora eſſe dixi, ac σωτηρίαν cum manu periti Chirurgi huc requiri ſummopere: Chirurgo viam ineunte & ægrum jam inviſente, graviſſima comperimus, noo viſu tantum, ſed etiam olfactu: partes interiores potrefactæ à ſanis protenus erant liberandæ: partes adhuc ſanæ à contagio vindicandæ ac defendeodæ, cum jam colon ipſum in hoc incendium contribuerit, putredine infectum eatenos, ut per hujus aperturam ex inguine, craſſiora alvi excrementa, neqoe per unam, neque per duas ſolas hebdomadas fuerint excreta: & tamen tota hæc mali dicta tragœdia tam felici curſu abſoluta eſt, ut poſt ſex ſeptimanarum intervallum, ſapitas fuerit reducta, ſine fiſtula vel alio incommodo poſt relicto: hæc ille. *Idem ibidem.*

Interioris inteſtinorum tunicæ ejectio.

Clariſs. Godefridi Thomaſii Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. 3.

Cùm ona jam atque altera in hoc Ephemeridum volumine comprehenſa habeatur Obſervatio de intimâ fiſtulæ inteſtinalis tunicâ fruſtillatim unà cum ſordibus excremeotitiis egeſtâ, viſum fuit Exc. Viro, qui Directorium io Academia noſtra munus ſummâ cum laude ſuſtinet, haud incongruum fore; ſi quæ mihi de hac ipſa re ante anoos duos, & quod excurrit, comperta fuêre, compendio heic enarrarem. Cujus, conjunctiſſimi Collegæ, Amicique plurimùm merito ſuo æſtimatiſſimi monitis obtemperare, uti jus ipſum atque fas poſtulat, ita veniam mihi abs lecturis ſpondeo ſcriptionis ſubitariæ & ob feſtinationem nullâ limâ expolitæ. Mulier plebeia quinquagenarium egreſſa, cùm variis à victu ſatis tenui neque ſalubri malis fuiſſet cooflictata, tum io primis pertinaces alvi obſtructiones ferebat moleſtiùs, quòd cætera inde exaſperari haut leviter viderentur. Cui malo ut remedium qoæreret, pilulas dejectorias devorat, neſcio unde acceptas, quarum reliquias cùm mihi poſt oſtenderet, apparebat ex affixo capſulæ titulo pilulas, Opilionis apud nos dictas, fuiſſe, quæ ex meris purgaoribus crudioribus conſtantes optimum præbent robuſtioribos & biliosâ inprimis colluvie divexatis catharticum, quod ad grana præter propter duodecim aſſumptum magnâ vi per inferiua guttur exturbat noxias ſordes. Illa igitur abs earum uſu dejectiones habuerat ex voto & expectatione crebras nec ab hypercatharſi multùm abludentes; aſt remanebant poſt eas turbas utcunque ſopitas tormina atrociſſima, quæ & lancinarent cootinuè inteſtina, maximè circa umbilici regionem, & caloris atque æſtuationis intenſiſſimæ ſenſu miſellam noctu dieque divexarent. Meam igitur ſibi opem expetit, quam paregoricis tam externis quàm internis, & acrimoniam altiùs infixam demulcentibus ad artis normam exhibeo, unde nonnihil quidem ſolatii, pleni tamen auxilii neqoidquam ſe fuiſſe expertam referebat: donec poſt aliquot hebdomadarum intervallum, neſcio quas à ſe membraoas varie convolutas & in copia inter deſidendom, non ſine moleſtia excerni clamitat, cùm tenaciſſimo quaſi glutini ſint immerſæ, & partim quidem inteſtinis in minora fruſtula diſcerptis videantur ſimiles, partim pelliculæ craſſioris ac magis extenſæ præ ſe ferant ſpeciem. Monita ut ejectiones adeò miras ſervaret curioſiùs, ac ad me deferret probè lotas muodataſque à ſordium adhærentium purgamentis, paret ſine tergiverſatione, atque altero mane bina pellicularum fibroſarum ac ſpiſſarum latis fruſta, quæ præterita oocte excluſerat, offert mihi miranti & attonito. Erant enim quinque pollicum, & ultra, longitudine, binos admodum pollices lata, & in extremitate ſubinde atro colore notata, ut de ſumma., quæ has corroſiones faceret, acrimoniâ cooſtare poſſet ſatis. Eas ego membranaceas formas Muſeo Wurffbainiano, laudatiſſimi noſtri Directoris dedicavi, quòd & naturæ & artis mirabilium copiam in ſe cootinet, ad ſelectum minimè adſpernandum. Mulierem ipſam jubeo eſſe bono animo, brevi enim futurum, ut eliminatis. quæ ab acore infeſto exeſæ ſeceſſerint, tunicæ inteſtina interius ſuccingentis particulis proxima ſalutis ſpes affulgeat, ſublatis torminum diriſſimorum cauſſis, novâque adeò tunicâ io corruptæ locum excreſceote. Perinde enim uti exterior hominis atque animalium pellis, ſive abſceſſu ſeparata, ſive reſecta cultello, promptè ſatis repullulat denuò, ita uti ſcroti horſam omnem maligni ac viroſi acoris vi conſumptam viderimus; & Chirurgi forfice reſciſſam, teſticulis prorſus nudis miſerabili ſane habitu propendentibus, qui tamen mox perſanato malo nova pelle fuêre veſtiti, ut nullos hac io parte defectus agooſceres; eodem pariter modo in membranis, quæ corporis cavitates ſuccingunt interius res habere videtur, cùm plura proſteot paſſim exempla oeotiquam minùs quàm hoc, quod modo recenſuimus, miranda, & in dyſenteria cumprimis atrociori pelliculatum tenuiorum ex inteſtinis abſcedentium ſpeciem videri referatur, quibus commodum eſt laureolas in hoc etiam quærere muſtaceo. Prædictioni eventus reſpondit perquam ſalobris atque exoptatus, nullis enim aliis poſthac uſa mulier præſidiis, niſi ſpermate ceti in lactis calentis hauſtu propinato, decoctiſque cicerum, nonnumquam aut piſorum abſterſivis, & balſamo Saccharo Peruviano pulveribus acidum abſorbentibus atque attemperantibus immixto, de die io diem meliùs habere viſa eſt, donec dejectionibus membranaceis ſenſim imminutis, ſopitiſque torminum & lancinationum doloribus, priſtinæ reſtitueretur ſanitati ad hoc uſque tempus quo hæc ſcribo, vegeta atque incolumis, neque quidquam ampliùs morbi aut gravioris mali experta. Ejectamenta verò iſta ſiquis conſideret oculis curioſioribus, facilè videbit eſſe membranæ interioris inteſtinorum particulas, quæ intra rugas ſuas recepto ac aſſervato diutiùs humore acri, ſeceſſerunt denique noo ſine exquiſitiſſimi doloris ſenſu. Cujus autem inteſtini fuerint ſoboles, haut obſcurum erit perſpectu iis, quibus notus eſt interaneorum ſitus, quique ex ante dictis cognoverint dolores maximè circa umbilicum graves poſt-

hac

hac ad ſiniſtrum hypcchondrium tendiſſe in declinatione affectûs graviſſimi.

Graviores inteſtinorum perforationes ſpontè naturâ curatæ.

Clariſſ. Alardi Mauritii Eggerdes. Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. 4.

Inteſtinorum perforationes, læſioneſque etſi graviores, non omnes, neque ſemper lethales eſſe præter ſuperiùs ennarratam hiſtoriam, ſequentes caſus demonſtrahunt. Ruſticus in Patria Luxenburgenſi poſt ingentem ceraſorum unà cum nucleis devoratam copiam, in alvum tam adſtrictam incidit, ut nullo eam negocio reſolvere poſſet. Et cum ex arte nullum ſupereſſe videretur ſubſidium, illud natura ſuppeditavit. Nuclei enim iſti, hoſpitii ſui pertæſi exitum ſibi inde quærentes, abdomen in inguine dextro perforarunt, atque uno impetu quà datâ portâ proruperunt: Foramen à lapilliorum egreſſu ſponte ſua coaluit, neque ullum inde ruſtico remanſit incommodum. Anno reparatæ ſalutis 1682. ſequeos caſus Padnâ Romam, ad congreſſum Medicum, apud D. Braſſavolam ſub protectione Reginæ Sueciæ haberi ſolitum examinandus mittebatur. Homo fortis medioctis poſtquam Paduæ bene jentaſſet, rus tetendit; medio itinere ex inſidiis bombardulâ impetitur, & globus non procul ab umbilico abdomen penetrat, non autem tranſit, ſauciatus ad Chirurgum defertur, qui vulnus ſtylo explorat, globi autem nulla ſentit veſtigia, vulnere deligato patientem quieti & diætæ committit; Die ab hinc tertio infirmus ad ſedem cogitur, globumque unà cum excrementis egerit, ac brevi dein convaleſcit. Poſt varias ſuper hunc caſum agitatas quæſtiones, tandem hæc placebat reſolutio, ſclopetum qno globus fuit jactus, erat parvum, ideoque ad transfodiendum non ſatis efficax, inſtrumentum lædens fuit globus rotundus, qui poſtquam abdomen tranſiit, alliſit ad inteſtinum excrementis ſpiſſioribus refertum, illudque cooperante leni fœcum reſiſtentia non diſrupit, ſed fibras & funiculos ejuſdem nerveos à ſe invicem disjungendo in illud penetravit, tandemque in craſſioribus excrementis quievit, ac demum cum hit per anum exiit, fibria interim ſeſe iterum contrahentibus, factumque foramen abſque ſanitatis diſpendio occludentibus.

Inteſtini tenuis pars per anum excluſa.

Clariſſ. Georgii Franci de Frankenau, Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. 5. & 6.

Nihil tam abſurdum, quod Corpori non eveniat humano. In ſolidorum fluidorumque texturis tanta eſt varietas, ut nemo, nec aſſequi, nec recenſêre omnia poſſit, ut loqoitur Illuſtris, deque re Medica optimè meritus *D. Joh. Nicol. Pechlinus Obſerv. Phyſ. Med. lib. II. Obſ.* 32. mirabilem ibidem corporis tremorem in ruſtico Holſato eleganter exprimens. Et quis eſt, qui neſcit, nova quotidie enata prodigia vel eos tos caſus mirabiles non fuiſſe à tot ſeculorum decurſu, qui curioſo rerum Naturæ ſcrutatori non prætertens facem, ad penetraodum faciliùs in abſtruſos ejus receſſus, ni plurium injuriâ vel malitiâ potiùs illis omnibus carêre jam & intercidere deberet poſteritas. Idem & ego facilè de funeſto nuper non minùs quàm mirabili caſu ſentire potuiſſem, quando domeſticorum notitiâ vel conſcientiâ potiùs tempeſtivè accitus, ubi agebatur illud novum & quaſi abſurdum, ſimul cum prælaudato D. D. Wagnero non inſolit ejus phænomeni me conſtituiſſem & teſtem & ſpectatorem; ſingulare enim videre erat prodiiſſe prodigiosè, per conſuetam fœcum alvinarum portam modo integram tenuis inteſtini partem ſpithamæ longitudine & ultra cum annexa meſenterii adhuc portione manifeſtè ſatis conſpicuâ, acerbos inter infimi ventris dolores & multas ſedes cruentas, ita ut animo linqueretur atque exſolveretur æger penitus, cujus & ſupremus vitæ terminus paulò poſt eadem die 22. Auguſti noctu appropinquavit. Suſpicari autem non immerito licet ex plicatum ſeu Valvularum conniventium Anatomicis dictarum, præſentia, quas obtinebat intus materia ſubflava, tenax, quaſi teſtare..t ibidem exhibitis purgantis Gummi Gutti (de quo mox acturi) ſplendentes particulæ, fuiſſe rejectam inteſtini jejuni partem illam qua terminatur in Ileum. Ordinariè inteſtinum quidem huc cæteris paulò rubicundius, ob vaſorum ſanguineorum copiam apparere ſolet, tale tamen nunc non extitit, fortè quod æger in ſella multùm ante ſanguinis perdiderit jam, vel alio modo intra corpus exhauſtus fuerit. Contra tunicæ inteſtini illius nigricantes & ſubliv.dæ magis viſæ, non corruptæ vel eroſæ, ſed unitæ adhuc; ſolitus inteſtinorum mucus interior ſive villoſa cruſta aberat, alterum ſaltim principium, ubi abruptum vi interna cenſebamus, valde tenue, divulſum & diſcerptum videbatur. Ita verò accidiſſe triſtem hunc in viro juvene, quippe 26. tantùm annorum, exitum, dum ſponſalia contrahere meditabatur, certo comperi. Laborarat ia quatuordecim propemodum diebus febre continua, non admodum ſenſibili, contumaci alvi obſtructione & doloribus moltis colicis, ſiti &c. an vitio Diætæ, an alio modo contractum fuerit hoc malum? ignoro: Ingraveſcente morbo indies, Medicum prætereuntes, anum Medicaſtram conſulunt; quod genus hominum, uti alias, nunquam otioſum eſſe ſolet, ita ſtatim operoſam ſe exhibuit, catharticum ex officina petendo, cujus non minima baſis fuerat Gummi Gottæ, pharmacum potenter hydropicorum aquas evacuans, & colicis doloribus maximè adverſum, iſti comprimis morbi ſyndrome, tantum ut ipſe ſibi malum cacaret æger, peſſimè ſanitati ſuæ conſulens. Quemadmodum verò malum conſultori peſſimum eſſe ſolet, teſte *Heſiodo*, & ex eo *Gellio*, ita & hîc mentiri potuit *minimè* regula, nam dato uno abſurdo pharmaco, abſurdi plures & periculoſiores ſubſecuti ſunt errores. Alvus bis, (ut aiunt) commota fortiter & dolenter, ſimul vomitiones continuas, bilioſas enormes acceſſivit, vitam & vires in præſentiſſimum adducentes periculum.

Nunc demum Medica implorabatur manus; ubi vires omnes attritæ reſque verſatur in anguſto,

ut citiſſimè ferret opem, motuſque illos inteſtinos & hypercatharſes cohiberet; ſed nimis ſerò Medicina parabatur; ægritudo enim auctior omnem Medici eludebat ſpem & operam, cùm vitam poſtero die cum morte commutaret, poſtquam paucis ante obitum horis, dolore Epigaſtrii immani, ſedibus copioſis cruentis, & cum iis abſcedente inteſtini tenuis ſimul parte, affligeretur, unde jam ſe mox liberatum iri clamaret, ſed fruſtra, nam ſuperveniente graviſſimum animi deliquium, optimi ſanguinis & nativi caloris perditio cum motibus convulſivis paulam vitæ impoſuit.

Jam quæret fortaſſe quiſpiam, nec ſine ratione, quomodo tam notabilem inteſtini tenuioris rupturam vel ſeceſſionem facere potuerit natura in corpore? quomodo, quod magis adhuc ſuſpicio & admiror, factam talem ſeceſſionem ſolidæ partis in alvum demittere, ut per alteram ſuperſtitem inteſtini in corpore oram reſorberi unà cum ſanguine & dein per ordinarium locum excludi potuerit? Quod cùm affirmare omnino quidem auſim, quatenus id ſe verum eſt, modum tamen ejus mirabilem invenire, aut evidentiores circa hunc eapoenete cauſas prohibeor; donec accuratior accedat internorum perluſtratio & cadaveris apertura, quam multis etiam precibus impetrare à ſponſâ & agnatis non potuimus; ad ſepulturam igitur ocyùs properant, antequam ad Magiſtratum vel publicum impiæ hæ deferantur cædes, felicea piæ tel quia Veterinariarum fraudes exiſtimantes, quod adverſos harum caſus tellus, oblivio hominum & taciturnitas tegat.

Inteſtinum Ileum innoxie ulceribus perforatum.

Clariſſ. Reinoldi Wagneri. Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. 5. & 6.

Inteſtinorum tenuium vulnera eſſe lethalia: non tantùm *Hippocratis* Sect. 6. Aph. 18. & 24. ſed & *C. Celſi*, Lib. 5. cap. 26. & Lib. 17. cap. 16. *Galen.* Lib. 6. de Meth. Med. 4. aliorumque veterum eſt ſententia. Atque cùm hæ humani corporis partes ſint tenuiſſimæ, minuſque carneæ; præterea, cùm moto periſtaltico perpetuò exerceantur, vulneratæque chylum neceſſariò effundant, facillimè inflammentur, vixque remediorum topicorum admittant applicationem, mirum non eſt cur ejuſmodi læſiones communiter ſint incurabiles atque lethales. Nihilo ſeciùs tamen, non tantùm vulnera, ſed & ulcera ejuſmodi nonnunquam eſſe ſanabilia exempla ſubinde teſtantur. Sic inteſtinum Ileum cultri ſtricturâ læſum per artificioſam ſuturam reſtitutum commemorant Ephem. Germ. Nat. Curios. Dec. I. Ano. 3. Obſ. 176. Item *Glandorpius* Obſ. 32. Ileum quoque, ictu tranſverſim diſſectum, & extra vulnus prolapſum, intercedente tandem ſuturâ cum vulnere conglutinatum refert *Blegny* Zodica Med. Gall. Ann. 2. Obſ. 4. M. Junii. Ita & de inteſtinorum tenuium à lumbricis perforatorum curatione conſerantur Ephem. Germ. Nat. Curios. Dec. I. Ann. I. Obſ. 145. p. 311. & Dec. II. An. V. Obſ. 45. p. 87. &c. Item *Blegnyus* Ann. I. l. c. Nec hæc, nec alia inteſtinorum gracilium ulcera abſolutè lethalia & incurabilia pronuncianda eſſe, niſi vel majora fuerint, vel cum vaſorum inſignium læſione conjuncta, unà atque alterâ Hiſtoriâ nuper edoctus, calculum adjicio. Nimirum, mulier quædam quinquagenaria, in oppido Köge in Seelandia, quatuor lapidibus à Metropoli; Regiâ Hafniâ: doloribus in ſiniſtra pubis regione, eodemque in loco abſceſſu inguinali corripiebatur, ex quo decimò die ſuâ ſponte rupto, cùm Chirurgus ejuſdem loci Dn. Fiſcher lumbricum unum atque alterum prodiiſſe audiret, ipſeque unà cum ingenti quantitate materiæ purulentæ & fœtidiſſimæ, ipſiſſima alimenta paulò ante aſſumpta, cruda partim & ſemicocta, imprimis aniſi ſemina integra prodire animadverteret, conſilium meum petiit. Ego verò animum haud abjiciendum, quin potiùs remedia balſamica & aloëtica adhibenda inaſi; atque factum, ut ſolius eſſentiæ Myrrhæ, & alterno quandoque Elixirii P. P. dulcis externo & interno uſu, cibi magis digeſti prodirent, ſicque ulcere debito modo mundificato ægra priſtinæ ſanitati, auxiliante Deo, fuerit reſtituta. Simili abſceſſu in Regiâ hac Hafnienſi, Lanionis uxor ſexagenaria, quæ ultra octennium Omphalocelem, tandemque diuturnam & pertinacem alvi ſuſtinuerat obſtructionem, laborabat. Hic abſceſſus circa regionem umbilicalem ſiniſtram ſphacelatus, foramine thaleri magnitudine abdomen perforabat, ubi non tantùm copioſum & fœtidiſſimum pus, ſed & varia alimenta variaque ſemina effluxêre; imprimis autem memorabile, quod c. g. carvi ſemina tatò integra, dimidiatim verò conciſa multâ in copiâ è vulnere egrederentur, ægra intra duorum Menſium ſpatium, per ſolius DEI gratiam ſimiliter reſtitutâ. Hæc igitur cùm dubitare non permittant de eroſione & ulceratione inteſtini cujuſdam, quod ut ut viſu deprehendi haud potuit, Ileum tamen affectum fuiſſe vero videtur ſimillimum. In priori enim Hiſtoriâ Ileum, lumbricorum illud domicilium, perforatum occaſionem dediſſe Apoſtemati inguinali, patet ex variis *Naturâ Curioſorum* obſervationibus. In poſteriori verò Hiſtoriâ, idem Ileum ulcere læſum confirmant partim eſculenta brevi è vulnere rejecta, partim ſitus, partim quoque Anatomica ſectio, quam Regiomonti Boruſſorum Patens Chirurgus Anno 1693. mecum inſtituit: In uxore enim Pellionis cujuſdam Dominâ *Naberin* (ſimili omphalocele ſphacelatâ defunctâ) Inteſtinum Ileon in ipſo hoc loco herniâ affecto ſacculum oſtendebat, in cujus cavitate pugni magnitudine tria vel quatuor prunorum damaſcenorum reperiebantur putamina integra, quibus diffractis nuclei erant omnino carioſi atque foetidi. Atque adſtantes bona fide affirmabant, defunctam jam ultra trium Menſium ſpatium pruna deglutiiſſe integra. Quod verò talis præternaturalis quandoque in Ileo ſtatus contingat, nuperrimum quoque monſtrum bicepa in agro Hafnienſi editum, confirmavit, qood prioris Anni Menſe Aug. à Conſiliario & Archiatro Regio, Illuſtri Domino *D. Georgio Franko de Frankenau*, cultro anatomico ſubjectum, conſpicuum ſatis utricularem inteſtini Ilei, exhibuit ſacculum; hujus verò Anatomeo prolixiori & eruditiori ſermone Eruditus Orbis propediem expectabit.

Inteſtinalis

Inteſtinalis tunicæ abſceſſus glandulosus.

Clariſſ. Joh. Ludovici Apini. Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. 9. & 10.

Vir annorum quadraginta novem, temperamenti Sanguineo-cholerici, caſtra à prima juventute ſecutus, & Locumtenentis officio functus in turma Equitum Cataphractorum, ſanus aliàs & incolumis, laborum tolerans, ſine dubio ob mutatum vitæ genus, quod olim in Hungaria, Raicia, Danubii Rhenique tractibus fuit occupatiſſimum, tum temporis autem, feriante Bellona, deſidioſum erat & ignavum, accedente etiam victu crudiore & viliore, paulatim cœpit floridum faciei colorem amittere, oculoſque cavos ac trucem oſtendere vultum, qui mihi juxta ac aliis ſuſpectus erat. Sed ut robore naturæ pollebat, ita nil opis flagitavit, donec d. 5. Februar. 1699. rigore vehementiſſimo & omnimoda vitium proſtratione corripitur, ita ut d. 6. ſummo mane vocatus, valde debilem & velut à ſe ipſo mutatum deprehenderim. Non ambigebam ex prægreſſo rigore & ſubſequente caloris intenſiore gradu, febre acuta continua laborare ægrum. Igitur ex methodo mihi familiari ſeq. præſcripti Mixturam.

R. Aq. flor. ſambuc. cortic. antifebr. n. ana ℥ß. aceti theriac. ℨij. Extr. antifebr. n. ℈j. Thea bezoar. ℨj. ſirup. de cort. citr. ℥ß. Hinc ſudor erupit, quamvis non ſine anxietate, & peracto ſudore levia quædam intercurrebant animi deliquia, cujus gratiâ ſeq. Epithemate ad pulſus & tempora fuimus uſi.

℞. Spir. Vin. camphor. aceti rutae, aq. carbunc. ana ℥j. Jactabat etiam ob caloris vehementiam hinc inde corpus & haud rarò per axillam dextram punctuтas acutiſſimas tranſire ſentiebat, ut univerſum corpus veluti terrore aut Epileptico inſultu comprehenſum elevaretur in altum, hincque facile colligerem, occultum quid ſubeſſe.

Conſumta horis antemeridianis Mixtura Antifebrili, in eundem ſcopum Pilulæ ſeqq. præſcriptæ. ℞. Extr. antifebr. ℨß. Camphor. ℈ß. cum ſ. q. Extr. Myrrh. f Pilul. Numero XL. D. S. *Ade 4. Stunden 5. Stukzu nehmer*, ſumat 5. ſingulis quatuor horis.

Hinc tamen ea voto ceu aliàs ſolent, æger haud ſudavit, alvus verò bis ſolvitur, quæ qualis fuerit, nemo obſervavit. A meridie igitur horâ tertiâ, cùm ſudor non ſatis reſponderet, dedi ℈j. ſalis cujuſdam Antimonialis bezoardici, utpote quo difficiles ad ſudandum plerumque ſoleo τῷ ἀκρ... reddere. Nec eventus fefellit, ſudavit enim ... Horâ nonâ nocturnâ juſſi deinceps binas aſſumere pilulas è jam memoratis, quæ ſine operoſo regimine facilem movebant ſudorem. Hoc ipſo verò manè multò melius habebat æger, pulſum oſtendens vegetiorem cum habitu & vultu pleniore ac rubicundo. Horâ ſeptimâ matutinâ piluiæ binæ iterum præbentur unde jam, ſolutâ ſemel babitùs exterini ſtrictutâ & æqualiter circulante Maſſâ humorali, largiter ſudavit. Interim bene ſpirabat, dolorem neque ventris neque pectoris querebatur, nullâ tuſſi vexabatur, & tamen cœpit poſt levem ſcreatum ſputum viſcidum cruore tinctum, lateritium revera, exſpuere ac rejicere ſine laborioſa commotione, ſine ulla tuſſi, quaſi ſponte ſua veluti per ebullitionem in os redundaret & aſſurgeret. Vomicam proin alicubi in pectore ruptam non dubitavi, & proin pectoralia Antifebrilibus remiſcui ſeq. in modum.

℞. Aq. Cott. antifebr. n Chærefol. an. ℨij. Extr. Antifebr. gr. X. ball. Sulph. aniſ. gtt. ij. Sirup. flor. pap. errat. ℨij. laud. cydon. gr. 6. M.

Hujus Mixturæ dimidium horâ nonâ nocturnâ dedimus, reſervantes reliquum in craſtini auroram. Nox ſuperioribus quietior. D. 18, 99, æger, quàm aliàs pacatior, jamque ad ſudorem perfacilis, multùm adhuc ſputeus viſcoſi phlegmatici ſanguine tincti. Mixturâ conſumtâ piluiæ pectorales & ſimul Antipyreticæ ſeqq. præſcriptæ.

℞. Succi L'quit. depur. Extr. antifebr. n. ana ℨß. laud. cydon. gr. ß. c. ſ. q. Eſſ. antifebr. F. Pil. num. LX. D. S. *Alle 6. Stund 10. Zu nehmen.* ſumat 10. ſingulis ſex horis.

Sub veſperam etiam Mixturam pectoralem reſolventem talem ordinavimus.

℞. Aq. Veron Scabioſ. an. ℨij. cinam. aceti deſtillat. an. ℥ß. ſangu. hircin. pp. Ocul. Cancror. ppr. ana ℈ij. Sir. fl. pap. errat. D. S. *Alle Stund ein Loffel. vol Zu nehmen.* ſumat ſingulis horis cochlear unum.

Hæc eo ſumebantur ſucceſſo, ut cum phlegmate ſanguinolento nunc, etiam pus rejiceretur. Potus ordinarius erat ex ſpeciebus pectoralibus, Herb. Chærefol. fl. papav. errat. & rad. lapp. maj. D. 9. continuetur expectoratio mixti cum pure cruenti ſputi incredibili copiâ, paulatimque tuſſis nunc accedit & ingraveſcit, quaſi ex profundo majori conatu exantlanda eſſet ſputi materia. Pergitur in iiſdem. Nox autem valde inquieta ob toſſim perpetuò urgentem, cujus irrequieta ſollicitatione d. 10. manè particula quædam membranacea ſputo rejecta, aquæ, cui injiciebatur, lunatans. Omnia hæc Vomicam & abſceſſum intra pulmones loquebantur. Secus tamen fuiſſe eventus docuit. Cùm enim alvus ultimo hoc triduo obſtructa eſſet, & æger tenſionem quandam in abdomine perciperet, Clyſter ex meris emollientibus injectus. Unde alvo ſoluta, pus ſtatim & ſanguis, ſeu materia illi, quæ ... rejiciebatur, ſimilis conſpiciebatur. Sequuntur paulò pòſt tormina & iterum alvi ſolutio, quam cùm d. ... mane inſpicerem, inter caeteramenta integras tunicas inteſtinales conſpicari ſibi videbantur, ad quod ſpectaculum ego vocatus, ſanctiſſimè affirmare poſſum, integras tunicas inteſtinales, tubuloſâ formâ exactiſſimè præditas. Hiſce meis manibus me tractaſſe, & ſuper baculum teretem expanſas adſtantibus & ad rei novitatem concurrentibus vicinis monſtraſſe. Erant autem utraque ſine laceræ, pure & ſanguine conſperſæ, alicubi etiam punctulis rubicundis notatæ, quaſi acu factis foraminulis, longitudinis diverſæ, ita ut portio quædam ſpithamæ longitudinem æquaret. Accuratiore inſpectione adhibitâ, patuit fuiſſe fruſta tunicæ interioris glanduloſæ, quam vulgo periſtoma villoſum dicunt, & Malpighius ex glandularum nerveæ tunicæ tanquam baſi inſiſtentium ductibus piloſis excretoriis componi aſſerit. Ruyſchius verò in Epiſtola Problematica XI. oſtendit, nihil aliud eſſe quàm vaſorum ſanguiferorum extremos molliores ſinus & faſciculos, inſtar penicillorum dextrorum concipiendos, ſecluſo ſanguine mucidiorem ſaltem lympham & pituitam Inteſtinalem tranſmittentes. Manifeſtè enim fugæ illæ ac plicæ, in tunica interiore aliàs notabiles, conſpiciendæ erant. Clariſſimè,

rissimè igitur intellexinus, laborare ægrum abscessu tunicæ intestinalis glandulosæ, quare curationem dubiâ licèt eventûs expectatione spemque metumque inter, vulnerariis simul in auxilium vocatis continuavimus, & primùm pro febre penitus evincenda ac putredine arcenda, præscripsi denuò ℥ß. Extr. antifebrilis, hoc addito precepto, ut quinas mane ac vesperi pilulas acciperet, deinde pro scopo vulnerario seq. species in jusculo caponum partitis vicibus decoquendas.

℞. Herb. Chærefol. fl. Verbasc. Hyperic. an. Mj. rolat. ℞. Mß. lign. lassafras santal. alb. sem. plantag. an. ʒij. Concis. D. ad Chart.

Sitim solabatur seq. Julapium. ℞. Aqu. Veronic. Scabios. card. bened. an. ℥ij. Tinct. fl. papav. err. ℥j. Conf. alk. compl. ʒj sir. fl. pap. err. ℥ß. M.

Dum hæc aguntur, Æger, quod mirum, nunquam animo linquitur, liberè spirat, nihil ferè vel parum ampliùs per superiora sputi cruenti rejicit, nullam circa præcordia anxietatem passus, animoque constanti & imperterrito præditus, suos solatio erigebat, pulsu etiam plus quàm ante valens. Febris in horas remissior. Nox etiam præter opinionem quieta trahitur, ut ut alvus semel iterumque solveretur cruenta illa & purulenta sine tamen tunicaceis excretis.

D. 12. itaque evidens convalescentiæ spes emicat. Continuata eadem usque ad 14. Februar. quo tempore alvus bis terve intra Nycthemerum soluta cum pure & sanguine intermixtis. Hinc d. 15. ad abstersionem & mundificationem tale præscripsimus.

℞. Ol. Amygd. dulc. syr. dialth. an. ℥j. sperm. ceti ʒß. bals. Sulph. anis. ℈ß. M. D. S. *Heibalsam alle 6. stund 1. Löffel vol zu nehmen.* Balsamus Vitæ de quo sumat cochlear unum singulis sex horis. Conveniens etiam videbatur seq. Emulsio, unguinosa sua dulcedine intestina abstersura ac delibatura.

℞. Amygd. dulc. ℥ß. sem. 4. frig. maj. papav. alb. an. ʒj. c. s. q. aq. fl. acac. & veron. F. Emulsio, add. Sacch. perl. ℈ij. aq. cinam. spirit. ℥ß. M.

Horum usu vidimus nihil ampliùs cruoris ostendisse excrementa, quamvis alvus valde lubrica esset ob usurpata sine dubio oleosa.

D. 16. igitur, cùm observaremus jusculum cum voluptate comestum, dicto citius, nihil pene mutatum fuisse redditum alvo, ad lientericum fluxum istum compescendum sequentes pilulas præscripsimus.

℞. Extr. tormentill. theriac. cœlestis ana ℈ß. c. s. q. Ess. Traumat. Wedel. F. Pil. n. XX. D. ad pyx. p. nuc. m. conspers. S. *Stillende-Pillens alle 6. Stund 2. Struck zu nehmen.* Pilulæ Anodinæ quarum duæ sumantur singulis sex horis.

Hinc per diem non nisi bis alvus deposita eaque incruenta, simul verò mane ac vesperi cochlear unum prædicti balsami sumitur. D. 17. & 18. alvus moderatè fluit, appetitusque paulatim resurgit. Consumto balsamo, cœpit d. 18. in jusculo vulnerario cochlear axungiæ canis junioris castrati, qua valde delectabatur. Pilulis verò superioribus tales substitutæ.

℞. Extr. torment. Liquir. tereb. coct ana ℈j. c. s. q. bals. peruv. f. Pil. num. LX. D. S. *Balsamische Pillen, Früh und Abends 5. Stuck zu nehmen.* Pilulæ Balsamicæ de quibus quinque sumantur mane & vesperè.

Harum usu nondum absoluto constitit Lientericus alvi fluxus, & Æger cum viribus appetitum recepit. D. 1. Martii jam tum in publicum prodiens, & sub cura nostra à primo morbi insulto non nisi 19. diebus versatus.

SCHOLIUM.

Possent ad hanc Observationem multa utilissima notari tam physiologica quam pathologica. e. g. Qui factum, quòd ablatâ tunicâ interiore glandulosa intestinorum, nihilominus mors non supervenerit? Cùm tamen caruncularum saltem excretionem in Dysenteria lethalem pronunciaverit Hippocrates 4. Aphor. 26. ubi quæstioni satisfieri posse credimus, distinguendo inter exulcerationem intestinorum benignam & malignam, qualis ultima plerumque accusanda venit in Dysenteria. Nostra in præsenti casu benigna fuit, ortâ occasione abscessûs genuini qui ferè ordinariè periculo caret. Item qua de causa rupens intra intestina abscessus cœperit se evacuare per excretionem anotericam, superato valvulæ quæ in Coli principio est, robore, & occasione demum clysteris ad inferiorem portam appulerit, quod factum putamus ex inverso motu peristaltico, occasione repentinæ consternationis in ipso principio vitali ex rupto intra intestina abscessu; Ruptiones enim hujusmodi introrsum factas difficillima consequuntur symptomata uti, jam olim notavit Hippocrates 7. Aph. 8. Επὶ φύματ⊕ ἔσω ῥήξιος ἔκλυσις καὶ ἔμετ⊕ καὶ λειποψυχίη γίγνεται. Ex sola scilicet principii vitalis perturbatione omnes illæ turbæ. Hæc aliaque missa nunc facimus, in veram potiùs abscessûs hujus intestinalis causam inquirentes. Circa quam investigationem notandum, hunc ægrum, antehac valetudine inculpata gaudentem, diversis vicibus præsertim in Hungari & Rheni Nicarique oris ob diætam vinosam Hæmorrhoides externas fluentes sensisse, quemadmodum mihi in hæc alia multò pòst inquirenti, fassus est æger. Unde postquam legi, quæ Excellentissimus Georg. Ernest. Stahlius in Dissert. de Motu sanguinis Hæmorrhoidali rationi sanè & experientiæ conformiter scripsit, non dubitavi, à restagnante sanguine Hæmorrhoidali intra tunicas intestinales, intimam ac mediam parvos abscessus fuisse obortos, & ab his sensim tunicam intimam à proxima media musculosa fuisse separatam, prout in variolis ipsa interdum cutis à subjectis reliquis corporis integumentis secedit, propter saniem subtus latentem & fibrillarum intermediarum nexum solventem. Vixit ab illo tempore æger perbellè, nisi quod æstate subsequente semel iterumque Colicos dolores fuit passus, qui nihil erant nisi conatus hæmorrhoïdales intentati. Ex quo enim subsequentis Anni tempore verno aperire se cœperunt Hæmorrhoides triplici osculo, & non parum sanguinis inde manavit, vivit noster pancraticè venæ sectione prophylactica bis in anno usus. Patet verò etiam singularis efficacia Extracti nostri febrifugi, tum in febre hac, vulnerariæ affini, profliganda, tum etiam in resolvendo cruore coagulato, plurium febrium Autore, quem quasi ad ἀναστομῶν ducit & tanquam hostile quid è vitalitatis dominio proscribit & expellit, prout idem in ducendis lochiis aliisque casibus, ubi cruor extravasatus & coagulatus præsto est, cum admiratione præstat. Neque reticenda est principii & balsami interni vitalis efficacia in restaurandis hujusmodi partibus interioribus læsis. Dummodo enim bene sit homini in vitæ radice, dummodo balsamicam humores Crasin retineant, nil ita arduum est aut læsum, quod non Natura sit sanando; quæ una ratio est, cur interdum miraculosa hujusmodi eveniant in arte Medica, quæ nonnisi gloriator ineptus aut thraso garrulus

sua

suæ adscripserit arti. Nam & sic αἱ τῶν νωτίων ἰητρῷ φύσιες. Erat in ægro, dum alvi illo fluxu purulento laboraret, facies revera Hippocratica, atque τὰ αὐτὰ præcipuè ψυχρὰ ἐλαφρία ξυντεταλμένα non aliter atque folia arborum præ nimia siccitate arentia. Animus tamen semper præsens, respiratio libera & pulsus sibi constans. Unde calamitosissima illa & θανατωδέστατα mortis tamen significationem non habeqant. Sunt enim illa prædicta minùs gravia ἐσομένα, eadem Hippocrate teste in Prænot. 11. versic. 13. & 14. Si alvi excrementa valdè liquida fuerint, nec quicquam celeriùs faciei vigorem tollit quàm alvus concitatior quod in Praxi versati non ignorant.

Intestini Coli portio abscissa minimè lethalis.

Clariss. Sylv Samuelis Anhornii. Ephemer. Germanic. Centur. 1. *&* 2.

Crassorum intestinorum vulnera, quamvis passim occurrant apud Authores vel spontè naturâ, vel per suturam consolidata atque curata, intestinum tamen per medium sectum, abscissâ ejusdem portione curam admisisse, inter rariora meretur poni, quæ occurrere possunt observationum monumenta. Casus hic obtigit in Joanne Kressenbuchur, Turgoviâ Urvillanô, juvene 28. annorum. Hic An. 1694. mente adhuc & corpore sanus, ex annonæ caritate famis miseriam expertus, clibano pistoris adstans, & paniculum inibi relictum videns, jubentibus sociis clàm irrepsit: panem petiturus & stomachum latrantem placaturus: verùm seu vapore seu fornacis calore mox inibi obmutuit: diuturniore morâ perterriti circumstantes, vocato Pistori rem exponunt: hic sine morâ pedibus extractum frigidâ largiter perfudit; ex quo motus convulsivi totum corpus prehenderunt; in habitum exinde Caducus erupit, & per paroxysmos modò semel, etiam bis de die miserum cuncussit, interdum unius & duarum hebdomadum inducias concessit; perversis tandem crebri potis fatuitatem induxit. Die 16. Maii 1700. per septimanæ spatium totus amens cum furore fuit, nudus ubicunque aufugere potuit, excursitabat, & ne vim sibi inferret, custodiri debuit. Ex institutâ venæ-sectione placabilior factus de dolore in latere hypochondrii sinistro magnas querelas muver; quem atrociùs sævientem paroxysmi Epileptici prodromum expertus est; precibus non rarò institit, ut sibi cultro venter aperiretur. Die Mercurii ante Festum Pentecostis Anno 1700. Cum hoc cum totâ casus historiâ consignatum mihi tradere placuit plurimùm Reverendo loci Parocho, Dn. Joh. Henrico Erni, Tigurino) solus in hypocausto relictus cultrum arripuit; ventrem, palmam supra umbilicum, magno ictu non modo perfodit, sed & portionem intestini trium circiter unciarum è vulnere propendentem abscidit, & ceu quid actum sit celaturus infra mensam projecit, seque ad fornacem proripuit. Pater superveniens conspecto cultro, deterius quid sibi illicò ominatus, filii manus cruentas de ventre abripit, & rem attonitus videt. Vocatus loci Chirurgus, Dn. Joh Conrad Vogt, portione intestini abscissi conspectâ mortis prognosticon tulit, & Cardiacis refocillato Patiente, utramque intestini partem ex vulnere propendere permisit, donec de illa certus esset, per quam sordes exirent. Re satis exploratâ, post plurium dierum decursum, inferius intestinum in ventrem intrusit. Superioris verò extremitatem probè observari jussit, ne simul ad interiora recederet, & excrementa in cavum abdominis deponerentur. Sic tandem solius benignæ conservatricis naturæ providentiâ, nemine hoc per artem intendente factum est, ut extremitas intestini sauciati cum vulneris orificio coalesceret, & sexto jam anno tamquam ex podice equino expressis priùs rutilantibus rugis, excrementa alvina & flatus sine ullâ molestiâ hac viâ reddantur, per anum verò ne minimum quid excernatur, nisi quod primis diebus liquaminis cruenti secessit. Ante quinquennium circiter in viciniam vocatus, nolui occasionem ipsum visendi negligere: fatuus erat, moribus incompositis & vultûs torvi; ligamenta detracta sero maduere; ex mino hoc podice palmam supra umbilicum existente compressos, serum fermentans spumosum & graviter nares feriens, cum granulis hordeaceis & avenaceis exibat. Sic viribus valuit, ut negotia rusticana in campis & pratis obiret; à triennio verò, dum in piscinam suffocaturus sese prosiliit, jussu Magistratus vinculis domi custoditur, ubi fila ducendo vitam agit. Paroxysmum Epilepticum si frequentiùs patiatur, & sitim extincturus largiùs bibat; plurimùm aquæ potæ per locum hunc exit. Jam viribus fractus & emaciatus haud multùm à fati limine abesse dicitur, quod cum ipso Parentes unicè vovent.

Intestinali tunicæ similes pelliculæ excretæ.

Clariss. Ioh. Melchioris Verdries. Ephemer. German. Centur. 1. *&* 2.

Interiorem Intestinorum superficiem muco quodam viscidiore oblinitri, nemo Physiologiæ atque Oeconomiæ animalis non planè rudis nescit; atque hunc mucum præternaturali modo in lentam duramque pituitam intestinorum parietes incrustantem, obducentem, gravissimaque hac ratione symptomata producentem, concrescere, plus simplici vice solertes rerum Medicarum Observatores annotarunt. Hinc illæ pelliculæ diarrhæâ excretæ, de quibus lumen ac decus viri Excell. *Heliodorus* noster *Ephem. Dec. III. An.* 9. *&* 10. *Obs. LX.* Nec adeò ignota est de celeb. *Lipsio* historia, qui quum multùm diu gravi cum malo esset colluctatus, atque pharmacô sumpto materiam cohærentem intestinulo similem excerneret, consternatus atque aliquid intestinorum effudisse se ratus, confestim Medicum vocari jubet, actum esse de vita sua exclamans; cùm tamen re curatiùs perspecta, deprehensum fuerit, esse id ipsum nihil aliud, quàm viscidiorem pituitam in intestinis sensim coacervatam, eorundemque superficiei cohærentem, atque hinc intestini figuram retinentem, insigni corporis emolumento exterminatam, brevi enim pristinæ sanitati restitutus est. Non multùm absimilis fuit sequens, quem paucos ante annos hîc locorum observavi, casus satis profectò curiosus. Videlicet Vir quinquagenario paulò major, temperamenti cholerico-melancholici, febri biliosâ sat graviter decumbebat; torminibus eundem simul miris modis excruciantibus, ego cum accersitus nihil non tentarem, quod ratio officii postulare videbatur, brevi meliori loco res ipsius esse cœperunt, utroque malo multum à rigore suo remittente. Vix tamen id, quicquid erat levaminis, bona spe repleverat,

pleverat adstantes, cùm icturus ex improviso supperveniens novâ eosdem sollicitudine, detinere. Ego verò fretus LXV. *Hippocratis* aphorismô Lib. IV. bonum id esse signum pronunciavi, atque huic quoque nodo convenientem cuneum quæsivi. Accidit verò, ut cùm Infusum Anti-Ictericum laxativum obtulissem, post dies aliquot me properanter accersiri juberet, cumque mei fecissem copiam, & quid rei esset interrogarem? hoc quoque medicamine se aliquantum quidem levari dicebat, eo tamen loci venisse res suas, ut satiùs sit medicamentis abstinere. Nihil spei esse reliquum, intestina atque viscera putredine esse infecta, (*er sey faul im Leibe* quod sit putridum in corpore) nec audere se usum Medicamenti continuare, integra enim intestinorum frusta id ipsum expulisse. Ego facilè suspicabar, quod res erat, atque frusta hæc aquâ abluta afferri curabam, penitiùs contemplabar oihilque esse aliud quàm ejusmodi pelliculas concretas & ad conf rentis intestini figuram accommodatas manifestè deprehendebam, quamobrem bono eundem esse animo, jubebam, & ut in usu optimi Medicamenti pergeret, seriò hortabar; ita excretâ singulis diebus magnâ fistulosæ pituitæ & pellicularum copiâ, ex voto tandem convaluit atque postea à crebris morborum insultibus, quibus subinde antea divexabatur, immunis vixit.

Plura hôc in argumentô vide in Bibliothecâ nostrâ Medico-practica, sub titulo Colica & aliis; ut & in hoc ipso Opere, sub titulis variorum *Tumorum, Vulnerum* ac *Ulcerum*.

ISCHIAS.

Ischias, Barbaris *Schiatica* dicitur, & est dolor vehementissimus cujus sedes non est propriè aut semper in eô articulô qui femur cum osse innominatô conjungit; sed altiùs ad summam propè natem, ubi nervi à lumbis & ab osse sacrô emergentes in crura feruntur, sæpius figitur. Causæ non multùm differunt ab iis quæ arthritidem, item quæ rheumatismum faciunt: Siquidem oritur à serô acerrimô, undecunque demùm illud advehatur, quod partes membranosas ac nerveas, in quas depluit ac decumbit violentiùs pungit, ac quasi dilacerat.

Hic morbus à multis cum arthritide confunditur, ac pro unô eodemque habetur. Verùm præterquam quod multi arthritici ischiade nunquam infestati fuere, & contra maxima ischiadicorum pars podagrâ immunis vixit; Quis nescit quod arthritis nunquam in verum eumque purulentum terminetur: Ischias verò sæpe: Quodque præterea, in ischiade, sicuti in plerisque aliis juncturarum doloribus, tumor & rubor oculis perspicui non appareant; in arthritide autem contrà.

Verùm disceptationes hæ minùs pertinent ad institutum Bibliothecæ nostræ Chirurgicæ, in quâ practica præcipuè sectamur, & ad quam pertinet propriè ischias, quatenus in abscessum quandoque abit, ut ex observationibus mox adferendis videbitur, postquam iis præmiserimus historiolam Ischiadis facili remediô curatæ à Cl. iss. Josepho Lanzonô, Miscell. Curiosor. Decur. iij. Anno 1. insertam, quæ hæc est.

Adolescens quidam diu ischiade laborabat, & cùm multis ac diversis, à variis quoque Medicis, præscriptis frustrà usus fuisset remediis, rusticum medicastrum vocavit ad sui curam, qui afferuit salutem ejus sumi debere ab urticâ, si eâ locus affectus ad rubedinem usque cederetur, & vinô albô generosô postea ablueretur; quô peractô sanatus est non sine adstantium admiratione. Tale verò remedium mihi novum non fuit, nam simile quid me legisse recordor apud Wolfgang. Hæfetum lib. 4. Hercul. Medic.

Scholium Clariss. Viri Lucæ Schrak. Luc. Filii.

Cornel. Celsus lib. 3. cap. 27. membris paralyticis etiam prodesse censet, summam cutem exasperasse urticis cæsam, usque dum rubere cæperit. Quod num sali alicui acredine insigni prædito, quô nempe morbosum illud acidum contemperare, & enervare valeat, adscribi mereatur, valdè hæreo, cùm præsertim nec linguæ judiciô tale sal in urticâ se manifestet; illud verò quod ei inest blandum existere per experimentum à Tackeniô in Hippocr. Chimic. cap. 1. adductum, evincatur. Unde potiùs in spiculis urticam undique cingentibus, & acumine suo dum penetrant fibrulas cutis nerveas pungentibus, medelæ causam quæterem; quæ dum à molestiis his corpusculis convelluntur, motum etiam sanguinis pervertunt, sicque unà subsistentes in parte affectâ particulas agitare, atque in naturalem motum reducere possunt.

Ischias cum carie ossis ischii & femoris lethalis.

Mulier conspicua Stavlacensis atroci dolore ischiadicô discruciatur. Varia ac varia à Chirurgia adhibita sunt auxiliorum genera; calidæ essentiæ, emplastra validiora parti roborandæ idonea, ut & etiam discutientia: verùm omnia sine fructu. Unde cùm ego adverterem dolorem per somnum augescere, febremque simul ac indesinenter ægram vexare, pus in ischii parte interiore delitescere meritò suspicatus sum, illudque sine apertione inde minimè esse educibile. Sed cum pulposus esset clunis ille, nec nisi cum ingentissimô dolore sectio peragi posset, consului ut cauteris aliqua potentialia inibi applicarentur; per quorum escharam cùm sectio institueretur, multum puris cum violentiâ eructabatur, remittentibus inde utcunque & dolore & febre. Verùm cum pus istud per diuturniorem moram periostium erosisset, & ossis ischii partem carie effecisset, simulque femoris os non parum corrupisset, sphacelus ac mors brevi accessit; & doloribus ac vitæ finem dedit. *Ex communicatione Clariss. Viri Antonii Drelincurtii Rerumpublicarum Bernensis & Friburgensis Archiatri extraordinarii ac Antistitis.*

Ischias refrigerantibus sanatur.

Vir Illustrissimus, Bernensis Consul, staturæ proceræ, macilentus, temperamenti sanguineo-biliosi, incidit in violentissimum dolorem ischiadicum, quo cùm per dies multos distorqueretur, noctesque insomnes ageret; urgente præterea siti, appetitu prostrato, viribusque prorsus dejectis: Medicus clinicus multa adhibuit remedia externa, olea, essentias, ac emplastra calida ischiadica dicta, frictiones præterea calidas ac vehementiores. Verùm sic non leniebatur dolor; quin potiùs in dies exacerbatur, & febris accenditur. Vocatus ego in consilium, reperio Virum Consulem quasi de salute desperantem, ac propterea methodum curatoriam in illo infaustis avibus usurpatam ex asse permutandam in

in animum induxi. Clysteres itaque refrigerantes adhibui, emulsiones anodynas propinavi, à quatum vel primâ dosi placidam transegit noctem, cùm priùs à quatuordecim diebus somno & omni prorsùs requie orbatus fuisset. Hinc suadeo balneum aquæ tepidæ, illudque simplex & nullis medicamentis herbis; quo per dies circiter octo usus, non neglectis interim & emulsionibus & clysteribus suprà memoratis, remittebat febris, minuebatur dolor, cessabat, viresque in dies refocillabantur. Tunc ptisanam præscribebam laxantem, diætamque ideæ morbi ac ægri temperamento accommodatam instituebam. A phlebotomiâ autem, quia ab eâ summopere abhorrebat Vir Illustris abstinere coactus fui: Verùm sic non minùs per curam prædictam intra quindecim dies & stare, & etiam ambulare Vir Consul valuit, indignabundus contra Medicum clinicum mihique gratias dulcissimas agens. *Ex eâdem communicatione.*

Ischias Cucurbitulis & Vesicatoriis curatur.

Vir strenuus Bernensis Dux legionis in Cataloniâ militans sub dio pernoctare coactus, uvidâ nocte, sub tegmine fagi humi recubans, primâ aurorâ expergefactus & irrequietus de dolore ossis ilii & sacri conqueritur, & vix erectus & stans in pede incedere quivit, unde ubi primùm ab exercitu discedere ei copia dabatur Monspelium se contulit, opem à Medicis inibi erogitans, variis autem atque variis exquisitioribus quidem adhibitis ad sanationem remediis, sed sine successu, ismque atroci & pertinaci dolore excruciatus rectâ Parisios tendit.

Ad Medicum dubius confugit æger opem.

Auxilium quæritat à primoribus ibidem Medicis, diversisque adductis triplici ab armamentario auxiliis, doloris levamen nullum affertur, & sic animo despondent Nobilis æger, Lutetiâ relictâ, patrios lares repetit, longumque per iter, offisragum quasi dolorem perpessus, Medicos Poliatros accersit

Scilicet ut victus repetit gladiator arenam,
Et redit tumidas naufraga puppis aquas.

Auxilium promittunt junctisque manibus remedia, ut ipsis videbatur appropriata tùm externa tùm interna citò & diu admovent; sed incassum jussuque Nobilis patientis à me consilium expostulant; sed ne crambem recoquere viderer, citò ad externa præsidia confugio, armaque præscribo ab armamentario Chirurgico desumpta, scilicet hirudines, vesicatoria, cauteria, aut potentialia, aut actualia, ex ferro candente, videlicet ex Hippocratis consilio, ad extremos quippe morbos extrema exquisitè remedia conveniunt. Verùm id consilii Bernensibus Medicis non arridet, flocci faciunt spondentque iterum sanationem aliundè quæsitam, sed frustaneam, unde æger defatigatus ac tædiosus ab usu remediorum tam futili, Verbigenum se contulit manus auxiliatrices meas efflagitans. Idcircò sine morâ, convocato Chirurgo experto, aliquantulùm nobili ægro concessâ quiete, ante focum sedere jubeo, fortibusque frictionibus in regione ilii, ossis sacri, & circumstantium partium ad rubedinem adhibitis, cucurbitulas tres admoveri curo, duas quidem superiores ad ilii regionem, tertiam verò inferiorem super osse sacro, quibus post attractionem dettactis, hirudines applicari satago, his autem sanguine saturatis, cruoreque plenis, atque spontè delapsis, iterum cucurbitulæ tres admoventur, removenturque toties quoties ichorem à profundo extrahere valent, hinc vesicatorium forte & peramplum hisce partibus applicari jubeo, ac reliqui inibi loci aliquot per horas; quo detracto vesicatorio, quasi à reserato latice largo, serum copiosum erumpit, ad uncias ad minimùm duas; serum inquam, salsum atque bile tinctum, hinc linimentum dulce applicatur, atque ab illo fortunato momento erectus æger incedere valuit, libet ab atroci cruciatu, atque crastinâ die sequenti, eques ad suos lætus se recepit, immunisque à tanto dolore exigit vitæ curriculum. *Ex eadem amicâ communicatione.*

Ischias lethalis, ubi mesenterium purulentum repertum.

Vir incliti stemmatis, Bernensis ordinum militarium Dux, lustrum vitæ sextum peragens, Nobilem ducebat sponsam Lausannensem, à mensibus autem nuptiarum aliquot ischiadico dolore molestabatur, consulebatque & Chirurgum & amicos ad doloris lenimen, quo paululum sedato, Bernam se recipit eum dilectissima sua conjuge, ibique dolore renovato opem expostulat à Medicis & Chirurgis, à quorum ope iterum ad tempus dolor obscuratur. Verum verò cum reviviscerer atrociorque fieret dolor, accersit à Lausannâ Chirurgum urbis illius incolam, qui junctis manibus cum Medicis poliatris, Chirurgoque pariter illius urbis primario, auxilia pro virili quæsita admovent sed sine successu, febris ingruit lenta; dolor in dies acutior excruciat Nobilem patientem, undè nec immeritò abscessum in parte latitantem suspicantur, apertionemque ad externum materiæ judicant summoperè necessariam, ad quem finem deveniendum, rebus domesticis consultis, Lausannam devehunt Nobilem ægrum lecto pensili, comitantibus & Nobili Matrona uxore, & Chirurgis, tum Bernensi, tum Lausanensi prædicto; ubi ut consilium ineant pro casu tam arduo, accersunt Genevâ Doctorem Medicum expertissimum, Philosophiæ Professorem, suadente Nobili ægrotantis fratre D. D. Præfecto Nividunensi prælaudati Doctoris Medici Mæcenate; convocant & aliunde expertissimos Chirurgiæ Magistros Gallos è quorum omnium unanimi consensu, sectio instituitur à Chirurgo Bernensi antiquiore, ad spithamæ semissir circiter longitudinem & ultrà, dilataroque vulnere ex arte viginti post quatuor horas ex eo aperto, pus effluit copiosum: vulnus curandum committitur clinico & domestico Chirurgo Lausannensi: hinc post dies aliquot elapso à prædicto D Doctore remediis internis & convenientibus, insistentes Nobilem patientem revehunt Bernam, eodem lectulo pensili, iisdem comitantibus, & Matronâ, & Viris, adjuncto Domino Doctore Genevensi præfato, ubi cum degerem ego convocatus ante ab amplissimo & Nobilissimo illius Reipublicæ senatore, accersor à Nobili decumbente ad consilium ineundum cum supra nominatis viris poliatrisque Dnis. Dbus. uno ant altero, qui unanimiter conveniunt febrem quam dicebant hecticam, à materia tam diu hospitante supra osse ischio, ejusque periostium corrodente, doloremque atrocem diu excitante, originem ducere, in remediisque antihecticis intus assumendis pergendum, ad febris hecticæ dictæ extinctionem non omissa præ cæteris à Dno. Doctore præscriptâ rhei tincturâ, extractâ cum aquâ Cichorii stillatitiâ, quâ quotidie utebatur ad laxandam alvum. Ego autem febrem illam non hecticam nominabam,

ſed lentam; non à prædictis cauſis ortam, ſed ex abſceſſu, ut opinabar, in mezenterio latitante, idcircò mutanda fore interna remedia, vinumque iam arctè prohibitum ægro viribus fracto concedendum, ut in dies magis ac magis macileſcens, appetitu dejecto, ejus uſu refocillaretur, alvuſque ſponte excrementa exprometet, ſollicitata à vini biliſque ſimul aculeis, quandoquidem evacuatâ arte hil, quotidiana rhabarbari tincturâ, pigreſceret alvus; nullus autem mecum convenit, Nobiliſque æger dejerat ſe ſe ſatis demirari non poſſe me Medicum Gallum & quidem Pariſinum, vini uſum ſuadere poſſe (quamquam non merum dixiſſem, ſed aquâ aut decocto appropriato probè dilutum) Præterquàm quòd ſi in Mezenterio hoſpitaret abſceſſus, de ſuis rebus actum foret: prædictum conſilium igitur prætermittitur, curaque vulneris Chirurgo familiari & domeſtico committitur; hinc prælaudatus Dus. Doctor Genevam ſe recipit, nulluſque juxta ægrotantem relinquitur quam Chirurgus ille qui ſummo mane me conveniebat die ſequente, ad inviſendum Dum. decumbentem, qui me adveniente exclamabat, bone Deus! quantam noctem turbulentam in me excitaſti, vir amice! Revera etenim amicus erat ille mihi, quem ante annos aliquot à febre quartanâ vindicaveram: quam truculentam, inquiebat, noctem, bone Deus, excitaſti mentionem faciens de febre lentâ meſentericâ ab abſceſſu inibi latitante? Fallax ſit utinam ego reponebam: ſed vini uſum, aiebat, mihi ſuadere hecticâ laboranti? At vereor vehementer dicebam, ſalva ne ſit ſententia mea de mezenterii abſceſſu. Fortè autem fortuitò cum Chirurgus incumberet grabbato ad tractandum vulnus, cubito in abdomen patientis relaxato, inclamat ſubitò, heus me occidiſti, effluebat quippe ſanguis è vulnere, ſtatimque Chirurgus materiam effluentem explorans, videt ſummo cum ſtupore, pus uberantius è vulnere emanare, premitque tunc manu admodum forti abdomen, regionemque potiſſimum mezenterii, undè pus uberrim magis ac magis extrudit, hinc me citius acceſſunt, ægerque tunc inclamat ad me, nunc te bonum vatem, me invito ac dolente, renomino & reapſe, inquit, abſceſſus eſt in mezenterio, indeque tota ad vulnus confluitur materia; cura igitur ſubitò mutanda; traumaticas potiones ad uſum revocant, vinumque exhibent, probè dilutum decocto Chinæ; utuntur & decoctis guajaci, ſarſæ parillæ, chinæ & aliis variis aperientibus & detergentibus remediis; valedicunt uſui decocti rhei; fit alvus libera; remittit in dies febris; paulatim redeunt vires; reviviſcit appetitus, exhilaratur æger; interea per ſedes materia purulenta ejicitur, vulnus perſanatur, ac occluditur; ſtare incipit æger, deambulat ſcipione nixus per cubiculum, & poſt menſes aliquot à ſenatu decernitur Paternlaci præfectus quo theda devectus dolor utcunque iſchiadicus renovatus meſenteriique ſimul labores obeuſi, proſtratur æger & meſe[...]erii ſordes alvus deponit, toriſque tunc ac univerſis cum meſenterio conſumptis glandulis, langueſcit æger moribundus, ac animam Creatori tandem committit. *Ex eadem communicatione.*

ISCHURIA.

Vid.

URINÆ VITIA.

JUNCTURARUM MORBI.

De Juncturarum varietate vide capite de Oſſibus, in Bibliotheca noſtra Anatomica, idque præcipuè ex præclariſſimo Dom. Havers, qui de Oſſibus tractatum ſanè elegantiſſimum compoſuit, in quo de glandulis ipſis articulationibus adfixis, ſerumque pinguia, ad motus facilitatem vomentibus verba facit; à quo ſucco degenere, non pauca mala derivantur. Arthritis quæ præcipuum ex iis, aliaque quæ ex vulneribus, laxationibus, incurvationibus ac fracturis fiunt, propriis explicantur capitibus. Hîc propterea tantum de apoſtemate ſchirrhoſo digitorum, de contractura, rigiditate ac Synovia articulorum, per Curationes & obſervationes aliquot, pauca tradémus.

De Apoſtemate ſcirrhoſo Articulorum digitorum.

Naſcuntur circa juncturas digitorum quandoque apoſtemata phlegmatica ſeu potius ſchirrhoſa, dura, coloris fuſci, in quorum circuitu venæ attolluntur: ulcerantia & corrodentia oſſa, & ligamenta: currentia & mutantia ſedem, aliquando à membro ad membrum. Illorum cauſæ, judicia, & cura ſunt ſicut ſtrumarum malignarum & diffuſarum per corpus: præmiſſa purgatione, diæta ſarſæparillæ, uſu aquar. vitriolatar. & aluminoſar. carnis viperar. & ſerpentium præpar. In principio ungendus eſt tumor oleo de ſpica, & de lilio, & ſuperponendum emplaſtrum diachilom ſreatum. Quod ſi contingat ea ulcerari, mundificentur unguento Apoſtolorum & pulvere aſphodelorum, vel mercurii præcipit. vel trochiſcor. de minio, & ſi neceſſe ſit arſenicum adhibeatur, ut in ſcrophulis dictum fuit. Si autem os fuerit corruptum, uratur & removeatur ab eo corruptum: nam cauterium omnem corruptionem removet, poſtea vero curatione aliorum vulnerum curetur. *Joh. Vigierius Chirurgia lib. 1.*

Contractura membrorum.

Manuali opera membra contracta ſi diduci poſſunt, tunc etſi mobilia non rurſum fiant; (quod tamen interdum venit) nihilo ſecius forma alia illis quæ minus in motu impedimentum affert, accommodari poteſt. Ut ſi digiti extenſi ſiſtantur, tunc ſi contrahantur paulo minus in apprehenſione incommodant: Si pes ſurſum tractus hæreat, ad terram uſque retractus, etſi articulus genu fixus maneat, tamen inceſſum, qui prius ſublatus erat, reſtituit.

Hoc autem manibus, vel inſtrumentis adhibitis, non magna vi, ſed ſenſim in dies aliquantum impellendo, ſucceſſo temporis, attricto, tendines & ligamenta ita magis magiſque relaxando, in quibuſdam locis aliquando id poſſumus efficere. Idque pro membri contracti ratione, variis modis. Ut ſi propter genu articulum fixum, ut ſæpe fit pes ſurſum tractus ſit, calceo induto, & alicubi adligato, continuo dum ſedent & aliquid agunt, eum detrahendo; vel pondere appenſo ſæpe eum deprimendo. Quod & eleganter perficitur, ſi laminis duabus oblongis, in medio cavis, tibiæ & coxæ poſteriori ſedi accommodatis; & juxta articulum junctis interpoſita cochlea, eam invertendo quamdiu

ferte

ferre potest, pes è superioribus deorsum sensim propellatur. Uti & in aliis locis, eadem ratione cochlea strias habente, commodè perficitur: cum si vertatur, sensim ea quibus inseritur premendo membrum fixum impellat, & cum cochlea inversa sic immota maneat, eadem membrum quousque protrusit, sustinet & retineat. Quod ego in multis cum successu, ingeniosè fabricatis instrumentis tentavi. Sicuti quoque, si dig tus extensus maneat, annulo illi inserto, qui alii annulo, vicino digito adhibito contiguus & affixus sit, dum hic digitus movetur, alter fixus continuo impulsus, tandem cedere & flecti nonnihil cogitur. *Felix Platerus Praxeos - Medica lib. 2.*

De Cubito rigido, immobili, subitò curato.

Ea incommodo, quoties in arte Chirurgica commodum aliquod resultat & Chirurgo & ægrotanti gaudii ansa sæpius præbetur; evenit hoc in Helvetio illo, cujus his verbis meminit Hildan. cent. 5. obs. 89. Helvetius quidam adolescens Lausannæ studiis dans operam, ex arbore cadens, brachium sibi ad carpum frangit. Ego in consilium adhibitus fracturam feliciter sanitati restitui.

Ante annos autem aliquot contusionem talem circa carpum ejusdem brachii ex casu quoque contraxerat, ut eo tempore manus veluti resoluta & impotens permanserit: postrema autem curatio tam feliciter successit, ut manus penitus in integrum restituta fuerit, causam hujus sanationis hanc esse, mihi videtur: Primus affectus sive contusio carpi, cum ab imperito male curata esset, & inprimis plurima medicamenta refrigerantia applicata fuissent, materia quædam viscida inter ossa carpi remanserat, quæ post fracturam brachium, ab humore affluente veluti irrorata, emollita, & excalefacta esset, postea medicamentorum emollientium & resolventium, à me summa, qua fieri potuit diligentia exhibitorum beneficio, resoluta & dissipata fuit. Quæ curiosa nobis videntur, frequenter commodum maximum afferunt.

Petrus Jacobi Amstelodamensis anno 1661. utriusque brachii laboraverat aliquamdiu abscessibus, ulceribusque, circa articulationem humeri & ulnæ, Chirurgus, quo usus fuerat, ad veram eorum figuram, convenientemque usum haud attendens, non incurvata sed rigida ea reliquerat, unde ori aliquid iis admovere impossibile ipsi.

Curæ nostræ ubi subjectus, Fomenta varia, Cataplasmata, Emplastra, applicata, diversæ brachiorum frictiones, extensionesque institutæ, ast nihil, hæc omnia effeceruot, nec humor glutinosus articulos fere accedens, nec mucus articularis, articulorum motui dicatus, ullo modo resolvi potuit, ut mobilitas aliqua adferretur membris dictis.

Cibum ori admovere quod haud valeret, cochlear ipsi parari curavimus similiter ac cultrum excedentis longitudinis. Quid fit, panis dissecti particulam cultri apici impositam ori admovere laborans, ea privatur, procidens enim in terram à cane præsente aufertur, iratus ille pedibus percutere canem dum laborat, in humum prolabitur, hoc ubi fit, eo quod brachiorum uno resistentiam pavimenti lapidei perciperet, soluta materia ad dictum articulum hucusque detenta, & quod hactenus rigidum immobileque fuerat membrum, ex improviso mobilitatem debitam acquisivit, sic ut eo ad modum pristinum uti potuerit.

Joh. Henrici Wolvegad, bajulus, ex violentia catena pedis utriusque fracturam non solum, sed omnimodam comminutionem contraxerat. Hujus curatio nobis committitur, quæ etiam ex voto successit. Ex lecto surgens, non modo fracturam dictam curatam notavit, sed & herniam intestinalem inveteratam, ad cujus tamen curationem nihil à nobis adhibitum.

Plura huc facientia qui desiderat, quomodo nempe ex incommodis commoda producta, adeat Fabr. Hildanum part. 1. obs. 29. & part. 2. obs. 8. *Job à Meekren in Observationibus Medico-Chirurgicis.*

De Synovia.

Synovia nihil aliud est quàm liquor chylosus nutritius in parte vulnerata degenerans in liquorem saniosum & aquosum, sub qua degeneratione acorem occultum contrahit, & eainde vulnera istarum partium insigniter contumacia ac simul periculosa sunt: partes vero istæ interea, dum destituuntur convenienti nutrimento, necessario arefiunt. Unde fibræ exsiccatæ & contractæ poros partis internos augustant eosque connivere, seu quasi subsidere faciunt. Itaque sanato licet vulnere nihilominus tamen difficillime & tardissime pars denuo nutriri potest, quin potius sæpius pertinax aut contumax aridura sequatur. Quin & cùm debilitata dicto modo pars minus robusta sit, atque alia ipsi respondens, (id quod robur inæquale vocat Helmont.) propterea facilius ac sensibilius fere externorum objectorum impressiones recipit, unde tales ægri restitui licet, tamen quasvis aëris mutationes in loco antea læso mox præsentiunt.

Ut autem hæc Synovia, periculosum sane vulnerum in partibus tendinosis articulationum symptoma compescatur.

℞. Ostrearum, nempe testarum, ℥j cranii adusti, ossis sepiæ, mandib. lucii piscis calcinat. an. ʒij. spodii terræ sigill. an. ʒiß. quæ mista inspergantur: Sic namque cito evanescit.

Optimum quoque est unguent. fusc. Wurtzil, quia tamen præparatio est laboriosa, & propterea difficultes potest parati.

℞. Loco ejus vitriolum toties calcinatum spir. vitr. dulc. speciatim ex vitriol. mart. & dicto modo cum hoc procedatur atque vult Autor; nempe immittantur in acetum destill. quoddam vulneratum & ita addatur mel, flores æris, sicque porro misceantur.

Vel ℞. Unguent. Ægyptiac. simplex, & adde terram vitriolatam Dulcem in aceto destillato dicto permixtam, quantum postulat ingredientium proportio, hoc potest esse loco unguenti fusci Wurtzii, & unguent. Ægyptiac. magistr. compos.

Alias singulare experimentum est, si stercus porcinum cum sanguine vulneris invicem mistum coquatur, & ita vulneri externè applicetur instar cataplasmatis: hoc enim compescit synoviam.

Quin & linteum sanguine primo menstruo virginis tinctum humidum sive siccum applicatum certissimum habetur remedium ad compescendam synoviam. Polychrestum est si destilletur aq. ex cancr. fluviatilib. contusis: hæc enim cum linteis duplicatis imposita, non tantum synoviam sistit, sed prætetea omnes inflammationes, erisypelata, dolores partium vulneratarum; ac NB. quod cancri fluviatiles multum prosunt in casibus Chirurgicis. *Michael Ettmullerus Collegii Practici parte 2. cap. 1. Item in Chirurgia Medica.*

De Synovia Venæ sectionem infaustam in brachio factam subsequente.

Victori nostri oppidi Barbarossæ venam medianam Balneator scalpello vehementiori cum talitro adacto percuderat, tendine musculi bicipitis subjacente simul læso, quod ipsum sicuti ab imperitis Chirurgis sæpius magno cum ægrorum periculo fieri jamdudum notavit Adrian. Spigelius lib. IV. de humani corporis fabrica cap. 15. ita eventus in dicto Victore comprobavit; is namque primo derepente brachii stuporem perpessus est, quem, paulo post redeunte sensatione, dolor insignis & inflammatio exceperunt, post elapsum autem triduum ichor flavescens, sive meliceria aut synovia Paracelsi, ex labiis vulnusculi intumefactis atque ex pallido livescentibus emanare cœpit, cujus fluxione ultra octiduum in notabili copia perennante, miser victor in febriculam continuam ac totius corporis atrophiam manifestam cum inappetentia & vigiliis continuis incidit, frustra interea à balneatore, quem cum Terentio imprudentem harum rerum ignarumque omnium merito dixero, unguentis emollientibus pinguibus divexatus. Vocatus igitur tandem ego in consilium, exhibitis prius ægro medicamentis internis convenientibus, pulverem stypticum ex sanguine draconis, boln armena, mastiche. rad. bistortæ & flor. rosar. rubrarum concinnatum cum albumine ovi exceptum Venę sectę admovi, quo facto mox Synovia imminui visa est, ast cum labia vulnusculi unionem admittere adhucdum renuerent, iis ad propiorem contactum adductis Emplastrum sequens admovi, quod ubi per 24. horarum spatium affixum permansisset, desiit emanare Synovia atque consolidatio ex voto successit. Emplastrum tale erat præscriptum.

℞. Empl. de plumbo ℥j. diapalm. ʒij. Pulv. bol. armen. ℈iv. M. F. Magdal. trad. chart. incerat. sgr. *Pflaster zum bevorsten Gebrauch.*

Scalpellum, quo sinithè usus est Balneator, nostratibus communiter dicitur *eine Flitte* frequentissimè olim in universa Germania, & hodie in quibusdam locis, propter vanam securitatis melioris persuasionem, usitatum, idemque depingitur à Botallo in Tr. de modo incidendæ Venæ p. 94. ac verbis describitur sequentibus pag. 87. Autoris *ἰσχυρῶς* simul continentibus Scalpellum aciem habet ad imum spectantem & maoubrium, quod inter indicem est, pollicem ministræ manus, dum pulsanda vena & prehenditur, & accommodata acie obliquo modo super locum venæ eminentiorem, dorsum ejus vel pollice illiditur, vel adverso medio vel indice digito talitro intro pulsatur. Quod instrumenti genus & utendi ratio non admodum approbanda suot: eo quod in in ejus usu fallacia multa sit, & periculum non exiguum feriendi nervi, aut tendinis aut arteriæ, si venis tundendis hæreant; propterea quod ad unguem nulla repentina impulsio moderari possit. *D. Ioh. Mauritii Hoffmanni.*

Quædam rursùs hoc in argumento videri possunt sub titulo *Articuli.*

Finis Libri IX.







